# PATROLOGIÆ
## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

### QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ
EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM
PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA,

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## PATROLOGIÆ TOMUS XV.

S. AMBROSII TOMI PRIMI PARS POSTERIOR.

PARISIIS, EXCUDEBAT MIGNE,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Digitized by Google

C 550.1

1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., L.L.D.
(H. U. 1814.)
President of Harv. Univ.

MIGNE, succursaliste, à Montrouge, de VRAYET DE SURCY,
imprimeur à Paris.

Digitized by Google

# SANCTI
# AMBROSII
# MEDIOLANENSIS EPISCOPI
## OPERA OMNIA.

EDITIO PRÆ ALIIS OMNIBUS COMPLETA, QUARUM INSTAR HABERI POTEST;

AD MANUSCRIPTOS CODICES VATICANOS, GALLICANOS, BELGICOS, ETC., NECNON AD VETERES EDITIONES, MAXIME VERO AD BENEDICTINIANAM RECENSITA ET EMENDATA;

NOTIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS, TEXTUI SUBJACENTIBUS, CONTINENTER ILLUSTRATA;

VARIIS INSUPER OPUSCULIS QUÆ VEL OMISERE VEL NE MEMORAVERE QUIDEM ERUDITI BENEDICTINI, LOCUPLETATA.

## TOMI PRIMI PARS POSTERIOR.

PARISIIS

EXCUDEBAT MIGNE,

*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Digitized by Google

# ELENCHUS OPERUM

## QUÆ IN HAC PRIMI TOMI PARTE CONTINENTUR.


| | | |
|---|---|---|
| Expositio in psalmum CXVIII. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | *col.* | 1197 |
| Expositio Evangelii secundum Lucam. . . . . . . . . . . . . . . | | 1527 |
| Commentarius in Cantica Canticorum e Scriptis S. Ambrosii collectus. . . | | 1851 |
| De Excidio urbis Hierosolymitanæ libri quinque. . . . . . . . . . . | | 1961 |
| Anacephalæosis quinque librorum de excidio Hierosolymitano. . . . . | | 2205 |


## ERRATA.

*Col.* 1965 : ante CAPUT PRIMUM; lege : LIBER PRIMUS.

*Col.* 1969 : CAPUT X; lege : CAPUT IX et X.

Digitized by Google

# IN PSALMI CXVIII EXPOSITIONEM ADMONITIO.

*Aperte ex tota serie hujus operis intelligimus beatum Ambrosium, cum Christianos suæ curæ commissos præceptis ad perfectionem conditionis suæ cumulate comparandam necessariis munire decrevisset, nihil ad illud existimasse conducibilius, quam si psalmorum omnium pulcherrimum, ac moralibus dogmatis refertissimum* (*Præfat.*), *ipsis exponeret. Quam ob rem cum tam nobile argumentum propositum haberet sanctus Doctor, omnem ingenii vim, omnem sibi divinitus concessam facultatem eidem illustrando adhibuit. Quidquid in eo fuit eloquentiæ, quidquid ardoris, modestiæ, humilitatis, scientiæ, id omne tanto cum splendore in hac commentatione elucet ; ut ea communi doctissimorum virorum, atque etiam heterodoxorum suffragio inter præstantiora Ambrosii nostri opera numeretur.*

*Principio quadam præfatiuncula quasi præludit, in qua compendio explicat quidquid generatim pertinet ad hunc psalmum. Hinc transit ad enarrationem octonariorum, in quorum limine Hebraicas quasque litteras enucleat, quæ sunt, ipsiusmet testimonio,* velut tituli eorum versuum, quæ sub iisdem litteris ascribuntur. (*Serm.* 14). *Hoc autem dignum est quod observetur, nimirum sanctum Antistitem palam facere ea ipsa quæ hic a Davide sub singulis Hebraici alphabeti elementis traduntur, sub iisdem quoque a Jeremia in Threnis suis describi. Verumtamen ante sermonem octavum eam non aperit consensionem, quam deinceps accuratissime ad finem operis prosequitur. Et in hac demum parte copiosius earumdem litterarum sensum edisserit.*

*Post explicatum unumquodque elementorum ad interpretationem textus accedit, et exacte admodum octo illos versus qui singulis sub elementis continentur, ordine quemque suo expendit; tametsi aliis diutius, aliis brevius immoretur. Primo proponit ipsa verba cujusque versus, et si quid occurrat varietatis, sive in Græcis sive in Latinis exemplaribus, sive etiam in diversa interpretibus, hoc ille nomine magna eruditione oculis subjicit* (*Serm.* 4, 10, 12 *et al.*). *et quasi digito indicat fontes istiusmodi discriminis, quod nonnumquam dissidentibus interpretum opinionibus, sæpius vero antiquariorum Scripturam imperitia vel indiligentia sua corrumpentium culpæ attribuit* (*Serm.* 4, 5 *et al.*). *Insuper quid de variis Scripturæ versionibus sentiat, candide in medium profert* (*Serm.* 9, 17, 20 *et* 22), *docetque* (*Serm.* 13) *tunc temporis in Ecclesia potissimum valuisse* LXX *senum interpretationem. Nihilominus tamen libentius ipsemet utebatur exemplari suo Græco* (*Serm.* 17) ; *quamvis etiam minime negligeret et alia subinde consulere, et diversas textus interpretationes quæ defendi posse aliqua ratione videbantur, proponere.*

*Etsi statim ab exordio hujus operis* (*Serm.* 1) *non secus atque in aliis suis lucubrationibus* (*Lib. de Isaac et An. cap.* 4, *num.* 23; *Præfat. in Luc.*, etc.) *triplicem Scripturæ sensum agnoscat, naturalem sive historicum, mysticum, et moralem; primum tamen hic non sequitur, secundum percurrit satis leviter, sed exsculpendo illustrandoque tertio totus incumbit. Neque vero causæ illæ quibus ad ineundum hoc consilium inductus fuit S. Ambrosius, difficulter afferri possunt, siquidem ipse non semel affirmavit* (*Serm.* 1, 13 *et al.*), *quamvis mysticus sensus acutior sit, moralem tamen multo suaviorem, accepticremque esse populo* (*Serm.* 13), *qui uberiorem in eo sibi præberi utilitatis segetem cognoscebat. In hunc igitur sensum omnes ingenii sui nervos intendit, Christianisque præcipit qua ratione pervenire valeant ad supremum gradum perfectionis. Illic incredibili ardore animi in præcipua et maxime communia temporibus suis vitia invehitur. Sed nec ipsis sacri altaris parcit ministris : quos quidem ob culpas quæ non ita graves videbantur, loco suo ac dignitate abdicari volebat* (*Serm.* 2, *et al.*), *nimiam eorum qui se justo molliores peccatoribus exhiberent indulgentiam, sed haud minus illorum qui sibi ipsis remissi rigidiorem adversus alios censuram exercerent, severitatem damnans* (*Serm.* 4, 5). *Ibidem etiam Judæos, atque hæreticos et Arianos imprimis aggreditur, demonstratque* (*Serm.* 22 ) *illorum hæresim hinc scaturire, quod philosophorum ac maxime Aristotelicorum argutias et vitilitigationes essent secuti. Denique eorum qui plagii accusabant scriptores nostros, quod librorum suorum præclarissima quæque in operibus philosophorum compilassent, mendacium quod alibi* (*Serm.* 2, *et alibi*) *non semel impugnat, hic etiam refellit* ( *Lib. de Abraham Patriarch. et seq.*)

*Intexit hisce omnibus longe maximam Cantici Canticorum partem, cujus hic mysteria, sicut alibi dixerat* (*Lib. de Isaac et An. cap.* 4, *num.* 17), *potissimum de Ecclesia interpretatur. Verum non admodum accurate huic insistit expositioni. Siquidem præterquam quod in pluribus illum sermonibus plane omittit, ejusdem sacri voluminis non nisi circa initium ac finem ordini inhæret. In reliquis prædicti libri testimonia hinc inde ex variis capitibus petita eo tantum laudat, ut illorum auctoritate res proposita astruatur. Quapropter minime dubitat eadem iterum ac tertio allegare. Cum vero Christianæ perfectionis consummationem eodem psalmo contineri asseverasset* (*Serm.* 13, 21), *hanc lucubrationem concludit* (*Serm.* 22) *exponendo ultimam partem Canticorum, in qua nuptiæ spiritales Verbi cum Sponsa sua, nec non intima ejusdem cum illa conjunctio, quæ res plenam cumulatamque perfectionem constituit, describuntur. Qua quidem coronide tam præclaro operi non poterat apponi nobilior.*

*Hujus libri excellentiam agnoscit Dallæus* (*Lib. de Usu Patrum, pag.* 248), *ubi ait :* Opus alias præstans, et eloquentia sanaque doctrina refertum, lectuque adeo dignissimum : *nihilo tamen secius eidem, alio loco*



Digitized by Google

erroris notam audet inurere, asserens (Ibid. pag. 270) illic Ambrosium vestigiis Hilarii sanctos omnes antequam Dei fruantur conspectu, flammis expiandos esse prædicantis insistere. Addit (Ibid., pag. 248) parum modestam illius dum in allegoricis interpretationibus ludit, licentiam esse. Postremo ipsum in explicandis litteris Hebraicis narrare (Ibid., pag. 244) lectoribus suis mera somnia. Verum ille in tribus hisce capitibus æque iniquus est. Quod enim ad primum, erunt fortasse qui eum non satis cohærentia locutum dicant, quippe qui opus illud sana doctrina refertum palam sit professus. Nos vero quæ fuerit sancti Viri de hoc ipso capite sententia, jam declaravimus. Cæterum si hoc in opere Dallæo præter memoratum errorem nihil displicet, eum atque alios ejusdem cum ipso communionis obsecramus, ut de sacris nostris mysteriis, ac imprimis de sacrosancta Eucharistia (Serm. 8, 14, 15, 16 et 18) ipsi eadem quæ doctor noster, et credant, et loquantur. Tantum demum profecto contingeret, ut soluto divisionis muro utrique eadem fide jungeremur. Quod autem ad secundam accusationem, fatemur quidem cum Gregorio Nazian. excessum improbandum esse in allegoriis : sed vix ullum ex Ambrosianis operibus esse contendimus, in quod non cadat justius quam in hoc, istiusmodi criminatio. Id sane hinc planissimum fit, quod nusquam alibi, ut jam dictum est, latius in morali expositione spatietur S. Antistes, neque mysticum sive allegoricum sensum nisi obiter attingat; quin immo ex ipsis Canticis pulcherrimas morum instituendorum eruat præceptiones. Denique quod objicitur de elementorum Hebraicorum interpretatione, hoc non validiore niti firmamento ad litteram Aleph demonstrabimus.

Hunc librum constare concionibus quas Ambrosius ad Mediolanensem populum dixit, minime obscurum est. Evincunt hoc ipse dictionis stylus, locorum iisdem diebus ex utroque Testamento in synaxibus recitatorum citationes (Serm. 3, et alibi passim), expressissima tandem verba Præsulis nostri (Serm. 14). Verum difficilius fuerit statuere, utrum singula octonaria singuli sermones complectantur. Si quorumdam prolixitatem cum brevitate aliorum componamus, rationemque tum diversitatis argumentorum, tum variarum interruptionum resumptionumque habendam putemus, haud iniquo animo his assentiemur, qui octonariorum nonnulla non unico sermone tractata fuisse, existimabunt. Sed cum mss. omnes, ac edit. antiquæ eosdem sermones secundum Hebraicorum elementorum divisionem distributos ubique exhibeant, atque adeo simillimum veri sit Ambrosium ipsum hancce commentationem, cum illam describeret, hoc ordine constituisse, nihil hac in parte mutatum voluimus. Cæterum dicendum erit operis hujus præfatiunculam, quæ certe brevior est, quam ut concionem suam sola contineat, vel una cum primi octonarii explicatione pronuntiatam fuisse, vel postea aliorum sermonum capiti ab ipsomet Ambrosio superadditam.

Inquirendum jam quonam tempore eosdem ad populum habuerit S. Episcopus. Constat procul dubio illud antequam librum de Isaac et Anima ibidem allegatum (Cap. 4, num. 17) scriberet, evenisse : hunc autem librum anno circiter 387 in lucem editum probavimus (Admonit. in lib. de Isaac et Anima). Præterea ibidem citari videntur (Serm. 14) ipsius in Evangelium Lucæ commentarii quos opinio probabilior ad annum 386 refert. Ad hæc etiam mentio fit (Serm. 6) anniversarii festi martyrum Gervasii atque Protasii, quorum sacra Lipsana sub annum 385 aut proxime sequentem inventa sunt. Unde colligas eximium hunc fetum circa idem tempus prodiisse. Hoc ipsum hinc quoque videtur confirmari, quod inflammatum martyrii desiderium Vir sanctus præ se ferat iis verbis (Serm. 21), quæ tempus illud satis indicent ejusmodi fuisse, per quod martyrii palma etiam tum obtingere posset : quod apte congrueque ad insanientis in ipsum Justinæ persecutionem quis referat, hoc est ad 385 aut proximum. At vero admodum credibile est easdem conciones neque una et continua serie, neque uno eodemque anno esse habitas. Videmus quippe Ambrosium aliquando verba fecisse cum anniversaria Gervasii ac Protasii, ut jam diximus, festa recurrerent, quæ festa probabile est in XIII kalend. mensis Julii incidisse : aliquando vero cum dies Sebastiano sacer ageretur (Serm. 20), quem etiam tunc moris erat XIII kal. Februarias celebrari. Advertimus etiam sanctum hunc nostrum modo jejunii diebus, modo aliis concionatum esse. Observamus denique hoc toto in opere nihil quod ad catechumenos pertineat, deprehendi : verum illic omnia videri apud homines christianis sacris jam initiatos, atque adeo nostrorum omnium mysteriorum cognitione instructissimos pronuntiata. Illum autem constat ad eos non diebus singulis, sed tantum dominicis aliisque solemnioribus sermonem habere consuevisse. Non enim tunc cœptum argumentum, ut de festo diceret, omittebat : sed interdum nonnihil de eo per digressiunculam delibare satis habebat, quemadmodum de superioribus observatum est.

Hanc porro expositionem ad multorum codicum sin minus antiquissimorum, saltem elegantissime juxta atque accuratissime manu exaratorum fidem exegimus. In omnes editos, tum antiquiores, tum recentiores, non solum irrepserant menda plurima, verum etiam frequentes interpolationes sine auctoritate intrusæ fuerant, quas partim resecuimus, partim in variis lectionibus, cum eas expungere subveriti sumus, indicavimus. Postremo suam operi inscriptionem restituimus non modo scriptorum codicum editionumque veterum testimonio, sed etiam suffragio (Lib. de tenenda ver. Script. tom. IV, Bibl. Patr., pag. 126) Lugdunensis Ecclesiæ, ac veterum auctorum apud quos ejusdem mentio reperitur.

Digitized by Google

# SANCTI AMBROSII
## MEDIOLANENSIS EPISCOPI
# IN PSALMUM DAVID CXVIII
# EXPOSITIO.

### PROLOGUS.

**971** 1. [a] Licet mystica quæque velut tubæ increpuerit sono David propheta: tamen moralium magnus magister in eo quantum excellat Ethica, psalmi hujus summa declarat gratia. Siquidem cum suavis omnis doctrina moralis sit, tum maxime suavitate carminis, et psallendi dulcedine delectat aures, animumque demulcet. Meritoque plerisque locis moralium sententias psalmorum tamquam stellarum diffundit lumina, quæ lucent atque [b] emicant: centesimum vero et octavum decimum psalmum, velut pleni luminis solem meridiano fervente calore, [c] in processa libri constituit ætate; ut neque matutini ortus semiplena exordia, neque vespertini occasus quidam senilis defectus, [d] claritati aliquid perfecti splendoris decerperent. Quem per singulas Hebræorum digessit litteras, ut quemadmodum parvulorum ingenia primis litterarum elementis [e] assuescunt discendi usum assumere; ita etiam nos hujusmodi elementis usum discamus vivendi.

A **972** 2. Litteris autem singulis octonos versiculos ascripsit; ut simul et unitatem [f] doceret (unitas enim coercet omnia et regit, cui subjecta omnia sunt) et purgationem legitimæ sanctificationis [g]. Octava enim die solemnis [h] purgatio vel ex Lege est (*Levit.* XII, 3 *et* 4); quia octava die circumcisionis solemnitas impleri statuta est: vel quia totus mundus coinquinatus erat peccatis nostris, et septem illis pollutus diebus. Ubi autem venit resurrectionis dies, convivificati Domino Jesu resurreximus, et erecti sumus, in novitate vitæ ablutionis gratiam præferentes. Meritoque primogenita offerimus animantia in figura primogeniti Filii Dei, castitatis et simplicitatis, spiritale sacrificium acceptum Deo, non quarto aut quinto die; ne immundum aut in-
B consummatum sacrificium sit: sed octava die qua omnes in Christi resurrectione non solum resuscitati, sed etiam confirmati sumus. Unde licet in baptismate plena sit statim purgatio: tamen quia ablutionis ipsius sacrificiique rationem baptizatus debet cognoscere, [i] non offert sacrificium, nisi octa-

[a] Quidam mss., *Licet mysticæ quoque.* Quidam cum ant. edit., *Licet mystico quoque.* Alii demum et Rom. edit. ut in textu. Iterum eadem edit. sola, *tamen in eo quantum excellat ethnica, psalmi hujus declarat gratia.* Quem locum ut ita decurtaret, ejus dubio procul obscuritate effectum est. Ut autem ei lucem aliquam afferamus, monendum duximus voces, *in eo*, referri oportere ad illas, *velut tubæ sono*; hoc est, *suavitate carminis, et psallendi dulcedine*, ut continuo Sanctus explicat.

[b] Rom. edit., *emicant in orbe, sanctus Propheta diffundit.*

[c] Mss. nonnulli, *in processu libri quasi plenam ipsius constituit ætatem.* Alii ac edit. inter se consentiunt, nisi quod pro *in processu*, pauci legunt *in provecta*; Rom. edit., *imperfecta.*

[d] Rom. edit., *claritatis aliquid perfecti splendori decerperent.*

[e] Rom edit., *legendi usum addiscunt: ita nos hujusmodi*, etc.

[f] Vet. edit. et mss. non pauci verbo *doceret*, addunt *non pluralitatem.*

[g] Rom. edit. voci *sanctificationis*, subdit verbum *astrueret.*

[h] Eadem Rom. edit., *purgatio ex Lege est: et octava die.... statuta est, quia totus*, etc.

[i] Quodnam sit illud sacrificium, *Baptizatus non offerebat, nisi octavum ingrederetur diem*, haud facile apud antiquos reperias. Difficultatem vero etiam illud auget, quod certum est Eucharistiam initiatis statim post acceptum baptisma administrari olim solitam. Attamen cum Ambrosius hic non de simplici communione, sed de sacrificio loquatur; ita potest hoc disciplinæ ecclesiasticæ caput, quod forte Mediolani tantum obtinebat, explicari: Præbebatur quidem neophyto statim e sacris fontibus egresso divinum sacramentum, sed forte depromptum e turricula super altari erecta vel ex aurea argenteave columba ibidem, aut in baptisterio suspensa, in quibus olim illud asservabatur; sicut ex vita S. Basilii ab Amphilochio scripta, ex supplici libello in actione 5 Conc. Constant. sub Menna celebrati a clericis et monachis Antiochenis oblato, item ex Paulino, Gregorio Tur. atque aliis multi observarunt. Verum
C interim a sacrificio per dies septem aberant, dum plenius mysteriorum cognitione informarentur. Certe præcipuam priscis illis antistitibus curam fuisse recens baptizatos instituendi doctrina mysteriorum quæ prius eosdem celata fuerant, non solum PP. Græcorum homiliæ in diebus paschatis, et plures Augustini sermones, nimirum 127, 129, 260 et 262 testantur; sed Ambrosius ipse in lib. *de Mysteriis*, qui e sermonibus hac ipsa de causa habitis constat, planum facit: *Nunc de mysteriis*, inquit, *dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur.* Libros quoque *de Sacramentis*, quos aut Ambrosii aut saltem ejusdem ævi auctoris esse in confesso est, ad neophytorum gregem pronuntiatos fuisse probant ista ex lib. V, cap. 3: *Gaudet Ecclesia de redemptione multorum, et astare sibi familiam candidatam spiritali exsultatione lætatur.* Cum illi demum instructiores facti essent, tum illos oblatio-

Digitized by Google

vum [a] ingrediatur diem; ut informatus agnitione sacramentorum cœlestium **973** non quasi rudis, sed quasi rationis capax, tunc demum suum munus altaribus sacris offerat, cum cœperit esse instructior; ne offerentis inscitia contaminet oblationis mysterium.

3. Titulus autem Psalmi, *Alleluia* est; hoc est, laus Dei. In his enim hymnis vere Deus laudatur, in quibus est peccatorum remissio. Denique in superiore psalmo passio Domini præmissa est; quæ mundum hunc diluit, ut dignos faceret populos qui Deum immaculato ore laudarent. Ipsa quoque litterarum elementa, ut omnia Hebræa nomina, non sunt rationabilis interpretationis vacua atque immunia, quorum significationes locis suis aperiemus. [b] Centesimus et undecimus psalmus per has litteras in Hebræo in principiis versiculorum digestus est, et est totus ethicus : et centesimus decimus mihi ita scriptus videtur. Denique vicenos et binos versus habent, et singulis versibus singulæ explicantur sententiæ. Unde et per [c] metra asseruntur esse descripti.

## SERMO PRIMUS.

### .א *Aleph*.

1. Prima littera [d] *Aleph* dicitur, cujus interpretatio doctrina est. Sollicitus ergo auditor, plenos doctrinæ versus esse qui sequuntur, debes præsumere.

2. (Vers. 1, 2.) *Beati immaculati*, inquit, *in via*, *qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus : in toto corde exquirunt eum.* Quam pulcher ordo, quam plenus doctrinæ et gratiæ! Non prius, *qui scrutatur testimonia ejus*, dixit (potuit enim convenire secundum litteram), sed prius : *Beati immaculati in via.* Ante enim vita quam doctrina quærenda est. Vita enim bona et sine doctrina

A habet gratiam : doctrina sine vita integritatem non habet. In malevolam etenim animam non cadet sapientia. Ideoque ait : *Quærent me mali, et non invenient* (*Prov.* I, 28); quia improbitate cæcatur mentis oculus, et caligante sibi iniquitate, mysteria profunda invenire non potest. Primum ergo exercenda est vitæ militia, corrigendi mores. Cum hæc instituerimus ad cursum debitum, ut sit offensionis correctio, puritatis gratia ; tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine et via. Prima igitur sunt moralia, secundum mystica. In illis vita, in his cognitio; ita ut si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit : utrumque adstipuletur alteri. Ideoque ait Scriptura : *Seminate vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate* B *vobis lumen cognitionis* (*Ose.* X, 12). Non prius illuminate, sed seminate : nec solum seminate prius ad justitiam; sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vitæ : et sic illuminate lumen cognitionis, **974** ut perfectio non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur. In primo quoque psalmo hunc ordinem tenuit, ut in via ambulandum doceret prius, et tunc in Lege meditandum. Qui enim non abiit in consilio impiorum, utique de pietatis via, et justitiæ semita non recessit : meritoque in via ambulans beatus pronuntiatur; et die ac nocte meditationem Legis exercens habet gratiam beatitudinis.

3. Quam institutionem secutus Salomon, librum de Proverbiis scripsit, in quo moralem locum uberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticum C in Canticis canticorum : quamquam si diligenter discutias, et in Proverbiis mystica pleraque reperies, et in Canticis moralium suavitatem. Nam utique mysticum est : *Sapientia ædificavit sibi domum et subdidit columnas septem, interfecit suas hostias*, etc. (*Prov.* IX, 1). [e] Hocque in Canticis lucet tam mysticum quam morale, in quo blanditiarum suavitas et af-

nem suam, id est, panem a sacerdote consecrandum ad altaria solitos afferre credibile est. Nam moris fuisse, ut unusquisque panem unde communicaturus erat, ipse offerret, cum miraculum de muliere Christi præsentiam in sacramento non credente relatum in vita Gregorii Magni satis ostendit, tum locus e libro de septem Ecclesiæ gradibus non obscure significat. Sic autem habet : *Sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro est sacramenti dispositio. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.* Porro neophytos sacrificio adesse non consuevisse, hoc videtur confirmare quod Ambrosius ac Augustinus citatis locis eos sacramentum quidem in altari vidisse asserant, de sacrificio autem plane sileant. Adde dubium esse nemini eosdem non prius gregi aliorum fidelium conjunctos fuisse, quam stolam candidam deponerent.

[a] Rom. edit., *ingrediatur in diem*, *ut innuas quod informatus*, etc.

[b] Rom. edit., *Psalmus centesimus decimus..... et centesimus undecimus per has*, etc. Ubi sane voluit legitimum numerandi ordinem restituere. Sed manifestum est Ambrosium id quod certum credebat, primo loco : quod vero non ita certum, secundo posuisse.

[c] Hanc fuisse veterum communem opinionem, sed ab ea recentiores quosdam descivisse docuimus ad calcem col. 759, quam annotationem tibi consulere, si libet, licet.

[d] Dallæus in libro *De usu Patrum*, pag. 244, scribit in hunc modum : *Mera somnia narrat Ambrosius lectoribus suis.... in Psalmum* CXVIII, *dum exponit nomina Hebraicorum elementorum*, *a quibus sumunt initium versiculi singulorum Octonariorum*, etc. Non semel jam ante ostendimus Doctorem nostrum in eruenda Hebraicorum nominum significatione aliquando minus feliciter desudasse : verum et illi ævo D quo non ita communis erat Hebraicæ linguæ cognitio, id tribuendum est; nec ipsi insultandum, cum super ea re scriptores quos tum licuit, consuluerit. Optandum quidem esset eum in fontes minus corruptos incidisse, cum forte nullum alium repererit præter Philonis Etymologias : quas tot tantisque erroribus scatentes fuisse docet Hieronymus, ut inde ad eas expurgandas ipsemet induceretur. Ad hæc non ignorabat Dallæus quam pronum sit in explicandis vocabulis adeo multiplici significatione quasi fetis errare. Quæ sane eum adversus tantæ auctoritatis Patrem debuerant paulo modestiorem efficere.

[e] Mss. plerique ac vet. edit., *Hocque in Canticis licet tam mysticum quam morale sit.* Rom., *Hocque in Canticis canticorum et mysticum et morale.* Nos vero lectionem cod. Remig., Vind., Theod., Navar. unius, atque Aud. repræsentamus.

Digitized by Google

fectus amantis exprimitur: *Osculetur me ab osculo oris sui; quoniam optima ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (*Cant.* I, 1).

4. Constitue ergo virginem desponsatam multo tempore, et justo ferventem amore, quæ multa probata opera dilecti probabilium testium assertione cognoverit, desideriis suspensis dilatum frequenter, jam non ferentem moras; quæ omnia fecisset, ut sponsum videret: aliquando votis potitam suis, ad improvisum sponsi adventum gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, non verborum vices; sed statim quod desiderasset exigere. Ita ergo et sancta Ecclesia quæ in primordiis mundi desponsata in paradiso, præfigurata in diluvio, annuntiata per Legem, vocata per prophetas, diu redemptionem hominum, Evangelii decorem, dilecti exspectasset adventum, impatiens moræ in oscula ruit dicens: *Osculetur me ab osculo oris sui.* Et delectata osculis adjicit: *Quoniam optima ubera tua super vinum.*

5. Et ut moralius dicamus, intellige mihi carnem illam, quæ madefacta fuerat in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat fetore, quæ procedebat in filiabus Sion alta cervice et nutibus oculorum, et itinere pedum trahens tunicas, et pedibus suis ludens, crinium cincinnis et compositis vultibus, atque redimiculis et omni affectato decore plus dedecens: eamdem tamen plurimis edoctam oraculis quod venturus esset, qui serpentis illecebris exclusis, sancti Spiritus infunderet gratiam, ut omnis caro videret salutare Dei, omnis caro ad Deum veniret, inarsisse desiderio: sed metuentem ne ut impatiens, ut lasciva, ut luxuriosa, ut querula, sicut ante fuerat, displiceret; et longiore quam ferre jam poterat, morantis adventus dominici exspectatione **975** quateretur: non immurmurantem tamen, nec transgredientem, sed levantem in omni loco puras manus sine ira et disceptatione in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantem se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis aut veste pretiosa; sed iis quæ castitatis et bonæ conversationis decerent gratiam, orare dicentem: *Osculetur me ab osculo oris sui; quoniam optima ubera tua super vinum.* Jam volebat adhærere Christo caro, jam festinabat innubere; ut esset unus spiritus, et fieret caro Christi, quæ erat ante meretricis. *Osculetur,* inquit, *me* (osculatur nos Dei Verbum, quando sensum nostrum spiritus cognitionis illuminat); et tamquam despiciens omnes jucunditates et delectationes suas, cœlestibus cupiens inhærere mandatis ait: Quoniam optima præcepta testamentorum tuorum super omnem appetentiam carnis, et sæculi voluptatem. Meminerat enim se in Eva ante sic lapsam, dum voluptatem corporis præfert mandatis cœlestibus. Ait: *Unguentum exinanitum nomen tuum* (*Ibid.*, 2); hoc est, totus immundis impuritatibus diversorum facinorum fetebat hic mundus: nunc spirat ubique suavitas pudicitiæ, unguentum fidei, flos integritatis. Et a mortalibus venit ad mystica dicens: *Introduxit me Rex in cubiculum suum, exsultemus et lætemur in te, diligamus ubera tua super vinum* (*Ibid.*, 3). Simplex est enim osculum, negotiosum autem cubiculi secretum.

6. In ipso quoque Evangelio pulcherrimus de moralibus locus est; ut unusquisque vas suum mundet dicente Domino: *Pharisææ cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis; ut fiat et id quod foris est mundum* (*Matth.* XXIII, 26). Nam nisi se unusquisque intus mundaverit, etiamsi foris speciosus videatur et justus, similis erit dealbatis sepulcris; ut foris quidem justus videatur, intus vero sit fetidus. Sic est doctrina sine vitæ innocentia. Sed nec ipsa doctrina potest mercedem habere, ubi gratiam non habet innocentiæ. *Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? Sed revertamur ad propositum psalmum.

7. *Beati,* inquit, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Primus versus moralis, secundus mysticus. Quis hoc dicit? Propheta utique, [a] qui fungebatur carnis alloquio, et dicit hoc post eum psalmum quo descripta est Domini nostri Jesu Christi passio. Ubi ergo et divina sacramenta revelata sunt, et induit Dominicæ resurrectionis lætitiam, et passionis degustavit gratiam; vidit justorum congregationes, [b] populos redemptorum, perditorum salutem, mortuorum resurrectionem, sanctificationem sacramentorum, et exclamavit dicens: *Beati immaculati in via*, hoc est: ecce maledicta terra in Adam cœpit habere beatitudinem; si tamen legem Domini non derelinquat: ecce immaculatus est homo, qui erat ante pollutus. Quam pretiosum est custodire præceptum Domini! quam pretiosum etiam præcepti ipsius scire mysterium!

8. Sed quis est immaculatus? Non utique qui in quacumque via ambulat: sed qui in Christo ambulat. Ipse enim dixit: *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). In hac **976** via qui ambulat, errare non novit; si tamen ab hac via numquam recedat. Est et via Lex; et [c] ideo dum immaculatus est, in lege Domini ambulet: nec ambulare in via hac desinat, ne immaculatus esse desistat. Non declinet in dexteram aut lævam, aut titubet, non resistat, non exspectet; sed ambulet superiora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens, ad destinatum sequatur, ad bravium festinet, contendat usque in finem; finis enim Legis est Christus. Multi volunt ambulare in via, sed non usque ad finem. Non ambulant Judæi usque ad finem, qui non usque ad Christum ambulant. Non ambulat Manichæus in via, qui Legem refutat: sed ambulat vera fides quæ et Legem suscipit, et plenitudinem Legis agnoscit.

9. Si quis ergo in via ambulat, scrutetur testimonia

[a] Hoc est, qui velut carnis vice ac nomine loquebatur.

[b] Rom. edit., *populorum redemptionem.*

[c] Rom. edit., *et ideo dum qui in lege Domini ambulat, immaculatus est, nec ambulare.... quæ sunt anteriora appetens.*

Digitized by Google

Domini. Quæ licet mystica sint, tamen etiam moralia in se habent; quoniam melius potest ambulare in via, qui scrutatur Domini testimonia. Nam ut quis intemperantissimus captus adulterinæ cupiditatis æstu, et victus libidine, vel indulgens flagitiis, qui repugnare nolit appetentiæ suæ carnis, conversus huc atque illuc, si [a] neminem forte videat, in facinus ruit : idem tamen quamvis inveniat paratam occasionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diversum oculos suos, incuriosus justitiæ, sollicitus famæ, detorquet frequenter, erubescit testimonium erroris, qui non erubescit errorem : ac si quem forte spectatorem cognoverit facinoris sui, verecundia sequestrat intemperantiam; et quamvis cum [b] ancilla vel meretrice vulgari, ubi nullum sit deprehendendi periculum, tentamenta moliatur libidinis, pudore tamen inceptum deserit : quanto magis si quis allevet mentis oculos, et consideret plena esse angelorum omnia, aera, terras, mare, ecclesias, quibus angeli præsunt (mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum qui hæredes futuri sunt promissorum cœlestium), concepto potest renuntiare peccato! Unde ista turba innocentium, nisi ex illis peccatoribus? Eadem natura est omnium, sed diversa disciplina. Circumcisio nihil est, et gentilitas nihil est : sed observatio mandatorum Dei, naturæ ipsius auget gratiam. Merita commutat ille qui dicit : *Tenebræ in circuitu, et parietes me operiunt : peccatorum meorum non erit memor Altissimus* (*Eccli.* XXIII, 26).

10. Non reveritus esses angelorum præsentiam, si præsentes esse crederes? Non metueres non dicam facere, sed loqui, aut etiam cogitare quod pravum est, si tibi divina Scriptura suasisset, quia Deus cogitationum arbiter, secretorum testis est verax, sicut ipse ait : *Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus quem elegi* (*Esai.* XLIII, 10)? Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam? Sed non vis credere, ne possis cavere : non vis audire, cum legitur, quia Deus novit occulta hominum, ne incipias scire quod timeas, et timere ne pecces. Audi ergo Scripturam divinam, ut convertaris a via prava et maligna. Noli sicut cæcus oculis corporalibus, aut sicut surdus, qui eo quod non **977** potest videre aut audire præsentes, solum esse se credit : et in plurimorum cœtu, dum putat nullum esse præsentem, perpetrare adoritur quod arbitratur esse secretum; non potest enim videntes videre qui non videt; similiter et tu mentis cæcatus oculis noli æstimare quod sine teste delinquas; quia hominis præsentiam declinare potuisti. Plures sunt qui redarguant, quam quos cavere potuisti. Ipsum te fugere tui accusatorem non potes, quem [c] convenit propria con-

A scientia. Et si negas aliis, tibi non negas. Et si homini inficiaris, Deo fateris. Et si volueris negare, tuæ te cogitationes revincent.

11. Elisæo assistebant angeli, quos videbat; et ideo agmina hostium non timebat : sed timebat puer ejus, qui angelos non videbat. Aperuit oculos ejus ad vocem prophetæ gratia Dei, vidit angelorum exercitus, et credidit esse præsentes, quos antea, quia non videbat, putabat absentes (IV *Reg.* VI, 16 *et* 17). Et tu lege prophetam ut videas, lege ut aperiat oculos tuos : nec te hostilis legio perterreat, et obsessum esse te credas, qui liber es, qui munitus es spiritalibus turmis, si prophetam non derelinquas. Cum tibi propheta loquitur, quia Deus dixit : *Ego cœlum et terram compleo* (*Jerem.* XXIII, 24) : cum tibi pro-

B pheta dicit, *quia plures nobiscum sunt* (IV *Reg.* VI, 16), quia in circuitu nostro angeli sunt : attolle oculos mentis, et videbis non solum angelos, sed etiam Deum, qui dicat tibi : *Aperi mihi, soror mea, proxima mea* (*Cant.* V, 2). Pulsat ad januam et quando tu dormis : si tamen vel excitatus evigiles, vel vocatus januam tui pectoris aperias, introibit. Quod si fugias lectionem propheticam, si domi non legas, in Ecclesia audire nolis; nonne sicut ille qui averso connivet obtutu, ne videat quod possit videre, claudit oculos ne aspiciat, cui potestas videndi est, aut sicut in furore plerique injecere manus oculis suis : ita et tu primo averteris conniventi magis dissimulatione, quam refragatione prærupta? Nam cum ad Ecclesiam venis, et Christianum te asseris, sanus

C videris, aperis oculos, quibus possis videre : sed dum audire dissimulas quæ leguntur, claudis ne videas tibi, etsi aliis videre videris; injicis etiam quasdam perfidiæ et intemperantiæ manus oculis animæ tuæ, et cæcitatem infers cordi tuo, quod est gravius, voluntariam; ut videns non videas, audiens non audias.

12. Putas te solum esse cum fornicaris, et non recordaris quia oculi Domini vident orbem terrarum? Non audis dicentem : *Ecce venit hora..... ut dispergamini unusquisque in sua, et me solum relinquatis : sed non sum solus, quia Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32)? Adest ergo Pater, adest et Filius Dei, adsunt ministri, adsunt Cherubim et Seraphim, quæ dicunt : Sanctus, sanctus, sanctus : plena est terra

D majestatis tuæ. Plenus est enim mundus sanctarum virtutum; quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis. Putas quod in lupanari Christus te non **978** videat, quem videt lupanar intrare? Putas quod in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitantem? Num parietes refugit, qui spectat errores : et secretum criminis aversatur, qui scenam criminis intuetur? An putas tunc primum te intrare

[a] Omnes edit., *neminem videat flagitii sui testem, in facinus ruit*; omnes mss., *neminem videat, in facinus ruit*.

[b] Confer hunc locum cum iis quæ supra lib. I *de Abraham*, cap. 7, num. 59, traduntur; nec non cum nota quam capiti 4 ejusdem libri, col. 289, subjecimus.

[c] *Convenit*, verbum e foro; id est, judicio persequitur.

Digitized by Google

[a] meritorium, cum fornicem meretricis ingrederis? A Intrasti jam, quando cogitationes tuas meretrix introivit. Intrasti jam, quando ad potiendam prostibulæ cupiditatem gressu mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiscendæ decorem oculos mentis aperuisti. Et si verum audire vis, quomodo te in lupanari non vidit Christus; quando te vidit, quia adulterando in corde tuo te ipsum lupanar esse fecisti? Denique ipse dicit Dominus Jesus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Unde tamen tam religiosus in opinione, qui tam probrosus in crimine?

13. Sed adquiesco tibi quod Jesus te nolit videre, nolit revincere, qui noluit accusare, nolint videre et angeli. Sed videt diabolus, qui tecum introivit, immo B qui te introduxit: vident ministri ejus, qui te circumdederunt, ne videres angelos Dei: vidit Belial, vidit legio, qui te impulerunt; ne quis revocaret, ne quis teneret. Noli putare quod [b] colludium tibi præstet silentii, qui vult tecum supplicii habere consortium. Studet plures similes sui videre; et in eo habet gloriam, quod plures perditos fecerit. Ipse est incentor, ipse accusator, ipse in Judam introivit, ipse eum ad proditionem impulit, ipse misit ad laqueum. Quanti dicturi sunt in illo die adversus eum: Tu nos circumvenisti, tu impulisti (*Gen.* iii, 13)! Exemplum quæris? Accipe dicentem Evam prævaricationis suæ auctorem fuisse serpentem. Sed illum implicavit, non se absolvit. Cui respondit Dominus: Non præceperam ne gustaretis de ligno solo, quod C est in medio paradisi (*Ibid.*, 11)? Respondebit ergo Veritas et pluribus: Diabolum audistis suadentem noxia, me non potuistis audire vitalia mandantem.

14. (Vers. 3, 4, 5, 6.) Et ideo operemur justitias: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! Tunc non confundar, cum perspiciam in omnia mandata tua.* Non solum mandasti, inquit, custodiri mandata tua, sed etiam custodiri nimis. Quando hoc mandavit? In paradiso quidem mandavit Adæ, ut custodiret mandata: sed fortasse non mandaverat nimis custodire; et ideo lapsus est, ideo inflexus voce mulieris suæ, ideo deceptus erat a serpente, putans quod si in parte aliqua recederet a D mandato, non penitus erraret: sed quia semel a semita mandatorum recessit, totam deseruit viam, et exspoliavit omnibus nudumque reliquit. Ideo Dominus, quia lapsus erat, qui in paradiso erat, postea te per Legem, per Prophetas, per Evangelium, per Apostolos monuit, ut nimium custodias mandata Domini **979** Dei tui. Omne, inquit (*Matth.* xii, 36); verbum otiosum quod locutus fueris, reddes pro eo rationem. Noli dissimulare: ab aliquo mandato iota unum, aut unus apex non præterit. Noli recedere de via. Si in via ambulans vix tutus es a latrone; quid facies si te extra viam vagantem invenerit? Dirigantur gressus tui; et ne infirmus sis ad dirigendum, precare ut dirigat Dominus vias tuas.

15. Hic optat: *Utinam dirigantur viæ meæ!* Alibi dicit: *Exspectans exspectavi Dominum, et exaudivit me.... et statuit pedes meos in petra, et direxit gressus meos* (*Psal.* xxxix, 2 et 3). Roga ergo et tu, ut Dominus dirigat vestigia mentis tuæ; quo possis Domini custodire justificationes. Non confunderis, cum respexeris in omnia mandata ejus. Ante enim confusus es in Adam et Eva. Denique nudus factus es, operuisti te foliis; quia confundebaris: abscondisti te a conspectu Dei; quia erubescebas, ita ut tibi diceret Deus: *Adam, ubi es* (*Gen.* iii, 9)? Cum illi dicit, tibi dicit; Adam enim interpretatione latina homo dicitur, hoc est: Homo, ubi es? Et Adam respondit: Timens quia nudus eram, et tota mente confusus, ante conspectum tuum venire non ausus sum (*Ibid.*, 10). Ergo ne confundamur, custodiamus mandata Domini, et custodiamus omnia. Nam si quis unum mandatum custodiat, et aliud prævaricetur, nihil ei prodest. Custodivit se aliquis a sanguine, non custodivit ab adulterio; utique in uno convictus, punitur etiam legibus sæcularibus: nec prodest ei alterius criminis abstinentia, si in altero fuerit deprehensus.

16. (Vers. 7, 8.) *Confitebor tibi, Domine, in directione cordis* (advertis quas vias dirigas) *in eo cum didicero judicia justitiæ tuæ. Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.* Hoc loco mystica plenius cognoscere se velle testatur, ut ingrediatur penetralia mysteriorum cœlestium, et aperiantur sibi thesauri sapientiæ et scientiæ in Christo absconditi. Unde et Salomon ait: *Attrahe nos post te: in odorem unguentorum tuorum nos curremus. Introduxit me Rex in cubiculum suum* (*Cant.* i, 3). Et fortasse illud quod ait supra: *Osculetur me ab osculo oris sui* (*Ibid.*, i), significat Spiritus sancti supervenientis gratiam, sicut angelus ad Mariam dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i, 35). [c] Quando autem introduxerit eam Rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat, san-

[a] Codex Navarræus unus, *meretricatorium*: sed retinendum *meritorium*. Ubi subintellige, *diversorium*, vel *stabulum*; sic enim quondam dicta sunt, ut cum Tertulliano loquamur, *consistoria libidinum publicarum*. Unde *prostibula* seu *prostibulas* quidam appellatas volunt, quod *pro stabulo*, id est, ante stabulum starent. *Meritorium* autem a merendo vocatur, quod mereat, hoc est pariat quæstum domino suo. Quo sensu Horat. *in Arte poet.*:

Hic meret æra liber Sosiis.

Hinc etiam meretrices ac meritorii pueri nomen sortiti; licet *meritorium* quandoque honestum diversorium significet.

[b] *Colludium*, aut *collusio* simulationem ac fraudem significat; colludere enim dicuntur, qui cum videantur inter se contendere aut litigare, hoc tantummodo per simulationem faciunt, cum unus dedita opera se judicio vinci patiatur. Sed ea fraus etiam locum habet extra judicium.

[c] Mss. plures, *Quando autem introduxit..... com-*

Digitized by Google

guinis effusio, sepulturæ unguentum, resurrectionis mysterium; ut osculum quasi sponsa acceperit: in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia, non jam quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta; nec solum thalamum sit ingressa, sed etiam legitimæ claves copulæ consecuta sit. Ideoque quasi in thalamo sita ait: *Colligatio guttæ frater meus mihi, inter media ubera requiescet* (*Cant.* I, 12). Quod si cubiculum quærimus, ipse nos edoceat, qui ait: *Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito* (*Matth.* VI, 6). Cubiculum Ecclesiæ corpus est Christi. Introduxit eam Rex in omnia interiora mysteria, dedit ei claves; ut aperiret sibi thesauros scientiæ sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret 980 [a] quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurrectionis.

17. In illo cubiculo justitias Domini Jesu nupta reperit. Quæ sunt illæ justitiæ? Utique sacramenta baptismatis, sicut legimus, quia cum venienti ad baptismum diceret Joannes: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me; respondit Jesus: Sine modo; sic enim decet nos adimplere omnem justitiam* (*Matth.* III, 14 *et* 15). In illo cubiculo justificationes Domini didicit, cognovit consilium Dei, sicut scriptum est: *Quia omnis populus audiens, et publicani justificaverunt Deum baptizati baptismo Joannis: pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in se, non baptizati ab eo* (*Luc.* VII, 29 *et* 30). Quod illi spreverunt, nos eligamus, et sequamur consilium Dei, quo nihil potest esse sublimius; hoc enim divinum, quo fit remissio peccatorum. Cum didicerit itaque justitias Domini, Deum timens non confundetur. Denique et Paulus ait: *In nullo confundar* (*Philip.* I, 20).

18. Et quia nullus potest perfectus esse sine favore Dei, neque tutus; ideo rogare debet, ne penitus eum derelinquat Deus. Nam supra rogavit David ne derelinqueretur dicens: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus* (*Psal.* XXXVII, 22); hic ait: *Ne derelinquas me usquequaque*, hoc est, multum. Supra forte quasi adhuc imperfectus, et in magnis perturbationibus positus ne derelinqueretur, timebat: hic autem jam fortior non timet derelinqui ut tentetur; sed rogat ne penitus derelinquatur. Plerumque enim derelinquit Deus quos vult probari: penitus autem derelinquit quos deserit. Dereliquit penitus Judam: non dereliquit autem sanctum Job, in cujus [b] patrimonium, in cujus corpus potestatem diabolo dedit (*Job* II, 6); in animam autem non dedit. Nam si dedisset in animam, penitus dereliquisset eum. Numquid non ideo derelictus est Job, ut relictus probaretur, probatus coronaretur? Dereliquit igitur Judam, cui ait: *Quod facis, fac celerius* (*Joan.* XIII, 27). Dereliquit enim penitus, quem sceleris sui [c] permisit effectui. Alios autem apostolos cum vidisset esse turbatos, quia dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire* (*Ibid.*, 33); addidit: *Non turbetur cor vestrum* (*Joan.* XIV, 1). Et infra: *Iterum venio, et accersio vos ad me ipsum; ut ubi sum ego, et vos sitis* (*Ibid.*, 3). Denique turbatus Petrus qui derelinqui timeret ait: *Domine, quo vadis* (*Joan.* XIII, 36)? Vidit Dominus turbari eum, et respondit ei: *Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea* (*Matth.* XIV, 30 *et* 31). Sic et in mari cum titubaret, clamavit ad Christum; et porrexit ei dexteram Christus, ne penitus derelictus periret.

19. Nemo autem debet inflari, quod numquam derelinquatur: vel dolere, quod aliquando derelinquatur; siquidem ipse Filius se dicit derelictum, sicut habes: *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 1)? Et ille quidem numquam derelictus a Patre est, cum quo Pater semper est. Scriptum est enim: *Ecce jam venit hora, ut dispergamini unusquisque in sua, et me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Sed secundum corpus in quo est traditus passioni, vox ista processit; quoniam derelinqui nobis videmur, quando sumus in periculis constituti. 981 Unde et Paulus ait de Patre Deo: *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32). Dereliquisse videtur; quia non pepercit, qui tradidit morti: sed non penitus dereliquit, cui dicitur: *Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10).

## SERMO SECUNDUS.

### ב. *Beth.*

1. (Vers. 9.) *In quo corrigit juvenior viam suam?* Superiorum octo versuum non absurda nobis cecidit disputatio; ideoque et sequentia persequi studium fuit. Et primum litteræ secundæ, hoc est *Beth*, interpretatio consideranda est, quæ in latino conversa, confusio declaratur. Sed qui viam suam corrigit, non confundetur. Verum quia is qui corrigit ante in errore fuit (quomodo enim corrigitur, nisi quod ante deflexit a vero?), utique in lapsu positus, et adolescentiæ luxu, ac lascivæ ætatis captus illecebris, ubi ad juventutis provectus confinia sobria mente resipiscet: tamquam confusus animo, quonam modo erubescenda deponat, et plena probitatis assumat, diu secum volvit; et diversis fluctuans cogitationibus librat atque examinat, superiora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens, quemadmodum viam suam corrigat, offensionemque adolescentioris ætatis seria juventutis fronte prætexat. Unde ne diu dubi-

*punctio declaratur*. Quod qui probaverit, ita intelligat, ac si scriptum esset, *Quando introducta legitur Ecclesia, per hoc passionis.... tempus declaratur.*

[a] Omnes edit., quiescentis gratiam; contra mss. prope ad unum, *quietis gratiam*. Rursus sola edit. Rom., *virtutem resurgentis*; aliæ et cuncti mss., *virtutem resurrectionis*.

[b] Post vocem, *patrimonium*, habent edit., *Jus tyrannidis adversario tribuit*; quæ desunt in mss. Gallicanis.

[c] Ita mss. omnes; edit. vero, *permisit effectui*; quædam Paris., *affectui. Alios autem non dereliquit apostolos, quos cum vidisset*, etc.

Digitized by Google

tet hujusmodi, et incerto hæreat, dat Propheta consilium, quasi cum eo ipse deliberans; tunc enim salubriora consilia credimus, si propensiore meditatione examinata videantur. Sed ipsa deliberationis susceptio docta definitione distinguitur, ut diversarum cogitationum concursus auferat dicens : *In quo corrigit juvenior viam suam?* Hic enim deliberantis est finis, quo viam suam corrigat.

2. Et respondit : *In custodiendo verba tua.* Et bene ad Dominum conversus respondit deliberanti, quasi prece atque oratione delata consilium hoc Domini inspiratione repererit; ut non præsumptionis humanæ, sed dignationis divinæ remedium crederetur. Mens enim nostra verborum cœlestium conspersa seminibus, quæ ante degenerabat in stirpibus, meliores cultus edere, fructusque afferre incipit. Dirigamus igitur semitas nostras, nec tortuosi serpentis sequamur anfractus. Viæ enim Domini rectæ; perversæ autem viæ errantium, de quibus dicitur : *O qui reliquerunt semitas rectas* (*Prov.* II, 13)! In ordinem seges læta porrigitur, atque in versum quemdam vineta ponuntur: cervorum cursus directior, vulpeculæ flexuosus. Ideo de Herode dicitur : *Ite, dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32); quia deflexerat a via recta, nec iter suum in juventute correxerat: dignus Hieremiæ Threno, quo deflentur peccatores, qui jugum verbi in **982** juventute suscipere recusarunt. Ideo captivi ducti sunt, ideo deplorantur tamquam mortui; quia vitæ nescierunt semitas, et digna opera [a] cadaverum busto non declinaverunt. Flens ergo mortem perpetuam Judæorum, dicit Hieremias : *Bonum est viro cum tollit jugum in juventute : sedebit singulariter, et silebit; quia tulit in se* (*Thren.* III, 27 *et* 28).

3. Non solum tollere jugum verbi, sed in juventute debemus tollere. Si enim sero tollamus, incipimus [b] pœnitentiam superiorum magis habere, quam tenere gratiam. Præveniamus ergo juventutis annos correctione congrua; ut magis dicamus singuli: *Deus qui pascis me a juventute mea* (*Gen.* XLVIII, 15); quam recordationem habentes lapsum defleamus dicentes: *Delicta juventutis meæ, et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XIV, 7). Hoc debilitatis est remedium, illud robur salutis. Salutis medicina vulneri quæritur : gratia sanitati. Ideoque ait: *Bonum est viro, cum tollit jugum in juventute* (*Thren.* III, 27). Ei autem qui post decursæ juventutis annos jugum tulerit, non est statim perfectum bonum. Stimulant enim eum

A peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, et usus erroris instabilem facit. Luctandum est diu hujusmodi viro, [c] ut abolefaciat in juventute facta inveterata atque diuturna. Huic in periculo res est, illi in bono.

4. Denique sedebit ille singulariter, quasi is qui facile non inveniat æqualem, singularibus donatus præmiis: et silebit quietus et feriatus ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis, et voluptatis : et divinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus revelari, sicut sancto David, qui ait: *Quoniam tu singulariter in spe constituisti me* (*Psal.* IV, 10). Et hic quidem non in secreto solus sedebat, sed cum præesset populis; singulari tamen gratia præminebat. Elias solus sedebat, cum ab angelo, vel
B etiam corvis cibum deferentibus pasceretur (III *Reg.* XVII, 6, *et* XIX, 7). Solus non solum secretus a turbis, verum etiam segregatus a meritis plurimorum. Denique revelationes illi divinæ gratiæ refulgebant, cujus muneris fructum pro mercede adipiscebatur; quia a juventute sua jugum verbi suscipiendum putavit, nec trahenda longo diutius fune peccata.

5. Potest juvenior iste qui fecit bonum, tollendo in juventute jugum verbi, nondum perfectus, qui adhuc juvenior, segregans vero se a colloquiis æqualium, quæ plerumque corrumpunt bonos mores, et contagia volens fugere peccantium; ita intelligi singulariter sedere et silere, ne rudis ætatis facilitate labatur : sed intendere seniorum præceptis, prophetarum oraculis, apostolorum magisteriis : laudandus
C eo quia prius vult loquenda cognoscere, quam proferre quæ sentiat; antequam loqui discat, timens ne multiloquio peccatum contrahat. Unde puto et [d] Pythagoram illum philosophum imitatorem juvenis hujus **983** prophetici instituisse sectam, ut discipuli sui quinquennio non loquentes tanto silentio loqui discerent; cum præsertim et David, superioris ætatis quam Pythagoram fuisse non dubium sit, qui ait: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII, 2). Et quia forte aliquando aliquid locutus esset incautius; ideo postea a Deo poni ori suo custodiam postulavit. Esaiam quoque pythagoricis anteriorem fuisse quis nesciat? Qui cum audisset, *clama* (*Esai.* XL, 6); non prius clamaverit, quam audiret quid clamare deberet. Respondit enim : *Quid clamabo* (*Ibid.*)? Unde
D dictum est ei : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus,*

[a] Tangitur Græcorum, Romanorumque consuetudo urendi cadavera : quo supplicio gravia peccata digna dicuntur.

[b] Mss. omnes Gallici, *sapientiam superiorum*; vel ut nonnulli habent, *superborum*, aut etiam ut alii, *supernorum*. Verum quid per sapientiam Ambrosius sibi vellet, non videmus. Quocirca potior videtur edit. omnium lectio.

[c] Omnes edit. ac mss. aliquot, *ut abolefaciat inveterata*, etc. Alii plures ac potiores, *ut abolefaciat in juventute facta inveterata*; id est, ut aboleat ea quibus per totam juventutem, sub qua pueritia adolescentiaque hic comprehenduntur, assueverat.

[d] Præcipuum quoddam Pythagoricæ disciplinæ nemo nescit in silentio fuisse positum. Hoc autem erat duplicis rationis. Primum quod ἐχεμυθίαν dictitabant, discipulis nonnumquam in biennium, sæpius in quinquennium indicebatur: alterum quo profanos sua celabant mysteria; et hoc παντελὲς nominabatur. Quod vero ex Davidis atque Isaiæ scriptis multa ediscere potuerit, nec ratio chronologica repugnat; cum illo quidem 536, hoc autem 216 annis posterior exstiterit : et præterea favet Fl. Josephi, Origenis, nec non Clementis Alexan. auctoritas. Consule super ea re Joan. Ger. Vossium *de Philosophorum sectis* cap. 6, § 5. Vide etiam quæ nos lib. II *de Abraham*, cap. 11, num. 20, sicut et ad calcem Admonit. in lib. *de Bono mortis* observavimus.

Digitized by Google

*ut flos feni. Aruit fenum et flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum* (*Ibid.*, 6—8); et prophetica voce clamavit.

6. Uterque igitur juvenis prædicandus: [a] ille tamen serus, hic cautus; ille se ipso contentus, et numquam sibi solus: iste pulchram ætati lubricæ disciplinam adsciscens silentii; nec adhuc sibi abundans, sed aliis se timens credere: quærens tamen a juventute congregare, quæ in senectute et sibi et proximis suis prosint, ne dicatur ei: *Quæ in juventute non collegisti, quomodo invenies in senectute* (*Eccli.* xxv, 5)? Ergo is si in concilio seniorum sederit, manum adhibebit ori suo; ut audiens sententias colligat, quod sibi ad maturiorem servet ætatem: quemadmodum Maria cum verba Christi audiret, conferebat ea omnia in corde suo (*Luc.* II, 51): quemadmodum Joannes cum caput suum supra pectus Jesu Domini reclinaret (*Joan.* XIII, 25), hauriebat profunda secreta sapientiæ.

7. En tibi juvenem qui viam suam in juventute correxit. Piscator erat cum fratre suo; vidit Dominum Jesum, cum plicaret retia sua, et audivit dicentem: *Venite* . . . . *faciam vos piscatores hominum* . . . . *et relictis retibus suis, et patre, secutus est eum* (*Matth.* IV, 19 *et* 20). Viam sæculi cœperat currere: sed auditis Christi imperiis, deseruit vitam mundi, secutus est Christum: probavit quia in eo *corrigit juvenior viam suam*, si Christi verba custodiat, dicens ad eum: *Diligamus ubera tua super vinum* (*Cant.* I, 1). Sic tamen bibens, ut non absorberetur vino: sed gratia ejus lætitiam cordis hauriret, non corporis ebrietate titubaret. Denique bibens hoc vinum, aperuit oculos suos, et vidit viam rectam, reliquit tortuosas vias dicens: *Æquitas dilexit te* (*Ibid.*, 3); hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus ad te potest justitiæ trames pervenire. Qui enim diligit justitiam, non se avertit a Christo. Quomodo enim arbitrum justitiæ, remuneratoremque meritorum innocens metuat conscientia?

8. In hoc ergo [b] juvene viam suam corrigente spectato magna mysteria, quæ in Canticis Canticorum sanctus Salomon repletus Domini spiritu resultavit. Constitue Dominum Jesum recumbentem in convivio, reclinantem se Joannem supra pectus ejus, mirantes alios quod servus se supra Dominum reclinaret, quod caro illa **984** peccatrix supra templum Verbi recumberet, quod anima illa carnis vinculis innexa, aulam divinæ plenitudinis scrutaretur. Hæc ergo mirantibus aliis respondit anima Joannis: *Fusca sum, et decora, filiæ Hierusalem* (*Cant.* I, 4); fusca per culpam, decora per gratiam. Dicit et caro: *Fusca sum, et decora*; fusca pulvere sæculari, quem certando collegi: [c] decora oleo spiritali, quo mundi hujus pulverem squaloremque detersi. Fusca per vitium: sed decora jam per lavacrum, quod abluit omne delictum. Fusca sum, quia peccavi: decora, quia jam me diligit Christus: quam relegaverat in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria.

9. Dicit etiam Synagoga, cujus mysteria hoc loco plerisque videntur exprimi: quæ cum se rejici jam videret propter totius plebis impietatem, solabatur se tamen; quia ipsum Christum de populo suo, et Petrum et Joannem et Jacobum, Christo adhærentes videbat, qui habebat eloquia sibi credita; et ideo dicebat: *Fusca sum et decora, filiæ Hierusalem*; fusca per incredulitatem, decora per Legem: fusca per lapsum; decora, quia dilexit me sol, et prior facta sum congregatio Dei. Nolite refugere me, quia fusca sum; ideo fusca sum, quia sol me reliquit justitiæ, qui ante me illuminare consueverat; amisi colorem vultus mei; obtusa facta est acies oculorum meorum, quibus ante solem videbam: in tenebris ambulo, quia diem Christi nescio. Nolite tamen despicere me; quoniam qui reliquit, potest rursum aspicere, misereri iterum. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos. Omnes tribus Israel convenite, [d] aspicite me decoram ante dilectam: *Nolite aspicere me, quoniam offuscata sum* (*Ibid.*, 5); hoc est, non hoc solum aspiciatis, quia offuscata sum. Non est intuitus me sol, et ideo offuscata sum. Sed lucet sol super justos et injustos: super justos per gratiam, super injustos per misericordiam; illis mercedem meritorum tribuens, istis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat ante, nunc lucet: nunc illis oritur, qui oriebatur mihi; qui illis remisit, remittet et mihi. Nolite arbitrari quoniam offuscata sum, quod penitus reliquerit me sol, et jam non intueatur, [e] non requirat ægram. Dissimulavit a me; quia non servavi mandata ejus: reconciliabitur, cum viderit meorum pœnitentiam delictorum. Non vidit me sol, quia non recepi advenientem; non aperui fenestras, ut lumen vitæ intraret. Cum aperuero, illuminabit oculos meos, qui venit ut totum mundum illuminaret, et videant etiam non videntes.

10. *Filii matris meæ pugnaverunt adversus me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi.* Putant aliqui hoc de illis dici, qui Synago-

[a] Ut hujus loci obscuritas removeatur, adverte eum qui sero rediit ad bonam frugem, ei qui statim ab adolescentia Domini jugum tulerit, in priori membro opponi: in posteriori autem duos illos inter se comparari, quos quidem ambos eidem jugo colla subdidisse, sed tamen non simili ratione, supra memoravit.

[b] Mss. complures, *in hoc autem juvene spectato magna mysteria*. Vet. edit., *in hoc autem juvene spectato, hoc est, Joanne prævide magna mysteria*. Rom. cum mss. paucis, ut in textu. Hanc porro lectionem prætulimus, quod voces quæ in illis desiderantur, cum habeantur in aliis, magnopere interpolationem redoleant.

[c] Mss. nonnulli, *decora oculo spiritali*.

[d] Mss. octo, *aspicite me decoram ante derelictam*. Duo, nempe Nav. primus, et S. Aud., . . *decoram ante delicta*: quod non displicet. Reliqui tamen cum edit. ut in textu; unde vel excidit copula, vel alterum adjectivum ibi vice substantivi ponitur.

[e] Edit. Rom., *nec revisat nigram. Dissimulavit a me*. Vet. autem, *non requirat, et gratiam dissimulavit a me*. Mss. vero magno consensu nostram lectionem confirmant, exceptis duobus ubi, *revisit*, pro, *requirat*.

Digitized by Google

gam ad Legis præcepta constringant; ut Legem custodiat, vineam suam tueatur, quam custodire non potuit. Denique custodiebat ut faceret uvas, fecit autem spinas. Quæ sit igitur **985** vinea, venit David testificari nobis dicens: *Vineam ex Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* LXXIX, 9). Possunt et apostoli esse filii matris ejus, qui vere impugnaverunt Synagogam dicentes: *Ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46); et nationibus verbum Dei seminare cœperunt. Possunt et prophetæ intelligi, qui monendo denuntiandoque, ut vineam suam custodiret Synagoga, nihil profecerunt. Fecit enim spinas improbitatis, quæ virtutis uberes fructus deferre debuerat. Et ideo confitetur, quia populum suum custodire non potuit; meritoque sero quærit tenere, quem cum teneret, amisit: multo dissimilior ejus quæ dicit: *Inveni quem dilexit anima mea, tenui eum, et non relinquam eum* (*Cant.* III, 4).

11. Denique illa invitat in hortum suum Sponsum: hæc ubi pascat requirens, dicit ad ipsum: *Annuntia mihi quem dilexit anima mea* (*Cant.* I, 6). Cur quem dilexit anima mea dicis, et non quem diligit? Cur dimisisti, quem tenebas? [a] Dilexisti patrum fide, amisisti incredulitate: tenebas charitatis vinculis, amisisti longo fune perfidiæ. Ideo nescis ubi pascat, ubi maneat; nam si scires, non quæreres. Dicis enim: *Ubi pascis? ubi manes in meridie* (*Ibid.*)? Meridiem nosti esse Ecclesiam, quæ teneat Christum: et tu eum in noctibus quæris? Dic, inquit, mihi, Christe: responde vel propter id quia ante carus fuisti atque dilectus mihi: etsi ego tantæ prærogativam charitatis amisi; tu tamen quasi pius responde mihi: *Ubi pascis? ubi manes?* Reliquisti me, abiisti ad gentes; recessisti longe a me; et illis propior factus es, a quibus longe eras; sed factus es prope, quia crediderunt sanguini tuo: a me recessisti; quia ego crucem tuam non suscepi, ut mundi redemptionem, sed ut noxii damnationem. Qui autem receperunt te, Domine, sicut salutis auctorem, in meridie sunt. Illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua, sicut meridies. Mihi matutinus eras, cum adhuc crederem: sed non credebam plene, [b] quia non sum inventa in meridie; sicut Joseph cum fratribus suis qui cœna-
A bant meridie. Illis meridies factus es, qui pascuntur in divitiis tuis, et in te sperant. Ideo ut dixit David: *Deduces eorum justitiam tamquam lumen, et judicium eorum tamquam meridiem* (*Psal.* XXXVI, 6).

12. Quæris ergo tamquam aliena, quæ proxima eras: tamquam pauper, quæ dives fuisti. Vis sequi, quæ præcedebas: atque utinam vel sequaris, quos præcedere debuisti! Mercenaria esse desideras, quæ ante mercenarios colligebas. Mercenariæ utique vox ista dicentis est: *Ne forte fiam circumamicta super greges sodalium tuorum* (*Cant.* I, 6). Quæ proselytos ex gentibus ante suscipiebas, **986** nunc ipsa in nationibus vis pro proselytis suscipi, et tamquam advena congregari.

13. Respondit Jesus: [c] *Nisi noscas te decoram in-*
B *ter mulieres* (*Ibid.* 7). Quid est se noscere, nisi ut sciat se unusquisque hominem ad imaginem et similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tamquam bonus agricola debeat aratro quodam, et falce sapientiæ, ut vel dura findantur; vel luxuriantia recidantur: qui inferiorem sui portionem animi imperio debeat gubernare? Unde etiam in Lege scriptum est: *Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo* (*Deut.* XV, 9). Tibi, inquit, attende, non utique dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis: sed animo tuo ac menti tuæ; unde omnia consilia, facta, cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nosti. [d] Nosce te ipsum, quod Apollini Pythio assignant gentiles viri, quasi ipse auctor fuerit hu-
C jus sententiæ; cum de nostro usurpatum ad sua transferant, et longe anterior Moyses fuerit, qui scripsit librum Deuteronomii, quam philosophi qui ista finxerunt.

14. Unde et Salomon oraculum divinum secutus scripsit in Canticis Canticorum: *Nisi scias te decoram inter mulieres* (*Cant.* I, 7); hoc est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem, et tua peccata fatearis, cito dicas iniquitates tuas ut justificeris; nisi convertaris, et prior accuses delicta tua, venit dies mortis, et jam nullum conversionis remedium est: [e] præveniris dum non cogitas. Accende facem tuam, priusquam Sponsi tibi claudatur janua, qui exspec-

[a] Quatuor mss. *Perdidisti patrum fidem, amisisti credulitatem: quem tenebas*, etc.

[b] In cunctis cod. Gall. desunt, *quia non sum inventa in meridie*.

[c] Ita vet. edit. ac multo major mss. numerus. Aliqui tamen, ac Rom. edit., *nisi cognoscas te, decora*, etc. Illis favent non solum LXX, ubi constanter legitur ἡ καλή; verum et Ambrosius ipse lib. *De Isaac et Anima* cap. 4, num. 15: Quamquam istic etiam lectionem nostram videtur indicare, cum scribit: *Nisi noscas te, quia decora es*, etc.

[d] Sententiam hanc multi tribuere Chiloni Lacædemonio; ut auctor homil. in Cant. cant. apud Orig., Hieronymus homil. 2. et alii, inter quos Ausonius in VII Sapient. ita scribit:

> Γνῶθι σεαυτόν, quod latinum est, Nosce te.
> Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.

Sed forte eadem a quibusdam Apollini adscripta fuit, quod columnæ templi Delphici inscripta Amphictyo-
D num jussu, ut Plato in Charmide auctor est, legeretur. Hoc etiam Ausonius tradit in sequentibus:

> Brevitate nota, qua Lacones utimur,
> Commendo nostrum, Γνῶθι σεαυτόν, Nosce te:
> Quod in columna jam tenetur Delphica.

Floruit autem Chilon annis post Moysen 950, post Salomonem vero 615. Alii præterea hujusce pronuntiati auctores habiti sunt, quos Elias Vinetus in Ausonium commemorat. Plura quoque reperies in Adag. Erasmi, chil. 1, cent. 6, adag. 95. Sed lubet huc etiam adjicere, quod idem ille poeta nimium negligi monet doletque Edyllio 31, hisce versibus:

> Quamquam difficile est se noscere, Γνῶθι σεαυτόν
> Quam propere legimus, tam cito negligimus.

[e] Sic omnes edit. At mss. negationem non agnoscunt: quorum nonnulli habent, *prævenires, dum cogitas*; unus, *prævenire dum cogitas, accende facem*, etc. Etsi autem hæc suo sensu non careant, videntur tamen edit. anteponendæ.

Digitized by Google

tare diu non solet negligentes. *Nisi scias te*, inquit, A *decoram inter mulieres*; et dicas: *Fusca sum et decora* (*Cant.* I, 4): fusca sum, quia peccavi: sed decora; quia diligor, quia genus sum Abrahæ, electum genus, dilectum Deo: nihil tibi proderit patrum gratia; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et alibi in Evangelio legisti (*Luc.* XIII, 11 — 13), quia Abrahæ filiam ligavit diabolus nequitiæ suæ vinculis, quam solvit Dominus die sabbati. Nisi ergo scias te, nihil tibi proderit. Et si dicas: Abrahæ sum filia, quæ non credis, quæ errorem non corrigis; Abraham quidem salvatur: sed te nobilitas generis non juvabit, [a] nisi fides servaverit. Non te decipiat data patribus repromissio. Non suscipio personam hominis, non suscipio prærogativam generis; nisi videro congruentem generi B morum nobilitatem, ut fiat justi generis electio.

15. Quod si scias te, et agnoscas quia peccato obnoxia es; exeundum in calcaneis gregum est tibi. Exi ergo nuda pede, *et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum* (*Cant.* I, 7). Qui sine peccato est, agnos **987** pascit, oves pascit. Quæ autem peccato obnoxia est, pascit hædos qui a sinistris sunt; non enim potest esse in dextera pastoris boni. Sequatur magis dicentem Petro: *Veni retro me, satana* (*Marc.* VIII, 33). Sequendo Petrus in dextera meruit collocari; ideoque ei dicitur: *Pasce agniculos meos* (*Joan.* XXI, 16). Sed quo exeat, audi: *Ad tabernacula*, inquit, *pastorum*; hoc est, ad gentes, ad dispersionem. Ideoque dixit: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII, 7); ut repleatur totus orbis C terrarum grege Christi, significans tunc fore salvam Synagogam, cum se huic dispersioni et ipsa sociaverit, quæ replevit hunc mundum; tabernacula enim pastorum, regna sunt terræ. Ideoque propheta David nationes annuntians credituras ait: *Regna terræ, cantate Deo* (*Psal.* LXVII, 33). Ergo sciat se juvenior, ut corrigat viam suam.

16. Sed dicis: Quis potest cognoscere viam juvenior, ut corrigat; cum Propheta dicat: *Tria sunt impossibilia mihi intelligere, et quartum quod non agnosco: vestigia aquilæ volantis, viam serpentis in petra, et semitas navis navigantis, et vias viri in juventute* (*Prov.* XXX, 18 *et* 19). Si Salomon fatetur quod non agnoscat vias viri in juventute; quomodo potest juvenior cognoscere? Cui respondebitur quod illæ viæ D viri in juventute non cognoscantur, quæ sunt secus vias serpentis in petra, et secus semitas navis fluctuantis, et vestigia volantis aquilæ, quæ ungues asperos habet, [b] prædam includit, et supra nubes volat, in aere errat, in mari piscem interficit; et tamen non est impossibile hoc quartum, sicut illa tria; cognoscit enim Dominus qui sunt ipsius, et vult ut sciat se unusquisque, sciat se populus Dei.

17. Sed esto non cognoscantur errantium viæ, sicut dicit Dominus: *Non novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27): hic autem juvenior qui potest corrigere viam suam, fortasse juvenior sit ætate, non moribus; et habeat in primo flore juventutis suæ senilem intellectum, de quo ait: *Canities autem est intellectus hominibus* (*Sap.* IV, 8), quibus maturitas consilii, gravitasque suppetit. Unde et Hieremiæ dicitur: *Noli dicere quia juvenis sum* (*Jer.* I, 7). Et utique erat ætate juvenis; sed prohibet eum juvenem se dicere, qui esset maturioris prudentiæ. Daniel cum puer esset, accepit spiritum quo dignus senectutis primitiis haberetur; ut redargueret senes ipse non senior longævitate, sed gratia; erat enim in illo ætas senectutis vita immaculata (*Dan.* XIII, 45). Cui bene competit Davidicum illud dicere: *Super seniores intellexi* (*Infra vers.* 100). Ideoque tamquam de veterani consilii, et senilis scientiæ viro divinum pronuntiavit oraculum: *Quis prudentior quam Daniel* (*Ezec.* XXVIII, 3)?

18. Nunc illud advertamus, si possibile est ut corrigat juvenior viam suam, an non? Si non est; ergo mentitur Propheta: sed quia non mentitur, possibile est. Ita tamen possibile, ut quod impossibile videatur, fiat possibile; si custodiat junior verba Dei: si autem non custodiat, impossibile. Unde illud Evangelicum: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum* **988** *cœlorum* (*Matth.* XIX, 24). Quod hoc quoque libro impossibile esse dixit, sic tamen intelligimus impossibile esse, quia divites non custodiunt mandata Dei: si autem custodiant, fit possibile quod impossibile videbatur. Hic est camelus qui intrat per angustam viam; quæ illum ante capere non poterat concupiscentem, jam capit custodientem mandata divina. [c] Custodientem autem verba Dei, quia custodivit ea, Moyses quasi seniorem elegit (*Exod.* VII, 1); et nunc quibus hoc Spiritu Dei committitur officii, ut eligant seniores viros, eligunt sine dubio inter seniores juvenem corrigentem viam suam, in custodiendo verba Dei. Et si senioris ætatis virum elegerint, non quasi longævum utique elegerunt, sed quasi custodientem verba Dei: quod si reperitur in juniore, utique et ipse est eligendus. Liquet igitur ex his quod non senectutis longævitas eligatur, sed custodia verborum Dei. Denique ipse Moyses Jesum Nave et Caleb juvenes præ cæteris approbabat, quorum consilium in terræ electione magis, quam multorum seniorum, et ipse secutus est, et Deus prætulit (*Num.* XIV, 6 *et* 7).

19. Unde et illud de Jacob quod supra diximus:

---

[a] Edit. Rom. sola, *nisi fidem servaveris.*

[b] *Prædam includit*, in ant. edit. ac plerisque mss. desideratur; at in quibusdam reperias, *prædam non includit.*

[c] Vet. edit. cum mss. aliquot, *custodientem autem verba divina, quia custodit ea. Moysen quasi seniorem elegit.* Voces, *quia custodit ea,* cum sequenti puncto inde sustulit edit. Rom. Alii plures mss. *custodientem* (unus *custodiens*) *autem..... Moyses quasi senior eligitur.* Unde vix ullum legitimum sensum elicias. Melius ergo Reg. et Remig. ut in textu. Quod autem dicitur, *quia custodit ea*; idem est ac si scriberetur non aliam ob causam, sed propter hoc solum, quia divina mandata custodit.

Digitized by Google

*Deus qui pascit me a juventute mea* (*Gen.* XLVIII, 15); manifestat nobis de eo dictum, qui tulerit jugum verbi in juventute sua (*Thren.* III, 27 *et* 28), et recedens ab Esau et similibus ejus, sedit singulariter, in se tempus exspectans, quo possit cum disciplina proferre sermonem; et propterea spiritali est donatus alimento, adhuc ævi integer, sed veteranus consilio. Neque enim dignum est ut credamus quod tantus patriarcha de corporali cibo dixerit: *Deus qui pascit me a juventute mea;* quia nec corporalem panem desiderabat, cum diceret: *Si Dominus Deus mecum est, ut det..... mihi panem manducare, et vestem indui..... omnium quæ das mihi, decimam decimabo tibi* (*Gen.* XXVIII, 20—22). Nam si patres nostri spiritalem escam manducaverunt, et spiritalem potum biberunt; quanto magis sanctus Jacob cibo pastus est spiritali!

20. Ille quoque intellectus hoc loco suppetit, nec alienus a vero est; quia juvenior ille ex congregatione gentium populus, qui antequam in Christo crederet, tortuoso errabat anfractu; in eo corrigit viam suam quia Dei verba custodivit, quæ noluit custodire populus Judæorum; et ideo ille viam salutis invenire non potuit. Consideremus et sequentem versum.

21. (Vers. 10.) *In toto corde meo exquisivi te; ne repellas me a mandatis tuis.* Si Deus repellit unumquemque, quem repellendum putat, videamus ne excusationem ei tribuat, qui cum sequi Deum vellet, repulsus sit. Et primum quemadmodum bonus Deus repellit sequentem, nisi ipse mereatur repelli? Sicut ipse Dominus ait: *Vulpes foveas habent* (*Matth.* VIII, 28); et ideo quasi vulpem repellit. Et alibi: *Quia omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 29). Cui addit, nisi ei qui toto corde exquirit eum; ut quod deest naturæ, id Dei operatione acquirat et gratia? Sicut Salomon, qui ex toto corde exquirens Deum, sapientiam **989** postulavit: et quia non opes sibi regias, sed divinæ munus gratiæ depoposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam: repletus est Domini Spiritu, ut cognosceret mandata omnia (III *Reg.* 11 *et* 12). Qui autem non habet, ut in corde suo exquirat Dominum, et facit quidem opus Dei, sed negligenter facit, maledicto subjectus est, sicut legimus: *Quia maledictus omnis qui opus Dei facit negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10). Merito ergo repellitur, quia maledicto dignus est, quia polluit magis et impedit opus quod negligenter putaverit exsequendum.

22. Consideremus ergo utrum bonitas sit repelli ab opere negligentem: an vero retineri. Et imaginem rei hujus ex aliis sumamus artibus. Curat medicus ægrotum,[a] sed negligenter: et desidia medici virus alta vulneris serpit. Quanto igitur melius removeri hujusmodi medicum qui tempus terit, cum profectum nullum sentiat vulneratus; ut curandi officium ad eum medicum transferatur, qui maturius possit ægroto sua diligentia subvenire! Nonne clementior est qui repellit nihil proficientem, quam qui retinet A ad discrimen ægroti? Constitue aliquem præpositum ædificantibus, vel etiam texentibus, qui debeat summam operis explicare; utrum is tibi probabilior videtur, si in id diligenter insistat, ac si quem forte incuriosum adverterit de iis qui operantur in domo aliqua construenda, repellat eum, melius credens non ædificare, quam hiantibus rimis ædificata dissolvi; atque aliquem in ejus substituat locum, qui cum diligentia ædificet? Similiter etiam textrini præpositum repulsorem negligentium, ut substituat diligentes, ne longa textrinum corrumpat incuria; non magis probabis, quam illum qui desides in sua negligentia perseverare patiatur?

23. Transi nunc ad eos qui mandata ædificant, et legem intexunt, et animam uniuscujusque recepe- B runt sanandam. Nonne si quis eorum ædificet domum Dei cum justitia, texat indumentum cum diligentia, sanet animam cum gratia, opus bonum facit? si vero incuriosus ac remissus aliquis, fabri, textoris, medici spiritalis locum occupet, ut sacerdos summus, ut presbyter, ut minister altaris sacri; nonne commodius est non subire unumquemque id muneris, quod implere non queat, quam subeuntem, neque ipsum strenue suscepto fungi munere, et eripere locum alteri, qui naviter eum possit tueri? Quid! quod etiam ipsi consulitur, qui remissior cum sit, repellitur, ne plus offensionis contrahat.

24. Quid sit autem repelli consideremus; lectum est enim: *Sicut vulnerati dormientes, projecti in monumentis, quorum non meministi amplius; et quidem ipsi de ma-* C *nu tua repulsi sunt* (*Psal.* LXXXVII, 5). Advertamus igitur quos vulneratos et projectos in monumentis repellit, quorum non meminerit amplius. Isti sunt qui a mandatis Dei repelluntur. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? Et quia a mandatis Dei repelluntur, repelluntur utique de manu Dei. Et bene prospexit, ne quis de manu Dei videatur eripi; quia nemo potest quemquam rapere de manu Dei. Qui ergo privatur muneris suscepti officio vel gratia, non rapitur, sed rejicitur; ut dixit Dominus Jesus ad Hierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos.....* **990** *et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Abstulit illis sanctificationem, altare thymiamatis, et orationis sacrarium, propitiatorium D altare sacrificiorum, sacerdotum et levitarum ministeria; et tamen cum hæc sublata essent omnia, quæ secundum Legis mandata habebant, ait Apostolus: *Numquid repulit Deus hæreditatem suam..... Non,* inquit, *repulit.... sed conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 1, 2 *et* 32).

25. Sunt ergo qui ad tempus a mandatis propter misericordiam repelluntur; sicut et illis consulitur qui vomuntur. Nam quemadmodum manens in corpore quod vomendum est, plus acescit: ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat. Meritoque Angelo Laodiceæ dicit

[a] Non pauci mss., *sed negligentia et desidia medici virus vulneris serpit.*

testis fidelis et verus : *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus ; utinam frigidus esses, vel calidus : sed quia tepidus es , incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15 *et* 16). Aperte negligentiam graviori damnat judicio, quam imprudentiam. Frigidus est enim qui fidem nescit : calidus qui Spiritus sancti fervore succensus est. Qui ergo calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse , quam neglexisse. Est enim tepidus [a] pejor frigido, ut Judæus qui sibi videtur fidem habere quam non habet. Quanto tolerabiliorem causam gentilis habet , qui potest dicere : Non cognovi Legem , non audivi prophetas, ideo non credidi , quam ille qui legit omnia, ex quibus venturum Jesum crederet, et non credidit ! Neuter quidem excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit : sed plus delinquit, qui negavit quod legerat, quam qui opera non fecit, quæ facienda non cognovit. Quanta autem fidei et justitiæ gratia est, ut in ore Dei sit, qui fidem tenet, et opera exercet justitiæ : et quantum amittit, quem evomuerit ex ore suo Dominus Jesus, et ex suis visceribus ejecerit ! quam pius tamen, qui et justos in ore suo tenet, et injustos non ante evomit, quam denuntiet evomendos ! ut vel hujusmodi admonitione conversi dignum aliquid efficiant, quo non vomantur. Nunc tertium versiculum consideremus.

26. (Vers. 11.) *In corde meo,* inquit, *abscondi eloquia tua , ut non peccem tibi.* Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere ; peccat enim Deo, qui commissa sibi secreta mysteria putaverit indignis esse vulganda. Periculum itaque est non solum falsa dicere, sed etiam vera , si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est, vel adulationis , vel avaritiæ , vel jactantiæ , vel loquacitatis incautæ ; quia dum adulari vult aliquis ei cui loquitur, effundit mysterium. Nonnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur ; ut tegenda silentio vendant loquendo. Alii , ut plura nosse videantur, et scientiam suam jactitent, aperiunt quod celare deberent. Plerique dum sine judicio loquuntur , verbum emittunt, quod revocare non possunt. Ideo vir laudatur serius , et non otiose. Erat homo abscondens sermones suos, ut apostolus Paulus, qui novit quid loquatur singulis, et quando quid loqui debeat. Unde et Corinthiis dicit : *Lac vobis potum dedi , non escam ; nondum enim poteratis : sed nec adhuc quidem potestis* (1 *Cor.* III, 2). Ideo hos in transitu videt : manet autem apud Ephesios ; quod **991** ostium sibi magnum apertum esset , notum facere gentibus mysterium Christi ( I *Cor.* XVI , 8 *et* 9). Ideo et Salomon tempus tacendi , et tempus esse loquendi docet (*Eccles.* III, 7).

27. Præ cæteris autem Dominus Jesus in Evangelio declarat suo, dicens, Simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro (*Matth.* XIII, 44). Utique [b] non aurum, non argentum, non pecunia comparari potest regno cœlorum : sed eloquia Domini, eloquia casta , argentum igne examinatum , quibus ipsum regnum acquiritur. Hunc ergo thesaurum sapientiæ et cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba Scripturarum cœlestium ; cum invenerit homo , abscondit illum in corde suo , nec divulgat eum : sciens quia si divulgaverit Babyloniis thesaurum Dei, magnam offensam contrahet ; ut dicatur ei sermone prophetico : *De semine tuo accipient, et facient spadones in domo regis* (*Esai.* XXXIX, 7). Per quæ significatur quia is qui prodiderit divina mysteria , posteritatem animæ suæ, seminariumque meritorum habere non possit.

28. Cave ergo ne divitias tuas perfidis prodas : et si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ ; non reseres thesauros regios, quos Babylonii scire non debent ; ne veniant et capiant posteros tuos, et seminarium virtutis abscindant. Hoc est quod etiam in Evangelio dicit Dominus : *Nolite mittere margaritas vestras porcis* (*Matth.* VII, 6). Ideo bene facit qui abscondit eloquia Domini in corde suo, sicut abscondebat propheta David, sicut Maria, quæ conservabat omnia verba Domini Jesu in corde suo (*Luc.* II, 51). Etenim si bonum est viro sermones suos abscondere, quanto magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere !

29. (Vers. 12.) Quarto versu dicit : *Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.* Non enim quicumque dixerit, Domine, Domine, ipse intrabit in regnum cœlorum : sed qui voluntatem Dei fecerit. Ideo iste qui correxerit viam suam a juventute sua, custodierit verba Dei in toto corde, quæsierit Dominum Deum suum , nec repulsus sit a mandatis Dei, et dignus habitus cui committerentur arcana sapientiæ , absconderit ea in corde suo, ne peccaret Deo ; quasi habens eloquia Dei, gratias agit, dicens : *Benedictus es, Domine;* et desiderat ipsum doctorem habere, cupiens cognoscere secreta Legis, et quemadmodum interpretationem habeat : *Si emeris puerum Hebræum, et servierit tibi annis sex* (*Exod.* XXI, 2) , et reliqua, quibus præmissum est has justitias discere , quas proponit in conspectu filiorum Israel : hæc a Domino quærit discere, quæ homines docere non poterant ; nisi Deus ante docuisset. Quæ posteaquam a Christo didicerunt apostoli, Ecclesia dicit : *Introduxit me Rex in cubiculum suum* (*Cant.* I, 3) ; hoc est , in illud secretum suum in quo sunt thesauri scientiæ et cognitionis suæ. Ideoque tibi dicitur : *Cum oras, intra in cubiculum tuum* (*Matt.* VI, 6), quod significat mentis animique secretum. In hoc cubiculum justitiarum Sponsa se poposcit induci ; cum post odorem unguenti excurrerit, quod semper fluit, et numquam deficit.

30. (Vers. 13.) Ideo quasi edoctus Propheta justitias quinto versu dicit : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Et quomodo alibi dicit : *Judicia* **992** *tua sicut abyssus multa* (*Psalm.* XXXV, 7) ? Quomodo

[a] Non pauci mss., *pejor frigido*, *inter utrumque* (vel *utraque naturam mentitur.*

[b] Scripti cod. nonnulli, *non auro, non argento, non pecunia comparari potest regnum cœlorum.* Sed hic *comparari*, collationem, non acquisitionem sonat.

Digitized by Google

Apostolus ait: *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei*, A *quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et ininvestigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini* (*Rom.* XI, 33 *et* 34)? Si inscrutabilia sunt judicia, quomodo ergo judicia? quomodo *omnia pronuntiavi*, ait Propheta, *judicia oris tui?* Sed fortasse non eadem sunt judicia Dei, quæ judicia oris ejus. Si alia sunt, bene dicitur: *Cogitationibus tuis quis similis erit* (*Psal.* XXXIX, 6)? Et ideo inscrutabilia sunt judicia ejus; quia ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Si autem nullus nisi Christus hoc dicit, qui potest dicere: *Ego et Pater unum sumus* (*Joann.* X, 30).

31. Distinguamus tamen, nec vereamur ne impugnet se velut contrariis Scriptura venerabilis. Consideremus enim quia non dixit: Judicia oris ejus sicut abyssus multa: sed *Judicia tua* dixit; nec Apo- B stolus posuit: Inscrutabilia judicia oris ejus; sed: *Inscrutabilia judicia ejus.* Possumus enim judicia Dei æstimare, quæ occulta nobis non patefecerit; judicia autem oris ejus, quæ annuntiaverit, et per os prophetarum locutus est. Os enim Dei propheta intelligitur, cui dicitur: *Clama;* et ille ait: *Quid clamabo?* Et inspiratum est ut diceret: *Omnis caro fenum* (*Esai.* XL, 6). Quod utique locutus, oris Dei functus officio est; quia locutus est judicium Dei. Ergo prophetica oracula jam non sicut abyssus, sed etiam ipsa sunt abyssus; quia nemo potuit in cœlo, vel in terra, aperire librum, nisi Christus. Veniamus nunc ad sextum versum.

32. (Vers. 14.) *In via*, inquit, *testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Alii in auro, alii C in argento, alii in vestibus; alii in possessionibus, vinetis, oleis, segetibus; alii in operibus picturæ, marmorum; in diversis denique singuli delectationes habent: spiritalis in via testimoniorum cœlestium delectatur, tamquam omne possidens patrimonium, in omnibus dives; sicut Apostolus dicit: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei nostri, quæ data est vobis in Christo Jesu: quia in omnibus divites facti estis in ipso, in omni verbo, et in omni scientia* (I *Cor.* I, 4 *et* 5). In tantum doctrina Apostoli Corinthii profecerunt, ut qui ante non poterant nisi sicut parvuli lac solum bibere, postea in omnibus divitiis abundarent cognitionis et verbi. Delectabatur ergo David in omnibus divitiis cognitionis, scientiæ, sapientiæ, et in omni actu bonorum operum. Et si quis D nunc intentus divinis, triplicem illam sapientiæ hauriat disciplinam, θεωρητικὴν, πρακτικὴν, λογικὴν; bonus studio percipiendæ cognitionis, pulchrior erit exsequendæ rationalis moralisque doctrinæ gratiam tenens. Qui prophetica ænigmata Dei spiritu revelante cognoverit, Evangelii altitudinem in operibus comprehenderit et consiliis, apostolici sermonis moralitatem adverterit; is tamquam in omnibus dives, uberem capiet voluptatem.

33. Et quia suavis est corporalis voluptas, ideo non quasi pro gratiæ qualitate cum spiritalibus comparatur; sed quasi ad testimonium suavitatis arcessitur. Siquidem et Apostolus docet invisibilia et sempiterna Dei a nobis per ea intellecta esse, quæ facta sunt (*Rom.* I, 20). In Canticis quoque habemus 993
scriptum: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilavi te, proxima mea.* In quo dum velocium equorum cursui similitudo Ecclesiæ comparari videtur, æstimatur dives ejus gratia. Non igitur unam equam divitiis regis accipias: sed absolute pro equitatu, ut sæpe diximus, qualis ovis illius est pro grege ovium. Pharao igitur ut potentissimus rex, et prædives habebat equos potentes, ut Scriptura dicit currus Pharaonis; quasi potentissimum genus ad bellorum usum, et subsidium præliandi. Denique his curribus Pharao fugientes Hebræos facile comprehendit. Sicut ergo equi juncti concorditer trahunt currum, et patienter suscipiunt jugum, et portant congrua cum gratia, et jugi illius susceptione mansuescunt: sic et congregatio nationum gentilibus indomita moribus se ante jactabat; ubi vero suscepit jugum dicentis: *tollite jugum meum .... quia leve est: et onus meum, quia suave est* (*Mat.* XI, 29 *et* 30); et cœpit Sponsa Christi concordia et mansuetudine populorum esse sublimis, et toto circumferri orbe, tamquam currus equis velocibus supra mundum rapta, ascendit ad Sponsum.

34. Denique et in posterioribus Canticorum partibus dicit: *Posui te currus Aminadab* (*Cant.* VI, 12). Multos currus habet in se Ecclesia, quos omnes spiritalibus habenis Dominus regit: et una anima multas cogitationes habet, quas Domini habena restringit et revocat; nequando in præruptum noster hic currus feratur. Aminadab autem interpretatione significatur pater beneplaciti, cujus filius legitur in Numeris Naason princeps populi (*Num.* II, 3), qui sit intelligendus interpretatione serpentinus; et agnoscis istud, si repetas, quia sicut serpens pependit in ligno qui te redemit.

35. Ergo anima currus est Dei, ut ira ejus, et libido, et timor, et omnes sæculares concupiscentiæ refrenentur. Ecclesia quoque currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi; ne diversorum populorum motus eam dissensionesque perturbent. Hic quoque Naason bene intelligitur Christus; quia virga Aaron conversa in serpentem illos serpentes Ægyptios devoravit (*Exod.* VII, 12). Has ergo divitias habeamus, his delectemur, ut currant nobis equi rationabiles, et commoremur in præceptis eorum.

36. (Vers. 15.) Et ideo ait: *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.* Qui enim exercetur in verbis apostolorum, Jesu Domini mandata cognoscit, et considerat vias ejus, quibus finis est Christus, qui ait: *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6).

37. (Vers. 16.) *Et in tuis justitiis meditabor, non obliviscar verborum tuorum.* Admonet hic locus memores Scripturarum nos esse debere, et justitias ejus non solum sermone, sed etiam operis imitatione meditari. Non enim qui disputant Legem, et non faciunt quæ Legis sunt; sed qui factores Legis sunt, justificantur.

Digitized by Google

## SERMO TERTIUS.

ג *Gimel.*

1. Tertia littera secundum Hebræos est *Gimel*, quæ Latine retributio dicitur. Denique in primo statim versu hoc ostenditur.

994 2. (Vers. 17.) *Retribue*, inquit, *servo tuo*. Quomodo supra ipse David : *Non secundum peccata nostra reddas nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis* (*Psal.* CII, 10); et hic poscit retributionem? Illa videtur vox peccatoris esse, hæc bene sibi conscii, qui præmia boni operis exposcat. Unde possumus etiam hoc intelligere, quod de ejus persona psalmus iste formetur, qui natus ex Virgine pro totius mundi redemptione ad dexteram Patris sedere præsumat, sicut ipse ait : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram virtutis* (*Matth.* XXVI, 64).

3. Non est tamen alienum, nec arrogans, si etiam David remunerationem a Domino Deo suo pro egregiis laboribus postulet. Prærogativa est fidei atque justitiæ, de Domini favore mercedem usurpare. Denique reprehenditur Petrus (*Matth.* XIV, 31), quia super fluctus ambulans, humano magis dubitavit affectu, quam apostolica auctoritate præsumpsit. In Evangelio quoque docemur habere fidem (*Luc.* XVII, 6), et non hæsitare de iis quæ supra hominem sunt, gerendis. Merito ergo David in superioribus, quasi adhuc imperfectus, secundum peccata sibi reddi refugit, atque declinat : in hoc autem psalmo qui est posterior (*Psal.* CII, 10), quasi fundatus virtutis processu, retribui sibi secundum fidei operisque certamina deprecatur. Siquidem etiam Paulus, qui ante dixerat : *Non sum dignus vocari apostolus* (I *Cor.* XV, 9), postea ait : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex : non solum autem mihi, sed et eis qui diligunt adventum ejus* (II *Tim.* IV, 8). Et Apostolus ibi pollicetur, hic autem verecundius adhuc precatur : quod utique non insolentis arrogantiæ, sed innocentis est conscientiæ ab ipso cui servieris, petere mercedem; quoniam desperare segnitiei est materia : sperare autem, incentivum laboris est.

4. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur; ut talia petendo studiosius elabores, quod ea petitione sis dignior. Quis athleta si desperet coronam, descendat in stadium : aut si eam postulet victor, offendat? Probatio spem facit, spes confidentiam. Justi ergo talis oratio est : delectatur Dominus tali precatione; ut pro puritate conscientiæ utaris auctoritate.

5. Tamen quominus videatur petitio arrogans,
A bene addidit : *Servo tuo* (I *Cor.* VII, 22); in quo et humilitatis est gratia, et præmium servitutis. Qui enim vocatus est in Domino servus, libertus est Domini, tam pretioso emptus sanguine. Magnum tibi est vocari puerum meum, quasi ad servum dicitur. Si quis ergo est servus, et bene servit Domino, et nihil facit quasi servus peccati : sed qui dicit : Servus inutilis sum; quod debui facere, feci; bene is dicit : *Retribue servo tuo*.

6. Gloriosa servitus, qua pro nobis servivit et Christus. [a] Beata servitus, qua et tu servis : sed ita, si nihil possit adversarius de tuo sibi servitio vindicare. Amat ergo Christus boni libertatem servuli. Denique in Canticis dicit : *Quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, cervix tua sicut redimicula*
B (*Cant.* I, 9)! Vultus liberior est, ubi est [b] castitatis conscientia : et portare Christi jugum suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum 995 Deum tuum, et quære Deum ut invenias. Erige cervicem; redimicula, non vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, et phalerari sibi magis, [c] quam vinculari videntur. Genæ sicut turturis præferant insignia verecundiæ : redimicula cervicis libertatis attollant fiduciam. Leve est enim jugum Christi; et ideo cervix eo non premitur, sed levatur.

7. *Similitudines*, inquit, *auri faciemus tibi ex distinctionibus argenti; quoadusque Rex est in declinatione sua* (*Ibid.*, 10). Ex iis enim qui ex Lege sunt et prophetis, mediocriter ante crediderant gloriam
C Domini Jesu : sed hæreditas ejus diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est probata. Crebræ enim persecutiones Ecclesiæ justorum nobis [d] titulos, et martyrii victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ita Ecclesia cum uritur, detrimenta non sentit, sed magis fulgor ejus augetur; donec Christus veniat in regnum suum, et reclinet caput suum in Ecclesiæ fide. Qui cum venisset ad oves perditas domus Israel, non habebat ubi caput suum reclinaret : nunc autem jam redolet fides; ideoque dicit Ecclesia : *Nardus mea didit odorem suum* (*Ibid.*, 11). Et dicit cum præsumptione exspectans retributionem.

8. Fragrat unguentum gratiæ, ex quo Virgo generavit, et Dominus Jesus sacramentum Incarnationis
D assumpsit. *Colligatio*, inquit, *guttæ consobrinus meus*, [e] *botryo Cypri frater meus mihi, inter media ubera mea requiescit* (*Ibid.*, 12). Corpus enim suscipiens dominus Jesus charitatis se vinculis illigavit : et non solum se membris nostris et passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit; ideoque sicut botryo in Ecclesiæ fide, et morali requiescit gratia. *Nardus Cypri*,

[a] Desunt in mss., *Beata servitus, qua et tu servis*. Sed non videntur ad sensum complendum inutilia.

[b] Mss. aliquot, *charitatis conscientia* : unus, *castitatis et charitatis conscientia*.

[c] Omnes edit. et quatuordecim mss., *quam nudari*. Reg. cod., *quam onerari*, paulo melius. Omnium optime. Vat., *quam vinculari* : de quo verbo consule Cangii Glossarium.

[d] Mss. non pauci, *titulos martyrii* (quidam *martyrum*) *victoriis ediderunt*.

[e] Rom. edit. eraserat, *botryo Cypri frater meus mihi* : quæ verba tum in mss. ac vet. edit. reperiuntur, tum etiam apud LXX interp. Quod autem infra eadem edit. habet, *Botrus Cypri consobrinus*, etc., in hoc quidem ad Scripturæ textum accedit, sed ab omnibus mss. ac edit. Ambrosianis recedit.

Digitized by Google

*consobrinus meus in vineis Engaddi* (*Cant.* I, 13). Engaddi, si locum quærimus, regionis cujusdam quæ in Judæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur : si interpretationem, Engaddi tentatio latine significatur. In illis ergo vineis lignum est, quod si quis compungat, unguentum emittit : hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat et redolet ; cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam distillat : sicut et Christus in illo tentationis ligno crucifixus illacrymabat populum, ut peccata nostra dilueret, et de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum, dicens : *Pater, dimitte illis ; quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.*, XXIII, 34). Tunc ergo in ligno compunctus est lancea, et exivit de eo sanguis et aqua omni unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem B sanctificationis effundens : et quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat e corpore. Unde ait : *Sentio virtutem exisse de me* (*Luc.*, VIII, 46). Inde [a] opobalsamum expressio dicitur ; eo quod compunctione ligni balsamum per cavernam punctionis erumpit. Compunctus igitur Jesus odorem remissionis peccatorum, **996** et redemptionis effudit (*Luc.*, XXIII, 11). Nam et constrictus erat Verbum, cum esset homo factus : et pauper factus est, cum dives esset ; ut nos illius inopia ditaremur. Potens erat, et despiciendum se præbuit ; ita ut Herodes sperneret eum et illuderet ei. Terram movebat, et hærebat in ligno : cœlum obducebat tenebris, mundum crucifigebat : et crucifixus erat : inclinabat caput, et exibat verbum : exinanitus erat, et replebat omnia : descendit Deus, C ascendit homo : Verbum caro factum est, ut caro sibi Verbi solium in Dei dextera vindicaret : vulnus inflictum erat, et fluebat unguentum : scarabæus audiebatur, et Deus agnoscebatur.

9. Respondit et Christus. *Ecce es bona proxima mea, ecce es bona* (*Cant.* I, 14). Quoniam cognoverat Ecclesia mysterium, et pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Jesum prædicabat, meretur audire : *Ecce es bona ;* quæ me bonum dicis, *et ipsa bona es*, quæ vidisti gloriæ meæ decorem, *et ipsa bona es et decora.* Quid est autem Christum dicere : *Bona es*, vel *decora es ;* nisi illud Evangelicum : *Constans esto, filia, remissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 22) ?

10. (Vers. 17.) Ergo cui Christus peccata donavit, D recte dicit : *Retribue servo tuo, ut vivam, et custodiam verba tua.* Non habet in retributione quod desperet ; quia Dominus Jesus venit mundum salvare, non perdere. Ideoque immemor est injuriæ, memor gratiæ ;

A sicut in prophetico libro testificatur ipse dicens : *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero : tu autem memor esto, et judicemur. Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 25 *et* 26). Quicumque ergo dicit iniquitates suas Deo, justificatur : et quicumque justificatur, retributionem non timet, sed exposcit : qui retributionem non timet, vivet.

11. Sed quare dixit : *Vivam*, et non dixit : Vivo ? Quia hæc vita non est loco præmii, quæ in loco mortis est. Dolet Propheta in pulverem mortis se esse deductum (*Psal.* XXI, 16) : Apostolus cupit ex hoc mortis corpore liberari (*Rom.*, VII, 24) ; et putamus quod de hac vita sibi blandiatur Propheta ? Omnia hic plena mortis sunt. Intrat mors per fenestram, intrat per ostium ; nisi Dominus ostio tuo ponat custodiam. Denique ex multiloquio peccatum nascitur. Lege mandata Legis, et invenies scriptum : *Quia vivens si mortuum contigerit, inquinatur* (*Num.* XIX, 11). Quantos tangimus mortuos ? Inter quantos mortuos versamur ? Ideo tibi Auctor vitæ dicit : *Relinque mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Ideo tibi alibi dicitur : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* V, 14). Quomodo tibi diceretur : Surge a mortuis, nisi inter mortuos viveres ? Ponamus te mundum esse ab operibus mortuis, et peccati colluvione ; quomodo mundus es, qui in corpore mortis es, qui inter sepulcra vivis mortuorum ? [b] Oportebat Petrum **997** loqui mortuis ; ut procederent de sepulcris suis.

12. Indigemus ergo purgatione, quia tetigimus mortuos (*Num.* XIX, 1). Lex nos mundari jubet : quis tantus, ut supra Legem sit ? Ipsum Nazaræum sanctum Dei, si is tetigerit mortuum, immundum pronuntiat (*Num.* VI, 9). Ideoque radit caput suum, et deponit capillum quasi non sanctum ; et iterum orat ut exaudiatur, qui ante propter mortui attactum exorare non potuit : irrationabiles duxit dies ; quia irrationabili appropinquaverat. Deponit igitur mortua et superflua capitis sui, ut Christo reconcilietur. Ergo si Nazaræus purificatur, et nos purificari oportet.

13. Omnes contigimus mortuum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis audebit dicere mundum se a peccatis ? Sit aliquis fortasse qui in sermone non deliquerit, licet rarus iste, de quo Deus dicat, sicut de sancto Job : *Ille non peccavit labiis suis* (*Job.* XXII, 10) ; tamen non semper habere potuit mundas cordis sui cogitationes, injicit se diabolus in cor hominis. Pone parata semper et pervigili custodia quisquam cor suum sepserit, tamen in me-

[a] Plerique mss. atque omnes edit., *opobalsamum expressus* (nonnulli mss., *expressum*) *dicitur.* Alii plures ac meliores, *opobalsamum expressio dicitur.* Quæ expressio quomodo fiat, consequenter describitur. Eadem res adhuc dilucidius explicatur ab eo scriptore, cui communiter Ægesippo nomen imponunt. Ita enim ille : *Illic opobalsamum gignitur : quod ideo cum adjectione significavimus, quia agricolæ cortice tenus virgulas incidunt eas, in quibus balsama gignuntur ; ut per illas cavernas paulatim distillans humor se colligat : caverna autem Græco nomine* ὀπὴ *dicitur.* Alii tamen ortum hoc nomen malunt ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, quod succum ac liquorem sonat. Multa de hac re J. Gerar. Vossius in *Ethymologico* ad vocem, *balsamum.*

[b] Rom. edit. sola, *Oportebat primum loqui mortuis.* Minus bene ; cum manifeste alludatur ad illud I Pet. IV, 6 : *Propter hoc et mortuis evangelizatum est ;* quemadmodum initio ejusdem capitis et hoc toto Ambrosii loco inter se comparatis, facile quivis intelliget.



Digitized by Google

dio peccatorum versatur, necesse habet etiam ipse A purificari. Unde Esaias, cum dixisset : *O miser ego! quoniam immunda labia habeo, et in medio populi versor immunda labia habentis* (*Esai.*, VI, 5 *et* 7); statim descendit unum de Seraphim, et contigit labia ejus carbone, ut immunda ejus labia mundaret.

14. Non unum est baptisma : unum est quod hic tradit Ecclesia, per aquam et Spiritum sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos. Est et aliud baptisma, de quo dicit Dominus Jesus : *Baptisma habeo baptizari, quod vos nescitis* (*Luc.*, XII, 10). Et utique jam baptizatus in Jordane fuerat, sicut superiora declarant (*Matth.*, III, 13) : sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur. Est etiam [a] baptismum in paradisi vestibulo, quod antea non erat : sed posteaquam B peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus (*Gen.*, III, 24), quæ antea non erat, quando peccatum non erat. Culpa cœpit, et baptismum cœpit : quo purificentur, qui in paradisum redire cupiebant, ut regressi dicerent : *Transivimus per ignem et aquam* (*Psal.* LXV, 12). Hic per aquam, illic per ignem. Per aquam, ut abluantur peccata : per ignem, ut exurantur. Sed quod est gravius, et hic sustinemus ignem, et illic.

15. Quis est qui in hoc igne baptizat? Non presbyter, non episcopus, non Joannes, qui ait : *Ego vos baptizo in pœnitentiam* (*Matth.* III, 11); non Angelus, non Archangelus, non Dominationes, non Potestates : sed ille, de quo Joannes ait : *Qui venit post me, fortior me est, cujus non sum dignus calcea*- C *menta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne. Habet ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam; et congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inexstinguibili* (*Ibid.*, II *et* 12). Non de hoc baptismate, quod fit per sacerdotes Ecclesiæ, dictum ipse Dominus testificatur (*Matth.*, XIII, 49 *et* 50). Siquidem post consummationem sæculi missis angelis qui segregent bonos et malos, hoc futurum est baptisma : quando per caminum **998** ignis iniquitas exuretur; ut in regno Dei fulgeant justi sicut sol ipse in regno patris sui. Et si aliquis sanctus ut Petrus sit, ut Joannes, baptizatur hoc igni. Veniet ergo Baptista magnus (sic enim eum nomino, quomodo nominavit Gabriel dicens (*Luc.* I, 15): *Hic erit magnus*), videbit multos D ante paradisi stantes vestibulum, movebit romphæam versatilem, dicet iis qui a dextris sunt, non habentibus gravia peccata : Intrate qui præsumitis, qui ignem non timetis. Prædixeram enim vobis : Ecce venio sicut ignis (*Esai.* LXVI, 15); et per Ezechielem dixeram : *Ecce proficiscar in Hierusalem, et insufflabo in vos, in igne iræ meæ; ut tabescatis a plumbo et ferro* (*Ezech.* XXII, 20).

16. Veniat ergo ignis consumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati, faciatque nos aurum sincerum. Urat renes meos, et cor meum; ut bona cogitem, ea quæ castitatis sunt, concupiscam. Sed quia hic purgatus, iterum necesse habet illic purificari; illic quoque nos purificet, quod dicet Dominus : Intrate in requiem meam; ut unusquisque nostrum ustus romphæa illa flammea, non exustus, introgressus in illam paradisi amœnitatem, gratias agat Domino suo, dicens : *Induxisti nos in refrigerium* (*Psal.* LXV, 12). Qui ergo per ignem transierit, intrat in requiem. Transit a materialibus atque mundanis ad illa incorruptibilia atque perpetua.

17. Alius iste est ignis quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem paravit servulis suis Dominus Jesus, ut eos ab ista commoratione, quæ permixta est mortuis, emundet : alius ille ignis, quem deputavit diabolo et angelis ejus, de quo dicit : *Intrate in ignem in æternum* (*Matth.*, XXV, 41); quo ille dives ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. At vero Lazarus in Abrahæ sinu recumbens (*Luc.*, XVI, 24), vitam carpebat æternam, quam sibi promitit Propheta dicens : *Vivam et custodiam verba tua. Vivam*, ait, quasi nondum vivens; hic enim in umbra vivimus.

18. Ergo ista vita in corpore, umbra est vitæ atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, et in regione umbræ mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritalia erigat; ut possit dicere : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus;* dignus erit qui dicat : *In umbra ejus vivemus* (*Thren.*, IV, 20). Christus enim vita est; et ideo qui in umbra Christi vivit, in umbra vitæ est. Meritoque alibi dicit Sanctus Domini : *In umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 8). Omnes ergo etiam sancti in umbra sunt, quamdiu sunt in corpore : non perfecte vident : non perfecte, sed ex parte cognoscunt. Ipse Paulus ait : *Ex parte enim cognoscimus* (I *Cor.*, XIII, 9). Ipse Vas electionis, cui Christus oculos reddidit, et sua illuminavit gratia; non facie ad faciem, sed per speculum videbat. Et David revelari oculos suos petit (*Inf. vers.* 18); ut removeretur umbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autem hanc mortuorum esse quis dubitet; cum Sanctus ipse dicat : *Placebo Domino in regione vivorum* (*Psal.* CXIV, 9)? Quia perfecte hic placere nemo potest, ubi etiam si fieri possit, ut sua peccata non habeat; in **999** ipsa tamen mortuorum regione vivendo, purificatione indiget, quæ a contagio eum regionis hujus absolvat.

19. In umbra igitur hic vivimus, et ideo in umbra custodimus verba Dei. Et ut exemplo utamur : [b] utique ante erant sub umbra Legis, quando custodie-

[a] Jam ante annotavimus opinionem hanc de justis extremi judicii die per ignem expurgandis Ambrosium ab Origene mutuatum esse : hoc loco id tantum addimus, inter hunc ignem et eum quo Diabolus ac reprobi exarsuri sunt, manifestum discrimen infra num. 17, constitui; quod fecisse prorsus negatur Origenes.

[b] Edit. Rom. sola, *utique ante eramus sub umbra Legis, quando custodiebamus neomenias et sabbata.* Vet. et mss. aliquot : *utique..... custodiebamus ho-*

Digitized by Google

bant homines sabbata, quæ sunt umbra futurorum; sicut hodieque Judæi, qui verum sabbatum non vident, qui exemplari et umbræ serviunt. Nos quoque secundum Evangelium nunc viventes, umbram sequimur verborum Dei. Nathanael sub arbore fici videtur (*Joan.* I, 48), David in umbra alarum Domini Jesu sperare se dicit (*Psal.* XVI, 8); Zacchæus in arborem sycomori ascendit, ut Christum videret (*Luc.*, XIX, 4). Nobis quoque expandit manus suas Jesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento? Quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus a malignitate sæculi et corporis ardore defendit? An nescimus quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum advenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens? Venit in nube levi: et cum esset virtus Altissimi, obumbravit Mariæ; ut transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ. Sicut ille ergo mutavit formam, cum ex Virgine nasceretur: ita et nobis sermones Dei transfigurati videntur; cum leguntur in Evangelio, cum species eorum videtur in Scripturis quasi per speculum, quia tota veritas hic non potest comprehendi. Cum autem venerit quod perfectum est, non jam per descensionem, non per speciem ut transfigurati: sed integra atque expressa veritate resplendent.

20. Neque te moveat, quod ait: [a] Multa verba custodiam; qui unum verbum cognoverit, multa verba cognoscit. In uno enim multa sunt, et in multis unum est. Probandum est igitur quomodo unum verbum multa sint, et multa verba unum verbum sit. Nec est difficile doceri, cum dixerit Apostolus, quia *ipse est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata sunt omnia in cœlestibus et in terra, sive visibilia, sive invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (*Coloss.* I, 15 *et* 16). Unum est igitur Verbum, quod operatur in singulis: et cum in singulis operatur, operatur omnia in omnibus. Hoc Verbum unicum apud Patrem se diffudit in plurima; quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium quæ creata sunt in ipso, videbis in singulis unum verbum esse omnium, cujus pro captu nostro participes sumus. In me verbum est humanum, [b] sed Apostolus succurrat et dicat: *Puto et ego spiritum Dei habeo* (I *Cor.*, VII, 40); in alio verbum cœleste, et verbum angelorum in plerisque est. **1000** Sunt qui habent verbum Dominationum et Potestatum, verbum justitiæ, verbum castitatis, verbum prudentiæ, verbum pietatis, verbum etiam virtutis. Sic unum verbum multa sunt, et multa verba unum sunt. Nec vero arduum est istud æstimari; cum legerimus quia omnia potest Spiritus sapientiæ.

21. Itaque sicut alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, et alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia curationum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii spiritus cognitionis, alii spiritus consilii plenioris, alii spiritus fortitudinis, alii pietatis spiritus; tamen in omnibus unus atque idem spiritus est, dividens singulis prout vult. Est spiritus prophetarum, et spiritus apostolorum: est etiam artificum spiritus, sicut et Beseleel et Oliab, quos implevit Dominus Spiritu divino sapientiæ et scientiæ, et omnis artis; ut facerent amictum et Tabernaculum, atque altare secundum sensum quem dedit his Deus (*Exod.*, XXXV, 30 *et seq.*); sed etiam cæteris sapientibus intelligere et facere omnia opera secundum omnia quæ Dominus imperabat. Itaque fecerunt quæ non didicerant, nec viderant, secundum ea quæ his Spiritus demonstrabat. Et plerisque videtur alius apostolorum spiritus, alius prophetarum, et diversus in singulis: sed non est diversus, sed unus est spiritus, dividens genera diversa virtutum. Unde non dubium videri debet, si aliis verbum apostolicum, aliis propheticum, [c] aliis evangelicum, aliis verbum operatorium datum est; et tamen unum est verbum dividens se singulis pro nostra possibilitate, vel pro sua voluntaria largitate. Hoc Verbum igitur, quod est caput omnium, hic per speculum video; et ideo verba hic custodire non possum: sed cum videro gloriam ejus revelata facie, tunc vivam, et vita vivens etiam verba divina custodiam.

22. (Vers. 18.) Ideo ergo secundo versu dicit: *Adaperi oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Qui adaperiri sibi oculos petit, utique et gravari intelligit. Neque enim medicum rogat, nisi qui remedium ægritudini suæ poscit. Dicit ergo iste ad medicum venientem de cœlo: *Adaperi oculos meos.* Si turbatus est oculus, facile dolor omnis sedatur [d] collyrio: sin vero acies ejus humoris suffusione prætexitur, majora remedia quæruntur. Est ergo sicut in oculis corporis, ita etiam in oculis animæ

*mines sabbata.* Melius, nostro quidem judicio, alii longe plurimi, ut supra in corpore.

[a] Sic edit. ant. cum cod. manu exaratis. At Rom. edit. emendaverat, *Et custodiam verba; quasi multa, et non unum verbum. Num qui unum*, etc. Non infelici conatu; si vel unus ms. astipularetur.

[b] Verba illa, *sed Apostolus..... Dei habeo*, quæ in edit. desiderabantur, restituta sunt auctoritate novem mss. in quibus Reg. unus, duo Sorb., Vind., Fisc., etc.

[c] Mss. nec pauci, nec infimæ notæ, *aliis angelicum.*

[d] *Collyrium* præsertim oculorum medicamentum significat; unde proverbium illud apud Erasmum chil. 4, cent. 8, adag. 21, *uno collyrio omnibus oculis mederi*: attamen etiam aliis usibus adhibetur; immo et genus quoddam panis dicebatur antiquis collyrium. Fiebant autem hujusmodi medicamenta vel ex aridis, et ξηροκολλούρια: vel ex humidis, et ὑγροκολλούρια nominabantur. Figura teres erat, et ad similitudinem truncatæ caudæ muris accedens; unde collyria dicta volunt ἀπὸ κολοβῆς οὐρᾶς. Alias ejusdem vocis etymologias ac significationes legere poteris apud Brissonium lib. III *De Verb. Juris sign.*, et Vossium *Etym. Lat. linguæ* in eodem verbo.

Digitized by Google

hujusmodi quædam passio, quæ ingravescat necesse A est; nisi bonus medicus velamen illud abstulerit, et nebulam quamdam concreti humoris, quæ impedire, vel potius operire, ne videat quæ videbat, mentis æstimatur obtutum. Irrepsit ægritudo veteri fermento; eo quod non exuimus vel gentilem, vel Judaicam suffusionem, cum primum venireınus ad Ecclesiam: non audivimus et [a] docentem boni medici disciplinam: **1001** *Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, induite novum, qui renovatur in agnitione, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 9 *et* 10). Supervestivit ergo se aliquis, non exspoliavit: serpit gravior ægritudo, gravat oculos diuturnum velamen; non potest quisquam illud auferre, non Angelus, non Virtutes, non Dominationes, non Potestates. Manet velamen illud, lectionem impedit, visionem obducit; quod non revelatur, inquit Apostolus (II *Cor.* III. 14), hoc est, a quocumque alio, nisi in Christo fuerit evacuatum. Cum vero conversus hujusmodi fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

23. Habes igitur quomodo auferas velamen, quod manet supra oculos cordis tui. Convertere ad Dominum, et velamen cadet. Conversus est Paulus ad benedictionem Ananiæ, velut squamæ ceciderunt ab oculis ejus; et vidit qui per triduum ante non viderat (*Act.*, IX, 18): simul oculus corporis animæque sanatur; quia medicamentum ei medicus demonstraverat ille de cœlo, de quo scriptum est: *Misit Verbum suum, et sanavit eos, et ex omnibus infirmitatibus suis liberavit eos* (*Psal.* CVI, 20). Non est medicus iste de terris, qui omnes curat infirmitates, et [b] populos integros sanat. Mitte ergo, Pater, medicum istum: veniat Verbum tuum, aperiat oculos meos. Et Apostolorum oculi clausi erant, nisi eos Jesus aperuisset. Denique duobus ex his euntibus in castellum cui nomen Emmaus, cum interpretaretur Scripturas, et benediceret eos, *Aperti sunt*, inquit, *oculi eorum*, *et cognoverunt eum* (*Luc.*, XXIV, 31). Ergo nisi Jesus aperuisset nobis oculos, nemo vidisset: nisi Jesus sustulisset velamen, nulli Evangelii gratia refulsisset. Et Petrus clausos habebat oculos, et Johannes clausos habebat, et Jacobus clausos habebat. Denique in monte gravati erant somno, sed excitati majestatis fulgore divinæ oculos cordis sui aperuerunt. Et quia siti in corpore, plene videre non poterant, obumbravit eos nubes (*Matth.*, XXVII, 5), ne corporis oculos D gloriæ cœlestis fulgor hebetaret.

24. Quis igitur tantus ut aperiat oculos, et Legis videat sacramenta; nisi ei Christus demonstret? Non Moyses tantus. Denique, jubente Domino, virgam projecit, et facta est serpens, et fugit ab eo: apprehendit caudam serpentis, et facta est virga (*Exod.*, IV, 3 *et* 4); et adhuc non cognoscebat mysterium, quo declarabatur descensurum in terras Dominum Jesum, qui cum se exinanisset, deponi in crucem, et projici pateretur in tumulum, [c] quasi serpens de virga factus; quia in tumulum projectus, de quo secundum oracula Legis resurgens in gloriam Dei divinæque sedis regale consortium de serpente remearet. Apprehendamus ergo et nos caudam serpentis illius crucifixi; ut potestatem ejus regiam possimus agnoscere. Et illa quæ in pedes ejus misit unguentum, tenuit eum. Caudam ergo serpentis apprehendit Moyses: et apertum est os ejus. Non ergo locutus esset de eo: nisi ipse Dominus os ejus aperuisset.

25. David adaperiri sibi oculos hic petit, et in superioribus dixit: *Quis ostendit nobis bona* (*Psal.* IV, B 6)? Erat sub Lege nutritus, sciebat quia Lex umbram habet **1002** futurorum bonorum: ipsa bona jam non per umbram, sed apertis oculis videre cupiebat (*Hebr.*, X, 1). Noverat quia exemplari et umbræ cœlestium mysteriorum serviebant, qui secundum legem Moysi deserviebant. Volebat ipsam cultus divini comprehendere veritatem; et ideo ut ab oculis suis velamen discuteret, conversus ad Dominum precabatur dicens: *Adaperi oculos meos*, *et considerabo mirabilia de lege tua.* Intelligebat vere militiam esse cœlestem, quam posset unusquisque ex Lege cognoscere, cui tamen Dominus revelasset. Quis enim de terrenis ad cœlestia, de umbra ad claritatem, de exemplari ad penetralia veritatis humano gradu sine divino ductu possit ascendere?

C 26. Quis potest considerare altare illud cœleste, verumque templum, sacerdotes et levitas, non istos secundum carnis officia, sed illos secundum spiritus gratiam? Denique hanc solam sibi gratiam pro maximis optabat David dicens: *Unum petii a Domino*, *hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ: et ut videam delectationem Domini*, *et considerem templum ejus* (*Psal.* XXVI, 4). Quis poterat cognoscere, quod offerret dives magnum munus, secundum quod potest manus ejus, ut solvatur ejus peccatum? Quis poterat intelligere, si non haberet? Quis offerre, verbi gratia, arietem, quia non solvebatur ejus peccatum? Quis poterat advertere, quæ essent illæ immunditiæ, quas solvit non Lex quam putant Judæi, sed lex spiritalis, quam Paulus agnovit? Quis poterat videre remissiones peccatorum veras, quarum exemplar in Lege, veritas in Evangelio est, dicente Domino Jesu: *Dimissa sunt tibi peccata* (*Luc.*, VII, 48); non per hircorum sanguinem, sed per hostiam sui corporis? Ille itaque dives in Lege, qui perfectæ majestatis in Christo plenitudinem confitendo, et quasi eam quibusdam ad illud altare cœ-

[a] Edit. Rom. cum uno cod. Vat. *dicentem boni medici discipulum.*

[b] Eadem edit. sola, *populos integre sanat.* Forte ne videretur Ambrosius docuisse populos sanos a Christo esse sanatos. Nam integer quandoque illud, maxime si de animæ sanitate agatur, significat. Sed hic *integros* intellige totos sive universos; ut non referatur ad voces, *ab omnibus infirmitatibus*, sed ad illas, *sanavit eos.... liberavit eos:* quæ sunt latæ et indeterminatæ significationis.

[c] *Quasi serpens de virga factus; quia in tumulum projectus:* hæc in mss. Gall. desiderantur; sed tamen nonnihil conducere videntur ad perspicuitatem.

Digitized by Google

leste fidei manibus offerendo, peccatum suum solverit. Ille videt verum Sacerdotem, qui videt Principem sacerdotum : ille templum verum considerat, qui audit dicentem : *Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud* (*Joan.* II, 19). Magnum templum, de quo virtus exibat, et curabat omnes. Mirabile illud altare, in quo unius agni sacrificium tulit peccata mundi. Ille præstantissimus levita, qui venit non ut ministerium exigeret; sed ut omnibus exhiberet suæ ministerium passionis : cui portio Deus, qui hic nihil possederit, ut omnia possideret.

27. Quid autem dicam de Hebræo, quem Lex sex tantummodo jubet servire annis, et septimo anno exire a servitio (*Exod.*, XXI, 2)? Quis iste Hebræus servus? Quis Hebræus liber poterat intelligi? Quis tantus, ut annos æternos in mente habens videat verum Hebræum, qui non in perpetuum manet servus, sed sex annis servili functus officio, septimo anno gratiam libertatis adipiscitur? Cujus videtur Isaac patriarcha servitutis et libertatis non ignorasse mysterium, qui ait : *Servies fratri tuo, et erit cum deposueris et solveris jugum ejus a collo tuo* (*Gen.* XXVII, 40), [a] significans fore tempus, quo et si quis servierit hic positus fratri suo, postea tamen exactis annis, qui sex istis diebus, atque istis quos **1003** hic exigimus mensibus colliguntur, solvat jugum a cervice sua, quod fit septimo anno remissionis. Conjicere possumus veri Hebræi typum in Joseph, qui portavit servitutis jugum : sed eum culpa non cepit, non carcer inclusit, non Ægyptus decoloravit. Conjicimus in Petro, Joanne, Jacobo, qui creati et instituti sub jugo Legis solverunt tamen fratris sui Judaicum jugum, ubi legitimæ tempus quietis advenit, quando refulsit his remissio peccatorum : et hoc tamen hic in umbra adhuc gestum comparatione cœlestium.

28. Quanta autem quies illa, quæ ex Lege conjicitur, in Evangelio revelatur, [b] et adhuc integra reservatur, dicente Domino Jesu : *Volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum* (*Joan.* XVII, 24)! Quam beatus, qui istius habitationis fructum, quietis consortium illic potuerit promereri! Tunc intelliget quid sit aperuisse oculos, ut videret mirabilia de lege Dei.

29. Bene admonuit lectio Evangelii, quæ decursa est, in qua sanatus est leprosus ille, qui dixit : *Si vis, potes me mundare* (*Luc.* V, 12); in voluntate Domini constituens potestatis effectum. Cui respondit similiter : *Volo, mundare* (*Ibid.*, 13). Præmissa pietas voluntatis, secuta potestatis auctoritas est. Omnibus dicit Jesus, *volo*, [c] qui non vult esse peccatum. Velle Christi, commune in omnes est; mundari, fidei est credentis in Christum. *Et tetigit eum.* Tangit eos, quorum fide tangitur. Denique dicit : *Tetigit me aliquis; sentio enim virtutem exisse de me* (*Luc.*, VIII, 46). A Habes operationem immaculati corporis, habes remissionem divinitatis.

30. Sed ut plenius sanaretur, aperuit oculos ejus dicens : *Vade, ostende te sacerdoti* (*Luc.*, V, 14). Multos sacerdotes habebat Synagoga; sed qui oculos aperit, falsos non videt sacerdotes, verum aspicit. Quis est verus sacerdos, nisi ille qui est sacerdos in æternum? Et ideo Pater dixit ad eum : *Tu es sacerdos in æternum* (*Psal.* CIX, 4). Aperuit ergo oculos ejus, et vidit, et intellexit quale munus pro emundatione sua deberet offerre. Beatus qui audit hæc : quanto beatior qui videt, qui se vero potest ostendere Sacerdoti, ut non habeat quod timeat in se videri, qui se prius aspicit, facie revelata! Nam nisi ipse se prius viderit, non audebit se ostendere; sicut Adam B qui se occultare cupiebat, quia se non agnoscebat. Sed jam etiam id quod sequitur, consideremus.

31. (Vers. 19.) *Advena ego sum in terra; ne abscondas a me mandata tua.* Non cujuscumque vox ista est; sed ejus qui terrenis renuntiaverit voluptatibus, et omni se mundanæ cupiditatis exuerit affectu. Ille est in hac terra advena, qui potest dicere : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20); qui suam habet in Domino portionem, qui potest dolere quod diutius vivat in terris, qui vitæ hujus longævitate lassatur, cui prolixitas habitationis hujus fastidio sit, quam sanctus aversatur, et dicit : *Væ iis qui habitant in terra* (*Apoc.* VIII, 13)! Qui dissolvi non timet; et si solvatur, præsumit se cum Christo futurum : hic vere peregrinus in terra est; quia sanctorum est C civis, et domesticus Dei, et thesaurum sibi condit in cœlo. Non utique is exiens de Ægypto, in hanc intelligibilem Ægyptum remeare desiderat, nec **1004** depositæ senectutis et mortis pavescit confinia, nec horrea struit messibus recondendis, jam alienis victurus ætatibus : [d] sed sola dives virtutum fecunditate, ea congregat, quæ sibi nec mors possit auferre.

32. (Vers. 20.) Meritoque dicit : *Concupivit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore.* Quod utique non facit nisi liber a vinculis, nec solum a vinculis sollicitudinis sæcularis, sed etiam a vinculis charitatis humanæ. Vincula complura sunt in hoc sæculo : vincula sunt desideria vivendi, vincula sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt honorem, vincula conjugii. Denique dicit tibi bonus Magister : *Solutus es ab uxore?* D *Ne quæsieris uxorem* (I *Cor.* VII, 27). Nec tamen peccat, qui uxorem acceperit, sed innectit sibi vincula mentis; quia sollicitus est quomodo placeat uxori. Beatior esset, si Deo soli placere desideraret. [e] Cernis autem quia ligatus est, qui sui non habet corporis potestatem. Ergo quia mandatum Dei est, quod Legis oraculo et Apostolico sermone depromptum est (*Deut.*, VI, 5; *et Matth.*, X, 37), ne quis uxorem, divitias, honorem,

[a] Mss. aliquot, *significans forte tempus.... qui ex istis diebus*, etc.

[b] *Et adhuc integra reservatur.* Hæc in edit. omnibus et mss. aliquot non habentur; tamen in septem mss. non infimæ notæ reperiuntur.

[c] Septem mss., *qui non vult esse peccatorem*.

[d] Ita mss.; edit. vero, *Quæ sibi nec senectus perditum dare, nec mors*, etc. Sed quod in mss. non legitur, assutum glossema est.

[e] Octo mss., *Carnis autem alligatus est vinculis, qui sui*, etc. Alii cum edit. ut in textu.

Digitized by Google

necessitudines Deo præferat : qui autem prætulerit, fit obnoxius judiciis Dei; ideo prius poposcit, ne abscondat ab eo Deus mandata sua. Qui enim mandata Dei cognoverit, et custodierit, non refugit judicia divina, sed desiderat; meritoque tamquam revelatis sibi mandatis ait : *Concupivi desiderare judicia tua in omni tempore.*

33. Non dixit : Concupivi judicia, sed : *Concupivi desiderare.* Sicut enim vita vivere plus est quam vivere (vivere namque commune etiam hujus est vitæ, vita autem vivere beatorum est), sic concupiscere ut desideremus judicia Dei, plus est quam desiderare judicia. Concupiscimus enim desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderium, sed gratiæ Dei. Cum enim Dominus oblectari nos viderit cupiditate desiderii judiciorum suorum, sobrium auget affectum. Cum autem peccamus, non concupiscimus desiderare judicia Dei. Neque enim ægrotus uri desiderat, vel incidi; ut possit recipere sanitatem. Refugit qui gravius ægrotat; ne uratur, ne incidatur, ne alligetur, ne abstineat a cibo. Qui autem salutarem habet valetudinem, medico securus occurrit. Unde etiam Dominus non otiose ait : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (*Luc.*, XXII, 15); non solum desiderans, sed etiam geminato desiderio concupiscens remissionem retribuere peccatorum. Concupiscamus ergo et nos desiderare judicia Dei. Bona conscientia quæ cum examinatur, probatur. Et concupiscamus desiderare *in omni tempore;* ut nullum momentum bonæ prætereat vacuum cupiditatis.

34. (Vers. 21.) *Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Cum Dominus Jesus per obedientiam genus humanum redemerit, justitiam reformaverit : serpens autem per inobedientiam peccatum introduxerit; quid vitii habeat superbia, hinc æstimare possumus, cujus auctor diabolus est, quem inducit Propheta dicentem : *Ponam thronum meum super nubes, et ero similis Altissimo* (*Esai.* XIV, 14). Itaque cum sit nequissimus, ut honorem non dederit **1005** Domino Deo nostro; pejores tamen discipulos erudivit. Ille enim se sic exaltavit, ut vellet æquari et similis esse Altissimo : discipulus autem ejus significatur ab Apostolo indignaturus æqualem similemque se æstimari Deo. Scriptum est enim : *Cum revelatus fuerit homo iniquitatis, et filius interitus, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus* (II *Thess.* II, 3 *et* 4). Magister igitur [a] similem se præsumit, hic superiorem. Ideoque et Dominus ad discipulos suos dixit : *Majora his facietis* (*Joan.*, XIV, 12); ut quibus serpens pius ademerat, quam ipse amiserat, majora Christus facere donaret, quam ipse in terris fecerat. In se enim voluit principem mundi fallere, in discipulis triumphare.

35. Itaque a tanto volens crimine vindicare humanum genus, introduxit pharisæum et publicanum in

A templo orantes (*Luc.*, XVIII, 10 et *seq.*); et docuit etiamsi bona cætera habeat, quod magis superbus offendat, quam humilis, qui nulla virtutum dote subnixus sit; studet enim supplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laboravit pharisæus ille, ne raperet aliena, ne injustus esset, ne adulteraret! Quantum laboravit, ne peccaret, sicut peccavit publicanus! Quantum laboravit, ut bis in sabbato jejunaret! Quantum laboravit, ut decimam daret omnium quæ acquireret! Quis nostrum hæc facit? Quanti habent possessiones, et soli incubant fructibus, et solis sibi messes recondunt! Advertit hoc diabolus, et perfudit eum ulcere gravi; ut non teneret caput, mente carnis inflatus; et in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior judicaretur. Agebat

B enim gratias Deo quod non esset raptor, adulter, injustus. Quam noxie ei luctatus est serpens, et gravibus eum spiris ligavit! Superiorem fecit, ut de altiore dejiceret : inferiorem se præbuit, ut sublimiorem casu graviore prosterneret. Mala ruina est arrogantiæ, quæ superiorem subripuit. Mala hæc lucta serpentis, qua se in plurimos torquet anfractus.

36. Inflare volebat et Paulum. Quem Paulum? Illum utique apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum (II *Cor.*, XII, 7 *et* 8). Et pene deceperat, ita ut stimulum carnis suæ, qui se humiliabat, rogaret auferri. Sed bonus Dominus, qui Paulum infirmitatibus vellet facere fortiorem, adhibuit ei angelum satanæ; ut suis diabolus artibus vinceretur. Non mentiebatur pharisæus,

C immo etiam vera dicebat : sed omnis qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit (*Luc.*, XVIII, 14). Denique probabilior pharisæus ingressus est templum, quam publicanus; et tamen condemnatus exivit. Quantum crimen superbiæ, ut ei etiam adulteria præferantur!

37. Denique Dominus, qui aliis donat, superbis resistit, et tamquam congreditur iis qui se exaltant, sibique hoc certamen vindicat : et qui aliis compatitur, arrogantes increpat; quia nihil gravius, quam ut fratres nostros pauperes superbo **1006** oculo despiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia judicantes, quia sunt inopes : cum paupertas [b] facilius sit Deo, quam thesaurus acceptior.

D 38. *Maledicti*, inquit, *qui declinant a mandatis tuis.* Supra dixerat : *Ne abscondas a me mandata tua;* et ideo quasi revelata sibi mandata cognoscens, condemnat eos qui declinaverint a mandatis cœlestibus. Et bene dixit : *Qui declinant ;* directum enim mandatum est, ideo ab eo nemo deflectat.

39. Movet autem qua ratione hic dixerit : *Ne abscondas a me mandata tua.* Quod enim absconditur, obscurum fit et occultum; cum supra dixerit : *Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9). Si lucidum mandatum, quomodo absconditur;

[a] Edit. *similem honorem præsumit.* Mss. ut in textu, paucis exceptis in quibus, *se*, scriptorum incuria omissum est.

[b] *Facilius*, id est magis, et ad vocem, *acceptior*, refertur; estque pleonasmus, qui non raro in latinis auctoribus deprehenditur.

Digitized by Google

cum lucernam nemo ponat sub modio? Nisi forte lucidum est unum mandatum, multa autem mandata abscondita sunt. Nam *judicia tua*, inquit, *sicut abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Non judicium sicut abyssus, sed judicia dicuntur.

40. Vide autem ordinem. Supra ait: *Ne repellas me a mandatis tuis*; in sequentibus ait: *Ne abscondas a me mandata tua*; hic ait: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Vere maledicti qui declinant a mandatis tuis, qui referre gratiam debuerunt: primo, quia non sunt repulsi; secundo, quia non abscondi a se divina mandata meruerunt. Declinat ergo aliquis quod optavit.

41. (Vers. 22.) Sequitur: *Aufer a me opprobrium et contemptum; quoniam testimonia tua exquisivi.* Si contemptus opprobrii loco ducitur, quomodo scriptum est: *Contemptibilia hujus mundi elegit Deus* (I *Cor.*, I, 28)? Sed considera quia mundi contemptibilia dixit, non Dei. Quod enim in hoc mundo contemptibile, hoc pretiosum est apud Deum. Denique humilitas in hoc mundo contemnitur, sed Dei judicio comprobatur. Et si publicanus se humiliaverit, exaltatur. [a] Audi quem diligat, et non pro nihilo habeat Deus. Quicumque sanctus est, qui sine macula vivit, veritatem custodit, non appetivit proximum suum, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; [b] omnia quæ malitiæ sunt, reprobavit (*Psal.* XIV, 2-4): talis etiam si sit gentilis, devotione humilitatis a Deo comprobatur. Superbi autem, velut pharisæus, arrogantia sua pro nihilo ab illo æstimantur. Denique gentilitas non est: devotio autem manet in æternum. Cave ergo ne Christo opprobrio sis. Nolo mihi quicumque maledicat, et quasi peccatorem despiciat: quam grave, si Christus dignum opprobrio ducat! *Væ tibi*, inquit, *Corozaim et Bethsaida* (*Luc.*, X, 13). Condemnantur; quia non egerunt pœnitentiam delictorum suorum. Nos ergo agamus, ut a nobis auferatur opprobrium. Quis autem est, qui non est opprobrio dignus? Qui exquisivit Domini testimonia. Multi quidem sunt qui volunt inferre opprobrium servis tuis, sed ipsi sunt magis probrosi; quia pro nomine tuo pati opprobrium gloriosum est.

42. (Vers. 23.) Et ideo ait: *Etenim sederunt principes, et adversum me* **1007** *detrectabant.* Vox martyris est, qui perductus ad judicium persecutorum, cum cogeretur idolis immolare, et constanter resisteret: judices autem sedentes in tribunalibus stipati [c] officiis, indignantes quod suis non obsecundaretur imperiis, conferrent quo dignum supplicio censerent; stabat intrepidus dicens: *Sederunt principes et adversum me detrectabant.* Est etiam Domini vox ista, cum convenisset [d] presbyterium plebis, et principes sacerdotum et scribæ, et ad concilium Judæorum deductus esset dicentium: *Quid adhuc desideramus testes? audivimus enim de ore ipsius* (*Matth.* XXVI, 65); et staret ante præsidem, et duceretur ad crucem, quid pulchrius diceret, quam: *Sederunt principes, et adversum me detrectabant*, hoc est, me stante, sederunt principes? Et quia tribunalium fulcro sublimes erant, Dominum non videbant. Sedebant ergo, erant in fastigio principatus, nec Principem principum cogitabant. Sed parum hoc. *Adversus me*, inquit, *detrectabant.* Ego eorum redemptor adveneram, ego veneram ut omnium peccata mundarem, ut recuperarem amissos, restituerem paradiso sancti Jacob hæreditatem; et illi *adversus me detrectabant.* Et ideo imitatores mei, discipuli mei, nolite injuriam erubescere si steteritis ante principes pro nomine meo; cum ego steterim pro vestra salute.

43. Denique traditus in custodiam Petrus cum cæteris apostolis, et postera die statutus ante concilium constanter dicebat: *Principes populi, et seniores Israel, [e] si nos hodie dijudicamur, quod benefactum sit homini infirmo, in quo iste salvus factus sit; notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel, quod in nomine Jesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus* (*Act.* IV, 8, 10), hoc est: Vos estis qui statuistis et Christum; gloriæ loco ducimus istam injuriam; quia arguimur pro ægroti hominis sanitate: hanc hæreditatem servulis Salvator omnium dereliquit. At illi conferebant inter se dicentes: *Quid faciemus istis hominibus* (*Ibid.* 16)? Et dimiserunt eos. Gloriabatur ergo Petrus, et unusquisque apostolorum, quia digni habiti sunt, qui injuriam pro Christi nomine sustinerent. Recte ergo tunc dicerent singuli: *Etenim sederunt principes, et adversum me detrectabant.*

44. Sederunt principes adversus Esaiam, et disputaverunt ut secaretur: sed non timebat eos qui

[a] Edit., *Audi quem pro nihilo non habeat Deus.* Mss. aliquot omittunt, *non*: vitiose. Alii majori numero, ut in textu.

[b] Mss. hic præfixo puncto sic habent: *Omnia quæ malitia sunt, pro nihilo æstimantur*; ubi non pauca quæ in textu legere est, prætermittuntur. Et certe nobis haud mediocriter id totum suspectum est; videtur enim a quopiam interpolatum, qui non videret quo vox *gentilitas* referenda esset, putaretque gentilis præmittendam fuisse mentionem. Verum, *gentilitas*, hoc loco nihil, ut arbitramur, aliud est, quam nobilitas, ac prosapia; quomodo gentilitia insignia, et stemmata vocitantur: immo hodieque etiam nobiles apud nos appellantur gentiles. Itaque *humilitati* de qua paulo superius dicitur, hic recte opponitur *gentilitas*. Sed cum prædicta verba in omnibus edit. habeantur, et non male explicari possint de gentili jam ad fidem converso, eam ob rem illa loco movere non sumus ausi.

[c] *Officiis*, hoc est, officialibus; ut operas pro operariis dicimus. Officia autem in Jure sæpius ministros et apparitores præsidum et procuratorum fisci significant. Vide Brissonium de Verb. signif. in voce *officium*.

[d] Ita edit. cum mss. Navar. uno, et Aud. Reliqui autem mss. *presbyterorum plebs.* Quod minime displicet; tum quia sic opponuntur *principibus sacerdotum*, tum quia, *plebs* idem sæpe sonat ac multitudo, grex, et similia.

[e] *Si nos hodie*, et quæ ex eodem Scripturæ loco sequuntur, omittuntur in plerisque omnibus mss. Sed hoc antiquariorum compendio studentium festinationi tribuendum est.

Digitized by Google

dicebat : *Audite... principes Sodomorum* (*Esai*, I, 10). Sederunt adversus Hieremiam ut mitteretur in lacum. Sederunt adversus Zachariam, qui occisus est inter templum et altare. Sederunt adversus Susannam, et contra castitatis feminam judicabant : sed ut ostenderetur principum bonum non esse consilium, excitavit pueri spiritum Dominus ; et quam principes ream mortis pronuntiaverant, eamdem propheta totius innoxiam criminationis absolvit.

45. Sunt et alii principes, qui adversus nos detrectant, **1008** de quibus dicitur : *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi hujus rectores, tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus* (*Ephes.*, VI, 12). Isti sedent et explorant, qui justus sit in hoc sæculo, qui Christianus intente Deo serviat, studiosus boni operis et facti. Detrectant de eo dicentes : Insidiemur illi, impediamus eum, prohibeamus eum efficere quæ desiderat, conteramus ejus mentem, frangamus animum ejus adversis frequentibus ac repentinis ; et si Deo probatus est propter justitiam, rogemus dari nobis tentationes ejus. Neque enim in tantum prophetam, tentationum ejus quas plurimas subiit, potestatem habere potuissent, nisi Dominus [a] probandi sui militis causa dedisset, ut majore eum gloria coronaret. [b] Quis igitur regem Saul exci- ... in eum, nisi spiritus malus, sicut legimus, qui se dolebat excludi quotiescumque David vel citharæ sono, vel bonorum consiliorum operumque fidibus ac nervis mentem regis animumque demulcebat (I *Reg.* XVI, 23) ? Quis excitavit Doech Syri nequitiam, ut sanctum virum proderet, et hospitalem humanitatem deduceret in periculum sacerdotis (II *Reg.* XXII, 9, *et* 10) ? Quis inflammavit ardorem Amnon, ut domum incestaret propheticam, et contristaret animum patris, alterius incesta libidine, alterius injuria (II *Reg.*, XIII, 14) : et qui aliis prophetabat, domus suæ mala prævidere non potuerit ? Quis armavit furorem Abessalon, ut patrem domo excluderet, et parricidali persequeretur prælio (II *Reg.* XV, 14) ? Sed cum prope viribus regni jam esset sanctus inferior, hoc uno incensa adversum se diaboli restinxit spicula, quod cum filius necem peteret patris, ille tamen salutem filii pietatis mandabat affectu.

46. Ergo principes populi, ut Architophel, et cæteri bellantium duces sederunt (II *Reg.* XVIII, 5). Tractabant principes populi cum Abessalon adversus Prophetam (II *Reg.* XV, 31). Et ideo dicit : *Etenim sederunt principes, et adversum me detrectabant : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Advertimus arma justi, quibus omnes adversa-

A riorum repellat impetus. Alibi ait : *Circumierunt me et expugnaverunt me gratis : pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam* (*Psal.* CVIII, 3 *et* 4) : hic ait quod studium ei non exercendæ ad belli artes fuerit juventutis, non decipiendi adversantis astutia ulla cordis ; ut illum vinceret quem videbat : sed adversum eos præliabatur, quos non videbat : majorque in eo pietas, quam virtus corporis militabat. Itaque in Dei exercebatur justificationibus ; ut contrario ictu diabolum vulneraret. Ille eum ab intentione justitiæ, et studio devotionis, occupationibus bellicis conabatur abducere : hic magis se divini operis et cultus meditationibus occupabat. Itaque Dominus protexit eum, in quem speravit, cum quo loquebatur, cui toto adhærebat affectu. Justus

B enim aut cum Deo loquitur orando, aut **1009** divina loquitur opera laudando : et semper loquitur opera Dei ; ne loquatur os suum opera hominum. Nihil terrenum justus loquitur, nihil mortale agit.

47. (Vers. 24.) Ideoque dicit : *Etenim testimonia tua, meditatio mea est : et consilia mea, justificatio tua.* Advertis quid doceat, quod hæc debeant esse consilia justi, ut meditetur mandata Dei, et exerceatur in Dei laudibus et oraculis ; ut justificet Dominum semper. Qui facit quæ Deus mandat, quæ credit Deo placere, Deum justificat. Quod ex lectione Evangelii possumus intelligere (*Luc.*, VII, 30), dicente Evangelista, quia pharisæi spreverunt consilium Dei, non baptizati baptismo [c] Joannis. Hoc in uno libro, in alio ... autem habes : non justificaverunt Deum, quia

C baptizari non... luerunt. Ideo Dominus ad Joannem dicentem : *Ego a te ... debeo baptizari, et tu venis ad me;* respondit : *Sine modo, ... sic enim oportet nos implere omnem justitiam* (*Matth.*, III, 14 *et* 15). Qui ergo facit mandata Dei, justificat Deum ; ... quia facit ejus justitiam : et bonum est ut consilium Dei sequantur hominum consilia ; quia Dei consilium ... certum semper : nostra autem plerumque incerta cons... ilia ex rerum probantur eventu.

## SERMO QUARTUS.

### ד. *Daleth.*

1. Quarta littera secundum Hebræos *Dale...th*, significat Latine timorem, vel (ut alibi invenimus) ...nativitatem. Sed utrumque potest congruere et conve-

D nire sensu. Nativitas enim eorum est quæ generantur in hoc sæculo, per quam intelligimus corporalia et materialia, quæ sunt caduca, et ideo a timore non distat ; ex corporalibus enim et materialibus nascitur timor. Quid enim est terrena nativitas, nisi timor ?

2. (Vers. 25.) Denique inde cœpit versus : *Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.* Per pavimentum terram intelligimus, per ter-

[a] Rom. edit. in corpore, ac vet. in marg., *probandi sui militis ansam dedisset*. Vet. in corpore cum mss. nonnullis.,.... *causam dedisset*. Alii mss. melioris notæ..., *causa dedisset*. Optime ; siquidem hic subintelligendum est, *tentationum ejus potestatem*, quod superiori membro exprimitur.

[b] Cod. Vind., *Quis igitur in rege Saul excitavit vim spiritus mali ?*

[c] Ita cuncti mss. ac vet. edit. At Rom. sola, *Joannis : publicani autem justificaverunt Deum baptizati ab eo.*

Digitized by Google

ram materialia. Peccatori autem dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Genes.*, III, 19); eo quod divinis mandatis inhærendum non putaverit : sed in materialia et corporalia deflexerit, cui impressa fuerit vitæ hujus sæcularis delectatio. Denique ejectus [a] de paradiso, hoc est, ex illo sublimi et cœlesti loco, ad quem raptus est Paulus sive in corpore, sive extra corpus nesciens : ex illo ergo eminenti loco dejectus in terram, deploret Adam dicens : *Adhæsit pavimento anima mea;* sicut alibi ait : *Humiliata est in pulvere anima mea, et adhæsit in terra venter* **1010** *meus* (*Psal.* XLIII, 25). Pœnitentiam gerentis hæc vox est, qui meminisset adhærentem se Deo nescisse, nec potuisse discernere (quod non discrevit et Paulus) utrum in corpore esset, an extra corpus (II *Corinth.* XII, 2); ita infirmitatem, pigritiamque corporis minime sentiebat, cui Domini adhærebat præsentia. Spiritus ergo propheticus, qui dolorem expressit, vel Dominus qui suscepit ejus infirmitatem, personam repræsentat Adæ, et assumit ejus affectum.

3. Loquatur ergo Adam : *Adhæsit pavimento anima mea.* Qui ante beatissimus auram carpebat ætheream, curas vitæ hujus et tædia nesciebat, is nunc sollicitudine mundi hujus, luxuriæ studio, pecuniæque cupiditate curvatus, ut vulpis foveis se inserit, latibulisque terrestribus. Merito adhærebat pulveri, qui se levare non poterat, nisi eum supra crucem suam Christus levasset. Merito adhærebat pavimento qui se abscondebat a Christo. Non adhæret pavimento, cui dicit Jesus : *Sequere me* (*Joan.* I, 43). Non adhæret pavimento qui audit et sequitur Legem dicentem : *Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis* (*Deut.*, X, 20).

4. Quomodo ergo pavimento adhæreat unusquisque, quomodo Deo, audi dicentem : *Quid adhæret meretrici, unum corpus est. . . . qui autem adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.*, VI, 16 *et* 17). Terra ista quam gerimus, meretricis quibusdam nos illecebris capit, et quasi vultus quosdam voluptatum, corpora- A lium delectationum fucis illinit; ut lateat in his veritas, et [b] forensi quadam specie decipiant appropinquantes. Sed cum interiorem oculum mentis ad tempus obduxerunt, postea tamen decusso velut quodam pulvere voluptatum hujusmodi decore, quam sit inanis gratia sæculi hujus aut corporis facile deprehenditur.

5. Bonum est igitur adhærere Domino, nec inflexam cervicem habere ad jugum mundi. Ideoque Ecclesiæ, vel forti animæ dicit Sapientia : *Sicut turris David cervix tua, quæ ædificata est in Thalpioth :* [c] *mille ostia pendent in ea, omnia jacula potentium* (*Cant.* IV, 4). Erecta enim ad Deum cervix, et jugo Christi habilis, quæ nulla in terras illecebrarum inflexione curvetur, sicut Christi regalis est turris, cui B jugum suum Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam David, ille manu fortis, et supra murorum ædificavit excelsa; ut subsidio pariter et decori sit : subsidio, quia hostem prævidet et repellit : decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio, vel decori, si habeat in se verbi dogmata velut quædam phalerarum **1011** monilia, habeat etiam jacula potentium prophetarum, quæ adversus omnem extollentem se altitudinem lacertis quibusdam fidei diriguntur.

6. Noli igitur in pulverem mortis deducere animam tuam, cui Dominus etiam naturalem altitudinem tribuit, et vigorem quo se excitet et assurgat. Unde C etiam de hac conjunctione animæ et corporis dictum opportune accipitur; eo quod in naturali vitæ nostræ mysterio connexa anima corpori velut humi reptet, et pavimento adhæreat : partim propter hoc terrenum habitaculum, partim quia corpus istud e terra est. Et regionis igitur diversorium, et materia ipsa corporis nostri huic concurrit sententiæ. Ideoque pulchre Apostolus de mortis hujus corpore liberari cupit (*Rom.* VII, 24); quia carcere quodam

[a] Ubicumque fere Ambrosius de expulsione Adami e paradiso, vel de raptu Pauli in paradisum loquitur, unum et eumdem locum esse significat, ut intelligere est e cap. 1 lib. *De Paradiso*, num. 1, aliisque locis. Unde, ut ait Sixtus Sen. lib. V, Bibl. annot. 35, colligere sibi videntur nonnulli illum in duobus a recepta theologorum sententia recedere. Nam primo, inquiunt, paradisi locum ponit in tertio cœlo : D deinde rem totam ad meras allegorias redigit. Quod ad primum attinet, fatemur quidem difficulter ejusdem verba in alium sensum traduci posse : at in ejusmodi re error non ita periculosus est; cum præsertim de paradiso sic pronuntiaverit August. lib. VIII, de Genes. cap. 21 : *Credendum est quod locus paradisi a cognitione hominum est remotissimus.* Quod vero ad secundum, contendimus ipsum pluribus locis ea dicere quæ historiæ veritatem juxta naturalem intelligentiam supponant; ut cum cap. 1 lib. *de Paradiso*, num. 5, ait : *Intellige etiam quod non eum hominem, qui secundum imaginem Dei est, sed eum qui secundum corpus; incorporalis enim in loco non est.* Expende plures alios locos ejusdem libri, atque imprimis cap. 10, num. 47 et 48, nec non cap. 12, num. 59 et 60. Hinc procul dubio intelliges Doctorem sanctum de veritate historica paradisi terrestris non dubitasse : sed eum cum cap. 2 prædicti libri, num. 11, integrum relinquit, ut quibus libuerit, totam illam historiam allegorice interpretentur, id fecisse per quamdam concessionem; quemadmodum clare demonstrant illa verba : *ne sermone*, inquit, *nostro videantur offendi;* et quidquid in eodem capite memorata verba antecedit, valide confirmat. Cæterum cum Augustinus hunc librum contra Julianum ad astruendum peccatum originale laudaverit, manifesto intelligitur illum vacuum esse erroris ejus qui mirum in modum favebat Pelagianis. Jam nonnihil hac de re ad eumdem locum attigimus; et forte in epist. ad Sabinum aliquid adhuc adjiciemus.

[b] Omnes edit. ac mss. aliquot, *forensi quadam specie decipiat.* Alii melius, . . . *decipiant*, scilicet illi *vultus voluptatum.* Est autem hic *forensis species* non simpliciter exterior et quæ foris videtur, sed composita ad instar mercium quæ in foro ita collocari solent, ut alliciant oculos adventantium.

[c] Ita vet. edit. cum plerisque ac melioribus mss. Rom. autem cum aliis, *mille clypei pendent in ea.* LXX interp., χίλιοι θυρεοὶ κρέμανται ἐπ' αὐτὸν. Sed inde orta varietas est, quod θυρεοί ostia et clypeos ex æquo significet.

Digitized by Google

claudimur, et in quodam luxuriæ gurgustio siti, tenebris involvimur delictorum.

7. Ergo secundum voluntatem Dei ambulemus, ut adhærere dicamur Deo. Nam qui secundum corporis appetentiam vivit, caro est : qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, ut dicamur caro sicut et illi qui in diluvio perierunt, de quibus dictum est, *Quia caro sunt* (*Gen.*, VI, 3) : sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, et hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia patriarchæ Jacob, et generationis ejus sancta posteritas. Sic enim scriptum est : *Hi filii Bala quam dedit Laban Rachel filiæ suæ*, [a] *et peperit hos Jacob, animas septem*. Et alibi : *Omnes autem animæ quæ intraverunt cum Jacob in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus illius* [b] *præter mulieres sexaginta*, inquit, *et sex* (*Gen.*, XLVI, 25 *et* 26). Et in principio Exodi legimus : *Erant autem omnes animæ de Jacob quinque et septuaginta qui erant cum Jacob* (*Exod.*, I, 5). Ergo illi qui habitabant cum Joseph, et de Ægypto [c] exierunt, animæ sunt.

8. Qui autem cum essent [d] angeli Dei, hoc est, vitæ probitate angelorum imitantes gratiam (qui enim non ducunt uxores, et quæ non nubunt, erunt sicut angeli in cœlo), qui ergo cum angeli viderentur, capti sunt decore femineo, hi caro sunt, sicut Dominus Deus dixit : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, propter quod caro sunt* (*Gen.*, VI, 3). Et merito expertes libidinis angelis comparantur : caro non sunt in carne, sed in spiritu; quales erant illi qui doctorem Apostolum sequebantur, quibus ait : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.*, VIII, 9). Qui autem corporea feminarum capiuntur libidine, caro sunt : atque utinam caro tantum, et non etiam equi adhinnientes; *quia in uxorem*, inquit, *proximi sui adhinniebant* (*Jerem.* V, 8).

9. Rogat ergo qui dejectionem animæ suæ sentit ad pavimentum usque curvatæ, ut vivificetur secundum verbum Dei, quod animas ad se trahit quascumque, et miseratione sui levare cupiens abducit a terris. Vivificatur autem anima; quæ vias ambulat Christi, peccato mortua Deo vivens, ita ut mors peccati dominatum in ea post hæc habere non possit, posteaquam consepulta cum Christo justificata est a peccato. Sed **1012** qui justificari cupit, vias suas ante pronuntiet.

10. (Vers. 26.) Ideoque secundo versu ait : *Vias meas pronuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas*. Pulchro ordine ad justificationes Dei perveniendum putat; ut primum sua peccata fateatur. Sic enim docemur et alibi : *Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 26). Itaque scire debemus, quid sit vias suas ambulare hominem, et vias Dei. Qui facit voluntates carnis, et vivit secundum concupiscentiam mundi hujus, vias suas ambulat, quibus delectatur et gaudet. Qui autem venit voluntatem facere Patris sui qui in cœlis est, cujus cibus est ut mandatum Dei compleat : qui non quærit quod sibi voluptati sit, sed quod placeat Deo; ille viam Domini pergit, illam viam quæ ait : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.*, XIV, 6). Vides ergo quia ille vivit secundum verbum Dei, qui viam ambulat Christi. Ipse etiam Dominus Deus in Deuteronomio docet, quomodo in viis suis ambules, dicens : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua custodias mandata ejus, et justitias ejus* (*Deut.*, X, 12 *et* 13)? Liquet igitur alias vias esse carnis, alias Dei : et si quis velit ambulare vias Dei, sciat ei prius esse vias carnis, et corporis, et sæcularis sapientiæ deserendas.

11. Relinquens itaque eas David, pronuntiat, et apud Deum non tacet. Confitetur errores, [e] non tacet lapsus. Simile illi hoc dixit : *Annuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino* (*Psal.* XXXI, 5). Si enim se accusaverit justus, vocem parati accusatoris exclusit, qui solet acerbare peccata, et uniuscujusque exaggerare flagitia. Obstruit ergo os ejus, qui ipse de se fuerit ante confessus, et præstruit [f] veniam confitentis. Verecundia excusat reum, pudor suus accusat [g] auctorem. Qui enim sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, in diabolo prodidisse quod suasit. Ideoque ait Scriptura : *Justus in exordio sermonis accusator est sui* (*Prov.*, XVIII, 17). Qui se accusat, etsi peccator est, justus esse incipit; quia nec sibi parcit, et Dei justitias confitetur, quem putat latere nihil posse. Utinam Adam se prius accusare, quam celare voluisset! Sed non satis est ut confiteamur errorem : verum etiamsi corrigi volumus, a Domino postulemus, ut doceat nos justificationes suas; ne postea errare possimus. A Domino igitur doceri petit, quia unus est magister noster, ut ait Christus (*Matth.*, XXIII, 18). Nec otiose hoc petit; non enim ille beatus quem docet homo : sed quem tu erudieris, Domine.

12. (Vers. 27.) Ubique meminit sui, nec putat satis esse, ut doceat eum justificationes suas Dominus Deus noster, sed addidit : *Viam justificationum*

[a] Plerique mss., *et peperit hos Jacob omnes animas septem*. Vet. edit., *et peperit hæc*. etc. Sic etiam Rom., nisi quod cum quibusdam mss. omittit vocem *omnes*.

[b] Edit. Rom., *præter uxores filiorum sexaginta sex*.

[c] Mss. nonnulli, *exierunt, septuaginta animæ sunt*.

[d] Hoc loco videtur Ambrosius accedere ad eorum sententiam a quibus initium VI cap. Gen. de filiis Seth accipitur : cum idem ipse illud de angelorum cum mulieribus concubitu sæpius exposuerit; ut docuimus ad cap. 4 lib. *De Noe et Arca*., num. 9, immo et infra serm. 8. vers. 64. Cæterum angelos ob superbiæ peccatum e cœlo fuisse deturbatos aperte docet infra serm. 7, vers. 51 et 16, vers. 122 hujus operis, atque alibi.

[e] Non pauci cod., *non negat lapsus*.

[f] Quidam mss., *veniam confitentis verecundia. Excusat reum pudor suus, accusat auctorem*.

[g] Auctorem seu impulsorem diabolum hic intelligi satis declarant sequentia.

Digitized by Google

*tuarum insinua mihi, et exercebor in mirabilibus tuis.* Vide ordinem. Prius est ut discamus Domini justificationes, deinde ut gradus quosdam justificationum et ordinem noverimus, quid prius, quid consequens esse debeat. Nam scire quid facias, et ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis : offendunt plerumque præpostera. Denique justus est, qui se in exordio sermonis accusat : **1013** injustus autem, qui quod prius negaverat, confitetur. Ille verecundiæ invenit gratiam : hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Ille autem qui didicerit primo mysteria Dei, deinde ordinem mysteriorum, exercetur in mirabilibus Dei.

13. Græcus [a] ἀδολεσχησῶ posuit : quod dicit Latinus, hallucinabor. In quo videtur esse aliqua sermo- B nis offensio secundum vulgarem consuetudinem; quia ἀδολεσχῆσαι vulgo æstimatur, vel hallucinari, vel plus quam oportet aliquid loqui, et [b] superfluum videri, quod audienti fastidio est : et videtur esse præter ordinem, cum ordo rerum videatur afferre fastidium; ut si causam velis enarrare aliquam, et ordinem serves, auditor autem ad rerum festinet exitum, superiora fastidit. Sed non potest plene instrui, nisi qui ordine sui cuncta cognoverit. Inde non solum factum deprehenditur, sed etiam facti pondus, et facientis affectus. Ideoque David quasi bonus sui judex atque arbiter, prope usque ad fastidium vult doceri, et vel superfluo immorari tempore, quam necessarium ordinem prætereire; [c] ἀδολεσχία enim vel hallucinatio videtur longa quædam esse C meditatio, et morosa quædam mentis intentio : a quo non longe abest exercitium, vel animi, vel corporis. Nam ut ille qui exercet membra sua palæstra, diutius exercet, ut roboret : ita qui exercet mentem in Scripturis divinis, vel in consiliis, diutius exercere debet.

14. *Exivit in campum Isaac* (*Gen.* XXIV, 63). Græcus dixit ἀδολεσχῆσαι : Latinus deambulare, vel exerceri. Rebecca veniebat : typus in ea præfigurabatur Ecclesiæ : parabantur nuptiæ, in quibus sacramentum foret magnum. Videns patriarcha illa mysteria, exivit in campum, diffundens acrimoniam suæ mentis, et deambulans in innocentia cordis sui. Diversis utique cogitationibus exercebat animum, et in mirabilibus mysteriis delectabatur : cujus ut imi- D tator evaderet sanctus propheta, doceri justificationes Dei, et viam justitiarum cœlestium cognoscere gestiebat; ut non dormiret anima ejus sæculi istius

A somnum; nec mundanæ captus vanitatis illecebris, a persequenda veritatis intentione difflueret.

15. (Vers. 28.) Qua ratione ergo doceri velit, subtexuit dicens : *Stillavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Aliqui codices habent, *dormitavit*, quia ἐνύσταξεν et ἔσταξεν duabus litteris dissonant. Potuit interpres vel antiquarius scriptor hic falli : νυστάζειν dormire est, στάζειν stillare. Perfectior non dormitat, qui divinis animum intendit mysteriis. Denique ipse alibi dicit : *Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem* (*Psal.* CXXXI, 4). Sed vigilat semper, et si caro dormit, cor vigilat. Non ergo dormiebat, qui templum condere Domino cogitabat verborum cœlestium exædificatione, non lapidum. Verbum enim Dei repulsorium B tædiorum est, quo somnus animæ, sopor **1014** mentis excluditur. Ex tristitia enim et sollicitudine sæcularium somnus irrepit. Qui autem adhæret Deo, curarum fugitans, voluptatem capit cognitionis æternæ, nullam illic mutationem rerum sæcularium pertimescens.

16. Qui facilioribus igitur laborum utuntur compendiis, *dormitavit*, accipiunt : sed Origenes qui multorum interpretationes diligenti discussit indagine, *stillavit*, secutus est, eo quod perfecti anima quasi bene composita et confirmata non stillat, ut fastigia culminum quæ bene tecta atque munita sunt : cæterum incomposita cito stillant. Inde usurpatum est : *Stillicidia ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua* (*Prov.*, XXVII, 15), [d] in quo frigoris asperitate, C et frequenti aeris mutatione tentamur. Denique docemur providere, ne fuga nostra fiat hieme vel sabbato (*Matth.* XXIV, 20). Probatos enim jam nos dies debet reperire vel judicii, vel mortis; ne viduatos viriditatibus prosperorum, et omni spoliatos secundorum flore successuum exitus mortis inveniat.

17. Caveamus ergo ne unusquisque nostrum ejiciatur de statu mentis suæ, et naturali quadam mansione, si habeat foramina mansionum, e quibus fluentia stillicidia tamquam ex fundamentis subruant hominem nulla sapientiæ soliditate fundatum. Ideoque ait propheta : *Fili, ne defluas* (*Prov.*, III, 21). Confirmanda est igitur anima nostra, ne stillet; et individua virtutum compage solidanda, ut possit regis æterni servare mysterium. Cæterum is quicumque D est facilis in verbis, velut plenus rimarum, hac atque illac effluens, interiora evacuat sua, et exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum quod acceperit : sicut sancta Maria quæ con

[a] Varietates circa hanc vocem, et alias ejusdem interpretationes reperias licet in lib. *De Isaac et anima*, cap. 1, num. etiam I, et infra serm. 11, vers. 83. De quo verbo vide quoque August. lib. I Quæst. in Gen. quæst. 69.

[b] Edit. ant. in textu, *superfluum videre*; in marg. autem, *superfluum dicere*; quam lectionem Rom. in textum transtulit. Mss. vero nobiscum faciunt. Rursus cunctæ edit., *et ordinem non serves.* Melius mss. expungunt negationem. Etenim hic ostenditur ordinem, cum religiosius servatur, tædium afferre auditori, ut docet ipsa ratiocinatio. Et hoc congruit cum Horatii præcepto in Arte poet. ubi narrationem tradit semper ad eventum festinare debere.

[c] Pro ἀδολεσχία, codd. bene multi legunt ἀδολεσχήσεια.

[d] Edit. omnes ac pauculi mss., *in qua frigoris asperitate :* Alii numero majori, *in quo*, etc. Melius; refertur enim ad antecedentia, *in die hiemali*. Rursus post pauca ubi omnes mss. ac vet. edit., *Probatos enim*; reposuerat edit. Rom., *Paratos enim*, etc.

Digitized by Google

servabat omnia verba in corde suo (*Luc.*, II, 51), ne A quid ex ejus [a] corde deflueret.

18. Tali se munitam dote virtutum Ecclesia loquitur; ut digna videatur in cujus invitatus Sponsus succedat hospitium. Hinc primum se præsumit esse placituram, si bene tectam, et fida servantem silentia Christus adspiciat. *Ecce es*, inquit, *formosus consobrinus meus*, *et quidem pulcher* : *acclinatio nostra opaca*, *trabes domorum nostrarum cedri*, *lacunaria nostra cupressi* (*Cant.* I, 15 *et* 16). Laudat sponsi decorem Ecclesia, quem plus unusquisque tacito laudat affectu, et fidus mysteriorum interpres tacendo plus prædicat. Nam qui arcana divulgat, imminuit Christi decorem. Ideo nemo mittat margaritas suas porcis, ne conculcari faciat ornamenta pretiosa. Non ergo in tabernaculo loquacis et garruli; quia B in multiloquio peccatum admittitur : sed in viri serii qui sit parcus alloquii, nec sermonis intemperans, et verborum sobrietate temulentiam loquacitatis evitans, caput suum Christus inclinat.

19. Et merito opacam significat acclinationem; quia in Ecclesia constitutos virtus obumbrat Altissimi. Hac umbra David protegi se postulabat; ne eum per diem sol ureret, vel luna per noctem (*Ps.* CXX, 6). Hanc umbram spiritalis ministrat gratia **1015** torrida sæculi hujus et mundi æstiva fugientibus. Opaca igitur acclinatio Christi et Ecclesiæ, quibus Dei Patris æterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus umbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinavit; ut nostra de- C licta susciperet. Si quos culpa lassavit, hos Jesus gremio suscipiat suo, et molli foveat amplexu. Unde audeo dicere quod caro Christi acclinatio sit Ecclesiæ.

20. *Trabes domorum nostrarum cedri*. Cedri species, majorum qui justi fuerunt, gloria declaratur; justus enim ut palma florebit, et sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Sicut enim cedrus non putrescit : ita nec majorum gloria ulla vetustate corrumpitur.

21. *Lacunaria nostra cupressi*. Genus hoc arboris numquam amittit viriditatem suam : hieme juxta, vere, atque æstate comam pascit, nec diverso colore mutatur. Solam hanc arborem ventus suo numquam honore despoliat : sola numquam veteri exuitur amictu, aut novo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum : sed vetustate sui floret. Anima D ergo corrumpi nescit, quæ florentibus meritis vigens, semper justitiæ cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat. Et ideo non defluit, neque deficit; quia nihil in ea rimosum est ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi. Ideoque confirmari se petit in verbis suis Propheta (*Ps.* LXXII, 2); ne moveantur pedes ejus, ne effundantur gressus ejus. Quæ si quis recto vigeat corde, non patitur, sed radicatus atque fundatus adversus omnes passionum fluctus immobilis perseverat.

22. (Vers. 29.) Confirmatus igitur in verbis ait : *Viam iniquitatis amove a me*, *et lege tua miserere mei.* Non dixit : Amove me a via iniquitatis; sed, *Viam iniquitatis amove a me*; quasi in nobis sit, et nobis inesse videatur. Quamdiu enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interius manet, et non recedit a nobis; ideoque studiose agamus, ut eam a nobis separemus. Sed quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare et tu, et dicito : Infelix ego homo, quis amovebit a me iniquitatis viam? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; et pulchre viam dixit iniquitatis, non iniquitatem; eo quod non quasi naturalis iniquitas sit in nobis, sed majorum post peccata currentium sit attrita vestigiis.

23. Meritoque quia vulnus grande, ac vetus est, et diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans ut Domini legitima miseratione curetur. Cito enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit; immo etiam seriorem curatio sentit profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus hujusmodi ægrum **1016** legitime dicit esse curandum; ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiaque miseretur; ut ea dimittat quæ scit jure posse dimitti; ne cum alterius miseretur, se ipsum legi faciat obnoxium. Agag postquam miseratione donatus est, fecit peccare Saul. Peccavit enim in ipsa misericordia, et ideo peccavit post misericordiam.

24. Consideremus etiam, ne et ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injuste. Plerumque enim non coercere delinquentes [b] majoris auctoritatis est quam si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ, quicumque aliquid inhonestum commiserunt, nullumque culpæ pretium ferunt. Denique eos qui cognitorem Deum suorum scelerum non putabant, et quasi sine judice et sine lege vivebant, *Tradidit illos*, inquit, *Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28) : quia elegerunt viam iniquitatis : viam autem veritatis eligere noluerunt.

25. (Vers. 30.) Sed propheta qui sincero converti voluit affectu, *Viam*, inquit, *veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus*. Non potest hoc dicere, qui errat in dogmate. Non potest Arianus dicere, non potest Sabellianus, non Manichæus : non potest dicere

[a] Omnes edit., *ore deflueret*. Omnes mss., *corde deflueret*.

[b] Ita vet. edit. et cuncti mss. Rom autem edit. e margine unius cod. Vat., *majoris austeritatis est*. Non male, si spectetur sensus. Verum cum omni alio suffragio destituatur, dicendum est id hoc loco significari, quosdam esse qui dum crimen condonant ut auctoritatem ostentent suam (non enim inferiorum judicium, sed principis est veniam concedere), reis plus noceant impunitatis indulgentia, quam si in eos severe animadverterent.

Digitized by Google

avarus, qui sæcularia et materialia concupiscit: non potest dicere qui negotiatur; non est enim via veritatis habendi studium, cupiditas possidendi. Quomodo via veritatis, cum ille dives in sæculo nequeat secum suas transferre divitias, et incipiat mendico illo Lazaro egentior esse post mortem? Non est via veritatis honor sæculi, sollicitudo mundi. Denique qui viam veritatis elegit, paulo post dicit: *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (*Inf. vers.* 37). Vanitas temporalium est, veritas æternorum. Si volumus igitur ambulare viam veritatis, peregrinemur sæculo magis quam Deo, et ambulemus per fidem. Qui enim per fidem ambulat, Deo præsens est, et qui ambulat per speciem, adest sæculo, peregrinatur a Domino: sed hic cito confunditur.

26. (Vers. 31.) Unde refugus ab hujusmodi viro dicit David: *Adhæsi testimoniis tuis, Domine, ne confundas me.* Adhæret testimoniis Domini qui ejus mandata non respuit, judicia non obliviscitur, nec voluptatibus indulget suis. Qui adhæret Domini testimoniis, renuntiat mundo, posteriora obliviscitur, ad priora contendit, ut perveniat ad bravium, quod est insigne victoriæ. Non ergo confunditur, quem mundi hujus illecebrosa non ceperint: non confunditur, etiamsi erubescenda commiserit, qui veniam delictorum poscit a Christo. Ideoque respondetur ei: *Dimissa sunt tibi peccata tua... vade in pace* (*Luc.*, VII, 48 *et* 50). Sed ita non confunditur, si fuerit in eo operata peccatorum remissio; ut non solum peccata, sed etiam peccandi affectum auferat. Justitia remittat iniquitates, fortitudo timorem, temperantia impuritates; ut non solum temporalis, sed etiam perpetua fiat remissio peccatorum. Intret in animam tuam Christus, inhabitet in tuis mentibus Jesus; ut in tabernaculo virtutis peccato locus esse non possit.

27. (Vers. 32.) *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri cum dilatares cor meum.* Neque enim poterat viam **1017** currere, si cor ejus coarctaretur angustiis. Denique currentibus viam Domini ait Apostolus: *Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus* (II, *Cor.*, VI, 13 *et* 14). Et de se ait: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (*Ibid.*, 11). Ideo et de Salomone dicitur: *Latitudo cordis ejus, sicut arena maris* (III *Reg.*, IV, 29), et vide distantiam: via sit angustior, cor latius, ut Patris, et Filii, et Spiritus sancti sustineat mansionem; ne veniat Verbum Dei, et pulset, et videns cordis ejus angustias, dedignetur habitare. Denique sapientia in exitu canitur, in plateis autem cum fiducia agit. Plateæ latæ sunt. Non igitur in viis, sed in cordis latitudine sapientia decantatur. In hoc igitur campo interioris hominis, non in angustiis mentis currendum nobis est, ut comprehendamus. Scriptum est enim: *Sic currite, ut omnes comprehendatis* (I *Cor.* IX, 24). Denique comprehendit, qui ita cucurrit, ut diceret: *Cursum consummavi* (II *Tim.*, IV, 7); cucurrit enim ut bonus equus.

28. Siquidem habet equos suos Christus, de quibus dicit Propheta: *Immisisti in mari equos tuos, turbantes aquas multas* (*Habac.*, III, 15); eo quod gentium populos, qui moventur ut aquæ multæ, et excitantur ut fluctus aquarum multarum, evangelizando commoverint apostoli; ut assurgentes a terrenis idolorum cæremoniis in Christum crederent. Et supra ait: *Ascendi in equos tuos: equitatus tuus sanitas* (*Habac.*, III, 8). O bonorum equorum duodecajugum mirabile, quibus frena pacis, habenæ sunt charitatis! Constricti sunt inter se concordiæ vinculis, et jugo fidei subjecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei Verbum, cujus flagello fugatæ sunt illecebræ sæculares, exterminatus mundi istius princeps, justorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen! o mirandum mysterium! Rota intra rotam currebat, et non impediebatur. Novum Testamentum in veteri Testamento erat, intra illud currebat, per quod annuntiabatur. In quatuor partes ibant rotæ, et non revertebantur retrorsum; quia spiritus vitæ erat in iis, qui currebant in quatuor partes totius mundi; et sine offensione currebant, quia bona vita equorum quadrabat. Currebant igitur equi; quia non dormiebat, qui ascenderat equos.

29. Animarum igitur nostrarum auriga Jesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoc est, nostra corpora; sed vigilare semper, ne dicatur nobis: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Psal.* LXXV, 7). Transeundum est hoc mare impigre. Vix transitur a vigilantibus: si quis autem dormierit, transire non poterit; sed demergitur, ut Ægyptius, cujus et anima et corpus interiit: *Equum* enim *et ascensorem projecit in mare* (*Exod.*, XV, 1), qui non sequebantur legem, sed persequebantur.

## 1018 SERMO QUINTUS.

### ה *He.*

1. Sequitur quinta littera *He*, quæ Latine significat, *est*: vel, ut alibi invenimus, *vivo*. Convenit sibi utraque interpretatio; qui enim est, vivit; et qui vivit, est. Denique gentiles non sunt; et ideo non vivunt, sed mortui sunt: *Jesus autem heri et hodie, ipse est et in sæcula* (*Heb.*, XIII, 8). Et qui est, vivit: *Vivo enim ego, dicit Dominus Deus* (*Ezech.*, XXXIII, 11). Quomodo enim potest non esse, qui vivit? Vivit autem Jesus, qui etiam mortuos vivificat, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt. Nihil mirum si Domino cedit natura, ut vivificentur et mortui, et incipiant esse, qui non erant. Et ideo quia via etiam vita est secundum illum qui ait: *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.*, XIV, 6); viam quæramus, ut vitam habere mereamur. Audiamus ergo illum qui vivit in Christo. Vivit autem qui ait: *Sed nos qui vivimus, benedicimus te, Domine* (*Psal.* CXIII, 18); in Christo enim Jesu etiam quicumque mortuus fuerit, vivit.

2. (Vers. 33.) Audiamus, inquam, quid dixerit ut viveret: *Legem mihi constitue, Domine, viam justificationum tuarum: et quæram illam semper.* Miles qui

Digitized by Google

ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit A sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluptuaria captat compendia, ne recedat [a] a signis : sed itinerarium ab imperatore accipit, et custodit illud : præscripto incedit ordine : cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter ; ut inveniat commeatuum parata subsidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit ; quia imperator iis jubet hæc præparari omnia qui sequuntur, nec dextera, nec sinistra a præscripto itinere declinant. Meritoque non deficit, qui imperatorem sequitur suum ; moderate enim ambulat, quia imperator non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile considerat : ideo et stativas ordinat ; triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum, et B plures interponantur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur : et ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perveniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur.

3. Hanc legem viandi esse præscriptam, Christo ducente, sanctis commeantibus, recognoscas velim. Profecti sunt enim et patres nostri de terra Ægypti per longa spatia terrarum, quorum stativæ omnes, mansionesque descriptæ sunt ; donec Cades, id est, ad sanctam terram perveniretur. Istæ sunt stativæ filiorum Israel, quas descripsit Moyses ex præcepto Domini. Advertimus ergo quis has ordinaverit mansiones, quomodo ambulare oporteret filios Israel. Præibat enim illos **1019** Deus per diem in columna C nubis, ut refrigeraret viantibus : noctu autem in columna ignis ; ut viam ostenderet ambulantibus, et tenebras dimoveret. Lex viarum columna erat et ignis, et nubis : denique in columna nubis loquebatur ad eos. Ubi volebat exercitum requiescere a labore itineris, non movebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis : quando autem volebat exercitum movere, provehebatur et columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. Illa autem columna nubis, specie quidem præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Jesum in nube venturum levi, sicut dixit Esaias (*Esai.*, XIX, 1); hoc est, in virgine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Evæ : levis erat secundum virginitatis integritatem. Levis erat, quæ non homini quærebat placere, sed Domino. Levis erat, quæ non in iniquitate conceperat, sed Spiritu superveniente generabat : nec in delicto, sed cum gratia parturiebat.

4. Aliter quoque hanc interpretationem sumere licet. Venit in nube levi Christus in Ægyptum, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc sæculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat : sed levis erat caro, quam nulla sua gravabant delicta. Quomodo enim peccatis gravaretur suis, qui auferebat omnium peccata populorum ? *Ecce*, inquit, *Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi* (*Zach.*, I, 29). Ante hesternum lectum est, quia stabat Jesus, et habebat vestimenta sordida ; mea enim peccata portabat. Sumpsit vestimenta nostra ; ut nos splendore immortalitatis indueret. Venit in nube levi quasi justitia ; iniquitas enim in talento plumbeo sedet : Christus in corda justorum, in [b] quibus peccata non erant. Et ideo bene lectum est hodie : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* CXV, 12) ? Pro nobis Verbum suscepit carnis infirmitatem : pro nobis esurivit, vapulavit, crucifixus est, mortuus est ; ut nobis in quibus ante vita ignobilis et degener habebatur, inciperet mors esse pretiosa.

5. Sed revertamur ad confectionem itineris, et ordinem mansionum. Et tu sequere spiritaliter hanc legem viandi ; ut exeas ex Ægypto : et inde promovens fige tabernaculum in Socoth, hæc prima tibi statio sit. Socoth prima mansio est, significans tabernaculum. Fige ergo tabernaculum quod in te est, mentisque tuæ stationem confirma ; ut radicatus atque fundatus maneas in fide Christi. Sequitur mansio in Mara, hoc est, in amaritudine. Non omnes mansiones æquales sunt. Inde ventum est in Helim, ubi fontes duodecim erant, et septuaginta arbores palmarum. Post amaritudinem, ne populus deficeret, debuerunt amœna et fecunda succedere. Inde Raphidin, quod est laudatio judicii. Inde sequitur Sina, habens in se et populi tentationem, et Legis promulgationem. Variantur merita mansionum ; quia nulli jugis in hoc sæculo vivendi potest esse successus. Bonus igitur imperator alibi manna esurienti populo ministravit : alibi potum de petra fluere, quo sitim populi restingueret, augusta provisione præcepit : alibi Legem dedit : alibi **1020** triumphos donavit ;

[a] Cum tradantur hic multa, quæ ad veterem spectent militiam, ea nos breviter et recta serie in gratiam lectorum explicabimus. *A signis* ; proprie hæc sunt solidæ imagines, quales erant aquilæ, lupi, dracones : sed hoc loco etiam pro vexillis, id est, velis ex hasta suspensis ponuntur. Singulis autem legionibus ac manipulis sua signa erant, a quibus qui discessisset longius quam unde tuba audiri posset, capite luebat. *Itinerarium*, idem est, ac tessera ad iter edicendum data. *Cum armis ambulat* ; leve hoc iis qui arma membrorum ducebant loco : sed prætterea ferebant in fasce frumentum ac cibos sæpe in quindecim dies, vallos, sarcinas et alia. *Mansionis* vox temporibus affectæ latinitatis pro ipsis castris usurpata est. *Stativas ordinat*, subintellige sedes aut mansiones, ita scilicet a stando dictas. Negat autem Justus Lipsius sic dici ea castra, in quibus miles D paucis tantum diebus commoretur. Sed ille hunc locum non legerat, quandoquidem intercalaris istius quietis post tertium quemque itineris diem nusquam meminit. Quod vero subdit Ambrosius de urbe, *in qua fessis exercitibus requies ministretur* ; eum locum ab eo designari credimus, qui castris hybernis deligebatur. Denique *Imperator* non semper idem est atque rex, sive princeps orbis Romani : sed is etiam dicitur, vel qui bellum suo ductu et auspiciis administrandum suscipit, vel qui occisis in acie legitimo hostium numero hunc honoris titulum consecutus est. Sed qui plura de hac tota re desiderat, adeat eumdem Lipsium lib. v *de Militia Romana*, dial. 1, 9, 11 et 12.

[b] Rom. edit., *quos peccata non onerant. Et ideo*, etc.

Digitized by Google

ut his beneficiis fotus exercitus nullum prolixi iti- A neris sentiret laborem.

6. Itaque in illo populo typus fuit, in nobis veritas. Nos igitur committamus iter nostrum ductui Domini Jesu, qui Legem primo introduxit, et antea per Jesum terram repromissionis in possessionem populo suo dedit. Sed etiam quando Moyses videbatur ductor esse, aderat illi Jesus; aderat autem non palam, nec aperte ductorem, aut principem populi sese gerens; exspectabat enim donec Moyses tempus expleret suum, quo completo, successit Jesus. Itaque si consideres Scripturam dicentem: *Erunt dies eorum anni centum viginti* (*Gen.*, VI, 3); videbis mysterium plenitudinis temporum [a] et centum viginti annos, post quos et Moyses in monte requievit, et Jesus manifeste mansionum suscepit principatum; B ut jam non sub Legis timore sit populus, sed resuscitatus a mortuis, fructu vitæ fruatur æternæ. Ambulemus igitur secundum Legis doctrinam: via nobis Lex Dei sit.

7. Hanc viam ambulans Ecclesia dicit: *Ego flos campi, et lilium convallium, sicut lilium in medio spinarum* (*Cant.*, II, 1); in totam enim terram fides populi credentis exivit, et in spatioso posuit pedes suos Christus. Et ideo pulchre ait florem se esse campi. Flos erat etiam Paulus, qui dicebat: *Bonus odor Christi sumus Deo* (II *Cor.*, II, 15). Et vere flos, qui poterat nova et vetera de sui cordis proferre thesauro. Pulchre etiam lilium dicitur Ecclesia: sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorum. Pulcherrime etiam dictum est lilium conval- C lium; quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum, hoc est, inter Judæos et hæreticos, hoc est, inter sollicitudines hujus sæculi, quæ mentem hominis animumque compungunt. Possumus etiam aliter accipere; quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conventus Ecclesia Dei refulget.

8. Refert etiam considerare quod hoc lilium splendore circumfusum sit, intus autem quod habet, rubeum sit, boni et ipsum odoris; eo quod caro Christi [b] velut murali divinitatis claritudine circumsepta, cœlestis habuerit protectionem gratiæ. Denique in posterioribus ait: *Fraternus meus candidus et rubeus* (*Cant.*, V, 10). Candidus claritate divina: rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis D assumpsit. Meritoque et ipsum quod est rubeum, bene olet; quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinaverunt: sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt.

9. Accepit hunc odorem Dominus Jesus fragrantis Ecclesiæ suæ, et ait: *Ecce proxima mea bona* (*Cant.*, I, 14 *et* 15). Et Ecclesia dicit ad Christum: *Ecce bonus fraternus meus: ecce es bonus.... tamquam malum in lignis sylvæ.* Hujusmodi pomum [c] odorem gratiam habet; ut cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis; quia peccati gravis detersit fœtorem, et unguentum potus vitalis effudit. *Tamquam malum*, inquit, *in lignis sylvæ, ita consobrinus meus in medio filiorum* (*Ibid.*); eo quod super prophetas **1021** et apostolos intima corda hominum verborum suavitate mulcebat. Sed non solum odor, verum etiam cibus suavis in malo est. Ergo cibus suavis est Christus.

10. *In umbra*, inquit, *ejus concupivi, et sedi* (*Cant.*, II, 3). Legem enim acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat viam. In Lege itaque requiescens, in umbra Christi requiescebat. Bona umbra, [d] quæ nos ab iniquitatis calore sola defendit. Cui autem dubium, quod Lex Dei umbra sit Christi? Quid est lex diei festi neomeniæ, sabbatorum, nisi umbra futurorum? Qui dies secundum legem Moysis; ut videam sex dies, et iterum septimum diem, et sic perpetua sæcula? Qui mensis secundum legem Moysis; u sciens mensem, sciam primam mensis neomeniam, et vera sancta in neomeniis offerenda? Qui secundum legem Moysis annus sex illis diebus constat, de quibus ait: *Sex annis serviet Hebræus, et septimo anno liberabitur* (*Deut.*, XV, 12); ut inveniantur sex anni, quibus aliquis operatur terram: septimo autem anno remittet illam proselytis, et pauperibus, et bestiis terræ? Qui septimus annus, quo conceduntur debita omnia Hebræis? In hac umbra requiescebat patrum fides, et prophetarum sancta devotio.

11. Dicit ergo congregatio religiosa, vel sancta anima: *In umbra ejus concupivi, et sedi* (*Cant.*, II, 3). Umbra ejus est Jubilæus annus. Quis enim ejus mystica videt; ut facie ad faciem cognoscat, quæ anno quinquagesimo complenda, Lege præscripta sunt (*Levit.*, XXV)? Umbra sunt dies festi secundum Legem primo mense decima die mensis usque ad quartam decimam, et inde usque ad vigesimam primam mensis (*Levit.*, XXIII). Quæ umbra est celebritas illa inter primum et septimum mensem [e] in tempore illo anonymo? Umbra est, sanctificata libertas in sabbato.

[a] Edit., *Ex centum viginti annis.* Mss. vero nobiscum faciunt.

[b] Mss. sex, *velut mortalis divinitatis.* Quinque, *velut murali divinitatis claritate* vel *claritudine.* Alii cum edit., *velut morali*, etc. Nostram vero lectionem præferendam esse docet loci totius series; nihil enim aliud significat Ambrosius, nisi Christi carnem divinitatis splendore velut quodam muro septam fuisse.

[c] Omnes edit., *odorem gratum habet;* mss. vero partim *odoris* aut *odorum gratiam*, partim ut nos in corpore.

[d] Edit. et mss. aliquot, *Quæ nos ab iniquitatis sole defendit.* Alii mss. partim,.... *calore et sole defendit;* partim,.... *calore defendit.* Melius Navar. unus et Læt.... *calore sola defendit.*

[e] Vet. edit., *in tempore illo, anno quinquagesimo, qui Jubilæus dicitur.* Optime Rom. cum parte mss., *in tempore illo anonymo;* non enim hic illius celebritatis tempus nominatim exprimitur. Cæterum hæ voces, *Umbra est sanctificata libertas in sabbato*, desunt in omnibus mss. ex quibus aliqui orationis seriem ita connectunt: *In tempore illo an non umbra est dies festus*, etc.

Digitized by Google

Umbra est dies festus septimi mensis neomeniæ, et memoriale tubarum septimi mensis, dies decimus, dies propitiationis (*Levit.* XXIII). Vides quia monas et decas duo festi dies. Item quintus decimus dies, dies tabernaculorum per octo dies. In umbra hæc omnia. In umbra prima dies vocata, et octava dies vocata in umbra, quæ in scenopegiis præscripta secundum Legem.

12. Constitue mihi aliquos ex circumcisione credentes, in Lege doctos, observantiæ sollicitæ viros, et nunc Evangelii agnitione illuminatos, spiritali saginatos gratia; dicit in his Ecclesia, quæ videt Christum, quæ Sponsum recipit, quæ cibo ejus pascitur : *In umbra ejus concupivi, et sedi : et fructus ejus dulcis in faucibus meis* (*Cant.*, II, 3). Quis fructus ejus dulcis, nisi prædicatio Dominicæ passionis, ut ipse ait : *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris* (*Psal.* CXXVI, 3)? Quis enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quam remissio peccatorum? Et bene flos est Ecclesia quæ fructum annuntiat, hoc est, Dominum Jesum Christum, de quo dictum est Mariæ : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui* (*Luc.*, I, 42).

13. Ergo ubi gustavit fructum suavitatis, impatiens ad perfectiora festinat dicens : *Introducite me in domum vini, constituite in me dilectionem, confirmate*
1022 *me in unguentis, stipate me in malis; quia vulnerata dilectionis ego sum. Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me. Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri, si suscitaveritis, et resuscitaveritis dilectionem, usquequo voluerit* (*Cant.*, II, 4-7). Merito quærit eum, merito desiderat; quia bene omnia in hoc cursu atque itinere disposuit Imperator noster. Primum omnium fidei fundamento tabernaculum hoc confirmandum putavit. Deinde si qua est nobis aspera atque arida et prærupta mansio, imperator tamen [a] iste turbata discernit, arida irrigat, deserta fecundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster et amara temperat, et sollicita mitigat, dura dissolvit, et invalida confirmat.

14. Sic ubi vult requiescere rex terræ exercitum suum, non ignobilem vicum, non commeatibus indigentem, non arenosa et nuda gignentium, sed urbem ædificiis nobilem, refertam, et uberem copiarum, aut agrum amœnum et virentem pascuis, aut nemorosa et campestria stativis opportuna decernit. Ergo si reges terræ norunt commoda providere sequentibus se : quanto magis Deus qui bonus est, novit quemadmodum profutura disponat diligentibus se? Ac primum si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui præcurrant agmini. Sed hoc imperatores isti injuriosum sibi arbitrantur : Deus autem præibat, cum Hebræi facerent iter. Denique *in columna nubis loquebatur ad eos.* Et ut scias quia præibat : *Deus*, inquit, *præibat illis iter, die quidem in columna nubis ostendens illis viam : noctu autem*
A *in columna ignis, et non deficiebat columna nubis in die* (*Exod.*, XIII, 21 *et* 22).

15. Hanc præcedentem nobis columnam sequens Ecclesia non deficientem, ne ipsa deficeret, umbra ejus refrigerabatur ; et ideo dicit : *In umbra ejus concupivi, et sedi : et dulcis ejus fructus in faucibus meis* (*Cant.*, II, 3); quia a Domino pascebatur, deducta in locum pascuum, et aquam refectionis. *Introducite me in domum vini* (*Cant.*, II, 4). Inde copiis præparatis, quærit progredi ad aliam mansionem in qua mysteriorum gratiam, et lætitiæ capiat suavitatem. Hinc quoque promovens verum iter, ait : *Constituite in me dilectionem* (*Ibid.*). Bona stativa, ubi plenitudo est charitatis. *Confirmate me*, inquit, *in unguentis, stipate me in malis* (*Ibid.*, 5).

B 16. Habes alias mansiones, ad quas Ecclesia cum delectatione succedit. Istæ mansiones sunt crucis Christi, et sepulturæ, in quibus vulnerata est Ecclesia, sed vulnere charitatis. Vulnus enim est quod Christus excepit : sed unguentum est quod effudit. Pomum est quod pependit. Hoc pomum gustavit Ecclesia, et ait : *Et fructus ejus dulcis in faucibus meis* (*Cant.*, II, 3). Et ut scias quia pomum est Dominus, legisti supra : *Tamquam malum in lignis sylvæ, ita consobrinus meus* (*Ibid.*). Nos quoque vulnus fatemur, cum prædicamus Christum crucifixum : sed bonus odor sumus Deo; quia crux Christi Judæis scandalum, Græcis stultitia : nobis autem virtus Dei atque sapientia est. Hoc vulnere Ecclesia 1023 vulneratur, cum Salvatoris sui prædicat mortem : sed
C hoc vulnus est charitatis. Denique qui non credit, negat : qui diligit, confitetur. Manichæus negat, Christianus fatetur; et ideo scriptum est : *Utilia vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (*Prov.*, XXVII, 6). Pulchre ergo dicit Ecclesia : *Quia vulnerata charitatis ego sum* (*Cant.*, II, 5).

17. Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ. Sagitta hæc Christus est, qui dicit : *Posuit me sicut sagittam electam* (*Esai.* XLIX, 2). Bonum est ergo hac vulnerari sagitta. Non mediocris mansionis iste processus : non omnes possunt dicere quia vulnerati sunt dilectionis. Dicebant apostoli cum pro Christo lapidarentur, et Christum prædicarent. Dicebat Paulus cum ter virgis cæderetur, et die ac nocte Christum adorandum gentibus
D disputaret. Dicunt hoc martyres, qui vulnerantur pro Christo : et quia vulnerari pro ejus meruerunt nomine, plus diligunt.

18. Ad hanc ergo veniens mansionem Ecclesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios suos offerat, ut excipiat vulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiens, pietatisque fructus gustavit ipsa, et hortari cœpit cæteros dicens : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus, sicut malum* (*Psal.* XXXIII, 8). Et in malo vulnus est, sed tamen suave est (*Cant.*, II, 3). Venit iterum ad vallem botryonis, vidit ingentis uvam magnitudinis, quam duo portare

[a] Mss. aliquot, *iste stativa discernit.*

Digitized by Google

vix poterant : unus qui præcederet, alius qui sequeretur. Gustavit mysterium, gustavit in Jesu Nave, gustavit in Caleb, qui dicebant populo : *Vidimus terram profluentem mel et lac* (*Num.* XIII, 28). Gustate, et videte quam suavis est Dominus.

19. Et addidit Ecclesia dicere : *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me. Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri; si suscitaveritis, et resuscitaveritis charitatem usquequo voluerit* (*Cant.* II, 6 *et* 7). Et istæ mansiones sunt via regali incedentis Ecclesiæ. *Multæ* enim *sunt mansiones apud Patrem meum*, testificatur Dominus Jesus (*Joan.* XIV, 2); et : *Ecce venio, et accersio vos* (*Ibid.* 3). Bona mansio sapientiæ, et sive in læva ejus, sive in dextera, bona mansio; quia via regalis est. Ideoque sapientes nuntii dicunt : *Via regali ibimus, non divertemus dextera, neque sinistra, quoadusque transeamus terminos tuos* (*Num.* XX, 17). Hoc dixerunt missi a Moyse nuntii ad regem Edon, hoc est, terrenum; quia terrena omnia, sive in dextera, sive in sinistra, mala sunt. Mala mansio insipientia, mala mansio intemperantia; et ideo pertransit has mansiones Hebræus : non divertit ad eas, sed pertransit; ut perveniat ad sinistram sapientiæ et dexteram, et in ipsis maneat, ubi divitiæ simplicitatis, ubi gloria, ubi longitudo vitæ est. *Longitudo* enim *vitæ in dextera ejus*, ut ait Salomon : *in sinistra autem ejus divitiæ et gloria* (*Prov.* III, 16). In dextera vita est, in sinistra requies. Utinam super sinistram ejus requiescam, ne quæram cervicalia. *Væ* enim *iis qui adsuunt cervicalia*, Ezechiel dicit (*Ezech.* XIII, 18). Has mansiones præparat Ecclesiæ suæ bonus ductor, et per vias sapientiæ dirigit iter ejus. Denique laudat Sapiens vias ejus : *Viæ ejus viæ bonæ, et omnes semitæ ejus in pace* (*Prov.* III, 17).

20. Sed quia sapientia, honestas, claritas, ita perfectæ sunt, si habeant charitatem, plenitudo enim Legis charitas est (*Rom.* XIII, 10), suscitari et resuscitari vult charitatem : suscitari in veteri Testamento, resuscitari **1024** in novo. *Charitas Deus est*, ut legimus (I *Joan.* IV, 8) : charitas Christus est. Suscitatur tamquam leo, et catulus leonis, ut Judæ ascendat ex germine. Resuscitatur ut dormiens, ut recumbens; quia non humana, sed sua et Patris majestate est suscitatus a mortuis. Unde ait Scriptura : *Quis suscitabit illum* (*Gen.* XLIX, 9)? Non enim poterat illum aut angelus, aut potestas suscitare aliena; cum ipse alios resuscitaret. Ergo cum hic dicit : *Si suscitaveritis, aut resuscitaveritis charitatem usquequo voluerit* (*Cant.* II, 7), de iis dicit qui resurrectionem ejus possunt congrue prædicare; ut audientibus ardorem fidei et devotionis accendant. Vel suscitatur Christus in iis, qui primum accedunt : resuscitatur in iis qui postquam accesserint, dormierunt. Dormit ergo Christus in negligentibus, suscitatur in sanctis.

21. (Vers. 33.) Habet ergo Ecclesia per quæ gradiatur : habet habitacula mansionum, in quibus requiescunt sancti, de quibus iste est qui dicit : *Legem mihi constitue, Domine, viam justitiarum tuarum.* Bene ait, *statue;* ut in pectore ejus immobilis et fixa permaneat, nec aliquo sæculi turbine, ab ejus convellatur affectu; ut ipse lex sit sibi, opus habens legis scriptum in corde suo.

21. *Et quæram*, inquit, *illam semper.* Non est enim mediocre quod requiritur paradisi gratia, Dei regnum, angelorum consortium, immortalitatisque domicilium. Non ergo uno die quæritur, nec duobus, aut paucis mensibus : sed quæritur semper, et quæritur per omnia; ut meritorum multa concurrant suffragia; διὰ παντὸς enim et omne tempus significat, et per omnia. Cum dicit igitur : *Quæram semper*, sine fine dicit esse quærendum. Sed non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris.

22. (Vers. 34.) Ideoque ait : *Da mihi intellectum, et perscrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.* Quærendum primum, deinde intelligendum perscrutandumque legis omne mysterium, et in corde custodiendum. Quis autem potest custodire legem Dei, nisi intellectum acceperit? Qui autem intelligit et scrutatur, scrutando in semitam mandatorum deducitur. In quo illud advertendum quia lex est justitia, mandatum judicium, sicut et in hac littera legimus. Est Legis via stare in viis Legis : est via justitiarum secundum primum versiculum. Est ergo et testimoniorum via : *In via testimoniorum tuorum delectabar.* Est et via mandatorum : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Interrogemus ergo has vias, ut dicatur nobis : *State in viis Legis, et interrogate semitas æternas, et videte quæ via melior, et ambulate in ea* (*Jerem.* VI, 16). Cum omnes igitur ambulaverimus vias, veniemus in omnium finem viarum, qui ait : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Christus ergo finis viarum; *ipse enim est finis Legis ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Hinc audeo dicere quia finis justitiarum Christus, qui est justitia : finis testimoniorum Christus, de quo dictum est : *Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus, et puer meus quem elegi* (*Esai.* XLIII, 10).

23. Advertimus igitur quantum nobis ambulandum sit, ut veniamus ad Christum. Ambulandum in Lege; quia finis Legis Christus est. Sine Lege ergo non pervenitur ad Christum. Unde manifestum est quod hæretici, qui Legem veteris non accipiunt Testamenti, etsi dicant quod Christum teneant; tamen non possint tenere finem, qui **1025** initium non tenuerint. Ipse Jesus est initium et finis. Oportet igitur ut ambulemus secundum legem spiritalem; ut veniamus ad Legis finem Dominum Jesum. Oportet ut sequamur testimonia; ut pervenire possimus ad magnum testimonium Dominum Jesum. Oportet etiam ut in præceptis Domini ambulemus; ut perveniamus ad magnum præceptum, de quo legistis : *Dictum est antiquis : Non occides.... ego autem dico vobis* (*Matth.* V, 21 *et* 22); hoc est, super omne præceptum dico. Itaque non usurpatorie dixerim, sed

vere, quia sicut sunt sancta sanctorum : ita præceptum est præceptorum.

24. Sed ut ista servare possimus, intellectum petamus a Domino. Intelligamus quæ sit circumcisio. Circumcidit Jesus petrinis gladiis, et abstulit opprobrium Ægypti a filiis Israel. Petra Christus est. Circumcidat te Verbum Dei, et gladius oris ejus; et sic Ægypti carebis opprobrio. Non igitur corporis, sed cordis intelligenda est circumcisio. Si intellexeris Legem, servabis eam in corde tuo. Judæus in corde Legem non servat : sed in labiis Legem recitat, et Legem ignorat. Denique, *Populus hic*, inquit, *labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* (*Esai.* XXIX, 13). Quomodo potest Legem tenere, qui longe est a Legis auctore? Tertius versiculus quid habeat, consideremus.

25. (Vers. 35.) *Deduc me in semitam mandatorum tuorum : quoniam volui eam.* Quis hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exsequitur, quod scriptum est : *Post Dominum Deum tuum ambulabis, et ipsi adhærebis; quia ipse te deducet* (*Deut.* XIII, 4). Quomodo deducat audi : *Nisi qui tulerit crucem suam, et post me secutus fuerit, non est me dignus* (*Matth.* X, 38). Præcedit ergo Christus, ut nos sequamur, præcedit Verbum: Principium Christus est; ideo Sapientia dicit : *Dominus creavit me principium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Advertimus quod et principium Christus, et finis viarum sit. Non vereor ne quis dicat : Creatum ergo Christum asseris? Respondebo : Ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub Lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. Creatus est, ut redimeret creaturas : homo factus est ut homines a morte perpetua liberaret. Creatus est, ut vias mihi demonstraret æternas, quibus homo redire possit ad Dei regnum. Ergo quia principium est viarum Dei, hoc principium sequamur. Primus viam novi ingressus est Testamenti; ut in hac via devotionis iter nobis sterneret. Si jejunamus, ante nos ille jejunavit : si pro nomine Domini sustinemus injurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione. Cervices suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas : ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam. Denique **1026** quasi

A præcedens ait Petro, *Tu me sequere* (*Joan.* XXI, 22). Et ideo Petrus cursum consummavit; quia secutus est Christum.

26. (Vers. 36.) Sequitur versus quartus : *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Utilitatem* alii habent : et puto quod ideo mutatum sit, quia utilitas bonæ rei videtur esse expetenda potius quam declinanda. Sed quia plerique lucrum pecuniarum utilitatem suam putant esse; ideo si legimus *utilitatem*, non animæ utilitatem accipere debemus Prophetam declinare, sed utilitatem pecuniæ. Sanctus enim lucra ista non novit : sed omnia hæc detrimentum arbitratur; ut Christum lucretur. Et recte. Quod enim putamus lucrum esse pecuniæ, damnum est animæ; quia virtutis est detrimentum. Ergo secundum

B eos qui ita acceperunt, ut optet Propheta inclinare cor suum in testimonia, et non in avaritiam; et nos congruimus assensu. Atque utinam precem sancti sequentes, et oremus quod ille oravit, et quod oramus, imitemur affectu. Quid enim mihi prodest si orem, ut avertat cor meum Deus ab avaritia, et ipse diebus ac noctibus pecuniæ quæram compendia? Si oramus sermone, compatiamur et mente. Audit et sensum nostrum Jesus, et cognoscens duobus istis non convenire, sermoni et cupiditati, non exaudit loquentem. Et ideo qui bene volebat orare, dicebat : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente* (I *Cor.* XIV, 15). Ita magis audit orantem, si aspernetur avaritiam.

27. (Vers. 37.) Sed quia invalidi sumus, et ple-
C rumque volentes avertere cor nostrum a pecunia, vel auro, vel argento, capimur aspectu, et agrum aut ædificium videntes alienum, concupiscimus, bene addidit Propheta dicens : *Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.* Etenim qui in via est Dei, vanitates non aspicit. Via perfecta Christus est. Qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere; cum Christus in carne sua omnes mundi hujus crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos nostros a vanitatibus; ne quod oculus viderit, animus concupiscat. Mystica enim differamus interim. Utinam hac interpretatione possimus revocare ad diversa [a] circensium ludorum, atque theatralium spectacula festinantes. Vanitas est illa quam cernis. Pantomimum aspicis, vanitas est : luctatores aspicis, vanitas est; quia cernis eos de [b] viridi lu-

[a] Circenses ludi erant varia certaminum genera, ita dicti quod in circo, id est, loco circularis figuræ celebrarentur : ad theatrorum autem spectacula non solum tragœdiæ et comœdiæ pertinebant, sed etiam saltationes pantomimorum. Etenim pantomimos saltatores fuisse docet Lucianus Dial. *De Saltatione.* Horum ars erat sine voce argumentum gestu ac nutibus tam native repræsentare, ut illud spectatores non solum videre; sed et quodammodo audire sibi viderentur. Hinc Lucianus, δεῖ τὸν θεώμενον ὄρχησιν καὶ κωφὸν συνιέναι, καὶ μὴ λαλέοντος τοῦ ὀρχηστοῦ ἀκούειν. Hinc a Cassiodoro quoque Var. lib. IV, ep. ult. dicuntur, *Orchistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita.* Est etiam ea de re antiquum hoc incerti epigramma :

Tot linguæ, quot membra viro, mirabilis ars est,
Quæ facit articulos, ore silente, loqui.

D Eamdem hanc artem musicæ partem esse, atque a veteribus mutam appellatam tradit laudatus jam ante Cassiodorus, quem videsis Var. lib. I, epist. 20, et lib. IV, epist. ult., nec non in eam Fr. Jureti annotationem. Consule etiam Brissonium, *De verborum juris significationibus*, ad eamdem vocem; sicut Vossii Etymologicum in voce, *mimus*. Porro cum populi studia Ambrosii ætate in vana illa spectacula ferverent, non mirum est, si frequentius ille insurgat in hoc vitium, nec se PP. Tertulliano, Cypriano, Chrysostomo et cæteris, hac in re inferiorem ostendat. Ipsum adi lib. *De Fuga sæculi*, cap. 1, num. 1, et infra, Serm. 16, vers. 59 et 64, sed comprimis lib. II Offic. cap. 30, et alibi.

[b] Mss. quinque, *De viridibus frondibus luctantes habere coronas.* Tres, *De putridis frondibus*, etc. Unus Vat. et edit. Rom., *De viti luctantes corona.* Vera le-

Digitized by Google

ctantes corona. Illi enim veri sunt luctatores, qui adversum hujus sæculi luctantur illecebras. Non capiat oculos tuos palæstra membrorum. Equos currentes aspicis, vanitas est; quia vane currunt, qui ascendentem salvare non possunt. Denique recursus ipse te doceat quia vane currunt, qui non directum conficiunt iter, obliviscentes **1027** superiora, et ea quæ posteriora sunt, appetentes.

28. Ante nos est Christus, ante nos bravium ejus, ad quod pervenit, qui non in incertum cucurrit, nec revocavit cursum suum, sed incitavit. Ad hunc dirige oculos tuos, averte a spectaculis, averte ab omni sæculari pompa. Sicubi populares cognoveris plausus, averte oculos tuos ab his, inflecte, deprime, et serva eos, ut erigas melioribus. Erige ad cœlum : vel nocte stellarum monilia, orbem lunæ decorum, vel die solem aspice. Specta mare, terram circumspice : ut opere facta divino omnis creatura te pascat. Quæ formarum gratia in ipsis bestiis? Quantus decor in hominibus? Quanta in avibus pulchritudo? Hæc intuere, et non videbis iniquitatem et contradictionem in civitate. Hæc vide, et non introibit mors per fenestras oculorum tuorum.

29. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intravit mors per fenestram. Si videris possessionem minoris aut viduæ, et concupieris diripere eam, intravit mors per fenestram. Si videris aliena monilia, aurum, argentum, et concupieris ut extorqueas, intravit mors per fenestram. Claude ergo hanc fenestram, cum videris alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors possit intrare. Oculi tui non videant alienam, ne lingua perversum loquatur. Tuam ergo fenestram claude, ne morti pateat intranti. Sed etiam alienam fenestram cave. A fenestra enim domus suæ intrat fornicaria. A fenestra sua intrat, cum aliquem petulantis oculi tentat lascivia. Exclude igitur hanc fenestram verbi ostio, nec capiaris oculis meretricis : et abripiaris palpebris ejus. Sed non est una fenestra, per quam mors consuevit intrare. Est et fenestra verborum, per quam sermones commeant meretricis. Et ideo te ab aliena uxore custodi, ne te sermonibus gratiosis adoriatur; a fenestra enim domus suæ intrat. Intrat mors per oscula; et ideo cave ne te laqueis labiorum suorum alliget. Intrat mors, si meretrix te osculetur. Intrat mors si cito acquiescas loquenti. [a] Intrat mors si multum loquaris; multiloquio enim peccatum incurritur. Intrat mors etiam si non loquaris, et Christum timeas confiteri. Ore enim confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). Intrat mors etiam per cavernas aurium; et ideo aures sunt spinis sepiendæ, ut illecebras meretricii sermonis excludas. Hæc moralia.

A 30. Sunt etiam mystici oculi quos avertere debeas a vanitate. Est enim et sensuum vanitas, quam oculi animæ tuæ videre non debeant; quia illi eam vident, quos Apostolus [b] damnat. Unde ipso magis auctore discamus quæ vanitas, et qui oculi sint (*Ephes.* IV, 17 *et* 18). Manifestum est enim esse plerosque qui vanitate sensus sui obscurati sunt corde, [c] et alienati a via Dei propter ignorantiam quæ in ipsis est, propter cæcitatem cordis eorum; illos tamen gentes Apostolus dicit. Ignoret igitur gentilis ille quod non didicit, ignoret quod non credidit : tibi ignorare non licet quod confiteris. Christus non in vanitate venit, sed in virtute : [d] non inflavit sensum hominis, sed vivificavit : non cæcitatem **1028** cordis, sed illuminationem mentis operatus est. Inflammavit cor tuum,
B ut comprehendas quæ mandatorum cœlestium ratio, quæ animæ substantia, quæ vitæ futuræ gratia, in quo statu post hæc erimus.

31. Erige igitur mentem, utere naturali ingenio : ad imaginem Dei factus es, ut superna aspicias, et terrena non quæras. Noli curvare cervicem tuam, mundi premendam pondere : noli inhiare auro atque argento, [e] ne te sæculi vinculis alligandum præbeas. Ideo dixit Dominus : *Nolite possidere aurum atque argentum* (*Matth.* x, 9), ne nos auri atque argenti cupiditas avara possideat. Noli ergo inserere collum tuum diaboli laqueis. Strangulat avaritia pauperem in hoc sæculo : sed in perpetuum dives suis laqueis suffocatur, cujus sensus in vanitate est, in tenebris ambulat; quia in his laborat, quæ sibi prodesse non
C possint. Vanitas est sollicitudo vitæ hujus. Unde non in crapula et ebrietate, non in deliciis corporis, sed in cognitione præceptorum cœlestium delectationem nostri debemus ponere. In vanitate currit, qui sibi successibus videtur affluere sæcularibus, qui tamquam umbra prætereunt. *Averte* igitur *oculos tuos, ne vanitatem videant.*

32. Sed non satis est ut tu avertas; ne forte velis et non possis, offundat tibi diabolus vanitatum spectacula, incentiva inserat voluptatum; pete ut Dominus avertat oculos tuos. Et hæc gratia Dei, et hoc munus est Domini; ut oculos animæ nostræ a negotiis mundi hujus avertat. Beatitudo enim omnis a Domino est. *Beatus* autem *vir, cui nomen Do-*
D *mini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas* (*Psal.* XXXIX, 5). Qui non respicit hæc, beatus est : qui autem respicit, insanus atque furiosus est. Et ideo resipiscat unusquisque a furore sæcularium cupiditatum, quæ ita mentem animumque perturbant, ut compos sui esse non possit.

ctio reliquorum mss. ac edit., *De viridi*. Erat quippe in ludis Olympicis proposita corona oleagina, in Isthmiis pinea, ex apio in Nemeis.

[a] Quidam mss., *Intrat mors si loquaris, intrat mors si multum loquaris.*

[b] Post verba *Apostolus damnat*, sequebantur illa in edit., *Cognosce quæ sit vanitas sensuum, quam oculi tui mystici videre non debeant*; sed neque in ullis cod. Gallicis reperiuntur, nec ullo modo sensui videntur necessaria.

[c] Mss. decem, *et alienati a vita Dei*, etc.

[d] In edit. post *sed in virtute*. adjicitur, *Non in antiquitate, sed in novitate*. Quæ verba in mss. desiderantur. At quidam pro *in virtute*, habent *in veritate*.

[e] Mss. aliquot, *Ne te sæculo alligandum præbeas.* Aliquot alii, *Ne te sæculis alligandum præbeas.*

Digitized by Google

33. Si in navigio fluctuante sis constitutus, avertis a sentina oculos: ne vomitum moveat tibi. Si in civitate ambulans aliquid fetidi odoris offendas, longe refugis atque declinas. Si quid occurrat quod horreat oculus tuus, clauditur aut avertitur. In salo sæculi hujus fluctuas, influit sentina vitiorum. In hoc navigio tui corporis movetur æstus cupiditatum, et non avertis oculos animæ tuæ; ne videant sentinam libidinum, ne aspiciant mundi hujus stercora, ne fetor immundus nares repleat tuæ mentis, in quibus Spiritus sanctus esse consuevit, ut possis dicere: *Spiritus divinus qui est in naribus meis* (*Job.* XXVII, 3). Nares igitur animæ tuæ a fetore avertantur criminum diversorum; est enim in his velut quoddam insigne judicii. Unde dicitur Sponsæ: *Nares tuæ sicut turris Libani prospiciens faciem Damasci* (*Cant.* VII, 4); eo quod unguentum veri Sacerdotis, quod descendit de capite in barbam, hoc est odor ille divinus, odor gratiæ spiritalis, qui de Patre in Christo erat, et sacramento incarnationis descendit in terras, ut omnia fuso replerentur unguento, emineat præcelsi potestate judicii, et nares repleat animæ, ut benevolentia discernat et fetida; suavia sanctorum, qui **1029** possunt dicere: *Christi* enim *bonus odor sumus Deo* (II *Cor.* II, 15); et fœtida peccatorum.

34. Hæ sunt nares sicut turris Libani præcelsa supra mundum; et ideo prospicit faciem Damasci, gentilem scilicet populum, odorans fidem ejus, cujus gratia delictorum suorum detergeret fetorem. Facies igitur Damasci fides est gentium, nullo obumbrata amictu, nullo adoperta vestitu, nuda ac libera, cœlo magis intenta quam terris. Hanc speculantur et prospiciunt nares Ecclesiæ, quod suave in ea et odorum est aspirationis et gratiæ colligentes. Et bene nares ejus sicut turris Libani; quia in sacrificiis odor suavis Ecclesiæ est, in quibus est boni odoris hostia, remissio peccatorum.

35. Sume igitur has nares, o homo; ut a graveolentibus florulenta secernas; et tunc vivificabit te Dominus. Cum enim adverterit quod de ipso petis, ut avertat oculos mentis tuæ a vanitate, cooperatur animæ tuæ; ut si specie aliqua capitur, aut duritia, aut infirmitate non flectitur, flectat eam jugo verbi, et habenis suis regat: ut voluntate Dei abducatur a vitiis et vitæ odorem capiat æternæ. Non enim hic vita perfecta est: sed hæc vita in umbra. Ideo ut homo Christus Jesus ex Virgine nasceretur, obumbravit virtus Altissimi matrem futuram; quia in umbra descendit, ab umbra incipiens operari salutem hominis, et consummaturus charitate solis æterni. Umbra est ergo vita hæc: festina ad solem, ut te defendat ab umbræ hujus frigore, et calorem tibi profundat æstivum. Et ideo suadet orandum ne fiat fuga nostra hyeme vel sabbato (*Matth.* XXIV, 20), non tempus diemque significans, sed frigere nos meri-
A tis prohibens, et bonorum operum esse jejunos.

36. (Vers. 38.) Disce nunc quemadmodum avertat oculos ejus, quem miseratur Dominus, a vanitate. Ex his enim quæ sequuntur, hoc intelligere possumus; subjecit enim: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo* (*Ps.* CX, 10). Initium esse sapientiæ timorem Domini dicit Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, nisi sæculo renuntiare? Quia sapere sæcularia, stultitia est. Denique sapientiam hujus mundi, stultitiam esse apud Deum Apostolus dicit (I *Cor.* I, 20). Sed et ipse timor Domini, nisi secundum scientiam sit, nihil prodest; immo obest plurimum. Siquidem Judæi habent zelum Dei, sed quia non habent secundum scientiam, in ipso zelo et timore majorem contrahunt divinitatis offensam. Quod B circumcidunt infantulos suos, quod sabbata custodiunt, timorem Dei habent: sed quia nesciunt Legem spiritalem esse, circumcidunt corpus, non cor suum. Ignem sabbato adolere formidant, cum Lex sanctificationis die libidinum ignem prohibeat accendi.

37. Et quid de Judæis dicam? Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere: sed inscientia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor. Etenim vera sapientia a timore Dei incipit, nec est sapientia **1030** spiritalis sine timore Dei; ita timor sine sapientia esse non debet. C Basis quædam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, et tunc majorem habet gratiam, cum in basi statua fuerit collocata, standique acceperit firmitatem: ita verbum Dei, vel [a] rationabile Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur, hoc est, in pectore timentis Dominum; ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, et auferant illud de incuriosi et dissimulantis affectu. Sed etiam verbo Dei timor ipse aptari ad utilitatem et constabiliri videtur; ut non sit alienus scientiæ, sicut basis accepta statua non est aliena gratiæ. Timor ergo verbi est locus, sicut in pace locus ejus [b]. Timor quædam statio verbi: verbum timoris est disciplina; plenus enim disciplinæ timor non nutat ad lapsum.

D 38. Et quia basim verbi timorem diximus; ne quid alienum a Scripturis posuisse nos quisquam putet, accipiat lectum de Dei verbo in Canticis canticorum: *Crura ejus columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas* (*Cant.* V, 15), significans columnas esse Ecclesiæ apostolos, qui fundati sunt in timore sanctorum. Nam sicut Petrus, Jacobus, et Joannes, et Barnabas columnæ esse videbantur Ecclesiæ, et quicumque vicerit hoc sæculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit: *Ego confirmavi columnas ejus* (*Ps.* LXXIV, 4): ita et basis aurea

[a] *Rationabile*, id est, ratio; λόγιον enim ac λόγος et verbum et rationem significant. Est autem hellenismus quo neutrum adjectivum ponitur loco substantivi.

[b] Scripti cod. nonnulli, *Timor quoddam studium verbi*, etc.

Digitized by Google

timor plenus disciplinæ, quia initium sapientiæ est. A In timore ergo sapientium apostolica prædicatio tamquam super basim auream columna firmatur. Christi igitur eloquio et apostolico sermoni tribunal est timor justi, et basis aurea plena prudentiæ : simulacrum autem bonum tamquam effigies veritatis, sermo sanctorum. Et vide tamquam basim auream esse sanctorum timorem. Lege Esaiam : vide quantis subjecerit timorem, ut faceret irreprehensibilem et bonum timorem : *Spiritus*, inquit, *sapientiæ et intellectus*, *spiritus consilii atque virtutis*, *spiritus cognitionis atque pietatis*, *spiritus sancti timoris* (*Esai.* XI, 2). Quantis timorem subjecit, ut haberet quod sequi posset? Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. B Tolle timori Domini ista, et est irrationabilis et insipiens timor, unus ex illis : *Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5), quibus afflictus esset et Paulus, nisi habuisset Dominus consolantem.

39. Nec otiosum est in Proverbiis : *Tunc intelliges timorem Domini* (*Prov.* II, 5). Quid est, *Tunc?* id est, *Cum sapientiam invocaveris, et prudentiæ dederis vocem tuam ; et si quæsieris illam ut pecuniam, et ut thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem Domini* (*Ibid.*, 3 *et* 4). Et ideo tamquam super basim bonam dicit : *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*. Plena disciplinæ oratio, per quam docemur quemadmodum debeamus orare : unusquisque sermo doctrina est deprecandi. Et quia docuit nos orare, quis sit istius orationis effectus ostendit septimus versus. C

40. (Vers. 39.) *Aufer a me opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Subobscure dictum videtur : sed explanavit Apostolus quod hic videbatur obscurum, ubi ait : *Nihil mihi quidem conscius sum : sed non in hoc justificatus sum* (I *Cor.* IV, 4). **1031** Sciebat enim se esse hominem, et sic cavebat ut poterat, ne post susceptа baptismi sacramenta peccaret ; ideoque delicti conscius sibi non erat : sed quia homo erat, peccatorem se fatebatur, sciens unum esse Jesum lumen verum, qui peccatum non fecit, nec est inventus in ore ejus dolus ; ipsum solum justificari, qui vere alienus esset a lapsu. Similiter ergo et Propheta etsi peccatum declinare cupiebat ; tamen quasi Deum repulsorem peccati esse sui cupiebat. Volebat auferri opprobrium quod suspicatus est, vel quia cogitaverat D in corde, et non fecerat : et pœnitentia licet abolitum, suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium ; et ideo Deum precatur ut illud auferat, qui solus novit quod nescire potest etiam ipse qui fecit. Denique alibi ipse dixit Propheta : *Scis opprobrium meum* (*Ps.* LXVIII, 20). Quamquam istud opprobrium Christi sit, quod non est verum opprobrium, sed gloria Dei ; crux enim Christi Judæis scandalum, Græcis stultitia.

41. Illis ergo opprobrium, mihi virtus est, per quam adversarium repello, sæculum vinco. Mihi sapientia, per quam insipientiæ laqueos evado. Hoc opprobrium thesauris Ægypti Moyses prætulit. *Majus*, inquit, *æstimans Ægypti thesauris opprobrium Christi* (*Hebr.* XI, 26). Si opprobrium tuum gloria est, Domine Jesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cujus sumus opprobrio gloriosi? Dorsum meum posui in flagella, maxillas meas in palmas, os autem meum non averti a confusione sputorum. Ecce opprobrium tuum, Domine, in quo salus est universorum, in quo mundi redemptio : per quod opprobrium cœpimus non erubescere qui erubescebamus, non confundi qui confundebamur. Denique scriptum est : *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Ps.* XXXIII, 6). Hoc opprobrium auferri a nobis nolumus, opprobrium crucis Domini Jesu, quo nostra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictum factus est, ut nostra maledicta deleret, homo factus est, ut levaret hominis infirmitates : ita opprobrium factus est, ut omnium auferret opprobria.

42. Non uno tempore, non semel abstulit opprobria : aufert quotidie. Peccatum incidimus, non unum, sed multa : cooperti sumus opprobrio et confusione. Venimus ad baptismum, deletum est omne peccatum, et cum peccato opprobrium. Abstulit opprobrium meum Dominus Jesus opprobrio suo, quia crucifixus est mihi ; quia *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus* (*Rom.* VI, 3). Non habeo quod auferri petam. Sed post baptismum incidi opprobrium, debeo agere pœnitentiam, ut dicam : *Aufer a me opprobrium meum.* Si non agam pœnitentiam, quomodo dicam : *Aufer a me opprobrium meum ;* cum hoc ipsum peccati opprobrium sit, quia non ago pœnitentiam? Si autem pœnitentiam, ut oportet, ago, recte dico : *Aufer a me opprobrium meum, quod suspicatus sum ; judicia enim tua*[a] *dulcia.*

43. Quid timeo confiteri, quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor opprobrii mei mentionem **1032** facere apud eum, cujus judicia dulcia sunt? Quod severum in aliis, in Christo dulce est, in Christo suave est ; quia ipse suavis est. Denique, *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9). Dulcia judicia confitenti ; quia ipse dixit : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas... et memor non ero : tu autem memor esto, et judicemur : dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 25 *et* 26). Dulcia judicia agenti pœnitentiam ; quia ipse dixit : *Gaudium erit in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam in nonaginta et novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Si dulcia sunt igitur judicia Domini, suavitatis fructus percipere elaboremus.

44. Vis scire quam dulcia judicia Domini? *Non resurgunt impii in judicio* (*Ps.* I, 5). Qui autem in judicio resurgunt[b], habent spem veniæ ; quoniam credi-

[a] Voci *dulcia*, edit. vet. et quædam Paris. adjungebat : *Quomodo oportet confiteri.* Sed hæc nec in mss. Vat. nec in nostris inveniuntur.

[b] Ambrosius passim ita distinguit inter impios ac peccatores ; ut illos esse definiat qui numquam in Christum crediderе : hos vero, qui ipsius quidem

Digitized by Google

derunt. Impii non sunt, peccatores esse possunt : A fidem habent, et si culpam non declinarunt, per fidem credunt : qui autem credit in ipso, non judicatur (*Joan.* III, 18). Dulcia ergo judicia credentibus. Qui autem non credunt, non Christi judicio damnati sunt, qui venit non ut judicet mundum, sed ut salvet et redimat : sed impietatis suæ subiere judicium, qui in remissionem peccatorum credere noluerunt. Non enim possunt ad ejus pertinere beneficium, quem cognoscere refutarunt. Ergo qui non crediderunt in eo, judicio ejus videntur indigni. Judicium enim ejus quid sit, agnosce, dicente ipso : *Hoc autem judicium est, quia lux venit in hunc mundum* (*Ibid.*, 19). Dulce ergo, quod lux est : dulce judicium, quod præcedit misericordia. Sic enim scriptum est : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Ps.* C, 1). B

45. (Vers. 40.) Et quia cognovit dulcia judicia, dicit : *Ecce concupivi mandata tua : in tua justitia vivifica me.* Bona judicia auctoritate ait. Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit. Diligi se gaudet, qui ideo venit in hunc mundum, quia hunc mundum dilexit. Amari se exigit, qui omnes amat; quia charitas est. Concupivit mandata Dei, ut bonus servus, ut cultor sedulus. Concupivit non ut amator meretriciam copulam, non ut avarus pecuniam, non ut luxuriosus lasciviam. De illis enim Lex dicit : *Non concupisces.* Dominum autem Deum præcepit diligendum [a], et tenero quodam atque interno amandum cupiditatis affectu. Et quia amicus est qui diligit, servus est qui timet; quasi amicus qui omnia fecerit, quæ præcepit ei Dominus : *Vos*, inquit, C *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* (*Joan.* XV, 14).

46. *In tua justitia vivifica me :* audet et dicit; eo quod illa sit vera vita, quæ vivit secundum Dei justitiam, quam vivebant apostoli; immo quam vivunt. Sunt enim qui viventes mortui sunt : et qui mortui vivunt. Denique alii descendunt in infernum viventes : alii cum sint corpore mortui, meritis suis vivunt. Sunt enim qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis die judicii revertentem, quando cum gloria sancti resurgent.

## 1033 SERMO SEXTUS.

### ו Vau.

1. Sexta littera *Vau*, [b] cujus interpretatio, *Ille est, et non alius.* Vel cujus interpretatio : *Et ille.*

2. (Vers. 41.) *Et veniat super me misericordia tua,* D *Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.* Quid significet interpretatio litteræ, quoniam subobscura est, ex psalmi serie colligendum putavi. Nam cum Propheta postulet : *Veniat super me misericordia tua, Domine : veniat salutare tuum ;* non est dubium [c] quem videre deposcat, hoc est, in quo fructus et misericordiæ veniat et salutis. Denique in superioribus idem poposcit in psalmo octogesimo quarto, in quo evidentius Domini Jesu prophetavit adventum. Nam terram quam benedici postulet, satis notum est, illam videlicet quæ peccatum in Adam contraxerat, cui dicitur : *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Maledixerat autem Deus [d] non elementum naturæ carnis, sed carnem prævaricantium. Benedicitur caro igitur in Christo, ut maledicto superiore caro solvatur. Benedicitur caro, quam benedictus Filius Dei, assumpta hominis conditione, suscepit.

3. Et ideo subdidit : *Deus, tu convertens vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus ; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertunt ad ipsum cor suum. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius ; ut inhabitet gloria in terra nostra* (*Psal.* LXXXIV, 7 *et seq.*). Totus hic locus Jesum Dominum sonat, qui vivificavit mortuos : Lazarum ante passionem, plurimos tempore propriæ passionis. Ipse est misericordia, utpote remissio peccatorum. Ideo dicit : *Ostende*, quem videre possit in corpore. Nam Deum in majestate sua videre non poterat ; quia *Deum vidit unquam* (*Joan.* I, 18). Avidus Propheta desiderat videre, quem sperat tenere : quem si viderit, desiderat propriis manibus comprehendere. Ideoque ait : *Et salutare tuum da nobis.* Salutare Dei virtus est, salutare Dei Christus est ; et ideo prope timentes hoc salutare. Longe erat Christus a nobis, longe erat a nationibus : descendit in terras, factus est prope, cœpimus non timere. Nam qui Christum timet, non timori est subditus, sed devotioni. Pietatis hic timor, non infirmitatis est. Denique nihil deest timentibus eum. Quomodo autem factus sit prope, audi : *Ut inhabitet*, inquit, *gloria in terra nostra.* Quis est gloria, nisi Dominus Jesus? Unde et apostolus Paulus ait : *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ* (II *Cor.* I, 3). Merito compla-

---

fidem amplexi sunt, sed victi concupiscentiæ illecebris peccata gravia perpetrarunt. Compara hunc locum cum iis quæ S. Doctor in Enarr. Psalm. I ad vers. 5, num. 56, docet ; et vide etiam quæ nos ibidem annotavimus.

[a] Vet. edit., *et tenero, id est, tenaci quodam atque interno amandum*, etc. Rom... *atque materno amandum.* Mss. denique ut nos in textu.

[b] Hic mirum quantum varient mss. ac edit. Alibi enim, *cujus interpretatio sonat vel sic : Non ille : alius interpres : Et non est, ait.* Alibi autem, . . . *non ut ille : alius interpres*, etc. Alicubi, *cujus interpretatio est : Et ille* (in ant. edit., *ut ille*) *alius interpres : Et non est, ait.* Alicubi etiam, *cujus interpretatio est ; Est et ille : alius interpres ait : non est alius.* Postremo in mss. aliquot habetur, ut in textu. Quam lectionem eo secuti sumus, quod eam infra, num. 4, Ambrosius ipse confirmat.

[c] Mss. aliquot, *quem videre deposcat, in quo fructus est misericordiæ, veniæ, et salutis.* Aliquot alii, . . . *fructus est misericordiæ, et venia salutis.* Reliqui ac edit. ut in textu.

[d] Sic edit. vet. ac mss. nisi quod in horum nonnullis vox, *carnis*, omittitur ; et in eisdem mss. habetur, *superiore*, ubi legebatur in edit. *superato.* Edit. autem Rom. ita habet, *non elementum terræ, neque substantiam, aut naturam carnis, sed in elemento carnem prævaricatricem. Benedicitur ergo in Christo terra, hoc est caro*, etc

Digitized by Google

est in eo Pater; quia Patris gloria est. Hunc qui a Patre separat, majorem Patri injuriam facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis **1034** æqualem Patri non putat, inferiorem et Patrem judicat; cum alio verbo Patrem plus laudare non possit, cujus summa laus et gloria Christus est.

4. Rogatur ergo ut veniat salutare Dei. Ille est qui rogatur, hoc est, Dominus Jesus, et non est alius; sicut habet litteræ interpretatio. Et vel sic non solus Pater rogatur: Est et ille, hoc est, et Filius qui rogatur, et rogatus advenit, et salutare mundo dedit. Ideo σωτὴρ, hoc est salvator; ideo Jesus, sicut angelus dixit: *Qui salvum faciet populum suum* (*Matth.* I, 21). Cum invocaret igitur propheta, aderat; ut probaret illud, quia adhuc loquentibus nobis dicit: *Adsum* (*Esai.* LVIII, 9).

5. Adest, quia suscitatus a filiabus Judææ, quasi resuscitatus a filiabus Hierusalem. Audit Ecclesia sonum vocis ejus, et dicit: *Vox consobrini mei. Ecce hic advenit saliens super montes, transiliens super colles* (*Cant.* II, 8). Manipularis est liber, multas habens personas nobiles, [a] velut manipulus triumphalis, multosque actus significans, quos intelligere magis, quam expressos tenere possimus. Nam quasi advenientem Sponsum audierit cum aliquibus pariter viantibus colloquentem, dicit Sponsa: *Vox consobrini mei.* Dum loquitur cum filiabus Hierusalem, et rogat ut excitent et resuscitent Sponsum, subito tamquam de longinquo missæ vocis sonum sentiens, dicit: *Vox consobrini mei*, annuntians quem nuntiari sibi ante quærebat, quem cupiebat ab aliis suscitari: sua prece resuscitatum a Patre venire jam credens, læta dicit: *Vox consobrini mei.* Bene addidit, *consobrini mei*; ut non aliæ, sed consobrina sola sibi ejus vindicaret adventum.

6. *Ecce*, inquit, *iste advenit.* Adhuc ego eum quæro, et ille jam venit: adhuc ego suffragia capto ut veniat, et ille jam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitatis puto; et ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: *Veni*: ille salit et transilit. Ego rogo eum venire cum gratia: ille gratiarum operatur augmenta: et dum venit, incrementa gratiæ secum vehit, et veniendo acquirit; quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, ut ascendat ad Sponsam; Sponsæ enim thalamus tribunal est Christi. [b] Salit super Adam, transilit super Synagogam. Salit super gentes, transilit super Judæos. Videamus salientem. Salit de cœlo in Virginem, de utero in præsepe, de præsepio in Jordanem, de **A** Jordane in crucem, de cruce in tumulum, in cœlum de sepulcro. Proba mihi, David, salientem, proba currentem; tu enim dixisti: *Exsultavit tamquam gigas ad currendam viam: a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 6 et 7). Ergo et nunc salit, et nunc currit de corde **1035** Patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentem de Septentrione super Meridiem. Ipse est qui ascendit super Occasum, ipse super cœlos cœlorum ad Orientem. Ipse ascendit super montes, ipse super colles.

7. Utinam ego miser dicam, dicat anima mea: *Ecce iste advenit*, et advenit non super terrena, non super valles; sed advenit *saliens super montes*; Deus **B** enim, Deus montium est, [c] et non vallium. Ubi ergo salit? Super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Esaiam, salit super Hieremiam, salit super Petrum, Joannem, Jacobum. *Montes in circuitu ejus* (*Psal.* CXXIV, 2): si non potes mons esse, nec prævales, esto vel collis, ut super te Christus ascendat; et si transilit, [d] ita transiliat, ut te transitus ejus umbra custodiat.

8. Diximus de Christo et Ecclesia: dicamus de anima et Verbo. Anima justi Sponsa est Verbi. Hæc si desideret, si cupiat, si oret, et oret assidue, et oret sine ulla disceptatione, et tota intendat in Verbum, subito vocem sibi videtur ejus audire quem non videt, et intimo sensu odorem divinitatis ejus agnoscit: quod patiuntur plerumque qui bene credunt. Re- **C** plentur subito nares animæ spiritali gratia, et sentit sibi præsentiæ ejus flatum aspirare quem quærit, et dicit: Ecce iste ipse est quem requiro, ipse quem desidero.

9. Nonne cum aliquid de Scripturis cogitamus, et explanationem ejus invenire non possumus, dum dubitamus, dum quærimus, subito nobis quasi super montes altissima dogmata videtur ascendere: deinde quasi super colles apparens nobis, illuminat mentem; ut infundat sensibus, quod invenire posse difficile videbatur? Ergo quasi ex absente fit præsens Verbum in cordibus nostris. Et rursus cum aliquid nobis subobscurum est, tamquam subducitur Verbum, et tamquam absentis adventum desideramus: et iterum apparens ostendit se nobis, tam- **D** quam præsens sit nobis in iis, quæ requirimus, cognoscendis. Salit ergo in uniuscujusque corde frequenter: transilit et exit, et revertitur, si sequaris, si requiras, si tibi fidelium gratia, disceptatione doctorum Verbum quod exierat atque transierat,

[a] Edit. et mss. non pauci, *velut manipulos triumphales*; octo tamen ex his; *velut manipulus triumphalis.* Optime. Dicitur autem triumphalis manipulus turma senatorum, aliorumque virorum illustrium, quibus imperator, dum triumpharet, stipatus incedebat. Vide Josephi Laurentii *Polymathiam*, lib. III, syn. 11 Item Joan. Prusini *Antiq. Rom.* lib. X, cap. 29, et alios.

[b] Ita mss. duodecim. Edit. vero cum aliis; *Salit super Ecclesiam.* Quam mutationem ea gratia inductam autumamus; ut Ecclesia Synagogæ, quæ sequenti membro nominatur, opponeretur. Verum idcirco hic Adami videtur facta mentio, ut ostendatur innocentiæ, ut vocant, statum, ac legem naturæ a Christo non fuisse aliena.

[c] Rom. edit. reciderat voces *et non vallium*, quas tamen exhibent omnes mss. et ant. edit.

[d] In omnibus fere mss. omissum fuit *ita transiliat.*

Digitized by Google

postules resuscitari; sicut illa quæ quæsivit et invenit, quæ dixit: *Frater meus transivit: anima mea exivit in verbo ejus* (*Cant.* v, 6).

10. Ergo et si super montes salit, sequere: et si super colles, sequere. Reperiuntur enim in montibus et in collibus venatores Domini, qui investigant eos qui capiuntur ad vitam. Sic enim dixit per Hieremiam Deus: *Ecce mitto multos piscatores, .... et multos venatores, et venabuntur eos super omnem montem, et super omnem collem* (*Jerem.* XVI, 16). Ibi ergo populus Dei quæratur, et inveniatur in Petri et in Pauli doctrina, gratia, disciplina; ut non in convalle sint, ubi fletus: sed in montibus, a quibus unumquemque Christus illuminat. Et cum Petrum legimus, Christus illuminat. Et cum Paulum **1036** legimus, Christus illuminat. Curavit Paulus, Christus illuminavit; quoniam invocato Domini Jesu nomine, resurrexit, cujus sanatus est munere. Suscitavit mortuam Petrus, Christus illuminavit; et ideo ait: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5).

11. Nos igitur qui montes esse non possumus, stemus in montibus vel in collibus; ut cum miserit piscatores suos Dominus, et venatores, ut venentur eos qui super omnem montem sunt, vel super omnem collem, id est, in Legis et prophetarum præceptis, et novi et veteris Testamenti cognitione omnem habentes conversationem, inveniant nos paratos, et velut bonas colligant spicas, opportuno missi messores tempore; quia si quis extra montem aut collem fuerit repertus, colligi velut bona spica non poterit ab iis, qui (ut comparationis faciamus alterius mentionem) triticum a paleis separare mittentur. Plurimarum igitur operationum solertes ministros Dominus habet. Iidem piscatores, iidem etiam venatores sunt, atque messores.

12. Si in tempore messis, [a] quo diriguntur isti, meriti maturus exspectes, salientem in montibus poteris intueri, et videbis Dominum Jesum similem capreolo, aut hinnulo cervorum super montes Bethel (*Cant.* II, 9). Salit enim super Ecclesiam, quæ est domus panis; eo quod fidelium corda confirmet. Merito sicut capreola; quia caprea in altis pascitur. Dorcas dicitur a videndo. [b] Dorcadion enim visus auctoris est. Quid acutius Christo, qui Patrem videt quem videt nemo? Aut si quis vidit in Christo, ipse Filius revelavit. Merito sicut hinnulus cervorum: hinnulus quasi filius, cui paternæ inoleverit vis naturæ; ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant, venena

A non lædant. Denique eductus de latibulis suis serpens, qui producebatur ex homine, dicebat: *Quid venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29)?

13. (Vers. 12.) Spectemus ergo salientem hunc hinnulum, ut non possimus timere serpentem. Non timebat David. Denique de his dicebat serpentibus: *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis*. Quasi bonus cervus, qui bibisset de fontibus aquarum, nequaquam humanorum serpentium spiras, et maledicorum venena metuebat. Coluber illi non erat noxa, sed præda. Cibus erat serpentini virus alloquii, et cibus laudis de quo dicebat: *Deus, laudem meam ne tacueris; quoniam os peccatoris, et os dolosi super me apertum est* (*Psal.* CVIII, 2). Saginabatur venenatorum sermonibus.
B [c] Illi sibila obtrectationum ora tollebant, et sermonibus odii circumdabant innocentem. Bonus cervus inter multos colubros positus non timebat, cervus amicitiæ, et pullus gratiarum. Simulabant charitatem, fundebant obtrectationem: *Ego autem*, inquit, *orabam* (*Ibid.*). Bonus cervus in medio viperarum innocuus pascebatur. Illi trisulcis ora linguis micabant: hunc autem sancta **1037** pascebat oratio, immo cibum obtrectantibus offerebat. Respondit obtrectantibus sibi verbum; verbum enim cibus est. Denique *non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Matth.*, IV, 4). *Viderunt me*, inquit, *et moverunt capita sua* (*Psal.* CVIII, 25). Maledicebant, ego autem benedicebam. Maledicebant qui obtrectabant: benedicebam, qui verbum Domini prædicabam.

C 14. Quam bonum est ferre convicium, et convicium non referre? Deum præsulem acquirit, qui convicianti nescit irasci. Denique quanta patientiæ gratia dicentis: *Maledicent ipsi, et tu benedices* (*Ibid.*, 2)? Beatus qui maledicta non sentit. Beatus quem maledicta non permovent. Non enim potest maledicto moveri, qui maledicta hominum divinæ munere benedictionis excludit. Non potest sentire maledictum, qui habet verbum: et non potest referre maledictum, cui in ore semper est verbum.

15. Sed est etiam bonus serpens, quem iste cervus non lædat. *Estote*, inquit, *astuti sicut serpentes* (*Matth.* X, 16). Et: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III, 14). In serpente æreo figuratus est meus serpens. In ligno illo exaltatus est meus serpens. Ser-
D pens bonus, bonus serpens, qui de ore suo remedia, non venena fundebat. Potest non timere serpentes, qui hunc novit adorare serpentem. De hoc

[a] Rom. edit. sola, *quo diriguntur isti metere, maturus exspectes*.

[b] Edit. omnes, *Dorcadων enim visus acutior est*. Mss. tres, *Dioraticon*; totidem, *Diorcation*; quinque, *Diorcaticon*; unus, *Dorcaticon*; non male, si subintelligatur genus vel animal. Nam omnes habent, *visus acutioris est*. Attamen quin legendum sit δορκάδιον, id est, *capreolus*, dubitet nemo, qui seriem paulo attentius inspexerit. Rursus ubi edit. ac mss. aliquot, *Quid hoc aptius Christo*, vel ut aliqui, *a Christo?* Alii majori numero habent: *Quid acutius Christo*.

[c] Videtur hoc loco Ambrosius noster alludere ad versum illum e lib. III Georg. de serpente:

Tollentemque minas, et sibila colla tumentem.

Sed infra etiam manifestius reddit alium istum ex eodem libro:

Arduus ad solem, et linguis micat ora trisulcis.

*Micare* autem idem est ac producere et reducere, sumpta metaphora ex quodam ludi genere, quod extensis et contractis digitis exercebant; de quo videsis Erasmi Adagia chil. I, cent. 8, adagio 27: *Dignus quicum in tenebris mices*.

Digitized by Google

serpente dicit illa quæ diligit : *Ecce hic post parietem* A *nostrum, prospiciens per fenestras, eminens super retia. Respondet consobrinus meus et dicit mihi : Surge, veni, proxima mea, formosa mea, columba mea ; quia ecce hyems præteriit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra* (*Cant.* II, 9, 12). Serpens profecto est, qui decursa hyeme, amictu corporis se volebat exuere, ut specioso decore vernaret. Idem ergo est cervus et serpens. Cervus habens cornua Legis et gratiæ (cornua ejus duo sunt Testamenta) velox gressu, impiger incessu, qui totum facile orbem percurrat uno momento, ubique celebrabilis. Serpens quoque bonus, cujus priora dente Legis non mordeant, posteriora non vulnerent Evangelii lenitate. Caput defendit a vulnere, qui Legem venit non solvere, sed tueri ab interpretationibus perfidorum. B Caudam in flagella diffundit liberam, cupiens adversarios magis flagellare, quam perdere. Bonus coluber in gremium dilectæ, atque in ipsum intimæ sinum mentis facilis illabitur, et attactu nullo implicans ignem ossibus, præcordia ipsa depascitur.

16. [a] Pulchre lectum est hodie : *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum* (*Matth.* x, 16). Celebramus enim diem sanctorum quo revelata sunt populis corpora sanctorum martyrum, qui velut boni serpentes, depositis carnis exuviis, tentationum hyemalium rigore superato, et Spiritus sancti renovati gratia, æstiva mundo luce fulserunt, missi vere, ut agni, in medio luporum. Lupi sunt enim persecutores, lupi sunt hæretici omnes : docere nesciunt, ululare consueverunt.

**1038** 17. Sed nemo moveatur, si in medio lu- C porum mittitur. Beneficio Christi et lupus ipse mutatus est. Benjamin lupus rapax apostolus Paulus factus est, non jam insidiator ovilium Christi, sed defensor et custos. Cum hoc lupo versari libet : per hunc lupum, factum est ut simus tuti in medio luporum. Nemo jam veretur lupos, cum his pascimur, sicut scriptum est : *Tunc lupi et agni simul pascentur* (*Esai.* LXV, 25).

18. (Vers. 42.) Sed jam consideremus quid sit quod ait Propheta : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque ; quia in judiciis tuis superspèravi.* Viderat Ecclesia vel anima justi salientem sicut hinnulum super montes, repente proximum aspiciens post parietem domus suæ, prospicientem per fenestras, eminentem super retia, exsultat et gaudet; D quia etiam ipsa amatur a Sponso : qui tamquam et ipse vulneratus charitatis decore, dilectæ primo cum abesset, ad oscula rogatus adfuerit (rogatur enim cum dicitur (*Cant.* I, 1) : *Osculetur me ab osculo oris sui*), deinde preces Sponsæ blanditiasque non spreverit, dilecta sibi ubera prædicantis, atque in interiora domus eam benignus induxerit; denique tamquam lascivienti ludens amore, quia velit pertentare sensus amantis, sæpe egressus ut quæreretur a Sponsa, sæpe regressus ut invitaretur ad oscula, astiterit post parietem, prospexerit per fenestras, eminens super retia; ut non totus abesset, nec quasi totus intraret, et ipse ad se Sponsam vocaret, ut veniendi ad se invicem fierent gratiora commercia, amorisque vim mutuis [b] adolerent sermonibus : *Exsurge*, inquit, *veni, proxima mea, formosa mea, columba mea* (*Cant.* II, 10).

19. Et tu si habeas fundatum parietem, non illum medium qui domus unius separet membra, sed ædificatum supra fundamentum apostolorum et prophetarum ; ut compaginata ejus structura crescat in templum, nec disterminet ejus interna, sed muniat : si habeas ergo in te ædificationem Dei, et ad orientem pateant semper fenestræ tuæ, venit Verbum, stat post tuum parietem (*oculi* enim *Domini super justos*) (*Psal.* XXXIII, 16), prospicit per fenestras tuas.

20. Quæ sunt fenestræ istæ? Legimus fenestras, de quibus dicit Hieremias : *Intravit mors per fenestras* (*Jerem.* IX, 21), per quas intravit avaritia, intravit libido. Oculus tuus fenestra est, intravit mors per oculum tuum. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intravit mors per oculum tuum. Si videris possessionem viduæ vel minoris, et concupieris invadere, indefensam putans ætatem esse, vel sexum (sed non sunt indefensi, quos Dominus vult esse defensos) intravit mors per fenestram. Si videris decorem mulieris, aut thesauros minoris, et tuas excitaveris cupiditates, intravit mors per fenestram. Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat et vita. Si decorem [c] puellæ aspiciens sacræ, venereris Dominum Jesum, quod in teneris annis venerit ætas senectutis, vita immaculata : et ipse **1039** filiam tuam offeras, ut pio consecretur velamine ; si possessionem minoris non tamquam sollicitus invasor aspicias, sed quasi parens sedulus religioso tuearis affectu ; per has fenestras prospicit Christus, ut vocet Sponsam, *eminens super retia.*

21. Bene *eminens*, quia solus est quem retia non involverint peccatorum. Omnes intra retia erant, immo adhuc intra retia sumus, quia nemo sine peccato, nisi solus Jesus, quem non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum

[a] Cum hæ voces, *Gervasii et Prothasii*, tituli instar hic in pluribus mss. superscriptæ, tum quæ sequuntur, *Celebramus enim*, etc., sermonem hunc die revelationi eorumdem SS. martyrum sacro pronuntiatum fuisse aperte significant. Porro quod paulo superius ait : *Et attactu nullo implicans ignem*, etc., illud Virg. VII Æneid. de serpente in sinum Amatæ uxoris Latini regis illabente, haud dubie imitatur :

Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem.

Ubi *attactu nullo* idem sonat, ac sensim sine sensu. Neque vero minus exprimit quod, quatuor versibus interjectis, legitur :

Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem.

[b] *Adolerent*, id est, magis incenderent, sive augerent.

[c] Puellam sacram vocat, eam quæ voto publice emisso castitatem profitebatur. Illa enim a parentibus solebat offerri, ut ab episcopo sacrum capitis velamen, tamquam professionis suæ insigne acciperet. Aliquando tamen invitis etiam parentibus solemne illud castitatis votum nuncupabat. Sed de hoc vi-

Digitized by Google

non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundum illud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra et ministra peccati. Venit Dominus Jesus, [a] et in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Facta sunt membra nostra jam non arma libidinis, sed arma virtutis. Namque ubi erant incentiva libidinis, ibi nunc sunt domicilia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius : venit ad retia, sed securus.

22. Plena erant omnia laqueis, referta retibus. Audi dicentem : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (*Psal.* CXLI, 4). Et in libro Sapientiæ Syrach moneris, ut cognoscas quia in medio laqueorum ambulas (*Eccli.* IX, 20). Quot vitia, tot retia : quot peccata, tot laquei : hæreditarii jam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Jesus, ut Adam solveret : venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur, nullus alium eruere poterat, cum se ipsum non posset exuere. Talis ergo necessarius fuit, quem vincula generationis humanæ delictis obnoxia non tenerent, non cepisset avaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Jesus, qui cum hujus carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat, non erat alligatus : sed dirumpens ea atque dissolvens, ad se magis vocavit Ecclesiam, prospiciens per laqueos, eminens super retia; ut et ipsa disceret vinculis non teneri. Denique eo usque non longe a vinculis fuit, ut pro nobis subiret et mortem : sed tamen non servus mortis effectus, sed liber inter mortuos; liber enim erat, qui solvendæ mortis potestatem habebat. Denique ipse te doceat, qui ait : *Solvite hoc templum, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19).

23. Audiamus itaque quid dicat : *Exsurge, veni, proxima mea* (*Cant.* II, 10), hoc est, surge a mortuis, exsurge a vinculis, quibus circumdata tenebaris. *Exsurge*, quia ego resurrexi tibi : solve vinculum iniquitatis, quia ego jam solvi tibi. *Veni*, quia jam retia soluta sunt. Virgo peperit, puer natus ex Virgine est. Nihil debet muliebri hæreditati : quasi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem maceriæ jam solutum, qui interiorum affectuum concordiam dividebat, et in diversum excitabat dissensiones corporalium passionum. Veni ergo secura, cupio videre faciem tuam, et audire vocem tuam : veni, ut jam me non per retia videas, **1040** sed facie ad faciem vultibus amatoris dilecta potiaris. Et hic ista decursa sint. Mystica autem

A illa, si possumus, vel [b] linea intueamur extrema.

24. Sedebat intra domum Sponsa, devota Domino, intra parietem Legis et prophetarum, spiritalium lapidum exædificatione fundatum, qui claudebat atque vallabat domum regiam, plenam jucunditatis atque lætitiæ. Mirabatur thesauros regios, et intuebatur sollicite, cupiens sapientiam, quæ has sibi divitias demonstraret, adsciscere. In secreto erat, sed secreti ipsius interpretem requirebat. Venit Dominus Jesus saliens super montes. Nobis sero videbatur venire, sed ille properabat. Saliebat denique et transiliebat; ut Judæorum corporalia et saxosa dogmata transiliret. Adstitit post parietem domus, quæ erat in veteri Testamento, prospiciens per Legis fenestram, per prophetarum cavernas. Nondum erant domus illius

B aperta vestibula : nondum claves scientiæ portarum claustra patefecerant, quibus Legis claudebantur interna. De superiore tamen hoc est, spiritali parte prospectans, Ecclesiam vocat; ut per Legem et prophetas Evangelii vertice sublimis assurgens, retia Judaicæ interpretationis et nodos intrepido calcet vestigio. Ideoque *proxima* vocatur, ut adhæreat Christo, mundana non quærat : ideo *formosa*, ut speciosos evangelizantium pedes proferat : ideo *columba*, ut spiritalia petat, terrestria derelinquat.

25. *Ecce*, inquit, *hyems præteriit : imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra* (*Cant.* II, 11 *et* 12). Ante adventum Christi hyems erat : venit Christus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum : passus est Christus, et omnia cœperunt

C novæ gratiæ fecundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, et nubila tetris orta flagitiis, æstiva jam puræ conscientiæ serenitate laxantur. Ideo non evadunt, quorum fuga hyeme fit; quia non sequuntur Domini passionem, non tollunt crucem suam, et Christum sequuntur. Imber impedit flores : at nunc flores videntur in terra. Boni flores apostoli, qui diversorum scriptorum atque operum suorum fuderunt odorem.

26. *Tempus secandi advenit* (*Ibid.*, 12); quoniam matura in horreis frumenta conduntur : et qui metit, mercedem accipit. *Vox turturis audita est* (*Ibid.*): quia invenit sibi nidum, Ecclesia enim domus est castitatis. Ficus quæ propter infecunditatem jubebatur excidi, fructus jam ferre cœpit. Vinea translata

D ex Ægypto, jam non maceriis destructa depositis, incursatur a bestiis, nec informis sentibus, sed odora jam floribus, quæ solebat facere spinas, fructu curvescit uvarum (*Ibid.*, 13).

vendi genere quod tanta cura ac sollicitudine Italiæ Mauritaniæque regionibus invexerat Ambrosius noster, alius erit dicendi locus.

[a] Hunc locum Catharinus Opusc. *de Concep. B. Mariæ*, laudat; sed ita refert : *Et in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia*, etc. Verum jam viris doctis observatum est hæc verba *in matre*, nusquam apud Ambrosium inveniri. Et certe S. Doctor id tantum hoc loco significat, Christi carnem ejusdem ac nostram, quæ peccato obnoxia est, naturæ esse : neutiquam vero inficiatur beatæ Virginis immunitatem ab omni peccato; quippe quam non obscure astruat in ultimum hujus ipsius psalmi versiculum illis verbis : *Suscipe me non in carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria; ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.*

[b] *Extrema linea*, id est, eminus seu e remotiori loco. Nam quod in quaque re postremum est, extremum dicitur. Est autem proverbialis locutio a circo, ubi varii gradus et spatia lineis distinguebantur, translata; de qua vide Adagia Erasmi chil. 4, cent. 5, Prov. 46, et alibi.

Digitized by Google

27. Merito igitur sanctus David pascha Domini A celebrans, et ferventi spiritu tempora ingressus æstiva, qui in verbo Dei fructus varios colligebat, hyemis adversa declinans ait : *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.* Quantus labor est, ut verbum percipias? Quantum iterum periculum **1041** si amittas? Et ideo tibi dicitur : *Noli negligere gratiam quæ in te est* (I *Tim.* IV, 14). *Excole diligenter quasi bonus agricola, campum tuum; ut pascantur agni tui, et sata tua floreant* (*Prov.* XXVII, 16). Non auferatur ex ore tuo verbum; ne forte factis verba non congruant, et deforment iniquitatis opera magisterium disciplinæ. Tollitur ex ore verbum, cum dicitur peccatori : *Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? Et ipsa obmutescit facundia, si ægra sit conscientia. Veniunt B aves cœli; etiam ipsæ tollunt Verbum ex ore tuo, [a] quæ tollunt verbi semen e saxo, ne fructum afferat.

28. Nunc consideremus, utrum etiam ex corde possit auferri verbum veritatis. Radicatum enim verbum atque depressum, et infixum mentibus nostris difficile auferri potest. Denique dictum est a Domino : *Quare tu enarras justitias meas* (*Ibid.*)? Non dixit : Quare cogitasti justitias meas? *Et assumis Testamentum meum per os tuum?* Non dixit : Per cor tuum. Sermo cohibetur indigni animi, non obstruitur pœnitentia : insolentiam prohibet, non excludit correctionem. Cavendum tamen est ne et ipsa interius corda turbentur, et offundat tenebras malitia, ut cor vanis cogitationibus obcæcatum lucem veritatis amittat, fulgoremque verbi capere non C possit. Si igitur David orat, ne auferatur ex ore suo verbum, et si auferatur, non *usquequaque*, id est, non penitus auferatur : quis tantus est, qui in potestate sua gratiam disputationis esse commemoret; præsertim si vita redarguat, quod doctrina præsumat, et judicio Dei damnanda committat? Is enim qui in judiciis Dei sperat, servare potest verbum veritatis; quia dum veretur pœnam, custodit gratiam.

29. (Vers. 44.) Ideoque ait : *Et custodiam legem tuam semper, in æternum, et in sæculum sæculi.* Duo dixit, cum unum satis esse posset, si unum significare voluisset. Sed quia non solum in præsenti vitæ hujus tempore, sed etiam in futuro post hujus vitæ curriculum custodienda lex promittitur; ideo arbitror quia et secundum eos qui exemplari et umbræ serviunt cœlestium, et secundum eos qui in cœle D stibus siti secundum veram Legem cultus Deo deferunt, pollicetur sibi esse vivendum; ut et hic et ibi legem custodiat. Hic in exemplari, in speculo, in ænigmate : illic in ipsa facie veritatis.

30. Possumus et illud intelligere; quia διὰ παντός non solum id significat quod dicitur *semper*, sed etiam id quod, *per omnia*; quia ille per omnia Legem custodit, qui cum sit eruditus in Lege, sub Lege natus, et supra Legem devotionis suæ gradum promovens, liberatur [b] a Lege (Christus enim nos redemit a maledicto Legis) non sine lege Dei, sed in lege factus est Christi : aut certe si per omnia Legem custodiamus, si legitimam pueritiæ atque adolescentiæ disciplinam, juventutis conversationem, senectutis maturitatem, tramitemque singulis præscriptum ætatibus nequaquam vitæ nostræ usus excedat. Similiter etiam animæ nostræ quædam esse videntur ætates, per quas percurrit et transit; ut possit dicere : *Cursum consummavi* (II *Tim.* IV, 7). **1042** Denique animæ ætas est illa, de qua dicitur : *Et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 9). *Per* omnia ergo Legem custodit, qui et in his corporis nostri ætatibus, et in illis animæ nostræ processibus non deviarit a Lege.

31. (Vers. 45.) *Et ingrediebar in latitudine; quia testimonia tua exquisivi.* Qui secundum mandata angustam et arctam graditur viam, ambulat in latitudine. Unde legimus : *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV, 2). Et alibi : *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine* (*Psal.* CXVII, 5). Sapiens enim in cordis sui ambulat innocentia, et de ejus fonte superfluunt aquæ super ejus plateas, qui mentem suam non intra corporalia et terrena concludit; sed dirigit ad cœlestia, ut conversatio ejus in cœlo sit. Audi nullas angustias sentientem : *Pressuram*, inquit, *patimur : sed non angustamur* (II *Cor.* IV, 9). Et quomodo coangustari poterat, cujus os semper patebat (II *Cor.* VI, 11); ne credentes coarctarentur? Ipse exponat quid sit ingredi in latitudine. Dicit enim : *Quin etsi corpus angustatum est, cor nostrum dilatatum est. Non angustamini in nobis : coarctamini autem in visceribus vestris.* (*Ibid.*, 11 *et* 12).

32. Coangustari in Paulo non poterant, in quo erat altitudo sapientiæ, et fidei latitudo. Quomodo enim poterant coarctari in eo, qui erat vas electionis æternæ? Sed coarctatur in semetipsis; quia improbus in se ipso coarctabantur, malitiæ suæ laqueis strangulatus. Constitue mihi avarum, villarum quotidie terminos proferentem, excludentem vicinos; utrum is tibi dilatari, non coangustari videtur, quem terra ipsa non capit? Quantacumque spatia domus suæ porrexerit, clauditur angustiis opinionis suæ finibus, cui quod habet non est satis. Sed non talis est, qui potest dicere : *Et ingrediebar in latitudine.* Addidit etiam causam : *Quia testimonia*, inquit, *tua exquisivi.*

33. (Vers. 46.) *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.* Grate convenit ista vox martyri, qui vocatus ad sacrilegium, ex-

[a] Edit. omnes, *ex ore tuo. Sunt enim tempora tentationum, quæ tollunt verbi semen e saxo, ne radicem habentes.* Vet. edit., *fructum afferant*; Rom., *nec etiam fructum ferant.* Sed quæ resecavimus e textu in nullis Gall. mss. reperias. Et certe penitius locum inspicienti, non obscurum fuerit scioli cujuspiam esse paraphrasim. Quo enim, quæso, *ne radicem habentes?* Nam quod mss. aliquot legunt, *afferant*, id quidem *ad semen*, quæ vox collectiva est, potest referri.

[b] Omnes edit., *a Lege. Christus enim nos redemit a maledicto Legis : et ideo non sine Lege*, etc. Sed præterquam quod, *et ideo*, in cunctis mss. desideratur, minus sibi cohæret series orationis; quocirca lectio mss. potior visa est.

Digitized by Google

probrantibus sibi regibus crucifixum Jesum, non erubescebat : sed magis gloriabatur in cruce Christi, et illam mundi salutem esse testimoniis cœlestibus astruebat. Hos vocat Christus in Sponsa dicens in Canticis Canticorum : *Et veni tu*, *columba mea*, *in tegumento petræ*, *juxta præmunitionem* (*Cant.* II, 14); hoc est, veni juxta Evangelium. Propugnacula fidei tuæ gesta sunt Christi : muri tui subsidia verba sunt Domini : passio Dominici corporis tua virtus est. *Ostende mihi faciem tuam*, *et insinua vocem tuam; quia vox tua suavis est*, *et facies tua pulchra* (*Ibid.*). Suavis est vox, quia ore confessio fit ad salutem : et decora facies, quæ non erubescit Auctorem, non confunditur Redemptorem. Ostendit ergo faciem suam, signaculum crucis præferens : et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens. In tegumento enim corporis Christi, quo redempta est a peccato, munimentum gratiæ spiritalis invenit: ut salutaria sibi et sentiat et loquatur. Suavis ergo vox quæ in divinis testimoniis loquebatur : decora facies, quæ in conspectu regum non confundebatur.

**1043** 34. Possumus et illos reges intelligere, quibus dicitur a Petro : *Vos autem genus electum*, *regale sacerdotium*, *gens sancta*, *populus in adoptionem* (I *Pet.* II, 9). Sunt enim reges qui offerunt in Hierusalem sapientiæ suæ munera, quibus data est gratia verbum loqui, et quadam potestate regali flectere populos, et animas mulcere sanctorum : non erubescentes in eo; quia nihil alienum ab honestate loquerentur, quos nemo redarguat et repellat, quasi quia non sint digni, quos idoneos Christus ministros novi fecerit Testamenti, et jam in illo non erubescentes; eo quod non metuerent ne confunderentur disceptantium contraria assertione superati. Rex igitur est qui non erubescat, ne in actu reprehendatur, redarguatur in sermonibus; eo quod et vita debeat esse fundatus et verbo. Itaque quamvis perfectus ita esset Propheta, ut non erubesceret in conspectu regum, tamen meditabatur in præceptis Dei omni vitæ suæ tempore, et opera sua elevabat, nihil agens quod terrenis cupiditatibus adhæreret.

35. (Vers. 47, 48.) Ideoque ait : *Et meditabar in mandatis tuis*, *quæ dilexi nimis. Et levavi manus meas ad mandata tua*, *quæ dilexi nimis : et exercebar in justificationibus tuis.* Pulcherrimus ordo iste, ut primo meditemur, et eorum præceptorum quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium operis boni usus inolescit. Nam sicut meditationi verborum finis memoria est, ut quæ meditamur verba teneamus : sic meditationis præceptorum cœlestium intentio vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta divina, quæ nisi quis diligat, implere non poterit : nec solum diligat, sed etiam *nimis* diligat.

36. Ideo prius posuit : *Et meditabar in præceptis tuis*, *quæ dilexi nimis.* Et subjecit : *Et levavi manus meas ad præcepta tua*, *quæ dilexi nimis.* Post meditationem etenim bonum est levare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum charitate, cum gaudio; ut non ex necessitate sit bonum nostrum, non cum mœrore atque mœstitia, sed voluntarium; quia servus invitus facit, amicus voluntarius. Nos autem studeamus ut dicatur nobis : *Jam non dicam vos servos*, *sed amicos* (*Joan.* XV, 15), quia quasi amici mandatum Dei ex voluntate fecistis. Qui autem meditatur et diligit, et actus suos levat, ut faciat quæ placeant Deo : is debet non negligere, nec transcurrere mandata divina : sed exerceri in his, immorari plurimum, justificationes Dei crebro revolvens sollicitæ mentis affectu.

## SERMO SEPTIMUS.

ז. *Zain*.

1. Littera secundum Hebræos *Zain* significat Latine, *duc te :* alibi significat, *huc.* Quid sibi velit ista interpretatio non satis liquet, nisi forte ut unusquisque se regat, et ipse sui ductor sit. Vel *huc*, id est, quo litteræ hujus versiculi vocant, dirigat iter. Meritoque in primo statim versu requiem suam postulat; quia ipse litteræ septimus **1044** numerus est quietis. Quæ autem major requies, quam ut in verbo Dei requiescat, atque ejus se gratia et consolatione demulceat.

2. (Vers. 49.) *Memento*, inquit, *Domine*, *verbi tui servo tuo*, *in quo mihi spem dedisti.* Verbum Dei dejectos nos atque depressos ad cœlestem gratiam provocavit; ut desideremus æternitatem, [a] despiciamus præsentia, temporalium incuriosi futura et invisibilia requiramus. Vocat igitur nos ad se Dei Verbum, sicut habes scriptum : *Venite ad me*, *omnes qui laboratis et onerati estis*, *et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Ideoque sequamur vocantem Dominum Jesum; ut a sæcularibus ad perpetua transeamus, nosque ipsos regere noverimus.

3. [b] Ergo David, quoniam sæpe responsis erat invitatus cœlestibus, quibus remunerationem fidei meritorumque speraret fore, sicut habes scriptum, dicente Deo per Nathan prophetam : *Accepi te de ovili ex uno grege*, *ut sis in principem in populum meum Israel; et eram tecum in omnibus quibus ingrediebaris et exterminavi omnes inimicos tuos a facie tua* (II *Reg.* VII, 8 *et* 9). Et infra : *Et requiem tibi dabo ab omnibus inimicis tuis* (*Ibid.* 11). Quo responso accepto, ait David : *Quid sum ego*, *Domine Deus meus*,

[a] Edit. Rom. cum duobus mss., *Despiciamus præsentia*, *temporalia recusemus*, *futura*, etc. Antiquæ cum aliis aliquot : *Despiciamus præsentia temporalium incursionum*, *si futura*, etc. Major autem ac potior pars mss. ut nos in textu.

[b] Edit. Omnes, *Ergo David* [*vocatus erat verbo Dei*, *et spem in eo habuit*] *quoniam*, etc. Sed inclusa uncinis neque in Vat. neque in Gall. cod. reperire est. Addita vero ab aliquo videntur fuisse, qui cum intelligeret voces (*Ergo David*) referri ad inferiores illas, *Hoc igitur responso*, etc., putavit sensum nimis esse suspensum. Unde ut ei vitio mederetur, voces a nobis resecatas adjecit.

Digitized by Google

*et quæ domus mea; quoniam dilexisti me in his, et* A *memorata sunt minima in conspectu tuo, Domine, et locutus es pro domo servi tui in longinquo* (*Ibid.*, 18 *et* 19)? Et infra ait : *Et nunc, Domine meus, Domine, tu es Deus. Et verba tua sunt vera, et locutus es pro servo tuo bona hæc : et nunc incipe benedicere domum servi tui, ut sim in æternum in conspectu tuo; quoniam tu, Domine meus, Domine locutus es, a benedictione tua benedicetur domus servi tui in æternum:* hoc igitur responso et aliis vocatus David, sperare non desinit, et propheticæ fidei auctoritate convenit Dominum; ut meminerit promissorum suorum, quorum immemor esse non soleat. Sanctis enim quæcumque spoponderit, implere consuevit, nostrarum immemor iniquitatum, suarum non immemor sponsionum. Denique scriptum est : *Ego sum, ego sum, qui deleo* B *iniquitates tuas.... et memor non ero : tu autem memor esto et judicemur* (*Esai.* XLIII, 25 *et* 26). Vult oblivisci quæcumque minitatus fuerit peccatoribus, si vias aliquando convertant : vult etiam conveniri, ut si quis proposita secutus virtutibus præmia, bene certaverit, fructum remunerationis exspectet, quin etiam exigat, sicut habes scriptum : *Certamen bonum certavi; cursum consummavi : reposita est mihi corona justitiæ* (II *Tim.* IV, 7). Non est enim arrogans usurpatio, sed fidelis; quia verum Deum non posse fallere confitetur. Ideoque admonet et David dicens, ut meminerit Dominus verbi sui; quo nos ad sperandum provocat, ut terrenis renuntiemus, inhæreamus cœlestibus.

4. Dicit ergo David : Certamen certatus sum, C bravium peto verbi tui, quod promisisti mihi : memor esto promissorum tuorum, quæ spopondisti servo tuo. Non usurpatorie speravi quæ ut sperarem ipse fecisti. Servus sum, exspecto alimentum a Domino : miles sum, exigo ab imperatore stipendium : vocatus sum, postulo ab invitante promissum. Verecunde autem auctoritatem **1045** suæ fidei temperavit, dicendo se servum; quia *Oculi servorum in manibus dominorum suorum* (*Psal.* CXXII, 2). Hæc ex persona David propria bene prompta sunt.

5. Cæterum si quis informationem cujusque hominis considerat, potest levitis communia promissa librare, sicut habes : *Date Levi viros ejus, date Levi manifestos ejus* (*Deut.* XXXIII, 8). [a] Potest etiam populi credentis electis alloquium istud aptari : cui per D typum Joseph, primo in typo ejus nominis, deinde per tribum in primæ electionis hæredes transfusa est divina promissio, dicente Moyse : *Primogenitus tauri decus ejus : cornua unicornui cornua ejus : in ipsis gentes ventilabit simul usque ad summitatem terræ* (*Ibid.*, 17). Unicum enim Verbum Dei hoc prophetatur oraculo, toto per gentes orbe fundendum. Hoc ergo surrecturæ Ecclesiæ promissum David verecundus sui, impatiens vero communis profectus morantis, exigere videtur.

6. (Vers. 50.) Et addidit : *Hæc me consolata est in humilitate mea, quoniam verbum tuum vivificavit me.* Hæc est spes, hæc quæ verbo tuo obvenit mihi, consolata est me, ut tolerarem acerba præsentium. Dum facit Paulus contra nomen, non habet spei consolationem : dum patitur pro nomine, [b] haurit spem de consolatione. Et fidelis factus quomodo nos consoletur, accipe : *Quis nos separabit*, inquit, *a dilectione Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est : Quia propter te morti tradimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Rom.* VIII., 35 *et* 36). Et qua ratione illa patienter tolerari possint, addidit : *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui nos dilexit* (*Ibid.*, 37). Ergo si quis vult adversa superare, si est persecutio, si est periculum, si mors, si ægritudo gravis, si incursus latronum, si facultatum proscriptio, si quidquid eorum quæ putantur in isto adversa sæculo, facile superantur, si sit spes quæ consoletur. Nam etsi illa acciderint, tamen gravia esse non possunt dicenti : *Existimo enim quod indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Ibid.*, 38). Quisquis enim meliora sperat, numquam levioribus frangitur.

7. In tempore igitur humilitatis nostræ spes consolatoria est, quæ non confundit : tempus autem tentationum, tempus humilitatis animæ nostræ arbitror. Humiliatur enim anima nostra, dum traditur tentatori, duris examinanda laboribus; ut luctetur et certet, congressum contrariæ experiens potestatis : sed in his tentationibus vivificatur alloquio Dei. Hæc est enim animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur, et pascitur, et gubernatur. Nec quidquam aliud est quod vivere faciat rationabilem animam, quam alloquium Dei. Sicut enim augetur sermo Dei in anima nostra, dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur; ita etiam vita ejus augetur : et quemadmodum e contrario alloquium Dei deficit in anima nostra, ita et incurrit ejus vita defectum. Itaque ut connexio ista animæ et corporis nostri spiritu vitali animatur, atque alitur, et tenetur : ita verbo Dei et spiritali gratia anima nostra vivificatur. Unde omni genere studere debemus, ut reliqua omnia **1046** posthabentes, congregemus nobis alloquia Dei, et congeramus [c] in principale nostrum, in sensus, in sollicitudines, considerationes, actusque nostros; ut alloquiis Scripturarum facta nostra conveniant, nec a serie præceptorum cœlestium actus nostri discrepent.

[a] Rom. edit. cum paucis mss., *Potest etiam populis credentibus, populis electis.* Ant. cum aliis mss....*populi credentis electis.* Quod autem in cunctis edit. sequitur, *Potest et surrecturæ Ecclesiæ convenienter aptari*, desideratur in mss. et superfluum videtur.

[b] Ita vet. edit. Rom. vero conversis verbis emendaverat, *de spe consolationem.* Mss. autem totum hunc locum exhibent in hæc verba : *Dum facit et fideles futuros* (nonnulli *futuris*, aut etiam *futuri*) *quomodo nos consoletur, accipe.* Non omnino spernenda lectio, si legas, *futuros*, et verbum, *facit*, ad spem referas. Hic tamen præstare videntur editiones.

[c] Id est animam partemque nostram spiritalem, de qua proxime ante dixerat : et eo verbo sæpius utitur S. Præsul eodem sensu.

Digitized by Google

cordare videantur, quo possimus et nos dicere : *Quoniam eloquium tuum vivificavit nos.*

8. (Vers. 51.) Tertius versus est : *Superbi inique agebant nimis : a lege autem tua non declinavi.* Maximum peccatum in homine superbia est ; quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum diabolus vulneravit, et perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus sicut Deus esse voluisset, et verum falsumque cognoscere, quod penitus discernere humana fragilitate non poterat ; ideoque quod sequeretur acceperat, ne temeraria usurpatione de illa paradisi felicitate decideret : nisi, inquam, homo suis non contentus finibus interdicta temerasset, nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Denique dum dicit : *Ponam thronum meum super nubes . . . . et ero similis Altissimo* (*Esai.* XIV, 13 *et* 14), consortiis excidit angelorum : cujus criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisivit, in quem consortium suæ transfunderet offensæ.

9. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria? Ideoque Scriptura dicit : *Dominus superbis resistit* (*Prov.* III, 34). Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen ; tanquam dicat : Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Unde et Apostolus multiplicis culpæ materiam esse superbiam declaravit, dicens de hæretico ; *Quia ei quæ secundum pietatem est,* [a] *doctrinæ non acquiescit : superbit nihil sciens, sed languescens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, sacrilegia, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et a veritate alienorum, existimantium quæstum esse pietatem* (I *Tim.* VI, 3 - 5). Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Unde David commendare volens devotionem suam nulla superborum iniquitate attentatam, ait : *Superbi inique agebant nimis.* Non solum iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declaravit, quæ conveniret superbis : quorum ne aliquo tentaretur contagio, audi alibi dicentem : *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam* (*Psal.* C, 5).

10. Itaque quoniam quanta vis mali in superbia esset, expresserat, quemadmodum vinceretur debuit nos docere : meritoque quasi bonus doctor demonstrat remedium, qui exaggeravit venenum. Audi ergo quomodo excludas virus superbiæ : *A Lege,* inquit, *tua non declinavi.* Lex igitur Dei sola potest superbiæ virus hebetare, quæ informavit virum devotioni deditum, quali se regere debeat cautione. Multi enim non solum **1047** alieni a fide, sed etiam qui videntur non mediocria Scripturarum præ-

A cepta gustasse, tentari solent prosperis superborum processibus : videntes eos qui prævaricantur legem, impietatis arbitros, arrogantes, contemptores fidelium, extollentes se adversus eos qui humiliant cor suum secundum timorem Dei et præcepta cœlestia, abundare in hoc sæculo divitiis, præconio, honoribus, potestatibus ; eisque quo graviora commiserint, eo affluentiores successus commodorum sæcularium secundare : contra autem justos viros plerumque laborare inopia, amissionibus filiorum, sterilitatibus conjugum ; quo exagitati atque turbati, sensum mentis inclinent, ut putent Dei in hoc quodammodo errare judicium : non tenentes caput veritatis, quo evidentissime comprehenditur non in hoc sæculo, sed in futuro repositam nostrorum re-
B munerationem esse meritorum.

11. Sed paucorum est istud advertere. Denique in principiis etiam David ipse tentatus est ; sicut habes scriptum : *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, et dixi : Nunquid sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die* (*Psal.* LXXII, 12 - 14)? Ita igitur et nostrum unusquisque, qui perfecti non sumus, hæc videns dicit : Ubi est providentia Dei, ubi justitia? Superbus iste abundat, arrogans iste locupletatur, impius iste beatus et potens est : justus autem ille, vides quemadmodum jacet [b] dejectus atque defectus, quemadmodum ipso victu indiget : afficitur contumeliis ab isto impio, ab isto insolente conculcatur, excluditur? Non mediocris utique ista
C tentatio est, nisi ad ea quæ sunt ventura prospicias, nisi præceptis plenius cœlestibus instruaris.

12. Denique et David putabat se ante hæc cognoscere, sed nesciebat ; et ideo anxius fluctuanti animo laborabat. Unde ait : *Et æstimabam me scire : hoc labor est ante me, donec ingrediar in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis* (*Ibid.*, 16 *et* 17). In quibus per id quod se extulerunt superbi, vidit prophetico spiritu dejectiores fore, et ait : *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, et exterminati sunt propter iniquitatem suam, sicut somnium exsurgentis* (*Ibid.*, 19 *et* 20)? Cognovit igitur impiorum successus in hoc sæculo somnii esse similes, non veritatis : quorum emolumenta tamdiu videntur esse, dum dormiunt. Ubi edormierint [c] somnium suum,
D qui videbantur sibi potare, jam sitiunt : qui epulabantur, esuriunt, nihil solidum ex isto somnio, perfectumque referentes. Et bene somnium dormiunt sæculares viri, qui licet sæculo vigilent, Deo dormiunt, de quibus bene sanctus Job, qui eorum ante affluentiam mirabatur, ait : *Quia sicut paleæ jactantur a vento, et sicut pulvis turbine dissipantur. . . . moriuntur autem cum amaritudine animæ suæ, nihil manducantes, nihilque boni habentes* (*Job.* XXI, 18 *et* 25). Justus autem habens bonæ fiduciam conscientiæ, in

[a] Vet. edit. ac mss. prope ad unum, *doctrinæ superbit, nihil sciens.*

[b] Omnes edit., *dejectus atque despectus.*

[c] Omnes edit., *somnum suum* ; et sic deinceps. Et favet quidem is ad quem allusum videtur, psal. LXXV, versiculus 6, ὕπνωσαν ὕπνον αὐτῶν. Mss. tamen prope ad unum repugnant, quorum haud dubie sensus est hoc loco concinnior.

suis magis novissimis gratulatur, et se vitæ hujus A exitu a laboribus intelligit liberari, mercedemque boni operis et factorum requirit dicens : *Reposita est mihi* 1048 *corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus* (II *Tim.* IV, 8).

13. Sed hoc ille ait, qui poterat dicere : *A lege autem tua non declinavi ;* in quo non solum boni operis elucet gratia, sed etiam intimæ puritas conscientiæ. Lex enim non solum agendi munus informat : verum etiam secretæ emundat mentis affectum. Non enim solum in operibus, sed etiam in ipsis occultis secundum legem Domino militamus ; quia Lex dicit : *Non fiat* [a] *verbum injustitia occulta in corde tuo* (*Deut.* XV, 9); ut non solum nihil opere factisque delinquas, cum B superbos videris gloriari, nec sermone labaris : sed ne in corde quidem intimo, dum de Dei judicio disceptas, contrahas iniquitatis offensam : quæ quo putatur occultior, eo frequentior esse consuevit ; [b] quia tuto putat unusquisque quod hujusmodi disceptationes, velut septus visceribus suis, conscientiæ suæ credat ; cum ipse sui accusator in die judicii sit futurus ; quia revelantur cordis abscondita, testimonium perhibente conscientia accusationibus nostris.

14. Cujusmodi igitur sit propositum viri sancti, hoc evidentius loco exponitur. Primum enim memor esse debet promissorum cœlestium : secundo quæ viventibus merces statuta debetur. Deinde aliud propositum viri sancti est, ut etiamsi in periculis et adversis positus sit, spe tamen quam hausit ex serie C Scripturarum, se debeat consolari. Tertium propositum, ut etsi impios et sacrilegos videat, et superbos inique agentes abundare divitiis in hoc sæculo, non quasi incredulus declinet a lege ; sed in ejus semitis perseveret, et fugiat superborum contagia. Contaminat enim omnis immundus : immundus autem superbus, de quo scriptum est : *Immundus ante Deum omnis tumidi cordis* (*Prov.* XVI, 5).

15. Quartum propositum viri sancti, ut memor sit judiciorum cœlestium, sicut David asserit, qui dicebat : *Memor fui judiciorum tuorum quæ a sæculo sunt, et me consolatus sum.* Nisi enim unusquisque legis instructus et informatus exemplis, credat semper vera esse Dei judicia, cito declinat a lege. Qui autem præterita repetit, et ex semet colligit seriem vetu- D statis, cognoscit quod neque peccator pœnam suæ improbitatis evadat, neque justus æquitatis suæ præmiis defraudetur. Retexit enim animo quod ab initio Adam propter mandati cœlestis prævaricationem de paradisi ejectus sit incolatu, et Cain parricidalis sceleris pretium divinæ sententiæ auctoritate damnatus exsolverit : quod Enoch propter devotionem raptus ad cœlum, terrenæ malitiæ virus evaserit : quod Noe propter justitiam diluvii victor, generis factus superstes humani sit : quod Abraham propter fidem seminarium posteritatis suæ toto orbe diffuderit : quod Israel propter laborum tolerantiam, populum credentium proprii nominis signaculo consecraverit : quod ipse David propter mansuetudinem regali honore donatus, senioribus fratribus antelatus sit : quod Elias propter zelum Dei, curru elevatus 1049 in aerem, cœlestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu.

16. Hæc qui novit retexere, habet unde gratiam suæ consolationis acquirat : [c] et contra ; quia judicia Dei vera sunt, sicut habes : *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum, et dulciora super mel et favum; etenim servus tuus custodit ea* ( *Psal.* XVIII, 10 *et* 11). Custodienti igitur dulcia sunt divina judicia : negligenti autem ea amara esse non dubium est ; [d] quia advertit in opprobrii turpitudine peccatorum propositum sibi divinæ eventum esse sententiæ. Qui autem bene sibi conscius est, non turbatur utique, dicens : *Heredes sumus Dei, cohæredes autem Christi ; si tamen compatiamur, ut et simul glorificemur* (*Rom.* VIII, 17).

17. Sed quis nostrum hujusmodi, ut se divinorum judiciorum serie consoletur ? Terribilia sunt peccatoribus etiam humana judicia, quanto magis divina formidini sunt ? Denique ut hoc illa quæ vere æterna sunt, colligamus exemplo, videmus in hoc sæculo innocentes lætos ad judicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare judicii : reos autem refugere et pavere, differre, vitare, mœstificari denique, cum diem judicii audierint constitutum. Beatus itaque ille qui illud cœleste judicium lætus exspectat. Scit enim sibi regnum cœlorum, angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum.

18. (Vers. 53.) Consideremus nunc quod sit aliud propositum viri sancti, et ex sequentibus æstimemus. *Pusillanimitas, inquit, detinuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Non est hoc commune cum multis ; nam plurimorum est contristari, si quam ab aliquo patiantur injuriam, si læsi, si appetiti, si decolorati sint. Nostra enim causa est : nos infirmiores fraudi nobis aliquos dolemus fuisse. At vero qui fortior est, non propriam contumeliam dolet, sed aliena peccata ; et in sua injuria lapsum alterius ingemiscit, et causam se fuisse deplorat lædentis erroris. Exemplum accipe Apostolicum ; Paulus enim in peccato flebat alieno, sicut ipse ait :

[a] Mss. non pauci, *verbum justitiæ occultæ.*

[b] Edit. Rom. ex uno cod. Vat., *quia puto hoc viri sancti esse propositum, quo putat*, etc. Edit. autem vet. ac mss. omnes Gallic. ut nos in corpore ; nisi quod vet. edit. cum uno aut altero ms. legunt : *hujusmodi disceptatione*, ubi nos ex aliis reposuimus.... *disceptationes*. Quod aptius ad sensum congruere non negabit, qui locum paulo accuratius inspexerit.

[c] Edit., *E contra, qui non novit, non habet unde consoletur. Quapropter custodiamus judicia Dei ; quia judicia Dei vera.* Cod. vero mss. magno consensu, *Et contra ; quia judicia Dei*, etc., ut supra in contextu. Sed videtur aliquem supplere voluisse, quod lectori suo cogitandum reliquit Ambrosius.

[d] Ita mss. ; edit. vero, *quia non advertit.* Sed ea negatione sensum everti manifestum est.

Digitized by Google

*Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas* (II *Cor.* II, 4). Et cum ipse contristaretur, eos ipsos quos arguebat, contristari nolebat. Denique addidit : *Non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeo in vobis abundantius* (*Ibid.*). Contristari enim volebat usque ad pœnitentiam lapsos, non usque ad mœstitiam profundiorem ; tantum ut eorum qui arguebantur, mœstitia gaudium fieret arguenti. Unde ait : *Si enim ego contristo vos, quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me* (*Ibid.*, 2) ? Arguit itaque ut allevet diuturnitatem mœstitiæ, quo pœnitentia fieret in salutem : damnat, ut absolvat : excludit, ut recipiat : non ignoscit, ut liberet. Ideo talis Paulus, quia bene peritus in lege, cognoverat præceptum dicentis : *Pusillanimitas detinuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

19. Dolebat David, non quia contemnebatur, non quia ipse appetebatur, sed quia lex Dei relinquebatur ; **1050** et eorum qui hoc faciebant, damnum dolebat, quod perirent Deo. Sicut bonus pater in phrenesi constituti filii, cum ab eo maledicatur, verberetur, afficiatur injuriis, non suam, sed ægroti deflet ærumnam ; et contumeliam dolet, non quo sibi sit irrogata, sed quia per furorem quid faciat æger ignorat : ita vir bonus cum videt peccatorem non revereri, non honorare etiam canos senioris, quo præsente, faciat aliquid indignum ; non agnoscere, quadam peccandi insania, quam indecora et inhonesta committat, quasi moriturum dolet, quasi desperatum a medicis ingemiscit ; et ut bonus medicus primo monet, deinde etiamsi gravia patiatur, tamen tamquam ille ægrum, etsi cædatur, sustinet, et si maledicatur, non relinquit : et quidquid potest medicinæ adhibere, non denegat : nec tamquam contumacem deserit, sed tamquam bene de se meritum omni studio sanare contendit, exercens non solum artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem.

20. Ita ergo etiam justus et cum contemnitur a peccatore, non avertitur : et cum læditur, furoris illud putat esse, non improbitatis, magisque vulneri ejus medicinam afferre desiderat, et compatitur, et dolet non propter se, sed propter illum qui desperato laborat incommodo : et dicit hunc unum ex fratribus sic laborare, sic affici, ut faciat mihi injuriam ; qui si agnosceret me, honoraret utique, certe non læderet. Quid enim læsus est meo facto, ut habeat lædentis affectum ? Ergo cum non suppetit causa lædendi, non potest culpa esse propositi. Ergo si justus sum, afficior propter charitatem, propter dilectionem, propter Ecclesiæ damnum, propter corporis detrimentum. Possum etiam illud dolere, quod etiam si ego lædentem non læserim, et non sim mihi conscius quod eum in me aliquibus injuriis excitaverim, tamen causa illi fuerim lapsus ejus, quod innocentem lædendo delinquat, quod factus sim ei materia peccati.

21. Hoc ergo dolet David, et ideo dolet quia cum unum membrum patitur, et cætera membra compatiuntur. Ideo forte et illud positum est : *Justus in exordio sermonis accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Nam etsi possit justus [a] habere in se quod accuset, et justus esse (quia nemo sine peccato præter unum Deum) et possit etiam peccator hoc ipso justus esse, quia accusator est sui, secundum illud : *Dic iniquitates tuas, ut justificeris ;* attamen forsitan etiam aliquibus non videatur absurdum, ut etiam de illo dictum sit, quod justus sit qui se accusat pro alio, etiamsi in se nihil habeat quod accuset.

22. Quam igitur in his omnibus sancto David viri justi prima persona conveniat, consideremus. Accusavit se, nullo accusante : peccatum confessus est proprium, quando percussus est corde, eo quod numeraverit plebem. Qui et dixit ad Dominum. *Peccavi, Domine, quod fecerim hoc verbum : et nunc, Domine, aufer iniquitatem servi tui, quod deliqui vehementer* (III *Reg.* XXIV, 10). Itaque quamvis Scriptura habeat, quod apposita est ira Dei, ut irasceretur in Israel, **1051** quo regis prolapsio excusari videretur : tamen cum vidisset angelum qui stragem plebis efficiebat, percutientis ictui se ipsum objecit dicens : *Ecce ego peccavi, et ego pastor malignum feci : et hic grex quid fecit ? Fiat manus tua in me, et in domum patris mei* (*Ibid.*, 17). Quasi justus ergo accusator sui fuit in ipso sermonis exordio, et peccatum suum agnovit, et iniquitatem propriam confitendo, justificatus est in semetipso. Alibi quoque de Uriæ morte coargutus a propheta ait : *Peccavi Domino* (II *Reg.* XII, 13) ; cui responsum est propter pœnitentiam ablatum a Domino ejus esse peccatum.

23. Item alio loco cum Semei malediceret ei, et lapidaret eum septum bellatoribus, per quos vindicare se posset, patienter ferebat ; ne verbo quidem referens contumeliam : quin etiam cum Abessa dux ejus caput maledicentis vellet auferre, ait Rex : *Quid mihi et tibi est, fili Sarviæ ? Quod maledicit mihi, Dominus dixit ei maledicere David* (II *Reg.* XVI, 10). Primum igitur culpam ejus excusavit, et causam ad Domini retulit voluntatem. Secundo in suum meritum retorsit ; ut non illum errasse, sed se meruisse significaret. Tertio maledictionem illius sibi non solum non nocere, sed etiam prodesse memoravit sicut scriptum est : *Et dixit David ad Abessa, et ad omnes pueros ejus : Ecce filius meus qui exivit de semine meo, quærit animam meam ; quanto magis filius Jeminei* (*Ibid.*, 11) ? Granditer impetum infregit ultoris. Quomodo enim maledictum extranei pro regis injuria vindicaret, cum filii adhuc parricidium inul-

[a] Edit. Rom. cum paucis mss., *habere nihil in se quod accuset, et justus non esse.* Forte quod creditum sit allusionen esse ad illud Pauli : *Nihil mihi conscius sum*, etc., Melius tamen ant. edit. ac reliqui mss. ut in textu. Hic siquidem significatur justos, etsi peccata gravia quibus justitia amittitur, in se non videant ; ea saltem videre quæ sufficiant, ut se ipsi vere possint accusare : quemadmodum locus e Prov. laudatus satis ostendit.

Digitized by Google

tum maneret? Non utique extranei maledictum, et filii parricidium æqua esset lance pensandum. Et addidit : *Sine illum maledicere ; quoniam dixit illi Dominus, donec videat humilitatem meam, et retribuat mihi Dominus bona pro maledicto* (*Ibid.*, 12). Est et aliud justi propositum longe omnibus perfectius et potentius, intervenire pro persequentibus, et excusare peccantes : quod legimus in Evangelio, dicente Domino Jesu cum crucifixus esset a perfidis : *Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34).

24. Liquet igitur his magisteriis doctrinæ cœlestis, quod justus se accusare malit, quam alium deformare. Denique de Joseph, cui desponsata erat Maria mater Domini, scriptum est quod cum eam gravem utero vidisset, cum esset justus, noluit eam traducere (*Matth.* I, 19) ; et utique nullum adhuc audierat oraculum. Ita non solum ab ultionis atrocitate, sed etiam ab accusationis severitate persona justi aliena est : potiusque ducit suam remissionem accusari, quod [a] non indicaverit, quam alienum crimen urgere. Sed dices : Quomodo dixit ipse David : *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum* (*Psal.* LVII, 11)? Mihi videtur quia lætetur, quod ipse evaserit, non quia impii puniantur. Quæramus aliud justi propositum ex sequentibus.

25. (Vers. 54.) Itaque dicit : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Merito peregrinationibus non frangebatur, superbos declinabat, eorumque prosperis successibus non movebatur. Consolabatur se in judiciis cœlestibus, **1052** angebatur in alienis peccatis ; quia cantabiles habebat justificationes Dei. Quæ enim bene tenemus, cantare consuevimus : et quæ cantantur, melius nostris adhærent sensibus. Non enim perfunctorie transeamus quæ legimus ; ut tunc tantum cum legimus ea, in memoriam eorum redire videamur : sed etiam cum abest codex manibus, tamquam animantia quæ probantur et munda habentur in Lege, etiam quando non pascuntur ruminare consueverunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentia : ita et nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spiritale promamus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis justificationes Domini sint. Psallamus spiritu, psallamus et mente ; ne si obliti fuerimus, in tempore necessitatis dicatur unicuique nostrum : *Abjecisti sermones meos post te* (*Psal.* XLIX, 17).

26. Ideoque ut expelleretur et eliminaretur oblivio a domo sancta sua, cantatores sibi fecit verus A Salomon, qui toto spiritu inquirendæ cognitioni divinitatis intenderent ; ne psallentes deessent Ecclesiæ suæ, quorum cantu nequam spiritus fugaretur (II *Paral.* V, 12) : sicut David sancti docemur exemplo, quo psallente, malus ille spiritus expellebatur, qui Saul regis corda vexabat (I *Reg.* XVI, 23). Prophetæ quoque ut prophetarent, psallendi peritum jubebant psallere, quo suavi invitata dulcedine spiritalis infunderetur gratia (IV *Reg.* III, 14). Et in Evangelio legimus in domo patris illius filium recuperantis præcrepuisse symphoniam, qua epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatienter audiebat (*Luc.* XV, 28). Dulcis igitur est cantilena, quæ non corpus effeminat, sed mentem animumque confirmat. Ideoque canticum dicitur Domini Testa- B mentum ; quia remissionem omnium peccatorum, Dominique justitias in Scripturis Evangelii suavi mentis exsultatione concinimus. Ipse quoque Dominus non dedignatus est dicere : *Cantavimus vobis, et non saltastis* (*Luc.* VII, 32). Cantavit nobis in Evangelio veniam delictorum : debuerunt Judæi mentem attollere non histrionico corporis motu, sed sancto Spiritu. Non fecerunt, ideo reprehenduntur.

27. Sed etiam et corporis [b] saltatio in honorem Dei laudabilis habetur. Denique saltavit David ante arcam Domini, et vidit eum Michol filia Saul saltantem, et percutientem [c] in organis harmonizatis in conspectu Domini, et ait ad eum, posteaquam se domum recepit : *Quid utique honorificatus est rex Israel; quia denudatus est hodie in oculis puellarum suarum* C *ancillarum, sicut unus ex saltatoribus?* Et dixit David [d] ad Michol in conspectu Domini : *Benedictus Dominus qui elegit me super patrem tuum, et super omnem domum illius constituere in principem super plebem suam Israel et Judam : saltabo in conspectu Domini, et denudabor adhuc sic, et ero nugax in conspectu tuo, et cum puellis cum quibus dixisti me nudatum, glorificabor. Et Michol*, inquit, *filiæ Saul non erat filius usque in diem mortis ejus* (II *Reg.* VI, 20 *et seq.*). Evidens itaque exemplum quod et **1053** Propheta qui percutiebat in organis, et saltavit ante arcam Domini, justificatus est : et illa quæ reprehendit eum, sterilitate damnata est.

28. Sed non satis est ut aliquis cantabiles habeat justificationes Dei, nisi terrenarum exuat se servitio D sollicitudinum. Ideoque addidit : *In loco peregrinationis meæ* (*Psal.* XXXVIII, 13). Convenit sibi; siquidem et alibi ait : *Advena sum ego in terra hac* (*Ephes.* II, 19). Unde et Apostolus non vult nos in domo Dei, fideique vocatione advenas esse et peregrinos : sed

[a] Edit. ant. cum maxima parte mss., *quod non judicaverit*. Rom. cum mss. aliquot,... *non vindicaverit*. Cod. Remig..... *indicaverit*, id est, accusaverit, sive crimen detulerit, quo sensu non semel hoc verbi accipitur apud Ciceronem. Et hic quidem optime, uti orationis docet series.

[b] Saltatio inter actus religionis habita est non solum apud Hebræos, verum etiam apud gentiles. Hinc Romæ Salii sacerdotes Martis atque Herculis. Hinc varia saltationum genera in honorem deorum instituta ; de quibus Lucianus in lib. περὶ ὀρχήσεως ; nec non in libro *de Orchestra* fuse Meursius.

[c] Era. et seq. edit. in marg., *in organis ἡμοσμένοις*. Amerb. et Gill. in corp., *in organis armozatis*. Mss. magno numero, *armizatis*. Optime omnium Remig., *armonizatis*.

[d] Rom. edit., *ad Melchol ; Saltabo in conspectu Domini*. Et : *Benedictus*, etc. Habent quidem LXX verbum ὀρχήσομαι ; sed cum apud Ambrosium nec in mss. nec in ant. edit. inveniatur, verisimile est, illud ab exemplari quo Vir sanctus usus est, abfuisse.



Digitized by Google

cives sanctorum et domesticos Dei. Qui enim domesticus Dei est, exsul est mundo : qui conversatur in cœlestibus, peregrinus est terris. Peregrinabantur in hoc mundo Hebræi, naturam incendii non sentientes : cantabiles habebant justificationes Dei, cum hymnum Deo de creaturarum laudatione cantarent.

29. Deinde qui cantat, vacuus est, et diversarum cogitationum curas relegat, sequestrat avaritiam, et non solum corporis voce, sed etiam mentis vivacitate se mulcet. Non enim tamquam mœstus inopiæ sollicitudine, sed tamquam liber ab omnibus corporalium affectibus passionum canebat idem Propheta : *Psallam tibi, Deus, in cithara, sanctus Israel. Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi : et anima mea, quam redemisti* (*Psal.* LXX, 22 *et* 23). Cantabat hæc lætus, tamquam his melioribus epulis pasceretur. Epulabatur enim animus piæ devotionis alimento. Non solum itaque hymni et psalmi, sed etiam Legis præcepta cantabilia sanctis sunt. Denique cantabat Moyses qui Legem accepit, cum prætergressus pedibus mare, servati populi ductor justificationes Domini prædicaret.

30. (Vers. 55.) Superest adhuc propositum egregium viri justi, quia omni tempore circa Dei laudes esse debet intentus, non solum die, sed etiam nocte. Ideoque addidit : *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Videamus si et ille memor est, qui vocat Dominum verbo, non custodit autem mandata divina. De quo dictum est satis, quia non quicumque dicit : Domine, Domine, acceptus est Christo : sed qui operibus bonis fidelem suum probare potuerit affectum (*Matth.* VII, 21). Fides ergo, probitas, innocentia memorem probant. Quod autem ait : *Memor fui nominis tui*, plena devotio est; quia nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Hoc nomen invocetur diebus ac noctibus, nullum tempus precandi vacuum sinat sancta devotio præterire.

31. Si studentes igitur doctrinis sæcularibus perparum somno indulgent, quanto magis qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturæ satis est? David per singulas noctes lectum suum lacrymis diluebat : surgebat etiam noctis medio, ut Domino confiteretur : et tu totam noctem sopori existimas deputandam? Tunc magis tibi orandus est Dominus, tunc præsidia postulanda, culpa cavenda, quando videtur haberi secretum : tunc maxime quando tenebræ in circuitu meo, et parietes me operiunt, considerandum quia Dominus omnia intuetur abscondita. Ne dixeris ergo : Circumfusus sum tenebris, quis me videt? Et quem
1054 vereor septus parietibus et inclusus? Quia *Vultus Domini super facientes mala* (*Psal.* XXXIII, 17). Deinde si arbitrum non vides, te ipsum non vides? Tuæ conscientiæ testimonium non vereris? Nescis
A illam caliginem noctis non opertorium, sed incentivum esse peccati? Cum somno et cibo fervent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resolvitur : tunc irrepit impuri libido concubitus : [a] tunc perturbatur cor, squalor immunditiæ non videtur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recensetur. Nox erat quando Judas prodidit, quando Petrus negavit.

32. Illo igitur præcipue tempore justificationes Dei animo retexendæ sunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de castitate præcepta non abeint : his occupata mens flagrantiam libidinis, carnis restinguat ardorem. Tene illud animo : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI, 7). Quis enim stupris deditus, flagitiis involutus, lavat per singulas
B noctes lectum suum? Nescit flere qui flenda committit; et cum sit ipse lacrymabilis, [b] non habet pœnæ lacrymas suæ. At ille qui castigat corpus suum, et sui sollicitus gubernator est, atque ingemiscens et dolens lapsus superioris offensæ quærit quomodo abluat eam fletibus pœnitentiæ, hic lavat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus : sed maximam partem earum lectioni et orationibus deputemus.

33. Audi Ecclesiæ vocem quærentis etiam in noctibus Christum. *In cubili*, inquit, *meo, in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea* (*Cant.* III, 1). Accipe secundum litteram. Quæsivit in noctibus orando, deprecando, etiam lacrymis deplorando. Quæsivit in noctibus; quia posuit tenebras latibulum suum;
C ut quærere eum sollicitius disceremus. Quæsivit igitur in prophetis Ecclesia ex gentibus congregata, et ideo credidit. Denique adventus Dominici testimonia de prophetis [c] evangelistæ Paulusque posuerunt. Unde scriptum est, quia *nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII, 3). Quæsivit in noctibus, in persecutionibus et adversis, in tribulationibus et laboribus duris. Nox est omnibus quibus non est perfecta securitas; unde ait Dominus : *Veniet nox, quando nemo potest operari* (*Joan.* IX, 4); cum in hoc mundo sum, lux hujus mundi sum. Non ergo operemur in tenebris. Si enim luceant opera nostra, non operamur in tenebris, sed in lumine. Dies est quibus adest Christus : nox est quibus se denegat.

34. Non magnum ergo si tunc Domino gratias
D agas, quando in prosperis et secundis es : sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? In illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento Domini Dei tui; ne quasi non exauditus, ingratus sis, et in tua prævariceris ærumna. Pulsus es in exsilium? Memento Domini Dei tui; ne patriæ interdictæ tibi, charitatem Deo præferas. Alicujus divitis oppressus potentia amisisti proprias facultates, indiges sumptu? Memento Domini Dei tui, ne

[a] Edit. vet. ac mss. aliquot : *tunc perturbatur cor, squalorem immunditiæ non veretur.* Alii : *tunc perturbatur cor squalore immunditiæ : non videtur castitas.* Rom. edit. . . . . *squalor immunditiam non veretur ; castitatis*, etc. Sed omnium optime Remig. cod. et alii nonnulli, quos idcirco hic sequi nobis visum est.

[b] Rom. edit., *non habet culpæ lacrymas suæ.*

[c] Omnes edit., *evangelistæ Psalmisque posuerunt.*

Digitized by Google

nox te egestatis abducat a devotionis affectu. Hoc A est enim mandatum Legis, ut in nocte magis quæras, quando magis **1055** exaudiaris a Domino, et possis dicere : *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine* (*Psal.* CXVII, 5).

35. Sed nec quærere perfunctorie abundat ad gratiam, sed ut insistas et intendas muneri. Denique ista vel Ecclesia vel anima, quæ requisivit in cubili, quæsivit in noctibus, primo non invenit; quia fortasse in cubili quæsivit (*Cant.* III, 2-4) : sed posteaquam surrexit, et abiit in civitatem (vide ne illam civitatem in quam Dominus celebraturus pascha, discipulos destinavit dicens (*Matth.* XXVI, 18) : *Ite in civitatem ad quemdam*), posteaquam in foro, ut dixi, quæsivit, invenit quem dilexit, ubi oleum venditur, quod exspectantes Sponsum emere consuerunt (*Matth.* B XXV, 9), ubi jus, ubi leges. Si lex spiritalis, et forum est utique spiritale, ubi disputant periti legis æternæ. Quod forum non litibus tumultuosum est, sed Christi tribunalibus gloriosum. Ubi quæsivit, inquam? In foro : et post quæsivit in plateis, de quibus hi qui ad patrisfamilias Evangelici prandium convenirent, colligebantur, qui vocati excusandum se ab hujusmodi epulis non putarunt (*Luc.* XIV, 21). Posteaquam in foro, inquam, et plateis quæsivit, incidit in eos qui circumeunt civitatem (*Cant.* III, 3) : et tunc demum potuit invenire quod quæsivit, fortasse eo quod in tribulatione et metu posita magis inveniat gratiam. Denique in posterioribus ait : *Invenerunt me qui circumeunt civitatem .... tulerunt mihi pallium* (*Cant.* V, 7). Habuit ergo certamen : sed qua ratione C supra non tulerint pallium, hæreo reperire; nisi forte quia ibi interrogasse se dixit : *Numquid quem dilexit anima mea, vidistis* (*Cant.* III, 3)? Quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio, et quem quærebat, invenit.

36. Disce quemadmodum quæratur Christus. Ab his utique qui non perfunctorie quærunt, sed violenter retinent, sicut ista quæ ait : *Tenui eum, et non dimisi eum* (*Ibid.*, 4), fide invenit, meditatione constrinxit. Si bonos custodes accipimus, utique angeli sunt. Qui ergo angelos transivit, Verbum invenit; ideo non multum intervalli fuit, cum transivit ab his, et invenit Jesum. Quomodo ergo infra tulerunt pallium; nisi forte [a] quia processu oppressæ fidei Ecclesia dum nudatur, a Domino plus amatur, exspolians se veterem hominem, ut novum induat, D quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificant : aut quia amictum sapientiæ sæcularis ad Christum ventura deposuit? Et Noe exutus est pallium posteaquam cœpit esse perfectior.

37. (Vers. 56.) Simus ergo memores justificationum cœlestium, ut dum eas secreta mentis voce cantamus, memores simus in nocte nominis Domini, et dicamus, ut scriptum est : *Hæc facta est mihi; quoniam justificationes tuas exquisivi;* hoc est, hæc memoria facta est mihi, ut memor essem et in nocte nominis tui, non ebrietate sopitus, non epulis resolutus in somnum, non curis sæcularibus occupatus; ut oblivia mihi tuæ venerationis irreperent : **1056** sed quotidiana meditatione membra castigans, et intentionem mentis exercens, ut assiduitate fiat nobis cursus iste solemnis; ut Dominum Jesum etiam in noctibus toto veneremur affectu, cui est gloria, laus, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO OCTAVUS.

### ח. *Heth*.

1. Octava littera *Heth*, quæ interpretatione latina dicitur *pavor :* sanctorum pavor esse consuevit. Denique pavor cecidit in Abraham (*Gen.* XV, 12), cum sacrificium offerret plenum mysterii spiritalis. Ipse quoque David ait : *Ego dixi in pavore meo : Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 2). Religionis enim reverentiam significat magis, quam infirmitatem timoris; licet etiam ipse timor secundum Deum sanctus sit : *Initium* enim *sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 10) Ergo qui timent Deum, sapientes : qui autem sapientes, beati; *Beatus* enim *quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XCIII, 12). Hi quoque qui timent Deum, beati sunt, sicut exempli exstat auctoritas, quia *Beati omnes qui timent Dominum* (*Psal.* CXXVII, 1). Ita colligitur quia timentes Deum, et sapientes sunt, et beati. Sanctus igitur timor Domini; quia vere sanctorum est pavor.

2. (Vers. 57.) Denique præmissa hac littera, statim sequitur persona justi dicens : *Portio mea, Domine : dixi custodire legem tuam.* [b] Codices plerique hunc versiculum, qui primus est litteræ octavæ, ultimo loco litteræ habent septimæ : sed secundum Hebræos emendatus apud Græcos psalmorum liber hunc versum docuit nos octavæ litteræ copulandum. Deinde ordo ipse et numerus versuum ita convenit, ut ab eo incipiat octava littera.

3. *Portio*, inquit, *mea Dominus.* Quam rarus in terris qui possit dicere : *Portio mea Dominus :* quam alienus a vitiis, quam segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil mundi hujus vindicet sibi, [c] non sit corporalium

[a] Edit. Rom., *quasi processu operis, sive fidei.* Vet., *quia processu opere suæ fidei.* Mss., *quia processu;* alii, *operum;* alii, *operosæ*, multi, *oppressæ;* non pauciores, *ostensæ fidei.* Rursus eodem loco vet. edit. cum parte mss., *Dominus plus amatur.* Rom. cum alia parte, *a Domino plus amatur.*

[b] Ex toto hujus operis contextu, et ex hoc potissimum loco evidentissime colligitur talem Ambrosii tempore fuisse hujus psalmi in exemplaribus Hebraicis, Græcis, ac Latinis divisionem, qualem etiam nunc in eis reperimus. Porro observandum obiter versum Ambrosio idem esse ac sententiam, sive absoluti sensus comprehensionem; cum sæpius, ubi de sacris paginis agitur, versus nihil aliud significet, nisi vocum seriem quam nos Galli lineam vocitamus. Hæc autem omnino sex dictionibus constabat, eoque consilio excogitata fuerat, ne quid Scripturæ aut demi aut adjici posset. Vide Criticen vet. Testam. cap. 26.

[c] Mss. tres, *non sit corporalium possessionum cupiditas.* Decem cum ant. edit., *non sit corporalium possessio cupiditatum.* A quibus non abit edit. Rom. nisi

Digitized by Google

possessor cupiditatum, quem non inflammet libido, A non stimulet avaritia, non lascivia effeminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura sollicitet, verus minister altaris, Deo, non sibi natus.

4. Levi enim, ut habet interpretatio, significat ipse mihi assumptus, significat et ipse meus, significat et tantum assumptus, significat et assumptus mihi. Ipse idem et mihi Levi, et Deo est; quomodo idem et mihi sacerdos, et Deo est: et mibi advocatus, et Domini deprecator: pro me offerens sacrificium, et idem se offerens Domino? Denique et alibi Levi interpretatione dicitur, pro me. Etenim si a me nominetur Levi, pro me est: si pro me offerat, pro me est: si pro me interveniat, pro me est. Sin autem vocetur a Domino, ipse mihi dicitur, hoc est, non alii tributarius, non decimarius, **1057** non de B possessione munificus: ipse mihi, hoc est, tamquam abundans pro his omnibus, non ab hoc decimas, non fructus, non dona quæro, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo: non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus census assumptus mihi, vel assumptus a me. Non potest hoc sine divina esse gratia. Sicut enim possessio non potest mea esse, nisi emero eam; sic non potest esse Levi, nisi fuerit assumptus a Domino; cum enim assumptus fuerit, recte dicitur ipse meus. Denique cum Moysi dictum esset ut populo Judæorum per tribus singulas divideret incolatus, et distribueret singulis tribubus portionem, tribum Leviticam excepit Deus dicens: *Filiis Levi non erit portio, neque sors in medio fra-* C *trum suorum; quia Dominus Deus pars eorum est* (*Deut.* x, 9). Et alibi: *Ego Dominus portio eorum* (*Num.* xviii, 20).

5. Negatur his terrena divisio; ut ipsi dum sæcularem sibi non vindicant portionem, fiant cœlestis possessio: vel hoc solum noverint possidere, hoc est, fidei et devotionis obsequium; multo ditiores quam qui possessionum suarum spatia ampla diffundunt. Quantumlibet enim fines suos extendant, et terra deficit, et mare includit insanas cupiditates, et pendunt tributa majora quam fructus sunt. At vero iste nihil sibi possidens, nulli nisi Deo militat, supra terram ejus est portio, non eum terra deficit, non mari clauditur. Cui portio Deus est, totius possessor est naturæ. Pro agris igitur ipse sibi satis est, ha- D bens bonum fructum, qui numquam possit perire: pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Domini, et templum Dei, quo nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Aut quid deest ei viro qui potest dicere: *Non contingat mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* vi, 14)? Non potest in hoc princeps mundi hujus sibi consortium vindicare, in quo nihil suum invenit.

6. Ideoque Dominus qui venit docere, ut fieret nobis Deus portio, ait: *Venit enim hujus mundi princeps, et in me invenit nihil* (*Joan.* xiv, 30). Meritoque nos imitatores sui esse volens ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam* (*Matth.* x, 9). Unde Petrus ostendens in Deo portionem sibi esse, non in sæculo, ait: *Argentum et aurum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do, in nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula* (*Act.* iii, 6): hæc est portio mea: hæc est sors mea: portio mea Christus est. *In nomine*, igitur, *Christi Jesu surge et ambula*, hoc est, in portione mea dives sum, in portione mea potens sum: merito tales præsumo fructus istius portionis, ut salus et vita donetur: quia hoc est istius patrimonium portionis quam elegi mihi. Dixit hoc claudo, et surrexit qui erat claudus ab utero matris suæ. Quomodo ergo Petrus poterat portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat?

7. Quare non habeas argentum atque aurum, Petre, dic nobis: dic etiam quid sit istud quod habere te dicis, qui omnia quæ habebas, te reliquisse dixisti. Sic enim locutus es Domino: *Ecce nos omnia reliquimus, et secuti sumus te* (*Matth.* xix, 27), hoc est, non **1058** quæsivimus quæ sæculi sunt, non quæsivimus partem de possessionibus: sed te elegimus portionem. Reliquisti ergo ante omnia, Petre, quæ habebas; unde habes quod habere te dicis? Surgit claudus, et sono tui sermonis erigitur. Sanitatem aliis donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio. Reliquisti ergo quæ habebas, et cepisti quæ non habebas. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomen [a] tibi munificum, illius nomen tibi est fructuosum, illius nomen tibi tributa dependit, et bona tributa, non pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non [b] frigore uritur, non tempestate quassatur. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Serva portionem quam elegisti; ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid enim est quod conferri possit his, de quibus Deus dicit: *Et inhabitabo in illis* (*Levit.* xxvi, 12). Quid magnificentius hospitio cœlesti? Quid beatius possessione divina? *Et deambulabo*, inquit, *in his* (II *Cor.* vi, 16). Alii queruntur de sui ruris angustiis: in te Deo est ampla possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxa spatia habitationis inveniens, qui terram includit manu; sic enim scriptum est: *Quis mensus est manu aquas, et cœlum palmo, et universam terram*

quod ex uno cod. Vat. habet: *Cui sit*, etc. Sed cum relativum neque in edit. ant. neque in mss. ullis Gall. reperire sit, lectionem cod. Remig. ac Vind. potiorem duximus.

[a] Mss. Rem., Fisc. et Sorb. duo, *tibi munificum. Et secuti sumus te, hoc est, quæsivimus Jesum. Illius nomen tibi*, etc.

[b] *Urere*, non modo noxiam vim caloris ac frigoris passim significat, verum etiam cujusvis alterius rei. Sic Horat. lib. i, ep. 10:

> Ut calceus olim
> Si pede major erit subvertet, si minor uret.

Id est, lædet. Hoc etiam modo locutum reperimus B. Hieron. atque alios.

Digitized by Google

*clausa manu* (*Esai* XL, 12)? Cui mundus angustus A est, tu ei ampla es domus. *Portio*, inquit, *mea Dominus*. Dicit hoc martyr. Ipsi ergo vivamus, cui mori est gloriosum. Aliis verbis quam bene dixit hoc Paulus, ostendens nullam habere se in hoc sæculo portionem! Sic enim scriptum est: *Usque ad hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis vapulamus, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus. Tamquam lustramenta hujus mundi facti sumus, omnium purgamenta usque adhuc* (I *Cor.* IV, 11-13).

8. Fortasse moveat quod purgamentum se esse dixit. Non enim est. Sed hoc sæcularibus videtur, qui putant summam in divitiis esse gloriam, vel de- B corem. Nonne isti universos purgamenta esse putant, quicumque illis obsequuntur propter divitias, et mirantur eos propter opes, timent propter potentiam, laudant propter nobilitatem? Sed hæc omnia Paulus detrimenta magis putabat esse, quam commoda. Ideoque ait: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta esse, propter eminentem scientiam Christi Jesu Domini mei, propter quem omnium detrimentum passus sum, et æstimor stercora, ut Christum lucrifaciam* (*Philip.* III, 7 *et* 8). *Æstimor*, inquit: non et hæc mea, sed aliena sententia. Frequenter enim æstimatur pauper ille irridendus et exsecrandus propter illuviem vestium, aut vulnerum cicatrices; eo quod in terra nullam habeat portionem; et tamen portio ejus in cœlo est. C Anima ejus ibi sibi patrimonium collocavit, quia audivit Jesum dicentem: *Nolite thesaurum vobis condere in terra....... sed thesaurum*, inquit, *vobis condite in cœlo* (*Matth.* VI, 19 *et* 20).

9. Sed hoc divites audire non possunt. Clausas aures habent, et sono æris obtusas: nummus magis illis resonat, quam verba divina. Denique **1059** accessit quidam dives ad Dominum, qui portionem Dominum non habebat. Habebat enim multas possessiones: sed Dominus non inter multa numeratur, non enim dignatur habere cum sæculo consortium. Quæ enim portio justitiæ cum iniquitate? Dicit ergo hic dives: *Quid faciens vitam æternam possidebo* (*Luc.* XVIII, 18)? Respondit ei Dominus: *Mandata nosti? Non homicidium facies, non adulterabis, non* D *falsum testimonium dices* (*Ibid.*, 20 *et* 21): ostendens vitam æternam in his esse mandatis. At ille justificare se volens dicit. *Hæc omnia feci, quid mihi restat?* Ad quem Dominus ait, volens ei Dominum fieri portionem, non pecuniam, non possessiones, sed verum Deum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me* (*Ibid.*, 22). Verum ille cui portio aurum atque argentum erat, sine quibus esse non poterat, et cum quibus Dominus illi portio esse non poterat, contristatus est. Unde Dominus pronuntiavit impossibile esse, ut dives intret in regnum cœlorum, sed quod impossibile per humanas cupiditates, hoc per divinam gratiam solam posse esse possibile.

10. Alibi quoque ait: *Quicumque reliquerit patrem aut matrem, domum, aut fratres, aut sorores..... centuplum accipiet in hoc sæculo, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Forsitan autem dicas: Utique qui relinquendo domum (per domum autem totum censum intellige), qui relinquendo propinquos Deum secutus fuerit, portio Domini est, et portio Deus illi est; habet etiam vitam æternam; et quia accepto centuplo fit in hoc sæculo dives, dives, inquies, intrat in regnum cœlorum. Deinde si centuplum dat Dominus eorum, quæ etiam simpla impedimentum afferre consuerunt ad perceptionem hæreditatis æternæ: centum ergo possessiones reddit pro una possessione, centum pondo auri pro uno pondere.

11. Multos quidem in hoc sæculo qui sua pauperibus donaverunt uberiore thesauro locupletatos fuisse cognovimus. Et pulcherrimus locus, ut etiam ad misericordiam provocentur. Sed non debent a Domino sæcularem hujusmodi exigere mercedem, nec sperare quæ mundi sunt: sed magis quia iis qui omnia reliquerint, Deus portio est. Ipse est utique merces perfecta virtutum, qui non centupli enumeratione, sed perfectæ plenitudinis æstimatione censetur. *Ego*, inquit, *Deus tuus sum* (*Gen.* XVII, 1). Non dixit, ero, sed jam sum, jam inhabito, jam possideo. Aufert dilationem, ubi invenit justi confessionem. Sane alibi ait: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Futurum promittit: sed id quod futurum est, unius diei spatio non patitur protelari. Denique potuit dicere: *Mecum eris in paradiso*: sed addidit, *hodie*, ne dilatione gratia minueretur.

12. Sed non illi soli dicit Dominus Jesus: *Hodie mecum eris in paradiso*: sed et tibi dicit: *Mecum eris in paradiso*, si confitearis Dominum Jesum, si ejus patrocinium tibi poscas, si et ipse dicas: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Ibid.*, 42). Sed tibi non dicit: *Hodie mecum eris*: dicit martyri: *Hodie mecum eris in paradiso*. Tibi non dicit, quia adhuc **1060** es in hoc febrienti corpore constitutus, in hoc concupiscenti, in hoc terrena adhuc desideranti: sed cum potueris dicere: *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV, 16), hoc est, solvisti cursum istius vitæ, liberasti me ex hoc mortis corpore, tunc tibi dicit: *Hodie mecum eris in paradiso*.

13. Habes igitur, homo, inter multa proposita etiam hujusmodi portionem. Proposuit tibi Dominus in portione possessiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatem: proposuit etiam in portione se ipsum. Habes plurimas portiones, elige quam putas. Non te numerus perturbet, sed excitet gratia: non labor avertat, sed fructus invitet. In portione divina gemitus et labores sunt. Unde et sanctus Apostolus, cui portio Deus erat, ait: *Hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut simul glorificemur* (*Rom.* VIII, 17). Vides quia ubi hæreditas

Christi est, ibi debeat esse compassio. Qui autem compatitur, non perfunctorie compatitur, sed ut tribulationes Christi in corpore suo impleat, sicut implebat et Paulus, implebat et Hieremias, qui ait sub hac ipsa littera : *Misericordia Domini est quod non defecimus ;* [a] *quia non sunt consummatæ miserationes ejus : renovabit illas sicut lux matutina* (*Coloss*. I, 24). *Multi sunt gemitus mei, et cor meum deficit. Sors mea Dominus, dixi ; ideo sustinebo eum* (*Thren*. III, 22 *et seq*.). Qui ergo sustinet Dominum, sors Domini est. Unde et David qui ait : *Sustinui Dominum, et respexit me* (*Psal*. XXXIX, 2), hoc loco portionem sibi Deum esse profitetur.

14. Quam rarus qui istud usurpet sibi : non nobilitate, non divitiis usurpatur. Denique rex ille dives ait : *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreno illius qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro : decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente : et ego natus hausi communem aerem, et similiter in terram decidi, et primam vocem similem omnibus emisi plorans : in involumentis nutritus sum, et curis magnis.* Et addidit : *Nemo enim ex regibus diversum habuit nativitatis initium. Unus ergo omnibus est introitus nativitatis ad vitam, et similis exitus.* (*Sap*. VII, 1 *et seq*.). Et quia vidit commune esse nativitatis exordium, elaboravit esse portio Dei, et invocavit, et venit in eum spiritus sapientiæ (*Ibid*., 7). Sed luxuriosi aliam partem eligunt, qui dicunt : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant* (*Sap*. II, 7, 8). Et infra : *Quoniam hæc pars nostra, et hæc sors* (*Ibid*., 9).

15. Quam magnum contemnere divitias : sed quam rarum hoc ipsum est ! Utique et Moyses potuit regis esse successor, nutritus a regis filia. Potuit ergo esse non solum [b] quasi Pharao, sed etiam Pharao, et Pharao potuit esse sicut Moyses ; uterque enim homo ; sed omnis potentia hominis in affectu est. Moyses noluit rex esse, cum posset : sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum : sed fugiendo potentiam, potentior factus est ; factus est enim in deum regi Pharao. Rex erat Pharao, sed deus non erat : Moyses factus est illi deus, hoc est, regi ipsi terribilis, **1061** quem rex metueret et timeret. Sed hæc erat potentia sanctitatis. In talium congregatione deorum Deus stat atque discernit. [c] Et tu si vis deus peccatoribus esse, terrori regibus, reverentiæ aliis ; ut tamquam Deo tibi videantur esse subjecti, quia operaris in Dei nomine : contemne quæ sæculi sunt, et Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Opprobrium dico, quod illis videatur opprobrium, hoc est, Judæis scandalum, gentibus stultitia, nobis autem virtus Dei atque sapientia. Sed hoc Pharao opprobrium putans, hoc est, inopiam, ignobilitatem, contumelias, maluit diaboli esse, quam Dei portio : et ideo qui Deo subjectus esse nolebat, intercessioni hominis se ipse subjecit. Ergo quia portio Dei erat sanctus propheta David, recte ait : *Dixi custodire legem tuam :* spiritalem utique legem dicit, sicut et Paulus ostendit. Nam qui corporaliter Legem interpretati sunt, non custodiunt Legem, sed prævaricantur.

16. (Vers. 58.) Veniamus ad secundum versum, qui ita est : *Deprecabor vultum tuum, Domine, in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.* Legimus in veteri Testamento quod deprecatus sit Moyses ut vultum Dei videret, et responsum sit ei : *Nemo videbit faciem meam, et vivet* (*Exod*. XXXIII, 20). Mystice hoc primum intelligamus. Moyses Legis figuram accepit : Lex per occulta mysteria nuntiat Christum, non autem facie ad faciem demonstrat, sicut Evangelium demonstravit. In ipso enim facie ad faciem loquebatur ; licet in Evangelio homo natus ex Virgine apparuerit, Verbum autem se per opera demonstraverit. Et fortasse hoc declaratum sit Moysi, quod populus Judæorum moriturus esset, et quod facie ad faciem Christum vidisset, et non credidisset. Quod si ad Legem referas, etiam finis Legis Christus est, secundum illud Apostolicum : [d] *Finis enim Christus est secundum Legem omni credenti* (*Rom*. X, 4). Et mortua est Legis interpretatio corporalis, ubi Dominus Christus Jesus spiritalem ejus gratiam demonstravit. Vel certe quia omnes qui Christum vidimus, et baptizati in Christo sumus, mortui sumus peccato ; quia viventes Legis vinculis tenebamur.

[a] Rom. edit., *quia non sunt consumptæ miserationes ejus*. Aliæ et mss. ut in textu. Sed utraque lectio exoriri potuit ex LXX, qui sic scribunt, ὅτι οὐ συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ ; quod utroque modo explicari potest. Cæterum si quis hujus loci verba, prout hic jacent, cum iis quibus exprimitur in sacris codicibus, conferre voluerit, non minimam inter illa reperiet discrepantiam.

[b] Ita mss. omnes. Edit., vero *quasi Pharao, sed ipse Pharao potuit esse. Uterque*, etc. Sed lectionem nostram præstare manifestum est.

[c] Am. atque Era. cum maxima mss. parte : *Et tu si vis deus peccatoribus esse terroris* (mss., *terrori*) *regibus reverentiæ, ut*, etc. Edit. Gill. ac Rom., *Et tu si vis tamquam Deus peccatoribus esse terrori, regibus ;* Rom., *et regibus reverentiæ.* Verum cum hæc lectio mss. suffragio destituatur, et illa non satis plenum offerat sensum, magis placuere verba codicum Læt. et Nav. alterius, quæ proinde in contextum transcripsimus. Nec tamen displicet cod. Reg. ita præferens..... *regibus terrori ac reverentiæ.*

[d] Rom. edit., *Finis enim Legis est Christus ad justitiam omni credenti.* Et hic quidem ei favent quotquot nunc exstant Paulinarum epistolarum exemplaria, immo et Ambrosius ipse supra Serm. 5, num. 22, atque alibi ; placuit tamen mss. ac vet. edit. omnium lectionem non deserere. Iterum post duos versus. mss. septem, *qui in Christum credimus.* Sed forsan alios mss. et cunctas edit. sic emendari oportere visum scriptoribus, quod non cogitarent superius positum, in Evangelio Christum facie ad faciem demonstrari. Itaque post verba : *qui Christum vidimus*, subintellige in Evangelio. Non male tamen Reg. cod. *qui Christo vivimus.*

Digitized by Google

Ubi autem in Christo mortui sumus, mortificati utique sumus Legi per corpus Christi; ut simus alterius qui ex mortuis resurrexit. Sed hoc mysticum est.

17. Morale autem, historiæ veteris facit nos meminisse debere, quæ est de sancto Moyse, qui rogavit Deum ut se demonstraret ei Deus, et ut facie ad faciem eum videret. Norat utique sanctus vates Domini quod invisibilem Deum facie ad faciem videre non posset : sed devotio sancta mensuram supergreditur, et putavit Deo etiam hoc esse possibile, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum, comprehendi. Non est **1062** reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atque inexplebilis, quod Dominum suum velut manu tenere, et obtutu oculorum videre cupiebat. Sciebat ad imaginem et similitudinem Dei factum esse hominem. Quando enim electus a Domino Deo est ad populum liberandum, impletus est spiritu sapientiæ. Viderat angelum illum et faciem ejus in gloria. Denique fulgente ejus lumine, pavefactus est, et vidit rubum uri, et non exuri. [a] Visum cœpit fulgoremque mirari : accessit cupiditate et gratia provocatus, ut diligentius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaque si tantum accepit ardorem, tantam subiit cupiditatem, cum angelum vidisset in flamma ignis de rubo, ut licet pavore apprehensus considerare non auderet, considerare tamen vellet : quanto magis vultum Domini corporaliter videre desiderabat, dicens intra se vultum illum plenum lucis, plenum gloriæ, plenum virtutis, plenum divinitatis. [b] Non plus possum dicere vel sentire de Deo; *Cum enim consummaverit homo, tunc incipit : et cum finierit, tunc aporiabitur* (*Eccl.* XVIII, 6), ut scriptum est, quia incomprehensibilis est Dei æterna majestas.

18. Irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis servi; quia ultra naturam suam devotione progressus de Domini angelis æstimabat, quantum in Domini vultum plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere. Noverat in ipso homine aliam post mortem futuram gloriam, aliam claritatem. Sicut enim stella a stella in claritate est, ita et resurrectio mortuorum : quæ etsi seminatur in corruptione, surget tamen in incorruptione, surget

A in gloria, surget in virtute, surget corpus spiritale. Qui ergo hæc scire poterat, merito præsumebat ut vultum Dei videre cuperet, quem esset oblita corporis morte visurus. Talem certe etiam formam receperat, talem Dominus jam probabat, ut non distaret ab angelis cœlestis minister et executor oraculi. Et ideo cum sciret quia angeli pusillorum quotidie viderent faciem Patris qui in cœlis est, putavit quod jam eam videre deberet, tamquam oblitus corporis, et carne deposita, sicut ille qui in corpore adhuc positus, cum raperetur in paradisum, utrum in corpore, sive extra corpus raptus esset ad tertium cœlum, nescire se dixit (II *Cor.* XII, 3). Sancti enim etiam cum gerunt corpus, non sunt tamen in carne, sed in spiritu; quoniam qui in cupiditate et conver-
B satione sunt carnali, Deo placere non possunt. [c] Sancti autem conversatio in carne non erat, sed in cœlo, sicut Paulus ostendit (*Philip.* III, 20).

19. Et quid dicamus de probabili desiderio vultus divini? Homines etiam si quem nobilem, si quem fortem, si quem sapientem esse audiunt, **1063** tamquam supra hominem arbitrantes, concupiscunt videre. Procedit imperator, [d] cujus regiæ potestati commissa pars est orbis terrarum, concurrunt omnes, et in tanta multitudine illum solum aspicere gestiunt, et de fulgore purpuræ plus quiddam esse in vultu imperatoris existimant. Miraris si Dei desiderabilis vultus est, cum conformem sui hominem humanus omnis miretur affectus? Hinc datur intelligi etiam illud, quod imperatori unusquisque nul-
C lius reus criminis gestit occurrere. Nam etsi crimen habeat conscientia, tegunt illud tamen cordis occulta, dummodo publico non sit involutus reatu, nec sit aliquod ejus crimen expressum : denique ubi rei aliqui fuerint [e] advocati, et imperatori se et ipsis judicibus offerre prohibentur : quemadmodum turpes lenonum meretricumque personæ a conspectu vel judicis, vel imperatoris arcentur; ne turpissimorum visus offendat vultus regii claritatem. Qui autem bene sibi conscius est, nullius criminis reus, quasi innocens prodit in medium.

20. Ex his ergo sancti Moysis comprehendamus affectum. Videre Dei vultum [f] quasi innocens velut quodam vultu conscientiæ desiderabat : aperire ei

[a] Sic mss. exceptis duobus, ubi legitur : *Visu cepit fulgorem, quem mirari accessit.* Ab his etiam non discrepant edit. nisi quod præferunt, *quem miratus accessit.*

[b] Edit. omnes hoc loci addebant : *Quem esse dicam?* Eleganter quidem, at nihil tale in mss. invenias.

[c] Edit., *Sancti autem conversatione in carne non sunt.* Duo mss. *non erant.* Alii vero omnes ut supra in corpore. Putamus autem vocem, *sancti*, de Moyse intelligendam, cujus conversationem in cœlo fuisse noster eo probat, quod talem esse sanctorum conversationem doceat Apostolus.

[d] Rom. edit., *cui jus datum est regiæ potestatis, cui commissa*, etc.

[e] Eadem Rom. edit., *adnotati.* Sumitur autem ea vox in jure, potissimum duplici modo : primo pro
D his quos per absentiam accusatos præses requirendos in acta retulit : secundo pro illis quos deportandos præses adnotavit, vel de iisdem deportandis ad principem scripsit; ut docet Briss. ad hanc vocem. Sed cum neutram ex his interpretationibus satis commode admittat series orationis, cumque omnes mss. ac vet. edit. huic voci refragentur, dicendum eos hoc loco dici advocatos, qui crimen suum palam fatentur. Nam advocare interdum usurpari pro rem factam agnoscere, et hinc ortum traxisse Gallicum verbum, *avouer*, scriptum reperies in Glossario doctissimi Cangii ad idem verbum. Cæterum lib. XV Cod. Theod. tit. 7 *de Scenicis*, leg. 12, cautum est, ne turpium personarum picturas in locis ubi consecrantur imperatorum imagines, liceat *adnotare* : quod nonnihil Ambr. locum illustrat.

[f] Ita mss. Edit. vero,..... *quasi innocens volebat, velut quodam,... mentis intentu. Cognosci*, etc. At

Digitized by Google

faciem mentis internæ, cognosci plenius gestiebat A et Moyses, et ipse sanctus David, qui alibi ait : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* xxv, 2). Non enim vellet probari si in se crimen agnosceret : nec tentari, si passionibus gravibus se sciret obnoxium. Liber igitur a peccato, Deo se cupidus offerebat. Sed fortasse quia adhuc frequentioribus Dei visitationibus mundus a vitio non foret, non fuerit in principio perfectus, utpote cui ante paululum dictum erat : *Solve calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* III, 5) ; illud utique calceamentum quod de Ægypto detulerat, hoc est, corporeæ conversationis involucrum ; ideo dicit ei Dominus : *Nemo hominum videbit faciem meam, et vivet.*

21. Quando autem id dictum sit, considera. Nondum ei dictum erat : *Faciam te in deum regi Pharao* B (*Exod.* VII, 1). [a] Adhuc homo erat, et ideo illud ei dicit : processus ei debebatur, ut in deum fieret ; et ideo dictum est ei : De homine dixi, desiste hominis habere peccata, et videbis faciem meam. Qui enim faciem meam videt, debet esse sine peccato. Sed quia homo sine peccato esse non potest, ideo ut in dei appellationem possit excrescere, commonetur. Et quid de dei appellatione dicam? Esto angelus, hoc est, divini minister imperii, obsequere mandatis Domini. Cum fueris angelus, videbis faciem Domini. Magnum est videre Dei vultum. Lex tibi dicit ut tertio te offeras in Hierusalem. Ipse Dominus Jesus ait : *Beati mundo corde; ipsi enim Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Advertis quid a te exigatur, ut videas Deum; cui vitæ proposita sit prærogativa vi- C dendi **1064** Deum? Emunda igitur cor tuum, ut quasi novus creeris renovato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abjice, nihil sit quo tuus inquinetur affectus : simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus se Dominus cum involucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur.

22. Nunc de reliqua ipsius versus parte dicamus. *Miserere*, inquit, *mei secundum verbum tuum.* Misericordia quidem justitiæ portio est; ut si velis donare pauperibus, hæc misericordia justitia est, secundum illud : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* CXI, 9). Deinde quia conformis tuus injustum est ut non adjuvetur a socio; cum præsertim Dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse D communem, et fructus omnibus ministrare : sed avaritia possessionum jura distribuit. Justum est igitur ut si aliquid tibi privatum vindicas, quod generi humano, immo omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus aspergas : ut quibus juris tui consortium debes, his alimenta non deneges.

23. Est etiam misericordiæ donare peccatum : et misericordiæ est, et justitiæ est. Denique justitiæ ascribit Scriptura divina veniam peccatorum, secundum illud quod hodie lectum est : *Benedictum lignum* [b] *quod fit per justitiam : maledictum autem lignum quod fit per manus hominum* (*Sap.* XIV, 7 *et* 8). Superius ad crucem Domini retulit, posterius ad errorem gentilium, qui ligna venerantur. Justitia autem quæ est crucis, nisi quod ascendens illud patibulum Dominus Jesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, et totius orbis peccatum suo cruore mundavit? In quo ergo justus Deus, nisi in eo quia scivit quod de limo terræ hominem figuravit, quæ terra utique corruptelæ obnoxia est, ac vitio lubricæ passionis? Propterea ergo Dominus, qui secundum animam te ad imaginem et similitudinem sui fecit, hoc est, rationabilem, justum, pudicum (in eo enim ad imaginem Dei es, si sis justus, ut sis imago justitiæ : si sis castus, ut immaculati in te figura præfulgeat) sciens ergo secundum corporis fragilitatem corruptelæ patere hominem, quasi justus fragili lubricæque naturæ delicta concessit.

24. Ac ne forte dicat aliquis : Cur ergo Adam maledicto sententiæque subjacuit? Numquid injustus Deus? Non utique. Sed quia quasi fragili atque infirmo quid caveret ante præscripsit (infirmus enim non usurpare debet, sed obedire mandatis), [c] ideo prævaricationis magis reum tenuit, quam prolapsioni addixit. In illum igitur justa severitatis processit sententia ; quia scire voluit, quod scire non profuit. Nobis autem qui hæreditario vinculo tenemur astricti, qui in hac carne sumus, quæ priorum præjudicio detrita **1065** jam atque assuefacta peccatis non poterat emergere, quasi justus indulsit, juste enim ignovit hæredi, qui præjudicio laborabat auctoris.

25. Est ergo justa misericordia, sed est etiam injusta misericordia (23, *quæst.* 4, *cap. Est injusta*). Denique in Lege scriptum est de quodam [d] : *Non misereberis illius* (*Deut.* XIX, 13). Et in libris Regnorum legis quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia divina servari (I *Reg.* xv, 9). Ut si quis latronis filiis deprecantibus motus, et lacrymis conjugis ejus inflexus, absolvendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus : nonne innocentes tradet exitio, qui multorum liberat exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, vincula dissolvit, [e] cur

potiorem esse nostram ac mss. lectionem non diffitebitur. qui locum paulo accuratius examinaverit.

[a] Edit. Rom. sola, *Adhuc homo erat, processu ei debebatur, ut in deum fieret, et ideo dictum est ei : Solve calceamentum. De homine dixit*, etc. Rursus paucis interjectis eadem etiam sola, *ut tertio te offeras coram Domino.* Sed utriusque lectionis unus est sensus.

[b] Rom. edit., *per quod fit justitia.* Ex LXX nimirum apud quos legas, δι' οὗ γίνεται δικαιοσύνη. Sed a mss. omnibus, et ant. edit. cum inter se consentiunt ægre divellimur.

[c] Edit. omnes, et mss. aliquot, *ideo prævaricationis reum tenuit, quem*, etc. Melius alii, qui et majori numero, ut nos in textu.

[d] Illo nimirum qui proximum suum per insidias interfecerit.

[e] Edit. Rom. ex ant. edit. Gratiani, *laxat exsilium.* Aliæ omnes cum mss. cod., *laxat exsilio.* So-

Digitized by Google

laxat exsilio? Cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est, accusatorem, et reum pari periculo [a] de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore convictus, non id quod justitiæ est, judex sequatur; sed dum miseretur rei, damnet probantem : aut dum accusatori favet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc dici justa misericordia.

26. In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ; ne quis a communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nonne B cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interius inveniat vulneris cicatricem, cum debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat; tamen a secandi urendique proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit : nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intereat? Recte igitur et sacerdos vulnus grave, ne latius serpat, a toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus debet abscindere, et prodere virus criminis C quod latebat, non fovere; ne dum unum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia.

27. Jure ergo Apostolus divino nos hortatur exemplo dicens : *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate* (*Rom.* XI, 22) : ostendens Judæorum populum jure esse a corpore Ecclesiæ separatum, ne perfidiæ virus contaminaret Ecclesiam : populum autem gentium bonitate Domini receptum, et obedientiæ munere gloriari. Jure igitur huic divina bonitas suffragatur, quamdiu in divina bonitate permaneat. Si vero et ipse desciscat, pro criminis sui qualitate damnabitur. **1066** Qua gratia Dominus et lux et ignis esse D describitur, ut in tenebris ambulanti luceat quasi lumen; ne diutius possit errare, qui quærit luminis claritatem : ei autem qui multa fuerit operatus, quæ manere non debeant, sed ardere, ignis est Dominus; ut operis nostri fenum stipulamque consumat, atque utili nos faciat salvos detrimento, sicut aurum quod dum excoquitur, plus probatur.

28. Fortasse dicat aliquis qua ratione scripserit A Propheta : *Miserere mei secundum verbum tuum?* Verbum enim Dei justitia est. Si igitur justitia fretus erat, cur misericordiam ante præmisit : aut si misericordiam requirebat, cur eam ad mensuram justitiæ putavit esse poscendam? Qui enim bene agit, et bene vivit, opus non habet misericordia; quia misericordia a peccato liberat. Denique non divitibus, non fortibus et felicitate subnixis misericordia conferri consuevit a nobis : sed egentibus, vel debilibus, vel iis qui ex divitiis in paupertatem, aut captivitatem, aut necessitatem aliquam deciderunt. Ergo qui eget misericordia, peccator est : qui autem peccator non est, utique justus est, et non eget misericordia Dei.

29. Secundum quid igitur unusquisque, hoc est, secundum quem statum egeat misericordia, aut justitiam habeat, considerandum est. Aliter enim eget justitia Dei angelus, aliter homo. Aliter eget misericordia archangelus, aliter homo. Angeli enim natura non utique ita corruptelæ obnoxia est, ut natura generis humani; et ideo ille eget misericordia Dei, ne possit errare, et aversa a se Dei gratia, labatur in vitium : homo autem etsi jam firmiore proposito est, tamen propter contractorum seriem peccatorum, misericordiam Dei quærit. Itaque etsi uterque misericordia Dei indiget, aliter tamen angelo misericordia, aliter homini debetur; leve enim vitium in angelo judicio graviore censetur. Peccatum quoque adolescentiæ in homine, mitiore sententia, quam peccatum senectutis astringitur, et citius relaxatur.

30. Propheta igitur in isto versiculo dividit causas, ut et misericordiam quasi homo postulet; quia nemo sine sorde peccati : et justitiam quasi Propheta deposcat : vel certe, quoniam licet peccaverit sicut homo, et quasi peccator misericordia egeat; tamen correxit errorem, pœnitentiam gessit, abstinuit a temulentia delinquendi, sobrietate virtutis. Petit ergo justitiam secundum verbum Dei, quia verbi Dei sententia est, ut conversis venia donetur; si tamen legitime est facta conversio (*Ezech.* XVIII, 21, *et* XXXIII, 12).

31. (Vers. 59.) *Cogitavi vias meas, et averti pedes meos in testimonia tua.* Dividuus sensus : aut quia vias superiores meas cogitavi plenas lapsus atque peccati, et ideo ut remissionem peccatorum possim mereri, morum conversione, studioque virtutum, *Averti pedes meos in testimonia tua*, ut non jam meis gressibus quibus ante sum lapsus, sed testimoniorum tuorum itineribus ambularem, quo tuorum semitæ mandatorum me errare non **1067** sinerent, nec vestigium in devia et tortuosa deflecterem. Frequenter enim ignorantes iter, si strata viarum sequantur, perveniunt quo desiderant pervenire, et carent erroris anfractu. Sin autem usurpent scire quod nesciunt, et putent aliqua sequenda compendia, a pu-

lus Fisc., *laxat exitio*. Est autem *laxat exsilio* idem ac liberat exsilio, seu non damnat exsilio.

[a] *De capite*, hoc est de vita, sive de pœna capitis. Quippe interdum rei atque accusatoris periculum ita æquabatur, ut non solum uterque servaretur in custodia; verum etiam idem supplicium quod alteri debebatur, si fuisset convictus, alteri non probanti lege talionis irrogaretur. Cod. Theod. l. IX, tit. *de Accus.*, leg. 19. Item Grat. cit. loco.

bliqui tractus itinere recedentes erroris labyrinthos A frequenter incurrunt; ut eos de itinere deflexisse pœniteat : et ideo post multa laborum dispendia ad iter quod reliquerant, redire contendunt.

32. Hic ergo sensus unus est, alius autem ita : *Cogitavi vias meas*, non superiores, sed futuras; ut ante meos actus cogitationibus prævenirem, ne inconsulta operatione progressus, aliquid [a] in ipsis cogitationibus offensionis inciderem : ut si agere aliquid velim, ante cogitem utrum agendum sit illud quod desidero, aut quo agendum modo : similiter si alloquendum, utrum alloqui debeam : deinde publice, an secreto loqui, præsentibus aliquibus, aut nullis; sicut illud est, ut si velis fratrem corripere, primo solus corripias, secundo præsentibus duobus aut tribus testibus, tertio si non audierit, coram Ec- B clesia. Itaque si prætermisso ordine, velis coram Ecclesia fratrem increpare, quam ante monere debueras, erratum ipse cognoscis. Omnia igitur cum cogitatione facito, ut non te pœniteat operis tui. An vero si viam ingressus, cum veneris ad compitum aliquod (ita enim appellatur plurimarum velut quidam concursus viarum) si nescias quod iter ingredi debeas; stas tamen et cogitas ipse tecum, utrum primam, an secundam, an tertiam, an quartam, vel certe quintam, si ita est, viam eligas, quam sequaris; nec putas prius adoriendum iter, quam animo definieris, et pleniore mentis intentione decideris. Stas igitur cogitans quæ sit via, quæ in civitatem ducat, ad quam tibi putas esse pergendum. Quanto igitur magis animo debes ac mente consistere, qui C ad regnum cœleste contendis, et cogitare tecum, quia non omnis via illo ducit, non omnis via illo dirigit ad Hierusalem illam quæ in cœlo est (*Prov.* XIV, 12)!

33. Sunt viæ quæ malos exitus habent, quas diaboli tentamenta triverunt; et ideo exitus earum, exitus mortis sunt. Hæ nempe sunt viæ, de quibus legisti in Proverbiis : *Quia sunt viæ quæ videntur viro rectæ esse, ultima autem earum aspiciunt in profundum inferni* (*Matth.* V, 28). Est autem via angustior illa, quæ ducit ad Dei regnum. Volens igitur eam ingredi viam quæ ad Deum ducit, non circumspicies, non tecum ipse tractabis, non considerabis; ne facile capiaris affectu, si viæ latitudine provocatus ingrediaris iter, quod ad inferna deducat? Cogita ergo ante, at- D que perpende quid facias.

34. *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo.* Hic utique cogitaverit ut videret mulierem, ut videret ad concupiscendum; sed mala hæc cogitatio relinquat vias suas. Alius non cogitavit quidem, sed subito aspexit, et captus est, et vidit, et concupivit, et ideo lapsus est. Quod si fragilem suum considerasset affectum, et ante timuisset, ne cum vidisset mulierem, mente caperetur et animo; utique **1068** non prospexisset ad mulierem, ne concupisceret eam. Videns ergo mulierem non direxit pedem suum in testimonia Domini, qui si ante lapsum suum cogitare potuisset, [b] forsitan direxisset. Unusquisque ergo prius cogitet quomodo videat mulierem; ut non videat ad concupiscendum eam, aut non attendat in eam. Si autem videns repente, vel bona cogitatione fundatus, dirigat pedem suum ad testimonia Domini, ne in captivitate permaneat : utique ei profuit cogitatio. Postremo amans [c] mulierem, diligens, et concupiscens, Christum consideret, judicium ejus, testimonia ejus de præmiis castitatis, et relinquat vias concupiscentiæ, et sequatur vias Christi : habebit laudem in eis, si contemplatus Dominum Jesum, contemnat carnis ardorem, flammamque libidinis quasi quodam fonte restinguat, allidat teneras et infirmas cupiditates ad petram Christi.

35. Cogitet ergo primum, ut eadem repetam, quemadmodum videat, quemadmodum loquatur. Bene cogitavit qui dixit : *Pone, Domine, custodiam ori meo* (*Psal.* CXL, 3); ne forte dum mens inflammat ardorem, lingua sermone labatur, aut multiloquio incauto etiam quod mens non cogitavit, incurrat loquendi facilitate : cogitet quemadmodum pedem suum dirigat, manum afferat; ne impetu indignationis impulsus, cum repellere debeat injuriam, ipse alteri [d] jactum notabilis cædis illidat. Cogitandum est igitur quid geramus; ubi enim præcedit cogitatio, maturitas operationis adhibetur. Itaque pes iste fidei vestigium est, quem meditatione perpensa, a corporalibus motibus ad testimonia divina deflexit.

36. (Vers. 60.) Quid igitur prosit cogitare ante, quod postea facturus sis, docet versiculus qui sequitur : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Ubi cogitatione quis prævenit quod acturus est, semper paratus ad agendum est, semper fixus et validus; ut non queat subita aliqua accidentium offensione turbari. Nulla eum flabra scopulosæ nimis ambitionis excutiunt, nulla procella atque tempestas injustæ invasionis exagitat, non petulantis oculus meretricis illaqueat; oculus enim meretricis, laqueus amatoris est. In aliena miser capitur possessione, qui improviso igne præventus possessionem suæ mentis amisit. Si persecutio ingruit, invenit jam paratum; ut ubi possit esse perturbatio salutis incertæ, ibi sperata sacri corona certaminis provida futuri meditatione demulceat. Si a maledicis obtrectatoribus frequenter obroditur, cogitet quia non est discipulus super magistrum, neque servus supra dominum. Si supra Dei Filium

[a] Vet. edit ac mss. nonnulli, *in ipsis coactionibus*. Rom. e margine unius Vat., *in ipsis actionibus*. Quidam mss., *in ipsis concionibus*. Reliqui magno numero nobiscum faciunt.

[b] Regius cod. solus, *forsitan dixisset unusquisque : Cogitavi vias meas, et averti pedes meos in testimonia tua. Ergo prius*, etc.

[c] Ita mss. omnes Gall.; edit. vero, *mulierem, si averterit non tantum pedem, sed et mentem, ut diligens*, etc. Sed quæ in mss. desunt, nihil aliud quam sensum pervertunt.

[d] Rom. edit., *ictum notabilis cædis*.

Digitized by Google

opprobria exprobrantium nefanda ceciderunt, quemadmodum servus exsortem eorum sperare se poterit? Ideoque mentem suam præparare debet; ut cum ista acciderint, turbare se non queant. Præparet animum et meditatione componat, ut possit dicere, si tamen possit: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames?* etc. (*Rom.* VIII, 35). Quare autem non separetur, adjecit: *Sed in his omnibus superamus*, inquit, *et vincimus propter eum qui dilexit nos* (*Ibid.*, 37). Meritoque confirmatus ait: *Confido enim quia* **1069** *neque mors, neque vita, neque angeli..... neque potestates, neque præsentia, neque futura.... separare nos poterunt a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Ibid.*, 38 *et* 39).

37. Multa Apostolus dixit, contra quæ lucta nobis est: sed alia facilia sunt, vel certe non hujus temporis aut loci; ut discutere omnia debeamus, quæ sint quæ nos separare possint a charitate Dei; nisi diligentius resistamus. Illud nunc quod videtur obscurius, non prætermittimus, quia ait: *Neque altitudo, neque profundum* (*Ibid.*, 39): quæ sunt gravia tentamenta. Denique habes in Esaia scriptum ad regem Achaz: *Pete tibi signum a Domino in profundum, aut in altum.* Respondit ille: *Non petam, neque tentabo Dominum* (*Esai.* VII, 11 *et* 12). Mysticum illi propositum est, sed non intellexit: et veritus est ne tentare Dominum videretur, si signum peteret in altum, aut in profundum. Dominus autem volens gravia tentamenta remedio supplantare divino ait: *Ecce virgo concipiet in utero* (*Ibid.*, 14). Hoc est magnum signum, quod altitudinis, et profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Jesus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; neque quæ sua sunt, requisivit, sed formam servi accepit, humiliavit se usque ad mortem. Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadam dejectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur regi; ut petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec certe ærumnæ alicujus exceptione perturbaretur; ut erat corde turbatus, cum bellum sibi videret ab Assyriis inferri. Divini igitur exemplo oraculi volumus ostendere quam essent hæc gravia tentamenta, quibus remedium solus potuit Christus afferre.

38. Verumtamen et prophetico sermone facile est docere sarcinam quamdam horum tentamentorum. Hæc enim tentamenta duo maxima sanctus Salomon oratione propria declaravit, et rogavit ut posset excludere dicens: *Divitias autem et paupertatem ne des mihi: sed ordina mihi quæ opus sunt, et quæ abundent; ne repletus mendax fiam, et dicam: Quis me videt? aut pauper rapiam, et perjurem nomen Dei.* (*Prov.* XXX, 8 et 9). Potes igitur tu ista tentamenta contemnere, quæ formidavit Salomon, qui sapientiam postulavit et meruit? Dives erat, timuit extolli: pauper fieri formidavit; ne paupertatis necessitate [a] abstinentiæ gratiam non teneret. Quam multi qui videbantur sancti esse, ceciderunt ab altitudine cordis sui? Quam multi aliqua necessitate dejecti, non potuerunt contenti esse injuria, qui fuerant virtutum exercitio roborati? Rarus Job invenitur in terris, qui et divitias amisit et filios, [b] et vibicibus corporis exaratus, cum vermes toto corpore fluerent, a Christi tamen charitate non potuit separari. Paremus igitur affectum nostrum; ne imparatum vis repentina perturbet. Denique sciens Dominus cito nos frangi solere, ait etiam apostolis: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* (*Joan.* XIV, 27). Si te cupiditas appetentiaque tentaverit, lege Evangelium, dicat tibi Jesus Christus: *Non turbetur cor tuum.* Si quis terror ingruerit, dicat tibi Christus: *Non turbetur cor tuum, neque formidet.* Si qua supplicia persecutor inflixerit, lege Evangelium, dicat tibi Jesus: *Non turbetur* **1070** *cor tuum, neque formidet.* Lege Apostolum dicentem: *Indignæ enim passiones sunt hujus temporis ad superventuram gloriam* (*Rom.* VIII, 18). Si in mari naviganti gravis fluctus insurgat, tempestas atra desæviat, tibi dicat Jesus: *Ego sum, noli turbari* (*Marc.* VI, 50). Veniens igitur in certamen aliquod magnum et grave, dic prius: *Paratus sum, et non sum turbatus; ut custodiam mandata tua.*

39. Et quid de sæcularibus dicam? Esto paratus non solum adversus ea quæ vides, sed etiam adversus ea quæ non vides. *Foris*, inquit, *pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5). In te ipso tibi bellum est: bonum est ut in tranquillitate sit animus tuus, et in quadam serenitate: sed gubernator ille melior est, qui in tempestate navim gubernat. Rege igitur te ipsum, quando turbatur animus, mens fluctuat. Laudaverim virtutem gubernatoris, qui nullas procellas senserit, et cursum navigii direxerit, nulla tempestate jactatus? Sed illum magis laudaverim, qui adversus ventos renititur, insurgit adversum fluctus, non timet vel cum elevatur undis navigium, vel cum ad profundi ima deponitur. Ita et ille laudandus est gubernator sui, qui ea quæ adversa sunt vincit patientia, virtute superat, secundis non extollitur, adversis non frangitur. Bellum tibi est etiam adversus nequitias spiritales. Advertis cum quantis tibi sit prælium? Et ideo meditare, et statue animo; ut procedens ad prælia dicas: *Paratus sum, et non sum turbatus; ut custodiam mandata tua.*

40. (Vers. 61.) Sequitur versus quintus: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus:* hoc est, funibus me circumdederunt peccatores; ut mea implicarent vestigia, ne possem incursus eorum prævidendi celeritate evitare. Non ergo illi funes sunt, de quibus scriptum est: *Funes ceciderunt mihi in præclaris* (*Psal.* XV, 5); sunt enim funes illi quibus utuntur, qui terminos metiuntur agrorum limitesque distinguunt, et possessionum spatia determinant. Tenduntur ergo illi funes quoad possessio

[a] *Abstinentiæ*, a rapinis scilicet, ut referatur ad superius illud, *aut pauper rapiam*.

[b] Ita mss. aliquot, et cunctæ edit. nisi quod Era. Gill. ac Rom. præferunt, *exarabatur*. Mss. vero alii, *et ulceribus*; nonnulli, *et verberibus exaratus*. Sed *vibicibus*, magis Ambrosiana locutio est; ut jam observari potuit non uno loco.

Digitized by Google

uniuscujusque diffunditur. Sic factus est funiculus hæreditatis suæ Israel. Boni ergo illi funes. Isti autem funes quibus trahuntur peccata, ut fune longo, et ut loro jugi vitulæ iniquitatis. Vitula enim indomita plus se jactat et excutit, cum tenetur, nec acquiescit imperio, nec astringitur vinculo; sed magis cum loro retrahitur, exasperatur. Itaque nec coacta se subjicit, nec tamen libera vinculorum est. Sicut ergo trahit vitula lorum jugi, quæ etsi non tenetur e proximo; tenetur tamen, nec se explicat et absolvit: ita trahit unusquisque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum; quia non est jugo subditus, subjectusque judicio: et nescit quod non sit exutus, sed magis ut illa vitula, et ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Hi sunt igitur funes delictorum nostrorum, quibus involvimur et ligamur, quemadmodum sunt et vincula delictorum. Et ideo Salvator qui habet in potestate peccatum dimittere, dicit iis qui sunt in vinculis: *Exite*. Utinam et mihi dicat: Exi de vinculis tuis: exi de nexibus peccatorum tuorum: solve funes erroris tui, quibus circumdatus **1071** et ligatus es. Etsi enim nequissimus sim omnium, [a] et detestabilissimus peccatorum; illo tamen jubente, liber ero, qui sub uno momento latrocinii damnatum reum supplicio eripuit, constituitque in regno suo.

41. Sunt ergo vincula quibus constringimur, etsi videamur nobis liberi. Beatus qui hæc solvit sibi vincula. Et ideo David ait: *Dirumpamus vincula eorum: et abjiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II, 3). Non manu utique visibilia vincula dicit esse rumpenda, sed invisibiles criminum nexus morum conversione, et fidei professione solvendos: [b] aut manu, hoc est, opere manus tuæ. Eroga pauperibus, debiles elevato, redime captivos; et solvisti vincula tua. Eleemosyna enim a peccato liberat. Eripe eum qui ducitur ad mortem, hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia, [c] tu sacerdos: aut tu imperator, eripe subscriptione indulgentiæ; et solvisti peccata tua, exuisti te vinculis.

42. Vinculis enim peccatorum suorum unusquisque constringitur, sicut ipse legisti: ligat nos vinculis carnis illecebra (*Jacob.* I, 15). Vinculum nostrum avaritia est, vinculum nostrum ebrietas est, vinculum nostrum concupiscentia est, vinculum nostrum superbia est. Sunt et diaboli vincula. Denique scriptum est: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligavit Satanas decem et octo annis* (*Luc.* XIII, 16). Ligat nos etiam diabolus criminum nexu: ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterii, vinculo perfidiæ qua Christus negatur, vinculo invidiæ qua frequenter etiam frater appetitur, vinculo crudelitatis qua nonnumquam socius et conformis occiditur. Hæc sunt vincula quibus ligatus unusquisque inclinatur; ut animam suam levare non possit, nec obtutus ad cœlum mentis erigere, nisi dicat ei Dominus: Dimissus es ab infirmitate tua; et munere eum suæ benedictionis erexerit (*Ibid.*, 12). Hæc sunt sceleratorum vincula [d] quæ dure peccatores ligant, hoc est, diabolus et ministri ejus: vel certe Nemroth, hoc est, amaritudo: vel certe Esau, hoc est, terrenus et callidus. Isti enim venatores erant, qui feras laqueis captare consueverant, et muta animantia vinculis illigare. Inutiles venatores, qui capiant bestias, quæ pompam spectaculo populari præbeant, ministerium crudelitati. Denique nullum invenimus in divinarum serie Scripturarum de venatoribus justum.

43. At vero alia vincula sunt, ut dixi, Domini Jesu, quem sequuntur, inquit (*Ose.* XI, 4), alligati vinculis, hoc est, vinculis astricti charitatis et amoris, fidei vinculis alligati. Licet sic possit intelligi: Alligati vinculis Christum sequuntur, hoc est peccatorum et criminum remissorem, fontem indulgentiarum, redemptionis auctorem. Sequamur ergo vincula Christi, fugiamus vincula venatorum; ne dum incedimus, dum ignoramus, laqueos eorum pes nostræ mentis incurrat, nec animæ nostræ cervicem nexibus inseramus. Insidiantur enim quasi pessimi venatores: et quando prosperorum **1072** eventu animum relaxamus, ac secundis rebus remittimus, nec excubias cautionis habemus intentas, tunc plus jactant laqueos suos, aut in via qua ambulamus, abscondunt; ut cum fuerint eorum laqueis innexa vestigia, trahant quo securum supplantent viantem, vel collo astrictos strangulent commeantes.

44. Noli ergo alta ambulare cervice, sicut filiæ Judæ; altis enim cervicibus cito laqueus innodatur. Noli ad sæcularia mentem animumque defigere: sed circumspice oculis animæ diligenter, quia pluit Dominus laqueos super peccatores; ne cadentes illigare te possint: quos poteris evitare, si legem Domini non obliviscaris. Etenim etiam qui ligatus est, si sibi sit conscius libertatis, oblivisci libertatem suam non desinit, et causam nonnumquam dicit e vinculis, [e] eamque sibi legum præscripto defendit, ac judicio frequenter absolvit. Ergo et tu si peccaveris, memor

[a] Omnes edit. cum paucis mss., *et detestabilis usu peccatorum*. Reliqui mss. nobiscum faciunt.

[b] Rom. edit. e marg. unius cod. Vat., *Aut si manu, et tunc opera manus tuæ eroga*, etc. Vet. edit. ac tres mss., *Aut manu, hoc est, opera*, etc. Alii omnes legunt... *opere*, etc.

[c] Inter episcoporum privilegia illud erat olim non minimum ut possent certis diebus in custodia servatos adire, atque audita ipsorum causa, pro iis apud judices intervenire. Hoc liquet ex lib. IX Cod. Theod., tit. 3, leg. 11, et Comm. Godefr. in eumdem legem. Sed illud etiam clarius cognoscas ex l. 13 Append. Cod. Theod. qua imp. Hon. et Theod. liberum carceris aditum episcopo visitanti patere jubent *ut medicetur ægros*, inquiunt, *alat pauperes, consoletur insontes: et cum singulorum causas cognoverit interventiones suas apud judicem competentem suo jure moderetur*, etc.

[d] Edit. Rom. sola *quibus dure peccatores ligant diabolus*, etc.

[e] Mss. sex., *Et ea quæ sibi lege sunt prescripta.... absolvitur*. Alii quatuor: *Et æque sibi legum præscripta.... absolvitur*. Cæteri, ac edit. nobiscum faciunt. Hic autem *legum præscriptum*, idem est atque legum definitio, seu constitutio.

Digitized by Google

esto legis. Si peccaveris, memor esto Christi, qui te liberat, dicens : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates...., et memor non ero* (*Esai.* XLIII, 25). Ipsum diebus ac noctibus tene, ipsi tua confitere peccata.

45. (Vers. 62.) Docet te Propheta quomodo teneas Dominum Jesum. ***Media nocte***, inquit, ***surgebam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ.*** Non satis est dies ad deprecandum, surgendum est et nocte, et media nocte. Ipse Dominus pernoctavit in oratione; ut te proprio ad deprecandum invitaret exemplo : et utique peccatis tuis ille indulgentiam postulabat : postulabat a Patre, [a] operabatur propria voluntate. Non tibi dicit Propheta, ut tantummodo media nocte surgas : sed ut surgas nocte, et maxime nocte media. Nocte enim surgendum ante præmisit dicens : ***Memor fui in nocte nominis tui, Domine***, (*Supra. vers.* 55). Potest unusquisque memor esse, et non surgere : potest unusquisque et surgere, et cum surrexerit, ea quæ proprio arbitrio sederint, postulare. Addidit : ***Media nocte surgebam***, docens surgendum esse media nocte. Nec otiosum est quod adjunxit : ***Ad confitendum tibi***, hoc est, ut illo maxime tempore deprecari Deum, et propria debeamus deflere peccata : nec solum præteritis veniam postulare, sed etiam præsentia declinare, futuris cavere; multa enim illo in tempore tentamenta proserpunt.

46. Tunc fervet carnis illecebra : tunc tentator illudit : coquitur cibus, potusque digeritur : stomachus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum cavere possit incursus. Tunc igitur tentator assistit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam. Tunc spiritales nequitiæ tenebras offundunt : tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes peccatori dormitanti infundunt; ut primo de statu **1073** mentis dejiciant reluctantem, et aliquorum qui sancti habentur, proponatur exemplum, quod illi aliquando deliquerint, sed postea veniam sint adepti, et texerint superiora delicta. Nam etsi omnem emendationem nostri inimicus exosus sit : tamen ad tempus, ut sobriæ mentis virum possit elidere, prætendit futuram indulgentiam; ut præsentia peccata persuadeat : et cum impulerit aliquem ad erroris assensum, si viderit eum jam non amore virtutis a culpa sed pœnæ contemplatione revocari, inserit varias disceptationes, ut dicat sibi : *Quis me videt? Et tenebræ circumdant me, et parietes... quem vereor* (*Eccli.* XXIII, 25 *et* 26)? Non videt Altissimus, non ad eum peccata nostra perveniunt, non dignatur spectare quæ turpia sunt. Hæc utique usu exemploque cognoscimus; nemo enim potest esse expers tentationis.

47. Itaque ut tempus hoc habile est tentamentis : ita etiam tempus est pœnæ, quod ex lectione divina possumus edoceri. Non enim otiose Dominus Deus noster cum posset quocumque momento primitiva Ægyptiorum exstinguere; hoc tamen tempus dolori et luctui peccatoris opportunius judicavit. Sic enim scriptum est, quia media nocte primogeniti Ægyptiorum liberi ab exterminatore sint interempti (*Exod.* XII, 29). Ideoque sanctus Moyses propheta, ut hoc præveniret tempus, ac sine Hebræorum fraude transiret, agnum ante immolavit, hoc est, vesperi; ut manducantes eum, et pascha Domini celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidiis; ne inermes et vacuos spiritalis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent.

48. Hæc diligenter intende, prudenter intellige, sollicite require. Non perfunctorie ista dicuntur, sed divina tibi mysteria declarantur. Præveni et tu insidias tentatoris, instaura prius cœleste convivium. [b] Indictum est jejunium, cave ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, aut intemperantia declinat jejunium; tamen cœlesti magis te servato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestis sis vacuus sacramenti. Differ aliquantulum, non longe finis est diei : immo plerique sunt ejusmodi dies; ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum; ut corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, et protectionis æternæ. Suscipe ante Dominum Jesum tuæ mentis hospitio : ubi corpus ejus, ibi Christus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet ac recedet : et tu mediam noctem sine ulla offensione transibis. Admonet etiam sacrificium vespertinum, ut numquam Christum obliviscaris. Non potes oblivisci, **1074** cum lectum ascendis, ejus Domini, cui in occasu diei precem fuderis, qui esurientem te sui corporis epulis expleverit.

[a] Rom. edit. sola, *operabatur propria potestate.*

[b] Multa ex hoc loco erui possunt, quibus illustretur ecclesiasticæ priscorum temporum disciplinæ cognitio. Hinc enim primo jejunii cum indictum fuisset, ad usque diei finem servandi obligatio declaratur. Deinde consuetudo sacramenti eucharistiæ non nisi ore jejuno recipiendi ostenditur : cum Mediolanensis Ecclesiæ usus innuitur diebus sabbati ac dominicis non jejunandi; hoc enim colligi posse videtur ex illis verbis, *immo plerique sunt ejusmodi dies*, etc., quæ quidem eo sensu melius explicantur, quam si de jejuniis stationum ea intelligas; cum maxime verisimile sit quadragesimale jejunium hic describi. Postea celebrandæ oblationis fit mentio, quam oblationem nihil aliud esse, nisi corporis Christi sacrificium ad Præfat. hujus operis observavimus. Ad hæc indidem quoque intelligere est moris fuisse in Ecclesia Latina etiam jejunii diebus sacrificium offerre, et eucharistiam accipere, contra quam in Orientali obtinebat. Postmodum memoratur etiam vespertinum sacrificium, id est, missa vespertinis horis diebus jejunii celebrari solita : de qua in conc. Vasensi c. 3, Aurel. III, c. 29, Matiscon. c. 9, actum reperimus. Recensentur denique mirabiles hujus sacramenti effectus, munimentum scilicet adversus diaboli tentamenta, remissio peccatorum, etc.

Digitized by Google

Etenim quod vesperi cogitaveris, cito cum evigilaveris, recensebis. Excitabit te ipse Dominus Jesus : admonebit ut surgas, et eo tempore arma orationis assumas, quo solet incursare tentator.

49. Unde non otiose Paulus apostolus et Silas trusi in carcerem, cum in nervo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis vestigio, exorabant Dominum, et laudis sacrificium deferebant (*Act.* XVI, 25 *et* 26). Ideoque ubi non defuit devotionis officium, adfuit etiam absolutionis remedium. Subito enim media nocte terræ motus factus est grandis; ita ut mota essent fundamenta carceris, valvæ apertæ, omnium vincula soluta sint. Audis quemadmodum si ligatus fueris, quibus manibus, quibus operibus ipse te solvas, quemadmodum custodes timere non possis? Surge igitur ad precandum. Ea hora est, qua tentator nocere consuevit, et nequitia consuevit irruere. Ea hora est, qua solet adversus tentationes graves remedium venire cœleste. Excubandum tibi est, ne qua fraude vincaris : providendum ut eo tempore quo potes vincere, nequaquam vincendi tempus amittas.

50. Et quia orationem esse subeundam media nocte diximus, non minus etiam de hujusmodi hora diei dicendum videtur; contraria enim diei nox est. Quid enim luci commune cum tenebris? Et ideo adversa sibi eadem nocturna est vel diurna. Sicut enim media nocte primitiva Ægyptiorum [a] tentator occidit, et ex eo cognoscitur quod ea maxime hora operetur adversarius ; ita e contrario quod meridiano tempore virtus divinæ lucis operetur. Unde et Abraham circa meridiem sobrias tendebat excubias, et boni aliquos exspectabat eventus, levans oculos suos, ac finitima perlustrans, quod eo tempore advenientem gratiam sibi quæreret (*Gen.* XVIII, 1 *et* 2). Illo igitur tempore cum duobus angelis sanctis divinus ei hospes advenit : illo tempore Christum suscepit hospitio : illo tempore illa quæ legis et intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis debuit fidelem virum divina illuminare præsentia, quam cum lux diei plenior refulgeret? Meritoque etiam sanctus Joseph receptis fratribus, et accersito junior germano quem maxime diligebat, meridie instaurat convivium (*Gen.* XLIII, 16). Erat enim meridies in sancti Joseph pectore, quando lætas epulas fratribus splendentis gratiæ ministrabat, suavissimique cibos alloquii dividebat; ut cum illi pœnam fratris metuerent appetiti et venditi in servitutem, ille divino judicio ipsis diceret esse provisum, ut in Ægyptum deduceretur, qui famem sustinentibus alimoniam non negaret (*Gen.* XLV, 5-7).

51. Habemus ergo in nobis meridiem. Meridies est ei, cui justitiæ sol refulget, et cujus opere **1075** bono, vel cogitationibus innoxiis, et pura mente atque sincera pascitur Christus. Disce igitur quemadmodum tibi ipse facias meridiem. *Revela*, inquit, *ad Dominum viam tuam, et spera in eum : et ipse faciet, et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem* (*Psalm.* XXXVI, 5 *et* 6). Ubi enim vera est fides, ibi veri luminis gratia est : ubi innocentiæ prolixior custodia, virtutumque longa meditatione processus, ubi splendor bonæ conscientiæ diu permanens, ibi intelligibilis est meridies : ibi et tu Christo mentis tuæ epulas exhibebis, et in divitiis ejus etiam ipse pasceris; ita ut non præmaturus et velox veri luminis sequatur occasus, nec quidam studiis tuis tenebrosus cito vesper incumbat, et opera bona interjectus impediat. Quod si tentationum nox advenerit, non immerito media nocte surgendum, et orandum diu, et protrahenda psalmis tempora, donec veniat dies, et illucescat tibi Christus.

52. Vide igitur ne et per diem tibi media nox fiat, quo mundi princeps tenebrosus et squalidus plenitudinem tibi tentationis infundat. Surge igitur, et excita tuam mentem : non dormitabit qui custodit te, si te non reperiat dormientem : sed surget, si et ipse fuerit tuæ animæ vigiliis excitatus : et imperabit vento, et fiet tranquillitas in tuo pectore, quod diversarum procellarum turbine fluctuabat. Surgendum igitur nobis. Solet Sponsus media nocte venire : cave ne te dormientem inveniat, cave ne facem tuam non queas somnolentus accendere. Surgendum, inquam, et Domino confitendum est, ut gratias agas. Confitenda etiam ejus judicia æterna; ut quidquid nobis boni accidit, ejus justitiæ deputemus : ac sive divites sumus, sive salubriter valemus, id justitiæ Domini deferamus; quia justus est, ut opus suum tueatur ac servet, ut quos nudos indotata quadam naturæ sorte in hanc projecit corporis infirmitatem, vigore animi, et misericordiæ suæ dote pauperes vestire dignetur. Quod utique omni agendum tempore manifestum est, ut nec die, nec nocte, nec ullo tempore a gratiarum actione debeamus vacare.

53. (Vers. 63.) Sequitur versus septimus : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Habet et Christus participes atque consortes sui. Denique David probat dicens : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Habet participes carnis; quia carnem suscepit : habet prophetiæ; quia *Prophetam*, inquit, *vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me : ipsum audietis per omnia quæcumque loquetur vobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe* (*Deut.* XVIII, 18 *et* 19). Ipse est verus propheta, qui sine alterius munere futura cognoscit : qui ea quæ ventura erant, locutus est in prophetis. An non est propheta, qui facit alios prophetare? Ipse est qui auditur sicut Lex ; quia et Lex est ipsius. Denique *Si Moysen*, inquit, *et prophetas non audiunt : nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent* (*Luc.* XVI,

[a] Sic omnes mss. atque edit. excepta una Rom. ubi positum est, *exterminator occidit.*

Digitized by Google

31). Ideoque populus Judæorum quia non audivit hunc prophetam, de plebe exterminatus est; ut populus Dei esse desineret, qui ante populus Dei dicebatur. Habet consortes baptismi; **1076** quia baptizatus pro nobis est : habet consortes justitiæ; quia ipse justitia est, et nobis de suo dedit sui habere consortium : habet consortes veritatis; quia ipse veritas est, et nos tenere voluit veritatem : habet consortes resurrectionis; quia ipse est resurrectio : habet consortes immaculatæ vitæ; quia ipse immaculatus est. Et quicumque in novitate vitæ ambulaverit, quicumque tramitem justitiæ tenuerit, particeps Christi est. Habet etiam tribulationis suæ participes; ideoque qui particeps ejus esse cupiebat, dixit : *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quæ est Ecclesia* (*Coloss.* I, 24). Sepulturæ quoque ejus participes sumus; quisquis enim consepultus est cum ipso per baptismum in mortem, particeps ejus est. Ideoque ipse Apostolus astruens quam nobis gratiam dederit Dominus Jesus, ait : *Participes enim Jesu Christi facti sumus* (*Hebr.* III, 14).

54. Sed et ille particeps Christi est, qui lugentem mœsto consolatur affectu : qui in carcere constitutum proprio non defraudat officio : qui lecto ægrotantis assidet, non ut capiendæ hæreditatis tendat aucupium; sed ut morbi vim sollicito mitiget ministerio, ut sedulo fessum sermone demulceat : qui nudos vestiat, esurientes reficiat. In his enim frequenter est Christus, sicut ipse ait : [a] *In carcere eram, et non venistis ad me : nudus eram, et non operuistis me.... Quod enim uni eorum non fecistis, nec mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 42 *et seq.*). Si oderim mendacium, particeps Christi sum; quia veritas Christus est : si fugiam iniquitatem, particeps Christi sum; quia Christus justitia est. Beatus qui hoc potest dicere. Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis : sic conjunctum omnibus timentibus Deum, qui non dicat alteri : Non es de corpore meo, hoc est, non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat : Non estis mihi necessarii; particeps corporis Christi est, quæ est Ecclesia. Sed qui sciat quod ii qui videntur in Ecclesia debiles, pauperes, imprudentes, etiam peccatores abundantiori indigeant honestate, et majore præsidio fulciendi sint : qui hoc noverit, ipse potest dicere : *Particeps ego sum omnium timentium te.* Qui compatiatur magis hujusmodi hominibus, quam fastidiat eos : compatiatur infirmis; ut sciat quia unum corpus omnes sumus, et membris membra connexa; ut alterum sine altero esse non possit : et cum alterum dolet, compatiatur alteri. Iste ergo recte potest usurpare hujus vocis auctoritatem.

A 55. Vide autem quam verecunde Propheta dixerit : *Particeps ego sum timentium te.* Non dixit imitantium, sed *timentium*; initium enim sapientiæ est timor Domini (*Eccl.* I, 16). Inter rudes se constituit humilitate, cum veteranos devotione superaret. Sed tamen et timere virtutis est; quia scriptum est : *Timete Dominum omnes sancti ejus* (*Psal.* XXXIII, 10).

56. Sed ne aliquibus timor iste non sanctus videatur (quia sunt qui ignava formidine pertimescunt, et hebeti trepidant metu) addidit : *Et custodientium mandata tua.* Ut ostenderet se sancti timoris esse consortem. Aut sic. Potest quidem **1077** timere corde devotus, sed opere piger; ut sit religiosus affectu, otiosus actu. Non tamen potest piger esse,
B qui mandata Domini custodit. Qui ergo timet, custodit. Ergo ejus est custodire, qui timeat. Sanctus itaque hoc dicit : ego autem hoc mihi usurpare non possum; quanti enim sunt qui timeant Deum, et non illis compatior? [b] Quærunt opem, et ferre nolo : misericordia indigent, sumptu non adjuvo. Quisquis autem hæc facit, ipse potest dicere se timentium Christum esse consortem.

57. (Vers. 46.) *Misericordiæ tuæ, Domine, plena est terra : justificationes tuas doce me.* Quomodo misericordiæ Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Jesu Christi, quam futuram prævidens, quasi promissam Propheta concelebrat? Prophetis enim ea quæ ventura sunt prævidentibus maris est, ut quasi jam decursa memorentur quæ pos-
C terioris ætatis sunt. Plena est ergo terra misericordiæ Domini; quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri jubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit : ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat : ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit : sed quod solis est, prærogativam suam servat : quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia est, et hoc divinæ misericordiæ deputatur; quia pluit super justos et in-
D justos. Aut certe sic interpretandum, quod misericordiæ divinæ plena sit terra; quia *Domini est terra, et plenitudo ejus.... ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam* (*Psal.* XXIII, 1 *et* 2). Etenim per Ecclesiam in omnes gentes diffusa est misericordia Domini, in omnes gentes diffusa est fides.

58. Fortasse dicas : Qua ratione non dictum est, misericordiæ Domini plenum est cœlum? Quia sunt etiam spiritales nequitiæ in cœlestibus : sed non

[a] Ita omnes mss. Edit. contra triplicem hujus loci negationem expungunt, ut de justis intelligatur. Sed quolibet modo proponatur, tantumdem valet ad probandum intentum.

[b] Edit. cum mss. duobus, *Quærunt opem, et ferre nolo misericordiam : indigent sumptu, et non adjuvo.* Melius reliqui, ut supra in corpore.

Digitized by Google

illæ [a] ad commune jus indulgentiæ Dei, remissionemque pertinent peccatorum, quibus ignis servatur æternus : et illa quæ cœlestium vel potestatum vel ministeriorum sunt, licet auxilio Domini fulciantur; tamen non tanta ejus indigent misericordia, quanta ea quæ sunt inferiora atque terrena; non enim illa carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. Ideoque in superioribus ait idem Propheta, quia *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (*Psal.* CXIII, 16). Unde et cœlum purius et defæcatius ab omni labe peccati est, longeque semotius ab illo de quo scriptum est : *Sicut volatilia cœli* (*Matth.* VI, 26). Hoc enim cœlum velut medius quidam inter cœlum et terram aerius locus dicitur, in quo sunt etiam spiritales nequitiæ in cœlestibus. Nam in illo non appellativo, **1078** B sed vero cœlo, etiamsi diabolum legerimus in conspectu Dei angelorum non defuisse concilio; puto tamen nulla operari tentamenta nequitiæ. Denique scriptum est quia angeli amaverunt filias hominum (*Gen.* VI, 2); eo quod terrenis capti detineantur illecebris princeps mundi istius ac ministri ejus, in quibus nequitia spiritalis venenis quibusdam carnis hujus imbuta, et humanis est infecta criminibus. Ideoque Dominus in Evangelio suo ait : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10). Non eadem est illic iniquitas vicinum possessionis finitimo rure depellere, viduam hæreditatis fraudare compendiis, minores [b] consortii jure detrudere, intra lignum denique et quodcumque argenti atque auri vel æris metallum velut effigiem quamdam cœlestem C includere potestatem. Hæc cum sint maximi plena sacrilegii, in cœlis vacant, in terris frequentantur. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII, 6). non terra firmata est.

59. Et ideo justificationes Dei ab ipso Domino vult doceri; quia difficile est in terra magistrum hujusmodi reperire, qui ea doceat, quæ ipse non viderit. Ad illum igitur doctorem intimo Propheta contendit affectu; qui solus magister est verus. Quomodo enim potest homo quasi verum docere quod nesciat, cum ipse sit mendax? Meritoque ait Dominus, ut nemo super terram vocet sibi quemquam magistrum; quia unus est magister omnium (*Matth.* XXIII, 8). Et quomodo posset David alium doctorem quærere, cum ipse de Deo dixerit : *Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII, 10)? Docet autem D Deus, et mentes illuminat singulorum, et claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui, et cœlestis gratiæ recipias claritatem. Quando A dubitas, diligenter inquiras; qui enim quærit, invenit, et ei qui pulsat, aperitur. Multa obscuritas est in scripturis propheticis : [c] sed si manu quadam mentis tuæ Scripturarum januam pulses, et ea quæ sunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum; et aperietur tibi non ab alio, sed a Dei Verbo, de quo legisti in Apocalypsi (*Apoc.* V, 5), quod Agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat; quia solus Dominus Jesus in Evangelio suo prophetarum ænigmata, et Legis mysteria revelavit : solus scientiæ clavim detulit, et dedit aperire nobis.

60. Dicunt se Judæi habere clavim scientiæ, sed non habent; nam si haberent, ipsi ingrederentur, B ipsi agnoscerent penetralia Scripturarum. Nunc autem : *Væ vobis scribæ et pharisæi, qui abstulistis clavim scientiæ, et ipsi non introistis, et introeuntes prohibuistis* (*Luc.* XI, 52). Qomodo enim clavim potestis habere scientiæ, qui scientiæ negastis auctorem? Et ideo ad ipsum conversus David ait : *Tu me*, inquit, *doce justificationes tuas*; quia tu es vera justitia. Tu doce quæ sapienter dicta sunt; quia tu es sapientia. Tu aperi cor meum; quia aperuisti librum. Tu aperi illud ostium quod in cœlo **1079** est; quia ipse es janua. Per te si quis introierit, regnum illud possidebit æternum. Per te si quis intraverit, non decipietur; quia falli non potest quicumque domicilium fuerit veritatis ingressus.

## SERMO NONUS.

### ט. *Theth*.

1. Nona littera *Theth*, cujus interpretatio est, *exclusio*. Quid est exclusio? Numquid sicut domo aliquis excluditur, hospitioque dejicitur : ita qui excluditur a Dei regno, bonis illius fraudatur; sicut illæ exclusæ sunt virgines, quæ secum oleum non tulerunt; et dum venit Sponsus, exstinctæ sunt faces earum, atque in emendo oleo, inflammandisque facibus occupatæ fecerunt moram, et ingresso jam Sponso, introire cupientes leguntur exclusæ (*Matth.* XXV, 2, 3 *et seq.*)? Non arbitror. Nam quomodo diceret [d] si a bonis sanctus Propheta esset dejectus, atque exclusus a Dei regno : *Jucunditatem fecisti cum servo tuo?* Nec Prophetæ meritum hujusmodi intellectum videtur admittere, nec series subditorum. Audis dicentem : *Suavis es, Domine, et in jucunditate tua doce me justificationes tuas* (*Inf. vers.* 68). Audis dicentem : *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti* (*Ibid.*, 72). Et potes dicere quod

[a] Mss. aliquot non infimæ notæ, *ad communem ejus indulgentiam, remissionemque*, etc.

[b] *Consortium*, in Cod. Theod. sumitur aliquando pro vicinia et connexis ædificiis; immo et apud Ciceronem, Orat. in Verr. consortes dicuntur ii, quorum fines contigui sunt : et hoc sensu consortium ab Ambrosio hic accipitur.

[c] Ambrosius in concionibus suis frequens adhortabatur auditores, ut studiose Scripturarum etiam difficiliorum lectioni incumberent. Et ne prophetarum obscuritate, sicut Augustino contigisse ex lib. IX Conf., cap. 13, cognoscimus, a tam utili proposito deterrerentur, docet orationem a lectione atque diligentia numquam separandam. Qua quidem methodo si usus esset idem Augustinus adhuc catechumenus, prophetiæ Isaiæ lectionem, quam suadente Antistite nostro exorsus fuerat, non ita facile omisisset.

[d] Codices Reg., Corb., Nav. unus, Læt. ac Fisc., *diceret, si bonus et sanctus esset Propheta dejectus.* Edit. Rom..... *diceret bonis sanctus Propheta, si esset*, etc.

Digitized by Google

sit exclusus a regno, qui non est exclusus a Lege? A Quid ergo intelligemus? Hæret interpretatio, et obscuritatem sensus sui sermo videtur offundere.

2. Vocant merita Prophetæ, vocat ejus gratia, vocat subjectorum series, ut altioris intellectus aliquid debeamus eruere; et [a] occurrit in tempore quod interdum excludamur in bono. Scriptum est enim: *Perfecta charitas timorem excludit foras* (I *Joan.* IV, 18). Et generaliter quidem charitas excludit timorem. Ut miles qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta non metuit: ut servus amans dominum, quamvis per devia et prærupta mittatur; tamen omnia pericula domini amore contemnit; ac si quis dominum petat, se ipsum offerre non trepidat: ut qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia, liberorum chari- B tate ingreditur maris fluctus, subit incerta navigii: sed metum discriminis levant desideria filiorum. Quam pulchre etiam de martyribus dicitur, qui vere militant Christo, qui persecutiones, ungulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt. Timorem etenim, quem poterant habere pœnarum, excluserunt amore martyrii.

3. Hunc sensum autem esse interpretationis hujus etiam de Threnis Hieremiæ possumus approbare. Nam et ibi sub hac littera scriptum est: *Bonus est Dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum. Bonum est sustinere, et sperare in salutare Dei. Bonum est viro cum portaverit jugum grave a juventute sua: sedebit singulariter, et silebit; quia tulit jugum grave* (*Thren.* III, 25-27). Hæc utique quid C aliud astruunt, nisi bonæ exclusionis hanc interpretationem videri? Quis enim sustinet Dominum, nisi studio charitatis? **1080** Quis est qui sperat, nisi qui quod sperat, optat, et diligit? Quod enim speramus, per patientiam exspectamus. Ergo qui sperat, sustinet: qui sustinet impatientiæ utique excludit affectum. Quis est qui portat jugum grave a juventute sua, nisi qui deliciis renuntiat, luxuriam fugit? Quis est qui singulariter sedet, nisi qui sæcularibus voluptatibus abdicatis, molestiarum omnium excludit tumultus? Iste ergo nihil timere poterit, quia charitatis gratia vim timoris absorbuit.

4. Est et alius qui excludatur in bono, ut ille qui Apostolica auctoritate sublatus e medio plebis est; quia malum opus fecit, traditus est in carnis interi- D tum, ut ejus spriritus salvaretur (I *Cor.* V, 5). Ex quo intelligimus quia in bono excluditur, qui jubetur agere pœnitentiam; ut humilietur, et compungatur corde. [b] Hæc enim reconciliationis solent esse suffragia.

5. Denique etiam in Hieremia scripta sub hac littera id videntur significare. Sic enim legimus de Hierusalem illa terrena: *Immunditia ejus ante pedes ejus. Non fuit memor novissimorum suorum, et* [c] *cecidit invalide: non est qui consoletur eam. Vide, Domine, humilitatem ejus; quia magnificatus est inimicus* (*Thren.* I, 9). Et quia sic humiliata est Hierusalem, merito postea ei dicitur: *Defecit iniquitas tua, filia Sion* (*Thren.* IV, 22). Et omni qui pœnitentiam egerit, lacrymisque propriis peccata defleverit, bene dicitur: *Defecit iniquitas tua.* Alibi quoque sub hac littera dicit Hieremias: *Boni erant vulnerati gladio, quam vulnerati fame. Abierunt compuncti* [d] *a nativitate agrorum* (*Ibid.*, 9). Compungimur igitur, quando nostrorum agimus pœnitentiam delictorum: compungimur etiam [e] recordatione delictorum. Unde ait propheta David: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV, 5). Qui autem compungitur, utique delectationem excludit erroris: et qui agit pœnitentiam, excludit pudorem: sequestrat verecondiam flagitii confitendi; ut recuperandæ spem salutis inveniat. Meritoque et ipse David ubi cognovit errorem: *Peccavi*, inquit, *Domino* (II *Reg.* XII, 13). Tantus rex, tantus propheta non erubuit peccatum proprium confiteri; et ideo dictum est ei: *Et Dominus abstulit peccatum tuum* (*Ibid.*).

6. (Vers. 65.) Sublato igitur peccato ait: *Jucunditatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* Multa videntur in hoc sæculo jucunda esse, quæ non sunt, multa suavia, bona plurima. Luxuries videtur esse jucunda: sed exhausto fit amara patrimonio. Dulcis libido, cum fervet: sed eadem horrida et exsecranda, cum proditur. Suaves epulæ, cum sumuntur: sed fetidæ, cum digeruntur. Bona multa in hoc sæculo, dum vivimus, æstimantur; quia usui nobis sunt, ut pecunia, aurum, argentum, possessiones: eadem nihil possunt prodesse defunctis: hic omnia relinquuntur. Quin etiam majori dolore quis moritur, cùm his se fraudari copiis ingemiscit. Non est ergo jucunditas vera, nisi illa quæ secundum verbum Dei est; ut quis bonorum meritorum atque virtutum subsidiis gaudeat se esse munitum.

**1081** 7. Hac David jucunditate vel bonitate Dei lætatur; quia jugum grave a juventute portavit, et sustinuit, atque exspectavit Domini in se gratiam, non præripuit, qui sæpe occidendi regis Saul tributa sibi copia, maluit tamen exspectare a Domino deferendi tempus imperii, quam occiso rege præripere. Semper Deus bonus est: ideoque et Paulus ait: *Vide ergo*

[a] Quidam mss., *Et occurrit interpretatio.* Edit.,.. *in interpretatione.* At mss. novem,... *in tempore*, id est, opportune; dum videlicet mihi animus de hoc ipso inveniendo sollicitus est.

[b] Hic et alibi pluribus locis Ambrosius veterem indicat Ecclesiæ morem, quo episcopi impositas a se pœnitentibus publicis pœnas minuere, nec non excommunicationis tempus breviare consueverant, habita ratione ipsorum contritionis atque humiliationis, quæ proinde reconciliationis dicuntur esse suffragia.

[c] Rom. edit., *cecidit valide.*

[d] Rom. edit., *a sterilitate agrorum.* Reliquæ cum mss. omnibus, *a nativitate agrorum.* Melius; sic enim LXX, ἐπορεύθησαν ἐκκεκεντημένοι ἀπὸ γεννημάτων ἀγρῶν.

[e] Omnes edit., *recordatione delictorum;* concinnius plerique mss., *recordatione dictorum*, ut citatus statim psal. IV, vers. 5, satis ostendit.



Digitized by Google

*bonitatem et severitatem Dei* (*Rom.* XI, 22); bonitas enim in omnes est, severitas in paucos. Denique subdidit idem Apostolus : *In eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem* (*Ibid.*). Si enim non cecidissent, utique uterentur et ipsi bonitate Dei. Nam et tibi ideo bonus est, quia permanes : quod si non permanseris in bonitate, et tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus esse desistit, quia tu lapsus es, et indiges severitate. [a] Siquidem et severitas Dei in bonitatem recurrit; ut unusquisque castigatus pedem referat a peccatis, et ad virtutum tramitem, bonamque conversationem recurrat. Denique docet de illis qui ceciderunt Apostolus : *Quia si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens enim est Deus iterum inserere illos* (*Ibid.*, 23); [b] ut quemadmodum deserta virgulta, ita et homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti, bonorum fructus possint ferre meritorum. Accuses necesse est medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras ferro putaverit exsecandas; quia noxia et serpentia ulcera igni adusserit, ne virus in ulteriora proserperet : vel quia magister discipulum verberaverit negligentem, ut metu verberum indueret diligentiam? Castigare enim amantis est, non exsecrantis; et ideo bonitatis est, non crudelitatis. Recte ergo et Dominus ubique est bonus, et cum remittit flagitia, et cum peccata castigat : *Castigat enim Dominus quem diligit* (*Heb.* XII, 6).

8. Castigatus est etiam David. Denique ait : *Et fui flagellatus tota die* (*Psal.* LXXII, 14). Sed vir sapiens qui intellexit castigationem illam Domini sibi profuisse ait : *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum*; hoc est, etsi illa mihi ad tempus amara visa est castigatio, mihi secundum carnem, mihi secundum mœstitiam corporis; tamen secundum verbum tuum castigatio illa fructus bonitatis attulit. Illam mihi castigationem intelligo profuisse, illa castigatione me a vitiis esse revocatum, illa castigatione non diu aliquid in me licuisse flagitiis, per illam castigationem Domini nihil in me adversario licuisse, nihil morti. Denique, *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* (*Psal.* CXVII, 18), ipse Propheta memoravit. Castigatur enim qui recipitur; qui autem non recipiuntur, non flagellantur. *In laboribus* enim *hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* LXXII, 5). Ideoque supra ait : *Quam bonus, Israel, Deus rectis corde* (*Ibid.*, 1)! Ergo bonus omnibus; quia omnes recto vult esse corde. Qui autem cor declinaverit, ipse a se gratiam divinæ bonitatis avertit.

9. (Vers. 66.) Sequitur : *Jucunditatem, et disciplinam, et scientiam doce me; quia in mandatis tuis credidi.* Juxta Apostolum χρηστόν bonum intelligimus; quia dixit : *Vide ergo bonitatem Domini* (*Rom.* XI, A 22). Juxta Evangelium **1082** χρηστόν suave accipimus. Dixit enim : *Tollite jugum meum.... quia leve est, et onus meum, quia suave est* (*Matt.* XI, 29 *et* 30). Dixit enim, τὸ φορτίον μου χρηστόν. Unde merito bonitatem Dei ab ipso quærit doceri, ne forte quis perfunctorie accipiens bonum Deum esse, in erroribus perseveret, quod per misericordiam Dei sciat impunitatem suis dari posse peccatis; cum etsi indulgeat Dominus, tamen fœda est conversatio in criminibus semper hærere. Non ergo bonitas ista vulgaris est : sed quæ semper disciplinæ exspectet profectum.

10. Ideoque qui intelligit altam Dei esse bonitatem, doceri desiderat etiam disciplinam. Nam plerique avertuntur a studio disciplinæ, dum eam severam et tristem arbitrantur : sed perspicacior sensu B intelligit, quod disciplina si tristis ad tempus sit, posterioribus fiat jucunda temporibus. Sed est disciplina vel correptio severior : est etiam moderatior. Moderatior est, de qua dicit Dominus : *Corripiam eos in auditu tribulationis eorum* (*Ose.* VII, 12). Est et severior quæ est in ira et furore correptio. Unde refugiens eam correptionem, dicit David : *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* (*Psal.* VI, 2). Et Hieremias : *Corripe nos, Domine, in judicio, et non in furore* (*Jerem.* X, 24). Omnis ergo disciplina, etsi ad tempus habeat amaritudinem, habeat perturbationem; postea tamen pacificos fructus generare consuevit.

11. Sed qui petit doceri bonitatem et disciplinam, C debet petere etiam scientiam doceri. Nisi enim habeat scientiam, molesta est disciplina, molesta correptio. Quid sit scientia, doceat te Salomon, qui ait de Domino Deo nostro : *Ipse enim mihi dedit eorum quæ sunt cognitionem veram* (*Sap.* VII, 17). Et alibi hic idem Propheta ait : *Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII, 10). Qui autem petit scientiam, credit mandatis Dei.

12. Aliud est autem in mandatis Dei credere, aliud mandatis credere. Qui enim mandatis Dei credit, cito efficit ut sit in mandatis Dei, et in ipsis conversetur. Per fidem igitur scientia assumitur, per scientiam disciplina. Quod enim scimus placere Deo posse, in eo nos conversatio ipsa delectat. Denique scriptum est : *Nostra autem conver-* D *satio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Præcessit scientia, secuta est conversatio. De mandatis Dei credere diximus. In mandatis autem Dei credere, hoc est in ipsis esse, et credere quia vera mandata sunt. Nisi enim credideris mandatis Dei, eorum utique scientiam, quæ per mandata Dei docemur, habere non poteris.

13. (Vers. 67.) Sequitur versus tertius : *Priusquam humiliarer ego deliqui : propter hoc verbum tuum ego*

[a] Edit. et mss. quatuor : *Siquidem... in bonitate, ut recurrat unusquisque*, etc. Mss. duodecim... *in bonitatem recurrit; ut unusquisque*, etc. in quorum tamen nonnullis habetur, *recurrat*, et conjunctio, *ut*, desideratur.

[b] Rom. edit., *ut quemadmodum inserta virgulta*; cæteræ ac mss. omnes,.... *deserta virgulta* : non male, si modo subintellexeris, *bonis caudicibus inserta*.

Digitized by Google

*custodivi*. [a] Alia editio habet : *Priusquam humiliarer, ego nescivi*. Unde putant [b] aliqui quod hominis anima hoc dicat : Priusquam humiliarer, ut in hoc lutum corporis introirem, tua quæ non legeram, mandata nescivi. Sed quia Septuaginta virorum sententias magis sequitur Ecclesia, et hic sensus est planior, et nihil offensionis admittit, quod possit aliquibus scrupulum commovere; ideo accipiamus, *humiliarer*, ita dictum, eo quod **1083** peccato videatur humiliatus. Propter peccatum enim tentationes sæpe nascuntur. Denique Adam et Eva post culpam utique dejecti sunt (*Gen.* III, 24). Ergo humilitatis nostræ causa peccatum est, vel humiliationis; non enim hoc fugio. Potest enim de adversis plerumque intelligi humilitas, ut est illud : *Bonum mihi quod humiliasti me; ut discam justificationes tuas*. Et : *Nisi lex tua meditatio mea esset, tunc forsitan periissem in humilitate mea* (*Infra, vers.* 71 *et* 92). Et : *Humiliatus sum valde* (*Psal.* CXLI, 7). Hic ergo ostendit humilitatem ortam esse de culpa. Et quia culpa præcessit, ideo humiliatum se ostendit, hoc est, attritum tentationibus et adversis, et traditum anxietatibus : quemadmodum et ille qui traditus est a Paulo in interitum carnis, humiliatus utique est; ut postea posset reconciliationem mereri (I *Cor.* V, 5).

14. Sed quamvis humilitas ista, hoc est, velut quædam dejectio, perturbationis non virtutis sit; virtutem tamen sæpe generat : et fit non pœna, sed remedium delinquentis. Nam si peccatis tuis tribuas quod humiliatus es, quidquid acciderit, in te retorques, et ex reo incipies esse justus, qui te ipse condemnas. *Justus enim accusator est sui in exordio sermonis* (*Prov.* XVIII, 17). Nec potes indignum te judicare humilitate, qui propria errata cognoscis, in quibus erubescendo non utique extolleris, sed humiliaris. Vides ergo quia ideo humiliatus es, quia deliquisti, et non servasti eloquia Dei. Unde serva diligentius, ne pecces; ne iterum quia dejectus es, tristitia absorbearis : et fiat tibi dejectio tua incrementum iniquitatis, quæ debet correctionis esse occasio. Etenim in tentationibus homo, sicut aurum in conflatorio comprobatur. Vides Propheta quid dicat : *Priusquam humiliarer*, inquit, *ego deliqui*. Jure ergo tentationibus traditus est, quoniam delinquebat. Delinquebat autem, quia Dei eloquium non tenebat. Verum inde ordinem emendationis invenit, unde culpa processerat. Cœpit esse subjectus eloquio divino, et culpa desivit.

15. (Vers. 68.) Sequitur versus quartus : *Bonus es, Domine, et in bonitate tua doce me justitias tuas*. Etiam usus disciplinæ sæcularis accepit, ut unusquisque judicem suum laudet. Unde Apostolus sequens divinarum ordinem Scripturarum, cum diceret causam, ita cœpit : *De omnibus quibus accusor, rex Agrippa, a Judæis, de his æstimo me felicem, apud te incipiens rationem reddere* (*Act.* XXVI, 2). Et infra : *Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quia credis* (*Ibid.*, 27). Ergo si laudantur homines, in quibus plerumque aliena laudantur : quanto magis unusquisque Dei sibi gratiam conciliare debet, ut dicat : *Bonus es, Domine*. Nam si hoc dicat homini, ut esse admoneatur, quod forsitan non sit; ut bonitatis etiam ipse prædicatione mitescit, terroremque immitis deponit affectus : quanto magis Deo laus sua est deferenda, qui nisi bonus esset, super terram stare quis posset? Proprium autem Dei est ut bonus sit. Denique in Evangelio habes, quia *Arbor bona fructus bonos facit* (*Matth.* VII, 17). Fructus ejus angeli sunt : fructus ejus homines sunt, hoc est, rationabiles, sancti, si Domini præcepta custodiunt : fructus ejus sunt ii qui nascuntur in terris : fructus ejus sunt virtutes hominum. **1084** Merito ergo arbor bona bonos fructus facit. Prius igitur radix laudetur; ut fructus possit probari. Sed et alibi ait idem Dominus Jesus : *Et Pater vester, qui bonus est, dabit bona data petentibus se* (*Ibid.*, 11).

16. Sed quamvis bonus Deus sit, cujus etiam amara plus prosunt (non enim inferuntur, ut noceant, sed ut corrigant) rogatur tamen, ut in bonitate sua doceat nos justitias suas. Considera medicum utilia apponentem medicamenta vulneribus; ea tamen quæ mordeant ulceris virus, aut certe ferro putrefacta resecantem; cum in eo ipso bonus sit medicus, quia utilitatem operatur ægroti, et faciat quod prodesse noverit : tamen quia æger dolorem aut non vult, aut non potest sustinere propter infirmitatem affectus sui, rogat ut medicus eum quadam bonitate et suavitate sua curet, non asperitatem adhibeat medicamentorum, non ferro incidat vulnerum fibras : aut si aliter non potest, ut cum moderatione faciat, et quadam subtilitate mitiget vim doloris. Et ideo in Evangelii bonitate melius docentur justificationes Dei, quam in Legis severitate. Opus autem justitiæ justificatio est. Unde scriptum est quia [c] Pharisæi se justificare noluerunt, non baptizati baptismo Joannis (*Luc.* VII, 30). In eo enim justificationem non fecerunt; quia noluerunt agere pœnitentiam delictorum, quam Propheta in bonitate vult agere; ut ei fiat peccatorum remissio sine atrocitate damnationis, cum remissionis gratia.

17. (Vers. 69.) Sequitur : *Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua*. Quanto magis quis Deo servire desiderat, tanto magis in se excitat adversarios :

[a] Plerique mss., *Alia traditio habet*.

[b] Non est dubium quin hic Origenistas, quod senserint animas prius exstitisse, atque peccasse, quam in corpora mitterentur, occulte perstringat Ambrosius. Et inde confirmari potest quod ante non semel jam diximus, eum has solas Origenis opiniones aliquando proponere, quas ab aliquibus aliis Patribus admissas fuisse intelligebat, neque ab Ecclesia reprobatas.

[c] Edit. vet., *quia Pharisæi se justificare voluerunt*. Melius Rom. cum mss.,.... *noluerunt*, ut docet id quod post alterum versum dicitur : *quia noluerunt agere pœnitentiam*.

Digitized by Google

et tamquam athleta fortis coronam justitiæ reportare desiderans, irritat in se plurimos et lacessit, qui invident nostro profectui. Quod etiam in posterioribus evidenter [a] ostendit. *Cum odio habentibus pacem, eram*, inquit, *pacificus* (*Psal.* CXIX, 7). Nihil tamen tranquillitas ejus proficiebat; ut eos qui pacem oderant, sua tranquillitate componeret, et eorum studia comprimeret. *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Ibid.*), hoc est, cum causas impugnandi non haberent, tamen impugnandi studium non deponebant. Ita ergo multiplicantur sive nequitiæ spiritales, sive homines, et multiplicatur iniquitas eorum super justum. Verbi gratia, si filium justus amittat, quod sæculi usu sæpe contingit: si amittat patrimonium, vel diversis afficiatur incom-
B modis rerum, vel corporis infirmitatibus, tunc dicunt superbi: Ubi est justitia ejus? Ubi misericordia? Ecce quia sic mulctatus est: ecce quia ei innocentia sua nihil prodest. Ideoque ad vitæ hujus specimen extrahendum, tres illi sancto Job specie amici, obtrectatione autem inimici, probitatis atque justitiæ ejus invidi, exprobrantes gravia opprobria congerebant; et qui venerant ad consolandum, insultare cœperunt.

18. Sed justus his non movetur, ideoque nec Job frangebatur. Denique in amissionibus filiorum vel patrimonii dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit... sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Ergo et in adversis positi dicamus: *Bonitatem fecisti*
**1085** *cum servo tuo* (*Supra*, v. 65). Potest enim Do-
C minus in melius mutare quæ facta sunt, ut Job sancti habemus exemplum (*Job.* XLII, 10 *et seq.*); et quæ amissa sunt reddere. Potest quis et amissis filiis, generare meliores. Numquid Deo est difficile meliora donare? Potest etiamsi nihil donet, hoc ipso tamen justo esse prospectum, si forte futuri improbi rapti sunt, ne mutaret malitia cor eorum. Similiter et de patrimonio, quasi non videamus plurimos propter opes patrimonii, in periculum salutis esse deductos, plurimis ex divitiarum abundantia ortam esse causam peccandi. Qui enim non habet quod donet, ascribi ei culpa non potest, quod non donaverit: qui autem habet quod donet, et non dat, utique obnoxius esse incipit peccato.

19. (Vers. 70.) Sequitur: *Coagulatum est sicut*
D *lac cor eorum; ego autem legem tuam meditabar.* Subtile cor sanctorum: coagulatum est vero cor superborum. Ut enim lac natura sui purum, speciosum atque sincerum est, sed corruptione coacescit: sic mentis et cordis humani natura pura, sincera, perspicua est priusquam vitiorum admixtione coacescat. Coagulato enim lacte, fit quædam concretio, nec suavitatem habens eamdem, nec gratiam. Ita homines, qui ante sedulitate, gratia, suavitate verborum, lactis speciem præferebant, nulla invidia corruptam; hi si cœperint invidere, coagulatur in vitium cor eorum, et fit de suavitate amicitiæ amaritudo malevolentiæ, et insuavis quidam horror invidiæ. Ergo coagulatum est cor per superbiam, per invidiam, [b] quæ lenitatem naturæ, fluentem benevolentia, malitiæ concretione vitiarunt. Iniquorum ergo cor coagulatur: justus autem humiliatur, Legis præcepta meditando, qui habet humilitatis magisterium.

20. (Vers. 71.) Ideoque subdidit: *Bonum mihi quod humiliasti me; ut discam justificationes tuas.* Hoc secutus Apostolus: *Placeo mihi*, ait, *in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis* (II *Cor.* I, XII, 10). Cum enim complacet in infirmitatibus, et non frangitur animo, nec cedit injuriæ, discere justificationes Dei et meruit, et implevit. Ergo hic, *humiliasti me*, hoc est, diversis tentationibus et incommodis exercuisti. Quod aperuit et Symmachus scribens: *Profuit mihi quod afflictus sum, ut discerem justitias tuas.* Ergo qui humiliatur, non dejiciat animum, neque frangat; sed magis humiliando proficiat; ut superbum humilitate sua mitiget, insolentes morum severitate confundat, contumeliosos patientia sua frangat, avaros nonnumquam etiam æquanimitate dispendii a jurgii intentione deducat. Sic enim legisti, quia *justificata est sapientia a filiis suis* (*Luc.* VII, 35), dum Christus se offert supplicio, dedit injuriis, non subduxit opprobriis, nec a confusione sputorum avertit faciem suam; et ideo [c] omnes patientia sua instruxit, et livore sanavit.

21. (Vers. 72.) Sequitur: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* Non quicumque hoc dicit: immo rarus hoc dicit, id est, qui legem Dei auro atque argento præferat, qui potest propter legem Dei omnia relinquere. Sed nec Christus hunc reperit, nisi de iis quos ipse docere dignatus est.
**1086** Petrus hoc dixit, et probavit effectu: quia pluris legem, quam aurum habuit. Ideoque ait: *Aurum et argentum non habeo* (*Act.* III, 6). Non avarus hoc dicit, qui defosso auro incubat. Non dicit pecuniosus, qui quotidiana emolumenta sollicito rimatur affectu, qui quotidie opes aggerat, qui hæreditatis tendit aucupia, qui circa ægrotantis lectulum indefessas exercet excubias.

22. Hic aliqui legem oris Dei tamquam legem Verbi Dei accipiunt, ut si dicas legem dexteræ Dei. Bene ergo et hoc convenit Petro dicenti: *Verba vitæ æternæ habes, et nos relinquemus te* (*Joan.* VI, 69)? hoc est, *Lex oris tui super millia auri et argenti est.* Et possumus tantum deserere bonum, et sæculi hujus emolumenta captare? Sed et Moyses lex oris Dei potest dici, per quem Dominus locutus est et dedit Legem.

[a] Mss. septem...... *ostendit dicens : Cum odiosis non habentibus pacem*, etc.

[b] Ita mss. Edit. vero, *quæ lenitate naturæ fluentem benevolentiam*, etc. Sed hoc significat B. Doctor, eos qui aliquem benevolentia complectuntur, lenitatem adversus ipsum solitos exhibere.

[c] Omnes edit., *sapientia sua instruxit.* Omnes mss., *patientia sua instruxit.* Melius, cum hoc sequatur ex superioribus istis, *Christus se offert supplicio*, etc.

Digitized by Google

## SERMO DECIMUS.

### י. *Iod.*

1. Incipit littera apud Hebræos decima *Iod*, quæ Latina significatione *confessio* dicitur, vel certe *desolatio*. Nec discors ac dissonans videtur interpretatio. Siquidem qui desolati sunt, citius confitentur; magis enim secundis rebus animus extolli solet; cum autem urgetur adversis, tunc divinum implorat auxilium. Nam et in iis quæ humana sunt, hunc usum esse cognoscimus; ut cui succedunt prospera, animus elatior sit: cui mundi hujus infesta sunt, et potentia alicujus adversa, tunc confugiat, tunc opem quærat; ut vel rogando superioris mitiget potestatem, vel se viribus armet adjunctis; ne quasi inferior potentioribus viribus opprimatur.

2. Denique Hieremias sub hac littera sic ait: *Manus suas extendit qui tribulatur in omnia desideria ejus. Vidit enim gentes introeuntes in sanctificationem suam; quibus mandasti ne introirent in Ecclesiam ejus* (*Thren.* I, 10). De Hierusalem utique hoc dicit Propheta cujus deplorat ærumnam, cujus præcessit desolatio ac destitutio; ut postea sequeretur confessio. Castigat enim Dominus omnem filium quem recipit. Recepturus igitur Hierusalem, ante captivitatis flagellavit ærumnis. Nimium enim insoleverat, et inflato se corde jactaverat; ut caput tenere non posset Dominum Jesum, id est, humilitatem, gratiam, justitiam, sapientiam, hoc est, veræ fidei magisterium non teneret. Et ideo Dominus castigavit eam, qui moderator omnium novit quemadmodum unumquemque castiget. Ut enim medicus graviora vulnera asperioribus medicamentis curare consuevit, leviora levioribus: ita et Deus noster graviora peccata majore severitate castigat. Sed ipsa castigatio ad salutem proficit. Dixit enim Dominus: *Percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39).

3. Denique de Hierusalem spem cœpit Hieremias propheta promittere. Nam in posterioribus sub hac littera ait: *Dabit percutienti maxillam suam, et satiabitur in opprobriis. Dabit in sepultura os suum; si tamen est spes patientiæ* (*Thren.* III, 30 *et* 29). In Evangelio Dominus Jesus docens virtutem atque insigne patientiæ, **1087** ait: *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram* (*Matth.* V, 39). Vult enim discipulos suos et injuriarum esse patientes, nec referire facile, [a] nedum ferire. Patientia enim humilitatis indicium est. Et ideo quoniam desolata erat ac destituta Hierusalem: *Dabit*, inquit, *percutienti maxillam suam*; ut non se subducat injuriæ, nec declinet cædis dolorem, sed percutienti maxillam offerat. Utrumque intelligi potest, sive ei qui percutere incipiat, sive ei qui jam percusserit; ut illud Evangelicum compleatur: *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram*. Et prophetice hoc A positum est, ut doceret Hierusalem, hoc est, plebis Judaicæ Ecclesiam non aliter esse servandam, nisi per Evangelii disciplinam; ut cum cœperit Evangelii præcepta servare, et operibus implere mandatum Domini Jesu, tunc jugum captivitatis de suæ animæ cervice deponat, cum se subdiderit jugo Christi.

4. *Et satiabitur*, inquit, *in opprobriis*. Non dixit: Subibit opprobrium; facile est enim unam aut alteram contumeliam sustinere; sed addidit: *Satiabitur in opprobriis*; quo facilius Dominus moveat misericordiam, opprobriorum complurium deformitate miserabilis. Quod utique ex libro Regnorum potes intelligere. Quippe cum conviciaretur Semei filius Gera sancto David, virum sanguinarium appellans, B et malediceret ei, quando fugiebat filium suum Abessalon, parricidalia ad tempus bella declinans, tacebat Rex, et summum patientiæ insigne præstabat. Etenim cum tentationis suæ tempus intelligeret, ut ei parricidale prælium moveretur, magis humilem se volebat videri, quo Domini mitigaret offensam; quam exasperandum ejus arbitrabatur in sua tentatione judicium, si forte suas injurias ultum iret. Unde et ad populi ducem Abessam vindicare cupientem ait: *Quid mihi et tibi est, fili Sarviæ? Ideo maledicit mihi; quoniam Dominus dixit illi, ut maledicat..... Ecce filius meus, qui exivit de ventre meo, quærit animam meam. Si autem modo extraneus maledicit mihi, dimitte illum, ut maledicat; quoniam Dominus dixit illi, ut videat humi-* C *litatem meam: et retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc* (II *Reg.* XVI, 10 *et seq.*). Quod et prophetico dixit spiritu, et probavit eventu. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum solvitur. Denique et in Esaiæ libro habes quia dixit Dominus: *Sacerdotes, loquimini ad cor Hierusalem: consolamini eam, quia repleta est humiliatio ejus, solutum est peccatum ejus; quia accepit de manu Domini duplicia peccata sua* (*Esai.* XL, 2). Advertis igitur quia ubi desolatio, ibi humilitas. Desolationem enim sequitur humilitas justo ordine, humilitatem patientia, patientiam probatio, probationem consolatio. Quod habes et in Apostolo scriptum: *Quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit; quia* D *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum* (*Rom.* III, 3-5), qui utique nostrorum consolator est affectuum.

**1088** 5. Quod autem ait: *Dabit in sepultura os suum* (*Thren.* III, 29); ostendit quamdam supra modum patientiæ taciturnitatem; ut tamquam sepeliat os proprium, ne loquatur; et velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat; tantum pondus asserens patientiæ quam spes foveat; ut vocem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla extorquere,

[a] Edit. omnes, *Ne dum ferire potens injuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberet*. At ea quæ revocavimus in mss. desiderantur, et huc intrusa videntur ab aliquo, qui *nedum ferire*, idem esse ac *multo minus ferire*, sive, *aggredi*, non satis intelligebat.

Digitized by Google

nullave excitare possit injuria. Hujus quoque litteræ interpretationem, ut potuimus, explicavimus ; veniamus ad psalmum.

6. (Vers. 73.) Itaque primus versiculus est : *Manus tuæ fecerunt me, et paraverunt me : da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Magno commendationis exordio usus est, ut opus Dei esse se diceret ; quo facilius circa operis sui gratiam favor inclinaretur auctoris. Grandis enim prærogativa est etiam in rebus humanis ; ut aliquis operibus et beneficiis faveat suis, nec meritum spectet alienum ; sed in suæ gratiæ munus intendat; ne videatur abrogare quod ipse donavit. Itaque etsi de luto corporis nostri substantia sit, et carne induamur, et corpus ossibus intexatur et nervis; tamen quod simus pretiosissimum opus Dei, nemo dubitaverit. Nam et fabricam ipsam humani corporis si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius judicare. Est enim homo statu celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alvum cæterorum more curvatus animantium, sed ipso naturæ jure sublimis, qui in cœlum libero spectet obtutu; nulla captivæ servitute cervicis depressus in terram, sed tamquam propriæ conscius libertatis, et locuples sui testis auctoris.

7. Verumtamen in cæteris animantibus membrorum forma laudetur, in quibus præter gratiam corporis nihil est aliud quod requiratur. Homo in eo est pulchrior quod non videtur, non in corpore quod videtur : in se habens æternitatis gratiam, et præsentium venustatem. *Quæ enim videntur, temporalia sunt ; nam quæ non videntur æterna* ( II *Cor.* IV, 18 ). In hoc terrestri hospitio indutus habitatione cœlesti, cui simul competit et in terris videri, et Deo jungi. Magnum sane munus, si se ipse cognoscat ; et quædam forma justitiæ, [a] mundo magis quam sibi nasci. Unde et Salomon ait : *Grande homo, et pretiosum opus vir misericors : virum autem fidelem opus est invenire* ( *Prov.* XX, 6 ). Et vere magnus est qui et divini operis interpres est, et imitator Dei. Homo est enim qui potuit dicere : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* ( I *Cor.* XI, 1 ). Terram excolit, mari tamquam possessione utitur, cœli ornamenta [b] gratus miratur assertor. Evanuerat rerum natura, nisi qui ea uteretur, divina providentia esset adjectus.

8. Denique postquam fecit Deus cœlum et terram A et maria, posteaquam omnia reptilia, volatilia, animantia, postea hominem fecit, quem animantibus viventibus anteferret : de quo non immerito cœlesti sententia resultavit : *Faciamus* 1089 *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). *Cætera dixit, et facta sunt : mandavit, et creata sunt* ( *Psal.* CXLVIII, 5 ) ; ut homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus; ut tamquam laborantis Dei in hujus munere creaturæ significaretur operatio. Deus quidem expers laboris est : sed tamen Scripturæ verba quid aliud, [c] nisi studiosam tui operationem ejus ostendunt ? Ergo si Deus majore quodam studio te creavit, cur ipse tui studium derelinquas ? Si Deus in te laboravit, qui laborare non novit, cur ipse fugitans sis laboris ?

B 9. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, et paraverunt me* (*Psal.* CXXXVII, 8). Clamat ad Deum Propheta : Opus tuum, Domine, ne deseras, non derelinquas. Te auctorem convenio, te teneo conditorem, præsidia aliena non quæro. In adjumentum accingere, qui accinctus es ut creares. Dic ipse David, quid senseris, cur dixeris : *Manus tuæ fecerunt me?* Sed dixisti inferius : *Domine, retribues propter me : Domine, misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum non omittas* (*Ibid.*); hoc est dicere : Bestias non fecerunt manus tuæ, sed dixisti : *Producant aquæ reptilia animarum viventium* (*Gen.* I, 20), et produxit terra secundum genus quadrupedia, et reptilia, et bestias terræ. Me autem, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti, hoc est, non figurasti bestias manibus tuis, C non reptilia, non volatilia : *Me autem fecerunt manus tuæ, et paraverunt me.*

10. Non mediocre opus est, quod paratum est : cum sapientia unumquodque disponitur et paratur. Denique Sapientia dicit : *Cum pararet cælos, cum illo eram* (*Prov.* VIII, 27). Quod de hominibus dicit idem Propheta : *Vox Domini præparantis cervos* (*Psal.* XXVIII, 9). Quæ vox Domini Dei est, nisi : *Faciamus hominem* (*Gen.* I, 26). Qui sunt isti cervi, nisi inimici serpentibus, qui super aspides ambulant, et venena non sentiunt? Non vile igitur, non corporale arbitror, quod paravit Deus. Nosce te ipsum, homo : tuæ animæ dicitur in Canticis Canticorum : *Nisi cognoveris te formosam in mulieribus* (*Cant.* I, 7). Cognosce te, anima, quia non de terra, non de luto es; D [d] quia insufflavit te Deus, et fecit te in animam vigentem.

[a] Hanc sententiam elegantissime expositam reperies apud Romanum oratorem, lib. I *De Officiis*, in hæc verba . *Sed quoniam, ut præclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici : atque ut placet stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse genitos ; ut ipsi inter se alius alii prodesse possent, in hoc naturam debemus ducem sequi, et communes utilitates in medium afferre*, etc. Laudat etiam Lucanus Catonem Uticensem quod ejus secta fuerit :

Non sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Mirum est itaque inventum esse christianum hominem, qui præclarum hoc pronuntiatum impugnare auderet. Præcipua ejus argumenta displosa reperies tom. III Philos. vet. et nov., tract. 3, disp. 1, quæst. 3, art. 2.

[b] Edit. omnes, *grandis miratur assertor* ; mss., *gratus*, etc.

[c] Rom. edit., *nisi custodiam tui ob gratiam operationum ejus ostendunt*. Vet. edit., *nisi studiosam ob gratiam tui operationem*, etc. Sed, *ob gratiam*, nec in mss. reperitur, nec sensui necessarium est.

[d] Cunctæ edit., *quia insufflavit in te Deus*. Cuncti fere mss. non agnoscunt præpositionem. Rursus vet. edit., *Opus est magnificum, Dei generatione inspiratum*. Rom., *Opus magnificum est homo, Dei inspiratione formatum*. Omnes mss. ut in textu; nisi quod ultima verba tres sic invertunt,.... *inspiratione generatum*.

Digitized by Google

ventem (*Gen.* II, 6). Opus es magnificum, Dei generatione inspiratum. *Attende tibi*, ut Lex dicit (*Deut.* IV, 9), hoc est tibi, id est, animæ tuæ. Sæcularia te et mundana ne teneant, terrestria non morentur. Ad illum tota intentione festina, ex cujus inspiratione consistis. *Grande*, inquit, *homo et pretiosum opus vir misericors; virum autem fidelem opus est invenire* (*Prov.* XX, 6). Disce, homo, ubi grandis, ubi pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat : sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum. An quidquam tam pretiosum, quam imago est Dei, quæ primo tibi fidem debet infundere; ut in corde tuo refulgeat quædam auctoris effigies : ne qui mentem tuam interrogat, non agnoscat auctorem? An quidquam tam pretiosum, quam humilitas; ut naturam corporis animæque perspiciens, [a] alteri te subjicias, alterum regere **1090** cognoscas? Prona in vitium carnis illecebra misericordiam suadet; quia quod alteri contuleris, tibi solvis : quidquid a te procedit, in te recurrit : et quidquid profueris, tibi proficit.

11. Vivacis animæ vigor sensus, rationis, et intellectus capax, atque judicii ; ut digna domus tanto habitatore videatur, non amittat suæ prærogativam naturæ, ne hominis nomen amittat. Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imaginem et similitudinem Dei : peccantem autem, non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem feminis, aut vulpeculam, aut jumentum vocare consuevit. *Nolite fieri sicut equus aut mulus quibus non est intellectus. In camo et freno maxillas eorum constringe, qui ad te non appropinquant* (*Psal.* XXXI, 9). Et : *Dicite huic vulpi* (*Luc.* XIII, 32), de Herode ait. *Generatio viperarum* vocatur a Joanne plebs hominum (*Luc.* III, 7). Magnum ergo opus Dei es, homo, magnum est quod dedit tibi Deus; vide ne quod Deus tribuit, amittas magnum illud munus, quod es ad imaginem Dei; et hoc in te puniatur magis. Deus enim non punit similitudinem suam : sed eum punit qui ad similitudinem Dei factus, hoc quod accepit, [b] servare non potuit. Punitur ergo illud quod ad similitudinem Dei esse desistit, hoc est, peccatum tuum. Nam suam Deus non damnat imaginem, nec in illud incendium mittit æternum : sed magis vindicat imaginem suam de eo, qui imagini illi fecit injuriam; ut per malitiam homo, quod eras, esse desineres, et fieres mulus ex homine. Vindicatur ergo imago, non condemnatur. Vindicatur quasi expulsa : non condemnatur quasi rea. Postquam enim peccasti, aliud esse cœpisti : illud quod eras, esse desiisti. Quomodo igitur punitur in te, quod in te

A non invenitur? Nam si inveniatur in te imago Dei et similitudo, non supplicio incipis dignus esse, sed præmio. Ita imago illa qua ad imaginem et similitudinem Dei factus es, non condemnatur, sed coronatur. Condemnaris autem in eo, quod ipse mutatus es; ut fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula. His enim nominibus jam nos Scriptura condemnavit; quia exuti cœlestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus.

12. In aliquibus tamen codicibus invenimus : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me.* Nec istud alienum; quia et Job dixit : *Manus tuæ plasmaverunt me, et fecerunt me* (*Job.* X, 8). Unde et hic edicitur, ut meminerit Deus quia pulvis sumus; ut B uberioris gratiæ munus infundat, nec infirmum opus deserat. Gubernator fluctuante navigio plus laboris impendit, quam cum [c] secundo remigium labitur fluctu, aut ventorum flatus, suo superante labore, præcurrit.

13. *Manus tuæ*, inquit, *plasmaverunt me.* Manus dicit pluraliter, non manum. At vero alibi ait : *Ego manu mea solidavi cœlum* (*Esai.* XLV, 12). Et : *Manus mea fecit hæc* (*Esai.* LXVI, 2). **1091** In hominis constitutione videtur non abundasse, quod toti mundo, ut fieret, abundavit. Cœlum una firmavit manus, ut scriptum est : et utraque Dei manus hominem figuravit, ut legimus. Cœlum non ad similitudinem, homo ad similitudinem. Angeli ad ministerium, homo ad imaginem.

C 14. Esto ut et angeli ad imaginem. Scriptura tamen de homine locuta est quod sit ad imaginem. Habemus enim aliquid quod fortasse angeli non habeant; ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia. Nobis est natus Christus ex Virgine. Legimus enim : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Esai.* IX, 6). Nobis carnem suscepit : immo potius nos in illa carne suscepit, [d] quod Filium hominis in Dei sede constituit. Non lego angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes (*Hebr.* I, 14; *Apoc.* VIII, 2; *Dan.* VII, 10). Non lego angelos, sed homines consepultos Christo, et in Christo resuscitatos (*Rom.* VI, 4 *et* 5). Denique ait Apostolus : *Quia convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvi facti : et simul suscitavit, simulque* D *sedere fecit in cœlestibus, in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 5 *et* 6). Filius ergo hominis ad dexteram Dei, non Angelus, non Archangelus, nec Cherubim et Seraphim. Illa laudant : Filius hominis sedet. Filius hominis angelorum ore laudatur, quod angelos malos

[a] Edit. ant. ac mss. prope omnes hic corrupti sunt. Edit. Rom., *altero te subjicias, altero te recognoscas.* Verum cum a mss. ac vet. edit. nimium recedat, cod. Vind. et Sorb. lectionem secuti sumus. Rursus ibidem edit. omnes, *illecebra : misericordia suadet.* Contra omnes mss., *illecebra misericordiam suadet.* Non male.

[b] Rom. edit. sola, *servare non voluit.* Sed hic, *potuit*, uti de eodem verbo jam diximus, liberiori sensu est interpretandum.

[c] Vet. edit., *secundo remigio labitur fluctu, et ventorum flatum suo supparo superante* (Gill. in marg., *properante*) *procurrit.* Rom., *secundo labitur fluctu, aut ventorum flatu supparo prosperante*, etc. Mss. vero, omnes, *secundo remigium labitur fluctu;* at hic divisi, aliquot habent, *aut flatu prosperante præcurrit;* plures ac probatiores, ut in contextu.

[d] Ita plerique mss. et omnes edit. nisi quod hæ legunt, *quando filium*, pro, *quod filium.* Reliqui mss., *quos tamen per filium*, etc. Quæ lectio non displiceret, nisi vox *tamen* hic inepte posita, interpolationem aliquam innueret.

Digitized by Google

vicerit, de nequitiis spiritalibus quæ sunt in cœlestibus, triumphaverit : quod fecerit similes angelorum homines, in quibus ante erant contagia mortuorum.

15. *Verbo*, inquit, *Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Homo quoque spiritu Domini perfectionem vitæ, consummationemque virtutis accepit. *Inspiravit in eum Deus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7). Vita ergo nostra cœpit ex inspiratione divina : sed vita hæc secessione animæ, corporisque dissolvitur, inspiratio autem divina non solvitur. Et ideo intellige aliud esse quod figuratum est, aliud quod factum est, vel paratum. Meritoque dupliciter habes scriptum de homine. Primum enim scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26 *et* 27). Et : *Dominabuntur*, inquit, *vel principatum habebunt*. Et : *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Secundo autem loco ita scriptum est, quia *Accepit Deus pulverem de terra, et plasmavit hominem* (*Gen.* II, 7). Ubi pulvis, ibi plasmatio : ubi autem non pulvis, ibi non terra, non materia; sed incorporeum, sed admirabile : ibi non materia, sed immateriale. Quod enim secundum imaginem Dei est, non est in corpore, nec in materia, sed in anima rationabili. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem et imaginem Dei, ubi justitiæ, ubi sapientiæ, ubi omnis forma virtutis assumitur.

16. Si intelligas imaginem, videbis ad imaginem; homo enim non est imago Dei, sed ad similitudinem factus est. Alius est imago Dei invisibilis, primogenitus universæ creaturæ, per quem facta sunt omnia. Ille non ad imaginem, sed imago : tu non imago, sed ad imaginem. Habes ergo **1092** in tua substantia aliquid de imagine et similitudine Dei, quod sit divinæ simile imaginis. Propterea imago ad eum qui est ad imaginem, venit : et quærit imago eum, qui est ad similitudinem sui; ut iterum signet, ut iterum confirmet; quia amiseras quod acceperas. Insufflaverat enim tibi Deus, ut inspirationis suæ dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa sustulerat. Factus eras in animam viventem : audi quid dicat, non in carnem, sed in animam viventem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, et in crimine positus non habebat quæ Dei sunt, sed quæ hominum; propterea venit Dominus noster Jesus Christus, ut legisti in Evangelio, et a mortuis resurgens cum clausos discipulos reperisset, claustris ingressus est manentibus, et dixit : *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Cumque hoc dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 21 *et* 22).

A 17. Videsne ergo quæ manus fecerint hominem, aut quem hominem fecerint; illum utique quem secundum Christum induimus : *Exspoliantes veterem hominem cum actibus ejus, et induimus novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est... servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (*Coloss.* III, 9-11). Christum ergo induimus, sicut et alibi dictum est : *Christum induistis* (*Galat.* III, 27). Accepimus Spiritum sanctum, qui non solum nostra [a] peccata dimittit : sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere. Ideo ait Propheta : *Tu finxisti me, et posuisti super me manum tuam* (*Psal.* CXXXVIII, 5). Finxit per lutum; posuit per gratiam spiritalem; licet plerique hunc psalmum ex persona dictum Salvatoris accipiant.
B Audi quia manus Domini, etiam Spiritus dicitur. Clamat Job : *Spiritus divinus, qui fecit me* (*Job.* XXXIII, 4). Istæ sunt ergo manus quæ hominem paraverunt, Christus et Spiritus. Ergo Dominus Jesus et corporis auctor est nostri, qui primum fecit hominem ad imaginem, et postea de luto finxit, et voluit servare quod fecerat, salvare quod plasmaverat; ut totum hominem salvum faceret, sicut ipse dixit in Evangelio : *Mihi irascimini, quia totum hominem salvum feci in sabbato* (*Joan.* VII, 23). Quod specialiter [b] Ecclesia docet, quia non solum anima, sed etiam caro nostra servetur : anima per cognitionem Dei, caro per resurrectionem : quorum alterum docuit divini auctoritate sermonis, alterum propriæ resurrectionis exemplo.

C 18. Hic est ergo homo geminæ substantiæ. Alia est enim facti substantia, [c] alia figurati : ista de Dei Spiritu, illa de limo. Propterea ait Job : *Resuscitabit corium meum* (*Job.* XIX, 26), quia quod de limo est, resuscitatur; terra enim in terram redit; quod autem factum est, ut principatum haberet super cæteras animantes, id præstantius esse intelligis. Luti enim etiam bestiis nobiscum commune consortium est; et ideo animæ specialis prærogativa [d] donata est. Idem tamen quia cæteris animantibus imperat; ut possit imperare, debet Deo esse subjectus. Docetur igitur servire; ut ad regnum pervenire mereatur. Qui enim servit Christo, placuit Deo. Qui servit Christo, [e] placet utique **1093** veritati, et debet nescire mendacium. Qui servit justitiæ, debet repellere iniquitatem.
D Qui servit immaculato, debet tenere castimoniæ disciplinam. Qui servit luci, debet odisse tenebras peccatorum. Ergo quia corpus infirmum est, visitationem Domini postulemus. Unde Propheta ait : *Quid est homo, quod memor es ejus; aut filius hominis, quia visitas eum* (*Psal.* VIII, 5)?

19. Et nunc in reliqua versiculi portione ait : *Da mihi intellectum, et discam mandata tua.* Spiritalem

[a] Adverte hic diserte doceri sacerdotes aut episcopum in ordinatione sua et propriorum peccatorum remissionem accipere, et potestatem remittendi peccata aliorum.

[b] Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *Ecclesiam docet*.

[c] Rom edit., *alia insufflati*. Sed retinendum cum aliis et cunctis mss., *alia figurati*. Hic siquidem innuitur, quod supra non semel traditum est, homini non in corpore, sed in anima impressam fuisse divinam imaginem.

[d] Rom. edit., *donata est, ut homo cæteris animantibus imperet, sed ut possit*, etc.

[e] Rom. edit., *servit utique veritati*.

Digitized by Google

igitur se esse [a] cognoscens Propheta, petit gratiam Spiritus sancti. Etenim intellectum dari a Domino, et inter munera gratiarum primo constitui loco, in Apostolica lectione didicisti; quia unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem (II *Tim.* II, 7); et in propheta primo loco sapientiæ et intellectus spiritalis gratia postulatur (*Esai.* XI, 2). Petitur ergo Dei donum. Deinde vide ordinem: *Da mihi*, inquit, *intellectum; ut discam mandata tua.* Intellectus præmittitur, ut scientia sequatur. Nam nisi quis intellexerit, doctus esse non poterit. Doctrinam igitur intellectus facit, non memoria. Nihil enim prodest multa legisse, nisi intelligas ipse quæ legeris. Et in Apostolo post manifestationem Spiritus, sermonem scientiæ legisti postea substitutum; ut scias intellectum memoriæ præferendum, et illum posse habere scientiam, cui ante intellectus affulserit (I *Cor.* XII, 7).

20. Simul humilitatem considera. Si Propheta intellectum dari sibi postulat, quis tam arrogans, qui profiteatur in sua potestate esse intelligentiam? Intellectum petit, ut ipse se noverit, et naturæ suæ possit scire rationem: at illi qui de rerum natura disputant, cœli scrutantur plagas, qui se ipsos scire non possunt, putant intelligentiam sine Dei dono posse concedi. Unde et nos humilitatem debemus assumere; ne extollamur, si forte unam aliquam de Scripturis parabolam cognoverimus: aut quia interdum secundum litteram plana legimus; si forte secundum litteram aliquid intellexerimus, doctrinæ nobis assumamus scientiam. Propheta ille qui accepit Spiritum sanctum, postquam unctus est in regnum, unctus est in Prophetam, centesimum et octavum decimum psalmum scribens, intellectum sibi dari poscit, ut mandata Dei intelligat: et scit nisi a Domino acceperit gratiam, intelligere ejus se mandata non posse. In Evangelio quoque lego, quia proponebat parabolas Dominus Jesus, et apostoli non intelligebant (*Matth.* XIII, 36). Denique explanationem propositæ parabolæ postulabant.

21. Ipse Dominus Jesus cum diceret, ut legisti in libro Evangelii secundum Matthæum scriptum: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3); subjecit in [b] posterioribus: *Omnis qui audierit mea verba hæc, et fecerit ea, similis erit viro sapienti* (*Matth.* VII, 24). Non ergo qui audit tantummodo, similis erit: sed qui facit quæ audierit. **1094** Ergo neque factum sine auditione, neque auditio sine facto potest esse sapientis: sed qui audit et facit. Audiamus igitur, ut intelligamus: faciamus ut intellexisse nos quod audivimus, comprobemus.

22. (Vers. 74.) Sequitur versus secundus: *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur; quia in verba tua supersperavi.* Fortasse aliquibus videatur hoc esse contrarium, quia justus dicit: *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur;* multis enim justus gravis est, cum videtur. Denique in Evangelio plerique Dominum Jesum videre non poterant: sicut Geraseni rogabant eum, ut abiret de regionibus eorum (*Luc.* VIII, 37): et alii ei transitum denegabant, [c] quando tamen per eos transire nolebat (*Luc.* IX, 52 *et* 53). Unde puto quod sicut illic Judaicæ forma impietatis exprimitur: ita hic Ecclesiæ gratia revelatur. Prophetat enim totum orbem replendum esse timore divino; et ideo quasi timentes Deum sanctorum dicit cognitione lætari; qui enim videt justum, et gaudet, etiam ipse vult esse justus. Pulchrum est enim ut in aliis delectetur, quod vult in se servare, [d] si sumpserit. Est enim insitum bonis; ut castum, pudicum, prudentem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalem; et virtutes suas in aliis amet. Plerisque enim justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est. Quam pulchrum ergo, ut videaris et prosis? Bonum ergo vir justus.

23. Propterea denique Paulus apostolus ascendit Hierosolymam, ut justos videret: et cum Petro mansit diebus quindecim; ut ex ejus aliquid cohabitatione proficeret (*Galat.* I, 18). Propterea ipse Paulus et Barnabas, cum Hierosolymam ingrederentur, magnifice excipiebantur ab Ecclesia, ab apostolis, et majoribus natu (*Act.* XV, 4). Cum autem abire vellent, ne discederent rogabantur: et, ut postea de Paulo legimus, cum lacrymis deducebantur (*Act.* XX, 38). Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis; ita ut mortui quoque [e] cornu ejus animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui hujusmodi inciderint passionem: dubitare possumus quod justi sanet aspectus? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem momento exiguo, quo videtur: homo justus, si tamen cum fide ab eo aspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil confert? An non vel ipsi oculorum

[a] Ita cod. scripti tredecim. Alii autem atque edit., *cognoscit propheta per gratiam Spiritus sancti.* Eorum autem quæ sequuntur a voce *didicisti*, usque ad *intellectus præmittitur*, ordinem edit. Rom. sic invertit: *Propheta vero primo loco sapientiæ, inde intellectus donum inter munera gratiarum constituit. Et quia unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; ideo Dei donum petit Propheta: Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Vide ordinem, intellectus præmittitur*, etc.

[b] Voci *posterioribus*, subjungit edit. Rom., *qui autem fecerit, et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et in alio loco, *Omnis qui audierit*, etc.

[c] Ita cuncti mss. ac vet. edit.; Rom. autem, *quando tantum per eos transire volebat.* Planus sensus, nisi esset omni alio præsidio destitutus.

[d] Edit. Rom., *si possit.* Aliæ cum mss. omnibus, *si sumpserit.* Videtur autem is sensus esse, virum justum eo bono delectari in aliis, quod ipse elegerit ac susceperit in se conservandum.

[e] Eadem edit. Rom., *corpus ejus animantis.* Nimirum quia cum Plin. lib. XXX Hist. Nat., cap. 11, aviculæ virtutem medendi icterico morbo attribuat, non videbatur vox *cornu* legitimum sensum exhibere. Sed cum eadem vox constanter legatur in omnibus et mss. et ant. edit., dicendum hunc locum forte de quadrupede quopiam animali intelligendum esse; nisi quis malit per cornu ejusdem avis ungues ac rostrum significari.

Digitized by Google

radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant?

24. Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentium, cum videtur : ita improbi justorum cognitione torquentur ; quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. De hoc quoque parile vilis animantis sumamus exemplum. Nam sicut prodesse diximus mutum **1095** animal, cum videtur : ita obesse percipimus lupum, si aliquem videndo prævenerit ; vocem enim feruntur amittere, quos prius lupus viderit. Basiliscus quoque, hoc est, noxius serpens, si quodcumque prior viderit animal, fertur occidere : et allegatur statim necari, qui potuerit a serpente hujusmodi prævideri. Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Ergo si tanta virtus, vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis ; ut si alter alterum prior viderit, possit occidere : non est virtus in oculis justi, qui repletus virtutis est gratia ; cum præsertim tantum operetur fides, ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur (*Matth.* IX, 22), et ille cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret (*Luc.* IX, 38 *et* 43)?

25. Sed qui videt justum, debet scire quid videat : non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu ; sed intus videt ; non, inquam, illum videt, nisi ejus viderit mentem, nisi ejus sermonem intenderit, nisi sensus illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu ejus assumere. Tunc igitur lætabitur, cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo et nos sicubi audivimus justum, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audivit in domo pharisæi discumbere Dominum Jesum, et ingressa est, et ejus pedes perfudit unguento (*Luc.* VII, 37 *et* 38). Illius imitatores simus ; namque Ecclesiam in illa muliere figuratam esse quis dubitet? Sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum ; ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest : quod intus est, sanat. Sane et in eo qui foris est illum qui intus est, frequenter aspicimus ; ut si viderimus pauperem, illum ad cujus similitudinem factus est, honoremus in paupere, de quo ait : *Dedistis mihi manducare..... quia quod uni eorum dedistis, mihi dedistis* (*Matth.* XXV, 35 *et* 40). [a] Qui enim coronat imaginem imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit : et qui statuam contempserit imperatoris, imperatori utique cujus statuam conspuaverit, fecisse videtur injuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant : sed invisibilis Dei imago, non in eo est quod videtur : sed in eo utique quod non videtur.

26. Vides ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caveamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam unicuique Christus imposuit. Caveamus ne aliquid detrahamus iis quibus debemus adjungere. Sed quod pejus est, non solum non honestamus pauperes ; sed etiam dehonestamus, destruimus, persequimur : et ignoramus quod his Dei imagini congeramus injurias, **1096** cum factos ad imaginem Dei putamus esse lædendos. Qui enim irridet pauperem, exacerbat eum qui fecit illum. Sed aderit ille qui dicat : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi bibere.... æger eram.... et non visitastis me* (*Matth.* XXV, 42 *et* 43). Et quanto ista leviora sunt, quam si dicat : Injurias mihi fecistis, nudastis me, verberastis me? Quem si quis interrogaverit : Quando tibi injurias fecimus, quando spoliavimus, quando etiam verberavimus? Dicet : *Quamdiu uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis* (*Ibid.*, 45). Propterea caveamus diligentius, ne cui vel minimo contumeliam irrogemus ; ne ipsi Domino in illis minimis contumeliosi fuisse videamur.

27. Qua ratione autem dixerit : *Qui timent te, videbunt me et lætabuntur*, ipse exposuit dicens : *Quia in verba tua supersperavi* : hoc est dicere : Intus me viderunt, intus me tetigerunt, intus me aspexerunt ; ubi spem assumpsi de tuis verbis, ubi tua verba percepi. Beati ergo qui vident justum, et lætantur ; quia sperant in Dei verba. Quam multi autem sunt qui oderunt justos, qui perscrutantur Dei verba, qui justi sunt : et cum aliquos doctos audiunt impii, eos propter doctrinam vitare consuerunt.

28. (Vers. 75.) Sequitur versus tertius : *Agnovi, Domine, quoniam justa judicia tua : et in veritate tua*

[a] Mss. novem, *Qui enim honorat... imaginem honoravit*. Alii et cunctæ edit., *coronat...coronavit*. Melius ; solebant enim imperatorum imagines floribus coronari, ut observat Jos. Laurentius Polym. lib. V, pag. 391. Neque vero mirum ejusmodi honorem etiam christianorum principum statuis redditum esse ; quandoquidem constat easdem cum in oppida inferebantur, a magistratu ac populis cum thure, cereis atque adoratione excipi solitas. Sed eum cultum tandem prohibuit Theod. Jun. Cod. tit. 4, leg. unica ; quam consule sicut et Comm. Gothofr. in eamdem. Libet autem huc adjicere quæ Hilarius Pont. Rom. epist. secundæ Nic. syn. inserta refert ex D. Chrysost. ; sunt enim simillima iis quæ ab Ambrosio nostro hic traduntur. Ait igitur : Οὐκ οἶδας ὅτι ὅστις τὴν εἰκόνα τὴν ἐκ ξύλου καὶ χρωμάτων λοιδορεῖ, οὐχ ὡς πρὸς ἄψυχον τολμήσας κρίνεται, ἀλλὰ κατὰ τοῦ βασιλέως. Observatu porro dignum est Ambrosium post quatuor versus in eo idololatriam ethnicorum constituere, non quod idola Deos esse crederent, sed quod eadem adorarent existimantes in illis imaginem Dei residere, qui cum sit incorporeus materiali effigie assimilari neutiquam potest. Hinc autem contraria ratione consequitur eum Christi Domini, B. Virginis, martyrum, aliorumque sanctorum sacras icones, honoresque ipsis exhibitos minime improbasse. Certe omnis doctrina VII conc. œcum. supra laudati in eo quasi cardine vertitur. Etenim passim asserit Dei quidem naturam, utpote spiritalem, pingi non posse : qua in re illi præiverat Greg. II, ep. 1, ad Leonem Isaurum scribens : Θεοῦ φύσιν ἀδύνατον ἱστορῆσαι καὶ ζωγραφῆσαι. De Christi vero et sanctorum imaginibus plane contrarium colligunt, atque decernunt iidem Patres. Quin immo cum angelorum quoque imaginibus suffragentur, ea potissimum ratione quod ὡς ἄνθρωποι ἐνεφανίσθησαν : eodem argumento evincitur illicitum non esse, symbolicas divinarum personarum imagines sub quibus ipsæ se manifestasse in Scripturis leguntur, populo venerandas proponere. Sed isthæc ad controversistas.

Digitized by Google

*humiliasti me*. Qui potest intelligere quæ sunt divinæ A providentiæ, utitur eo sermone quo usus est propheta sanctus David; quia omnia judicio Dei fiunt, ut ægrum corpus aliquis habeat, ut salubre, ut dives, ut pauper sit, ut moriatur juvenis, vel senex. Si quis intendat Scripturis divinis, intelligit hæc fieri judicio Dei; nihil enim est præter Dei scientiam. Exemplum quærimus? Non est absconditum; siquidem Job numquam amisisset proprias facultates, nisi esset traditus adversariæ potestati. Dedit enim Dominus diabolo potestatem in facultates ejus, ut tentaretur qualem, amisso patrimonio, haberet affectum (*Job.* I, 12) : dedit in filios, dedit in corpus ejus (*Job.* II, 6); ut probaretur num defunctorum dolore liberorum, aut cruciatu corporis a constantia mentis animique descisceret. Dominus quidem noverat B fortem; sed in illo docere atque examinare nos voluit, utrum imitatores ejus esse possemus. Denique et Abraham tentavit, quando filium senis unicum sibi petiit immolari (*Gen.* XXII, 2). Sciebat utique mentem Abrahæ : sed sciens tentat Dominus, sicut legisti in Evangelio, quia cum interrogasset Dominus Jesus discipulos, quot panes haberent; et illi respondissent, quia quinque tantum haberent panes, ipse ait : [a] Quid faciemus inter tantos homines? hoc autem dicebat tentans eos; sciebat enim quid facturus esset (*Joan.* VI, 5 *et* 6). Qui **1097** ergo justus est, examine justitiæ suæ credit quia Dei justa judicia sunt : vel secundum Græcum, quia Dei judicia sunt ipsa justitia.

29. Sed hoc ut agnosceret, fecit præmissa preca- C tio; quoniam intellectum sibi dari poposcit, ut mandata Dei disceret. Accepta est ergo intellectus et cognitionis gratia, agnovit justa esse Dei judicia : agnoscere autem perfecti est. Denique aliud est credere, aliud agnoscere. Fides timentis, agnitio est sapientis. Qui enim timet, rationem non quærit : sapiens autem et agnitionem eorum investigat, quæcumque percipere desiderat. *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 1) : cognovit autem intelligens quod locutus est.

30. In quo ergo justa judicia Dei sunt? Quia per labores, et tribulationes, et afflictiones ad cœleste præmium pervenitur. Sicut enim certantibus athletis corona defertur justo judicio hominum : ita legitime certantibus Christianis divino judicio palma D decernitur. *Vincenti*, inquit, *dabo sedere mecum in sede mea* (*Apoc.* III, 21). Vita ergo nostra examinatur igne, sicut splendor argenti; ut virtus certaminibus approbetur. *Transivimus*, inquit, *per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (*Psal.* LXV, 11). Per hæc igitur vera judicia tua esse cognovi. Humiliatus enim sum, ut hæc viderem; quia ii qui exaltati sunt corde, oculos ad veritatem aperire non possunt. Cum autem humiliamur, peccata nostra cognoscimus, et ipsa humilitate delicta nostra purgamus. *Humiliatus sum*, inquit, *et salvum me fecit* (*Psal.* CXIV, 6). In veritate ergo humiliatus est, qui humiliatus est ad salutem : nec vane pertulit passionem, qui salutem veritatis secutus est.

31. Distat igitur inter cognoscere et timere, ut eo revertamur. Denique Evangelii lectio docere nos debet. Ait enim Dominus ad eos qui credebant ei ex Judæis : *Si manseritis in verbo meo*, . . . . *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31 *et* 32). Si manseritis, inquit, cognoscetis. Vides quia non a principio potuit cognoscere quicumque Deum timens verbum ejus audivit. Non solum autem non idem est timor et cognitio; verum etiam non idem est fides et cognitio. Siquidem etiam Apostolus docuit diversa esse munera gratiarum. *Alii enim*, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu* (I *Cor.* XII, 8 *et* 9). Si ergo alii fides datur, alii cognitio; vides quia ubi fides, non statim cognitio; ubi autem cognitio, et fides est et prudentia, nec ab eo possumus diligentiam separare.

32. Habuit ergo cognitionem sanctus David, utpote propheta perfectus; quandoquidem ita perfecte cognovit, ut humiliaretur in ipsa veritate. Sive ergo in adversis positus, agnovit probationis gratiam, ea quæ laboriosa et adversa sunt, sustinenda : justum autem esse Dei judicium; et ideo bene certantes numquam deseri, vel relinqui, et coronam his post labores posse deferri : sive in secundis et prosperis positus, cognovit etiam [b] divitias regum, diversosque successus, tentationis causa solere suppetere; ut is qui his utitur, rerum prosperitate tentetur. In eo igitur propheta David laudandus, quia cum ista agnosceret, **1098** humiliabatur; ut humilitate sua, vel prosperorum excluderet tentamenta, vel adversorum subiret constanti æquanimitate tolerantiam.

33. Non ergo magnopere laudabilis esset Propheta, si laudaret judicia Dei, usus affluentia secundorum. Quid enim magnum facimus, si quando in secundis sumus, laudamus Deum, quando in divitiis sumus, quando nullis vexamur injuriis? Illud est magnificum, si subjectus injuriis, contumeliis, judicium Dei laudes, si vexatus ægritudine, judicia Dei prædices; si te inopia non revocet, quominus laudes justitiam Dei. Ergo semper laudanda sunt judicia Dei, sicut scriptum est : *Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua* (*Psal.* XLVII, 12). Quæ sunt filiæ Judæ, nisi animæ religiosæ, animæ Ecclesiæ quæ Jesum Christum Dominum confitentur, quæ videntes rationem judiciorum tuorum, semper exsultant? Qui enim non ex aliquo secundorum proventu, sed ex cognitione rationis induit lætitiam; non nisi in exsultatione perpetua constitutus est.

34. (Vers. 76.) Sequitur versus quartus : *Fiat*

[a] Rom. edit., *Quid sunt inter tantos homines? Et subjecit in Evangelista : Hoc autem.... examine justitiæ suæ agnovit quia*, etc.

[b] Edit. omnes, ac mss. aliquot, *divitias rerum, variosque successus tentationis causas* (nonnulli, *causa*) *solere suppetere*. Alii nobiscum faciunt, excepto quod Vind. legit, *divitias, regnum*, etc.

*nunc misericordia tua ut exhortetur me, secundum verbum tuum servo tuo.* Aliqui habent in hoc loco: *Consoletur me.* Sed etiam in Apostolo legimus exhortationem pro consolatione dictam, et consolationem pro exhortatione (II *Cor.* I, 4 *et* 6). Magna est ergo misericordia Dei, quæ non solum remissionem tribuit peccatorum; sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne suscepti certaminis passiones imbelli formidine derelinquant. Non ergo misericordiam, quasi is qui victus cedat, [a] aut ut veniæ precator, implorat; sed ut Dei miseratione succinctus, majora viribus tanto munere fultus expediat. Egregiam et singularem Prophetæ spectato virtutem. Alius enim humiliatus ærumnis posceret, ut circa eum tentamenta desinerent, et sedare Dominus adversa dignaretur, ne tribulationum procella in eum sæviret; iste autem tamquam athleta fortis et patiens, [b] qui exerceri et ungi animam suam tribulationibus nosset, non tristia dimovere, non impugnantia declinare desiderat, non omne illud desinere, quod fatigationem et laborem afferret, exposcit; sed magis in tempore laboris sui adversus tentationum procellas dari sibi verbum consolationis exposcit; ut possit forti quæ ingeruntur mente tolerare, ne aliqua mœstitiæ perturbatione lassetur. In eo igitur obsecrat misericordiam Dei, ne auxilio destitutus expediendi, cœptam militiam derelinquat.

35. Denique adhortationem divinæ esse misericordiæ, evidens testimonium docet; Moysi enim dicit Deus: *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei est* (*Rom.* IX, 15 *et* 16). Forte dicas: Ergo non debemus, vel velle, vel currere; atqui negligentes Deus deserere consuevit. Non ergo hoc dicit; sed quid dicat consideremus. Non volentis, neque currentis hominis perseverantia est; non est enim in hominis potestate, sed miserantis Dei est, ut possis complere quæ cœperis. Denique iterum Moysi dicit: *Quia in hoc ipsum te suscitavi, ut ostendam in te virtutem meam* (*Ibid.*, 17). **1099** Colligitur ergo adhortationem divinæ misericordiæ deputandam. Unde sequitur: *Ergo cui vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Ibid.*, 18). Hunc miseratus hortatur, illum non revocat exsecratus. Et vere misericordia est Dei nostrarum militia passionum, per quam nobis peccata minuuntur. Denique Lazarus pauper, quia in hac vita toleravit mala complurima, in gremio Abrahæ requiem consolationis invenit; ille autem dives, qui consolationem habuit in sæculo, post curricula vitæ hujus fructum quietis amisit. Quem si miseratus esset Deus, castigasset potius in hoc sæculo, ut postea non flagellaretur. De-

A nique Job licet graviter flagellatus, et quidem flagellis plurimis inopiæ, amissionis filiorum, doloribus corporis, opprobriis amicorum; consolatione tamen fruitur æterna.

36. Ergo quanto majores tribulationes fuerint, tanto uberior consolatio reservatur. Et tamen ne cadas atque succumbas, quanto majores tentationes videris, tanto magis roga Verbum Dei, ut adhortationem tibi afferat: sicut rogavit, et Paulus qui ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus omnis consolationis, qui nos exhortatur in omni angustia; ut possimus et ipsi consolari eos, qui sunt in omni tribulatione, per exhortationem qua et ipsi advocamur a Deo; quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum*

B *abundat etiam consolatio* (II *Cor.* I, 3-5). Tanta vi Apostolicæ petitionis rogat, ut consolationem accipiat a Domino in omni tribulatione, qui non solum ipse induat tolerantiam; verum etiam alios consoletur, ut et ipsi possint propriæ mentis angustias sustinere. Si igitur ipse in omni tribulatione idoneus fueris approbatus, tunc demum dignus eris, qui consolationem accipias in omni tribulatione. Et tamen [c] non omnis passio digna consolatione est: sed quæ passio per Christum est, hæc consolationem Christi meretur.

37. Pulchre autem addidit: *Secundum verbum tuum servo tuo.* Ipse enim Dominus pro suo nomine præliantibus auxilium pollicetur dicens: *Cum eos tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loqua-*

C *mini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Pater meus qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19 *et* 20). Ergo ne impares simus certamini, divinum semper oremus auxilium, ut nobis tribuat adhortationem. Si enim habeamus eum qui nos exhortetur, non facile cedimus.

38. Plerique autem habent: *Qui consoletur me*, nec abhorret a vero. Instigantis enim aliquem blanda quædam est exhortatio, quæ certantem studio laudis accendat, et velut quadam consolatione demulceat; ne laborum asperitate revocetur.

39. (Vers. 77.) Sequitur versus quintus: *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam; quoniam lex tua meditatio mea est.* Cui lex Dei meditatio est, huic præsto

D sunt misericordiæ, ut vivat in æternum. Quomodo enim beatus quis potest esse sine miseratione divina? *Beatus..... autem qui in Domini lege die ac nocte meditatur* (*Psal.* I, 1 *et* 2). Sed qui meditatur in Lege, eruditur in Lege: et quem Lex **1100** erudierit, Dominus erudivit, qui locutus est Legem. Ideoque scriptum est: *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XCIII, 12). Discamus ergo, et nos in Lege meditari, non avocemur sæcu-

[a] Sex mss., *aut veniam peccator, implorat.*

[b] Vet. edit. cum majori scriptorum cod. numero; *Qui exerceri et cingi animam suam.* Rom. cum reliquis, ut in corpore. Utraque autem lectio ex arena profecta est, quod apud Ambrosium familiare.

[c] Edit. ant. ac mss. haud pauci, *non omnis passio, divina consolatio est.* Melius alii aliquot, *non omnis consolatio, divina consolatio est.* At omnium optime reliqui licet pauciores, quos cum edit. Rom. hic secuti sumus.

Digitized by Google

laribus illecebris, non occupemur impedimentis : sed semper ad legem Dei simus attenti. Scriptum est enim : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium* (*Psal.* xxxvi, 30). Hoc in veteri Testamento : audi dicentem et in novo : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo* (*Rom.* x, 8). Et maxime hanc meditationem sacerdotibus necessariam ostendit ad Titum scribens, quia debet episcopus amplecti eum, *Qui secundum doctrinam est fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (*Tit.* I, 9). Quod utique sollicitæ atque intentæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis. Et ad Timotheum scribens, ait : *Attendite lectioni, exhortationi, doctrinæ* (I *Tit.* IV, 13). Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur.

40. Quod autem poscit ut vivat, frequenter ostendimus hujus corporis vitam veræ vitæ gratiam non habere; sed illam veram vitam fore, cujus bona unusquisque sanctorum credit se videre in terra viventium. Quod credimus nos visuros, non præsens utique, sed futurum est.

41. (Vers. 78.) Sequitur versus sextus : *Confunduntur superbi; quoniam injuste iniquitatem gesserunt in me : ego autem exercebor in præceptis tuis.* Superius ait idem Propheta : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 5). Numquid hic maledicit iis, qui in se iniqua gesserunt? Non utique. Videbat enim charitatem etiam inimicissimis deferendam, cum venisset Evangelii prædicator. Unde arbitror quia quasi medicus velit eos ipsos sanare qui læserint; ut iniquitatis suæ contemplatione conventi, de propriis flagitiis erubescant : in quo non solum propheticam incipiunt probare patientiam, verum etiam emendare suam insolentiam. Pudor enim plerumque corrector est nostri; et dum incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere quæ erubescenda sunt, admonemur. Non ergo maledicit Propheta, sed quasi bonus medicus vult illos cognoscere et scire quid fecerint; ut cum se in suam conscientiam receperint, quanta suorum sit colluvies delictorum incipiant erubescere : erubescentes autem possint prioribus renuntiare peccatis. Considera mihi nunc aliquos fornicantes, inequitantes viduis ac puellis, aliena rapientes; et in his non solum non erubescere, sed etiam gloriari solere, tamquam vel pulchritudinis, vel potentiæ suæ titulos deferentes : de quibus bene dixit Apostolus, quod *eorum gloria in confusione ipsorum* (*Philip.* III, 19); eo detestabiliores ipsis criminibus suis, quod cum tanta committant, non confundantur. Verum eorum si quis postea veniat in Ecclesiam, credat in Dominum Jesum, audiat Evangelium, compungatur corde : tunc demum incipiet quam atrocia et gravia deliquerit, agnoscere; et in iis quæ agnoverit, erubescere.

42. Quid sit autem exerceri in [a] præceptis Domini A nostri, quia dixit : *Ego autem exercebor in præceptis tuis*, in Lege didicisti (*Exod.* XXIII, 5)? hoc est, si bos adversarii **1101** ceciderit, vel jumentum; ut non deserendum existimes, sed potius elevandum. Quod autem ait : *Injuste iniquitatem gesserunt;* in quem hoc dicatur considera, nisi in eum qui forte juste iniquitatem gerat : id est, si læsus per Legem se incipiat vindicare juxta præcepta Moysis, juste videtur facere iniquitatem, sed non secundum Evangelii præcepta. Et ideo ait : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 13); quia Judæi ad vindicandum se auctoritate Legis utuntur.

43. Habes hoc et in Apostolo : *Sobrii estote, et juste* (I *Cor.* XV, 34). Non solum sobrios nos, sed etiam B juste sobrios esse debere docuit evidenter. Potest autem aliquis et sobrius esse, et non juste sobrius; ut sobrius sit a vino, et non sit sobrius æquitate, atque justitia; est enim crapula iniquitatis. Potest et aliquis ebrietati et luxuriæ semper indulgens, dum aliena tamen diripere conatur, eo occupatus studio sobrius esse a vino, et non sobrius a rapinis : nec iste juste sobrius. Ideo Apostolus admonet, ut sit in nobis justa sobrietas. Denique addidit : *Et nolite peccare* (*Ibid.*). Qui enim peccat, etsi sobrius sit, non potest tamen tamquam juste sobrius prædicari. *Nolite*, inquit, *seduci* (*Ibid.*, 33), hoc est, ne alieni erroris ebrietas vos faciat temulentos. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala;* eo quod ore et labiis infidelium tamquam ebrietas quædam moribus audientis C infunditur. Meritoque addidit : *Sobrii estote juste, et nolite peccare.* Ignorantiam enim Dei quidam habent; ut sobrius ille sit, qui non habet ignorantiam Dei, nec titubat ebrietate perfidiæ : juste autem sobrius, in quo operum gratia cum fidei sobrietate resplendet.

44. (Vers. 79.) Sequitur versus septimus : *Convertantur ad me qui timent te, et qui sciunt testimonia tua.* Alius habet, maxime juxta Græcum : *Convertantur mihi.* Si *ad me* legimus : convertantur qui timent Deum, de commissis propriis erubescant; vel certe luant supplicia delictorum : convertantur autem ad Dei servulum, Propheticamque doctrinam; ut dediscant pudenda committere, et tanti emendatione doctoris exuant mores suos, delictorumque labe detersa, D virtutum induant disciplinam. Si autem ita legimus : *Convertantur mihi*, hoc est, quoniam exercebor in præceptis tuis, mihi convertantur, mihi autem jam non peccanti, jam non erranti. Convertantur, inquit, qui timentes te propriis renuntiavere peccatis; ut consortio justorum Propheta ad uberius provehatur, et ipse de ea gratia quæ in ipso est, plurimum conferat audientibus. Convertantur igitur jam non peccante me, justi ad justum. De testimoniis autem puto jam non opus esse repetere, cum ante jam dictum sit.

[a] Edit. vet., *in præceptis Domini, quomodo existimarem, nisi quia dixit.* Rom., ... *nisi quia quod dixit.* Mss. vero nobiscum faciunt, excepto quod *nisi*, in nonnullis pro *nostri* reponitur, in nonnullis utrumque desideratur; unde istic exorta est interpolatio.

Digitized by Google

45. (Vers. 80.) Sequitur versus octavus : *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar*. Quanto excelsior est Propheta, vel munere prophetiæ, vel regni gratia, tanto magis sequitur humilitatem, et docet quid nos debeamus imitari ; eo quod Propheta tantum immaculatum cor fieri sibi deposcit. Supra postulavit : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12). Non dixit, fac : sed *crea ;* ut de integro cor ejus instauret et mundet. Major **1102** quidem in hoc sermone ambitus est. Grande enim cor est a Domino creatum, quod recipiat Verbum de cœlestibus virtutibus, ac potestatibus. Grande cor quod recipiat ipsum Dominum dicentem : *Inhabitabo in illis, et deambulabo in ipsis* (II *Cor.* VI, 16). Ut hæc igitur recipiat, creatorem sibi cordis sui non angelum fieri, sed ipsum Dominum deprecatur, qui cœlum creavit et terram.

46. Et bene ait : *Immaculatum ;* quia cor hominis quadam velut indecentium cogitationum colluvione maculatur. Si cogitatio ipsa polluit, quanto etiam facta ipsa contaminant? Noli extraordinariis cogitationibus adversa naturæ contaminare penetralia ; ne id inquinamento gravi polluas, quod putas habere te mundum. Manus lavas quasi possis crimina eluere, cum mentem tuam [a] immundis cogitationibus inquinatam lavare non possis. Et Pilatus manus lavit : sed cor suum lavare non potuit. Mansit scelere pollutus, quamvis manus suas aquæ infusione lavisset. Audi quia et cogitatio inquinat : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem : sed quod exit de ore. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 17 *et seq.*). Si ergo intus coinquinaris, prius munda quod intus est. Si quod intus est mundaveris, et exteriora mundasti : ut si [b] aqua turbidum fluat, frustra putes lacum esse mundandum, si fons profluat cœnulentus ; receptacula enim tersisse nihil proderit, cum in fonte sit vitium. Ipse tibi ante purgandus es, ut fluat omne quod purum est. Cor tuum cogitationum tuarum est scaturigo. In illo fonte vel turbida aqua impuritatis evomitur, vel sincera pietatis unda prorumpit.

47. Didicisti cor esse mundandum, disce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem justificatio legitima, hoc est, confessio peccatorum. Denique publicanus ille qui peccata propria fatebatur, justificatus magis de templo, quam pharisæus exivit ; quia jejunia sua et munera pharisæus, atque innocentiam præferebat. Munda ergo aquam tuam, illam aquam de qua dictum est : *Aqua alta consilium in corde viri* (*Prov.* XX, 5). Bonam tibi aquam natura dedit, nisi eam cœno tuo polluas ; ipsa te diluit, si pura, si simplex, si etiam naturalis sit, si nihil habeat sordidum atque terrenum. Quid mali est, si ea aqua quæ mundare debeat, polluat? Sed non est aqua tua quæ te polluit. Ista aqua aliena est. Denique dictum est tibi : Ab aliena aqua abstine te (*Prov.* V, 15). Aliena aqua mentitur et fallit, et contrarium naturæ profluit. Ideo ait : *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Psal.* XVII, 46) ; nam si alieni non fuissent, utique non fefellissent. Nemo ergo glorietur castum se habere cor, quemadmodum Salomon dixit (*Prov.* XX, 9) : *sed qui gloriatur, in Domino glorietur* (II *Cor.* X, 17), qui sanctis suis cor mundum creare dignatus est, et immaculatum facere justificationibus suis. Quæ sint justificationes, audisti dicentem : *Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 26). Ergo qui iniquitates suas dicit, justificatur : qui autem justificatur, non confunditur ; quia pudorem peccatorum matura confessione prævenit.

## 1103 SERMO UNDECIMUS.

### כ *Caph.*

1. Incipit undecima littera *Caph*, quæ Latina interpretatione significat, *Curvati sunt*. Sonus interpretationis ipse nos docet, quid sit curvari ; qui enim inclinatur in terram, curvari videtur. Unde ait Propheta sub hac littera : *Paulo minus consummaverunt me in terra* (*Inf.* v. 87). Curvatur autem qui agit pœnitentiam ; eo quod cervicem suam curvet, dum humiliatur ad Dominum, et interiorem magis cervicem, id est, cervicem mentis et cordis. Nam de hac cervice dictum est : *Nec si flectas ut circulum collum tuum* (*Esai.* LVIII, 5) ; qui enim cor suum non flectit frustra cervicem suam flexerit.

2. Docet etiam Hieremias propheta humilitatem hac interpretatione signari. Ait enim sub hac littera in Threnis : *Quia non repellet in æternum Dominus : quia cum humiliaverit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ ; quia non humiliavit toto corde suo, neque repulit filios hominum* (*Thren.* III, 31-33). Bonum ergo curvari, ut humiliemur Domino, et Dominus misereatur. Denique et in superioribus sub hac littera idem Hieremias propheta, ostendens gemitus, et humilitatem plebis, ait : *Omnis populus ejus ingemiscentes, quærentes panem, dederunt desideria sua in escam ut reficiant animam. Vide, Domine, et aspice, quia facta est sine honore* (*Thren.* I, 11). Ergo qui animæ suæ quærit refectionem, humilitate curvetur, quo possit citius ad Domini pervenire misericordiam.

3. (Vers. 81.) Ideoque tamquam curvatus multo amplius anima ac mente, quam corpore exorsus est David, dicens : *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum speravi*. Non usitatus sermo nos capiat ; [c] ut tamquam corporeæ fatigationis defectionem hujusmodi judicemus. Neque enim hoc solum dixit : *Defecit anima mea ;* sed : *Defecit in salutare tuum*. Itaque ut de usu capiamus exemplum, si verbi gratia, dicamus : Defecit ille in illum, videtur exprimi

[a] Omnes edit. cum parte mss., *vel nudis cogitationibus inquinatum :* Reliqui mss., *immundis*, etc.

[b] Edit. omnes, *aqua turbida influat*. Mss. vero, *aqua turbidum fluat :* quod adverbii modo ponitur, non secus ac apud Horatium lib. II, ode 19 :

Mens . . . . turbidum lætatur.

[c] Edit., *Ut tamquam corporeas fatigationes defectionem*, etc. ; mss. vero ut in textu.

Digitized by Google

hoc verbo, quod totus in mulieris desiderium cupiditate transierit. Et quidquid est quod vehementer expetimus, nisi ejus maturiorem habeamus effectum, id nos videtur longa quadam intensione lassare. Amor impatiens die nocteque meretricias fores pulsans, si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit exspectatione, dum sperat : in quo utique non finis amoris, sed incrementum est. Et quidquid est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, et quasi ipsam deponit animam qui desiderat. Si tamen spes propior assurgat, dat vires spes proxima : si autem absentia sit dilecti, eo ipso quod absentem desiderat, qui concupivit, animæ suæ patitur defectionem. Itaque quanto longius est istud quod desideratur, tanto magis deficit qui desiderat. Id est ergo deficere; unumquemque in id totis studiis migrare quod diligat. Illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur ; ut si mater filii exspectet præsentiam, quemadmodum exspectabat Tobiæ uxor filium peregrinantem, deficiens a desiderio, et in angustiis **1104** constituta, et tamquam resoluta viribus (*Tob.* x, 3 *et seq.*). Quid enim aliud nisi defectum quemdam ejus verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit : et quo diutius abest qui desideratur, eo exspectantis desideria majore quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur et augetur.

4. Hinc ergo colligere possumus quid sit : *Defecit in salutare tuum anima mea.* Etenim spiritui adhærens anima deficit ab eo quod est anima, et fit unus spiritus ; quoniam *qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* vi, 17). Itaque sanctus et timens Deum, nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Jesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi se aperit et effundit : et hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Itaque quanto majore desiderio exercitata fuerit anima cupiens adhærere salutari suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Denique ipse alibi dicens : *Sitivit in te anima mea* (*Psal.* lxii, 2) ; subjecit infra : *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua* (*Ibid.*, 9). Qui enim sitit, cupit semper adhærere fonti, nec aliud sibi nisi aquam expetere et contingere videtur, ut ipso pascatur affectu. [a] Suscipiens ergo dextera animam meam, et de suo virtutem impartiens, facit eam esse quod non erat, ut dicat : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Galat.* ii, 20). Disce autem etiam exemplo defectionem istam nimiæ esse cupiditatis. *Concupiscit*, inquit, *et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* lxxxiii, 3). Ante concupiscens, inquit, et quasi totam se effundens in concupiscentiam, longo fune suspensa defectione

A dissolvitur. Denique quomodo deficiat anima in salutare Dei, Hieremias docet. *Et factum est*, inquit, *in corde meo ut ignis ardens, flammans in ossibus meis, et dissolutus sum undique, et ferre non possum.* Hoc igitur inflammatus desiderio, ait David : *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum speravi* (*Jerem.* xx, 9).

5. Recte speravi dixit in verbum ; ante enim spes præcedit, et ideo sequitur defectio. Speravit autem in verbum quod prædicatum est esse venturum, quod potest intelligi de Deo Verbo. Aut certe in verbum speravit, qui verbo cœlesti credidit, quo Domini nostri Jesu Christi annuntiatur adventus, vel quo ejus gloria declaratur. Ergo Propheta considerans quæ legerat, et cernens quod cum adesset corpori, velut B quibusdam ligatus vinculis hujus vitæ, aberat a salutare Dei, concupiscebat, desiderabat, deficiebat, et toto dissolvebatur affectu ; ut totus illius fieret quod desiderabat, sicut etiam in posterioribus ipse dicit : *Effundo in conspectu ejus orationem meam, tribulationem meam ante ipsum pronuntio, in deficiendo ex me spiritum meum* (*Psal.* cxli, 3 *et* 4). Deficit enim ejus spiritus, immo ab eo deficit spiritus suus, qui se ipsum negat, ut adhæreat Christo. Unde semitæ ejus cognoscuntur a Domino ; quia non sunt carnis, sed Christi semitæ.

6. Etenim requirentium Deum via Christus est. Et nos igitur illud concupiscamus æternum, illud salutare Dei : non concupiscamus pecuniam, **1105** quam avarissimi concupiscunt, non concupiscamus C alienæ uxoris decorem, non ambitionis exagitemur desiderio, non sæculari intendamus gloriæ, non fallacis circumscriptionis studiis occupemur, non proximum circumvenire iniquitate cupiamus, non postremo partes vulpium simus in terrenæ voluptatis interiora demersi, tamquam exsules æternorum, et de illa supernæ spei præsumptione dejecti. Attollat igitur se anima nostra deficiens viribus suis ; ut adhæreat salutari Dei, qui est Christus Dominus Jesus, quod interpretatione dicitur Domini salus. Ipse est enim salus, veritas, virtus atque sapientia. Qui igitur deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod æternum est.

7. (Vers. 82.) Sequitur : *Defecerunt oculi mei in verbum tuum, dicentes : Quando consolaberis me?* D [b] Supra est πρακτικόν, hic θεωρητικόν : ibi in salutare deficit anima, eo quod concupiscit eum, cujus Passione servata est : hic in verbum Domini prophetæ oculi defecerunt. Et videamus ne quemadmodum illic adhærens Christo anima deficit in unum spiritum, et fit unus spiritus : ita et deficiant oculi, ut fiat una mens. Oculi enim mentis isti sunt oculi, scilicet interioris hominis, non hi oculi qui ministerio funguntur obtutus. [c] Est enim oculus et mens, carnis : sed ille cæcus est oculus, qui non videt quæ divina

[a] Edit. omnes : *Suscipiens ergo me Dei dextera, animæ meæ inhians, et de sua virtute mihi impartiens.* Mss. vero nobiscum faciunt, excepto quod nonnulli ultima verba habent sicut edit., *de sua virtute mihi impartiens.*

[b] Omnes edit., *Supra πρακτικόν, hic θεωρητικόν.* Contra mss. fere ad unum in emendationem nostram consentiunt.

[c] Rom. edit. sola, *Est enim oculus et mentis, et*

Digitized by Google

sunt, qui frustra mente carnis inflatus est. Est et alius oculus, sensus Christi, quo Ecclesia videt Christum; sicut ipse dicit ad Sponsam : *Corde nos cepisti uno ab oculis tuis* (*Cant.* IV, 9). Merito uno oculo Christus videtur; quia non videtur oculo carnali : aut quia duos oculos habens Ecclesia, moralem et mysticum, fidei oculo plus videt Christum. Mysticus enim oculus acutior est, moralis dulcior.

8. Et fortasse isti oculi sunt, quibus Paulus videbat æterna, ubi cœpit corporalia non videre. Denique qui Christum non videbat, priusquam oculos amitteret, vidit eum posteaquam visum amisit oculorum. Vidit enim qui dixit : *Quis es, Domine* (*Act.* IX, 5)? Videbat utique Christum, quem etiam Dominum fatebatur. Et infra : *Domine*, inquit, *quid me vis facere* (*Ibid.*, 6)? Non ergo videbat eum, cujus exspectabat imperium? Quibus igitur oculis videre Paulus plus cœpit, nisi iis quos nobis ipse monstravit, dicens : *Orabo spiritu, orabo et mente* (I *Cor.* XIV, 15)? Denique ut scias quia vidit orando : *Factum est*, inquit, *revertenti mihi in Hierusalem, cum orarem in templo, pavorem habui, vidi illum dicentem mihi : Festina, et exi citius de Hierusalem; non enim recipient testimonium tuum de me* (*Act.* XXII, 17 *et* 18). Isti ergo oculi in verbum Dei deficiunt, et dicunt : *Quando consolaberis me?* Istis oculis prophetæ dicebantur *Videntes*; quia per revelationem ea quæ erant abscondita, mente cernebant.

9. Quid est oculos deficere? De corporalibus dicamus, ut intelligamus de spiritalibus. Nonne quando aliquem desideramus, et speramus adfore, eo dirigimus oculos, unde speramus esse venturum? Itaque contenti diu quotidiana exspectatione **1106** deficimus. Sic Anna circumspiciens in viam, sollicitis adventum filii explorabat excubiis (*Tob.* x, 7). Sic David propheta, [a] currentem de prælio, positis in turre exploratoribus, interrogare de salute filii pater sedulus gestiebat (II *Reg.* XVIII, 24). Sic teneræ uxor ætatis de specula littorali, indefessa exspectatione viri præstolatur adventum; ut quamcumque navim viderit, illic putet conjugem navigare, metuatque ne videndi gratiam dilecti alius antevertat, nec ipsa possit prima dicere : Video te, marite; sicut Anna dicebat ad filium : *Video te, fili, amodo libentius moriar* (*Tob.* XI, 8); mortis videlicet dolorem exoptati conspectus suavitate non sentiens. Ergo ut illa quæ advenienti viro se optat offerre, ablegatis omnibus domesticis occupationibus, semitas viantis aut pedum vestigia legit : sic Propheta curis exutus sæcularibus, interiorum oculorum in verbum Dei pervigil custos usque ad defectionem sui intendebat obtutus, corpus suum redigens servituti, et animam

A suam ad humilitatis patientiam araneæ modo tabescentis erudiens. Desiderabat enim sicut cervus fontes aquarum, et sitiebat in Dominum Deum suum, cupiens ejus videre præsentiam, et apparere ante faciem Dei; nimioque desiderio et vehementi cupiditate deficiens, tunc se habiliorem iis quæ de Domino poposcerit, impetrandis prophetica gratia præsumebat. Et nos igitur intendamus cor nostrum, ut possimus intelligere series Scripturarum, et verbum nobis venire a Domino postulemus, atque intellectum dari. Si quis de longinquo Verbum Dei obtutu mentis aspexerit, nondum planum atque distinctum, is velut quibusdam oculis interioribus Verbi navigium appropinquare animæ suæ cernit. Quo autem expressius videre cœperit, eo magis quasi ad portum veri- B tatis festinat accedere, ut sit proximus invehendæ.

10. Defecerunt ergo oculi Prophetæ in verbum Dei, dicentes : *Quando consolaberis me?* Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus et videmus, dicere debuerunt : Quando consolaberis nos; hoc est, non singulariter, sed pluraliter? Sed quia oculus mentis et oculus carnis unus oculus fiunt, et tunc homo consolatione fulcitur, cum caro et mens diversa non cupiunt, sed unum desiderant, unum requirunt; ideo intenti ad eum, qui ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), isti quoque oculi unum se esse confitentur; quia uno atque eodem desiderio officioque funguntur.

11. Deficiebat ergo in verbum Propheta. Nos autem otiosos nos putamus, si verbo tantummodo stu- C dere videamur : et pluris æstimamus eos qui operantur, quam eos qui [b] studium cognoscendæ divinitatis exercent. Dicunt enim plerique : Ecce homo et opera ejus. Quasi vero qui verbo studeat, non operetur : cum majus opus istud quam cætera sint. Si enim opus justitia est, si opus temperantia, si opus fortitudo : utique opus est etiam sapientia; istæ enim quatuor principales virtutes habentur. Nam si operatur Christus secundum quod justitia est, utique operatur secundum quod **1107** Verbum est. Et operabatur cum esset in principio apud Patrem. Denique *per ipsum omnia facta sunt* (*Joan.* I, 3); ut scias operatorem omnium esse, et opus nostrum esse Christum Jesum. Etenim secundum quod verbum est, verbum inquirentibus, grande opus verbum est. D Unde cum Martha festinaret circa ministerium, Maria autem verbum Domini audiret : ea quæ audiebat, ei quæ ministrabat, meruit anteferri. Dicenti enim Marthæ : *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Respondens, dixit Dominus : Martha, Martha.... Maria bonam partem elegit, quæ non aufere-*

*carnis*. Bonus sensus si per se ac seorsim spectetur. Sed eum non convenire huic loco, non solum aliarum edit. ac mss. consensus evincit; verum etiam confirmant voces, quæ sequuntur, *qui frustra mente carnis inflatus est*. Intellige igitur mentem carnis etiam oculi vocabulo posse nominari, sed oculum illum cæcum ac superbum esse.

[a] Ita scripti cod. Edit. vero, *currente de prælio uno post alterum qui nuntiaret*, *positis*, etc. Qui autem sequentem comparationem ac epistolæ Phillidos Ovidianæ finem inter se contulerit, non ægre fatebitur eo respexisse nostrum Ambrosium.

[b] Edit., *studium cognoscendæ veritatis*; mss., *divinitatis*.

Digitized by Google

*tur illi* (*Luc.* x, 40-42). Ita verbum cognoscere majus opus esse quam ministrare, divinæ auctoritate sententiæ definitur.

12. Sed fortasse dicat aliquis dictum esse ab Apostolo : *Quia non in sermone regnum est Dei, sed in virtute* (I *Cor.* IV, 20). Scriptum non nego, sed in quo sermone, cognosce; nempe quem inflatus effuderit, qui audientibus sermo prodesse non possit, qui sine ostensione sit spiritus atque virtutis, hunc sermonem Paulus non dignatur cognoscere; vult enim magis virtutem sermonis [a] agnoscere. Denique nolebat talem suum esse Apostolus sermonem, qui in infirmitate veniebat, ut alios faceret fortiores : in timore et tremore; ut timentes nihil metuerent, nisi Dominum Jesum : trementes pacem ejus tranquillitatemque servarent. Audi ergo qualem Apostolus sermonem habebat. *Et sermo*, inquit, *meus et prædicatio mea non in persuasione sapientiæ verborum, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I *Cor.* II, 4); quia fides non in forensi sermone [b] sapientiæ, sed Dei virtute firmatur. Ergo in sermone sanctorum virtus est, in sermone autem forensi isto ac philosophico vanitas mundi. Virtutem autem esse in sermone sanctorum etiam iste Propheta te doceat, qui ait : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* (*Psal.* LXVII, 12); hoc est, ut multa possint virtute Evangelium prædicare. Probatum est ergo quod in Evangelii prædicatione sit virtus : prædicatio autem Evangelii, sermo sanctorum est : ita dubium non residet, quin in sermone sancto sit virtus.

13. (Vers. 83.) Sequitur versus tertius : *Quoniam factus sum tamquam uter in gelicidio, justificationes tuas non sum oblitus.* Vox ista, vox justi est, qui mortificaverit suum corpus; recte enim uter dicitur justus, qui exspoliatus, non nudus inveniatur : uter namque de exuviis fit animantis mortui. Igitur et nos peccato moriamur, ut vivamus Deo. Repleti spiritus jucunditate, et suavitate lætitiæ, erimus exuviæ spiritales, carentes infirmitate corporea, et integro mentis sinu infusam nobis divinorum mysteriorum gratiam reservantes. De his utribus dicitur, quia vinum novum in utres novos mittunt (*Matth.* IX, 17), qui volunt utrumque servare, et corpus, et gratiam. Non effluat igitur tuus hic uter, non rimosus sit, non terreno inveterascat situ; ne vinum novum veteres utres rumpat, quo scindantur utres, fundatur gratia. Non iterum sole iniquitatis et nimia vi caloris arescant, sed ferventium viscerum cupiditates diversæ nivali quodam frigore temperentur. Frigescat æstus libidinis, **1108** et quodam continentiæ gelu, jejuniorumque restinctus, [c] matutina oratione perfletur; quando sicut ros, ita super terram nostram Dei verba descendunt, sicut imber super gramen, et sicut nix super fenum. Nescit utrem bonum ista nix læ- A dere, nix quæ divini splendore fulget eloquii. Nix hæc refrigerat, non adurit : fecundat sata, non internecat. Nix hæc præceptio continentiæ est, quæ calorem facit corporeum frigere, et omnem naturæ interioris restinguit ardorem. Et forte ideo cum resurrectionis suæ demonstraret gloriam, vestimenta ejus erant candida sicut nix : ut non solum ipse alienus æstimaretur a contagione peccati, verum etiam quicumque resuscitatur, congelatis conjugii cupiditatibus, resurgere frigidus videretur. In resurrectione enim neque nubunt, neque uxores ducunt, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. Boni ergo utres frigidi, hoc est, in gelicidio constricti pruinis, non libidinis calore resoluti.

14. Utrem autem corpus hoc dici, licet ex pluri- B bus locis, tamen etiam inde intellige, quod Adam et Eva ubi imaginem deposuere cœlestis, quam ante portabant, imaginem terreni hominis induentes, tunicas dicti sunt vestiti esse pelliceas, corporales enim eos de spiritalibus fecerat culpa commissa (*Gen.* III, 21). Nec illud absurdum ad intelligendum, quod ita se dicat factum David sicut utrem in gelicidio; eo quod in asperitate licet positus glaciali, mortificaverit tamen corpus suum; ne sentiret hiemis illius asperitatem, quam Salvator dicit gravem futuram esse fugientibus (*Matth.* XXIV, 20). Sicut enim glaciem non sentit uter, quia pellis est animalis mortui; ita mortuus peccato Propheta frigus peccati sentire non poterat : vel certe quod non frangatur necessitatibus, nec resistat caro menti; sed mollior C ductu, animæ se inflectat imperiis, et in hoc mundi gelicidio non arescat : vel quia corpus afflictionis sumus, et mortem Domini Jesu semper in nostro corpore circumferre debemus. Hic est uter qui castigat corpus suum, non ut ille incrassatus et obesus populus, qui sedit manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII, 6). Hic est uter qui inebriat non vino, sed spiritu : in quo non botryo amaritudinis, non draconum furor, non furor aspidum, sed poculum inebrians quam præclarum est ! In hoc ergo gloriatur David, quia factus est sicut uter in gelicidio, operationem peccati non sentiens.

15. Et bene peccatum gelicidio comparatur. Sicut enim gelicidium ad nullum usum utile est, ad nullam operationem; sic culpa nulli prodest usui, D nulli operationi : et ideo sicut gelicidium declinanda est, ne noceat et adurat. Bonum ergo mihi fieri sicut utrem in gelicidio; ut possim non oblivisci justificationes Domini, ut earum liquore perfusus refrigeret omnis fervor internæ cupiditatis. Non ergo vacuum, sed plenum hunc utrem esse oportet, plenum spiritus, plenum justificationum; ut peccata mea ipse confitear, ut luxuriam carnis meæ comprimam; moriendum est enim mundo, ut vivamus Deo. Si autem vivamus carni, mors utique est carnis prudentia :

[a] Mss. plures, *agnoscere. Denique volebat talem.* Melius alii atque edit., *agnoscere* (sola Rom., *commendare*). *Denique nolebat talem.* At post pauca edit. omnes, *ut alios salvos faceret, et fortiores.* Melius omnes mss., *ut alios faceret fortiores.*

[b] Post *sapientiæ*, legebatur in edit., *sed in ostensione spiritus :* quod in nullis mss. reperias.

[c] Rom. edit., *matutina roratione perfletur.*



Digitized by Google

vivere **1109** non possumus Deo; quia inimica est Deo carnalis ista sapientia, et vita sæcularis.

16. (Vers. 84.) Sequitur versus quartus : *Quot sunt dies servi tui? Quando facies mihi de persequentibus me judicium?* Potest sic accipi : *Quot sunt dies servi tui*, quasi dicat : Quanti sunt dies humani, quantum tempus, quantum spatium? Cur invidetur tam brevi vitæ; ne tranquillo cursu istius sæculi perfruamur? Cur in brevi spatio tam multi persequentium nos laquei tenduntur? Adsit jam judicium in quo pœna est perfidorum, in quo persecutoribus digna impietatis suæ pretia reddantur. Vel sic : Quousque insultare poterunt, quousque inquietare, qui nos diversis modis quærunt affligere? Non serus erit terminus; etenim quasi Propheta celeritatem transcurrendæ istius vitæ non annorum, sed dierum B æstimatione subducit, dicens : *Quot sunt dies servi tui?* Et bene dies dixit; ut non solum moras annuas prophetica visione transcurreret : verum etiam splendidum sibi vitæ hujus curriculum virtutum lumine declararet. Meritoque securus ait : *Quando facies mihi de persequentibus me judicium?* Mihi, inquit, judicium de persequentibus facies, non de me persequentibus judicium dabis; quoniam non resurgunt impii in judicio. Sed mihi, inquit, da judicium; ut cum remuneras innocentiam, fidem provehis, misericordiam coronas, impii persecutores [a] meritorum præmiis propheticorum judicentur.

17. Non absurdum etiam illud, ut quia breves dies et pauci sunt istius vitæ, non diutius gratiam suam Dominus circa Prophetam suum differat : sed ipsi C judicium de persequentibus faciat. Nam hic quoque judicium est de persecutoribus; siquidem qui non credit in Christo, jam judicatus est. Judicium autem hoc est, quod dedit servulis suis Dominus Jesus dicens : *Habebitis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (*Luc.* x, 19). Et verum judicium, in quo torquetur inimicus, sicut ipse confessus est dicens : *Quid .... venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29)?

18. Hoc ergo deposcit virtutum stabilitate fundatus Propheta, ut subjiciatur sibi non homo, sed ille qui locum sibi in homine vindicavit. Unde et Apostolus ipsum magis in hominis peccato putavit esse damnandum, ipsum subjiciendum, de quo ait : *Conterat Deus Satanam sub pedibus vestris cito* (*Rom.* XVI, D 20). Ex hoc ergo persecutore judicium sibi fieri gestit; ut fidei Propheticæ vestigiis adversarius conteratur, et comminuat eum sub pedibus suis Propheta [b] sicut pulverem : et in hac corporis sui militia constitutus, quamvis dies vitæ breves sint; triumphum tamen de adversario adipiscatur, quo reformati hominis in veterem gratiam, quem ante delictorum A vinculis tenebat astrictum, et ferventis libidinis lassabat æstu, libertatem ingemiscat, potestatem sentiat. Subjectus est igitur adversarius secundum Domini sententiam. Etenim Dominus Jesus veniens in hunc mundum per Virginis partum subjecit animæ nostræ omnes contrarias potestates; ut fide tua, verbo tuo, conversatione tua, et operibus conterantur. **1110** Si ergo non conteris adversarium, tua culpa est, qui permissa non uteris potestate. In nobis est igitur, ut aut subjiciatur adversarius, aut resultet. Si enim actus noster displiceat, incipit adversarius superbire : si autem bonis inhæreamus operibus, exerceamus studia castitatis, justitiæ, continentiæ, calcamus serpentem, et scorpionem. Calcamus enim illum pedibus castitatis; [c] conterimus et scorpionem, ne possit excutere : calcamus continentiæ vestigiis, verecundiæ, justitiæque gressibus. Possumus ergo et in hac brevi vita triumphum de adversariis habere perpetuum.

19. (Vers. 85.) Sequitur versus quintus : *Narraverunt mihi injusti exercitationes, sed non sicut lex tua, Domine.* Bene optat judicium sibi fieri de persequentibus, qui non solum opera justi impedire, verum etiam fidem superflua narratione subvertere conati sunt. Etenim quasi fabulæ cujusdam nænias narrator sibi dicit ἀδολεσχίας, hoc est, superfluas loquacitates. Narratores enim superflui, sicut hirundines, disputationis suavitatem nativæ loquacitatis continuatione corrumpunt, ut Aristotelis sententia est.

20. Superflua igitur loquitur hæreticus, qui non loquitur veritatem, non loquitur secundum legem. Qui autem fundatus in lege est, novit a veris falsa discernere; spiritalis eruditione doctrinæ, hæretica ab Evangelicis dogmata separare. Ideoque ne multi decipiantur, jubetur a Domino tacere peccator : *Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas* (*Ps.* XLIX, 17)? Conticescat igitur perfidia, quæ tramitem veritatis tenere non novit, quæ Dei præcepta non servat. Cur enim per os suum assumunt peccatores Evangelium veritatis, in quorum ore veritas non est? Omnia autem præcepta Dei veritas, Christus autem veritas. Non ergo est Christus in disputationibus perfidorum, qui dicit perfido : *Os tuum abundavit nequitia, et lingua tua concinnavit dolum* (*Ibid.*, 20); lingua enim quæ vult astruere mendacium, dolum utique nectit assertis. Sed hujusmodi fur est, et cum fure concurrens. Multi enim fures sunt, qui verbum Dei non ad utilitatem suam furantur et rapiunt, sed ad fraudem; et patrimonium quoddam cœlestium Scripturarum in sua furta detorquent, adulterina sibi compendia colligentes, dolo magis quam veritate quæsita. Sed hi sunt qui miscent aquam vino, tamquam caupones pessimi, adulterantes sermonem Dei, et insincerum preferentes

[a] Rom. edit., *meritorum pœnis*. Sed omnino cum aliis atque omnibus mss. legendum, *meritorum præmiis*; hæc enim sunt remuneratio innocentiæ, provectio fidei, misericordiæ coronatio.

[b] Post vocem *pulverem*, in sola Rom. edit. subjungitur, *ante faciem venti*.

[c] Ita cuncti mss. ac vet. edit. nisi quod Reg. pro *excutere*, legit, *exsurgere*. At Rom. edit. verba sic invertit, *conterimus et scorpionem continentiæ vestigiis, verecundiæ, justitiæque gressibus, ne possit excutere. Possumus*, etc.

Digitized by Google

quidquid perfido et tamquam ebrio ore deprompserint; et ideo aliena loquuntur a lege. Unde eos bene Propheta refugit atque reprehendit: sciens quid præscripto legis acceperit.

21. (Vers. 86.) Recte ergo ait sequenti versiculo: *Omnia præcepta tua veritas: injuste persecuti sunt me, adjuva me.* Quasi bonus miles bella non refugit, nec conflictus quamvis gravium præliorum bellator pavescit assuetus; sed fidelis et providus aspirare sibi divinitus orat auxilia, et piæ devotionis fidelia sibi adjumenta deposcit. Ideoque non petit ut persecutiones quiescant; sed in persecutionibus se postulat adjuvari. Sciebat enim quod omnes **1111** qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patiuntur. Mavult ergo persecutiones pati; ut pie vivere in Christo possit. Et bene non unam persecutionem, sed multas persecutiones dixit, nec expressit vocabula persequentium; quia multi persecutores, non solum quos videmus, sed etiam quos non videmus. Persequuntur nequitiæ spiritales, persequitur hæreticus, Judæus, gentilis. Omnes ergo sub persecutoribus, qui volunt pie vivere; quia ubi multi persecutores, nullum a persecutoribus vacat tempus pie vivere gestienti. Et fortasse cum persecutiones non patimur, tamquam condemnati habemur; quia nequaquam pie vivere velimus in Christo. Nam utique cum sit definita sententia, quod *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patiuntur* (II *Tim.* III, 12), videtur is qui persecutiones non patitur, abdicatus, quod non sit piæ intentionis in Christo; devotionem etenim fidei prælia persequuntur. Si desint certamina, vereor ne deesse videatur, qui certare desideret. *Omnia*, inquit, *præcepta tua veritas* (*Joan.* XV, 20). Quæ præcepta nisi illa: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur?* Hæc præcepta David, anterior licet Incarnationis sacramento, jam tamen audiebat in spiritu: et quasi Christi discipulus non subtrahebat se passionibus, sed certaminibus offerebat: sciebat hoc sibi ad gloriam fructuosum, hoc ad custodiam salutis tutum, ut frequentibus exercitiis justi pietas confirmaretur. Cito enim fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus, insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum externa fraus instruit, et ad gloriosæ provehit palmam victoriæ. Pax ergo fidei corruptelæ materia est.

22. Quam pulchre nobis persecutionis processere tempora. Intentus erat sicut mendicus intimæ ad Deum mentis affectus: illi adhærebat, nec ullas cogitationes obstrepentes sibi precantis animus sentiebat: totis visceribus fundebatur oratio, et quidam miscebatur sermo cum Domino; quotidiana meditatio habebat jam contemptum periculi, et usum calcandæ mortis receperat. Quod amisimus exercitium tentant otia, quos bella non fregerant. Periculosa igitur et pacis otia. In pace plures persecutiones esse cœperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat animo corporis delectatione dissolvi, et hujusmodi quæ secundis rebus excitari solent, admittere passiones. Ideo Apostoli cum cæderentur, includerentur, exsultabant quod illis injuriis [a] æternæ gloriæ meritum lucrabantur, qui digni fuerant pro Christi nomine injurias sustinere (*Act.* V, 41). Non illis erat cura de patrimonio, studium de potestatibus et honoribus, non de prælatione, quæ etiam justos exagitare consuevit; sed ille se præferri putabat, qui esset pluribus verberibus [b] flagellatus.

23. Merito ergo David occasiones expetit triumphandi, et certandi copiam pro devotionis eruditione non metuit, qui noverat persecutiones iniquorum proficere ad incrementa virtutis. **1112** Non enim dixit: Quia persecutiones patior, adjuva me; sed: *Injuste*, inquit, *persecuti sunt me, adjuva me.* Potest enim quis et persecutiones pati, sed non injuste; quia est etiam justa persecutio, si oderimus obscenos, si infesti simus injustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si avarum fraudis suæ compendiis exuamus, si exsecremur insolentiam superborum. Qui autem pro fide, pro justitia, pro castitate persecutionem patitur, bene is dicit: *Injuste persecuti sunt me, adjuva me.*

24. (Vers. 87.) Sequitur versus septimus: *Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.* Non superfluo divinum quæsivit auxilium, qui sciebat sibi adversus fortes esse certamen, pluraque sibi prælia præparata dimicaturo nunc adversus nequitias spiritales, quæ sunt in cœlestibus, nunc adversus calorem sanguinis, et innumeras corporis hujus illecebras, quarum nexu vario et diuturna colluctatione lassatus pudendo corruisset certamine; nisi fidei se radice tenuisset. Discamus cavere quem gerimus, hic nobis hostis domesticus, hic inimicus gravis est nostri ipsius usus corporis. Inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occursantis accenditur, spe alitur, desperatione uritur, illecebris exuritur, non evaporat effectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, lascivia dissolvitur, labore afficitur, sollicitudine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot adversarias passionum vices se etiam justus tenere vix possit, cum impares simus etiam singularum certamini? Quem vel sola libido non vindicet, quem non subjuget avaritia, quem formido non quatiat, quem luxuria non enervet, quem lascivia non emolliat, quem non supplantet ebrietas?

25. Quasi conscius igitur carnalis infirmitatis, et explorator persecutionis hostilis, dicit: *Paulominus consummaverunt me in terra.* In hac utique terra, in qua Adam primus corruit, et pudenda prolapsione dejectus, totius gressum futuræ posteritatis inflexit (*Gen.* III, 17). In hac terra, in qua Cain munera fraterna dolens suis esse prælata, ruina est stratus invidiæ. Denique vox fraterni sanguinis clamavit a

[a] Mss. non pauci, *æternæ gratiæ meritum*, etc.

[b] Voci *flagellatus*, Cod. Aud. et unus Nav. adjiciunt: *Time ergo qui semper vis esse prælatus.* Sed illud glossema esse quivis facile judicaverit.

Digitized by Google

terra (*Gen.* IV, 10). In hac terra Noe sanctus quem totius orbis diluvia in tantis procellis et fluctibus pervigilem probaverunt, ubi tamen otioso curas laxavit corpore, somnum ebrietatis [a] offendit, contumeliam paternæ pietatis incurrit (*Gen.* IX, 21 *et* 22), docens periculosa otia securæ esse virtuti. In hac terra Lot reverendi parentis imitator, quem non luxuriantis Sodomitanæ plebis decoloravit impuritas, non flamma Sodomæ ardentis involvit, veniabilis quidem ignorantiæ, pudendæ tamen commixtionis non evasit incestum (*Gen.* XIX, 32 *et seq*). Uritur iste flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit.

26. In hac terra etiam David propemodum consummatum se esse dixit. Siquidem pene motos pedes suos et gressus suos paulominus sensit effusos: quia divitias sæculares et successus corporalium prosperorum loco beatitudinis æstimavit peccatoribus abundare. Propter quod etiam flagellatus est; sed flagella justo remedia salutis sunt. **1113** *Castigat* enim *Dominus omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII, 6). Unde etiam David conversus ad Domini charitatem, atque in ejus eruditus præceptis, non ignorans quod caducis caduca fortuito quodam deferantur eventu, et quia non divitiarum abundantia, sed virtutum gratia vitæ probabilis merita pensantur, dilexit magis quam dereliquit mandata Dei, quibus solis potuit ingruentes nequitias spiritales, et insurgentes hujus corporis appetitus in hac tam fragilis naturæ infirmitate superare. Magna igitur virtus, quæ sub tantis persecutionibus constituta, et pene oppressa; tamen suum non est oblita præsidium, nec mandata Domini dereliquit.

27. (Vers. 88.) Ideo quia solum sibi Deum profuisse cognovit, preces ad Dominum dirigens, ait versu sequenti: *Secundum misericordiam tuam vivifica me: et custodiam testimonia oris tui* (*Sup. v.* 17). Quam vivificationem sui postulet, supra diximus; quia non id precatus est quod habebat, sed quod desiderabat, id est, ut viveret in æternum, intelligens vitæ beatitudinem in hoc fluctuanti et infido nobis corpore esse non posse, cujus imbecillitas propositum animæ derelinquat. Opus est ergo misericordia Dei, ut continua et perpetua sit in hoc corpore vivificatio; ut quotidie justus Deo vivat, peccatoque moriatur. Si enim culpa moriatur in nobis, erit vita Deo vivens, et custodia præceptorum cœlestium perseverans, quam utique ille custodit, qui vivificatur a Domino.

28. Denique vivificari se ante poscit a Domino, et postea custodiam testimoniorum cœlestium pollicetur; non enim communis hæc vita custodit cœleste mandatum, sed illa quæ munere fulcitur æterno per operationem gratiæ spiritalis. Possumus etiam sic intelligere: quia jam Propheta quæ erant Legis agnoverat, optat adventus Dominici misericordiam, ut accipiat præcepta, quibus Lex adimpleatur; ut non solum adulterium sciret esse vitandum, sed etiam concupiscentiam adulterii declinandam. Os enim Patris Jesus Dominus locutus est in Evangelio, eum qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, in corde suo adulterium perpetrasse (*Matth.* V, 28). Quantum Evangelio profecerunt studia castitatis, quo non solum turpioris facti, sed etiam studii degeneris ablegatur opprobrium!

29. Qui sunt autem de quibus dicit quod paulominus consummaverunt eum in terra, nisi persecutores? De quorum uno ait Dominus Jesus: *Ite, dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32), hoc est, de Herode. Et alibi cum se fraudulenter interrogari adverteret, dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ubi requiescant* (*Matth.* VIII, 20); eo quod fraudulenter in terrestrium passionum quibusdam latibulis demorentur. Unde etiam Samson binas vulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligavit faces, et dimisit eas per messes Allophylorum (*Judic.* XV, 4 et 5): per hanc figuram significans quod improbi ac fraudulenti homines, et maxime hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos: [b] aut litigiosa principia, finem vero fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque et trecentas vulpes dimisit, eo quod perfidi **1114** crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed mysterium ejus tenere non possunt, qui hac prædicatione composita et falsa atque simulata urere magis fructus conantur alienos; cum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fecundet. Meritoque scriptum est in Canticis canticorum: *Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas; ut vineæ nostræ floreant* (*Cant.* II, 15). Quo ostenditur, quod vel Dominus Jesus, vel Ecclesia, fraudulentorum dolos a vineis suis exterminandos esse præcipiant; ne pusillulis vineis noceant, [c] quia adultis jam vitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum.

## SERMO DUODECIMUS.

### ל. *Lamed.*

1. *Lamed* littera duodecima incipit, cujus interpretatio, *cor*, vel ut alia interpretatio habet, *servo*. Unde videtur admonere, vel prudenter hæc intelligenda, vel sollicite servanda præcepta. Nam hoc primus statim versiculus admonet. Cor etenim sibi mundum creari in superioribus hic Propheta, ut legimus (*Psal.* L, 12), postulavit. Cor sibi prudens dari oravit a Domino filius hujus Salomon. Qui ergo habet cor mundum, qui habet cor prudens, ipse intelligit seriem subditorum versuum, atque virtu-

[a] Omnes edit., *offendit* (*quando mediastino filio delirante*) *contumeliam*, etc. Verum quæ includuntur uncinis, prorsus in nullis cod. reperiuntur.

[b] Sic mss. omnes. Contra vero edit., *aut religiosa principia.* Minus bene; licet enim religionis speciem secessioni suæ obtendere soleant hæretici, non tamen absolute dici debent, maxime in concione ad populum, eorum *religiosa principia.*

[c] Mss. aliquot, *quia adultis jam viribus.*

Digitized by Google

tem (III *Reg.* IX, 9). Unde et alibi invenimus [a] cor A solum, id est, vel singulare, vel quod nulla illecebra hujus sæculi impediat, et carnis possit interturbare sapientia. Qui autem habet cor, servat mandata Dei: quemadmodum legisti de Maria, quæ conservabat omnia Domini Salvatoris in corde suo vel dicta, vel gesta (*Luc.* II, 51).

2. Circumcidamus ergo cor nostrum: nihil corporeum, nihil vile quæramus: vile autem omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil sæculare, nihil corporeum, nihil leve atque mutabile in eloquiis constituamus cœlestibus. *Eloquia* enim *Domini, eloquia casta* (*Psal.* XI, 7); ut his mysteriorum cœlestium immaculata et pudica sinceritas spiritali interpretatione resplendeat. Non adulterina quadam opinione misceamus terrena divinis, et illud inviolabile sacramentum propheticæ visionis, aut perennis oraculi naturæ nostræ æstimatione violemus. Ideo enim addidit: *Argentum igne examinatum, purgatum terræ, probatum septuplum* (*Ibid.*); ut tamquam boni nummularii spiritu examinemus prophetici sermonis argentum, secernentes Domini pecuniam, atque ab omni labe terrena salutaris fontis infusione purgantes; ut Christo digna sentire videamur, qui ait: *Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi ærugo et tinea exterminant.... sed thesaurizate vobis in cœlo* (*Matth.* VI, 19 et 20).

3. Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia: thesaurus tuus Christus est. Noli eum æstimare de terris, hoc est, de creaturis; quia Dominus totius creaturæ est. *Maledictus*, inquit, *homo qui spem habet in homine* (*Jerem.* XVII, 5): sed mihi salus per hominem venit. Vide tamen quid Scriptura vetus dixerit: *Et homo est, et quis cognoscet eum* (*Ibid.*, 9)? Ille igitur homo non humana mihi, sed divina potestate **1115** omnia peccata donavit, Deus in corpore Dominus Jesus, mundum reconcilians sibi, quem redimebat a culpa.

4. Thesaurus noster pretiosus intellectus est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, hæretica eum tinea, et impietatis ærugo consumet. Levemus ergo et erigamus sensus nostros, nec impossibile judicemus, ut hæc humani corporis infirmitas ad cognitionem mysteriorum cœlestium provehatur; cum jam ad nos Dominus Jesus, in quo absconditi erant scientiæ sapientiæque thesauri, divina sua miseratione descenderit; ut clausa reseraret, aperiret latentia, revelaret occulta. Veni ergo, Domine Jesu, aperi nobis et istius prophetici sermonis januam; multis enim clausa est, etsi prima specie aperta videatur.

5. (Vers. 89.) *In æternum*, inquit, *Domine, permanet verbum tuum in cœlo.* Vides etiam in te permanere debere, quod etiam in cœlo permanet ac perseverat. Serva ergo verbum Dei, et serva in corde tuo, et ita serva, ne obliviscaris. Serva legem Domini, et meditare; ne justificationes Domini de tuo corde labantur. Docet te litteræ interpretatio, ut serves diligenter. Docet te Propheta in subditis, dicens: *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea. In æternum non obliviscar justificationum tuarum* (*Inf. v.* 92 *et* 93). Legis ergo meditatio facit, ut tempora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus adversis, sustinere et tolerare possimus; ut neque humiliato nimis, neque dejecto frangamur affectu. Denique Dominus non frangi nos humilitate usque ad desperationem vult, sed usque ad correptionem.

6. Unde et Hieremias propheta sub hac littera in B Threnis ait: *Ut humiliaret sub pedibus omnes vinctos terræ, et declinaret judicium viri contra faciem Altissimi, ad condemnandum hominem, cum judicatur,* [b] *Dominus non dixit* (*Thren.* III, 34 *et seq.*). Et infra: *De ore Altissimi non exibunt mala* (*Ibid.*, 38). Humilitas ergo quæ a Domino est, plena justitiæ, plena est æquitatis; quia non exeunt mala de ore Domini. Denique qui humiliabatur a Domino, dicebat: *Humiliatus sum, et salvum me fecit* (*Psal.* CXIV, 6).

7. Ergo sicut prudenter considerandum est, quando humilitas a Domino sit causa probationis, quando etiam ipsa ab homine inferendæ humilitatis impressio, quæ tamen ipsa solet patientia et magnanimitate tolerari: ita etiam sapienter considerandum quid sit, in æternum in cœlo verbum Domini per- C manere: vel sicut aliqui codices habent, *in sæculum*, quia Græcus εἰς τὸν αἰῶνα posuit, quod diverse interpretati sunt translatores: alii *in æternum*, alii *in sæculum. In sæculum* ergo *permanet, Domine, verbum tuum in cœlo.* Et quomodo ipse dixisti: *Cœlum et terra transibunt: verba autem mea non præteribunt* (*Matth.* XXIV, 35)? In sæculum permanet verbum, non ultra sæculum et sæcula; sæcula enim temporis sunt. Cœlum ergo et terra, id est, istius mundi opera præteribunt, et tempora permanebunt. Alius qui spiritalis est, et dijudicat **1116** verba legis: *In æternum*, inquit, *Domine, permanet verbum tuum in cœlo. Æternitas* enim verbi manentis opinionem verbi prætereuntis excludit. Quomodo autem permanet verbum in cœlo, si ipsum cœlum præterit? Et quo- D modo possunt stare culmina, si cedant fundamenta? Aut quomodo potest permanere habitator in habitatione sua, nisi et habitatio perseveret? Sed forte illud occurrat, quia scriptum est: *Erit cœlum novum* (*Esai.* LXV, 17). Verum nec sic absolubile; quia nec in hoc potest permanere quod præterit, nec illud potest dici mansisse, quod cœperit. Tinea intellectum tuum scindet, si putes verbum sicut cœlum, vel incipere, vel præterire.

[a] Rom. edit. sola, *cor unum, vel cor aliud, quod nulla.*, etc. Nimirum ut Ambrosii verba magis accederent ad illud Ezech. XXI, 19: καὶ δώσω αὐτοῖς καρδίαν ἑτέραν. Sed eone vir sanctus respexerit, non ita liquet.

[b] *Dominus non dixit*, quod habent edit. omnes, in mss. nonnullis prætermittitur; in majori autem numero ita legitur, *cum judicatur Dominus. Nam dixit et infra*, etc. Verum integritas sensus ac testimonii prophetici cum aliis, atque edit. facit.

Digitized by Google

8. Unde si virtutem prophetici sensus cognoscere volumus, primum in his quæ visibilia et sensibilia sunt [a] ethicum consideremus; ut ex eo quæ sunt intelligibilia manifestemus. Si verbum Dei in cœlo permanet, imitemur cœlum ubi permanet verbum, permanet ordo solemnis cœlestium statutorum, et beneficiorum Domini crebræ vices solemnibus muneribus perseverant. Supernis nempe vel pluviis, vel calore, vel fotu aeris hujus infunditur terris atque alitur larga fecunditas. Cœlo annus labitur per dies, ac menses, et tempora autumni atque hiemis, veris quoque et puræ digestus æstatis. De cœlo vitæ tuæ imaginem cape. Etiam quando non germinas fructum, sere tamen semen ad fructum. Sunt semina quæ de cœlo sunt, et seruntur in terris. Est etiam superna vindemia; unde ait Propheta : *Serite vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum* (*Ose.* x, 12). Et quando non florent opera tua, fove tamen semina tua, ne lasciviendo luxurient. Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur et hebetatur in fructu. Fructus ipsos usque ad maturitatem decoque.

9. Imitatores etiam ipsius cœlestis simus elementi : non semper sole fervet ardenti, frequenter nubibus texitur, pluviis vehementibus inhorrescit, jactis nivibus tegit terram. Non ergo sit in te quoque diuturna lascivia, succedant mœsta senilium curarum tempora, et tamquam incana maturitas agrum hunc tui corporis reprimat. Utilior sæpe tristitia est, quæ comitem solet habere gravitatem. Numquid ulla in ipso est sole prævaricatio? Nonne quotidianos cursus suos servat? Numquid [b] continuos novit luna defectus, et commissi munus deserit ministerii? Iisdem nempe vicibus annus redit, eodem statu reparantur tempora, iisdem obsequiis reformantur. Sol diem illuminat, tempora statuta custodiens. Fulget splendoribus luna nocturnis, et lux ejus in tenebris micat. Stellarum nitentium rutilat globus, solemnique statione et conversione ac demutatione funguntur. Lex una diversis, constitutorum semel vices cursuum custodire, nec fines transire præscriptos. Manet ipsa immutabilis demutatio, et conversio vertere ordinem suum nescit. Una omnium obedientia, discretis muneribus indiscretam præscriptæ constitutionis tenere concordiam.

II 1117 10. In cœlo ergo permanet Verbum quia satanas de cœlo cecidit : non habebat in cœlo locum, propterea cecidit. Quo cecidit nisi in terras? Ideo hic adulteria, homicidia, ebrietates abundare cœperunt. Inde exclusus acrior ad nos venit, et tentationes solito asperiores tamquam iratus exercet. In cœlo igitur permanet Verbum; quia inde dejectus est diabolus : in terra non permanet; quia huc totus advenit. Et vide utrum hic permanere Verbum possit in nobis, ubi tantos laqueos diabolus aspersit, qui dum esset in cœlo, nec ibi Verbum poterat permanere. Denique quia et ipse Verbum non tenuit, cecidit e cœlo.

11. In cœlo ergo Verbum permanet, et quod secundum Verbi dispositionem regitur et gubernatur. Sed quia et ipsum cœlum præterit, ideo non dixit in sæcula permanere, sed *in sæculum* : quamquam prætereat, ut fiat novum cœlum, et nova terra, novum testamentum; ut facie ad faciem gloriam Domini videre possimus.

12. Veruntamen quia et in cœlo fuit vitiis locus (nam utique non cecidisset inde adversarius, nisi in criminibus deprehensus, nam et stultus sicut luna mutatur, et cœlum ipsum tenebris obducitur) videtur utique non de elemento dictum, sed de Virtutibus Potestatibusque cœlestibus. Sunt enim sanctæ Virtutes in cœlo, in quibus nihil lubricum atque terrenum sit. Sunt etiam in terris cœli, qui enarrant gloriam Dei. Qui sunt isti cœli? Audi dicentem : *Sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus cœlestis* (I *Cor.* xv, 49). Isti igitur sunt cœli, qui etiam in terris positi audent dicere : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Isti sunt cœli, in quibus fides, gravitas, continentia, doctrina, vita cœlestis est. Nam quemadmodum terra dictus est, qui lapsus ex illa prævaricatione cœlestis gratiæ, et in hæc terrena vitia dejectus, prævaricationis suæ se vinculis ligavit : ita e contrario cœlum dicitur, qui vitam angelorum custodia integritatis exercet, et corpus suum continenti sobrietate moderatur, mentem quoque suam miti tranquillitate componit, pecuniam pauperibus misericordi liberalitate dispensat. Est ergo et in terris cœlum, in quo possunt virtutes esse cœlestes. *Cœlum mihi thronus* (*Esai.* LXVI, 1), ego magis justi affectum quam elementum intelligo. Illum puto cœlum, ad cujus animam venit Christus, et pulsat januam, et si aperuerit, ingreditur. Nec solus ingreditur; sed etiam cum Patre, sicut ipse ait : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23).

13. Vides igitur quod Verbum Deus et otiosum provocat, et dormientem excitat. Qui enim venit, et januam pulsat, vult semper intrare. Sed in nobis est quod non semper ingreditur, non semper manet. Pateat advenienti janua tua, aperi animam tuam, expande gremium mentis tuæ; ut videat divitias simplicitatis, thesauros pacis, suavitatem gratiæ. Dilata cor tuum, occurre soli lucis æternæ, quæ illuminat omnem hominem. Et illud quidem verum lumen omnibus lucet : sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudabit. Excluditur ergo et Christus, si tu mentis tuæ januam claudas : etsi possit

[a] Edit. vet., *Et hic eum locum consideremus.* Rom., *eum consideremus.* Mss. nonnulli, *et hic cum loco consideremus.* Alii vero frequentes ut in contextu. Et eam lectionem germanam esse illud confirmat, quod extemplo ad sensum moralem sermo convertitur, a quo deinde transitus fit ad intelligibilem, seu mysticum. Porro hæc varietas non aliunde orta videtur, quam ab ignorantia Amanuensium qui unicam vocem *ethicum* in duas vel tres præpostere diviserunt.

[b] Omnes edit., *continuos non novit;* sed melius negatio præmittitur in mss.

Digitized by Google

intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere. Ortus ex virgine processit ex alvo, universa totius orbis irradians, ut luceret omnibus. **1118** Capiunt, qui desiderant fulgoris perpetui claritatem, quam nox nulla interpolat. Soli enim huic quem quotidie cernimus, nox tenebrosa succedit; sol autem justitiæ numquam occidit, quia sapientiæ non succedit malitia.

14. Beatus ergo ille, cujus pulsat januam Christus. Janua nostra fides est, quæ totam domum, si fuerit robusta communit. Per istam januam Christus ingreditur. Unde et Ecclesia dicit in Canticis: *Vox fratris mei pulsat ad januam* (*Cant.* v, 2). Audi pulsantem, audi introire cupientem: *Aperi mihi, soror mea Sponsa, columba mea, perfecta mea, quia caput meum repletum est rore, et crines mei guttis noctis* (*Ibid.*). Considera quando maxime pulsat januam tuam Deus Verbum, cum repletum est caput ejus rore nocturno. In tribulatione etenim et tentationibus positos visitare dignatur; ne quis forte succumbat victus ærumnis. Repletur ergo caput ejus rore, vel guttis, quando corpus ejus laborat. Tunc ergo vigilandum; ne cum Sponsus venerit, recedat exclusus. Si enim dormias, et cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset: si cor tuum vigilet, pulsat, et aperiri sibi januam poscit. Habemus ergo animæ nostræ januam, habemus et portas de quibus dictum est: *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Psal.* xxiii, 7). Est ergo et cœlum in his, in quibus portæ sunt æternales. Si has fidei tuæ portas velis attollere, intrabit ad te rex gloriæ, triumphum portans propriæ passionis. Habet etiam justitia portas. Nam etiam de his legimus scriptum, dicente Domino Jesu per Prophetam suum: *Aperite mihi portas justitiæ* (*Ps.* cxvii, 19). Et infra ait propheta David: *Lauda, Hierusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion; quoniam confortavit seras portarum tuarum* (*Ps.* cxlvii, 12 *et* 13).

15. Est ergo anima quæ habet januam, est quæ habet portas. Ad hanc januam venit Christus et pulsat, pulsat et portas. Aperi ergo illi: vult introire, vult Sponsam invenire vigilantem. Noli bono amatori facere moras, cito recedit: et tu somno corporis tui videris exclusisse pulsantem. Excludis enim eum, cum desidiosus es, cum piger, cum somnolentus, his repagulis Christus excluditur; etsi castus, etsi sobrius sis, cave ne negligens sis. Majorem Christo facit injuriam, qui advenientem repellit.

16. Nonnunquam etiam, si moraris, mittit manum suam per fenestram, sicut ait Sponsa: *Frater meus misit manum suam de prospectu, et venter meus conturbatus est super eum. Exsurrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distillaverunt myrrham: digiti mei myrrha pleni* (*Cant.* v, 4 et 5). Primum ergo tamquam a prospectu mittit manum suam, quando Deus esse operibus æstimatur. Unde ait: *Si mihi non creditis, vel operibus credite* (*Joan.* x, 38). Deinde augetur amor, et intimis visceribus conceptus inolescit. Inde intelligibili utero, in quo est receptaculum verbi, seminibus ejus infusis, plenitudinem ejus corporaliter inhabitantem haurire anima nostra desiderat. Non enim turbatur uterus feminarum, nisi quæ fuerint alvo graves.

17. Surgit igitur anima, ut aperiat Dei Verbo, sed dum se expandit atque aperit; ut opera mundi hujus verbi receptione mortificet, sicut ille qui ait: *Mortificationem Domini Jesu in corpore nostro circumferimus* (II *Cor.* iv, 10). Ergo dum aperit, transivit Sponsus. **1119** Vult enim semper quæri, frequentius inveniri, et si clausam invenerit januam, pulsat, et si per moram fuerit exclusus, recedit. Sed cito redit, et iterum pulsat; ut vel postea sponsam inveniat præparatam. Potest quidem et sic accipi: *Frater meus transivit* (*Cant.* v, 6), sicut legimus, quod penetravit dilectæ intima medullarum, et quemadmodum ad Mariam dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius; ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc.* ii, 35). Denique addidit Sponsa animam suam exisse in verbo ejus, quod fit quando anima peregrinatur a corpore, et Deo præsens est (*Cant.* v, 6).

18. Explanavimus igitur, ut potuimus, quid esset: *In æternum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo.* Possumus tamen et sic intelligere, quia in cœlo magis permanet in æternum, ubi Angeli et Archangeli, Cherubim et Seraphim; quoniam homines quamvis sancti sunt, tamen affectus eorum sæpe mutatur. Nunc gaudemus, continuo mœremus, irascimur, ingemiscimus. In ipsa pœnitentia non vult nos satis constritari Apostolus, ne tristitia absorbeamur (II *Cor.* ii, 7). Ubi ergo iracundia, ubi tristitia gravis, non permanet ibi Verbum. Denique de solo Domino Jesu dictum est a Joanne quia *Vidit........ Spiritum sanctum descendentem de cœlo sicut columbam, et manentem super eum* (*Marc.* i, 10). Nam et prophetæ non semper prophetabant, sed cum infunderet his gratiam Spiritus prophetandi. Denique nec David præscivit quid annuntiaret Nathan missus a Domino, et utique inferior Nathan propheta cognovit quod David præstantior nesciebat (II *Reg.* xii, 5 *et seq.*). Et alius dixit propheta: *Celavit me Dominus* (IV *Reg.* iv, 27). Unde et plerique accipiunt in cœlo permanere Dei Verbum, in Potestatibus cœlestibus, in quibus non sunt affectuum varietates. Aliqui autem de ipsa accipiunt Trinitate, quæ sola immutabilis sit; et ideo in cœlo permanet Verbum, id est, in Patre, quia Verbum dixit: *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* xiv, 10).

19. (Vers. 90.) *In generationem et generationem veritas tua.* Multi sunt qui dicuntur dii, sed non sunt. Ergo in gentibus mendacium est; in Ecclesia veritas. Hanc tamen veritatem habuit primo Synagoga, quæ habebat eloquia Dei; est enim veritas et in veteri Testamento, quæ fuit ante in populo Judæorum. *Notus enim in Judæa Deus* (*Ps.* lxxv, 1). Deus autem veritas est, ergo in Judæa veritas. Fuit igitur veritas in patribus, Moyse, et Jesu Nave, in Samuel, in David, Elia, Elisæo, et in illis septem millibus virorum

Digitized by Google

qui non curvaverunt genua Baal. Sed quia posterior soboles Judæorum a patrum moribus deviavit, recessit ab illis veritas, et ad Ecclesiam venit. Recessit enim ab illis, quando dixerunt de Domino Jesu : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15); tradiderunt enim veritatem, et elegerunt iniquitatem. Omnes ergo aliæ generationes veritatis exsortes, omnium hæreticorum generationes non tenent veritatem : sola Ecclesia veritatem pio affectu possidet; quia generatio Judæorum, quæ ante eam possidebat, amisit. Populus ergo Judæorum prior fidei generatio, et ideo infantior et infirmior, qui lubrico adolescentiæ stare non **1120** potuit; populus autem Christianus fidei secunda generatio; ideo robustior, et venerabili maturior senectute. Illa generatio Legis, hæc gratiæ. Unde et alibi ait : *In generationem et generationem annuntiabunt veritatem tuam* (*Psalm.* LXXXVIII, 2).

20. Sequitur versus tertius : *Fundasti terram, et permanet. Dispositione tua permanet dies.* Quomodo fundaverit Deus terram Scriptura nos docuit, dicente Propheta : *Deus sapientia fundavit terram, paravit autem cœlos in intellectu* (*Prov.* III, 19). Terra ergo tamquam fundamentum est, in qua consistimus; licet [a] ipsam in hemicyclo cœli esse, et is qui foris est sermo concelebret, et Scriptura significare videatur, dicente Job : *Suspendens terram in nihilo* (*Job.* XXVI, 7). Includitur ergo orbe cœlesti; et ideo sol noctibus non videtur, quia gyrando inferiore invenitur orbis parte cœlestis. Sed non est cura sanctis axem cœli, et elementorum spatia philosophico more, numerosque describere (quid enim hoc prodest saluti) quia sancti spiritalibus semper intendunt, et vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere.

21. Denique hunc locum pulchre nobis aperuit Ecclesiastes spiritalem esse, non materialem, dicens : *Quæ abundantia homini in omni labore suo quo laborat sub sole? Generatio vadit, et generatio venit, et terra stat in sæculum* (*Eccle.* I, 3 *et* 4); hoc est, quæ abundantia spiritali homini laboranti sub sole justitiæ? Et subjecit : *Generatio vadit, et generatio venit.* Vadit generatio, quia *divites eguerunt et esurierunt* (*Psal.* XXXIII, 11). Qui ante abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere cœperunt. Qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem Christi satiantur et abundant, sicut scriptum est : *Edent pauperes, et saturabuntur* (*Ps.* XXI, 27). Audierunt enim dicentem : *Abundantes...* [b] *in omni verbo* (I *Cor.* I, 5), non in pecuniis utique, non in auro et argento, sed *in omni verbo*, inquit, *et cognitione* (*Ibid.*). Et alibi ait : *In divitiis simplicitatis* (II *Cor.* VIII, 2). Hæ divitiæ sunt salubres; nam copiæ sæculares salutem afferre non possunt. Qui autem habuerit abundantiam spiritalem, hujus terra fructifera stat in sæculum, bene fundata radice virtutum, vel anima bonos utique germinans fructus, vel caro nullis cupiditatibus mobilis ad prolapsionem.

22. Hanc terram circuit sol justitiæ salutaris, de quo scriptum est : *Et oritur sol, et occidit, et in locum suum trahit. Ipse oriens illuc vadit ad austrum, et gyrat ad aquilonem :* [c] *gyrando gyrat Spiritus, et in gyros ejus convertitur Spiritus* (*Eccl.* I, 5 *et* 6). Oritur sol justis, occidit autem injustis : oritur tranquillitati piæ mentis, occidit iracundiæ. Unde ait : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). Hinc potest colligi quia iisdem oriatur et occidat, quorum et vitia sepeliat, et illuminet gratiam. Mortuus est enim peccato, ut Deo viveret; hoc est, peccato sumus in illo mortui, ut Deo in perpetuum viveremus. Vide ipsum mysterium prænuntiatum. *Et oritur*, inquit, *sol, et occidit, et in locum suum trahit.* Hoc est quod ait Dominus : *Cum exaltatus fuero..... omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII, 32). Traxit enim ad se omnium studia, ut vel peccata nostra crucifigeret, vel bonum **1121** ingenium ad justitiam provocaret. Adverte quemadmodum trahat ad se : *Pater..... volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Et ad latronem ait : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Adverte quomodo omnia trahat. Exaltatus est cruce, et totus credidit mundus.

23. *Ipse oriens*, inquit, *vadit ad austrum, et gyrat ad aquilonem.* Ille utique oriens, qui ait : *Oriens nomen est mihi* (*Zach.* VI, 12) : qui semper oritur piis, numquam occidit. Ipse oriens populo Hebræorum ad austrum ivit, ad molliorem populum, luxuria magis ferventis corporis lubricum, quam impietatis immanitate prædurum : aut certe ad nobiliorem plebem, quæ erat genus electum, vindicans sibi patriarcharum prosapiam. Sed quia perseverabat in vitiis, nec emendabat errorem; ideo sol justitiæ gyravit ad gentes, quæ ante eloquiis cœlestibus defraudatæ, [d] immanes et ignobiles habebantur; aquilo enim gravis ventus, ut populus nationum. Sed qui erant graves ante perfidia, nunc super aquilas leviores facti sunt fide, atque pietate, posteaquam venit qui diceret : [e] Ab aquilone adduc (*Esai.* XLIII, 6). Et in Evangelio : *Venient ab Oriente et Occidente, et ab*

[a] Edit. Rom., *licet ipsam in meditullio cœli*, etc. Vet. ac mss., *in hemicyclo*, nonnulli, *in hemicyclio.* Nihil autem aliud vult sanctus noster, nisi terram, *in qua consistimus;* hoc est, hemisphærium nostrum mediæ tantum parti orbis cœlestis respondere; ideoque solem, ubi ad aliam transierit, a nobis non posse videri. Cæterum per ea quæ subjungit verba, *et is qui foris est sermo*, philosophicas ratiocinationes designari ab Ambrosio jam non semel licuit advertere.

[b] Omnes fere mss., *in omni bono, non in pecuniis utique.*

[c] Ita edit. omnes, quibus accedunt mss. non pauci. Octo tamen probatæ manus legunt : *gyrando gyrat Christus, et in gyros*, etc.

[d] Mss. non pauci, *inanes et ignobiles habebantur.*

[e] Rom. edit. sola, *Ab oriente adducam semen tuum; et ab occidente congregabo te : dicam aquiloni, adduc; et africo, ne prohibeas.* Verum ut maxime probabile sit eo respexisse Ambrosium nostrum, videtur tamen non tam ipsa prophetæ verba voluisse proferre in medium, quam locum veluti extremo digito indicare.

Digitized by Google

*Aquilone, et Austro, et recumbent cum Abraham in regno* A *Dei* (*Luc.* XIII, 29). Et ecce sunt novissimi, qui erant primi : et sunt primi, qui erant novissimi (*Matth.* XX, 16). Denique et ipse Psalmista ait : *Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni* (*Psal.* XLVII, 3) ; hoc est, qui erant aquilonis latus, populus factus est Regis æterni, qui solus est magnus Dominus.

24. Sed forte dicas : Quomodo in Canticis est : *Exsurge, aquilo ; et veni, auster* (*Cant.* IV, 16). Plerique enim accipiunt quasi projiciatur aquilo, et invitetur auster. Quod si ita accipiunt : exturbatur ab Ecclesia perfidiæ glacialis asperitas : *Ne fiat fuga nostra hieme, vel sabbato* (*Matth.* XXIV, 20), et invitatur australis verna temperies. Aut certe : *Exsurge, aquilo*, hoc est, *surge, qui dormis, et exsurge a mortuis* B (*Ephes.* V, 14). Populus nationum, qui diu ante dormisti, evigila aliquando, et illucescet tibi Christus. Postremo omnes invitantur ad Ecclesiam, et Synagogæ populus, et gentilium : sed prius Synagogæ; quia priores ex Judæis apostoli crediderunt, per ipsos postea nationum populi congregati sunt.

25. Vide ergo venientem solem nostrum ad austrum, postea gyrantem ad aquilonem. *Hierusalem, Hierusalem* (venit utique ad eam, quam etiam vocare dignatus est ; sed hæc Hierusalem terrena est, quæ occidit prophetas, hoc est, Synagoga Judæorum), *quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, et noluisti ! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Gyravit igitur se ad gentes : gyrando autem gyravit C Spiritus Dei, et in gyro suo conversus est; ut fieret Deus omnia, et in omnibus. Ideo sanctus cœlum dicitur, quia vicinior eum claritas solis semper illustrat. Habet splendorem suum domesticum ; ut tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesia et cœlum dicitur, et mundus, quod habeat sanctos angelis et archangelis comparandos, habeat etiam plerosque terrenos. Dicitur et orbis terrarum, qui est fundatus super maria, et super flumina præparatus. Denique quasi orbis terrarum dicit Ecclesia : **1122** *Nolite aspicere me, quoniam fusca sum ; quia non respexit me sol* (*Cant.* I, 5); eo quod velut pruinis hiemalibus, geluque constrictam gentilis erroris congregationem gentium Sol justitiæ diu indignam æstimaverit, quam serena vultus sui luce lustraret. Nonne tibi D videbatur hiberni rigor temporis, quando notus erat in Judæa tantummodo Deus? Nunc autem plenitudo lucis effulget æstivæ, quando omnia et in omnibus Christus. Nonne terra Domini, et plenitudo ejus? Et vere orbis terrarum in Ecclesia, in qua non Judæus tantummodo aut Græcus, non Barbarus aut Scytha, non servus aut liber : sed omnes in Christo unum sumus. Sol omnibus fulget, dies omnibus lucet.

26. (Vers. 91.) Ideoque ait : *Dispositione tua permanet dies*. Nam nisi ita accipias, quomodo permanet dies; cum post breve momentum diei sequatur occasus, et fiat noctis successio? Sed sunt quibus semper dies est, illis utique quibus Christus adest, qui dicit : *Ambulate, dum lucem habetis* (*Joan.* XII, 35). Hic est dies quem vidit Abraham, dies remissionis peccatorum (*Joan.* VIII, 56), de quo legis : *Hic est dies quem fecit Dominus, exsultemus et lætemur in eo* (*Psal.* CXVII, 24). Sunt ergo sancti, quibus sol numquam occidit : quia Dominus lux eorum est, sicut scriptum est : *Et erit illis Dominus lumen æternum* (*Esai.* LX, 19).

27. Et expressit causam permanentis diei, atque subtexuit : *Dispositione tua permanet dies ; quoniam universa serviunt tibi.* Videtur itaque significare futurum illud, quando *Nox non erit amplius*, *et non indigebitur lucernæ, vel solis lumine ; quoniam Dominus illuminabit eos* (*Apoc.* XXII, 5). Qui sint illi supra ait, dicens : *Et servi ejus servient ei* (*Ibid.*, 3), hoc est, Domini facient voluntatem. Nunc enim non omnes servimus : *Cum* autem *tradiderit regnum Deo et Patri.... tunc subjecta erunt omnia ei* (I *Cor.* XV, 24, 28), qui sibi universa subjecit, acquirens omnium fidem per unigeniti passionem. Subjectio igitur mentium facit sedulam servitutem. Ergo cum omnes crediderint in Dominum Jesum, tunc universa Deo servient; ut sit Deus omnia, et in omnibus : nunc autem non omnes servi Dei; quia plerique servi peccati. *Qui* enim *peccatum facit, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Dominus autem non vult cum aliis consortium habere dominatus. Permanet ergo dies immutabilis. Potuit ergo dicere, permanebit : sed prophetis futura pro præsentibus præsto esse videntur in spiritu.

28. (Vers. 92.) Sequitur versus quartus : *Nisi quia Lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.* Lucebat Propheta ut dies, cui meditatio Lex erat; etenim oleum luminis accipiebat ex Lege. Denique ne corpore mortis lux diei posset exstingui, ambulabat in Lege, ideo ambulabat in lumine. *Alioquin*, inquit, *periissem in humilitate mea.* Humilitas non semper virtutis est, sed etiam afflictionis; hoc est, non semper voluntaria, sed quæ etiam ex necessitate suscipitur, quando aliqua afflictione tentamur. Alioquin nemo perit in humilitate, quæ magis servare consuevit. Ergo quando in afflictionis tempore sumus, et quatimur adversis, meditatio nobis in lege sit; ne imparatos procella tentationis affligat. Athleta nisi **1123** exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Ungamus igitur oleo lectionis nostræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitii usus in quadam cœlestium Scripturarum palæstra, artusque animorum nostrorum salubris spiritalium ferculorum esca confirmet ; ut cum adversarius assistere cœperit, et [a] pulvere nos suæ tentationis asperserit, stemus intrepidi, nitamur non ut in incertum, nec ut aera cædentes. Melius percutimus verberati, si percutienti maxillam alteram præbea-

[a] Translatum ex arena : de quo vide notam ad calcem col. 560.

Digitized by Google

mus, si vindictam non requiramus : sed ei qui dixit : *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* xii, 19), causam vindictæ integram reservemus. Cædimus aerias potestates, si nos ipsos castigare noverimus. Castigabat carnem suam Paulus, ut adversarios verberaret : et servituti redigebat corpus suum, ut dominaretur inimicis (I *Cor.* ix, 27). Exerceamur igitur indefesso meditationis usu, exerceamur ante certamen ; ut simus certamini semper parati : et cum frequentior adversarii ictus ingruerit nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis ægritudine, nunc mœrore animi, nunc terrore mortis, et acerbitate pœnarum ; dicat unusquisque nostrum, qui potuerit sustinere ac perpeti : *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.*

29. Quanta simul coacervata sunt ; ut in illa afflictione Job sanctus periret ? Sed quia patriarcharum moribus informatus, oraculorumque cœlestium, et naturalis legis erat [a] institutione formatus, ideo in tentationibus tantis perire non potuit. Denique cum amisisset tam amplas subito facultates, charissimos filios, quasi is cui meditatio quotidiana esset in lege divina, ait : *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus ibo eo. Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job.* i, 21). Perfusus etiam corporis totius ulceribus, cum tentaretur uxoris alloquiis, qui meminisset Adam sic esse dejectum, dum propriæ credidit uxori, respondit : *Sicut una ex insipientibus mulieribus locuta es* (*Job.* ii, 10). Quod si illam quasi sapientem voluisset audire, ipse sapiens non fuisset. Tentatus etiam diversis alloquiis amicorum (*Job.* xix, 3), cum fidei stabilis, immobilisque patientiæ præmia meruisset a Domino, nonne dicebat : *Nisi quia Lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea?*

30. Quam grate hoc dicit hodie, qui in martyrio plurima flagella sustinuit, equuleo et ungulis, plumbo, laminis ardentibus, gladio comprobatus? Potuit enim perire, nisi meditatus in Lege, graviora præsentibus futura supplicia credidisset.

31. Quanta sanctus Joseph pertulit, quam acerba, quam dura! Primo fratrum odia (*Gen.* xxxvii, 28), degeneris servitutis ærumnas, parentibus defraudatus, ablegatus exsilio, negotiatorum vernula, et Ægyptii ignobilis vile mancipium. Quæ potuit nobilis prosapiæ puero gravior esse tentatio, quam ut tanto familiæ splendore dejectus, serviret apud A Ægyptios? Est consolabilis servitus, servire 1124 vel justis. Æquitate domini levatur injuria servitutis. Tanto igitur genere dejectus, satis gratum habebat, [b] si ministro regio suum obsequium probaretur. Ne hoc quidem satis fuit ad tentationis acerbitatem : redit adversarius ad suas artes, notasque vires suas omni fraude commovit ; ut per mulierem laqueos innoxiæ necteret conscientiæ. Concitavit in eum libidinis stimulis uxorem domini sui (*Gen.* xxxix, 12), quæ adulterinos a servulo concubitus flagitaret : ut si acquiesceret, crimen impleret : si recusaret, incideret offensam, [c] nexum calumniæ non evaderet. Denique trusus in carcerem (*Ibid.*, 20), et innocens inter noxios æstimatus, ab eo amplius cœpit urgeri, cui fidem suam cum periculis præstitisset. Sed quia B contumeliæ virum frangere nequiverunt, mutata est tentatio, [d] longe asperior specie prosperorum. Plurimos enim supplantaverunt secundæ res, quos supplicia acerba non fregerant. Producitur e carcere nutu regio, interpretatur somnium, eligitur ut honore præstantior esset omnibus Ægyptiis, regi secundus, esurientibus populis alimenta divideret (*Gen.* xli, 14, 8 *et seq.*). Objiciuntur ei fratres, qui eum ad servitutis injuriam non fraterno amore vendiderant : ut vel contumeliæ et appetitæ salutis dolore tentatus excuteret germanitatis affectum (*Gen.* xlii, 6 *et seq.*). Sed vir justus oblitus est contumeliam, cumulavit gratiam ; eoque se magis fratrem voluit exhibere, quo fratres ipse non fuisset expertus (*Gen.* xliv, 2 *et seq.*). Denique hoc munere [e] et C fratres recepit, et patrem pia fraude quæsivit. Quid igitur aliud melius diceret sanctus Joseph, quam istud ad Dominum : *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea?*

32. Fertur prophetæ cuidam (et plerique [f] ferunt quod Esaiæ in carcere posito) cum mole imminentis urgeretur exitii, dixisse diabolum : Dic quia non a Domino locutus es quæ dixisti, et omnium in te mentes affectusque mutabo ; ut qui indignantur injuriam, absolutionem conferant. Sed ille gratius judicavit pro veritate supplicium, quam pro adulatione beneficium. Quod utique non fecisset, nisi meditatione Legis fuisset exercitatus.

33. Sit ergo nobis quotidiana lectio pro exercitio, ut quæ legimus, meditemur imitari. In hac desudemus D virtutum palæstra ; ut cum increpuerint tentamenta, [g] non tamquam inexercitatos, non tamquam expertes spiritalium ciborum, et attenuatos jejunio lectionis, tentationum tempus inveniat. Quod si

[a] Rom. edit., *institutione firmatus.*

[b] Mss. aliquot, *si ministerio regio.* Et post pauca, ubi omnes edit., *totasque vires suas*, omnes mss. legunt, *notasque vires suas.*

[c] Sic omnes mss. ac vet. edit.; Rom. vero reposuit, *noxam calumniæ.*

[d] Mss. sex haud malæ notæ : *longe asperior acie prosperorum.* Non absurde. Diabolus enim primo adversa, dein prospera quasi diversas acies instruere in electos solet.

[e] Sic edit. omnes, ac mss. aliquot. Alii vero plures, neque deteriores : *Et patrem recepit, et fratrem pia fraude quæsivit.*

[f] Hic evidenter innuit Ambrosius communem scriptorum sui temporis fuisse opinionem, Esaiam jussu Manassis regis in duas partes sectum occubuisse. Sed huic sententiæ quidam cum Tostato refragantur, quibus proinde relata ab Ambrosio diaboli verba de alio propheta explicanda sunt.

[g] Omnes edit., *non tamquam inexpertes* ; melius omnes mss., *non tamquam expertes*, id est, non tamquam privatos.

Digitized by Google

[a] athleticis epulis pastam animam nostram potuerit A invenire : si sit Evangelicus succus in nobis : si apostolicis escis maturitas nostræ mentis toros, animæ robusta solidaverit : si frequenti meditatione memoria tenax præceptorum cœlestium parata ad tempus exempla deprompserit, nulla tentationum poterit nos perturbare congressio.

34. (Vers. 93.) Sequitur versus quintus : *In æternum non obliviscar justificationum tuarum; quoniam in ipsis vivificasti me.* Lex secundum Apostolum pædagogus **1125** est parvulorum, donec ad perfectæ fidei maturiorem quamdam veniamus ætatem (*Galat.* III, 24). In Lege autem mandata sunt, justificationes, testimonia, justitiæ, præcepta. Vivificamur ergo in Lege; unde et ait Apostolus : *Lex autem non est ex fide : sed qui facit illam, vivet in ea* (*Ibid.*, 12). B Sed quia idem supra ait : *Quoniam in Lege nemo justificatur* (*Ibid.*, 11), intelligis utique quia justificatio Legis species est et imago, non veritas. Secundum veritatem ergo ad perfectionem nemo justificatur in Lege, secundum speciem justificatur. Ergo sanctus Propheta, qui adhuc in Legis justificationibus vivebat, [b] videbat autem fulgorem Evangelii ; quasi memor veteris disciplinæ, Legi tamquam pædagogo utili gratiam reservabat. Considera aliquem excedentem ex ephebis in divitiis et honoribus constitutum, pædagogo suo honorificentiam reservantem, cujus officiis informatum se esse cognosceret : ut maturiorem regere posset ætatem.

35. Monet siquidem etiam ipsa Lex, ut his qui nobis aliquando profuerint, nequaquam esse debea- C mus ingrati (*Exod.* XII, 28). Nam sicut habemus in veteri Testamento, pascha celebratum est in Ægypti finibus, cum adhuc sub rege Pharao positi patres nostri deplorarent miseræ servitutis injuriam : et postea liberati rursus [c] in terra repromissionis pascha celebrarunt (*Josue.* V, 10) : superius ad commonitionem, posterius ad recordationem. Si quis ergo interroget Hebræum qua ratione in Ægypto, pascha celebratum est, respondebit : Quia regi Pharao adhuc servitutis vinculo obnoxii tenebamur, ille agnus patrum populum liberavit, ille agnus vocavit ad libertatem, ille agnus maris profunda solidavit ; ut Ægyptum transire possemus. Quoties ergo pascha celebramus, meminisse debemus veteris servitutis, et novæ libertatis : quid fuerimus, et quid accepe- D rimus. Non enim potest plene quis intelligere quid acceperit, nisi meminerit ante quid fuerit.

36. Non ergo obliviscamur quia Dominus Jesus, agnus Dei, mundi hostia, solvit nos gravium nexibus delictorum, quibus Pharao ille teterrimus non unius Ægypti, sed sæculi istius princeps vinculo servitii gravis nos tenebat astrictos. Non obliviscamur in æternum ; ut cum venerimus in illam vere terram repromissionis, ubi est regio vivorum, meminerimus quanta hic nobis Pharao dirus intulerit, quot perpessi in hoc sæculo simus, quibus tandem erepti malis ; et agamus gratias eripienti nos Domino Jesu, qui perturbatorem omnium fecit esse captivum.

37. (Vers. 94.) Sequitur versus sextus : *Tuus sum ego, salva me, Domine ; quoniam justificationes tuas exquisivi.* Facilis vox, et communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim qui potest dicere Deo : *Tuus sum.* Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non noverit. Ille hac voce utitur, qui potest dicere : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV, 8). Numquid hac voce utitur avidus pecuniæ, honoris, potestatis? Multis non est satis Deum scire, et quidem pluribus. Tanti populi, **1126** tantæ nationes, tanti divites paupertatem putant Domino servire : et qui supra omnes est, illis exiguus et angustus est : illis non est satis Dei filius, in quo sunt omnia. Denique ille dives in Evangelio, cui dictum est : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX, 21), Deum sibi non sufficere judicavit. Denique et contristatus est (*Ibid.*, 22), quasi quod plus esset relinquere juberetur : quod minus esset eligere. Ille ergo dicit : *Tuus sum*, qui potest dicere : *Ecce omnia reliquimus, et secuti sumus te* (*Ibid.*, 27).

38. Apostolorum itaque vox ista est, nec omnium tamen apostolorum. Nam et Judas apostolus fuit, et in convivio Christi inter apostolos recumbebat. Dicebat et ipse : *Tuus sum*, sed voce, non corde. Venit, et *introivit in eum Satanas* (*Joan.* XIII, 27), et cœpit dicere : Non est tuus, Jesu, sed meus est. Denique ea quæ mea sunt, cogitat ; quæ mea sunt, in pectore suo volvit : tecum epulatur, et mecum pascitur : a te panem accipit, a me pecuniam : tecum bibit, et mihi tuum sanguinem vendit : tuus est apostolus, et meus est mercenarius.

39. Non potest dicere sæcularis : *Tuus sum* ; plures enim dominos habet. Venit libido, et dicit : Meus es ; quia ea quæ sunt corporis, concupiscis : in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti ; in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia, et dicit : Argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est : possessio quam tenes, juris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, et dicit : Meus es ; unius diei convivium, pretium tuæ vitæ est : ille sumptus epularum, [d] tui capitis licitatio, tui est summa contractus, et quod pejus est, caro emptus es, vilior cibo es tuo ; pretiosior est unius diei mensa tua, quam totius temporis vita. Inter calices te redemi, inter epulas

[a] De victu athletico diximus ad Psal. XLIII, num. 1, col. 885.

[b] Paris. quædam edit., *vivebat autem fulgore Evangelii.* Aliæ ac mss. omnes, *videbat*, etc. Iterum cunctæ edit., *veteris disciplinæ legis, tamquam.* Et infra, *honorificentiam reservatam habere.* Contra omnes mss. utrobique, ut nos in textu.

[c] Cod. Aud., Vind., Colb. unus, et Nav. item unus, *in terra resurrectionis.* Quam locutionem Ambrosio novam non esse jam advertimus.

[d] Edit. Am. et Era. cum mss. aliquam multis, *tui capitis litatio*, quidam, *lictatio.* Et post pauca mss. septem, *carne emptus es, vilior cibo*, etc. Melius alii et edit. ut nos supra ; ubi subintellige, *pretio.*

Digitized by Google

acquisivi. Venit ambitio, et dicit tibi : Plane meus es. A Nescis quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires ? Nescis quod ideo potestatem in te contuli, ut meæ te subjicerem potestati ? An ignoras ipsi Domino Salvatori dictum esse ab hujus mundi principe, cum ei ostendisset omnia regna mundi : *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Ante ergo ipse subjicitur, qui alios vult habere subjectos. Veniunt omnia vitia, et singula dicunt : Meus es. Quem tanti competunt, quam vile mancipium est !

40. Quomodo ergo tu qui hujusmodi es, potes Christo dicere : *Tuus sum ?* Respondebit tibi ille : *Non quicumque dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21) : non quicumque dicit mihi : *Tuus sum*, meus est. Meus plane es, si B vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum, qui ipse se non neget, aut certe si pro me se ipsum sibi abneget. Nolo habere servulum pluribus dominis servientem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat verbo : *Tuus sum*, et operibus neget, et factis se diabolo adjudicet et obstringat ? Non est meus quem libido succendit ; quia mea est castitas. Non est meus quem cura spoliandi minores **1127** exagitat ; [a] quia mea integritas est. Non est meus quem ira mobilis inquietat ; quia mea tranquillitas est. Non est meus vini crapula temulentus in lucem, ambitione gloriæ sæcularis ebrius, qui in periculum non possit sobriæ moderationis servare vestigium. Pax sum ego, litigare non novi. Quid mihi ad eum de C quo veniat diabolus, et dicat : Meus est ; nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio : nomen sibi tuum vindicat, et meum munus ?

41. Non est ergo Christi, nisi qui est alienus a crimine : non est Christi, nisi qui potest semper se Christi servulum demonstrare. Nam si quis mutabilis est, [b] ut ego aut mœrore mutor, aut indignatione, venit ira, et dicit : Meus est : ante horam meus erat, spero quod iterum meus fiat. Venit tristitia, et dicit : Meus est : ante horam in mea possessione fuit, in meo jure : erigere animum præ mœrore non poterat, nec oculos levare : et si triste aliquid acciderit, ad me illico revertetur. Quis ergo est Dei, nisi qui potest dicere : *Nihil mihi conscius sum* (I *Cor.* IV, 4) ? Ideo dicebat Paulus apostolus Jesu Christi, quia nulli D alii obnoxius tenebatur. Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc iracundiæ, nunc verbi otiosi ; et ideo qui plures dominos habet, non potest uni dicere : Domine Jesu, *tuus sum*. Unde arbitror etiam de hujusmodi dominis dixisse Paulum : *Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terra..... nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in* A *illo : et unus Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6). Verbi igitur totus erat apostolus Paulus ; ideo dicebat : *Quoniam experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3). Ille ergo dicebat : Christi sum ; et respondebat ei Dominus : Meus es. Qui vere dicit : *Tuus sum*, audit a Domino : Meus es. Denique de ipso Dominus ad Ananiam, cum mitteret eum ad sanctum Paulum, ait : *Vade, quoniam vas electionis est mihi* (*Act.* IX, 15). Et quia perseveravit Christi esse, quasi impleto certamine, coronam meruit invenire justitiæ.

42. Recte ergo propheta David dixit : *Tuus sum*, qui semper in Domino mansit. Et qua ratione dixerit : *Tuus sum*, addidit : *Justificationes tuas exquisivi*, B hoc est, nihil aliorum quæsivi, sed id solum quod tuum est desideravi. Alii quærunt monilia pretiosa, ego solas justificationes tuas quasi quædam serta justitiæ ; alii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitare possint in terra hac, et elementum volunt occupare commune, alii possessionem aeris ipsius vindicare : mihi in tuis justificationibus omne patrimonium est. Nescio possidere nisi quod tui juris est. In tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti. Mihi portio Deus est. *Tuus sum ego* ; quia pars mihi hæreditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Jesu.

43. (Vers. 95.) Sequitur versus septimus : *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me : testimonia tua intellexi*. Potest vox ista convenire martyrio, in C quo positus sanctus jam de judicio persecutoris egressus dicat : *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me*, **1128** hoc est, adhibuerunt omnia genera pœnarum, omnes artes persuasionum : sed de proposito abducere nequiverunt. Vicit fides vitæ hujus illecebram, corporisque cruciatum. Exspectaverunt peccatores, ut de me triumphum referrent : sed gratias Christo, qui mihi dedit de persecutoribus triumphare. Redite victi, qui sperabatis vos esse victores : redite dejecti, qui veneratis superbi. *Ubi est, mors, victoria tua ? Ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 55) ? Non tua jam, sed nostra [c] cœpit esse victoria ; *quia in te* vincimus, in qua antea vincebamur. Bene ergo dicit martyr : *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me*. Post momentum, immo in corpore adhuc situs, D videt deducentium choros, angelorum gaudia. Qui enim super unius peccatoris conversione lætantur, quanto magis in passione justorum ! Videt gloriam et ait : Me exspectaverunt justi, ut deducerent me. Videt Dominum Jesum, et ait : Me exspectavit Christus, ut coronaret me.

44. Aliter qui vult intelligere : Multi, inquit, peccata persuadere, [d] atque extorquere conati sunt

[a] Ita cuncti mss. Edit. vero, *quia mea largitio est. Non est meus quem aura mobilitatis inquietat... illuvie ambitionis impurus, gloriæ sæcularis cupidus, ebrius in periculum, qui non potest*, etc. Solus Reg. cod., *quia mea largitio est*, cætera cum aliis convenit.

[b] Edit. omnes, *ut ego qui aut mœrore... non est Christi. Venit*, etc. Cod. manu exarati, ut in corpore.

[c] Mss. octo, *quod cœpisti esse victoria*. Unus, *quia cœpisti esse, est victoria*. Et post tres voces pro, *in qua antea*, mss. duo legunt, *qui antea*, etc.

[d] Edit. omnes, *atque ex pectore fidem extorquere*.

Digitized by Google

mihi ; alius adulterium, alius hominis necem, alius A oppressionem viduæ vel pupilli, alius aliud ; et putabant me suis retibus esse capiendum. *Exspectaverunt me, ut perderent* contagione peccati ; sed ego non illecebris peccatorum mentem a studio divinæ cognitionis averti, nec intentionem meam, Domine, a mandatorum tuorum serie declinavi : sed *intellexi testimonia tua.* Si enim non intellexissem, peccatores me utique illi perdidissent. Quæ intellexi utique sensu, etiam operibus secutus sum : neque enim nudus intellectus est, sed quem etiam facta testantur. Denique *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* (*Ps.* XL, 1). Ille utique intelligit super pauperem, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris ?

45. (Vers. 96.) Sequitur versus octavus : *Omnis* B *consummationis vidi finem ; amplificum mandatum tuum valde.* Non possumus in omnibus vim Græci sermonis exprimere; major in Græco plerumque vis et pompa sermonis est. τέλος dicitur Græce, quod nos Latine et finem dicimus et consummationem ; τέλος autem et consummationis ipsius finis est, sicut finis Legis est Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, IV). Habes scriptum : *Ecce ego vobiscum sum ..... usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Consummatio ergo sæculi finis sæculi est; finis autem omnium Christus. Consummationes autem multæ. Est consummatio, quando resurrectio est ad salutem. Consummatum quoque opus dicitur perfectum opus. Consummata malitia dicitur, id est, plena, cui nihil desit ad studium et artem nocendi. C Est consummatio hominis, et multæ consummationes, donec ad perfectum veniat.

46. Legimus ergo et consummationem sæculi, legimus et finem. De consummatione sæculi supra posuimus exemplum, quam sequitur resurrectio : *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur : ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22). Post resurrectionem

**1129** consummatio : *Unusquisque autem in suo ordine; primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt ; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, dum evacuaverit omnem principatum et potestatem* (*Ibid.*, 23 *et* 24). Ergo consummationem sæculi sequitur finis juxta Apostolum. Unde colligitur quod sequatur finis omnem consummationem. D

47. Mundus in maligno positus est, ut dixit Joannes (I *Joan.* V, 19) : ergo et sæculum in maligno est, mundus plenus peccati. Consummaverat malitiam suam mundus, sicut consummaverat Saul, cujus videns consummatam malitiam Jonathas filius in David prophetam, eidem nuntiavit ut declinaret et fugeret (I *Reg.* XX, 38). Est ergo consummatio malitiæ, consummatio peccatorum. Venit Agnus Dei, qui tulit peccatum mundi, qui est Christus Jesus, finis Legis, principium et finis, et remissio peccatorum. Hunc finem consummationis vidit Propheta in spiritu, qui consummatum sæculi aboleret errorem : vidit sanguine ejus diversa omnium peccata mundari. Bene ergo dixit : *Omnis consummationis vidi finem ;* hoc est, vidi consummati adulterii remissorem, vidi consummatæ luxuriæ atque lasciviæ, consummatæ crudelitatis atque sævitiæ, omnis postremo flagitii per crucem suam delicta donantem.

48. Est etiam consummata virtus, consummata sapientia, consummata justitia, sed habet finem. Finis omnium virtutum Christus, qui *finis est Legis ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Vides quia finis est fidei ? Bene ergo ait : *Omnis consummationis vidi finem.*

49. Nunc quia consummationis finem agnovimus, agnoscamus quid sit : *Latum mandatum tuum valde* (*Matth.* VII, 14). Legimus quod angusta sit porta per quam ingrediantur, qui æternæ vitæ fructum adipiscuntur. Rara enim virtus et difficilis passionum tolerantia. Plures sunt qui sæculi hujus spatiosa sectentur, qui dicant : Angusta et arcta nobis est via, quæ ad Dominum ducit, conterimur in illa, relinquamus eam. Quomodo ergo dicit Propheta latum mandatum Dei, et valde latum? Ideo quia angustæ viæ latum mandatum necessarium est. Denique hic ipse Propheta ait : *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV, 2). Et iterum : *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine* (*Psal.* CXVII, 5).

50. Hæc latitudo mandatorum cœlestium cor Prophetæ dilatabat et Apostoli. Denique et ipse dicebat : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 11). Dispensando enim cœlestia mandata, cor suum dilataverat : et quod ante persecutionis perfidia coarctabat, hoc Christi amplificavit gratia. Et qua ratione latum mandatum? Ne nos coarctemur angustiis mandatorum. Unde ait : *Non angustiamini in nobis* (*Ibid.*, 12). Si hoc Paulus, quanto magis Christus, qui clausa reseravit? Ergo dicit : Nolo coarctetur in me populus meus. In angusto virtutum tramite debet latitudo præcepti mei viantibus esse solatio; ne quis deficere possit, aut conteri.

**1130** 51. Ambulemus ergo in Dei mandato; quia satis latum est. Est enim latum mandatum sapientiæ, quæ in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit ; πλατεῖα enim Græci sermonis est ; quæ Latine dicitur latitudo. Dilatemus igitur cor nostrum; ut recipiamus Apostolicæ vim sententiæ, quæ ait : *Capite nos* (II *Cor.* VII, 2). Recipiamus ergo ejus sermones in cor nostrum : induamus viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam. O homo, quam latus es, si ad amplitudinem præceptorum cœlestium sinum mentis tuæ expandas ! Quam latum mandatum est charitatis ! *Diligite*, inquit, *inimicos vestros* (*Matth.* V, 44). Omnes utique in affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cum recipiatur inimicus? Unde Apostolus, *Si fieri*, inquit, *potest... cum omnibus ho-*

Sed verba, *ex pectore fidem*, in scriptis cod. prætermittuntur, nec videntur contextui necessaria.

*minibus pacem habentes* (*Rom.* I, 18). Non potest hoc Judæis dici, non gentibus, ut cum omnibus pacem habeant. Illi vix suos diligunt : Christiano etiam inimicos non licet non amare. Christianum cum dico, perfectum dico; in Christo enim plenitudo divinitatis est, cujus nomen usurpas. Qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionemque cur refugis? Audi latum mandatum : *Benedicite eos qui persequuntur vos...., et nolite maledicere* (*Ibid.*, 14). Iste ipse qui latum dicit esse mandatum, probavit supra dicens : *Illi quidem detrahebant, ego autem orabam* (*Psal.* CVIII, 4). Quid orabas, David, dicito nobis ipse. Sed dixisti; legi enim dicentem : *Maledicent illi, et tu benedices* (*Ibid.*, 28).

## SERMO DECIMUS TERTIUS.

### מ. *Mem.*

1. [a] *Mem* littera tertia decima significat in alio interprete *viscera*, in alio *ex ipsis* : et utrumque non discordat a textu. Nam statim primus versus internorum viscerum charitatem exprimit, quæ utique ex intimis procedit medullis, et quodam nexu caloris implicatur ossibus.

2. Denique in Threnis Hieremiæ textus litteræ hujus hoc continet : *Ex alto suo misit ignem in ossibus meis* (*Thren.* I, 12). Bonus ergo Deus qui nobis immittit unde diligentes eum, meritum sub conspectu ejus invenire possimus. Quem mittat ignem, ipse nos doceat : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur* (*Luc.* XII, 49)? Bonus ignis quem C desiderat omnium Salvator accendi : cum præsertim ipsum Deum legerimus ignem esse (*Deut.* IV, 24), qui nostra peccata consumat, intimisque pectoribus nostris suæ divinæ cupiditatem cognitionis infundat, atque ardeat in nobis cor nostrum, cum legimus divinarum seriem Scripturarum; si forte aliquid quo aperiantur propheticæ lectionis occulta, intellectu assumimus spiritali. Hoc igne Cleophas cor suum dicebat ardere, cum ipsi et socio ejus Christus Scripturas aperiret (*Luc.* XXIV, 32). De hoc igne dixit Dominus in libro [b] Ezechiel : *Ecce proficiscar in Jerusalem, et exsufflabo in vos ignem iræ meæ; ut tabescatis a plumbo, et ferro, et reliquis materialibus* (*Ezech.* XXII, 19 *et* 20). Profunda in verbis usitatis videmus mysteria. Totum hoc spiritale. Quibus pre- D cibus emereamur ut veniat **1131** Dei verbum, intret in Ecclesiam, fiat ignis consumens; ut exurat fenum et stipulam, et quidquid est sæculare, consumat : grave plumbum iniquitatis, quod in plerisque est, liquefiat igne divino, et ferreus quidam peccati rigor superno mollescat incendio : meliorentur vasa

A aurea et argentea; ut omnis sapientium sensus, omnis sermo prudentium, flagrantium passionum calore decoctus, incipiat esse pretiosior. Bonus ignis charitatis, quo corpus omne Ecclesiæ in mutuam adolescit gratiam. Bonus ignis dilectionis, quo unusquisque sanctus ad reverentiam sui auctoris accenditur. Sed qui Deum diligit, non perfunctorie diligit, sed diligit legem ejus, præcepta custodit, justificat cor suum, non dictorum sonora prædicatione, sed studiosa imitatione factorum. Doceat igitur nos Deus quemadmodum a sanctis suis diligatur.

3. (Vers. 97.) Sic inquiens Propheta subjungit : *Quomodo dilexi mandatum tuum, Domine : tota die meditatio mea est.* Diligentis circa studium cognoB scendæ Legis hæc vox est, quæ instruit perfectionem hominis, quam totus hic psalmus informat. Et quoniam maximum mandatum in Lege esse cognovit, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, et ex tota anima nostra, sui imitatione nos quoque, quos erudire studet, vult esse perfectos, dicens : *Quomodo dilexi mandatum tuum, Domine.* Ex ipso charitas crescit affectu, quod ipsum testem advocat, cui munus dilectionis impenditur : nec speciem, sed plenitudinem charitatis tali conventione testatur. Hac usus est Petrus : *Tu scis*, inquit, *Domine, quia diligo te* (*Joan.* XXI, 15). Sed qui diligit Dominum, legem ejus diligit, sicut Maria diligens Filium, omnia verba ejus in corde suo, materno conferebat affectu (*Luc.* II, 51). *Diligens te, feci voluntatem tuam*, scriptum est (*Esai.* XLVIII, 14). Ideo commisit et Christus Petro, ut pasceret gregem suum (*Joan.* XXI, 18), et Domini faceret voluntatem; quia charitatem ejus agnovit. Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata : qui timet, ex necessitate. Itaque Dominus operationes servulorum suorum spontaneas probat potius, quam coactas. Ideo ex servis liberos facit; ut magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferamus.

4. Non potest dicere Marcionista : *Quomodo dilexi Legem tuam*, qui Legem non suscipit. Non potest dicere Judæus, qui Legem spiritalem ignorat : et litteram Legis nudam, non sensum Legis intellectumque meditatur. Solus ergo dicit Christianus, qui multum jam Legis cognitione profecerit, qui non pœnam Legis pavido corde formidet : sed divina mysteria veri Hebræi, veri sabbati, veræ remissionis [c] intrepido rimetur affectu. Vere ergo diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio quam coacto præcepta conservat.

5. (Vers. 98.) Alius versus; *Super inimicos meos*

[a] Ita mss. omnes, paucis exceptis, in quibus legas tituli instar : *Incipit de littera decima tertia, quæ dicitur Mem, quod sonat in Latinum, ex intimis, et ut alii, ignis ex ultimis. Et Hieronymus, ex ipsis*, quod additum fuisse obscurum non est. Edit. vero præferebant : *Mem littera* (Rom. edit., *Hebræa tertia decima*) *sonat in Latinum, ex intimis; vel ut alii, ignis ex ultimis. Et utrumque*, etc.

[b] Rom. edit., *Ezechiel : Ego recipiam vos in medio Hierusalem, sicut recipitur argentum, æs, et ferrum, et plumbum in medio*, etc. *Et : Insufflabo super vos in igne iræ meæ, et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis.*

[c] Mss. plurimi, et cum his cunctæ edit., *intrepido miretur affectu.* Melius alii, *intrepido rimetur*, etc.

Digitized by Google

[a] *intelligere me fecisti mandata tua; quia tu es.* Cito A probavit diuturnæ meditationis effectum, quando intellexit super inimicos suos Domini mandatum. Sed quos habet inimicos Propheta, qui aut sui **1122** populi viros legitima debet charitate complecti, aut alienigenas evangelica prædicatione invitare ad Dei gratiam? Feræ consortem naturæ suæ diligunt: quomodo dilectionem confermis sui Propheta respueret? Esse igitur justam aliquam causam oportet, qua ii quos significat, jure videantur inimici. Ea quæ sit possumus investigare, si meminerimus quia alibi idem iste dixit: *Et super inimicos tuos tabescebam, et justo odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII, 21 *et* 22). Istos ergo Evangelica auctoritate suos inimicos dicit esse, qui inimici sunt Dei. Nam si is qui non relinquit parentes propter Dei nomen, non est Deo di- B gnus: quanto magis qui diligit ejus inimicos, acceptus Deo esse non poterit? Quos ergo inimicos habet? Si gentiles: [b] quomodo, quos prophetico credituros spiritu prævidebat? Denique ut benedicant et ipsi Dominum, in superioribus adhortatus est (*Psal.* LXVI, 4). Et quæ magna laus super eos intelligere, qui metalla et saxa venerando, similem rigorem stuporis attraxerint?

6. Quos igitur habet inimicos, nisi hæreticos? Ipsi enim sunt impugnatores fidei, veritatis inimici. Quos, nisi Judæos? Ipsi enim graviores inimici, qui ex amicis facti sunt inimici. Super eos intelligit, qui Legem spiritalem esse intelligit. Quid ergo prodest Lex, si finem Legis ignores, si mysterium nescias, si sacramenta non noveris? Judæis ex ovibus agnus C occiditur pro celebritate paschali: nobis pro redemptione mundi unigenitus Dei, partus Virginis immolatur. Quid proficiunt Judæi, quod sanguine agni domos et postes suos illiniunt? Nihil utique; quoniam ligna his aut saxa prodesse non possunt. Nobis proficit omne mysterium, qui abhorrere credimus a gratia spiritali; ut habitationes nostras sanguine pecudis cruentemus, ora nostra cruore tingamus: sed corpora nostra [c] sacramento crucis Dominicæ consecramus, et confessione mortis Domini nostri Jesu Christi sanctificamus oris alloquia. *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Quid prodest quod Hebræi aurem servuli pertendunt subula, et præputia sui circumcidunt corporis? Non intelligunt penitus quid D Lex divina discernat. Signa sunt ista, non veritas. Sed ille intelligit, qui cor suum spiritali circumcisione castificat; ut colluviem omnem corporeæ labis emundet. Ille intelligit, qui subulam et aurem, mentis vigore transcendit, et illam animam quam pertransivit gladius ad revelanda cordis occulta, perpetuæ præmio libertatis attollit: vel examinandis sermonibus sollicite serviens, quoscumque virtutis suæ aure susceperit, mysterio sanctificat spiritali. Azyma sibi Judæus quotannis facere consuevit, et nescit se malitiæ esse fermentum. Sed qui intelligit quid sit vetus expurgare fermentum, ne totam massam corrumpat; veterem hominem cum actibus suis expurgat, ut fiat nova conspersio veritatis. Judæo ista dicta sunt, et Christianus audivit; quia dum aurem suam ille subula pertundit, audire non potuit: vulneratam aurem gerens, non Legis, sed stultitiæ suæ subula **1123** cruentavit aurem suam. Ille audiendo quæ spiritaliter revelantur, perforavit aurem suam ferro; maluit enim in ferrum quam in Verbum credere. Ideo servit, ideo liber esse non meruit, ideo nec completi temporis ei gratia suffragatur; quia plenitudinem temporis non recepit, quo Filius Dei missus est ad salutem, et venit ad redemptionem, factus sub Lege, natus ex Virgine, victor mortis, largitor resurrectionis. Manet ergo vulnus illi, cui Christus non surrexit. O vulnus quod sarciri non possit, nisi forte relinquat subulam, et sumat sibi [d] gladium quem pro Christi nomine non refutet, vel quo corporalia a spiritalibus, umbram a veritate distinguat: sumat Dei verbum, gladium bis acutum, et ex illo divino ore doceatur mandatum Domini, præscriptum Legis agnoscere, quod non temporalis habeat observantiam celebritatis, sed salutaria et sempiterna remedia succo gratiæ spiritalis infundat.

7. Tota ergo die in Lege meditare: non perfunctoria tibi debet esse transcursio. Si agrum emere velis, si mercari domum, prudentiorem adhibes, et quid juris sit, diligenter consideras: et ne in aliquo forte fallaris, tibi ipse non credis. At nunc tu ipse emendus es tibi: de tuo pretio tractatur, considera quid sis, quod nomen habeas, quid acquiras tibi, non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia: sed Christum Jesum, cui nulla possunt pretia, nulla ornamenta conferri. Adhibe tibi consiliarios Moysen, Esaiam, Hieremiam, Petrum, Paulum, Joannem, ipsum magnum consiliarium Jesum Dei Filium; ut acquiras Patrem. Cum his tractandum, cum his tota conferendum est tibi, tota meditandum die; sicut meditabatur David, et hæc erat illi sola meditatio. Non sæcularibus animus traducebatur illecebris, non pecuniaria coacervandi patrimonii cupiditate flagrabat: non proferendi limitis, excludendique finitimi anxius curarum æstus studio meditationis intentum reflectebat affectum; quidquid poterat temporis dies habere, hoc totum sola sibi in Lege meditatio vindicabat.

8. Sed etiam hoc parum est diligenti, qui velit ad beatitudinis gratiam pervenire. Beatus enim dic ac

[a] Vet. edit. ad marginem, *prudentem me fecisti mandato tuo; quia in æternum mihi est.* Huc accedunt mss. aliquot. Alii autem, *edocuisti me mandatum tuum, quia in æternum.* Alii denique cum edit. ut nos in textu.

[b] Edit., *Quomodo super inimicos intellexit, quos,* etc. Non male. Melius tamen mss. cod., *quomodo, quos,* etc. Hic enim subintelligitur, *inimicos habet*, post verbum, *prævidebat.*

[c] *Sacramento*, id est, baptismo, vel forte signo crucis. Namque ejus usum priscorum Christianorum pietati familiarissimum fuisse passim legimus in sanctorum Patrum monumentis.

[d] Sic mss. At editiones, *gladium quo Christi nomen non refutet.*

Digitized by Google

nocte meditatur in Lege. Angustior dies est meditatione doctrinæ. Non tantus dies in tempore, [a] quantus meditator in Lege. Unde vide ne illud magis videatur significare, quod ei qui in Lege meditatur, semper dies est, et lumen sine defectu, quod nullæ tenebræ noctis interpolent. Alioquin quomodo negligentiorem in processu operis declararet, quem diligentiorem in ipsis operis sui Propheta principiis esse voluisset? In die ergo meditator Legis, et Evangelii prædicator.

9. Et fortasse illi [b] qui novum non recipiunt Testamentum, in nocte legerunt, et ideo nescierunt neque intellexerunt. Unde Salvator, ne etiam nos legeremus in tenebris, admonet dicens ambulandum in die, quia non offendit qui in die ambulat (*Joan.* xi, 9 *et* 10); **1134** videt enim gratiam lucis. Qui autem ambulat in tenebris, scopulum offensionis incurrit.

10. (Vers. 99.) Sequitur : *Super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea est.* Doctrinam profitentur scribæ Judæorum; quia Legem et prophetas ipsi priores habere meruerunt. Sed illi profitentur docere, sed non docent. Ei autem populo qui ex gentibus credidit, competit dicere : *Super omnes docentes me intellexi;* quia illi non intellexerunt. Respondet Judæus : Unde habuisti intelligere? Scriptum est : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : seniores, et dicent tibi* (*Deut.* xxxii, 7). Ego sum Pater tuus, me interroga. *Sed etsi interrogavero, non respondebitis mihi*, dixit Jesus (*Luc.* xxii, 68) : [c] et ex illo respondere non possunt, et ex illo supra illos intelligo qui non intelligebam; quia testimonia didici, quæ ille non novit. Didici : *Qui sequitur me. . . . tollat crucem suam* (*Matth.* xvi, 24). Didici : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 44). Et ideo optat anathema esse Paulus pro fratribus genere, inimicis fide (*Rom.* ix, 3).

11. Videretur inconveniens esse verecundiæ prophetali hujusmodi usurpatio; eo quod præsumpserit dicere quod super omnes docentes intellexerit, cum vel Legem Moyses acceperit a Domino, et populo ejus instituta tradiderit (*Exod.* xix, 7), Aaron, sacrificiorum omnium decurso ritu, sacerdotalem docuerit disciplinam (*Exod.* xxviii, 1, 2 *et seq.*), Jesus Nave significaverit quemadmodum circumcisio possit iterari (*Josue*, v, 2, 3 *et seq.*), Samuel unctionis propheticæ pariter ac regiæ sacramenta monstraverit (I *Reg.* xvi, 13). Videretur, inquam, incongrua præsumptio, nisi præmisisset superiora, quibus non immerito super docentes intellexisse se comprobaret. Debuit hanc assumere confidentiam, qui docebatur a Domino : et mandatum quod docebatur, Domini erat, et ipse Dominus qui docebat (*Sap.* v. 2). Merito super omnes intellexit, quem docebat ipsa Sapientia. Unde et alibi ait : *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* xciii, 12).

12. Ostendit igitur quod divinum est homines docere non posse : et ideo qui docere præsumunt, nesciunt; sed agnoscit discipulus qui docetur. [d] In quo præter donum scientiæ quod de Spiritu sancto fuerat consecutus : moralis quoque suavis locus est, quod multi docentes sunt qui quod non intelligunt, docere se dicunt : et plurimi sunt discipuli qui studio suo assequuntur et industria quod non didicerunt a magistris. Denique ante nos quidam interesse dixit inter docentes atque doctores; fortasse hoc arbitratus quia doctores sunt aliorum judicio ad hoc munere electi : docentes autem qui propria usurpatione hoc sibi munus assumpserint. Sed cedant necesse est et doctores quoque, quem testimoniorum meditatio cœlestium doctrina Dei docentis imbuerit.

13. (Vers. 100.) Sequitur : *Super seniores intellexi, quia præcepta tua exquisivi.* Nec hoc quidem difficile, ut is quem Dominus docuerit, super seniores intelligat; [e] siquidem Dei gratia ad doctrinam et maturitatem **1135** ætatis progrediatur senilis. Cum enim ætas senectutis vita immaculata sit, utique doctrina vitæ immaculatæ senilem præstat ætatem (*Sap.* iv, 19). Denique excusanti Hieremiæ quod juvenis esset, responsum est : *Noli dicere: juvenis sum* (*Jerem.* i, 7); eo quod non æstimaretur juvenis definitione divina, qui canam haberet prudentiam, quæ sanctificationis cœlestis gratia reluceret.

14. Verumtamen non mihi videtur se ipsum laudare Propheta, et præferre senioribus, cum legerit : *Non te prætereat narratio seniorum : et ipsi enim didicerunt a Patribus* (*Eccli.* viii, 11). Nam et alibi dixit Sirach Sapientia : *Ubi sunt senes, non multum loquaris* (*Eccli.* xxxii, 13). Sed novit quibus se præferat senioribus, inveteratis scilicet in peccato, et veterno impietatis, atque senio perfidiæ delirantibus. Isti sunt seniores plebis de quibus dictum est qui Dominum Jesum Pilato præsidi tradiderunt : *Convenerunt enim sacerdotes, et scribæ, et seniores*, ut ait Marcus (*Marc.* xiv, 53). Et iterum : *Fecerunt sacerdotes concilium cum senioribus; ut eum traderent* (*Marc.* xv, 1). Et adversum apostolos in Actibus eorum, quod seniores Israel convenerint, Petrus sanctus, et Lucas Evangelista testantur (*Act.* iv, 1 *et seq.*). Non ergo senili derogavit ætati : sed voce populi se-

[a] Omnes edit. ac mss. aliquot, *quantus meditatus in Lege.* Et infra, *meditatur Legis et Evangelii prædicator.* Sed mss. plures ac potiores utrobique habent, *meditator.*

[b] Nempe Judæi, quos hic subinde vir sanctus exagitat.

[c] Edit. omnes cum mss. nonnullis, *et ex illo novi respondere, et ex illo supra illos intelligo, quod non intelligebant.* Alii majori numero, ut in textu; ubi post vocem, *illo*, subintelligendum videtur, tempore, quo Christus hæc verba Judæis dixit. Rursus edit. Rom., *quæ illi non noverant.* Aliæ cum mss., *quæ ille non novit :* quod referendum ad superiora : *Respondet Judæus*, etc.

[d] Superiores edit., *In quo? propter donum scientiæ, quod. . . . consecutus. Moralis*, etc. Mss. autem magno consensu, ut in corpore : nisi quod loco præpositionis *præter*, pauci legunt, *præest;* non male, si punctum transferatur post vocem *consecutus.*

[e] Ita mss. prope ad unum. Vet. autem edit., *Siquidem Dei gratia erogata ad doctrinam, maturitatem ætatis, supergreditur senilis.* Rom. edit. . . . *Doctrina maturitatem ætatis supergrediatur senilis.*

Digitized by Google

nioris indocibilem Dei vetustum illum dierum Judæorum fore populum prophetavit, qui quod in juventute sua non acquisierat, et in senectute invenire non potuit. Namque a principio frequentibus Dominum exasperavit offensis. Cujus igitur gratiam cum esset juvenis, non potuerat emereri, hujus adventum senex non meruit agnoscere, donum tenere non potuit. [a] Sensus autem in canitie, indicium senectutis in sensu est, et veterani consilii scientia intellectus maturitate, non vitæ longævitate præfertur.

15. Exquiramus ergo mandata Dei; ut super seniores intelligamus. Fugiamus viam lubricam peccatorum; ut possimus præcepta custodire cœlestia. Hoc enim declarant sequentia. Super seniores intellexit Jacob junior frater; quia cum senior frater Esau prærogativam sibi benedictionis privilegio ætatis exposcit, reliquit epulas mitiores, dum quærit agrestes (*Gen.* xxv, 32). Profecto illo in venationem, junior frater vestimenta ejus accepit, et mihi tradidit populo nationum, materno usus consilio (*Gen.* xxvii, 15 *et seq.*). Illam ergo sapientiæ stolam quam habuit antea populus Judæorum, induit me Rebecca. Stola ejus bona Lex et prophetæ. Hac stola ille populus est nudatus, nos induti sumus. Induit nos mater illa Hierusalem, quæ in cœlo est. Accedimus ergo ad Patrem, offerimus illi epulas mitiores, patientiæ cibos, misericordiæ lenitatem, intellectus suavitatem. Accipio benedictionem, præripio fratri seniori gratiam spiritalem. Venit ille, irascitur: non invenit quod accipiat. Mater occurrit, et pio nos hortatu informat. Residet penes me stola illa bonis intexta mandatis.

16. (Vers. 101.) *Ab omni*, inquit, *via maligna prohibui pedes meos;* **1136** *ut custodiam verba tua.* Vere dignus qui super seniores intelligeret; quandoquidem divino est honoratus spiritu, ut seniores doceret non solum intellectus veritatem, verumetiam peccati fugam, culpæque cautelam. Itaque cum fragilitas humana prona sit, ut ad imum affectibus, [b] et currente vestigio feratur in vitium, docet quemadmodum viæ istius lubricum et itineris hujus anfractus viantem implicare non possit. *Prohibui*, inquit, *pedes meos a maligna via*, hoc est, ab istius sæculi vanitate; quia sæculum in maligno positum est. Dubium quidquid est, et ancipitis [c] effectus, hoc malignum est; ut lux dubia, maligna dicitur: ita malignum est quidquid admiscet malitiæ tenebras veritati. Revoca ergo ab istius mundi lubrico pedes animi tui, et mentis incessum. Prohibe, inquam, resiste cupiditatibus, obsiste motibus qui videntur irruere, sicut bestiæ atque jumenta; ut teneros fructus, et nova ruris hujus nostri culta depascant.

17. *Prohibui*, inquit, *pedes meos*. Non utique corporis pedes prohibent, qui mentis piæ plerumque obsequuntur arbitrio. Neque enim prohibendi sunt, cum prodeunt ad Dei templum, viduæ opem ferre festinant, impium prævenire, supplantare aliquem fraudulentum. Alius igitur est pes qui jure prohibetur. Quis ille sit, ipse Propheta nos doceat: *Non veniat*, inquit, *mihi pes superbiæ* (*Psal.* xxxv, 12). Est etiam pes iniquitatis, qui cito labitur, et stare non potest, sicut pes perfidorum est, de quibus scriptum est: *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare* (*Ibid.*, 13). Prohibe ergo pedes tuos, ne cadas; sunt enim non solum criminum, sed etiam infirmitatis pedes. Et videndum ne cadas. Et videaris tibi forsitan bene stare: sed dicit tibi Paulus: Et tu qui stas, vide ne cadas (I *Cor.* x, 12). Diligenter attende viam tuam, ut audias: *Tu autem hic sta mecum.* Stans enim cum Deo, lapsum timere non poteris. Stans cum Deo poteris dicere: *Eruit.... pedes meos a lapsu* (*Deut.* v, 31): sed ita eruit Dominus pedes tuos ab omni lapsu, si cognoverit quod tu prohibeas pedes tuos a lapsu. Ideo hoc meruit David, ut Deus a lapsu pedes ejus erueret; quoniam pedes suos ipse prohibebat, ne præcipiti atque incauto peccatorum laberentur vestigio: unde et potuit verba custodire divina. Non enim custodire quis poterit, nisi potuerit prius stare. Cum autem custodierit, ipsi incipit Dei Verbum ferre custodiam. Prohibitos pedes suos a via maligna bene dicit, qui Christum viam esse novit.

18. (Vers. 102.) *A judiciis tuis non declinavi; quoniam tu legem posuisti mihi.* Exposuit quid esset a via maligna prohibere pedem; a judiciis utique non declinare divinis, et firmum atque immobile perseverantis innocentiæ tenere vestigium, non deflectere gradum, nec de curriculo avertere disciplinæ, sed semitis non solum veteris in Sina, sed **1137** etiam novæ Legis insistere secundum Evangelii claritatem.

19. Est etiam Evangelii lex, de qua dicit in superioribus hic propheta: *Constitue, Domine, legislatorem super eos: sciant gentes quoniam homines sunt* (*Psal.* ix, 21). Adventum utique Domini intelligimus [d] prophetari, et vocationem gentium quæ ante in lutum quoddam corporis hujus videbantur infixæ, vo-

[a] Vet. edit., *Speciosum autem in canæ judicium senectutis sensus est.* Rom. . . . *incanæ judicium senectutis, et veterani*, etc. Mss. tres: *Sponsum* (id est promissum). Duo: *Promptum autem incanæ judicium senectutis in sensu est.* Cæteri denique, ut in contextu; nisi quod nonnulli habent, *judicium senectutis.*

[b] Edit. ant., *prona sit ut labatur non ad unum affectibus malum, et currentem cuncta in præceps suscipiant probra, atque toto e vestigio feratur in vitium: docet quemadmodum vitæ istius lubricam declinans semitam, itineris*, etc., Rom. edit. post voces *affectibus malum*, ita reposuit: *sed universum toto vestigio feratur in vitium, et currentem cuncta in præceps suscipiant probra. Docet*, etc. Mss. vero omnes ad locum restituendum concurrunt; nisi quod in duobus legitur, *pronis ut ad imum affectibus, et currente vestigio feratur in vitium, docet*, etc. Non male, si vocula *ut* expungeretur. In quibusdam aliis habetur etiam *unum*, pro *imum*: ex quo errore totius loci corruptio secuta est.

[c] Mss. complures, *et ancipitis affectus*, id est, quod ancipiti modo nos movet et afficit. Alii tamen non pauci, ac edit. omnes, *et ancipitis effectus.* Quod autem de maligna luce adjicitur, id procul dubio desumptum est ex illo Virg. lib. vi Æneid.:

Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis.

[d] Mss. aliquot, *prophetari vocatione gentium.* Rur-



Digitized by Google

luptati corruptionis suæ tamquam fæci, et libidini A inhærentes; quia Dominum nescierunt. Et ideo iratus : *Avertantur*, inquit, *peccatores in infernum* (*Psal.* IX, 18); ut non viderent descendentem et ascendentem animam Domini Jesu, et converterentur ad Dominum, qui converti cum viverent, noluerunt. Sed de illis dicit gentibus, quæ obliviscuntur Dominum (*Ibid.*).

20. Scierunt ergo et obliti sunt : tamen prophetica benignitate orat, ut exsurgat Dominus, non prævaleat homo; ut cogitationes terrenæ, et motus omnes ferventes hujus corporis conquiescant. *Judicentur gentes;* quoniam tunc cognoscitur Dominus, cum timentium convertitur affectus, gravis terrore judicii : *Et discant gentes quoniam homines sunt*, luti corruptione resolubiles, et limo durescente formati : quod B ante qui Legem non acceperant, nesciebant (*Ibid.*, 20). Unde Propheta quasi et ipse turbatus terrenæ fragilitatis contemplatione, ait : *Ut quid, Domine, discessisti longe* (*Ibid.*, 22)? Bene timet, qui hominem se esse cognoscit : sed quia plus timet nobis, qui sumus ex gentibus peccatores, precatur ne longe fiat a suis gentibus; ut qui longe eramus, incipiamus esse propiores, et sciamus quia homines sumus, ad imaginem scilicet et similitudinem Dei facti, [a] quibus per Virginis partum etiam Christus conformis est factus. Recte ergo et ad infirmitatem accipitur, et ad gratiam : *Sciant gentes quoniam homines sunt:* altero per commune quoddam atque carnale consortium bestiarum : altero per imaginem Dei, et carnis Dominicæ sacramentum dignitas esse cœpit, quæ C ignobilitas videbatur.

21. Merito ergo non declinavit a judiciis Dei populus nationum, qui potest dicere : *Quoniam tu legem posuisti mihi.* Non per Moysen, non per prophetas, sed ipse per te, Jesu, *legem posuisti mihi*, hoc est, Evangelium. Ideo non declinavi a via; quia te aspexi, te cognovi, tua itinera secutus veram cognovi viam.

22. (Vers. 103.) Itaque prædicationem audiens Evangelii quam propheticus spiritus præcinebat, ait : *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel et favum ori meo!* Et bene *dulcia*, quibus prædicatur remissio peccatorum, vitæ perennitas, resurrectio etiam defunctorum, quæ perpetuæ mortis et acerbæ amaritudinem temperarunt. Per hæc mortem cœpi- D mus non timere, qui cœpimus dicere : *Ubi est, mors, victoria tua* (I *Cor.* XV, 55)? Et bene *faucibus dulcia;* eo quod intimis infusa visceribus gratia spiritalis sit.

23. *Super mel et favum*, inquit, *ori meo dulcia.* Et ideo quia dulcia nobis verba tua esse cœperunt, dicis ad Ecclesiam : *Favum distillant labia tua, Sponsa* (*Cant.* IV, 11). Quid sit favus, doce nos, Salomon? Tu **1138** enim dixisti : *Favi mellis, sermones boni* (*Prov.* XVI, 24). Et vere bonus favus, quem manducat Ecclesia, multorum prophetarum velut apum spiritali ubertate congesta mella redolentem. Hoc est mel de quo ait : *Manducavi panem meum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo* (*Cant.* V, 1). Mysticus sermo cœlestium Scripturarum sicut panis est, qui confirmat cor hominis, velut fortior cibus verbi. Suasorius autem ethicus, dulcis, et mollior; eo quod ethica prædicatione mentis interna [b] mulcentur : amara febribus, id est, pœnitentia delictorum, mitia corda sermone dulcescunt. Stillant mella labia prædicantis, quando collisa duris casibus vel ruinis, lapsæ animæ membra refoventur.

24. Est etiam vis ferventior verbi, sicut vini. Est etiam in lactis specie sermo lucidior. *Edite*, inquit, *proximi mei, et bibite, et inebriamini* (*Ibid.*) Bona ebrietas, quæ ad meliora atque jucunda facit quemdam mentis excessum; ut immemor sollicitudinum animus noster vino jucunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas. Denique : *Poculum inebrians quam præclarum est* (*Psal.* XXII, 5)! Sed et alibi habes : *Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus* (*Psal.* LXIV, 11); eo quod ebrietas terræ cum infusa fuerit imbre cœlesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueverit. Itaque verbum Dei quod sicut pluvia descendit de cœlo, ubi venas terræ nostræ, vel animæ ac mentis inebriavit prædicatione divina, excitavit virtutum studia diversarum, fructusque fidei et castæ devotionis adolevit; meritoque ei dicitur : *Visitasti terram, et inebriasti eam* (*Ibid.*, 10). Susceptione etenim corporis visitavit, ut sanaret infirmos : inebriavit gratia spiritali, ut anxios jucunditate mulceret.

25. Recte ergo Sponsæ dicitur : *Favum distillant labia tua, Sponsa : mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV, 11). Os enim justi distillat sapientiam : de ore justi suavitatis et misericordiæ mella procedunt : in ore justi nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. Audit Ecclesia verba justi, audit plebs Dei præcepta sapientis, delectatur alloquii suavitate, moralis disputationis jucunditate mulcetur, dicens : *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel et favum ori meo!* quia mel apum ad horam delectat, sed cito sapor ejus evanescit, et plerumque viscera vitiosa læduntur : verborum autem moralium etsi pungunt mella, non lædunt. Cognosce tamen cui illa credantur; scriptum est enim : *In aurem insipientis nihil dicas; ne quando irrideat prudentes sermones tuos* (*Prov.* XXIII, 9). Evomet enim, et rejiciet sermonem tuum stultus, qui ejus non potest sentire suavitatem.

26. (Vers. 104.) Sequitur : *A mandatis tuis intellexi : propter hoc odio habui omnem viam iniquitatis.* Consequens huic versiculo est : *Concupiscens sapien-*

sus ubi omnes edit., cum Reg. cod. *tamquam fæci et libidini :* alii cod. magno numero, *quam fecerant* (tres, *quam fecerunt*) *et libidini.*

[a] Edit., *quibus per virginis uterum etiam Christus conformis;* reliqui nobiscum faciunt.

[b] Ita cuncti mss. et vet. edit. Rom. vero : *Sicut enim oris amara, quæ febribus vel aliis accidunt ægritudinibus, mel mitificat; ita tristia delictorum pœnitentia*, etc.

etiam, *serva mandata* (*Eccli.* I, 33). Sed nemo potest A servare, nisi qui intelligit. Denique redduntur quotidie omnia verba Legis a quibusdam senioribus Judæorum, et nemo eorum potest custodire mandatum. Neque enim arborem dixerim custodire fecunditatem naturæ, quæ luxuriat in foliis, vanescit in fructu: nec terram illam dixerim custodire fructus suos, quæ filicem invisam parit **1139** agricolis, edere frumenta non soleat: nec pastor custodire videtur pecus, qui eligere pabula profutura non noverit, lupos cavere, canibus vallare ovilia sua, nesciat potum, cum opus sit, ministrare. Nam producere tantummodo sine ulla cura mutum pecus, tantumdem est quantum Scripturas legere tantum populum Judæorum. Ubi sint spiritalis pascua sacramenti, ubi littera occidat, ubi intelligibiles incursent lupi, ubi B sit requies refectionis, ubi spes resurrectionis, qui sint canes qui pro gregis possint latrare custodia, populus et ipso grege magis mutus ignorat.

27. Itaque si dicat: Mandata custodio; respondetur ei: *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te. Si videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit nequitia, et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum detrahebas* (*Psal.* XLIX, 17-20). Non est hoc custodire mandata, sed prævaricari: statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? Quomodo mel et lac sub lingua tua? cum dolum lingua tua componat: ut aliud pectore concipias, aliud forensi sermone prætendas, ut decipias C incautum: cum tibi Petrus apostolus dicat, ut deponas omnem malitiam, et fucum simulationis abjicias, dicens: *Sicut nunc geniti infantes, rationabiles, et sine dolo, lac concupiscite* (I *Petr.* II, 2). Ostendit enim nobis quid sit mel et lac habere sub lingua; ut non maledicere maledicentibus, sed benedictionem referre noverimus: nesciamus odisse nisi viam iniquitatis; ut facere quod exsecramur, reluctanti caveamus affectu. Ideo Paulus cavebat in carne sua malum; quia oderat (*Rom.* VII, 15). Ideo Joannes monet in epistola sua ne diligamus sæculum: *Quia omne quod in sæculo est, concupiscentia est carnis, et concupiscentia oculorum, et jactantia vitæ* (I *Joan.* II, 16).

28. Est ergo in nobis ut et bene aliquid oderimus, D et bene aliquid diligamus. Sicut enim bene [a] amare possumus servos Dei, et bene diligere possumus inimicos nostros secundum Verbum Domini (*Matth.* V, 44): ita bene odisse possumus inimicos Dei, odisse iniquitatem, odisse perfidiam, odisse turpitudines, odisse mundi istius vanitates. Odio igitur esse debent quæ sæculi sunt; ne securis affectibus et otiosis blanditer conciliatricula voluptatis irrepat illecebra. Facile capit oculos petulantis forma meretricis, nisi eos odia premant justa, et impuritatem indignatus avertat affectus. Inflat plerumque homines, et [b] tumido resupinat fastidio nobilitatis jactantia, et rerum affluentia sæcularium; nisi pudeat in te aliena magis, quam propria laudari. Christus cum dives esset, pauper factus est: in paupere, non in divite te redemit. Confitentibus Dei filium imperabat tacere; ut operibus magis quam sermonibus Deus agnosceretur; et tu nobilem te dicis, qui es factus e terra? David rex dicit: *Memento*, Domine, *quia pulvis sumus* (*Psal.* CII, 14): **1140** et tu in hoc caduco atque limoso genere gloriaris, et divitem te putas, qui cras potes esse mendicus; cum vita tua non in abundantia tua, sed in Dei sit misericordia? Cui honor, gloria, laus, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO QUARTUS DECIMUS.

### 3. *Nun.*

1. *Nun* littera hebræa est quarta decima cujus interpretatio est, *Unicus* [c]: vel in alia interpretatione: *Pascua eorum.* Ecce ipse Hebræorum litteræ testificantur Dominum Jesum esse unicum Patris Filium, Verbum Dei. Denique primo statim versu David de unico Filio Dei dicit: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, et lumen semitis meis.* Unde intelligimus ideo per litteras Hebræorum psalmum hunc esse digestum; ut homo noster tamquam parvulus, et ab infantia per litterarum elementa formatus, quibus ætas puerilis assuevit, usque ad maturitatem virtutis excrescat. Litteræ autem singulæ velut tituli sunt eorum versuum, qui sub iisdem litteris ascribuntur, seriem et continentiam declarantes, sicut hic *unicum* significat littera, et de unigenito Dei Filio, atque ejus æterni luminis claritate psalmi hujus portio prophetat.

2. Nec sane ab ista abhorret etiam illa in alio reperta codice litteræ hujus [c] interpretatio. Quæ sunt enim pascua nostra, hoc est, fidelium, nisi Christus? In cujus pascuis se locatum Propheta lætatus est, dicens: *In loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* XXII, 2). Ipse enim nos pascit, et reficit. Bona pascua divina sacramenta sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, hoc est, splendorem æternitatis. Carpis [d] rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua libri sunt Scripturarum cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur; cum ea quæ scripta sunt,

[a] Mss., *amare possumus sanctos Dei.*

[b] Edit. vet., *tumido ore supinat fastigium nobilitatis, jactantia*, etc. Rom. et duo mss., *tumido resupinat fastigio nobilitatis jactantia.* Alii magno numero, *tumido ore supinat fastigio*, etc. Quatuor tantum, sed, nostro quidem judicio, hic præferendi, legunt, ut in corpore.

[c] Omnes edit., *interpretatio, quæ est, pascua eorum, hoc est, fidelium. Quæ sunt pascua, nisi Christus?* Mss. ad unum, ut in textu.

[d] *Rosam*, eo forte Dominicum sanguinem vocat, quod frequentius e vino rubei coloris consecraretur maxime ob similitudinem. Consule super ea re lib. IV *de Sacram.*, cap. 4, et lib. I *de Liturgia Gall.*, cap. 5, num. 9, pag. 40.

Digitized by Google

degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur.

3. [a] Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, in splendore sanctorum : bona pascua etiam montes convallium. Nam et in his pascitur Christus, sicut capreolus, aut hinnulus cervorum. Montes sunt convallium, sicut luminaria istius mundi sedula humilitate fulgentes, qui virtutum diversarum præstant cacumine, et supra mundum meritis suis eminent. Isti sunt de quibus dicitur : *De hoc mundo non sunt, sicut et ego non sum de hoc mundo* (*Joan.* xvii, 14); quia supra mundum sunt qui Christum sequuntur. Convallis autem mundus est : ideoque disposuit in convalle fletus; eo quod in hoc mundo fletus sint lacrymæque. Et providens Dominus disposuit in hoc mundo Testamentum suum; ut magis hic fleamus peccata nostra, quam flenda servemus.

**1141** 4. Pascua nostra etiam isti versiculi sunt, de quibus hodie tractaturi sumus, in [b] quibus David dicit : Pascebam oves patris mei, ostendens veram lucernam, docens humilitatem (I *Reg.* xvii, 34). In pascuis talibus verus David, verus humilis, et manu fortis, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit; et homo natus per Virginis partum humiliavit se usque ad mortem, oves Patris sui divina prædicatione pascebat; cum secundum Scripturas suum probaret adventum (*Luc.* iv, 21), cum quinque panibus et duobus piscibus hominum millia multa saturaret. (*Joan.* vi, 9 *et seq.*)

5. (Vers. 103.) Hæc ergo nostra sunt pascua, hæc eorum qui possunt dicere : *Quam dulcia faucibus meis verba tua* (*Sup.* v. 103)! Hæc eorum pascua, qui dicunt : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.* Pascitur enim os nostrum verbo, cum loquimur mandata Dei Verbi. Pascitur et oculus noster interior lucernæ spiritalis lumine, quæ nobis in hac mundi nocte prælucet; ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, et viam veram invenire nequeamus. Intelligibilis igitur pedum gressus, intelligibilis et lucerna; quia Verbum Dei lucerna est. Nonne hoc in principio erat Verbum apud Deum : quomodo ergo lucerna est? Nonne hoc erat verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : quomodo ergo lucerna dicitur? Esaias clamat : *Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam* (*Esai.* ix, 2) : quomodo hic dicitur lucerna?

6. Sed videamus ne forte idem Verbum Dei aliis magna lux sit, aliis lucerna. Mihi lucerna, angelis lux est. Petro lux erat, quando astitit ei angelus in carcere, et lumen circumfulsit eum (*Act.* xii, 7). Paulo lux erat, quando euntem ad persequendum populum Christianum circumfulsit eum lux de cœlo, et audivit dicentem sibi : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* ix, 4)? Et magna quidem lux. Denique lucernæ Pauli lumen evanuit, ubi divinæ splendor lucis emicuit.

7. Et vere lucerna est mihi Christus, quando iste nostro ore recensetur. Lucet in limo, fulget in vase fictili thesaurus ille, quem habemus in vasis [c] fictilibus. Mitte oleum, no deficiat tibi; quia lumen lucernæ est oleum, non oleum terrestre, sed illud oleum misericordiæ cœlestis et gratiæ, quo ungebantur prophetæ. Oleum tuum humilitas est, qua cervicis nostræ dura mollescunt : oleum tuum misericordia tua est, quo etiam collisa scopulis peccatorum foventur corpora. Hoc oleum vulnerato illi a latronibus, descendenti ex Hierusalem Evangelicus ille Samaritanus infudit, qui videns eum, misericordia motus est, et alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. (*Luc.* x, 33 *et* 34). Hoc oleum sanat ægrotos; misericordia enim a peccato liberat. Hoc oleum lucet in tenebris, si opera nostra luceant coram hominibus. Hoc oleum lucet in Ecclesiæ solemnitatibus. Denique quibus oleum non defuit, nec lumen fidei defecit; sed cum lampadibus in locum nuptiarum introire meruerunt : quæ autem in vasis suis oleum non **1142** tulerunt, hoc est, non habuerunt fidem, non prudentiam, non misericordiam, animæ in hoc constitutæ corpore, merito infidelitatis exclusæ sunt (*Matth.* xxv, 10-12). Ideo et tu habeto semper lucernam ardentem, vel lucentem facem. Si enim neque lucerna, neque lampas tua luceat, stulta virgo diceris, nec introibis in thalamum Sponsi tui superioris : sed remanebis in tenebris cæcitatis, quasi qui oderis lucem; ne opera tua flagitiosa prodantur : *Omnis enim qui male agit, odit lucem.* (*Joan.* iii, 20). Habeto fidem, habeto prudentiam, ut semper habeas in vasis tuis oleum misericordiæ, devotionis gratiam; quia prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus suis. Ungite, o homines, lampades vestras : cum jejunatis ungite caput vestrum. Infundamus mentibus nostris oleum; ut corpus nostrum lucidum sit. Luceat tibi semper lucerna Verbum Dei : luceat et lucerna corporis tui oculus tuus. Conscientia tua lucens, bene in hoc corpore lucernæ lux est; quia ipsa est oculus tuus. Sit purus oculus tuus. Si conscientia tua munda sit, munda est caro tua : si autem tenebrosa est conscientia tua, etiam corpus tuum conscientiæ tuæ nocte tenebrosum est. Lucernæ ergo et nos sumus toto operti corpore, vix aliquid exiguum habentes unde lucere possimus.

8. Denique et Joannes lucerna erat, sicut dixit Dominus de eo : *Ille erat lucerna ardens, et illuminans* (*Joan.* v, 35). Bona lucerna, quæ lumen accipiebat a Christo; ut lucere posset in hoc sæculo :

[a] Ita sex mss. melioris notæ : in aliis vero, et ant. edit. omittuntur, *Nam et in his.... montes sunt convallium.* At Rom. edit. verba sic inverterat : *Bona etiam Christi pascua montes convallium (nam et in his pascitur Christus, sicut capreolus, aut hinnulus cervorum) hoc est, in splendoribus sanctorum, sicut,* etc.

[b] Mss. septem, *in quibus David pascebat oves patris sui.*

[c] Omnes edit. ac non pauci mss., *fictilibus. Lumen lucernæ est, mitte oleum ne deficiat tibi lumen lucernæ. Et oleum non oleæ terrestris,* etc. Septem alii mss. melioris notæ, ut nos in textu.

Digitized by Google

merito ardens, merito illuminans; quia erat nuntius A Christi, illuminans prædicatione fidei pectora singulorum. Sed et istis lucernis dedit, ut lux mundi essent, dicens ad apostolos : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14). Ergo si gloria sanctorum nunc sicut lucerna, nunc sicut lux mundi fulgebat in hoc sæculo, quid dicimus de Verbo Dei, quod et lucerna est pedibus meis?

9. Et fortasse ubi non sunt tenebræ, non est lucerna Verbum Dei, sed supra lucernam; quia lux est. Tenebræ iis non sunt qui vident lucem. Denique, *tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris sui* (*Matth.* xiii, 43). Et fortasse secundum Legem lucerna est Verbum Dei, secundum Evangelium lux magna est. Judæis lucerna est, et lucerna sub modio. Lucet Lex, sed non videtur; quia operta eorum B doctrina est et [a] cogitatione vitiorum, et cæcitate perfidiæ : populo autem ex nationibus lux est. Denique, *populo qui sedebat in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (*Esai.* ix, 2). Aperi igitur fenestras tuas; ut splendor tibi magnæ lucis introeat. Paratum fac candelabrum tuum; ut lux tua non operiatur integumento corporis tui, et mensura terrenæ hujus fragilitatis : sed supra mensuram corporeæ infirmitatis animæ tuæ virtute præfulgeas. [b] Aut si ad mensuram teneris, vide ne super efficiant ipsæ mensuræ, ne superefflnant : sed bonis seminibus sint contentæ. Non sit otiosus sermo tuus, non ferietur et vacet verbum tuum ; ne fiat lucerna sub modio. Potens est Deus qui super candelabrum constituat lucernam tuam; ut luceat omnibus qui in domo sunt, **1143** C ut qui ingrediuntur lumen videant. Candelabrum principale nostrum est. Pone sermonem in principali tuo, et omnibus luceat qui ingrediuntur in Ecclesiam. Accipe et aliud candelabrum. Considera os tuum, considera et sermonem tuum. Nonne os tuum candelabrum est, et verbum tuum lucerna est, cum de ore tuo profertur? Hæc lucerna semper tibi luceat, hoc est, verbum tuum luceat, et numquam exstinguatur.

10. Quæris ut doceam quomodo non possit exstingui? Scriptum est: Lumen justi semper inexstinguibile est : *lumen* autem *impiorum exstinguetur.* (*Job.* xviii, 5). Hoc lumen erat lucernæ, quæ lucebat in tabernaculo Testimonii, et hodie quæ lucet in Ecclesia, vir sapiens. Hic est oculus Ecclesiæ, qui non D dicit manibus, hoc est, [c] operantibus, sed non acutis ad intelligendum : Non estis mihi necessarii. Ergo super candelabrum lucebat, qui dicebat : *Nostra autem conversatio in cœlis est.* (*Philip.* iii, 20). Nam et David tota mente jam conversabatur in cœlo, et adhuc tamen dicebat : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Aut fortasse quasi bonus magister mihi prævire cupiebat; ut lumen sequi discerem, et illius pedibus ambularem. Ostendit ergo mihi [d] hanc lucernam sequi discere in istius ignorantiæ, in istius operimenti corporei tenebris constituto; ut Christum sequens, nullum lapidem offensionis incurram. Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum; quia adhuc non videbat moriturum et resurrecturum esse pro nobis. Conversus ad eum Dominus ait : *Vade retro post me* (*Matth.* xvi, 23). Ostendit illi lucernam quam deberet sequi, *post me*, dicens. Secutus verbum Dei confirmatus est : postea cœpit inhærere Christo, timens ne iterum aliquo laberetur errore. Nonne et ipse qui dicebat : *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ad hanc lucernam festinavit, cum diceret in mari : *Domine.... jube me venire ad te super aquam* (*Matth.* xiv, 28)? sed quia non sequebatur lucernam, motus est, atque titubavit, [e] naturæ vehementioris mole turbatus.

11. Sequamur ergo lucernam hanc : et sicut in nocte ambulemus ad lumen. Multæ foveæ, multi scopuli in istius sæculi caligine non videntur. Præfer tibi lucernam quam Propheta monstravit : vide quo debeas transferre vestigium, contuere ubi pedem ponere mentis internæ : per singulos cura sit gressus : nulli credas tuum, nisi præeunte lucernæ istius luce, processum. Nam ubi putas quod luceat, gurges est; videtur lucere sed polluit; et ubi putas solidum esse vel siccum, ibi lubricum est. Sed et si lucerna [f] tibi, iter longius sit. Sit ergo fides tibi itineris tui prævia, sit tibi iter Scriptura divina. Bonus est cœlestis ductus eloquii. Ex hac lucerna accende et tu lucernam; ut luceat interior oculus tuus, qui lucerna est tui corporis. Multas habes lucernas, accende omnes, quia dictum est tibi : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ vestræ ardentes* (*Luc.* xii, 35). Quia multæ sunt tenebræ, multæ sunt lucernæ necessariæ; ut meritorum nostrorum in tantis tenebris lumen eluceat. Istas **1144** lucernas Lex significavit semper lucere debere in tabernaculo Testimonii, non illas quas Ju-

[a] Sic plerique mss. Alii nonnulli, et cunctæ edit., *contagione vitiorum*. Non male, sed tamen allusio videtur hic fieri ad opinionem sacerdotum Judaici populi, qui cogitationes ac desideria Legi contraria non condemnabant.

[b] Rom. edit., *Aut si mensuram tenueris, vide ne deficiant ipsæ mensuræ, nec supereffluant*, etc. Vet. cum cunctis mss., *Aut si ad mensuram teneris*. In reliqua vero parte mss. inter se divisi partim voci *teneris*, continuo subjungunt, *supereffluat ipsa mensura*, *supereffluat*, *sed bonis sit conserta seminibus*, partim cum vet. edit. lectionem præferunt, quam secuti sumus.

[c] Cunctæ edit., *operantibus* (*cum sit quidem angustiis opertus, sed non angustus ad intelligendum*) : *Non estis.* etc. Mss. plerique, *operantibus ad intelligendum : Non estis*, etc. Optime omnium Navar. unus, Vind., Aud., Ebr. et Fisc. ut supra in contextu.

[d] Edit. vet. et mss. aliquot, *lucernam hanc sequar in istius ignorantiæ operimento, in istius corporis tenebris constitutus.* Rom... *in istius ignorantiæ tenebris, in istius corporeæ fragilitatis operimento constitutus.* Aliorum mss. quatuor, *hanc lucernam. Sequar discere.* etc. Unus, *hanc lucernam, ut discerem sequi*, etc. Sex denique ut supra in contextu. Duriuscula sane locutio, et quam credibile est vitare voluisse eos, qui tot varietates induxere. Sed eam tamen confirmant superiora, *ut lumen sequi discerem.*

[e] *Naturæ*, id est, elementi, scilicet maris.

[f] Post vocem *tibi*, subintellige substantivum, *est*

Digitized by Google

dæi accendunt quotidie (*Exod.* XXVII, 20). Illæ sub umbra lucent, et exstinguuntur quotidie; quia quod faciunt, non vident : quod legunt, nesciunt, accipientes secundum litteram quod præcipitur secundum spiritum. Tabernaculum enim Testimonii corpus hoc nostrum est, in quo Christus advenit, per amplius et perfectius tabernaculum, sicut scriptum est; (*Heb.* IX, 11 *et* 12); ut per sanguinem suum intraret in sancta, et conscientiam nostram ab omni opere mortuorum et labe mundaret; quo in corporibus nostris, quæ suorum testimonio et qualitate factorum cogitationum nostrarum abscondita et occulta testantur, lucernarum modo luceat nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo servas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus exstinguit, nisi eas tuum crimen exstinxerit. Hoc lumine castæ mentis et piæ devotionis solemnitatis nostræ festa resplendeant.

12. Luceat ergo semper lucerna tua. Arguit Christus etiam eos qui utuntur lucerna, si non semper utantur, dicens : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII, 35). Non ad horam exsultemus in lumine. Ad horam exsultat, qui audit verbum in Ecclesia et gaudet : egressus autem obliviscitur quod audivit, et negligit. Iste est qui sine lucerna in domo sua ambulat; ideoque in tenebris ambulat, qui opera tenebrarum facit, in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, in contentionibus et æmulationibus, indutus vestimenta diaboli, non Christum. Hæc fiunt quando verbi lucerna non lucet. Numquam ergo negligamus verbum Domini ex quo nobis omnium origo virtutum est, universorumque operum quidam processus. Si membra corporis nostri sine luce operari recte non queunt (nam pedes vacillant sine lumine, et manus errant), quanto magis ad verbi lumen dirigenda sunt animæ nostræ vestigia, atque mentis incessus! Sunt et manus animæ quæ bene tangunt, ut tetigit Thomas Dominicæ resurrectionis indicia (*Joan.* XX, 27), si verbi præsentis nobis lumen luceat. Hæc lucerna accensa sit in omni verbo, in omni opere. Ad hanc lucernam gressus noster forensis internusque moveatur.

13. Sed jam progrediamur ad cætera, et fiat pedibus meis lucerna verbum Dei, et semitis meis lux. Pedibus lucerna satis est ad ambulandum, semitis non est satis ad illuminandum : idem Verbum tamen et pedibus lucerna est, et semitis lux est; quia idem unigenitus Dei filius et delinquentibus advocatus, et remunerator est fortibus, peccatorum remissor, præmiorum largitor.

14. (Vers. 106.) Itaque cui lucerna fuerit Verbum Dei, huic quocumque pergit, lucent semitæ, sicut lucebant sancto David; et ideo quasi in lumine ambulans dicit : *Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Humiliatus sum usquequaque.* Vox ambulantis in lumine est cum auctoritate dicere : *Juravi*, **1145** *et statui.* Qui enim statuit, non movetur, non metuit ne cadat, quia plus est statuere, quam stare. Stat igitur David mentis statione fundatus, nec timet ne in his mundi hujus tenebris possit errare; si enim metueret, non juraret : si trepidaret, utrum divina posset custodire judicia, non cum jurisjurandi statueret sacramento. Nemo bene jurat, nisi qui potest scire quod jurat. Jurare igitur, indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Et bene jurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi præeat, si jurare disponis, id est, cognitio veritatis præcedat; ut vinculum sacramenti tibi non possit nocere. Ubi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. Denique ideo Dominus, qui venit docere parvulos, imbuere novos, [a] firmare perfectos, ait in Evangelio : *Non jurandum omnino* (*Matth.* V, 34); quia infirmis loquebatur. Denique non ad solos apostolos loquebatur, sed ad turbas; voluit enim te non jurare, ne perjures. Et addidit non jurare omnino neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput tuum (*Ibid.*, 34-36), per hæc videlicet quæ subjecta non sunt tuæ potestati. *Juravit Dominus, nec pœnitebit eum* (*Psal.* CIX, 4). Juret ergo ille quem sacramenti sui pœnitere non poterit. Et quid juravit Dominus? Quia Christus in æternum sacerdos est (*Ibid.*). Numquid incertum, numquid impossibile erat quod juravit Dominus? Numquid poterat esse mutabile? Noli ergo usurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem.

15. Quid igitur juravit David? *Custodire judicia justitiæ Domini.* In nullo videlicet jam perfectum, jam instructum divinæ justitiæ movebant judicia. Quanti moventur, cum vident justum aliquem orbatum liberis, dispendiisque frequentibus ad ultimam egestatis deductum necessitatem, ut ipsa alimentorum subsidia habere non possit : fractum ægritudine gravi, et perpetua debilitate vexatum, ut obire nequeat communis officia naturæ? Sed qui firmus est, non movetur, et is magis intelligit justitiam Dei prædicandam; quia corripit Dominus quem diligit. Numquid non frequentius corripitur filius, quam servulus? Injusta ergo pietas patris, magis quam domini severitas? Asperioribus exercet pater filium, quam dominus vernaculum. Sed dura patris non æstimantur impertita flagella; quia vult filium meliorem esse, quam servulum. [b] Eruditio ergo plena justitiæ est.

16. Orbatus est sanctus Job liberis suis, in quos Dominus potestatem diabolo dedit. Numquid iniquus Deus? Absit : immo justus; quia probaturus justum suum, per hujusmodi exercitia in quibus ejus est [c] probata patientia, magis dignum qui probaretur, effecit. Quo enim clarius meritum coronati, hoc uberior

[a] Mss. novem, *firmare imperfectos.* Reliqui, et cunctæ edit., *firmare perfectos.* Quid si legendum, *formare imperfectos?*

[b] *Eruditio* hic idem sonat, ac verborum castigatio.

[c] Mss. non pauci, ac veteres edit., *probata sapientia.* Melius tamen alii mss. ac Rom. edit., *probata patientia.*

Digitized by Google

justitia coronantis. Nudatus est facultatibus cum dives esset, et hæc Deo subiit permittente dispendia. Non erant pecuniæ jam damna, sed vitæ; cum deesset alimonia, ademptis omnibus. Quis accuset justitiam Dei; cum Job si non omnem amisisset pecuniam, non tantam invenisset gratiam? Athletam suum nudum ungere voluit Deus [a] oleo pœnitentiæ; ut et
1146 subeundo faceret certamini fortiorem, et emerendo præmio digniorem. Perfusus totum corpus vulnere gravi, sedebat in stercore, radens saniem sævis ulcerum vibicibus defluentem : et hoc permissu Domini diabolus intulerat justo viro. Videretur vicisse sibi diabolus, nisi accepta, quam poposcerat, potestate esset etiam ipse superatus. Quid igitur fuit illa tentatio, quid inopia facultatum, destitutio filiorum, tolerantia vulnerum, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosa virtutis, confessio plena victoriæ; ut qui ante contradicentem habebat diabolum, postea non haberet? Nemo ergo dura putet esse quæ justa sunt. Non videbantur dura ei, qui poterat dicere : *Nudus natus sum, nudus exibo: Dominus dedit, Dominus abstulit. . . sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Benedicit enim Dominum justus cum laborat, peccator cum [b] luxuriat. Non ergo ex infirmitate nostra vis æstimanda justitiæ est.

17. Quid durum putamus esse quidquid per imbecillitatem animi ferre non possumus? Tolle persecutiones, et martyres desunt. Sed et persecutores Deus, id est, potestates sæculi est passus assurgere; ne deessent qui vincerent Christo. Quis tunc non dixit infirmus : Domine, cur dedisti plebem tuam in potestatem persequentium? Sed quis hodie neget beatiores illos esse qui passi sunt, quam illos quos nulla vexarunt supplicia persecutorum?

18. Justus ergo optat probari, tentari non timet; qui enim statuit custodire judicia Dei, non timet tentationes. Ubi statuit, nisi in corde? Illic enim radicati et fundati esse debemus, non fluitantes, neque mobiles omni vento doctrinæ. Intus ergo statuamus in corde nostro, in pectore, in animo; ut nobis fiat illud propheticum : *Cogitationes justorum semitæ* (*Prov.* XII, 5). In his semitis bene ambulat justus; ideoque dicit : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV, 2). Denique hoc quoque loco auctoritati respondens suæ, qui juraverat, et statuerat custodire judicia justitiæ Domini, probari se voluisse dicit, qui humilitatem subeundam credidit esse pro Christo.

19. (Vers. 107.) Ideoque ait : *Humiliatus sum nimis.* Non solum humiliatum, sed etiam nimis humiliatum se esse gaudet. Beatus qui gloriatur humilitate magis, quam potestate. Potestas decipit, humilitas non destituit. Bona humilitas, quæ etiam in Christo laudem virtutis invenit. Hanc in illo plus veneror,
A quam creationem; quia creati ad laborem sumus, redempti ad quietem. Denique ipse advocans populos ad misericordiam suam, de humilitate propria gloriatur, dicens : *Palam factus sum non quærentibus me : apparui iis qui me non interrogabant* (*Esai.* LXV, 1). Et alibi : *Scapulas meas dedi in flagella, maxillas meas in palmas : faciem autem meam non averti a confusione sputorum* (*Esai.* L, 6). Recte ergo David humiliare se voluit; ut tribulationum Christi in se ipso, quod deesset, impleret.

20. Potest et ipse hoc ex sua persona per os David locutus dixisse : *Humiliatus sum nimis*, qui dixit in Evangelio : *Venite ad me, omnes qui laboratis,* 1147
*et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humi-*
B *lis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28 *et* 29). Discamus ergo ab eo, qui docere nos voluit quod proficeret ad salutem, et nobis dicit : *Discite a me.* Non est mediocre quod dicit, *Discite* : et addidit : *A me discite.* Non facile potest quisquam humilitatem [c] docere inflatus : quamvis sit humana præditus sapientia; mens tamen inflatur, quam superbia carnis extollit. Et qui paupertate contentus est, non est contentus injuria : et qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verborum contumeliis : et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in omnibus humilitatis tenere mensuras. Superbia hominem prima dejecit. Dum plus volumus, etiam quod minus est solemus amittere. Bona humilitas, quæ nihil appe-
C tendo, totum quod contemnit, adipiscitur. Ipse Dominus Jesus se humiliavit; ut nos elevaret : et humiliavit se usque ad crucem, *Propter quod exaltavit*, inquit, *illum Deus.... ut in nomine ejus omne genu flectatur* (*Philip.* II, 9 *et* 10). Quanta fecit Dominus audeo dicere, et non flexi ei genu? Sed flexi ei postquam se humiliavit. Sic enim, hoc est, per humilitatem, per crucem sibi Ecclesiam congregavit.

21. David rex erat, incerta et occulta sapientiæ sibi patefacta testatur : sed ideo se magis humiliabat (*Psal.* L, 8). At vero Ezechias cecidit ab altitudine cordis sui. Ille laudabilis rex, ille qui de obsidione, de ægritudine beneficiis Domini et mirabilibus liberatur, cecidit per superbiam, et gratiam meriti superioris imminuit. Quid fuisset Joseph, si hu-
D milis non fuisset? Scivit sibi obfuisse, quod prælatus erat fratribus : etiam pius amor miseriam prælationis invenerat. Prælatio armavit fratres, humilitas conciliavit extraneos: prælatio concitavit germanos, humilitas regem subditum fecit; ut vere quasi ex persona Joseph dictum putemus, quod hic ipse supra dixit : *Humiliatus sum, et salvum me fecit* (*Psal.* CXIV, 6); quamquam si consideremus quæ iste tole-

[a] Rom. edit., *oleo patientiæ.* Sed aliæ, ac mss. omnes refragantur.

[b] Cod. Nav. alter, *luxuriat* (hoc est, abundat). *Nonne ergo ex infirmitate nostra visa sunt dura mandata justitiæ.*

[c] Ita edit. cum paucis mss. Alii autem partim, *humilitatem docere : inflat quemvis humana sapientia, mens carnis extollit,* etc.; partim, *humilitatem docere inflatus; quamvis humana mens sapientia carnis extollatur.* Vel etiam, *humana sapientia mens carnis extollitur.*

Digitized by Google

ravit, ex persona sua eum dixisse reperiemus.

22. Golia superato, occurrerant juvenculæ psallentes : *Saul in millibus, David in decem millibus* (I *Reg.* XVIII, 7) : commotum est fel regis, et quærebat eum occidere : et humiliavit se David ante Jonathan filium regis, et convertit ejus affectum; ut quem successorem patrii regni potuerat habere suspectum, eumdem adversum studia paterna servaret, dicens patri : *Quid peccas in sanguinem innocentis* (I *Reg.* XIX, 5)? et id vocem extorqueret invito, quod non mereretur occidi David. Recte ergo ait : *Humiliatus sum, et salvum me fecit* (*Psal.* CXIV, 7). Et iterum cum ad eum propheta venisset, et indignationem Domini in causa Bethsabee mulieris denuntiasset, humiliavit se, et ait : *Peccavi Domino.* Et dixit Nathan ad eum : *Quoniam pœnituit te, abstulit Dominus peccatum* B *tuum ;* **1148** *non morte morieris* (II *Reg.* XII, 13). Bona igitur humilitas. Denique humiliatus est, et salvus factus est. Et alio loco, cum propter numeratum populum Dominus esset offensus, et misisset prophetam Gad, qui regi David diceret . *Elige tibi quid velis fieri, triennio famem super terram, aut tribus mensibus fugere te a facie inimicorum tuorum persequentium te, aut fieri triduo mortem in terra* (II *Reg.* XXIV, 13), respondit David : *Angustiæ sunt mihi hæc tria : sed magis incidam in manum Domini, quoniam magna est misericordia illius valde, quam in manus hominum incidam* (*Ibid.*, 14). Et cum dedisset Dominus mortem in Israel a mane usque ad horam prandii, septuaginta millibus hominum mortuis, respexit David ad Dominum, et cum vidisset Angelum ferientem populum C dixit : *Ecce ego peccavi, et ego pastor male feci : et isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me, et in domum patris mei* (*Ibid.*, 17). Et propitius factus est Dominus, cum sacrificium reconciliationis Domino esset oblatum. Bona ergo humilitas, quæ regem plebemque servavit. Itaque, reconciliato Domino, ait David: *Bonum mihi est, quod humiliatus sum* (*Sup.*, v. 71).

23. Bona ergo humilitas, præsertim si adjungatur ei devotio voluntaria. Ideoque se vivificari secundum verbum petit; ut secundum verbum vivat, et omnia cum ratione faciat, non secundum carnis voluntatem. Unde [a] mysticum illud etiam moraliter accipi potest: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est ni-* D

A *hil* (*Joan.* I, 1-3). Et tu imitator esto Dei. Quomodo imitator? Numquid cœlum potes facere, aut terram, aut mare? Non utique; sed ut omnia per verbum facias, nihil sine verbo; omnia cum ratione nihil sine ratione; quia non es irrationabilis, o homo, sed rationabilis.

24. (Vers. 108.) Sequitur versus quartus : *Voluntaria oris mei comproba, Domine, et judicia tua doce me.* Qui se humiliat, vivificatur secundum promissum Domini : qui vivificatur spiritu Dei, voluntarius est minister; plurimum enim refert utrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Denique voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo docente cognovimus. Scripsit enim : *Væ enim mihi est si non evangelizavero! Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (I *Cor.* IX 16 *et* 17). Vide voluntarium exsecutorem cœlestis arbitrii. Liber erat ex omnibus, [b] et omnium servus est factus, voluntate utique, non necessitate; ut plurimos lucraretur (*Ibid.*, 19-22). Illis quoque qui Legis vinculo tenerentur quasi sub Lege esset, se exhibuit, cum sub Lege non esset; ut eos servaret qui sub Lege vivebant. Infirmis infirmus factus est; ut infirmos assumptione infirmitatis propriæ sustineret. Omnibus omnia factus est, non [c] legitima necessitate, sed voluntatis obsequio. Aperuit **1149** mihi hujus altitudinem consilii in epistola ad Philemonem scripta; quia quod ipse esset, alium esse vellet; ut voluntate potius quam necessitate detulisse Domino videretur. Itaque pro Onesimo interveniens, sic ait : *Tu autem illum ut mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere; ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii : sed sine consilio tuo nihil facere volui; ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium* (*Philem.* XII, 13 *et* 14). Quam sedulus suasor, qui cum esset vas electionis divinæ, consortium consilii non dedignabatur alieni; ne alterum fructu voluntatis propriæ defraudaret. Recte ergo David ait quasi propheta : *Voluntaria oris mei comproba, Domine*, oris sui offerens Domino sacrificium voluntarium; eo quod ut apis illa prophetica bonos flores colligere ore consueverit, favos ore fingere, mella ore componere, et ex herbis suavibus [d] ore filios legere; quæ *cum sit*, inquit, *robore imfirma, sapientiæ prædicatione substan-*

[a] *Mysticum*, hoc loco neutiquam opponitur litterali; quando quidem ubique litteralem hujusce textus Evangelici sensum constantissime propugnat Ambrosius : atque adeo interpunctionem ab Alexandrinis et Ægyptiis nec non et a Photino eo inductam, ne vel minima hæresi arianæ daretur occasio, rejiciendam contendit, ut videre est Enar. in Psal. XXXVI, num. 35, et Comm in cap. I Lucæ. Hic ergo testimonium illud ideo *mysticum* dicitur, quia rem minime corpoream, sed a sensibus, immo ab ipso humano intellectu remotissimam exponat, æternam scilicet Verbi divini generationem. Moralitas autem in eo est, quod λόγος Græci codicis Latine verbum et rationem significet. Porro cum ex memoratis verbis morali sensu haudquaquam excludi litteralem nobiscum confiteri cogantur novi hæretici, quamobrem etiam non confitebuntur, sicubi sacrum illud effatum: *Hoc est corpus meum*, a Patribus mystice ac spiritaliter expositum videant; inde tamen naturalem et litteralem interpretationem non excludendam.

[b] Mss. quinque, *Et in omnibus servus est factus.*

[c] *Legitima necessitas* est ea, quam lex imponit.

[d] Ita mss. sex. Reliqui vero et ant. edit., *ore flores legere.* Rom., *ore natos legere.* Scilicet quia adverterant editores Ambr. alludere ad Virgilianum illud e lib. IV Georg. :

> Verum ipsæ e foliis natos, et suavibus herbis
> Ore legunt.

Vide hac ipsa de re lib. V Hexaem., cap. 21, num 67.

*æ suæ producit ætatem* (*Prov.* VI, 8). Quod sit istud voluntarium oris sacrificium, recognosce : *Immola*, inquit, *Deo sacrificium laudis* (*Ps.* XLIX, 14).

25. Exspectat Dominus voluntarios ministros. Denique in libro Esaiæ dicit Dominus : *Quem mittam* (*Esai.* VI, 8)? Utique servulo suo poterat imperare, quem dignum qui mitteretur, invenerat : sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerret, præstolatus est. Et quamvis ejus sciret affectum, exspectavit tamen vocem; ut cumularet gratiam. Unde se offerens Esaias ait : *Ecce ego, mitte me* (*Ibid.*) ; et sic postea missus est ad populum. Ideo de eo dictum est : *Quia Esaias audet, et dicit* (*Rom.* X, 20). Etenim quasi voluntarium organum uberiore spiritus sui gratia Christus implevit.

26. Nec otiose hoc positum puto ; quia voluntaria oris sui placere desiderat Domino. Multi prophetæ, sed in omnibus oris voluntaria placent. Excusabat Hieremias, dicens : *Quis es dominator, Domine? Ecce nescio loqui, quia juvenior sum ego ; et dixit ei Dominus : Noli dicere, quia juvenior sum ego ; quia ad omnes ad quoscumque misero te, abibis : et secundum omnia quæcumque mandavero tibi, loqueris* (*Jerem.* I, 6 *et* 7). Verecunde propheta ætatem corporis prætendebat ; ne exsequendis cœlestibus imperatis impar esse adolescentia deprehenderetur. Sed Deus ut qui morum magis quam annorum judicaret ætatem considerandam, et in juvenili corpore maturitatem robustæ sapientiæ in suo servulo prævideret, ait : *Noli dicere, juvenior sum ego*, hoc est, prohibuit eum juvenilis ætatis contemplatione vires suas perpendere, cui fides canitiem sapientiæ ministraret. Et iterum in posterioribus cum dixisset idem propheta : *Seduxisti me, Domine, et seductus sum... Et dixi : Non nominabo nomen ejus, et non loquar in nomine ejus ultra* ; addidit : *Et factus est in corde meo, ut ignis ardens, flammans in ossibus meis : et dissolutus sum undique, et ferre non possum* (*Jerem.* XX, 7 *et* 9). Advertimus igitur quod iis etiam qui aut excusandum officium suum, aut certa aliqua causa negandum putaverint, Dominus tamen noster aut ratione persuadeat, aut cupiditate **1150** propheticæ revelationis inspiret ; ut ad subeundum officium voluntate concurrant, non necessitate conscendant ; quo merces ad eos integræ devotionis possit plenior pervenire. Prophetavit et Caiphas, *Quia expedit unum hominem mori pro populo* (*Joan.* XI, 50) : sed hoc voluntarium oris ministerium non erat ; quia loquebatur invitus. Denique quid diceret, nesciebat.

27. Quæ ergo voluntaria oris sui Domino David placere desiderat? *Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11). *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV, 9). *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio sæculi* (*Psal.* LXXVII, 2). *Paravi lucernam Christo meo* (*Psal.* CXXXI, 17). Corpus suum quod erat ante limosum, et cœno hæreditariæ colluvionis obstructum, [a] ut oleum spiritale recipere non posset, Christo paravit, ut luceat. Christo lucet, cujus opera in Christi lucent lumine. Christo lucebat Petrus, cum diceret : *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula* (*Act.* III, 6). Christo lucebat ille qui dicebat : *Sanet te Dominus Jesus* (*Act.* IX, 34). Christo lucebat martyrum lucerna, qui pro Christo subiere martyrium. Christo lucebat David, qui poterat dicere : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Ps.* LXXXIII, 3). Christo paraverat mentem cum de eo, a quo frequenter ad mortem fuerat appetitus, diceret : *Non mihi contingat a Domino, si fecero hoc verbum, Domino meo, Christo Domini injicere manum meam* (I *Reg.* XXIV, 7). Cum majorem haberet causam tuendæ salutis suæ, ut occideret persequentem ; etiam alios qui suadebant inimico non esse parcendum, quem Dominus juxta promissum suum, in manus ipsius tradidisset, ab ejus necandi cupiditate revocabat. Christo lucebat Propheta, cum de eo qui patris domum turpi maculaverat incestu, qui patris salutem parricidalibus præliis appetebat, pius pater tamen diceret ad prælium profecturis : *Parcite filio meo Abessalon* (II *Reg.* XVIII, 5). Tacebat improbitatis scelus : pietatis autem gradum, et nomen necessitudinis præferebat ; ut pugnaturi non adversarium regis, sed filium cogitantes, dolorem læsæ pietatis inhiberent. Et post mortem ejus operuit faciem suam, et voce magna clamabat, dicens : *Filius meus Abessalon, filius meus* (*Ibid.*, 33). Hanc vocem parricida non meruit : sed Christi prophetabat gratiam. Didicerat Propheta de Christo bonus esse pater, qui bono filio serviebat.

28. Denique ideo dicebat : *Et judicia tua doce me* ; quia judicia Dei sicut abyssus multa, et inscrutabilia, ut Apostolus dicit (*Rom.* XI, 33). Ideo non poterat ea, nisi Christo docente, cognoscere ; quia unus magister omnium Christus est (*Matth.* XXIII, 8). Hæc autem Christi judicia sunt ; ut iis qui nobis insidiati fuerint, noverimus non vicem injuriæ rependendam, sed pro injuria magis deferendam gratiam. Denique maledicentibus non remaledixit, percutientes non repercussit : sed magis etiam crucifixus pro persequentibus se piæ intercessionis apud Patrem auxilium deferebat dicens : *Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Hæc igitur [b] quisquis fecerit legis judicia, remuneratione donatura Christo.

**1151** 29. (Vers. 109.) Sed quis judicia Dei [c] doceri potest, nisi qui animam suam semper intenderit ad Dominum? Qui potest dicere : *Anima mea in manibus tuis semper, et legem tuam non sum oblitus.* Aliqui habent : *Anima mea* [d] *in manibus meis semper*,

[a] Edit., *ut oleum spiritale recipere posset.* Mss..... *non posset.* Melius ; siquidem hoc loci ante *ut*, subintelligendum est, *ita* ; quæ dicendi forma bonis auctoribus est familiaris.

[b] Omnes edit., *quisquis spiritaliter intellexerit, et fecerit.* Omnes mss. ut in textu. Sed a multis etiam absunt sequentes duæ voces, *legis judicia.*

[c] Omnes edit. cum mss. aliquot, *docere potest* ; alii mss. melioris notæ, *doceri potest.* Optime, hoc enim aptius cohæret cum superioribus, *ideo non poterat ea, nisi Christo docente, cognoscere*, etc.

[d] Hieron. epist. ad Suniam apud LXX aliosque

Digitized by Google

hoc est, in actibus meis, hoc est, in operibus meis. Quamvis in periculis positus dicit justus ad Dominum: *Propter te quotidie morior*, quotidie periclitor: periclitor ab insidiatore, periclitor ab obtrectatore, periclitor ab iis quos arguo, quos revinco, periclitor pro veritate atque justitia: ego tamen nec periculis territus, tuæ legis oblitus sum; propterea, *in manibus meis anima mea*. Sed quia plerique habent: *Anima mea in manibus tuis semper*; hoc latius explanandum arbitror.

30. Scit propheta, scit ubi animæ suæ præsidium locet, unde opem speret: in manibus Dei constituere vult animam suam; quia cor regis in manu Dei est (*Prov.* XXI, 1). Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens rex dicitur; quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit: non captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Hujus anima non perit in æternum, nec quisquam rapit eam de manu Patris omnipotentis aut Filii. Manus enim Dei quæ solidavit cœlum, quos tenuerit, non amittit.

31. Quæ sint igitur istæ manus, consideremus. In Canticis habes: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me* (*Cant.* II, 6). Hæc loquitur Sponsa de Christo, anima de Verbo Dei. Christus autem idem est Verbum Dei, atque sapientia; beata ergo anima, quam complectitur sapientia. Magna est sapientiæ manus, magna dextera totam complectitur animam, tota enim munita est, quæ desponsata Dei Verbo est; plenitudo enim sapientiæ, timere Deum. Quæ ergo Deum timet anima, pleno se munit ipsa præsidio: mittit sapientia lævam suam sub collum ejus, dexteram autem in complexum ejus. Utrumque quidem brachium ejus ad utilia extenditur; habent tamen [a] proprietates suas singulæ manus. Sapientia in dextera, et longitudo vitæ est: in sinistra autem divitiæ et gloria. Bonis utique manus utraque dotata est dotibus: in eo tamen habeat varietatem sui muneris, quod et præsentia et futura tempora comprehendunt; ut læva præsentium remuneratrix, dextera futurorum sit.

32. Possumus hoc etiam de prophetia sancti patriarchæ Israel cognoscere. Nam cum dexteram suam posuisset super Ephræm, sinistram autem super Manassen: et convertere eas Joseph ætatum consideratione voluisset; ut dexteram patris super caput Manasse senioris filii collocaret: noluit et dixit: *Scio, fili; et hic erit in populum, et hic exaltabitur: sed frater junior major illo erit* (*Gen.* XLVIII, 19). In quo major? In eo utique quia benedictione prælatus est, dicentibus posteris: *Faciat vobis Deus sicut Ephræm et Manassen* (*Ibid.*, 20): vel quamvis semen ejus multitudo gentium sit, quæ in hoc sæculo laborem elegit, credens **1152** in Dominum Jesum ut consolationem habeat futurorum. Manasses autem semen est populus oblivionis, qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in hoc sæculo est, daturus in reliquum pœnas graves; quia Deum suum et Dominum denegavit.

33. Hoc ideo diximus, ut probaremus ea esse potiora, quæ futura sunt. Denique læva sapientiæ sub capite Sponsæ est: dextera autem superior, ut totam complectitur Sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis præsentis, quo anima innixa requiescit. Habet ubi reclinet caput suum; quia hæc sapientiæ sunt divitiæ et gloria. Ad tempus hæc demulcent, et ex parte solatio sunt. Et ideo *Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret*; quia *cum dives esset, pauper factus est* (*Matth.* VIII, 20); nec gloriam aliquam istius sæculi requirebat (II Cor. VIII, 9), quia venerat non ut in portione, sed ut universo humano generi subveniret dicens: *Mihi irascimini, quia totum hominem sanum feci in sabbato* (*Joan.* VII, 23); hoc est, totum, non ut facultatum cumulatione ditaret, non ut honorum insignibus, non gloriæ sæcularis cumularet augmento; hæc enim non habent beatitudinis et gratiæ plenitudinem: sed totum hoc est; ut longitudinem vitæ complecteretur æternæ. Neque enim communis vitæ similis vita in dextera est sapientiæ: sed longitudo vitæ est; ut qui accipit vitam a sapientia, non exiguitatem vitæ, sed perpetuitatem, et æternitatis longitudinem adipiscatur.

34. Bonus amictus æternitas vitæ. Hoc pallium Sponsæ custodes murorum voluerunt auferre, quo primus homo fuerat exutus: sed anima Deo devota quæsitum diu tenendo, et non dimittendo dilectum, pretioso charitatis divinæ se vestivit involucro. Beati igitur qui tali pallio vestiuntur, et amictum hujusmodi, legis observatione meruerunt; quia non sunt legis obliti: sed quæ erant legis, operati sunt. Nam qui præter legem agit, legis oblitus est. Et ideo hæc anima candida ascendit e terris; quia fulget amictu veste sapientiæ: et dicunt de ea virtutes illæ quæ portas cœli custodiunt: *Quæ est quæ ascendit candida, innitens super fratrem suum* (*Cant*, VIII, 5)? Cum ea quæ posuit caput suum super lævam sapientiæ, ut aperiret manus pauperi ad subveniendum inopi: [b] paratis aut derelictis sibi, non invasis atque direptis divitiis uteretur, quæ gloriæ cupida bonis eam operibus acquisivit, non inanes sæcularis jactantiæ dignitates ambivit. Hoc est enim caput suum, et quoddam sensuum principale supra manum constituere sapientiæ. Ea, inquam, anima meritis ascendit albentibus[c] ex isto vitæ hujus, ut habent plerique, de-

omnes interpretes legi testatur, *in manibus meis*. Nostræ tamen edit. eorumdem LXX, immo et cod. scripti, quibus adde Hilar. atque August. nec non antiquissima psalteria manu exarata, cujusmodi sunt Germ., Carn. et alia præferunt, *in manibus tuis*.

[a] Edit., *propria sua singulæ manus*.

[b] Edit. omnes, *partitis, aut derelictis... non inani sæcularis jactantia ambivit dignitatis*. Mss. nonnulli, *partis, ac derelictis..... non inanis jactantiam sæcularis dignitatis ambivit*. Alii majori numero, et auctoritate, ut in textu.

[c] Voces, *ex deserto*, apud LXX editionis Romanæ ac Venetæ desiderantur; sed reperiuntur in Complutensi.

Digitized by Google

:rto, ad illum florentem semper locum jucunditatis ternæ. Istæ sunt virtutes quæ et in Esaiæ libro icunt : *Quis est iste qui advenit ex Edom, rubor estimentorum ex Bosor, sic pretiosus in stola* (*Esai.* xiii, 1) ? Istæ, inquam, sunt quæ mirantur ex isto onfragoso scopulosoque deserto aliquam ascendere nimam posse sine magnorum labe vitiorum; et ideo ratulantur repertam, quæ vestimenta **1153** innoentiæ naturalis non polluerit atramento insipientiæ æcularis : sed magis sapientiæ spiritalis, et gratiæ :andore mundarit.

35. (Vers. 110.) Dicit ergo ea anima jam secura, jam ætа : *Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.* Digna vox relinquentis hoc sæculum, eo quod retia persequentium, et insidiatorum laqueos evaserit. Vox digna martyribus, quibus multa supplicia proponebantur, multa etiam offerebantur præmia ; ut a martyrii studio vel terrore pœnarum, et sævæ mortis horrore, vel præmiorum revocarentur illecebra. Gravis laqueus proscriptionis, qui sæpe frangit sanctos inopiæ deformitate, quos mortis formido non fregerit : laqueus alius incendii, laqueus carceris, diuturnique supplicii : grandis laqueus, cum divitiæ promittuntur, cum honores, cum amicitiæ tyrannorum. Qui ergo hæc evaserit, et ad martyrium pervenire potuerit, recte dicit : *Posuerunt peccatores laqueum mihi : sed a tuorum mandatorum non declinavi semitis* ; cui despicienti præsentia, futura quærenti, regnum cœleste [a] divinitatis tuæ promissione reseratum est.

36. Qui sunt isti peccatores qui posuerunt laqueos? Aperuit tibi Apostolus auctorem omnium peccatorum, et demonstravit dicens : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (I *Tim.* vi, 9). Advertis igitur laqueum diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori : sed ille qui nihil habuit quod posset princeps istius mundi veniens suum dicere, laqueorum ejus vincula dissolvit. Ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Judam apostolum strangulavit. Qui miser, cum esset illaqueatus ut proderet Dominum, ubi advertit quantum sceleris esset admissum, laqueo se ipse suspendit. Sed et ipse laqueus diaboli fuit, ut non ageret pœnitentiam, sed laqueo se suffocaret. Deus enim etiam in ipsos pius est proditores ; ut ad pœnitentiam provocentur, atque a flagitioso proposito reflectantur, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Jam non ærumna est incidisse, sed crimen : qui non solum se dedere capiendos, sed etiam ad voluntatem diaboli tenentur astricti ; cum possint dicere : *Dirumpamus vincula ipsorum* (*Psal.* ii, 3). Dedit enim tibi Scriptura divina ut non solum caveas diaboli laqueum : sed etiam per pœnitentiam ejus vincula dirumpas.

37. Quid tibi, homo, cum deliciis ac voluptatibus? Non capit laqueus, nisi ante esca te ceperit. Dum A prædam petis, laqueo ipse te nectis. Esca laquei avaritia est : esca diaboli luxuriæ est, quibus nos vult inescare, non pascere. Et ideo clamabat apostolus : *Ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu* (*Coloss.* ii, 21 *et* 22). Noli ergo attaminare luxuriam, et illa te contaminare non poterit. Noli gustare avaritiæ corruptelam, et eris immunis a laqueo. Quid tibi postremo cum terris, qui cum Christo resurrexisti ? *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est . . . . quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* iii, 1 *et* 2). Mortui sumus **1154** terris, vitam nostram cum Christo abscondimus in Deo nostro : non jam nos vivimus, sed Christus vivit in nobis. Quid iterum ad terrena remeamus ? *Ecce elongavi fugiens*, dicit sanctus (*Psal.* B liv, 8). *Vide laqueos iniquitatis et contradictionis in civitate* (*Ibid.*, 10). Laquei sunt enim ubi est usura et dolus. Elongavit ille fugiens terrena dedecora ; ideo ad cœlestia pervenit præmia.

38. Quid, inquam, te reflectis in terram, si in Enoch raptus ad cœlum es, in Elia levatus es curru, in Paulo raptus es ad paradisum, conversatus in cœlis, in David exauditus ; ut pennas columbæ assumeres, et volares : in Christo exaltatus, volucris factus in Spiritu ; quando sicut columba descendit, illas tibi alas dedit ; ut tu disceres evolare de terris ? Neque vero cunctandum putes quomodo tibi volandum sit, quibus alarum remigiis. Dixit quidem David : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Ibid.*, 7) ? Et quasi dubitasse visus est C a quo pennas posset accipere ; licet sic soleat divina gratia declarari, quæ in terris non potest inveniri : idem tamen in posterioribus, quæ sint istæ pennæ, docuit evidenter dicens : *Si dormiatis inter cleros medii, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in specie auri* (*Psal.* lxvii, 14). Etsi dormias, exsurgunt tamen pennæ tuæ. Sunt enim qui vigilant dormientes, ut [b] vigilabat illa quæ dixit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* ii, 5). Etsi nox est, vigilat spiritus, de quo scriptum est : *De nocte vigilat ad te spiritus meus* (*Esai.* xxvi, 9). Tunc tibi pandentur alæ ex eloquiis spiritalibus, pretiosaque auri prudentia volatus assurget. Ubi ergo laqueos poteris pertimescere, cui remigium præsto spiritale est ? Si sinceritas animi, si puritas mentis affulgeat, colum- D ba es. Ideo tibi dictum est : *Estote. . . . simplices sicut columbæ* (*Matth.* x, 16). Si majora desunt remigia, vel minora ne spernas. Esto vel passer ; ut laqueos sagaci indagine prævideas, et pene captus illecebris peccatorum, tamen aliquando revocatus possis dicere : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* cxxiii, 7). De quo quoniam alibi (*Lib.* iii, *in Luc. c.* xii) putavimus esse tractandum, nunc alio transeundum videtur.

39. Satis est tibi ut avem te esse noveris, assumptum in naturam volandi, dicente Domino per Pro-

[a] Cod. Læt. et Nav. unus, *divina satiato promissione reseratum est.* Alii aliquot, *divinitatis tuæ promissione reservatum est.*

[b] Complures mss., *vigilabat qui dicit.*

Digitized by Google

phetam: [a] *Liberate vos ex laqueo venatorum, et a verbo conturbationis* (*Psal.* xc, 3); non enim injuste tenduntur retia avibus. Avis es, o homo, qui sicut avis in quamdam aquilæ renovatus es juventutem. [b] Et ideo non injuste tenduntur retia avibus. Quid enim te in terram dejicis, qui jam cœlum petebas? Non enim injuste renovato tenduntur retia; quia jam Christi esse cœpisti, venantium esse desiisti. Attende laqueos venatorum. Ante quasi prædam suam diabolus suo jure capiebat: nunc Dominicæ crucis mercem cur alienus incursat? Potes tamen etiam hos laqueos evitare, ne dicas: venantes ceperunt me sicut passerem; si laqueum cordis evadas, quem misit diabolus in cor Judæ, et ita eum in facinus proditionis armavit. Avertat **1155** a nobis Deus hos laqueos, quos super peccatores pluit. Et ideo dicit Propheta (*Psal.* xxxiv, 8): Dabis illis, Domine, laqueum cordis eorum, [c] quem parasti eis. Nobis autem da, Domine, auxilium; ut post te sequamur, tuis alligati vinculis. Nulla enim vehementiora, nulla sunt gratiora, quam vincula charitatis. Qui tibi ligatus est, solutus est mundo.

40. (Vers. 111.) *Hæreditavi testimonia tua in æternum; quoniam exsultatio cordis mei sunt.* Etiam ista vox martyrum est, dicentium quod hæreditatem acceperint cœlestium testimoniorum. Dicit ergo Propheta: Hæres sum mandatorum tuorum, successionem tuam fidei pietatisque jure quæsivi. Non potest dicere istud, nisi qui mandata custodit, cœlo et terra testibus, acquisita. Dixit enim Dominus: *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra* (*Esai.* i, 2). Testatur elementa Dominus ad redarguendos eos, qui noluerint præcepta divina servare; ut refugia omnia excusationis obsepiat. Testatur et homines, dicens: *Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus* (*Esai.* xliii, 10). Mandata ergo Domini plena sunt testimoniis, et ipsa sunt testimonia, quorum satis idoneus testis est, qui non mentitur Deus, apud quem et conscientia tua testis est, cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, satis fidelis etiam in infido pectore; quoniam arbitrum omnium quæcumque commissa sunt, latere non possunt. Nam si in judicio terrestri etiam is qui ad mentiendum venerit subornatus, tamen si testimonio fuerit convictus alterius, solet prodere veritatem; quanto magis in judicio cœlesti apud Dominum Jesum necesse habet quæ vera sunt confiteri, quem novit scire quod factum est?

41. Et bene ait: *Hæreditate quæsivi testimonia tua;* quoniam sicut ante hæredes fuimus peccatoris: ita nunc hæredes sumus Christi. Illa fuit criminum, hæc est virtutis hæreditas: illa nos obligavit, hæc solvit: [d] illa obæratos fenore delictorum adjudicavit inimico, hæc redemptos titulo Dominicæ passionis Christo acquisivit. Mala Evæ successio [e] totum hominem devorabat: præclara Christi hæreditas totum hominem liberavit. Non ad unum quidem, non ad paucos: sed ad omnes Testamentum suum scripsit Jesus. Omnes scripti hæredes sumus non pro portione, sed pro universitate. Testamentum commune est: jus omnium, hæreditas universorum, et solida singulorum. Novum Testamentum singuli adeunt, et omnes possident: nec minuitur hæredi, quidquid a cohæredibus vindicatur. Manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum. Alia conditio est hæreditatis humanæ. Si divisa fuerint emolumenta, minuuntur, et hæredis est damnum descriptio cohæredis. Indivisum regnum Christi est, indivisa hæreditas. Quomodo fieri poterat, ut divisa esset hæreditas; cum hæreditatis fructus sit indivisus, quod est regnum cœlorum? Aurum, argentum, prædium ab homine pluribus derelictum distribuitur ac secatur: solida ad singulos Christi dona **1156** perveniunt: omnes habent, et nemo fraudatur.

42. Audiamus igitur commoda hæreditaria. Remissio peccatorum hæreditas Christi est. Certe solida per singulos, et in commune est lucrativa; quibuscumque enim collata fuerit, nulli decedit, accedit omnibus. Corpori acquiritur, quidquid unicuique relaxatur. Nam si angeli super uno peccatore pœnitentiam agente lætantur; quia lucrum suum reputant hominis redemptionem: quanto magis lucrum est generis, quod est lucrum naturæ? Hæreditas Christi est resurrectio. Hanc quisquam damnum suum dixerit, quæ in uno communis gratiæ omnes invenit? Christus enim surgens, omnibus resurrexit; quoniam per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo igitur potest singulorum esse dispendium, quæ est totius corporis et humani generis reformatio? Recitetur itaque Testamentum, et institutiones ejus consideremus. *Testis autem nobis et Spiritus sanctus. Cum enim* [f] *dixerit: Hoc autem testamentum quod testabor ad illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, et in sensibus eorum scribam eas, et peccati et injustitiæ eorum non memorabor* (*Hebr.* x, 15 *et seq.*). O vere testator æternus, qui nostris cordibus leges affigit suas, et scribit in sensibus; ut nihil aliud cogitare, nisi divina præcepta possimus, nihil aliud sentire, nisi Dei oracula debeamus. Dedit gratiam, reformavit naturam, sibique qui oblivisci

[a] Ita omnes mss. atque edit. vet. cum ant. edit. B. Hilarii. Edit. autem Rom. ex sacrorum codicum, aliorumque Patrum auctoritate, *liberabit te ex laqueo venatorum.*

[b] *Et ideo non injuste tenduntur retia avibus,* desunt in superioribus edit. At in mss. reperiuntur. Iterum omnes edit. cum multo majori parte mss. *venantium esse desiisti;* ubi cod. Gem., Fisc., Ebrulph. habent, *venantium esse desiste.* Postremo ubi cunctæ edit. ac mss. quatuor, *Ante te laqueo venator, ante quasi prædam*, ibi quatuor legunt, *Habes qui te liberet de laqueo. Venator ante quasi prædam.* Reliqui omnes lectionem nostram constituunt.

[c] Rom. edit. sola, *quem paraverunt nobis.*

[d] Mss. Navar. unus Colb., Gem. et Aud., *illa obarrhavit fenore delictorum*, etc.

[e] Rom. edit. sola, *totum hominem denotavit.*

[f] Post verbum *dixerit*, subjungunt omnes edit., *Testis sum testamentorum meorum, quæ testificatus sum in vobis, tunc testimonium perhibebit quod testatus sit dicens: Hoc autem*, etc. Sed illa neque in mss. ullis Ambr. aut Scripturæ edit. reperimus, neque omnino

Digitized by Google

nihil solet, memoriam meorum abstulit peccatorum, [a] mihi dedit præceptorum suorum.

43. Noli ergo tollere de corde tuo legem Dei, et affigere legem peccati. Noli scribere in sensibus tuis diaboli illecebras, et Dei delere mandata. *Ecce ego*, inquit, *pinxi muros tuos, dicit Dominus ad Hierusalem* (*Esai.* XLIX, 16); hoc est, ad animam studiosam tranquillitatis et pacis, quam fecit ad imaginem suam. Noli, inquam, auferre imaginem cœlestem, et imaginem mortis imponere. Recusasti hæreditatem sæculi: serva Christi testimonia; quoniam in his exsultatio atque lætitia est, quandoquidem omnis fletus delebitur, et mors non erit amplius, neque luctus, neque fletus, neque clamor. Passio Christi imago fuit regni cœlestis. Nemo audivit in plateis vocem ejus; quia illo silentio passionis suæ clamorem omnem in posterum impiæ vocis abolebat. Nolebat fleri, qui dicebat ad filias Hierusalem: *Filiæ Hierusalem, nolite me flere, sed vos ipsas flete* (*Luc.* XXIII, 28). Ablaturus enim omnes lacrymas suæ beneficio crucis, in passione propria futuræ instar beatitudinis exhibebat; ut nemo fleret, nisi qui Christi beneficia non teneret.

44. Merito ergo vir Evangelicus dicit: *Hæreditate quæsivi testimonia tua in æternum; quoniam exsultatio cordis mei sunt*. Quis non exsultet, qui cœlum et terram hæreditate quæsivit (quæ duo elementa contestatus est etiam Deus, cum legem daret) quia quæsivit Deum, de quo dicit Sanctus: *Portio mea Dominus:* quæsivit Dominum Jesum, quæsivit Spiritum sanctum; et post illa quæsivit angelos, et cum illis vivit, non hodie tantum **1157** et cras, sed in æternum: nec ullis pro nomine Domini contristatur injuriis? Denique gaudebant apostoli cum verberarentur, cum in carcerem truderentur.

45. (Vers. 112.) Exsultans igitur in testimoniis Domini jure dicebat: *Inclinavi cor meum ad faciendas justitias tuas in æternum, propter retributionem*. Qui retributionem bonorum operum sperat a Deo, et ad eum festinat, inclinat cor suum, ut faciat Christi justitias. Quæ est Christi justitia? Sine nos, inquit, implere omnem justitiam, qua peccatum minuitur, culpa laxatur (*Matth.* III, 15). Et bene ait, *Inclinavi;* ut non sit tibi arduum atque difficile, cum mentem tuam quasi ad humilia et plana convertas. Aut certe, quoniam sapientia carnis legi Dei non est subdita, videtur inclinare cor suum, qui legi facit esse subjectum extollentem se corporis sensum, contuituque religionis inflectit. Atque ille dudum extollens se frustra, et inflatus mente carnis suæ, cum se humiliat, inclinat.

46. Humiliavit enim et ipse se Christus; ut novum conderet Testamentum. Cum lego Evangelium, audio Filium Dei carnem sumpsisse de Maria, videor mihi cum Christo ipse descendere (*Matth.* I, 16). Lego enim eum, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit (*Philip.* II, 6 *et* 7). Exinanivit autem, ut formam servi acciperet: et specie inventus ut homo, humiliavit se usque ad mortem. Lego enim dicentem: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 28 *et* 29). Non dixit: Discite a me quia potens sum: non dixit: Discite a me quia gloriosus sum: sed discite a me quia humilis sum, quod potestis imitari. Nolite extollere vos, [b] nolite exaltare cor vestrum. Docuit ergo me humiliari, et inclinare cor meum ad faciendas justitias; non ad iniquitatem, sed ad æquitatem inclinare, *propter retributionem*. Retributio regnum cœlorum, et paradisi est incolatus.

## SERMO DECIMUS QUINTUS.

### ס. *Samech*.

1. Incipit *Samech* littera decima quinta, quæ interpretationem habet, *Audi*. Est et alia ejus interpretatio, quæ dicitur, *Firmamentum*. Quid est, *Audi?* Non otiose dicitur quod commune est omnibus, et suppetit universis ipso jure naturæ. Et ideo non est otiosum quod admoneris ut audias; cum etiam inviti, et aliud agentes, sonum tamen, aut vocem audire soleamus. Sed quia non est solum audire hoc quod suppetit officio naturæ: sed etiam illud quod majus est, ut audias non usu tantum corporis, quantum intellectu mentis; ideo diligentius considera istius litteræ interpretationem, seriemque versuum qui sequuntur.

2. Ut noveris autem mysticum esse audire, ut audias et intelligas mysteria, de Judæis scriptum est: *Aure audietis* (*Esai.* VI, 9); quia mysteria legis audierunt, **1158** sed non intellexerunt. Unde ait Dominus: *Audi, populus meus, et loquar* (*Psal.* XLIX, 7). Lex utique spiritalis est, audi ergo spiritaliter. Denique qui scivit audire, ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV, 9), id est, cognoscam quid locutus in me fuerit Deus. Ideoque alibi ait: *Quanta audivimus, et cognovimus ea* (*Psal.* LXXVII, 3); ut comprehenderet non solum audisse se, sed etiam intellexisse. Nemo enim cognoscit, nisi prius intellexerit. Audi ergo, ne si te videat negligentem, veniat Petrus, arripiat gladium, abscindat auriculam tuam: quod superfluo habeas aurem corporis, qui audire et examinare non noveris. Et fortasse virtutem animæ qua examinantur quæcumque audiuntur, habeant amputatam, qui ea altitudine qua scriptum est, audire non possunt.

3. Meritoque hanc litteram *firmamentum* alii interpretati sunt: quod cum superiore interpretatione

alia esse judicamus, quam inepti cujusdam nugatoris glossemata.

[a] Edit. Rom. sola, *mihique dedit legem præceptorum suorum*. Sed vocem, *legem*, neque in mss. ullis, neque in vet. edit. invenias. Hic ergo subintellige *memoriam*, quæ in superiore membro exprimitur.

Iterum mss. omnes, et edit. ant., *futuræ instar beatitudinis exhibebat*. Rom. edit. sola.... *lætitiam exhibebat*. In cassum; quandoquidem sensus in priori lectione satis constat, cum vox *instar* exemplum, sive imaginem significet.

[b] Ita mss. omnes. Edit. autem, *Nolite exaltare cornu vestrum*.

Digitized by Google

concurrit; nisi enim unusquisque audierit quid sequi A debeat, nemo firmatur. In officio igitur audiendi omnium firmamentum est.

4. Dicit igitur tibi in Threnis Hieremias propheta per litteram, *audi*. Et ut scias mysticum esse quod audire debeas, subjecit hujusmodi seriem huic litteræ: *Abstulit omnes fortes meos Dominus de medio mei. Vocavit in me tempus; ut contereret in me electos meos. Lacum calcavit Dominus virgini filiæ Judæ* (*Thren.* I, 15). Non tunc abstulit omnes Judææ fortes Dominus, quando in Babyloniam regionem captivus ductus est populus Judæorum, sed quando Christus advenit, et libertatem animæ suæ captiva non vidit, nesciens gravibus incurvatam peccatis mentis suæ erigere cervicem, et quædam fidei colla ad lucem cognitionis attollere. Ideo lacus factus est Judæis passio Salva- B toris, quæ gentibus [a] portum salutis ostendit; quia crux Domini non credentibus præcipitium est, vita credentibus. Hac ratione præmisit, *Audi*, ut futura cognosceret.

5. Alio quoque loco litteræ huic ista subjecit: [b] *Tenuerunt super te manus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Hierusalem. Hæc est civitas, dicentes, corona gloriæ, et jucunditas universæ terræ* (*Thren.* II, 15). Passionem Salvatoris prophetari liquet, et defleri ab Hieremia [c] excidium Judæorum, quod cum ex aliis, tum ex illo intelligi potest; quia in posterioribus habet: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, comprehensus est in interitu nostro, sub cujus umbra, diximus, vivemus inter gentes* (*Thren.* IV, 20). Quid hoc manife- C stius, quando et nomen expressum est, et comprehensio inter manus persequentium perfidorum est declarata, et umbra vivificans, et gratia gentibus conferenda descripta est?

6. Sed etiam ipsa verba significant quæ in Evangelio de passione Domini legimus, quia hoc loco mors ejus annuntiata est per Prophetam. Sic enim Matthæus scripsit: *Transeuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruebat templum Dei, et in triduo illud reædificabat! Libera te, si filius Dei es* (*Matth.* XXVII, 39 *et* 40). Vulgus populi **1159** cum insultat alicui, sibilare consuevit. Simul quia vocem non habebant, qui Verbum negabant, sicut irrationabilia animalia sibilabant. Et ideo transibant viam, qui in via stare debuerant. Non stabant ergo D quasi constantes: sed transibant quasi mobiles. Justi autem pedes stabant in atriis Hierusalem, in quibus perfidi stare non poterant; et ideo præteribant, sicut Marcus significavit (*Marc.* XV, 29). Præterit umbra, non veritas. *Dies ejus sicut umbra præter...* [d] *qui obliviscitur, qui derelinquit*. Sed et transi... fideles legimus, sicut est illud: *Et vindemiant eam omnes transeuntes viam* (*Psal.* LXXIX, 13). Quis enim nisi perfidus despoliat vineam Christi? Sed et ... scriptum est: *Et non dixerunt transeuntes viam: Benedictio Domini super vos* (*Psal.* CXXVIII, 8). Sta... bus enim dicitur: *Ecce nunc benedicite Domino* (*Ps.* CXXXIII, 1). Tamen et in bono legimus transire: ... est illud Moysis: *Transiens videbo hoc visum magnum* (*Exod.* III, 3). Et qui vidit impium exaltatum ultra cedros Libani, *Transivi*, inquit, *et ecce non erat* (*Ps.* XXXVI, 36). Et nemo dicit servo: *Transi, recumbe* (*Luc.* XVII, 7).

7. Quæ ergo distinctio sit consideremus; ni... forte illa, quia ubi in bono accipitur transire, absolute lectum est: non dixit, hoc aut illud transiens, sed tantummodo transiens. Ubi in malo: *Transeuntes*, inquit, *viam* (*Psal.* LXXIX, 13). Via enim bona est, quæ a commeantibus frequentatur, non facile incursatur a latronibus, qui aversa viarum obsidere consuerunt: regale iter munitum est. Moyses autem non transivit viam, sed in via stetit, cui dictum est: *Tu autem hic sta mecum* (*Deut.* V, 31). Stetit cum ... qui ait: *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Hanc qui viam transit, labitur. Moyses autem non lapsus est: sed pertransivit a sæcularibus ad spiritalia, a temporalibus ad æterna. Et qui vidit impium, nec remansit, sed pertransivit, evasit (*Psal.* XXXVI, 36); qui non adhæsit impio, ne fieret unum corpus, sed se ab eodem separavit. Et cui dicitur: *Transi, recumbe* (*Luc.* XVII, 7), evadit utique laboriosam præsentium servitutem; ut habeat gloriosam futurorum quietem. Et Sponsæ dicitur: *Ades huc a Libano, Sponsa, ades huc a Libano, transibis et pertransibis a principio fidei* (*Cant.* IV, 8). Transit et pertransit, quæ festinat ad Sponsum. Pertransit sæculum, et festinat ad Christum.

8. Nunc discutiamus quid sit movere caput. Quis est populi caput, nisi Christus? *Caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus* (I *Cor.* XI, 3). Sed etiam Lex caput intelligibilis mulieris. Denique mulier sub Lege tamquam sub viro fuit. Mortificato autem ritu Judaico qui erat secundum litteram Legis, innupsit ei mulier qui a mortuis resurrexit. Unde quidam mystice interpretati, mortificato ritu Judaico, [e] tamquam fratri defuncti ritus veteris Evangelio mulierem illam intelligibilem nubere ex Lege voluerunt; quia Lex Evangelium fraterna quadam prædicatione præcessit. Ergo Synagogæ caput mortuum est, hoc est, caput ejus Lex mortua est, observatio videlicet Legis:

[a] Plerique mss., *portam salutis ostendit*.

[b] Sic omnes mss. et vet. edit. Rom. autem, *Sonuerunt super te manus*; ubi omnium Scripturæ textuum ac versionum suffragio defendi potest. At forte pro ἐκρότησαν ἐπὶ σὲ χεῖρας, ut habetur apud LXX, Ambrosius legerit ἐκράτησαν, etc., nisi malis scripsisse Doctorem nostrum, *Tonuerunt super te manus*, etc.

[c] Omnes edit., *non excidium Judæorum*. Sed negatio abest ab omnibus mss. neque adeo necessaria est, cum videatur Ambrosius id significatum voluisse, Jeremiam et Christi passionem prædixisse, et deflevisse illud Judæorum excidium, quod ex eadem passione consecutum est. Cui quidem lectioni videntur ea suffragari, quæ infra usque ad num. 11 disseruntur.

[d] Omnes edit. et pauci mss., *qui obliviscitur quod delinquit*, vel *qui delinquit*. Mss. novem, *qui obliviscitur, qui derelinquit*. Unus aut alter, .... *quæ relinquit*; ubi subintellige *Christum*, vel *Hierusalem*.

[e] Edit., *tamquam fratris defuncti, ritu veteri, Evangelico* (Am., *Evangelio*) *mulierem illam*, etc., melius cod. scripti, quos secuti sumus.

Digitized by Google

evacuata est Legis littera; spiritalis ejus intellectus A struitur. Hujus commotionis meminit David in quadragesimo tertio psalmo, dicens: *Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis* (*Psal.* XLIII, 15); eo quod a Lege in Evangelium **1160** sit facta commotio, quasi transitus quidam. In vicesimo autem et primo psalmo, in quo totius prophetatur series passionis, sic habet: *Omnes qui conspiciebant me, aspernabantur me et locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum; quoniam vult eum* (*Psal.* XXI, 8 *et* 9). Moverunt ergo Legem, quæ immobilis videbatur; et ideo finis Legis Christus intravit.

9. Qui moverunt capita Pharisæi fuerunt, id est, a veritate divisi; unde et in veritatem non crediderunt. Sed et sic potest accipi: Moverunt caput suum B Christum, qui in sua venerat: sed moverunt eum, quia sui eum non receperunt. Moverunt autem, dicentes: *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15). Et moverunt caput suum, qui onera sua movere nolebant; cum ligarent onera gravia, et aliis imponerent: *Ipsi autem digito*, inquit, *ea movere nolunt* (*Matth.* XXIII, 4). Quod est mysticum; quia corporalis ritus observationem numquam mutare voluerunt, et introducere intellectum spiritalem. Digitum enim pro spiritu legimus, ut Lex digito Dei scripta est (*Deut.* IX, 10), et ideo Lex spiritalis est. Noluerunt ergo onera sua movere, quæ sunt gravia, et leve Christi jugum atque onus ejus suave suscipere.

10. Verum quia passio Salvatoris omnes redemit, non absurdum est intelligere ita hos movisse capita C sua, sicut prophetabat princeps ille Synagogæ: *Expedit unum hominem mori pro populo* (*Joan.* XI, 50). Aliud dicere volebat, aliud significabat. Et isti aliter movebant caput quasi insultantes, et aliud annuntiabant; quia ipse erat qui venit, ut pigrum illud atque terrenum principale hominum commoveret, quo evacuata observatione litteræ, mysterium quæreremus in verbis. Unde ait: *Posuisti nos in parabolam gentibus, commotionem capitis in populis* (*Psal.* XLIII, 15). Quod in bono utique accipitur; quia præmisit: *Et in nationes dispersisti nos* (*Ibid.*, 12). Dispersi sunt enim Judæi; ut reliquiæ eorum salvæ fierent secundum electionem gratiæ: in parabolam autem positi; ut ea quæ per parabolam dicta sunt, revelata esse illorum exitu disceremus, vel eorum exemplo admo- D neremur cavere perfidiam. Tunc enim cognovit magis Hieremias Judæam esse deflendam: et ideo Hierusalem captam esse tunc temporis prophetavit, quando Redemptorem proprium non recepit. Illi igitur insultatur, de qua dicent, inquit: *Hæc est civitas... universæ terræ* (*Thren.* II, 15); eo quod ubi erat ante fidei jucunditas, ibi nunc sit amaritudo perfidiæ: vel certe movendo caput suum, et de corporalibus ad spiritalia transeundo mereatur audire; cum crediderit in Christum, quod corona sit gloriæ.

11. Quæ est autem corona gloriæ, nisi Ecclesia, quæ caput suum Christum coronat? Quæ jucunditas universæ terræ, nisi domus populi Christiani, aula sanctorum, de quibus scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5)? Ergo quia corona gloriæ est Ecclesia; ideo dicitur in Canticis: *Egredimini.... et videte regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater ejus in die sponsalium ejus, et in die jucunditatis cordis ejus* (*Cant.* III, 11). Ad animas dicitur ut e gurgustiis **1161** et claustris exeant corporalibus, extra corporis cogitationes exeant, egrediantur a cupiditatibus, et a curis, et a cæteris carnis istius affectibus et lubricis passionibus, supra mundum ascendant, de hoc mundo exeant, Christo occurrant, paratæ adsint facibus ardentibus relucentes. Quasi angeli Christi hæc loquuntur: Non potestis videre claritatem ejus, gloriam ejus, nisi egrediamini humanæ fragilitatis curas, filiæ Hierusalem. Quasi dicant; Quid viventem inter mortuos quæritis? Non intra hunc mundum quæritur Christus, qui supra mundum suos voluit esse discipulos. Quæ est corona qua coronatur Christus, nisi corona gloriæ? Joseph coronam habuit castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum Ecclesia coronavit. In hac corona omnes coronæ sunt; quia gloria non portio unius coronæ, sed præmium omnium coronarum est.

12. Tertia traditione moverunt caput suum, hoc est Christum, qui est caput suæ plebis. *Caput ejus aurum cephas* (*Cant.* V, 11). Unde et Aquila petram aurum dixit: Symmachus lapidem aureum, quod significat stabilem, eminentemque sapientiam. Corpus Christi Ecclesia est. Hujus *caput aurum*, id est, sapientia pretiosa sanctorum est, hoc est, viri justi atque prudentes. *Crines ejus abietes nigræ, sicut corax* (*Ibid.*); de quo alibi ait: *Capillamentum tuum, ut grex tonsarum* (*Cant.* VI, 4). Ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est. *Oculi enim sapientis in capite ejus* (*Eccles.* II, 14). Profunda igitur doctorum prudentia, quæ potest ea quæ obscura sunt revelare, et alta aperire sensuum. Et hujusmodi disputatores crines Ecclesiæ sunt, sicut pulli corvorum, quibus Dominus escam dat, sicut dedit sancto Jacob a juventute ejus, et eum pavit. Hos alios ac profundos ubertate doctrinæ pascit Dominus cœlestibus sacramentis.

13. *Oculi quoque ejus sicut columbæ* (*Cant.* V, 12): oculi sunt viri, videlicet spiritalibus ornati sensibus, qui ad videnda mysteria sunt acuti, et parati ad penetranda Scripturæ secreta divinæ, rationabili lacte fulgentes, in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus pura et immaculata sinceritas. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memoravit (*Ibid.*).

14. Jam certe dentes, et genas, et sicut coccinum resticulum labia sponsæ (*Cant.* VI, 5), intelligimus animæ esse virtutes, doctorumque diversitates: qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrent: vel prædicatione Dominicæ crucis, sicut verbi quadam linea alligent audientem: vel

Digitized by Google

modesti ac verecundi, et juventutis flore gratissimi [a] etsi a tractatu pudore revocentur, redoleat tamen in his odor Christi, et sicut in genas quasi de capite sacerdotali descendit unguentum, eluceat pulchritudo doctrinæ. Et hoc caput movit Synagoga; et ideo abstulit Dominus mirabilem consiliarium, et prudentem architectum, **1162** et sapientem auditorem: *Caput*, inquit, *et caudam* (*Esai.* IX, 14); quoniam qui caput non tenuerunt, novissima habere non possunt. Sed jam ea quæ annexa sunt, consideremus.

15. (Vers. 113.) *Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi.* [b] Quanto erga Dominum se protendat affectu sanctus propheta David hoc versiculo declaravit; quia cum suos inimicos nequaquam sit persecutus (ut pote qui et regis Saul, a cujus insidiis periculum B salutis cavere vix poterat, nec vitam putaverit appetendam, et mortem æstimaverit vindicandam, et parricidæ filii ingemuerit interitum, et multorum persequentium se flagitiis appetitus ignoverit, ut ipse ait (*Psal.* VII, 5), quia vicem injuriæ lædentibus non rependerit) prævaricatores tamen divinæ legis exosos horrescat: in quo utique et clementia morum ejus, mansuetudoque pietatis, et vehemens devotionis aperitur intentio, evangelici præcepti conveniens disciplinæ, quam prophetico spiritu prævidebat. Etenim Dominus Jesus et nostrorum inimicorum dilectionem nobis expetendam esse præcepit (*Matth.* V, 44), et Dei hostes, etiamsi nobis aut parentum, aut filiorum, aut conjugii germanitatisque necessitudine copulentur, odio prosequendos. C Sic enim scriptum est: *Si quis venerit ad me, et non oderit patrem, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc etiam et animam suam, non est me dignus* (*Luc.* XIV, 26).

16. Quod si quis otiosis accipiat auribus, fortasse dicat: Tu Domine Jesu, legem dedisti dicens: *Dilige Dominum Deum tuum, dilige proximum tuum* (*Deut.* VI, 5); et ut impleres hanc legem, venisti: dixisti per Legem: *Honora patrem et matrem* (*Levit.* XIX, 18); et in Evangelio jubes ut parentes oderim (*Matth.* XV, 4). Quomodo sibi conveniunt ista præcepta? Sic mitis et humilis corde venisti? Non possum salvo pietatis jure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum, [c] matrem longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est. Quid dulcissimi merentur filii, ut a paterno excludantur amore; cum sit impium mori nolle pro liberis? Quid A uxor charissima quædam vitæ cohæres, et conv[...] tium commune naturæ? Quid fratres iisdem concr[...] visceribus, atque formati eodem naturæ hospitio [...] hunc usum lucis emissi? Oderim ergo pignora ca[...] ritatis? Ita Evangelii lenitate rigorem præduræ Le[...] inflectis, ut quorum Lex condemnat injurias, e[...] rum tu Evangelio tuo condemnes gratiam?

17. Video istiusmodi assertioni me responde[re] non posse: sed tu, Domine, responde; nec e[...] indiges ut excuseris, [d] qui non eguisti ut dicere[s]. Respondebit igitur: Egone condemno pietatem, [...] odi iniquitatem? Ego parentes præcipio non a[...] dos, qui inimicos suadeo diligendos? Sed non l[e]gisti: *Tempus amandi, et tempus odio habendi, tempus belli, et tempus pacis* (*Eccl.* III, 8)? De [...] B hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo quod ratio temporis fiat; ut aliquos pie et amare et odisse p[os]simus: et quos dilexeris, odisse; et quos oder[is] **1163** amare conveniat? Non ergo parentum [...] fudi odia pectoribus filiorum: nec conjugum s[...] fastidia mentibus maritorum. Naturam interr[o]g[a] quid exegerim, quæ utique auctoris arbitrium [...] nitali singularum necessitudinum testatur affec[tu]. Amare patribus filios lex naturæ est: maritis c[on]juges, lex divina est, quæ conjugii charitatem [...] naturam vertit; ut fiat una caro et unus spiritus. Diligere fratribus fratres naturæ prærogativa est quæ eodem domicilio diu fotos assuefacit ad gratia[m] charitatis.

18. Non ergo necessitudinum intestina bella m[an]C davi, sed illecebram suspectam habui. An non ju[re] suspectam; cum serpens ille callidus et astutus [...] construendas nequitiæ suæ artes, quo incorrup[tæ] ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adæ labefactaret affectum, femineis magis illecebr[is] quam suis commisit venenis? Itaque femina viru[m], quem serpens tentare non ausus est, cibo oris [...] vi amoris inflexum, molli quadam et conciliatric[i] uxoriæ sedulitatis affectione traduxit. Et adhuc [...] liberos non habebat, quorum gratia, ut dulcis ad amorem, ita facilis ad lapsum, plurimos a martyri[i] consummatione sæpe revocavit? Denique sæpe c[o]gnovimus, quoniam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, nec divisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ a triumphalis fortitudinis rigore D deducere potuerunt, eum inter sacra jam præmia constitutum uxor teneræ sobolis oblatione miserabilis unius lacrymæ miseratione decepit. Samson captus est per uxorem, numquid tu fortior? Salomon

[a] Rom. edit., *etsi a tactu pudore revocentur.* Melius aliæ ac mss., *etsi a tractatu*, etc. Tractare siquidem ab antiquis Patribus usurpabatur, pro sacram Scripturam ad populum exponere.

[b] Edit. omnes, *Quanto Dominus noster perpendat affectum, sanctus*, etc. Mss. aliquot, *Quanto ergo Dominus noster pendat* (unus, *nos perpendat*) *affectu, sanctus*, etc. Optime alii decem, ut in textu.

[c] In quibusdam mss. legitur, *novem mensium.* Perperam. Clarum enim est alludi ad illud Virg. ecl. 4:

Matri longa decem tulerant fastidia menses.

Quamvis autem hunc poetæ versum de lunaribus mensibus intelligendum esse nonnulli velint; tamen partus legitimi tempus esse non solum nonum mensem, sed et decimum atque undecimum docet Hippocrates lib. de partu septimestri et octomestri, ac post eum alii innumeri. Immo Plin. lib. VII, cap. 5, atque Agell. lib. III, cap. 16, tradunt mense decimo tertio partum quandoque in lucem edi. Vide quoque Ulyssem Albrovandum, *de monstris*, pag. 50.

[d] Omnes edit. cum mss. uno vel altero, *qui non eguisti ut vinceres;* reliqui codd., *ut diceres.*

Digitized by Google

captus est in uxore, numquid tu sapientior? Ille igitur cujus sapientia totis celebratur sæculis, factus est insipiens; quia nimium amavit uxorem.

19. Quid de fratribus dicam? Experta est in liberis et Prophetæ domus [a] detestabiliora oscula, quam odia esse fraterna. Itaque parricidium pater quidem flevit, sed magis est indignatus incestum. Denique licet parricidam, percussorem tamen incesti revocabat.

20. *Tempus* igitur *amandi*, *tempus odio habendi*, hoc est, tempus martyrii, quando ea quæ divina sunt, omni charitati necessitudinum præferenda sunt. *Tempus belli*, quo etiam bellum pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. *Tempus pacis;* quia *in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV, 3). Denique ipse in Evangelio evidenter exposuit qua ratione nostros debeamus odisse, dicens: *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Non dixit indignos esse, qui parentes suos diligunt: sed eos indignos ait, qui plus parentes quam Christum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus amorem, quia nostræ generationis auctores sunt: quanto magis Christum amare debemus qui ipsorum est auctor parentum? Isti dederunt quod non potestatis est, sed ministerii sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conservat.

21. Pulchre autem dixit: *Iniquos odio habui*, *legem autem tuam dilexi;* quia si legem amamus, odisse debemus adversarios legis, qui operibus suis præcepta **1164** legis impugnant. Græcus melius eos et proprie nuncupavit dicens, *παρανόμους: παράνομος* exlex vocatur, quia extra legem est. Hos ergo odit, qui in lege Christi est, quia legis mandata non servant. Non solum enim qui legem nescit, sed etiam ille qui non agit secundum legem, exsors legis est; quia *Non auditores legis.... sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* II, 13). Redarguit me ipse David si aliter intelligam. Quomodo iniquos homines oderat, qui parricidam filium commendabat præliatoribus, ne eum aliquis occideret? Qui Saul regis mortem etiam vindicavit in eum, qui a se nuntiavit occisum?

22. Ergo non iniquos homines, sed iniquos sermones oderat. Denique: *Iniquos*, dixit, *odio habui*, non addidit, viros. Deinde cum dicat Jesus in Evangelio: *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V, 44), dicat Apostolus: *Benedicite eos qui persequuntur vos*, *et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14), quomodo excusaretur iste vir sub evangelica vivens disciplina, si iniquos homines odisset? Nisi intelligas quod iniquitatem odio habuit, non eos qui, etsi operarentur iniquitatem, possent tamen evangelica prædicatione

A converti. Aut certe nisi ita accipiamus: quia sicut ille qui non honorat patrem, iniquus est, idem tamen secundum illud exosus patrem quod scriptum est: *Qui non odit patrem, aut matrem.... aut fratres, aut sorores, aut animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26), etiam laudabilis habetur: sic et iste iniquos odio habuit. Eodem modo et eos oderat, quo patrem prævaricantem, aut animam suam: præferens videlicet vitæ hujus suavitati gratiam Christi.

23. (Vers. 114.) Sequitur: *Adjutor*, *et susceptor meus es tu: et in verbum tuum spero.* Adjutor per Legem, susceptor per Evangelium. Quos Lege adjuvit, in carne suscepit; quia scriptum est: *Hic peccata nostra portat; et ideo in verbum ejus spero* (*Esai.*

B LIII, 4). Græcus tamen *ἐπήλπισα* habet, quod est *supersperavi:* quod de eo dicitur qui semper addit ad sperandum; et cum speraverit aliquid, iterum sperat, et spe proficit, extendens se semper ad superiora, [b] et ea quæ præteriit obliviscens.

24. Pulchre autem ait: *In verbum tuum speravi*, hoc est, non in prophetas speravi, non in Legem: sed *in verbum tuum speravi*, hoc est, in adventum tuum; ut venias et suscipias peccatores, delicta condones, ovem lassam tuis in cruce humeris bonus pastor imponas. Si quis sperat in Christum, separare se debet a consortio perfidorum.

25. (Vers. 115.) Ideoque dicit: *Discedite a me, maligni*, *et scrutabor mandata Dei mei.* Cujus versiculi testimonio significatur, quia ubi malignitas est,

C ibi custodia mandatorum cœlestium esse non possit; *In malevolam* enim *animam non intrat sapientia* (*Sap.* I, 4). Et alibi: *Quærent me mali*, *et non invenient* (*Prov.* I, 28). Simplicem mentem, purum ac defæcatum animum diligit Christus, nec potest immaculatæ virtuti ullum cum maculosis [c] contubernium esse flagitiis. Odit, refugit, aspernatur contagia, qui dicit: *Discite a me quia mitis sum* (*Matth.* XI, 29). Malignos repellit, laborantes vocat. Dicit illis Jesus: *Discedite a me omnes* **1165** *qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23); istis ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28), non utique malignitate mentis, sed infirmitate carnis onerati: onerati, inquam, alieni hæreditate peccati. Laborantibus subvenio: fraudulentis prodesse

D non debeo, ne pluribus noceant. Hos pœna compescat: illos emendet gratia. Malitia enim fons peccati est: culpa infirmitatis est lapsus. Illi debeo subvenire, qui laborat: illum etiam odisse qui decipit. Malas igitur operationes repellit. Nam nisi ita accipias, videtur dicere: Discedite a me; quia mundus sum, quia purus sum. Hoc pharisæus dicebat, sed reprehensus a Christo est. Non ergo Propheta dicit:

[a] Edit. omnes, *detestabiliora inimici oscula.... Itaque fratricidium.* Mss., *detestabiliora oscula.... Itaque parricidium.* Optime, siquidem hic incesti Ammonis exsecranda oscula designantur. At paucis interjectis, mss. novem, *Denique parricidam luget*, *percussorem tamen revocat incesti.* Melius alii atque edit., *Denique licet parricidam*, etc. Sensus enim est Absalonem, quamvis fratrem parricidio sustulisset, tamen quia incestum necaverat, in aulam esse revocatum.

[b] Nonnulli mss., *et ea quæ prætereunt*, *obliviscens.*

[c] Edit. Am. Era. et Rom. cum duobus omnino mss., *contubernium esse: flagitia odit*, etc. Gill. cum aliis, ut in textu.



Digitized by Google

Mundus sum, sed, *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12).

26. (Vers. 116.) Ideoque relegato consortio malignorum, quasi qui ante permixtus illis suscipi non posset a Domino, dicit: *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab exspectatione mea.* Si vivit qui in sinu est patriarchæ Abrahæ, ut ille Lazarus pauper; quanto magis vivit qui suscipitur a Christo? Quomodo enim potest non in æternum vivere, quem sempiterna vita suscepit, quem totum sibi Christus assumpsit, qui totus Verbi est, cujus vita abscondita est in Christo Jesu? Sed et qui in sinu Abrahæ sedet, susceptus a Christo est. Intolerandæ autem præsumptionis videretur dicere Deo, *Suscipe me*, nisi promissum ejus adjungeret, hoc est: Ut hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo convenimus, qui nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographum mortis, tu scripsisti chirographum vitæ.

27. Ergo non confundas ab exspectatione sua servulum tuum, quia in te spero; spes enim non confundit. Et si tribulamur, patientiam subministras, ut ferre possimus; ut quia te exspecto, non opprimar infirmitatibus, non succumbam tentationibus, non affligar procellis, in quibus est probanda patientia, ut probatio consequatur, quæ spem confirmat et roborat, quæ non confundit; hoc est: Frangimur frequenter laboribus, fatigamur: si spes desit, confundimur, et tota mente turbamur. Sed esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad injurias perferendas: si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur, si fides desit, cujus radix spes est. Quæ enim potest probatio esse, nisi pro Christi nomine vel incommoda, vel pericula universa sustineas? Ideo spes est sola quæ nostrum non confundit affectum. Ubi est spes, apostolicum illud: *Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5), nocere non possunt.

28. [a] Alia interpretatio habet: *Non erubescere facias.* Non erubescet qui sperat in Christum. Ideo qui bene sperat, dicit: *In te confido, non erubescam* (*Psal.* XXIV, 2). Et bene ait, *Confido;* robur enim spei nostræ, et quædam sperantis auctoritas confidentia est. Spera igitur semper, et nemo te ab exspectatione confundit. Exspectatio nostra vita æterna est. Exspectatio nostra, regnum Dei, Angelorum consortium, benedictiones sunt spiritales. **1166** Spera quotidie. Finem ista res non habet, nescit inducias. Spera etiam positus in adversis. Si quis dicat tibi aliqua forte necessitudinum amissione percusso: Quid tibi prodest justitia tua; tu tamen spera, non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi: Quid tibi quotidiana profuere jejunia; quid castitas corporis, pudor mentis? Ecce sicut injustus et impius vulneratus es. Non deficiat fides tua. Nam etiamsi infirmus es, fidelis tamen sollicitus est pro te Christus. Dicit ad discipulos suos: *Date illis vos manducare* (*Matth.* XIV, 16), ne deficiant in via. [b] Habes apostolicum cibum, manduca illum, et non deficies. Illum ante manduca, ut postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus; ut lætitiam induat de remissione peccatorum, curas sæculi hujus, metum mortis, sollicitudinesque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit: animus non confunditur, sed consecratur.

29. (Vers. 117.) Sequitur: *Adjuva me*, inquit, *et salvus ero: et meditabor justificationes tuas semper.* Qui sperat, præsumit juvari: ubi autem adjumentum Dei, ibi certum salutis auxilium. Supra dixit: *Adjutor et susceptor meus es tu* (*Sup. v.* 112): hic iterum juvari petit, quasi dicat: Sine cessatione me adjuva. Non mihi satis est quod poposci, iterum peto ut salvus fiam. Hic non magna, non vera est salus: tunc salvus ero, cum fuero in paradiso, cum vivere cœpero inter electos tuos angelos, cum laqueos terræ hujus evasero.

30. Sed ne forte adjuti in necessitatibus, postea in prosperis positi negligamus, docet nos immemores beneficiorum cœlestium nequaquam esse debere, sed meditari justificationes Domini; ut et cum boni operis aliquid fecerimus, semper tamen ei nostra peccata fateamur; hæc enim est justificatio Domini. Denique pharisæi non justificaverunt Deum, qui baptizari baptismo pœnitentiæ noluerunt (*Luc.* VII, 30). [c] Ergo ille justificat, quem suorum pœnitet delictorum. Quem enim pœnitet, confitetur, ut est illud: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L, 6). Ideoque Publicanus magis justificatus exivit e templo (*Luc.* XVIII, 14); quia Pharisæus se justificabat, suas justitias prædicando: Publicanus autem justificabat Deum, iniquitates proprias confitendo. Ergo qui meditatur justificationes Domini, semper humiliatur. Non hodie humiliatur, et cras exaltatur: sed semper humilis corde et mitis affectu est. Plus est autem semper, quam die ac nocte, vel tota die; hoc enim supra tempus est. Ergo vel inter angelos annumeratus dicas oportet justificationes Dei semper,

[a] Mss. ferme ad unum: *Alia interpretatio: Non erubescet qui sperat in Christum.*

[b] *Apostolicum cibum* vocat Ambrosius lectiones sacræ Scripturæ quas Eucharistiæ sumptioni præmittendas monet. Ex his porro quæ subdit verbis: *infirmus es .... metum mortis sollicitudinesque deponat. ... corpus non titubat, sed resurgit;* non inviti adducimur, ut sanctum Doctorem de Eucharistia tamquam viatico locutum fuisse suspicemur. Nec male forsitan in suspicionis confirmationem adduci potest is, qui ab eo laudatur Evangelii locus, quem alios etiam PP. de viatico interpretatos constat. Sic enim Hieron. in Matth. cap. XV: *Non vult Jesus dimittere jejunos, ne deficiant in via. Periclitatur ergo qui sine cœlesti pane ad optatam mansionem pervenire festinat*, etc.

[c] Omnes edit., *Ergo ille justificatur.* Omnes mss., *Ergo ille justificat.* Commode, si mente suppleveris vocem, *Deum*, quæ superiori periodo exprimitur.

Digitized by Google

et illam quam adeptus es gloriam, non tuis meritis arroges, sed divinæ miserationi semper ascribas; ne tibi dicatur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (II *Cor.* IV, 7)? Omnis enim creatura quæcumque bona habet, accepit a Christo, qui totius est auctor creaturæ.

**1167** 31. (Vers. 118.) *Sprevisti*, inquit, *omnes qui discedunt a justificationibus tuis; quia iniqua cogitatio eorum.* Omnis superbus immundus est in conspectu Domini; quia non potest per superbiam suam mundare peccata, qui arroganti spiritu coacervat errorem. Ideoque spernitur atque despicitur, quia despectui habet divina mandata. Bene autem cœlestis servatur prærogativa clementiæ; quia nullum repellit, sed quicumque noluerint peccata propria confiteri, ipsi discedunt a Domino Deo nostro. Denique ille discessit, qui peregre profectus, omne quod acceperat a patre, fidei et gratiæ patrimonium dissipavit. Et quia eum discessisse pœnituit, postea est regressus ad patrem, quem reliquerat cum peccatum proprium nollet confiteri. Non ergo intervallo locorum Deus relinquitur, sed pravitate morum, et deformitate gestorum. Discedit a Domino, qui se elongat ab eo, quemadmodum audita præsentia Dei, Adam latere cupiebat. Sed discedens a Domino salutem habere non poterat; quoniam scriptum est: *Ecce qui elongant se abs te, peribunt* (*Psal.* XXVII, 72). Unusquisque igitur suis studiis sese aut jungit, aut separat. Denique quam plerosque nec locorum intervalla secernant, vel finitima et vicina connectant, indicio est quia sunt plerique in corpore siti, qui peregrinantur a corpore, et adsunt Deo; ut ille qui dicenti Deo: *Quem mittam?* respondit: *Ecce ego, mitte me* (*Esai.* VI, 8). Audet et Paulus adesse Deo, quia nihil in se præter carnis materiam videbat esse corporeum. Exivit et Cain a facie Dei, postquam, commisso parricidio, gerendam peccatorum suorum pœnitentiam non putavit.

32. [a] Recte autem ait: *Ad nihilum deduxisti prævaricatores.* Non peccatores dixit, sed prævaricatores. Nam quæ nobis spes foret, quando omnes sub peccato sumus? Etiam illud pulchre: *Omnes ad nihilum deduxisti prævaricatores.* Sive ille dives sit, nihil illi divitiæ suæ prosunt: sive honoratus, nihil dignitas: sive potens, nihil potentia. Sed aliud est prævaricatorem esse discedentem a justificationibus Dei: aliud prævaricatorem esse terræ. Illud gravius, hoc levius.

33. (Vers. 119.) Ideoque [b] subjecta ne te turbent, vide; nam subjecit his: *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ: propterea dilexi testimonia tua semper.* Recte prævaricator dicitur, qui discedit a Domino. Denique græce a discedendo apostata no-

A minatur. Unde et ille: *Vinum et mulieres faciunt*, inquit, *apostatare* (*Eccli.* XIX, 2). Cavenda ergo incentiva et lenocinia delictorum, ne in scelus vergant. Prævaricator autem latine et transgressor vocatur; eo quod a lege Domini transeat ad errorem, et transgrediatur mandata cœlestia, cui dictum est ut adhæreat Domino Deo suo (*Deut.* X, 20). Adhæreto igitur individuo semper affectu; ne te ab eo vis ulla possit evellere. Si quid rarum, si quid intermissum adversarius viderit, statim se immittit in pectus et cor tuum; ut te laqueo teneat suæ fraudis, et hostilis vinculo potestatis innexus, a devotione retraharis. Sed non solus ille prævaricator est, qui posthabita Ecclesia, ad cultus transgreditur idolorum: sed **1168**
etiam quicumque Legis mandata non servat. Omnis
B ergo peccator, prævaricator. Unde illud: *Omnis prævaricatio . . . justam accipit remunerationem* (*Hebr.* II, 2). Nomen commune, sed diversa merita delictorum; et pretia ergo diversa culparum.

34. Quid sibi vult quod ait: *Peccatores terræ.* Sunt ergo et cœli peccatores, sicut ille qui ait: *Pater, peccavi in cœlum, et coram te* (*Luc.* XV, 21). Sunt qui dicant quia is qui cœlestia non servat oracula, prævaricator est cœli. [c] Sed sive hoc, sive quia minuit gratiam quam accepit e cœlo, quam Spiritus sanctus infudit: sive quia avis cœli factus, non debes in terram redire de cœlo. In cœlum ergo peccas, si cœli incola cœlum relinquas. Diversitas igitur est eorum. Alii peccatores cœli, alii peccatores terræ sunt.

35. *In matutinis*, inquit, *interficiebam omnes pec-*
C *catores terræ* (*Psal.* C, 8). Quomodo unus omnes interficere poterat peccatores terræ? Sed si consideres justum, cui nox præcessit, dies appropinquavit; potes videre quomodo exoriente tibi sole justitiæ, de luce vigilans interficias fomenta omnia delictorum. Utinam mihi aspiret hæc gratia, ut gladio spiritali, qui est verbum Dei, ab Ecclesia Domini incentiva universa possim abolere vitiorum, et terrena auferre delicta, quibus in foveam quamdam lubrici præcipitamur erroris, ut de civitate Dei expellatur iniquitatis operator. Civitas Dei Ecclesia est: Ecclesia corpus est Christi. Peccat in cœlum, qui cœlestis civitatis jura contaminat, et immaculati corporis violat sanctitatem suorum colluvione vitiorum.

36. Et vide ne forte sint qui cœli et terræ pecca-
D tores sint. Nam utique Adam cum in paradiso esset, cœlestis erat: post lapsum autem terrenus est factus, et de paradiso expulsus est et ejectus. Unde et Apostolus ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (I *Cor.* XV, 47). Abjiciatur ergo a nobis imago terreni, suscipiatur imago cœlestis, non fuco expressa, non ceris, non coloribus adumbrata, sed moribus, in qua Christus se agnoscat.

[a] Rom. edit. sola; *Recte autem ait: Sprevisti omnes qui discedunt a justificationibus suis: vel ut alii: Ad nihilum*, etc.

[b] Eadem edit. Rom., *superiora ne turbent, vide quid*, etc. Vet. autem, ac mss. ut in textu, nisi quod in edit. et aliquot mss. *te*, omittitur, nec non *quid*, pro *nam*, exhibetur.

[c] Edit. omnes; *Sed sive hoc, sive illud sit, e diverso unum significamus peccatorem, alterum prævaricatorem, quia*, etc. Verum quam resecuimus laciniam, ea in omnibus mss. desiderantur.

Digitized by Google

37. (Vers. 120.) *Confige clavis a timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui.* Qui diligit Domini testimonia, configit clavis carnes suas, sciens quia vetus homo suus cum Christo confixus cruci luxuriam destruat carnis ; ne cupiditates ejus indomito fervore lasciviant, ne radix avaritiæ [a] serpentibus se fundat radicibus. Confige ergo clavis, et destrue fomenta peccati : moriatur in carne tua omnis illecebra deliciorum : libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clavus spiritalis, qui patibulo crucis Dominicæ affigat has carnes. Et fortasse sint carnes quædam animæ, sicut corpus est animæ. Carnes animæ sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini et judiciorum ejus, et servituti redigat. Quod si carnes istæ rejiciunt clavos divini timoris, haud dubie dicitur : *Non permanebit spiritus meus in his hominibus; quoniam carnes sunt* (*Gen.* VI, 3). Nisi igitur affigantur cruci hæ carnes, et **1169** configantur clavis a timore Dei nostri, non permanebit in his spiritus Dei.

38. Sicut sunt aculei timoris, quibus compungimur : ita sunt clavi timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur : qui configitur, mortificatur; ut peccato deficiat, Deo vivat. Ut sciamus autem clavos spiritales esse, etiam stimuli spiritales sunt, de quibus scriptum est : *Durum tibi est adversus stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 5). Hoc stimulo Paulus stimulatus surrexit e terra, et se levavit, ut conversaretur in cœlo. Confixus est clavis apostolus Thomas, ut diceret : *Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, et mittam digitum meum in locum* C *clavorum* (*Joan.* XX, 25). Clavi erant bonæ cupiditatis : clavi erant etsi non perfectæ fidei, tamen fidei incrementa quærentis.

39. His configitur clavis, qui Christo commoritur, ut cum Christo resurgat. His configitur clavis, qui mortificationem Domini Jesu in corpore suo portat. His clavis configitur, qui meretur audire, dicente Jesu : *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum; quia valida est ut mors charitas, durus sicut inferi zelus* (*Cant.* VIII, 6). Infige ergo pectori tuo et cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige et brachio tuo : ut opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reviviscat, nihil erroris resurgat. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt; quia D valida est ut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendat duritia clavorum, quia est duritia charitatis : nec validus clavorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam et omnia peccata mortificat : charitas sicut mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus, charitas Dei verbum est, quod est A validum, et acutius omni gladio acutissimo, usque ad divisionem quidem animæ, ac spiritus, artusque, et intima penetrans medullarum. Est durus ergo zelus charitatis, qui non cedat inferis; cum pro Dei zelo unusquisque nec suis parcat. His clavis charitatis configatur anima nostra et caro nostra, ut et ipsa dicat : *Quia vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* V, 8). Habet ergo clavum suum charitas : habet gladium suum, quo anima vulneratur. Felix qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera quæ osculis præferuntur : *Utiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (*Prov.* XXVII, 6).

40. His nos vulneribus offeramus, quibus quicumque mortuus fuerit, mortem gustare non poterit. Talis enim eorum mors, qui Dominum sequebantur, [b] de quibus dictum est : *Sunt aliqui de istis* B *astantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo* (*Matth.* XVI, 28). Merito Petrus non timebat hanc mortem; non timebat enim qui dicebat, quia etsi oporteret eum pro Christo mori, non eum relinqueret aut negaret (*Matth.* XXVI, 35). Tollamus ergo crucem Domini, quæ configat carnes nostras, peccatum destruat. Est timor qui configit carnes : *Nisi quis tulerit crucem suam, et secutus me fuerit, non est me dignus* (*Matth.* X, 38). Ille enim dignus qui habet Christi timorem; ut crucifigat **1170** carnale peccatum. Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta cum Christo non divellatur a Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo.

## SERMO DECIMUS SEXTUS.

### ע. *Ain.*

1. Incipit littera decima sexta *Ain*, cujus interpretatio est, *Oculus*, sive *fons*. [c] Oculus utitur videndi munere : sed sæpe videmus ea quæ complacent, et sæpe quæ displicent : nec in eo oculi est vel culpa vel probitas pro eorum qualitate quæ viderit; oculi est enim officium nuntiare quod viderit. Est sane vel offensa vel gratia, si aut delectetur suavibus, aut offendatur adversis. Ideo frequenter oculus suppliciorum dicitur, oculus tentationis, oculus hœdi, oculus vitulæ, oculus generationis, aut fons generationis.

2. Legimus in Evangelio quia baptizabat Joannes in Ennon (*Joan.* III, 23). Ennon oculum suppliciorum interpretati sunt. Itaque nemo venit ad baptismum, nisi qui desiderat sibi propria peccata dimitti, quorum supplicia corde provido perhorrescat. Itaque licet oculus suppliciorum dicatur, prævidentis est tamen supplicia, non sustinentis : licet baptismum pœnitentiæ habeat aliquam de suppliciorum susceptione tolerantiam. Oculi est ut intuendi officio fungatur : tuum est cavere quod videris.

[a] Octo mss., *serpentinis se fundat radicibus.* Totidem alii, et cunctæ edit. nobis congruunt.

[b] Petrus scilicet, Jacobus et Joannes, qui Christi Transfigurationi interfuere, ut plenius explicatur infra in Luc. IX, 27.

[c] Sic omnes mss. Contra vero edit., *Oculo utimur videndi munere.*

Digitized by Google

3. Denique et oculus tentationis dicitur; quia per A oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit; ideoque Salvatoris sententia plena justitiæ est, dicentis : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Non dixit : Qui viderit mulierem, sed *ad concupiscendum* viderit. Oculum absolvit, mentem ligavit. Nec dixit : Adulteravit eam in oculo, sed *in corde*. In oculo visus est, in corde peccatum.

4. Oculus hœdi qui ad sinistram est; quod ea quæ dextra sunt, peccator videre non possit. Sanctus autem dicit : *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* xv, 8). Et Petro sancto apostolo, cum tota nocte nihil cepisset, ut legimus in Evangelio, a B Salvatore dictum est : *Mitte in dexteram partem navigii retia* (*Joan.* xxi, 6). Itaque fretus imperatis cœlestibus, misit retia, et plurimum piscium congregavit. In sinistra nox erat : in dextera divini sermonis [a] claritudo fulgebat diurna.

5. Est et oculus vitulæ : quod æque ad peccatores refertur; quia sicut jugi loro vitulæ attrahunt iniquitates, non dirumpentes neque abscindentes proprium, sed longo trahentes fune peccatum. Indomita enim vitula sero mansuescit, et trahit lora, non suscipit; quia impatiens est tenendi : et quo diutius traxerit, eo amplius impeditur.

6. Oculus quoque generationis, aut fons generationis dicitur; quia ex oculorum conspectu aut bona, aut adversa generantur. Vidisti mulieris pul- C chritudinem, laudasti artificis opus, venustatem 1171 naturæ : generatio fidei, devotionis est partus. Contentus fuisti formæ decore, [b] non census ambitione, sumpsisti in uxorem, genuit filios liberalioris gratiæ : oculus tibi fuit generatio prosperorum. Contemplatus es sacram puellam, pressit oculos tuos augustæ reverentia castitatis : prædicasti Dominum Jesum, qui senilem dedisset in adolescentula ætate gravitatem, immaculatamque vitam inter infirmas tam lubricæ hujus carnis illecebras humanis infudisset affectibus : fons bonorum est. Vidisti possessiones pupillorum, non ad invadendum, sed ad tuendum : et paternis ingemuisti visceribus, si quid advertisti de minoris commodis esse neglectum : repulisti eum qui fines ejus volebat in- D vadere : judicasti pupillo : oculus tuus fons tibi fuit et origo justitiæ. Judicasti viduæ (sicut enim mala drachma, non drachma : sic malum judicium, non utique judicium), judicasti ergo sicut justus et bonus judex : vidisti usurpatorem improbum, qui maritali auxilio destitutam, suam prædam putaret : iniquitatem non passus es : tulisti indefensæ opem, quo adjuta præsidio, inoffensa opera castitatis exercuit, nec auxilium quærere maritale compulsa est; dicit tibi Dominus : *Venite, disputemus* (*Esaiæ* i, 18). Quia judicasti viduam, oculus tuus fons gratiæ tibi factus est. Vidisti nudum corpus inopis jacere defuncti, non præteristi, ut ille qui exponitur in Evangelio (*Luc.* x, 31 *et* 32), sacerdos atque levita : sed continuo miseratus, sepulturæ solatiis tradidisti : generavit tibi oculus materiam redemptionis.

7. Contra si aspiciens agrum pupilli vineis consitum, lætum segetibus, nemoribus umbrosis, aut fluviis decurrentibus, aut fontibus scaturientibus, aut riparum herbosis amœnum thoris, et avaritiæ facibus accensus transtulisti patrum limites, atque in possessionem indefensam improbus irruisti : oculus tuus tibi mortis perpetuæ acerba generavit. Vicinæ viduæ jura temerasti : coegisti eam quæ aut dolorem suum, aut pudorem secretis clausa parietibus fovere deberet, prosilire in publicum, inverecundius quam injustius litigare : oculus tuus partus iniquitatis est factus. Vidisti inopem superbo oculo, et insatiabili corde : despexisti precem pauperis : et quem misereri debueras, cum fastidio præteristi : oculus tuus fons tibi fuit et origo peccati.

8. Ideoque oculi tui non lupi oculi sint, et insidiantis ad prædam, sed sicut [c] Sponsæ dicitur : *Oculi tui stagna in Esebon, in portis filiæ multorum : nares tuæ sicut turris Libani* (*Cant.* vii, 4). Stagna in Esebon quid est, nisi in cogitationibus rationabilibus abundatia, quæ est in portis Ecclesiæ, cui merito defertur multitudo doctrinæ? Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas effecta est, cujus nares odor est sacrificiorum floribus omnibus præstans. Quid enim Christi odore sublimius, qui abolebat thuris flagrantiam? Oculus ergo iste provideat quæ futura sunt : et si adversa 1172 imminere præviderit, fletu lacrymisque emollire ac mitigare non desinat.

9. Ideo Hieremias in captivitate gentis Judææ positus, futuram prævidens perpetuæ captivitatis ærumnam, quam perfidiæ pretio Judæorum populus habebat exsolvere, dicebat in Threnis sub hac eadem littera : *In hoc ego fleo, oculi mei caligaverunt a fletu; quia elongavit a me qui me consolabatur* (*Thren.* i, 15 *et* 16). Non igitur abductum se esse de terris suis dolebat, sed a Christo populum relinquendum, consolationemque futuræ vitæ cernebat amissam. Hæc est vere dolenda captivitas, quæ æternæ spe libertate privata videbatur. Alio quoque loco sub hac eadem littera repetivit in Threnis, dicens : *Dominus quæ cogitavit, consummavit, verbum suum quod mandavit a diebus antiquis. Destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu tribulantis te* (*Thren.* ii, 17). Nonne evidenter futurum judicium Christi annuntiatur, sicut in psalmo quoque

[a] Mss., *claritudo diuturna*, quæ lectio defendi potest, *si diuturna*, pro constanti ac perenni usurpetur : hic tamen præstare videntur editiones, ut cum priori membro flat antithesis.

[b] Scripti codices magno numero, *non aecensus ambitione*. Melius alii, ac edit., *Non census ambitione*. Est enim hoc loco *census*, proventus quem quisque annuatim e possessionibus percipit.

[c] Magna pars mss., *sicut Sponso dicitur*.

Digitized by Google

præsenti declarari certum est. Oculus ergo prævidet quæ ventura sunt, et ea aut profusione lacrymarum, aut erroris correctione detorquet. Denique Hieremias flebat; quia malam causam impiæ plebis susceperat, quæ perfidiæ pertinacia proprium negabat auctorem.

10. (Vers. 121.) David autem prophetico spiritu judicium prævidens Christi, in quo nemo innocens periclitabitur, nemo sceleratus eludet, bona fretus conscientia dicit : *Feci judicium et justitiam : ne tradas me nocentibus me.* Non quasi gloriosus ac insolens se ipse laudat, cum utique peritus legis, alterius magis quam proprio ore unumquemque laudandum esse non ignoraret. Non, inquam, [a] prædicatarum jactantia est hic ulla virtutum, sed vitæ innocentis assertio jure præsumpta; ne dignus æstimaretur qui propter gravia peccata a Domino relinqueretur, et nocentium potestati traderetur. Defensio est igitur, non arrogantia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, sed formidabilis ærumna propulsatur. Denique Petrus hoc genere defensionis utitur dicens : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te : quid ergo erit nobis* (*Matth.* XIX, 27)? In quo si dicti arrogantis decolor aliquis nævus fuisset, non tantum gratiæ de Domini Salvatoris sententia retulisset (*Ibid.* 28); ut non solum minime subdendus ipse judicio, sed etiam judicaturus de aliorum meritis ipse nuntiaretur. Neque enim in judicio, si quis innocentiæ suæ tuendæ gratia, quid fecisset aperiret, ad jactantiam potius quam ad defensionem causæ dictum æstimaretur. Aliud est dignum se præmio dicere, aliud indignum injuria.

11. Et tamen ille ipse philosophiæ summus, ut aiunt, magister, cum accusaretur, interrogatus qua tandem pœna se dignum putaret, respondisse fertur, [b] ut in Prytaneo publico quotidie convivio susciperetur. Ille honorem usurpavit, [c] hic præcavit ærumnam : ille gloriam arrogavit, hic humilitatem servavit. Nam quæ major esse **1173** humilitas potest, quam ut conscius sibi judicii et justitiæ reservatæ, tradi potestati diaboli vereretur? Hominem se esse cognovit, impar sibi bellum adversum spiritalia nequitiæ in cœlestibus; raptum novit Enoch esse, ne malitia mutaret cor ejus : Noe inebriatum, Lot incestatum, sacerdotem primum ipsum Aaron cum Maria sorore tentatum, lepræ maculis aspersam Mariam primum, post, absolutam : Moysen pene internecatum, nisi circumcisione filii et ejusmodi sanguinis fusione Sephora mulier ejus omne ab eo periculum depulisset. His igitur commonitus exem-

A plis nequaquam se fortitudini suæ credit : sed cauta humilitas divinum sibi precando adsciscit auxilium, petens ne tradatur nocentibus.

12. Scit enim auctorem esse principem mundi omnium delictorum. Ipse individuos proximorum irarum stimulis excitatos scindit affectus : ipse flammam accendit libidinis : ipse adolet avaritiæ cupiditates; ut quo plus rapuerimus, amplius requiramus : ipse suggerit et ministrat fomenta luxuriæ : ipse odia exasperat, et immodicæ studium ambitionis inflammat. Quod vitium blandum in exordio, sævum in processu, nec fraternæ germanitatis potuit contemplatione revocari. Dum dolet sibi gratiæ cœlestis ambitor fratrem esse prælatum, de sacrificio processit ad parricidium. Auctorem igitur incontinentiæ B diabolum esse Apostolus docet : *Ne tentet vos propter incontinentiam vestram* (I *Cor.* VII, 5). Incentorem quoque avaritiæ ipsum esse legimus, dicente Paulo : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli* (I *Tim.* VI, 9). Et alibi : *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idololatria* (*Coloss.* III, 5). In his enim diaboli voluntatem facimus, et exsequimur potestatem, qui per carnis istius desideria incentivum suæ fraudis operatur.

13. Quemcumque ergo in vitiorum suorum possessione repererit, tamquam obnoxium suo juri vindicat. Adulterium quis facit, luxuriam exercet, aliena diripit; portio diaboli est : pudicus autem, et C continens, et misericors, Christi portio est. Christi ergo servum sibi non potest vindicare, nisi forte illapsum in vitia deprehenderit : nec tunc quidem vindicat, sed tamquam suum sibi tradi postulat. Ideo ergo dicit David : *Feci judicium et justitiam*, non ut arroget, sed excuset; ne quasi peccator deseratur a Christo. Exemplo sit nobis apostolica lectio quam ob rem unusquisque tradatur. Illum enim qui uxorem patris habuit, quia sic operatus est, [d] tradidi satanæ, dicit Apostolus (I *Cor.* V, 4 *et* 5) : non ergo esset traditus, nisi opera fecisset diaboli. Unde non immerito recusat propheta nocentibus tradi, qui allegat non diaboli opera se fecisse, sed Christi; Christus enim dicit : *Judicate pupillo, et justificate viduam* (*Esai.* I, 17). Hoc est ergo : *Feci judicium et* D *justitiam*, in judicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam divitis non recepi, in omnibus operibus justitiam reservavi.

14. Judicii finis justitia est. In altero veritatis custodia, in altero fructus est æquitatis : utraque

[a] Edit. omnes, *prædicatoris jactantia est hic ulla virtutum.* Mss. complures, *prædictarum jactantia*, etc. Melius tamen alii quinque, ut in contextu.

[b] Mss. aliquot, *ut in prandio publico.* Alii, atque edit., *ut in Prytaneo.* Puchre id quidem; erat enim Prytaneus locus Athenis, ubi sumptu publico de Rep. benemeriti, ac publicorum certaminum victores alebantur. Hoc autem responsum apud Platonem in apologia Socratis ita legere est : *εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι τῆς ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως.* Adisis etiam Cicer. lib. I de Orat.

[c] Edit. Am. *ærumnam precatus est.* Era. et alii emendarunt.... *deprecatus est.* Non male, si vel unus e mss. astipularetur. Sic etiam infra sermone 17, num. 22, edit. habent, *Quam jure precatus est*, ubi mss. *Quam jure præcavit.* Quod utroque loco concinne dici nemo non videat.

[d] Omnes edit. *tradidit satanæ Apostolus.* Mss. non pauci.... *ut dicit Apostolus.* Alii partim, *tradi satanæ dicit Apostolus* : partim, *tradidi*, etc. quorum lectionem hic arbitramur anteponendam.

Digitized by Google

1174 tamen non privata virtus, sed publica. Nam immaculatum corpus a virili permixtione servare, et palmam castimoniæ limoso in corpore usque ad Angelorum conversationem custodia integritatis evehere, utilitas privata, laus publica est : Frugi esse ac modestum, et sobriæ parcitatis tenere mensuram probatur a pluribus, sed sibi soli proficit. Fortitudo in præliis eminet, in otio friget : cujus opus in tempore necessarium, in voto adversum ; malunt enim homines non pugnare, quam vincere. Sola justitia est quæ omnibus temporibus, aliis potius nata quam sibi, quotidiano usu, et fructu publico, suo damno alienas custodit utilitates : quæ nihil habeat utilitatis, et plurimum laudis. Hanc igitur Propheta prætendit ad sui meriti commendationem, dicens : *Feci judicium et justitiam : ne tradas me nocentibus me.* Ubi justitia, ibi misericordia. Misericordia a peccato liberat. Quomodo ergo peccatoribus trador? Simile illud in Canticis : *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos* (*Cant.* v, 3 *et* 4)? Exui tunicam peccatoris, velamenque terreni : cur quasi peccator atque terrenus adjudicor? Lavi pedes meos, ne qua delicti sors posset adhærere vestigio : cur das in me delinquentibus potestatem?

15. (Vers. 122.) Sequitur : *Suscipe servum tuum in bono : non calumnientur me superbi.* Quasi judicii et justitiæ conscius, auctoritate prophetica progreditur; ut servum Domini se dicere non reformidet : servus enim Domini nihil debet alienis. Pretiosa hæc est servitus, quæ virtutum constat expensis. Cur autem timet nocentibus tradi, aperit evidenter; quia calumniatores sunt, qui oderint veritatem : impugnent innocentiam, quia superbi sunt. Qualis enim adversum servulos Dei potest superbus esse, qui adversus Deum se exaltat, et dicit : *In cœlum ascendam : super sidera cœli ponam sedem meam : sedebo in monte excelso, super montes altos qui sunt ab Aquilone : ascendam super nubes, et ero similis Altissimo* (*Esai.* xiv, 13 *et* 14)? Quid igitur mirum, si gravare homines possit, qui pervicaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, et fidem in hominem reservabit, qui sacrilego, impudentique mendacio omnipotenti se Domino adæquandum esse promittit? [a] Quomodo calumniatur singulis, qui totam irritavit terram, concussit reges, posuit universum orbem desertum, et civitates destruxit : eos qui in abductione erant, non solvit?

16. Caveamus ergo ne muros animæ nostræ destruat, ne propugnacula nostræ mentis diruat, ne super sidera thronum suum ponat. Ponit super sidera, quando electum decipit, quando justum circumvenit, cujus opera lucent sicut stellæ in cœlo. Nonne et Judas proditor inter cæteros audiebat : *Vos estis lux hujus mundi* (*Matth.* v, 14)? Nonne diabolus lumen ejus extinxit? Quin etiam quos non A potuerit circumvenire, calumniatur, invidens regni cœlestis gloriam; ut quos illecebris suis a Christo non potuit separare, eos calumniis suis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatum operantur in nobis, et ipsi nobis calumnias infestissima 1175 accusatione componunt, id quod ipsi fecerint arguentes. Ecce manus Domini parata est, quæ te fugientem ab adversariis tueatur ac protegat. Pharao te in patribus tenebat superbus, immitis : fugisti ab eo, suscepit te manus Domini, et de periculis liberavit. Non dimisisset te Pharao, nisi tu ad Dominum confugisses. Dicebat Pharao : *Dominum nescio, et Israel non dimitto* (*Exod.* v, 2). Vides quam superbus? Merito ergo susceptus in bono est, qui malum fugit. Non B patitur ergo Deus in malo nos esse : suscipit in bono; nec patitur suos calumniis subjacere.

17. (Vers. 123.) *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.* Qui sint isti oculi considera, qui in Christum deficiunt, dum ejus præstolantur adventum, animæ videlicet oculi non corporis, tota fidei intentione defixi; in eo enim quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat. Non potest hoc dicere nisi qui a mundanis sollicitudinibus et sæcularibus voluptatibus intentionem omnem suæ mentis avertit. Nam quomodo hoc dicit, qui theatralibus ludibriis occupatur? Sed ille hoc dicit, qui supra dixit : *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* (*Serm.* v, n. 37). Qui autem sunt oculi qui deficiunt in eloquium Dei, C nisi oculi interioris hominis, obtutusque animæ, qui tenduntur ut videant Dei verbum, et nimia intentione et exspectatione deficiunt in salutare Dei, defectum sui patientes, ut assumant quod verbi est?

18. Et quia eloquium Dei plerosque movere potest, ideo addidit : *Eloquium justitiæ;* ut movere non debeat, Movere autem poterat, quia scriptum est : *Major serviet minori* (*Gen.* xxv, 23). Nam nisi ad mysterium accipias, naturæ injuria est. Et, *Dedi vobis præcepta non bona* (*Ezech.* xx, 25). Ergo Deus mala dat præcepta. Et, *Ego Dominus creans mala* (*Esai.* xlv, 7). Sed et de præceptis sic solvitur; quia infirmis non dare debuit perfecta præcepta, quæ sustinere non possent. Quando audiret Judæus : *Dimitte omnia tua.... et sequere me* (*Matth.* xix, 21)? D Quando audiret Judæus : *Qui non tulerit crucem suam, et secutus me fuerit, non est me dignus* (*Matth.* x, 38)? Sed hæc perfectiora præcepta Evangelio reservata sunt. Et mala non creavit Deus, sed hæc quæ videntur nobis austera, verbera, mors et hujusmodi alia quæ propter emendationem præscripta sunt noxiorum; justis enim non est lex posita, sed injustis. Nam si noxii nihil timerent, innocentes semper timerent.

19. Qui sunt igitur isti oculi qui deficiunt in salutare Dei? Diximus oculum suppliciorum esse, qui

[a] Omnes edit., *Quomodo non calumniatur singulos;* omnes mss., *Quomodo calumniatur singulis?* Non male, si per ironiam dictum accipiatur.

Digitized by Google

prævidens futura supplicia peccatorum, gerendam A annuntiet pœnitentiam. Demonstravit hunc oculum Baptista Joannes dicens : *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III, 7 *et* 8). Ad baptismum enim Joannis veniebat, qui habebat oculum suppliciorum : ad Christi autem baptismum venit, qui videt gratiam. Hic enim oculus est quem Dominicæ passionis umbra tuetur et protegit. Aliud ergo Ennon, aliud Ain. In Ennon baptizatur conscius gravium delictorum : qui autem purum oculum habet, gratiam suscipit spiritalem. Et imperfectæ fortasse animæ oculus suppliciorum est : **1176** perfectæ autem oculus gratiarum est purior atque sincerior, qui significatur hac littera, ad quam justi forma dirigitur; quia imperfecta peccati tantummodo B judicium declinare desiderat, perfecta vero meritum regni cœlestis acquirere. Præsumimus tamen quod utrumque oculum una anima habeat, et oculum suppliciorum, et oculum gratiæ : lævum oculum suppliciorum, dexterum gratiæ; quia non a primo homines possunt esse perfecti, sed per processum virtutis ascendunt. Ante igitur unaquæque anima quasi ad baptismum Joannis venit; ut præmittat pœnitentiam delictorum : et in processu paulatim ubi peccata sua defleverit, spiritali abluta baptismate, Christi accipit sacramentum. Unde videtur et in Canticis Canticorum Ecclesia prædicari, cui dicitur : *Cor nostrum cepisti, soror mea Sponsa, cor nostrum cepisti uno ab oculis tuis* (*Cant.* IV, 9); ut iste oculus gratiæ sit, qui Christi sibi pleniorem acquisiverit C charitatem.

20. Plerique tamen hoc loco accipiunt duos oculos Ecclesiæ : unum qui mystica videat, alterum qui moralia; eo quod sancta Ecclesia non solum moralium teneat disciplinam, sed etiam cœlestis doceat secreta mysterii. Unde dictum est de ea : *Oculi tui sicut columbæ, extra taciturnitatem tuam* (*Ibid.*, 1), quod et spiritaliter videat, et noverit tempus tacendi esse, et tempus loquendi; ut in tempore sermonem suum proferat, ne importunitate loquendi peccatum possit incurrere.

21. Habet ergo oculos columbæ ad similitudinem Christi; quia et de ipso lectum est : *Oculi tui sicut columbæ super abundantiam aquarum lotæ in lacte, sedentis super plenitudinem* (*Cant.* V, 12). Baptizat in D lacte Dominus, id est, in sinceritate. Et isti sunt qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt, et puram fidem deferunt, ut immaculatam induant gratiam. Ideo candida Sponsa ascendit ad Christum; quia in lacte baptizata est. Ideo mirantur eam Virtutes et Potestates, dicentes : *Quæ est hæc quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 7)? Ante paululum dicebat, *Nigra sum* (*Cant.* I, 4) : nunc dealbata cernitur, et ascendit ad cœlum, et innixa Dei Verbo, alta jam penetrat. Nec immerito illic aquarum abundantia, ubi Christus; ut mens humana repleri cupiat. Has sitit aquas cervus, quas cum biberit, sitire non possit. Has aquas sitivit Propheta, cum dixit : *Sitivit in te anima mea* (*Psal.* XLI, 3). Sedet ergo Christus super abundantiam aquarum, et super plenitudinem. [a] Et ideo qui baptizatur in lacte, dicit : *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I, 16). Unde et oculus suppliciorum non alienus est ab Ecclesia; quia etsi baptizabat Joannes in Ennon, baptizabat juxta Salim, ubi erat aquarum abundantia, duodecim fontes, et septuaginta Palmarum arbores (*Joan.* III, 25).

22. Hos fontes habet Ecclesia, hoc est, in veteri Testamento duodecim patriarchas, et in novo duodecim apostolos. Ideoque dictum est : *In Ecclesiis benedicamus Dominum Deum de fontibus Israel* (*Psal.* LXVII, 27). His fontibus ante perfunditur quicumque Christi mysteria sacrosancta consequitur; isti enim fontes ex æterno fonte manantes, toto orbe fluxerunt. Ubi isti fontes, ibi ascensio animarum. **1177** Denique Salim interpretati sunt, *Ipsum ascendentem.* Ille enim vere ascendit, qui propria peccata deponit. Hoc igitur verbo purificatoriæ sanctificationis usus exprimitur. Unde etiam bene in Canticis Christus dicit ad Ecclesiam : *Dentes tui sicut grex tonsurum, quæ ascenderunt a lavacro, quæ omnes gemellos creant, et infecunda non est in eis* (*Cant.* IV, 2). Quod specie tenus de capris dicitur, mystice autem de Ecclesiæ grege.

23. Nec vilia tibi videantur ista animalia. Denique audi quæ de his sanctus loquitur Spiritus : *Capillamentum tuum ut grex tonsarum, quæ revelatæ sunt a monte Galaad. Dentes tui ut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* VI, 4 *et* 7). Vides quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque ubi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum : ubi aliis periculum, ibi gregis hujus alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur a pastoribus suis dumosa de rupe pendentes : ibi luporum incursus esse non possunt, ibi fecundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet uberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate sollicitas. Ideo elegit eas Spiritus sanctus quibus cœtum venerabilis Ecclesiæ compararet.

24. Et ut mystice audias : capillamentum Verbi est altitudo et eminentia quædam justarum animarum, quoniam sensus sapientis in capite ejus. In altitudine enim cogitationis humanæ certum est esse sapientiam. Et quemadmodum tondentur capræ, ut superflua deponant : ita etiam tonsarum animarum gregem, hoc est, multarum animarum virtutes habet sancta Ecclesia, in quo grege nihil possis [b] insensibile reperire, nihil superfluum; quoniam fides sapientes fecit, spiritalis autem gratia ab omni superfluorum labe mundavit.

25. Merito igitur revelatæ sunt animæ justorum,

[a] Ita mss. quatuordecim. Editio Rom. sola, *Et ideo qui baptizat in aqua.* Aliæ edit. et duo mss. utraque omissa lectione, voci *plenitudinem* subjungunt : *Unde et nos omnes de plenitudine ejus accepimus.*

[b] *Insensibile*, id est, a sensu sapientis alienum, ut tota series orationis declarat.

Digitized by Google

et revelatæ a monte Galaad, hoc est, a transmigratione A testimonii; eo quod a Synagoga ad Ecclesiam testimonium cœleste migravit. In hoc itaque monte nascitur thymiama, resina, et cæteri odores, quos negotiatores illi Ismaelitæ, ut habes in primo libro Testamenti veteris, deferebant (*Gen.* XXXVII, 25). Hos odores habet Ecclesia, quos mercatores ex gentibus congregati, fide et devotione vexerunt. Itaque sicut capræ bonis refectæ cibis, et solis calore vernantes, lavantur in flumine, et exsultantes mundæ resurgunt de flumine: ita animæ justorum ascendunt ab spiritali lavacro.

26. Istæ sunt vere quæ geminos creant, in quibus non est infecunditas aliqua virtutum, sterilitas ulla meritorum. Bene geminos creant; quia congeminant sensus suos. Unde habes in Proverbiis scriptum: *Et tu scribe hæc tibi tripliciter, in consilio, et in cognitione* (*Prov.* XXII, 20). B Triplicem præmisit scriptionem, et duo subdidit, consilium et cognitionem: sed cognitio gemina est: una incorporalium, altera corporalium.

27. Diximus de fecunditate: dicamus de dentibus. Nam et navigantes plerique, et properantes **1178** itinere terreno, ubi viderint speciosum aliquem locum, delectationis gratia demorantur, pascunt oculos, animumque allevant; nec mora ulla commeandi putatur, sed gratia: ita et nobis pulcherrimos dentes justarum animarum considerare cordi est. Docuit enim Scriptura pulcherrimos dentes esse justorum, dicens secundum litteram quidem de patriarcha Juda, spiritaliter autem de Christo: *Hilares oculi ejus a vino, et dentes sicut lac* (*Gen.* XLIX, 12). C In quo non utique carnis humanæ officia, sed divinæ gratiæ munera prædicavit. Docet igitur exemplum, dentes non esse prætereundos, ubi de oculis dixerimus.

28. Qui sunt igitur justarum dentes animarum, nisi qui informem ac durum accipientes cibum, vel frigidum plerumque, vel supra modum calentem nunc comminuunt, nunc fovent, nunc temperant, prout qualitas fuerit alimentorum? Dura comminuunt, ne asperitas litteræ in veteri Testamento, et sæcularis intellectus rigor, nisi fuerit spiritali dente resolutus, vitalia ipsa interclusis ciborum salutarium meatibus, et gulam quamdam animæ incuriosa edacitate suffocet. Par est igitur ut dividas primum, si solida tibi videtur esca quæ sumitur, et distinguas eam, atque emollitam sine noxa aliqua animæ in D omnia ejus membra naturali divisione transfundas; ut vitalem succum omne ejus corpus epuletur. Nihil cadaverosum, nihil mortuum ore tuo sumas, ne dicatur: *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal.* XIII, 3): sed vivum haurias verbum; ut in tuæ mentis visceribus possit operari.

29. Hi dentes super lac candidiores, quia dentes justorum sunt. Denique cum omnes in Moyse baptizati in nube et in mari patres nostri fuerint, non otiose tamen scriptum est, quia *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (I *Cor.* X, 3 *et* 4); ut istis sanctorum dentibus major quidam fulgor accederet, quos post transitum maris Rubri, myrrhæ fontis amaritudine per ligni gratiam temperata (*Exod.* XV, 25 *et* 27), cognoscimus esse mundatos, deinde duodecim fontium potu, postremo petræ spiritalem undam vomentis irriguo; petra enim erat Christus. Ideo et manna manducaverunt (*Num.* XX, 11); ut toties abluti manducarent panem, ut scriptum est, angelorum (*Psal.* LXXVII, 25). Nunc quoque in Evangelii mysteriis [a] recognoscis, quia baptizatus licet toto corpore, postea tamen esca spiritali potuque mundaris.

30. Merito ergo David et oculos interiores purificatos, et dentes tamquam illuminatos spiritalium dentium candore sermones profert dicens: *Feci judicium et justitiam* (*Sup. v*, 121). Ille est enim verus dentium fulgor, ubi bene sibi consciæ mentis resonat canora confessio. Ille mundus oculus, quem peccatorum gravium trabes nulla depresserit: quem purgamentorum levium festuca nulla turbaverit. Iste oculus in verbum justitiæ defecit. *Qui enim Christo adhæret, unus est spiritus* (I *Cor.* VI, 17). Et Balaam petebat ut anima sua deficeret in animis justorum (*Num.* XXIII, 10), id est, ut proprii oblivisceretur erroris: **1179** quod suum erat, deponeret: quod justitiæ et æquitatis, assumeret. Sed progrediamur ad cætera.

31. (Vers. 124.) Sequitur: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justitias tuas doce me.* Præstruxit viam, et commendationis suæ incrementa præsumpsit. Supra poposcit ne nocentibus traderetur (*Sup. vv.* 121 *et* 122): iterum petiit ut susciperetur in bono; ne calumniarentur ei superbi, hoc est: Non declino judicium, sed calumniam perfidorum; illi enim judicare nesciunt, calumniari sciunt. Ad te confugio, qui nosti [b] repræsentare judicium. Et bene non vult calumniatoribus tradi; multa enim Job passus est justus, postquam traditus est nocenti. Sed difficile fuit illud et grande certamen (*Job.* II, 6), quod nisi Job nimia patientia haud facile quisquam superare potuisset; tamen ille non totus est traditus, sed meliore exceptus est portione. Qui dicit: *Non tradas me* (*Sup. v.* 121), quæ majora sunt comprehendit. Plus autem in anima, quam in carne sumus; justis enim dicitur: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Tradi ergo ani-

[a] Edit., *recognoscis baptizatos licet. . . . mundari.* Mss. vero nobis concinunt exceptis paucis, ubi pro, *toto corpore*, legitur, *tincto corpore*. Potest autem utrolibet modo hæc ultima pars admitti; potior tamen videtur prima lectio. Etenim non solum ea baptismum per immersionem administrari solitum significat: sed etiam opponitur ineptiæ quorumdam hæreticorum, qui cunctas corporis partes inficiabantur esse abluendas; ut Theodoretus lib. IV *Hæret. fabul.* auctor est. De immersione vero fusius tom. II Ambrosius lib. *De Mysteriis* cap 3, et auctor tractatus *de Sacramentis* lib. II, cap. 7, quos consule.

[b] *Repræsentare judicium* idem est atque exhibere, seu in præsenti ferre judicium. Cod. Theod. VIII, tit. 18, lege 12.

Digitized by Google

nam suam recusat, qui corpore sicut aranea tabescebat (*Psal.* XXXVIII, 12).

32. Hoc igitur loco, majore quodam familiaritatis usu potiora præsumens, ait : *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justitias tuas doce me.* Misericordiam sibi deferri poscit, justitias doceri. Alibi quoque, hoc est, in posterioribus habes hunc sensum : *Et ne intres in judicium cum servo tuo* (*Ps.* CXLII, 2). Etenim nostrorum conscii peccatorum, misericordiam magis petere Dei nostri, quam justitiam implorare debemus. [a] Alia veniam largitur : alia examen impertit. Quæ spes hominibus certandi apud eum, quem occulta non fallunt, quem latere peccata non possunt? Ideoque sciens ejus potentiam, qui hominem non timeret, ait : *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L, 6). Non potest hoc justus negare; quia nemo sine peccato : non potest rex, quia etsi leges in potestate habet, ut impune delinquat; [b] Deo tamen subditus est : immo plus ipse debet, cui plus commissum est.

33. Hoc ergo dicit : *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam;* quia etsi quid boni feci, plura debeo quasi servus. Non uno facto servus absolvitur; quia nemo servum habens arantem, aut oves pascentem, dicit illi : *Transi, recumbe; sed dicit illi : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi.... [c] Numquid gratiam habet servus, si fecit quod imperatum est ei* (*Luc.* XVII, 7 *et* 8)? Ergo et cum fecerimus quod nobis imperatum est, non statim nos exaltare debemus, sed magis humiliare; quia non statim si aliquid fecimus, implevimus omnia servitutis obsequia. Quis tanta naturæ munera, vitæ salutisque servatæ divina beneficia digno possit æquare servitio? Quis potest solvere quod accepit? Ideoque sciens omnia, misericordiam petit potius [d] quam audientiam : *Quoniam*, inquit, *non* **1180** *justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens* (*Psal.* CXLII, 2).

34. (Vers. 125.) Quintus versiculus sequitur : *Servus tuus sum ego : da mihi intellectum, et scibo testimonia tua.* Intellectus spiritale munus est; et ideo quod Dei est, a Domino postulatur. Nec quasi extraneus poscit, qui servum se confitetur. Bene ait : *Servus tuus sum.* Servus enim voluntatem domini sui facit. Servus quærit servitutis stipendia, [e] remunerationem sperat. Servus Domini non potest idem esse servus peccati : et ideo intellectum sibi dari poscit, ut sciat cavere peccatum. Habebat quidem intellectum, sed non ut redundare sibi crederet : uberiorem requirit.

35. Est autem et intellectus naturæ, et est intellectus non bonus. Ideo et Salomon ait : *Intellectus autem bonus dat gratiam* (*Prov.* XIII, 15). Nam si omnis intellectus bonus esset, non opus fuisset additamento. Jure gratiam Domini sui quærit, aliter enim scire non potest secreta Domini, nisi intellectus spiritalis munus acceperit. Habes hoc in Hieremia : *Notum mihi fac, Domine, et scibo* (*Jerem.* XI, 18), quia nisi Deus notum fecerit hominibus mysterium suum, scire non possumus.

36. (Vers. 126.) Sequitur versiculus sextus : *Tempus faciendi, Domine : dissipaverunt legem tuam iniqui.* Bene ait tempus faciendi esse; *Est enim tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccles.* III, 7). Sed loquendi tempus advenit : ac per hoc Dominici adventus tempus jam esse memorat; ut quia Legis factæ est prævaricatio, veniat finis Legis, et consummatio ejus, et plenitudo Dominus Jesus, qui donet hominibus universa delicta : et abolito chirographo delictorum, absolvat omnes et liberet peccatores. *Tempus est faciendi*, ut si ingravescente ægritudine alicujus incommodi, curras ad medicum, ut citius veniat, ne postea subvenire non possit. Medicus enim tunc amplius desideratur, cum gravis incubuerit ægritudo languenti. Ergo cum videat in Spiritu sanctus Propheta prævaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos, fraudes, avaritiam, temulentiam, quasi pro nobis interveniat, currit ad Christum, quem solum tantis sciebat subvenire posse peccatis : urget ut veniat, nec patitur fieri moras. *Tempus*, inquit, *faciendi, Domine*, hoc est, ut pro nobis crucem ascendas, mortem subeas. Totus in periculum ultimum mundus urgetur : veni ut tollas peccatum mundi. Veniat vita morientibus : veniat resurrectio jam sepultis. Factum tuum subveniat; quoniam nec tua præcepta prodesse potuerunt. In Lege præceptum est, [f] in Evangelio ministerium.

37. Cæcus omnis populus proprium non videbat auctorem. Claudus erat mundus, et titubante vestigio fidei fluctuabat. Non erat malagma imponere, neque oleum, neque alligaturam. Omne patrimonium suum in medicos erogaverat mulier illa Evangelica (*Luc.* VIII, 43), speciem habens congregationis **1181** humanæ, quæ coibat ex gentibus : nec fluentem sanguinem, et inveteratæ passionis lethale profluvium poterant sæculi hujus medici restringere. Principis

[a] Edit., *Aliis veniam largitur, aliis examen impertit.* Mss. aliquot, *Alii .... alii*, etc. Cæteri magno numero, ut in textu.

[b] Ita mss. At edit. adjiciunt, *Deo tamen subditus est*, post voces, *qui nulli debet, immo*, etc.

[c] Edit. et pauci mss., *Numquid gratiam habet servo*, cui lectioni græcus textus, et latinæ versiones suffragantur. Alii mss. .... *servus*. Non male; si gratiam hic idem esse ac meritum animadvertas. Et hoc modo eum Evangelistæ locum reddidit interpretatio persica atque æthiopica, quas in *Polygl. Angl.* consulas licet.

[d] Mss. aliquot, *quam sapientiam*. Rom. edit., *quam excusationem*. Melius alii mss. et vet. edit. *quam audientiam*; hoc est, quam locum sibi dari ad causam defendendam.

[e] Superiores edit., *remunerationem non sperat*. Melius cod. mss. *remunerationem sperat*. Etenim servus præter diaria, peculium et alia stipendia servitutis, ad manumissionem quoque aspirat. Infra vero ubi mss., *sed non ut redundare*, Edit. inde negationem detraxerant. Minus commode id quidem, ut patebit locum attentius consideranti.

[f] Edit. omnes, et mss. non pauci, *in Evangelio mysterium*. Melius cod. Rem., Corb., Vind. et Nav. unus, ... *ministerium*. Significatur enim in Evangelio exhibitum sive impletum fuisse a Christo, quod in Lege fuerat præceptum.

Digitized by Google

opuli posteritas interierat, et omnis occiderat ejus hæreditas. Videns hæc Propheta, dicit ad Christum: *Tempus faciendi, Domine:* non jubendi, inquit, sed *faciendi;* quia non legatus neque nuntius, sed Dominus salvaturus erat populum suum. Et ille quidem tempus sciebat, et non differebat: sed nos nesciebamus quo melius tempore [a] subveniret.

38. Aut fortasse vult a nobis admoneri, vult rogari: immo si rogatus fuerit, ante tempus venit. Venit ad ficulneam: et ante horam venit, ut dicit ad matrem. Illa rogabat pro nobis, illa festinabat, dicens: *Vinum non habent, fili.* Respondit Jesus: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 3 *et* 4). Et mater quæ sciebat ejus affectum, dicit ministris: *Quodcumque dixerit vobis facite* (*Ibid.*, 5). Jesus quoque qui horam suam venisse negaverat, fecit quod ante differebat; nam omnia Deus suo tempore fecit. Quidquid facit, non est extra tempus: sed totum opportunum est, quod fecerit: [b] et mihi tempore suo advenit; omne enim tempus opportunum saluti, nihil præproperum pro salute periclitantium: sed volebat exspectare adhuc Synagogæ correctionem. Ideo ante tempus ad ficulneam venit (*Marc.* XI, 13), hoc est, cito Judæis venit, opportune gentibus; cito venit perituris, commode credituris.

39. (Vers. 127.) Sequitur versus septimus: *Propter hoc dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Lex annuntiatrix Christi est: præcepta ergo Legis spem futurorum honorum deferunt, mandatum est enim Domini: *Attende tibi, ne derelinquas levitem per omne tempus quo vixeris super terram* (*Deut.* XII, 19). Quis est iste levites? Intelligis si consideres quis sit ille qui venit ministrare, qui sacerdos est in æternum. Aliud mandatum ait: *Custodi mensem novorum, et facies pascha Domino Deo tuo* (*Deut.* XVI, 1). Et infra: *In loco quem elegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum, ibi occides pascha vespere ad occasum solis in tempore quo existi de Ægypto* (*Ibid.*, 6). Ergo mandata Dei habent futuræ redemptionis indicia, resurrectionis insignia; ideo super aurum et topazion memorat sibi esse dilecta. Quid enim salute gratius, resurrectione pretiosius?

40. Vel quia quæ stulta sunt mundi, Christus elegit; ut quoniam per sapientiam mundus non co-
A gnovit Deum, per stultitiam prædicationis salutem afferret credentibus; ideoque ait: Super sapientiam operationis cœlestis, et mundanæ constitutionis, et super ornamenta solis et lunæ, stellarumque pretiosa monilia, dilexi obaudientiam Dominicæ passionis. Plus enim redimendo **1182** mihi contulit, quam creando; tunc enim sine sensu natus sum, nunc cum voluntate servatus. Sed non quicumque dicit: *Dilexi mandata tua super aurum et topazion*. Non dicit avarus, qui auro incubat, divitiis inhiat, ornamenta desiderat: sed ille dicit, qui potest dicere: *Argentum et aurum non habeo* (*Act.* III, 6); quoniam non requiro, quoniam nihil mihi aurum prodest; præceptum autem et mandatum cœleste me redemit.

41. Diximus continentiam sensus, nunc de topa-
B zio lapide exprimamus historiam. De quo invenimus scriptum in historia Xenocratis, qui scripsit [c] quasi lithosnomon, nasci eum vel inveniri circa Thebaidis civitatem alabastrum vel topazion, ut aliqui putant; unde et nominatus est ab eo in quo gigneretur loco. Sunt autem qui putaverint insulam nuncupari Topazion ad quam appulsos Troglodytas: orta subito commotione maritima, eo quod navium usum non haberent, regredi nequivisse. Deinde plurimo immorantes tempore, in insula invenisse lapidem, et delectatos colore ejus repetiisse domum, et Arabis negotiatoribus advenientibus vendidisse: ab illis emisse Philonem, et ad matrem Ptolomæi secundi, cui nomen erat Berenice, ab ipso esse perlatum: illam autem quamvis regalibus ornamentis
C abundaret; supra modum tamen colore ejus stupefactam elaborasse ut diutius species tam pretiosi lapidis non lateret: ideoque studio ejus quæsitum lapidem, in usus frequentiores venisse.

42. Diximus quomodo innotuerit topazion lapis, nunc expressius de ejus qualitate dicamus. [d] Duorum colorum est in hoc lapide κρᾶσις, hoc est, quædam temperata permixtio. Πρασοειδὴς et chrysopa similis chrysopraso, secundum utrumque velut quasdam extendens colorum figuras, et plenius quidem a peritis fertur extendere. Est autem parichrus, et satis purus: et chrysochrus, et pinguis, resplendenti similis, maxime cum solis splendore percutitur. Est etiam pulcherrimus et mirabilis super omnes chryso-
D prasos magnitudine, et, ut dixi, visu pinguior. Na-

[a] Edit. post verbum *subveniret*, addebant: *Et jam venit, et abiit, et iterum vult venire, et tempus nescire.* Glossema insulsum, quod in mss. nullis reperire est.

[b] Paris. quædam edit., *Et nihil nisi tempore sua advenit.*

[c] Mss. aliquot, *Quasi lithognomon*. Lectio non contemnenda. Quis autem fuerit ille Xenocrates, cum ejus nominis plures exstiterint, non omnino liquet: veri tamen videretur similius hic agi de Platonis discipulo, quem Diog. Laertius sex libros de Natura scripsisse commemorat: quos historiæ titulo designare potuisset Ambrosius. Verum cum Plinius recentioribus hanc opinionem lib. XXXVII Nat. hist., cap. 8, tribuat, putamus eam historiam Xenocrati medico, qui circa illa tempora floruit, attribuendam. Quod autem de Troglodytis subditur, id etiam ex Plinii citato loco petitum est; ubi tamen non *Philo*, sed Philemo eumdem lapidem emisse memoratur. Porro *Troglodytas* ex eodem Plin. l. V, c. 8, discimus Æthiopiæ populos fuisse admodum barbaros, qui in specubus non longe a Rubro mari habitarent.

[d] Sex mss., *Duorum colorum est similitudo in hoc lapide*, κρᾶσις, etc. Ubi autem omnes mss. ac vet. edit., *et chrysopa*. Rom. ex Plinio emendavit, *chrysocteron;* sed pro *similis chrysopraso*, ut habetur in edit. et mss. plerisque reponendum ex eodem fuerat, *similis chrysopasto*. Et hanc lectionem vehementer suspicamur germanam esse, cum in mss. quibusdam legamus, *similis chrysopasso;* sed interim ab aliis, atque edit. non discedimus. Infra vero ubi edit. *parychrus*, scribimus cum mss. *parichrus*, ut sit color *parius*, sive albus a marmoribus insulæ Pari ita dictus.

Digitized by Google

tura hujusmodi, ut si polire et levigare eum velis, A asperetur magis, et usu minuitur. Est autem quodam genitali operæ naturæ euglyphus, hoc est, [a] bene insignitus atque mirabilis : et ut summo studio dignus haberetur, difficile invenitur : et repertus, raro tamen in usu hominum est, quasi is quem dives regina mirata sit.

43. Sed jam sicut Troglodytæ illi quasi pretio suæ remansionis invento, repetierunt domum, ita et nos emolumento moræ hujus recepto redeamus eo unde divertimus. Nec par est nos ornamentis regiis diutius sermonis nostri quædam **1183** admovere brachia; cum habeamus in manibus crucem Christi, quam admonet Propheta super aurum et topazion præferendam, quæ ab omni errore culpaque revocat et corrigit. Quis enim justorum non ambiat Christi B in morte solatium, in resurrectione consortium? Quis non reflectat gradum, quando audiat sibi superiora omnia peccata donari? Propter hoc enim plerique [b] a conversionis studio revocari solebant, quod delictorum suorum conscii, nullam spem veniæ præsumerent : et in Ecclesia quanto sanctiora præcepta, tanto sine venia putarent esse peccata.

44. (Vers. 128.) Ideoque ait octavo versiculo : *Propterea ad omnia mandata tua corrigebar : omnem viam injustam odio habui.* Merito corrigebatur, quoniam diligebat; *charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (I *Pet.* IV, 8). Vide quanta operiat, quanta corrigat. *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non* C *cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit* (II *Cor.*, XIII, 4 *et seq.*). In inferioribus tria perfecta posuit, spem, fidem, charitatem : majorem autem dixit charitatem, et recte; *Charitas* enim *omnia sperat, omnia credit* (*Ibid.*, 13). Cum igitur spes et fides in charitate sint, non est dubium quod major charitas sit. Et bene sibi respondit Propheta. Supra enim dixit : *Lex Domini irreprehensibilis, convertens animam* (*Psal.* XVIII, 8). Si Lex animam convertit; utique qui diligit, Legis dilector est. Deinde in hoc ipso centesimo decimo octavo psalmo primum posuit : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (*Sup.* *v.* 1). Si immaculatus est qui in lege Dei ambulat; D utique convertitur, qui diligit Dei legem. Ergo si Lex immaculatum facit, recte charitas multitudinem operit peccatorum; quia plenitudo Legis charitas est.

45. *Omnem*, inquit, *viam injustam odio habui.* Si is qui præcepta justitiæ diligit, facit illa quæ diligit; utique is qui odit iniquitatem, non facit quod exosus est. Nec immerito ad omnia præcepta Domini corrigitur, qui omnem viam odit iniquitatis. Nisi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus præceptis Dei corrigi. Potest enim fieri ut aliquis se temperet a crudelitatis horrore; lubricæ tamen deceptus amore meretricis, et semitas incontinentiæ juvenilis ingressus, impressum semel non queat revocare vestigium. Multos enim vitia blandientia decipiunt, et contra avertit a se plurimos tristis et nimium severa crudelitas. Sed juventus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est. Alius se restringit a luxuria : sed avaritiæ cupiditate raptatur. Pleraque enim peccata hujusmodi sunt, ut si alterum declines, incurras alterum : et naturæ usus adjuvat infirmitatem. Odisti luxuriam quasi frugi, sed frugalitatis studio habendi cupiditas frequenter irrepit. Avaritiæ ipsi rapina est subdita. Et quanto tolerabilius est propria profundere, quam aliena diripere. Sunt qui metuentes **1184** aliquid proprio minuere de censu, etiam inopi sumptum negent, et misericordiam detrimentum putent. Sunt qui degenerem vitantes ignobilitatem, flabro sæcularis ambitionis agitentur, et sicut quassatæ arundines huc atque illuc ferantur incerti. Sunt etiam qui dum majorum suorum statum sequuntur, veluti digna conversatione contenti, ne errores quidem patrios existiment declinandos; ut fide mutandam perfidiam non arbitrentur : cum in melius mutare propositum non levitas, sed virtus : neque culpa, sed gratia sit. Alius circensibus ludis, aut theatralibus sollicitatus voluptatibus, aut cæteris vanitatibus occupatus, Ecclesiam non frequentat : alium ruris quieta delectat, eaque causa ad Ecclesiam rarus accessus est. Itaque diverso usu in eumdem indevotionis errorem uterque concurrit. Sed qui omnem viam iniquitatis odit, ad universa corrigitur et emendatur. Et bene posuit, *Viam iniquitatis*; ille enim facilius iniquitatem declinat, qui vias ejus non fuerit ingressus.

## SERMO DECIMUS SEPTIMUS.

### פ. *Phe.*

1. *Phe* littera decima septima, quæ latine significat, *Erravi*, sive, *Os aperui.* Merito ergo hæc lacrymabilis series psalmi subjecta est huic litteræ. *Respice in me, et miserere mihi..... et non dominetur mei omnis iniquitas. Faciem tuam illumina super servum tuum* (*Infra*, *vv.* 132, 133 *et* 135); ut ei qui erat in umbra mortis, populo cœlestis misericordiæ lumen oriretur, adveniret Christus remissio peccatorum, captivorum redemptio, subsidium laborantium. Sed quia venire tardius desiderantibus videbatur : *Exitus*, inquit, *aquarum deduxerunt oculi mei* (*Infra*, *v.* 136).

[a] Rom. edit. sola, *bene figurabilis*. Et cum aliis, ac mss. aliquot. *at summo studio dignus habetur. Difficile invenitur*. Sed mss. melioris manus, ut in contextu. Quod autem habent omnes edit. *Et repertus insignitur*, nullus mss. verbum, *insignitur*, agnoscit.

[b] Edit. Am. et Gill., *ad conversionis studium revocare* (Gill. *revocari*) *solebant*. Melius Rom..... *revocari nolebant*. Optime autem omnium Era. quem simul et majorem mss. partem sumus secuti. Alii vero mss. partim his, partim illis edit. patrocinantur. Hic porro Novatiani obiter perstringuntur, quos de industria impugnat sanctus Præsul in lib. *de Pænitentia*, qua de re illic a nobis dicetur uberius.

Digitized by Google

2. In Hieremiæ quoque Threnis lacrymabilior series sub hac littera est: *Expandit Sion manus suas: non est qui consoletur eam* (*Thren.* I, 17). Dignam remunerationem recepit; ut quæ expandentem manus audire neglexit, et sub alas ejus succedere, ipsa postea expanderet manus, et consolantem invenire non posset. Nam etsi ante adventum Domini Hieremias captivitatem Judæorum a Babyloniis illatam deflere videatur, tamen prophetico spiritu istam magis captivitatem prævidens, qua eos intelligibilis Babylonius in perpetui erroris vincula subjecit, et domesticæ virtutis extorres de statu paternæ devotionis eliminans, longinquæ affecit peregrinationis exsilio, miserabili dolore deplorat. Nulla enim patria verior quam fides, quæ eos qui longe erant, prope esse fecit, [a] et advenis atque peregrinis civitatis supernæ jura connexuit, sicut scriptum est: *Ergo jam non estis advenæ, atque peregrini: sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (*Ephes.* II, 19).

3. Alibi quoque Hieremias dicit sub hac littera: *Aperuerunt in te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, fremuerunt dentibus, et dixerunt: Deglutivimus eam; tamen hæc est dies quam sperabamus, invenimus eam, vidimus eam* (*Thren.* II, 6). Et hic sicut Judæorum populus os aperuit in Christum, quemadmodum **1185** in vigesimo primo psalmo de ejus passione legisti, quod aperuerunt os suum maledicentes (*Psal.* XXI, 14): dignæ [b] sortem remunerationis agnoscis; ut ipsi ab inimicis suis talia sustinerent, et fremeret in eos dentibus intelligibilis ille peccator diabolus, sicut leo rugiens, et requirens quem devoraret. Isti igitur non dixerunt: *Benedictus Dominus qui non dedit nos in capturam dentibus eorum* (*Psal.* CXXIII, 6); quia sperandum de Domino non putaverunt. Ergo excidium eorum diabolus quod præsumebat, invenit. Deglutivit eos; quoniam deerat pastor offensus, qui extraheret de ore leonis crura ovis, [c] aut cartilaginem.

4. Sequi noluerunt, audire noluerunt: ideo decedente pastore, vestigia eorum atque aures suis faucibus occupavit; quia *faciem sanctorum non receperunt, et nobilibus misericordiam non dederunt* (*Thren.* IV, 16), ut tertio Hieremias sub hac littera dicit in Threnis. Qui erant nobiles, nisi qui non secundum obscuram hanc vitam, sed in lumine sanctitatis egerunt. Et omnibus quidem misericordia inopibus jure debetur: sed major quidam, cum ex divitibus atque nobilibus in ultimum statum atque egestatis necessitatem aliquos ærumna dejicit, miserationis pulsat affectus.

5. Hieremias ergo flebiliter satis dolet, utpote qui perpetuæ aculeo mortis deploraret amissos: David vero moderate, quasi qui obreptionem doleret erroris, remedium non desperaret correctionis; ut contristaretur, non absorberetur.

6. (Vers. 129.) Denique confirmatus sobrietate pœnitentiæ, et spe veniæ provocatus, sic cœpit: *Mirabilia testimonia tua, propterea scrutata est ea anima mea.* Moralis oratio, ut quoniam eum puderet erroris, Deum tamen propriæ miserationis testimoniis conveniret. Hoc est dicere: Ego in exordio sermonis loquens mea peccata, non audeo levare oculos meos ad te Deum vivum: sed tu, Domine, me ad sperandam veniam tantarum indulgentiarum titulis provocasti. *Mirabilia testimonia tua:* [d] cum in Abraham non lapsu incuriæ juvenilis offensus es: dum monuisti ut Chaldæorum errores, patriam, cognationem relinqueret, et evocatum virtutis exercitiis erudisti. Cum Hebræorum populum a paternæ studio nobilitatis aversum, et viles escas Ægypti super divina munera præferentem, non solum solidatis Rubri maris fluctibus liberasti: verum etiam triumphis plurimis evexisti ad gloriam, et uberis terræ possessione donasti ad quietem. Te totus securitate deseruit: te bellorum acerbitate depressus invocavit; et ut injurias tuas obliviscereris, emeruit. Te Jesus Nave ducem sibi cœlestis militiæ venisse cognovit. Te populus triumphator ut Madian sibi dominaretur, offenderat: te ut Madian vinceretur, oravit. Tibi in Saul rege non obtemperavit, ut de eo alienigenæ triumpharent: tibi, David præeunte, servivit, ut de alienigenis victoriam reportaret. Ego quippe pastor malignum feci, et confessione peccati veniam reportavi. Pulcherrimus itaque versiculus ad martyrum cohortationem. **1186** Denique prophetica anima sic proficit in melius, dum mirabile credit Dei testimonium: et quia credidit, diligenti indagine quæsivit. Profectum quæris, agnosce ex his versiculis qui sequuntur.

7. (Vers. 130.) *Manifestatio sermonum tuorum illuminat me, et intellectum dat parvulis.* In Evangelio, cum mitteret discipulos suos Joannes ad Dominum Jesum, dicebat: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI, 3)? Respondit Jesus cæcos videre, claudos ambulare, audire surdos; hoc enim adventus sui testimonium fore, per Esaiam prophetam significaverat (*Esai.* LXI, 1). Hæc ergo quæ annuntiavit per prophetas, in Evangelio manifestavit: et quod ipse locutus est per prophetas, in Evangelio ipse complevit. Ipsius ergo sermo erat propheticus sermo, sicut habes scriptum: *Audi, cælum, et per-*

[a] Cunctæ edit., *et advenas atque peregrinos civitatis supernæ jure connexuit.* Mss. ut in contextu, nisi quod nonnulli habent: *et ex advenis*, etc.

[b] Mss. quatuor, *sortem maledictionis agnoscis.*

[c] Rom. edit., *aut auris cartilaginem;* et certe vox, *auris*, in aliis et mss. subintelligitur, cum aperte alludatur ad Amos III, 12: Ἐκσπάσῃ ὁ ποιμὴν ἐκ στόματος τοῦ λέοντος δύο σκέλη ἢ λόβον ὠτίου. Et infra ubi aliæ, ac mss. omnes, *faciem sanctorum*, eadem e sacris cod. reposuit; *faciem sacerdotum:* verum eadem ratione mutandus fuerat totus locus, cum ejus ultima pars in iisdem sacris cod. ita legatur, *et prophetis* (alibi etiam *senibus*) *misericordiam non dederunt.*

[d] Ita mss. complures: Alii cum edit., *Cum in Abraham collapsu incuriæ.... dum ut Chaldæorum errores, patrumque cognationem relinqueret, evocatum*, etc.

Digitized by Google

*cipe auribus, terra; quoniam Dominus locutus est* A (*Esai.* I, 2).

8. Intellectus ergo datus est etiam his qui perfectam sapientiam non haberent, dum muti loquuntur, mortui resuscitantur. His enim signis intellectum est ab iis qui rudes erant, et adhuc quasi in cunabulis fidei constituti, ut erat populus nationum, ipsum venisse qui exspectabatur. Illuminat igitur fidei claritate, resurrectionis suæ gloria, et divinorum operum potestate : *Et intellectum dat parvulis.* Quibus utique, nisi de quibus in Evangelio gratias agit Patri, in eo quod ipse operabatur Filius, quod mysteria sua Deus abscondisset a sapientibus, et parvulis revelasset (*Matth.* XI, 25) : ostendens citius plebem ex gentibus, vel status inferioris viros, quam scribas et principes Judæorum, et divites hujus sæculi credituros? B Ideo, *Divites eguerunt et esurierunt* (*Psal.* XXXIII, 11) : pauper autem clamavit, et exauditus est.

9. (Vers. 131.) Sequitur tertius versiculus : *Os meum aperui, et duxi spiritum; quoniam præcepta tua concupiscebam.* Habemus in Evangelio quod Dominus Jesus aperuit os suum, cum benedictiones ediceret (*Matth.* V, 2). Sed ille os aperuit, ut daret aliis spiritum : David aperuit, ut acciperet. Denique Jesus dicit : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22); [a] Jesus dicit : *Dilata os tuum, et adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11) : hoc homini dicit; plenitudo enim Christus est. Qui implet omnia, implet os tuum. Scribe ergo quæ dicit in latitudine cordis tui, hoc est, os tuum clamet ad Dominum. Clamat os tuum, et cum tacet : sicut et Moyses cum taceret voce, clamabat C spiritu (*Exod.* XIV, 15). Ab hominibus non audiebatur, apud Deum personabat; est enim interioris clamor affectus, qui auditur e cœlo. Anna quoque cum oraret, tacita clamabat (I *Reg.* I, 13) : labia non movebat, et interiori voce piæ mentis excitabat Jesum. Denique cum effectu rediit, quæ cum silentio precabatur; quia clamabat in ea Spiritus Dei, qui etiam tacentibus nobis clamat : *Abba pater* (*Rom.*, VIII, 6).

10. Intellige ergo quid os sit : utrum cor, an interioris hominis habitus. Habet os anima, quæ habet membra. Hoc os aperi non solum Christo, sed etiam Christi discipulo, qui os suum Christo implendum præbuit; et ideo dicit : *Os nostrum patet* **1187** *ad vos, o Corinthii : cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 11). Ideo imitatores nos sui esse debere admo- D net (*Philip.* III, 17), sicut ipse Christi est. Qui sanctior est, Christo aperuit os suum : qui inferior, Apostolo. Prius propheta legitur, et apostolus, et sic Evangelium, in quo verba lucida, sed validiora præcepta. Lex dicit : *Diliges proximum tuum* (*Levit.* XIX, 18); et Evangelium dicit tibi : *Diliges inimicum tuum* (*Matth.* V, 44).

11. David ergo quasi perfectus propheta os suum Christo aperuit; et ideo in parabolis aperuit os suum (*Psal.* LXXVII, 2). Aperuit os, duxit spiritum. Merito ergo ait : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel et favum ori meo* (*Sup.* v. 113)! Sponsa Christi os suum Sponso aperuit : percepit ex ore melle dulciora præcepta. Et ideo testata est, dicens : *Fauces ejus dulcedinis, et totus desiderium* (*Cant.* V, 16). Delectata igitur tenuit eum, et non dimisit eum. *Et introduxi*, inquit, *eum in domum matris meæ, in secretum ejus, quæ me concepit* (*Cant.* III, 4). Fortasse domus est, in qua præfulget moralium disciplina : secretum autem illud est, in quo sunt altiora mysteria. Merito ergo concupiscebat præcepta Domini, in quibus divinæ gratiæ mella redolebant. An non omni melle dulcior peccatorum remissio? Nonne omni flore gratior resurrectio mortuorum?

12. (Vers. 132.) Quartus versiculus : *Respice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum* (*Exod.* XIV, 24 *et* 25). Pulchre addidit : *Respice in me, et miserere mei* (*Gen.* XIX, 21); qui respicit et iratus, ut respexit super castra Ægyptiorum, et ligatis axibus curruum, omnes eos dejecit in fluctus. Respexit super Sodomam et Gomorrham, quarum utraque peccatorum suorum luitura supplicium, divinæ pretium solvit offensæ. Scriptum est etiam : *Aspicit super terram, et facit eam tremere* (*Psal.* CIII, 32). Et contra, *Respexit super munera Abel : super Caïn autem munera non respexit* (*Gen.* IV, 4 *et* 5). Quo exasperatus Cain, parricidali crimine cruorem fratris effudit.

13. Quid sit autem respicere Deum, evidentissime illo testimonio declaratur : *Quia respexit super preces pauperum, et non despexit preces eorum* (*Psal.* CI, 18); oculus enim Domini non aspernatur justorum munera. Denique oculos nostros cum in aliquem movemus, avertimus; quasi indignum eum aspectu judicemus, quem oderimus affectu.

14. (Vers. 133.) Sequitur versus quintus : *Gressus meos dirige secundum verbum tuum : et non dominetur mihi omnis iniquitas.* [b] Gressus pro profectibus animæ accipiendos frequentibus Scripturarum testimoniis admonemur. Nam quis tam stolido ingenio est, qui putet David de pedum suorum corporali gressu esse sollicitum, et his divinæ directionis auxilium postulare? Ille vero, ut sanctus, vitæ suæ cursum dirigi gestiebat; sicut et alibi Scriptura testatur, dicens : *A Domino diriguntur gressus viri* (*Prov.* XX, 24). Denique ipsius utamur testimonio, qui ait in superioribus : *Paulo minus effusi sunt gressus mei; quia zelavi in peccatoribus pacem* (*Psal.* LXXII, 2 *et* 3). Animi itaque sui ostendit claudicasse vestigium, dum pacem peccatorum **1188** putat esse mirandam. Videntur quidem habere tranquillitatem, videntur quiete frui : sed non est quies, ubi animus inquietus est : non est tranquillitas mentis, ubi animus exagitatur obnoxiis stimulis conscientiæ. Quomodo securitas, ubi diver-

[a] Rom. edit. sola, *David dicit : Dilata*, etc. Perperam; docet enim series, hunc versum non Davidi, sed Christo convenire.

[b] Plures mss., *pro affectibus animæ*. Alii ac edit., *pro profectibus animæ*. Magis commode, ut ex sequentibus intelligitur. Vide etiam quæ in lib. *de Isaac et anima*, cap. 6, de variis profectibus animæ disputantur.

Digitized by Google

sarum pugna est passionum, ubi conflictus gravium cogitationum? Unde Dominus definiens quid sit pacem habere, ait : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis : non sicut mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV, 27), ostendens pacem quam mundus dat, veræ pacis gratiam non habere. Ideoque non in homine esse pacem volens docere, addidit : *Pacem meam relinquo vobis.* Et iterum : *Pacem meam do vobis.* Denique Propheta dicebat : *Pax, pax, et ubi est pax* (*Jerem.* VI, 14)? Manifestum est igitur eum de titubatione suæ dixisse sententiæ, in qua animi, non corporis titubaverat gressus.

14. Et Moyses ait : *Transiens videbo hoc visum magnum* (*Exod.* III, 3). Etenim ut Deum videret, progressione quadam virtutis ad ulteriora processit. Pastor erat ovium, et dux factus est civium. Et ad Sponsam dicitur in Canticis : *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab : moduli femorum tuorum similes torquibus opere artificis* (*Cant.* VII, 1). Non est dubium gressus hic quoque Ecclesiæ, vel animæ profectus significari : *Quam speciosi pedes sunt evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Esai.* LII, 7)! Utique speciosos dicit Evangelicæ prædicationis et disputationis progressus, ut alibi dicitur : *Transgredere flumina* (*Esai.* XLVII, 2) : hoc est, fluentia et lubrica istius mundi transcurre stabili mentis incessu. [a] Quod de animæ gressu dici in posterioribus hic ipse David evidenter ostendit, asserens quod torrentem iniquitatum sua anima transisset (*Psal.* CXXIII, 5).

15. Sed revertamur ad Sponsæ gressus. Quid sibi vult quod addidit in calceamentis speciosos esse gressus Ecclesiæ? Legimus itaque dictum ad Moysen : *Solve calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* III, 5); quo videtur admonitus, ne corporalibus vinculis teneretur astrictus. Ergo speciosam significat in Canticis animæ pulchritudinem, quæ carne tamquam calceamento utitur, et in ipso calceamento impedimentum non patitur : sed incessus decore præcellit. [b] Calceat ergo se carnem anima, vel Ecclesia gratiam; ut cursum vitæ hujus et transitum cum decore prætereat. Quod fit, si calceamentum suum non inquinet luto corporali, nec in vitiorum merset voragine : si castiget carnem suam; ne moretur ad cursum, et arvinæ pinguis pondere degravetur. Bonum calceamentum animæ pudicitia est. Bonus gressus est in vestigio castitatis. [c] Sapientia autem amictus est animæ; unde scriptum est : *Honora eam, et amplectetur te* (*Prov.* IV, 8). Utamur ergo corpore tamquam calceamento, ad inferioris opera virtutis : ad ministerium, [d] non ad præceptum : ad obsequium, non ad delectationem; ad obedientiam, non ad dissensionem : et in via sapientiæ vestigium collocemus; ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat.

1189 16. Ideo ad Moysen dictum est : *Solve calceamentum* (*Josue* V, 16). Dictum est et ad Jesum Nave : ad Christum autem non est dictum, sed magis scriptum est, dicente Baptista : *Post me venit vir..... cujus non sum dignus calceamenta portare* (*Matth.* III, 11); quia illi bene admonentur, ut solvant calceamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem [e] non solum calceamentum non solvit, sed etiam calceamenta aliorum absolvit; quia non solum corpus suum peccati immune servavit : sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, et in calceamentis omni ablata delicto.

17. Et fortasse quando sapientiam inter perfectos loquitur, speciosa est in superioribus membris; quando autem etiam inferioris status, aut doctrinæ homines verbum sequuntur, fidei seriem non obliviscuntur, sacerdotis præcepta custodiunt; speciosa est in calceamentis. Plerumque clerus erravit, [f] Sacerdos mutavit sententiam, divites cum sæculi istius terreno rege senserunt; populus fidem propriam reservavit. Unde etiam de Domino Jesu bene possumus dicere, quia et in his quæ corporalia sunt, speciosos gressus Verbum habeat, cum de moralibus disputatur. Et apostoli ideo fortasse nudis mittuntur pedibus (*Matth.* X, 10); ne obumbraretur eorum disputatio, sed elaceret. Itaque Ecclesia filia Aminadab, hoc est, voluntarii vel beneplaciti; quia voluntarius eam et beneplacitus congregavit, et in calceamentis speciosa est.

18. Meritoque additum est in Canticis : *Moduli femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis* (*Cant.* VII, 1); ut posteritatis Ecclesiæ ornamenta canerentur. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, juxta illud : *Accingere gladium tuum circum femur, potentissime* (*Ps.* XLIV, 4); quo significatur quod Filius Dei cum semetipsum exinanisset, Verbi accinctus divinitatem, et generationem calceatus humanam, prodiret ex Virgine, omnibus daturus salutem. Moduli autem dicuntur ornamenta pretiosa quæ suspendi matronarum cervicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesiæ significatur;

[a] Vet. edit., *Quod de animæ gressibus dicit in posterioribus, hic ipse David.*, etc. Edit. Rom., *Quod de animæ gressibus hic dicit, in posterioribus ipse David*, etc. Nec alia hujus inversionis causa, quam quod articulum, *hic*, pro adverbio positum, atque eo psalmum nostrum CXVIII, cui Psal. CXXIII in marg. edit. ejusdem annotatus posterior est, ab Ambrosio designari falso putarunt. Quare melius mss. ut in corpore.

[b] Edit., *Calceat se ergo carnis anima Ecclesiastica gratia.* Mss. aliquot hoc loco nihil sani habent. Alii magno numero, *Calceat ergo se anima Ecclesiasticam gratiam.* Non male. Melius tamen Reg. et Corb. quos hic sequimur.

[c] Nonnulli mss., *Sapientia autem amica est animæ.*

[d] Omnes edit. ac pauci mss., *non ad præcipitium*; alii magno numero magis concinne, *non ad præceptum*, id est, non ad imperium.

[e] Mss. duodecim, *Hic autem non solum calceamentum, sed etiam calceamenta non solvit; quia*, etc. Aliorum tamen ac edit. lectio cum orationis serie magis congruit. Infra vero pro, *omnium dedit*, mss. aliquot habent, *omnibus dedit.* Non incommode.

[f] Vet. edit., *sacerdotes mutaverunt sententiam*; Rom., *sacerdotis mutavit sententiam* Mss. magno consensu nobiscum faciunt.

Digitized by Google

ut ornamentis pretiosissimis comparatus sit, et torquibus triumphantium; hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Unde et Symmachus ἱπιτραχήλια dicit, hoc est, quæ sunt circa collum. Sive ergo generatio Christi ex Virgine, sive Ecclesiæ propagatio, specie quidem tamquam manu artificis torquibus adornatis, veræ autem virtutis insignibus spiritalibus cervices fidelium coronavit.

19. Denique tota ista descriptio membrorum Ecclesiæ plena decoris et laudis est. Nam et umbilicus ejus tamquam crater tornatilis prædicatur, mixto non deficiens (*Cant.* VII, 2); eo quod in omni doctrina tornatus, plenitudine cognitionis, et potu non deficiat spiritali; et venter ejus non solum acervo tritici, id est, cibis fortioribus cœlestis mysterii saginetur, verum etiam tamquam liliis quibusdam, moralium suavitate repleatur.

**1190** 20. Unde et ipsa tamquam bene merita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est: *Et ornatus capitis tui sicut purpura* (*Ib.* 5). Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate; quia reges facit, et meliores reges, quibus regnum donet æternum.

21. Meritoque ad tantum Ecclesiæ decorem, cui Christi sanguis irrutilat, Spiritus sanctus exclamat: *Quam puchra et suavis facta es, charitas, in deliciis tuis* (*Ib.* 6)! Pulchra decore virtutis, suavis jucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati: et ipsa jam charitas, quæ diligendo Deum, ipsius et nomen acceperit; quia *Deus charitas est* (*Joan.* IV, 16).

22. Recte ergo David petit gressus suos dirigi secundum verbum Dei; ut fiant et ipsi speciosi, et non dominetur ei iniquitas; [a] quam jure præcavit. Sciebat enim et Abraham gressus suos secundum præcepta Domini dirigentem, et appetito speciosæ uxoris pudore tentatum, sed non confusum; [b] et in unici immolatione filii postulata, patriæ mentis pietate luctatum, sed coronatum; se quoque in furore Saul, incestu Ammon, Abessalon parricidio, iniquitatis improbæ feralibus tentationibus appetitum, hoc solo evasisse, quod dirigens gressus suos secundum pietatem Domini, a paterno non recessit affectu; intra se gemens crimen incesti, a se relegans odia parricidæ. *Filius meus Abessalon, filius meus*, inquit, *Abessalon, quis dabit mihi mortem pro te* (II *Reg.* XVIII, 33), memor naturæ pietas, offensæ immemor, de quo ante quæsivit: *Puer ne vivit* (*Ib.* 29)?

23. Et fortasse quærendum sit, qua ratione ante A puerum dixit, postea filium nominavit; cur non in utroque, aut puerum dixit, aut filium? Si viveret, puer erat; quia parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis. Itaque vir justus quod religionis fuit, tacuit; quod infirmitatis, aspersit. Ubi vero est mortuus, apud pium patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit.

24. (Vers. 134.) Sequitur: *Libera me a calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.* Non unum genus est nostræ afflictionis; est et tentatio, est et calumnia; sed tentatio levior, calumnia gravior: siquidem tentatio potest esse calumnia, calumnia in se et tentationem habet. Est et humana tentatio, quam ferre possumus; calumnia autem gravis est. Et ideo Dominus, quæ sunt graviora suscepit, et calumniæ appetitus silentium detulit triumphale (*Matth.* XXVI, B 63). Calumnia autem eo gravior est, quia non solum falsa componit; verum etiam quæ pie gesta sunt decolorat; ut Joseph non solum [c] adulterii oblatione tentatus est, et [d] invitamento herilis illecebræ (*Gen.* XXXIX, 10 *et seq.*): verum etiam tentatus calumniis, composito, quod ipse adulterium dominæ suæ inferre voluisset, comprehensusque exuerit vestem; [e] ne fraudis indicium, atque insigne criminis teneretur; cum utique amictum ideo fugiens reliquerit, **1191** ut laqueos vim inferentis, et nexus illecebrosæ artis evaderet. [f] Ipse David senserat, quod timebat. Quibus enim Saul regis calumniis laboravit! [g] Perterritis omnibus, Allophyli impetum lusit, et singulari certamine summam belli, et totius prælii pondus excepit, virtute sua solus commune crimen refellens, et totius retorquens C in hostem plebis opprobrium; et tamen quia juvenculæ dixerunt: *Saul triumphavit in millibus, David in decem millibus* (I *Reg.* XVIII, 7), gloria in invidiam versa, odio cœpit urgeri. Et ut de posterioribus loquamur: Susanna bene sibi conscia erat; et apud homines sibi adesse non poterat. Duo presbyteri senes falsum testimonium deferebant, numerus sacerdotum atque senectus vocem auferebant puellæ: sola conscientia erat apud Deum libera. Denique hominum damnata judicio, nutu est absoluta divino (*Dan.* XIII, 34 *et seq.*).

25. Ideo ait Propheta: *Libera me a calumnis hominum; ut custodiam mandata tua:* qui enim opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata D divina. Tristitiæ necesse est plerumque aut timori cedat, et affligatur vel metu calumniæ, vel dolore.

26. (Vers. 135.) Sequitur septimus versus: *Vultum*

[a] Vet. edit. cum paucis mss., *quam jure precatus est*.

[b] Ita mss.; edit. vero, *et in unici immolatione filii, postlata patriæ mentis pietate, luctatum.*

[c] Vet. edit. cum paucis mss. *adulterii objectione tentatus est.*

[d] Edit. ant., *et invitatus ad crimen herilis illecebræ.* Rom., *herili illecebra.* Mss. nonnulli, *et incitamento puerilis illecebræ.* Alii frequentes, ut in textu. Quod autem voci, *composito*, in quibusdam edit. adjectum est, *elogio*, hoc frustra fuit, subintelligitur enim *mendacio*, vel *crimine*, id est, accusatione.

[e] Edit. Rom., *ne ipse ut fraudis indicium, atque insigne criminis teneretur; amictumque ideo*, etc. Nos vero in lectione mss. ac vet. edit. nihil mutamus. Sed ut perspicuus sit sensus, post, *ne fraudis indicium*, subintellige, *in ipso comprehenso, et non elapso.*

[f] Rom. edit., *Ipse David senserat quod timebat Saul et quibus calumniis laborabat.* Sed qui ita correxit, sensum auctoris minime intellexit. Tu vero eumdem interpretare ad eum modum: *Ipse David expertus erat calumnias, quas timebat dum diceret: Libera me a calumnia*, etc.

[g] Mss. non pauci, *præteritis omnibus.* Bene, si mente suppleas, *aliis calumniis.*

Digitized by Google

*tuum illumina super servum tuum; et doce me justitias* A *tuas*. Illuminat Dominus sanctos suos, et lucet in corde justorum. Itaque cum sapientem videris, cognosce quia descendit super eum Dei gloria, illuminavit ejus mentem scientiæ fulgore, cognitionisque divinæ. Illuminavit autem etiam corporaliter faciem Moysi, et transfigurata est gloria vultus ejus, quam videntes Judæi trepidaverunt; et ideo factum est ut Moyses velamen imponeret super faciem suam; ne in eam filii Israel intenderent, et perturbarentur (*Exod.* XXXIV, 29 *et seq.*). Simul declarabatur mysterium, quod illud velamen quod in facie Moysi corporaliter ponebatur, in cordibus Judæorum mystice poneretur; eo quod veram Legis claritatem videre non possent. Vultus enim Moysi fulgor est Legis; fulgor autem Legis non in littera, sed in intellectu est spiritali. B Itaque quamdiu vixerat Moyses, et alloquebatur Judæorum populum, velamen habebat in facie sua; mortuo autem Moyse, Jesus Nave jam non per velamen, sed facie revelata, et presbyteros alloquebatur et populum, et nemo trepidabat (*Josue* I, 10): cum utique et ipsi dixerit Deus, quod cum ipso ita esset futurus, ut fuit cum Moyse, et eum similiter illuminaret, gestorum utique, non vultus gloria (*Ibid.*, 5): hoc significante Spiritu sancto, quod venturus esset verus Jesus, ad quem si quis converteretur, et eum vellet audire, de corde suo velamen auferret, et revelata facie verum Salvatorem videret.

27. Ergo Deus omnipotens Pater, qui in Moysi facie excæcavit populum Judæorum, non duritia, sed C præscientia; nec malitia, sed æquitate atque justitia; ipsi enim sibi velamen posuerunt, qui Legem intelligere noluerunt: *Lex* enim *spiritalis est*, sicut dixit Hebræus (*Rom.* VII, 4). Is utique secundum illud quod dat unicuique nostrum, in quo non tribuentis, [a] sed non diligentis est culpa; iste, inquam, Dominus **1192** illuminavit cor populi nationum in facie Christi Jesu, per ejus adventum; quod evidenter Apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu* (I *Cor.* IV, 6).

28. Ideo ergo dicit David ad Dominum Jesum: *Vultum tuum illumina super servum tuum*. Faciem Christi videre cupiebat; ut mens ejus illuminari posset. D Et secundum Incarnationem potest accipi. *Multi enim prophetæ et justi videre voluerunt* (*Luc.* X, 24), ut ipse Dominus declaravit. Quod autem negatum Moysi fuerat (*Exod.* XXXIII, 20), non quærebat: ut corporaliter Dei vultum videret incorporei; si tamen et Moyses, tam sapiens et eruditus hoc potuerit simpliciter magis, quam in mysterio postulare; humanum tamen est desideria supra nos extendere. Nec immerito faciem ejus advenientis ex Virgine quærebat videre; ut illuminaretur in corde, sicut illuminabantur etiam illi qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardebat in nobis.... cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Quod si quis ad Deum Patrem dictum vult videri, potest accipi vultus Patris, Filius; qui enim videt Filium, videt et Patrem.

29. Illuminat tamen vultus Dei secundum quod oculi ejus super justos habentur. Quod cum spiritaliter sit probandum; tamen quia incidit illuminationis vultus Moysi historia, ne quis non putet corporaliter id fieri potuisse, cognoscat. Etenim usu solis multis etiam pallore confectis totius corporis figura mutatur, et ignis vapore calefactis species vultus rutilantis ostenditur. Oriente die, rubent terræ croceo colore perfusæ, [b] imaginem de beneficio mutuatæ, gemmarum quoque monilia coruscantia transfundunt finitimis, quod ipsa radiaverint; et miraris si Moysis vultus divinæ infectus sit claritate præsentiæ? Miraris si refulgente Dei gratia justi vaporetur ingenium? Non dubitavit propheta, qui poposcit illuminari prius; ut justitias Domini posset addiscere.

30. (Vers. 136.) Sequitur versus octavus: *Decursus aquarum descenderunt oculi mei; quia non custodivi legem tuam*. Granditer affectum pœnitentiam gerentis expressit, dicens quod aquarum decursus oculi sui descenderint: sive quia per eos tamquam meatus undantium fluentorum, ita exuberantium lacrymarum se quidam ductus effuderit, et fletus irrigui continuum quoddam et juge profluvium: sive quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, ut cum lacrymis oculi quodammodo ipsi videantur descendere; eo quod tanta vis lacrymarum sit, ut putentur oculi in fletus resolvi, et in lacrymas effundi.

31. Oculi ergo ipsi tamquam in decursus descenderunt aquarum, quo verbo impetus deplorantium vehemens expressius declaratur, secundum illud quod in Canticis scriptum est: *Fons hortorum, puteus aquæ vivæ, et impetus descendens a Libano* (*Cant.* IV, 15). [c] Hos impetus Ecclesia deduxit a Libano: hoc impetu diluuntur peccata: hoc impetu puri **1193** fontis, et Spiritus sancti affluit a Libano Sponsa, et a principio fidei transivit sæculum, et pertransivit ad regnum. Aliis fons est, aliis puteus pro captu nostro gratia spiritalis: aliis hortus clausus, fons signatus: aliis hortorum fons, qui in Ecclesiæ dote numeratur: aliis impetus descendens a Libano, et magnus impetus qui numquam deficit. Non enim deficiunt de petra ubera, neque nix a Libano, neque aqua quæ fertur valido vento virginis Hierusalem (*Jerem.* XVIII, 14). Descendit impetus a Libano, quando collectis in unum apostolis et plurimis credentibus, factus est subito de cœlo sonus, tamquam vi magna Spiritus ferretur, et repleti sunt omnes

[a] Vet. edit. cum parte mss., *sed diligentis est culpa*; commodius Rom. cum aliis, *sed non diligentis*, etc.

[b] Mss. aliquot, *imaginem Dei beneficio mutuatæ*. Melius alii, edit., *de beneficio*; nam subintelligendum, *orientis diei*, vel *lucis*.

[c] Scripti cod. septem: *Hic impetus Ecclesiam deduxit*, etc.



Digitized by Google

Spiritu sancto diversitates donante linguarum (*Act.* II, 1-3). Bonus impetus, qui lædere nesciat, norit implere.

32. Si quis igitur hunc impetum supervenientis e cœlo gratiæ vult mereri, descendat etiam ipse oculis in decursus aquarum. Qui hunc primum impetum fuderit, illum merebitur. Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quæ lacrymis irrigavit in Evangelio Domini pedes (*Luc.* VII, 38) : et ideo fidei suæ pretio emit animæ suæ et corporis sanitatem jam non sanguinis proflua, sed gratiæ spiritalis (*Luc.* VIII, 44).

33. Descendit ergo David propheta; ideo de peccato gratiam retulit. Descendit in aquarum ductus, hoc est, replevit eos, et decurrentium aquarum lacrymis suis fluenta cumulavit : aut inanes et vacuos B ductus solis replevit fletibus : aut quod elocutionis moralis quidam sensus ostendit, descendit in aquarum ductus, transivit eos. Et possemus dicere : Transcendit eos, et supergressus est : sed minuitur vis eloquii, quo vis major affluentiæ descendentis, quam ascendentis exprimitur. Vide, rogo, quid de usu verba habeant, ut impetum suum sermo Propheticus non amittat; licet usus ipse scriptorum sensui servire majore decore consueverit. Diverse hoc et sæpe significavit, et propemodum incrementa semper assumpsit. Dixit enim primo : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Dixit iterum : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes* (*Psal.* XLI, 4). Dixit etiam : *Et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10). Hic C addidit dicens : *Decursus aquarum descenderunt oculi mei.*

34. Hoc secutus in Threnis Hieremias, affectum doloris expressit, vim oculi descendentis imitatus; sic enim habes : *Defecerunt in lacrymas oculi mei :* [a] *conturbatum est cor meum* (*Thren.* II, 11). Tamquam descendunt oculi, qui deficiunt in lacrymas. Et alibi : *Oculus meus absorptus est* (*Thren.* III, 49). Sed plus est aquas lacrymis vincere, quam oculos absorberi fletibus. Et alibi idem Hieremias : *Exclamavit cor eorum ad Dominum : muri filiæ Sion deducant torrentes, fluant lacrymas die ac nocte. Noli dare tibi requiem, non sileat pupilla oculi tui* (*Thren.* II, 18). Oculi igitur qui torrentes deducunt lacrymis suis, ipsi ductus aquarum descendunt, hoc est, cumulan- D tur; ut faciant eos suis augentes fletibus impetu exundare torrentium.

35. Sunt tamen codices qui habeant : διεξόδους ὑδάτων κατεβίβασαν οἱ ὀφθαλμοί μου, hoc est, *Ductus aquarum direxerunt oculi mei.* Sed ego in Græco **1194** codice meo [b] κατέβησαν legi, hoc est, *descenderunt :* in quo potest fieri, ut in utramlibet partem duarum adjectione aut diminutione litterarum scriptor erraverit.

36. Et habuit quidem multa quæ fleret, vel ince- A stum filiæ, vel interitum filiorum : sed hic non ha[…] flevisse se dicit, sed quia non custodivit legem Domini. A sancto viro plus culpa, quam ærumna dele[…]tur. Flevit itaque quando ei Nathan de Uriæ m[…] indignationem Domini nuntiavit : et peccatum su[…] de prævaricatione legis agnovit. Denique filio i[…] ægritudine constituto, neque cibum sumpsit, neque regium thronum aut cubile conscendit : sed stra[…] in terra, jejuna ora lacrymis diluebat, non tam il[…] mortem, quam peccati sui pœnam in illo levare desiderans (II *Reg.* XII, 16 *et seq.*). Flevit, quando numerato populo, repente corde perculsus est. Deni[…] *Peccavi*, inquit, *graviter, peccavi stulte* (II *Reg.* XXIV, 10). Flevit igitur primo, quia elatus regia potestate, quærendo numerum plebis, mensuram egressus e[…] B conditionis humanæ : Deinde quia [c] sui erroris pretio vindicabatur in plebem. Sed a Domino hæc proposita pœna fuerat, non a Rege est postulata. Domini tamen se committendo misericordiæ, electioni[…] causam probavit : simul quia propter eum popul[…] laborabat, ipse se offerendo pro populo, elation[…] solvit injuriam, pietatis probavit affectum.

## SERMO DECIMUS OCTAVUS.

### צ. *Sade.*

1. Sequitur *Sade* littera decima octava, quæ Latina interpretatione dicitur *consolatio.* Post more torrentium lacrymas profluentes, et graves fletus doloris, oportebat consolationem sequi. Nam et qui in doloribus sunt, consolatione indigent : et qui gravibus C ærumnis pœnas commissorum luerunt criminum, sperant indulgentiam : et qui fletibus et lacrymis propria delicta laverunt, requiem promerentur.

2. Hæc omnia in Scripturis divinis qui quærit, invenit. Nam primum illud ut in dolore positos consolemur, docet illa quæ in libro Hieremiæ flebiliter clamat ad captivos et exsules Judæorum : *Ite, proficiscimini, filii; ego enim derelicta sum deserta. Exui me stolam pacis : indui autem stolam precationis meæ, et clamabo ad Excelsum in diebus meis. Animo æquo estote, filii, clamate ad Dominum; et extrahet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speravi in illo æterno salutem vestram* (*Baruc.* IV, 19 *et seq.*). Credentibus igitur in Dominum, est in Domini misericordia consolatio. Est etiam aliud consolationis genus iis D qui graves solverint pœnas, ut habes scriptum in Esaiæ libro : *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Dominus : Sacerdotes loquimini in cor Hierusalem, consolamini eam; quoniam repleta est humiliatio ejus, solutum est peccatum ejus : quoniam accepit de manu Domini duplicia peccata sua* (*Esai.* X, 1 et 2). Etiamsi fides deerat, pœna satisfecerat. Relevantur solutione pœnarum, qui absolvuntur commendatione meritorum. Tertium est, cum lacrymis crimen abluitur; ut est illud : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus* **1195** vo-

[a] Decem mss., *oculi mei caligaverunt.* Alii, et omnes edit. cum sacris cod., *conturbatum est cor meum.*

[b] Edit. Aldina, et Complutensis habent κατέδυσαν sensu non multum diverso.

[c] Mss. non pauci, *sui erroris pretium vindicabatur in plebem :* quæ forte germana lectio est.

Digitized by Google

*cem fletus mei.* Quod etiam hoc loco, et plerisque locis in libro Psalmorum facile reperitur.

3. Consolatio igitur prima ordine (*De Pœnit. dist.* 3, *cap. Prima consolatio*), quoniam non obliviscitur Deus facere misericordiam, neque in æternum projicit, quos putaverit coercendos. Secunda, quod decursis suppliciis, quæ propter peccata nostra toleravimus, ad veniam pertinemus. Unde nonnulli [a] philosophi disputaverunt obesse improbis absolutionem, prodesse mortem : quod in illa sit incentivum delinquendi, in morte autem finis delicti; quod assumptum esse de nostris cui dubium, cum in Proverbiis Salomonis sit : *Qui parcit baculo, odit filium suum* (*Prov.* XIII, 24); *castigat autem Dominus quem diligit* (*Prov.* III, 12); Et infra : *Flagellum equo, et stimulus asino imperat : virga autem nationi imprudenti* (*Prov.* XXVI, 3); pœna enim corrigit, et emendat errantem. Si talis est qui emendari non queat, aufertur e medio, ne graviora committat; mortuus enim jam nescit errare. Ideoque Ecclesiastes ait : *Et laudavi ego mortuos magis quam viventes : et optimus supra hos qui nondum natus est, qui non vidit hoc opus mali* (*Eccl.* IV, 2 *et* 3). Mortuus præfertur viventi; quia peccare desivit. Mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nescivit.

4. Nunc dicamus etiam de iis, qui pœnas scelerum solverunt suorum. Nonne isti tulerunt culpæ pretium, et jam non integra his pœna debetur? Clamat per Esaiam Dominus : *Consolamini populum meum. . . . quia recepit de manu Domini duplicia peccata* (*Esai.* XL, 1 *et* 35). Discite unde [b] Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratia in Ægyptum profectus, ut Moysis gesta, Legis oracula, prophetarum dicta cognosceret, audivit consolationem populi, qui supra peccati modum videbatur fuisse punitus : et hunc locum quadam adopertum dote verborum in Dialogum transtulit, quem scripsit de Virtute. Quem locum tamen Dominus in Evangelio plenius comprehendit, et apertius declaravit, dicens per Abrahæ personam ad illum divitem sæculi hujus : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolationem habet, tu vero cruciaris : et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare* (*Luc.* XVI, 25 *et* 26). Sed jam audiamus quid justus in consolando se loquatur.

5. (Vers. 137.) *Justus es, Domine, et rectum judi-*
A *cium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.* Vere justus vir, qui lacrymis profluens, involutus ærumnis, gravi supplicio delicta persolvens, non tædio vincitur, non metu frangitur, non labore lassatur, non ingratus, aut tristis est. Plerumque enim vulgus hominum sua delicta non reputans, injuste se putat tolerare quæ patitur : at vero vir justus qui se ipsum statim in exordio sermonis accusat, justitiam Domini prædicat, quod meritis suis digna patiatur. Dicendo autem justum Deum, de sua quidem injustitia ante **1196** pronuntiat : sed de justitia Domini sperat et veniam. Justus enim non semper irascitur, sicut enim ultor culpæ, ita moderator est pœnæ : sicut vindex peccatorum, ita remunerator est virtutum, optimorumque merito-
B rum. Qui vult dare præmium, debet spectare certamen; quia nemo sine certamine coronatur. Sinit ergo nos sæpe tentari, volens juste præmia dare luctanti utique, non dormienti. Non decet redimitos floribus corona, sed pulverulentos : nec molles deliciis, sed duros labore exercitii ornat victoria.

6. Justus ergo in adversis suis justitiam Dei laudat. Sed non hoc sentit amissis teneris parens liberis, non immaturo nuptæ viduatus consortio, non æger in dolore, non naufragus in periculo, non reus in judicio, non captivus in laqueo. Clamabat tamen Hieremias, cum futuræ annuntians populis captivitatis ærumnam, in luti voraginem turpi necandus illuvie mergeretur : *Justus es, Domine* (*Jerem.* XII, 1) : Clamabat iterum cum victæ plebis miserandis servi-
C tiis angeretur. *Justus est Dominus;* [c] *quia os ejus irritavit. . . . A foris sine filiis fecit, et ab intus mors* (*Thren.* I, 18 *et* 20). Clamabant Hebræi cum propter virtutem devotionis, et fidei gratiam fornacis ardentis ambirentur incendiis : *Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti* (*Dan.* III, 27); et ideo meruerunt ut illæsi ignibus, Domini justitias prædicarent. Daniel quoque propheta secundo in lacum missus leonum, et immanium ferarum sævitia atque horrore circumdatus, recta omnia in conspectu esse Domini imperterrito clamore jactabat (*Dan.* VI, 22). Jonas inclusus utero bestiali, anhelandi spiritus vix habens commeatum : justus injustorum sorte damnatus, clamabat de ventre ceti in mari : *Cum voce laudis et confessionis supplico tibi* (*Jonæ* II, 10). David cum fugeret a facie
D Abessalon parricidalibus armis et terris pulsus, et regno egressus; cum pro totius populi se offerret excidio, dicebat : *Justus es, Domine, et rectum judi-*

[a] Hac de re fuse disputat Plato in Gorgia, ubi agens contra Polum inter alia scribit : Καὶ μὴν ἀπαλλαγή γε ἐφάνη τούτου τοῦ κακοῦ τὸ δίκην διδόναι . . . . τὸ δέ γε μὴ διδόναι, ἐμμονὴ τοῦ κακοῦ. Ad quæ verba respexisse Ambrosium credibile est.

[b] De hac Platonis profectione in Ægyptum, præter Diogen. Laertium, lib. III, loquuntur Justinus *Paræn. ad gentes*; Hieron., epist. ad Paulin.; August., lib. VIII de Civit. Dei, et alii. Strabo autem lib. XVII eumdem istic annis 13 cum Ægyptiis sacerdotibus versatum esse asseverat. Id vero quod ab eodem philosopho in Dial. de virtute translatum esse ait Ambrosius, non alio commodius referas, quam ad illa verba : Οἷσι γὰρ ἂν φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται, εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον, κείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοί, καὶ σθένει κραιπνοί, σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες αὔξονται, in quibus verbis ἀναμνήσεως Platonianæ versatur fundamentum.

[c] Ita mss.; edit. vero multa hic inseruerunt in eum modum : *Quia os ejus ad iracundiam irritavi. Et sub alia littera : Ita foris sine filiis fecit, ut ab intus mors : Hoc est, sicut in paradiso fecit : ita et in hujus sæculi ærumnam desævit. Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum. Justus es, Domine. Clamabant*, etc.

*cium tuum*. Grex innocens iste quid fecit? Ego pastor feci malignum, apud justum Deum, pœna de culpæ auctore sumatur. Ipse pater fidei Abraham, cum ad immolandum unicus a sene filius posceretur, paternæ pietatis affectum divinæ confessione justitiæ temperabat, dicens : *Justus es, Domine;* non enim poscis alienum, sed tuum reposcis : ipsum tibi restituo, quem dedisti. Hunc imitatus Job, exstinctis liberis, patrimonioque nudatus amisso, amictum sui corporis scindens ait : *Nudus natus sum, nudus*, inquit, *et moriar. Dominus dedit, Dominus abstulit.... Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21 *et* 22).

7. Omnes ergo justum Dominum prædicemus : et qui moribunda sepulcro sua membra componit, et qui damno feritur, aut funere filiorum, dicat : *Justus es, Domine*. Quid enim nostrum amittimus? Clamat Apostolus : *Quid habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? Quod habemus ergo, accepimus : quod igitur amittimus, reddimus, non amittimus. Justus **1197** Dominus in periculis, justus in damnis, justus in ultionibus est, non solum quia unusquisque juste culpæ suæ pretium luit; verumetiam quia dum unus punitur, plurimi corriguntur. Ananias in Actibus apostolorum fraudati pretii quod de agri sui venditione perceperat, crimen admisit (*Act.* V, 1 *et seq.*) : qui potuerat nihil offerre, et crimen evadere. Verum ne quis impune circumscribendos apostolos arbitraretur, aut misericordiæ suæ munus fraude contaminaret perfidiæ, [a] morti addictus æternæ, universos ad fidei studium justo terrore composuit. Pharao cum populo suo fluctibus mersus, mundanæ conversationis exemplum est; ne quis Dei populum persequatur. Denique potuit eum Deus voluntati suæ facere obedientem : sed ejus pœna omnes voluit emendari. Ideoque dicit ad eum Dominus : *Quia ad hoc ipsum te suscitavi : ut ostendam in te virtutem meam : et annuntietur nomen meum in universa terra* (*Exod.* IX, 16). Non utique Dominus suæ laudis, sed nostræ correctionis incrementa quærebat.

8. Omnes ergo sapientes dicunt : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum;* neque enim tradimur adversariis sine judicio ipsius, neque sine ipsius judicio in tribulationes venimus. Hæc justorum est consolatio : hoc est Domini judicium. Denique et supra habes : *Memor fui judiciorum tuorum, quæ a sæculo sunt, et me consolatus sum* (*Sup. v.* 52). Advertis ergo quia judicia Domini consolationes sunt.

A 9. (Vers. 138.) *Mandasti justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis*. Utrum nimis mandasti, an nimiam veritatem? Sed et nimia veritas plena laudis, et nimium mandare providentiæ atque cautelæ est. Etenim infirmos noverat; ideo sæpius admonebat, ut non obliviscerentur.

10. (Vers. 139.) Sequitur versus tertius : [b] *Exquisivit me zelus domus tuæ; quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei*. Est zelus ad vitam, et est zelus ad mortem. Ad vitam zelus est divina præcepta servare, et amore Domini ejus custodire mandata, ut fecit Phinees, de quo legimus in Numeris, dicente Domino ad Moysen : *Phinees filius Eleazar filii Aaron sacerdotis sedavit furorem meum a filiis Israel, in eo quod æmulatus est zelum meum in illis : et*
B *non consummavi filios Israel in zelo meo, sicut dixi. Ecce ego do ei testamentum pacis, et erit illi et semini ejus post eum testamentum sacerdotii æternum, propter quod æmulatus est Deum* [c] *suum, et non exoravit pro filiis Israel* (*Num.* XXV, 11 *et seq.*). Cæsa jacebant viginti quatuor millia populorum : tendebat pœna in omnes, nec ullus finis exitii. Arripuit siromasten Phinees, duos occidit interdicta sibi consuetudine copulatos, redemit omnes, indignationem Domini mitigavit, dedit victoriam quibus negabat salutem. Quam salutaris est igitur Dei zelus!

**1198** 11. Non unius temporis illud vitium fuit, et nunc Madianitis miscetur Judæo. Madianitis est, quæ nullo est uxoris legitimæ copulata conjugio, nullo fidei juncta consortio. Madianitis est hæreti-
C corum perfidia, cum populum Dei tentat. Quam multis populis meretrix ista feralis irrepsit, quæ publico funere totum populum communi morte tumulavit! Veni et nunc, Phinees, arripe gladium verbi, interfice perfidiam, jugulato hæresim; ne propter eam populus universus intereat. Urget ira cœlestis, percute ipsam vulvam impietatis, generatoriumque perfidiæ; ne partus formetur infelix, ne adulterina conceptio diffundat seminarium prævaricationis et sceleris; ut Dominus tecum statuat testamentum pacis, et testamentum gratiæ, testamentum promissionum cœlestium. Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem; et ideo Princeps sacerdotum dixit : *Zelus domus tuæ* [d] *devoravit me* (*Joan.* II, 17). Et
D Phinees sacerdos erat, et nepos sacerdotis, et filius sacerdotis. Bonus zelus, et utilis in sacerdote : præ-

[a] Edit. vet., *morti addictos æternæ perfidos*. Rom., *morti addictis æternæ perfidis*. Verum satis apparet id ita concinnatum fuisse ab iis qui post nomen Ananiæ Saphiram quoque, cujus nulla in mss. mentio fit, quo jure quave injuria in edit. intrudere voluerunt. Nos locum ex mss. omnium fide repræsentamus. Quod vero iisdem conjugibus quorum ibi crimen, nullibi vero pœnitentia declaratur, mortem æternam fuisse inflictam asserit Ambrosius, in eo quidem ab Origene aliisque nonnullis Patribus dissentit pœnam hanc non nisi temporalem exstitisse affirmantibus. Certe Augustinus et quidam alii ea de re dubitanter loquuntur. Plura videas licet apud Baron. ad an. 34, num. 269, et interpretes in hunc locum.

[b] Ita mss. et edit. omnes magno consensu. Attamen non solum varii Scripturæ textus, ac versiones refragantur, sed etiam Græci ac Latini Patres, a quibus citatur idem versiculus. Est autem satis verisimile in cod. Amb. pro ἐξέτηξέ με ὁ ζῆλος, etc., librarii lapsu scriptum fuisse ἐξεζήτησέ με, etc.

[c] Rom. edit., *et exoravit;* in quo ei textus Hebr., Syr. et omnes versiones Scripturæ patrocinantur. Cum tamen in mss. et ant. edit. legatur, *et non exoravit*, vel ut in quibusdam mss., *et non deprecatus est*, satis probabile sit pro καὶ ἐξιλάσατο, scriptum in codice Ambrosii fuisse, καὶ οὐχ ἱλάσατο; ubi facilis admodum mutatio.

[d] Cod. Vind. et Colb. annorum, ut minimum, 800, *coronavit me*. Et sic etiam infra.

Digitized by Google

cipue ne negligens, ne remissus sit. Melius est ut A unius, aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur.

12. *Exquisivit*, inquit, *me zelus domus tuæ*. Vides quia zelus Dei gratia est, qui exquirit, qui supervenit, qui se justi infundit pectori. Zelus Dei vita est. Denique Dominus ait : *Zelus domus tuæ devoravit me*. Sicut enim ante in Adam devoraverat hominem mors prævalens : ita zelus devoravit, quem vivificavit in Christo. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cœlum est. *Zelans*, inquit, *zelavi Dominum* (III *Reg*. XIX, 10). Zelum habuit [a] Mathathias Butanus, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit Dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores. De omnibus dicit : *In hostes facti sunt mihi* (*Psal*. B CXXXVIII, 22), sicut David ait. Quid multa? Apostolus quoque Domini hoc declaratus est nomine, ut Judas Zelotes diceretur, sicut legimus in Evangelio (*Luc*. VI, 15).

13. Zelo fidei populus gentilium vitam sibi acquisivit æternam, quam negligentia atque desidia Judæorum populus amisit. Ideo scriptum est : *Zelus apprehendit populum ineruditum* (*Esai*. XXVI, 11) ; quoniam populus qui erat eruditus in Lege, nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zelus ad gentes : cujus tanta est gratia ; ut electionis prærogativam vicerit, et eruditionis industriam. Denique apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. Itaque ea gratia operata est in populo nationum ; ut hæreditatem Domini mereretur, qua operatus est Dominus, C ut Ecclesiam sibi ex nationibus copularet. Zelus ergo charitas est. **1199** Denique *valida est sicut mors charitas : durus sicut inferi zelus* (*Cant*. VIII, 6). Durus zelus quem vitæ hujus nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur ; ut vivamus Deo.

14. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent. Denique in Apocalypsi Joannis Dominus ad Angelum Laodiciæ dicit : *Scio opera tua : neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus : sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; quia dicis : Dives sum, et ditatus, et nullius egeo : et nescis quod tu es miser, et miserabilis, et mendicus, et nudus, et cæcus. Consulo tibi, ut emas a me aurum igne probatum* (*Apoc*. III, 15-18). Hic est D Dei zelus, hic est fidei vapor, devotionisque fervor, qui nos velut suavem cibum in Christo remollit et format. Quanta Domini gratia, ut nos in suo ore constituat, et quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes; ac, si meremur, devoret, si nostri cibi suavitatibus delectetur. Beatus quem sapientia devoraverit, quem virtus hauserit, quem justitia receperit : culpa in eo habere non potest portionem, quem absorbuerit remissio peccatorum ; ubi enim error inveniet, quem integritas immaculata susceperit?

15. Et quid miremur si Angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait : *Zelans zelabo Hierusalem zelo magno* (*Zach*. VIII, 2). Quia Deus magnus, ideo et zelus ejus magnus est : et pro uniuscujusque potentiæ qualitate, ita zelus aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Jesus ait : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Joan*. II, 17); increpans Judæos quod domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint et domum negotiationis.

16. Sed non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoque interiorem in nobis domum Dei; ne sit domus negotiationis, aut spelunca latronum. Si enim lucra, quæstus, pecuniæ emolumenta aucupemur, domum negotiationis fecimus. Si invadamus alienas possessiones, fines viduæ vel minorum, fecimus speluncam latronum. Veniat ergo Verbum Dei, et de hac domo projiciat fures, direptores, caupones ; ut mundum sit cor tuum, pectus tuum.

17. Sed est zelus ad culpam, est et zelus ad gratiam. Nam et ipse David ait : *Zelavi in peccatoribus pacem* (*Psal*. LXXII, 2). Et in Ecclesiastico scriptum est : *Non zeles mulierem sinus tui; ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam* (*Eccl*. IX, 1). Et mulier zelotypa in mulierem fidelem jure reprehenditur. Advertimus ergo quod mensura quædam et disciplina sit zeli, sicut disciplina virtutis. Et ideo beatus qui zeli noverit disciplinam, et oderit eos qui Domini gratiam relinquentes, salutem propriam deserant, errores sibi fraudis adsciscant.

18. Ideoque ait : *Quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei*. Qui sunt isti inimici? Si populus Judæorum, quomodo inimici erant sub ejus imperio constituti? David enim Judæos omnes regno proprio gubernabat. Si gentiles : quomodo **1200** obliti verborum Dei, qui legem Domini nesciebant? Nemo enim nisi id quod acceperit, oblivisci potest. Illi ergo inimici mei, qui inimici tui, qui Dominum in propria sua venientem non erant recepturi. Hos graves hostes, hos inimicos suos Propheta testatur; non qui sibi essent, sed qui Christo rebelles. Denique alibi dicit : *Et super inimicos tuos tabescebam : et justo odio oderam illos* (*Psal*. CXXXVIII, 21 *et* 22); graviora putans arma perfidiæ esse, quam pugnæ. Nemo enim gravior hostis omnium, quam qui omnium lædit auctorem. Ideo ergo zelo magno acquisitus est populus nationum ; quoniam a suo Deus populo negabatur. Nec enim poterant aut fidei devotionem, aut disciplinam tenere virtutis, qui memoriam præceptorum cœlestium non tenebant. Sic Adam de paradiso ejectus, sic populus Judæorum de prærogativa electionis exclusus est.

19. (Vers. 140.) Sequitur : *Ignitum eloquium tuum nimis, et servus tuus dilexit illud*. Ignem quidem Dominus misit in terram, non ut eam sodomitano rursus, sic-

[a] Rom. edit., *Mathathias bar Joannis*. Sed præterquam quod abhorret a consuetudine Ambrosii ab Hebræo et Syro istiusmodi nomina compingere, omnes mss. et vet. edit. refragantur. Itaque lectionem antiquam reposuimus, tametsi utrum ea etiam sincera sit, subdubitemus.

Digitized by Google

ut scriptum est, arderet incendio : nec ut eam donatæ munere fecunditatis, aut usu vel flore viriditatis exueret (*Gen.* XIX, 24). Opus enim suum Dominus probare magis atque augere, quam minuere aut damnare consuevit. Neque vero dignum erat, ut elementa innoxia nostri luerent sceleris ultionem. Quid natura deliquerat, si adulta jam soboles erravit? Non erat partus in vitio, si devio lapsa est errore [a] progenies : sed usus in culpa. Quem ergo Dominus ignem in novo sparsit Testamento? Qui secretos mentium divinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei et devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Hieremias : *Et erat ignis flammigerans in ossibus meis* (*Jerem.* XX, 9). Hoc sermonum igne cœlestium vaporati Cleophas, et ille alius qui simul cum Domino ab Hierusalem usque in castellum confecerant iter, dicebant : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.... cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)?

20. Ignis ergo hic, sermo Christi est. Et bonus ignis, qui calefacere novit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentum [b] positum illud apostolicum aurum probatur : hoc igne illud merum operum examinatur argentum : hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fenum autem et stipula consumitur (I *Cor.* III, 12 *et* 13). Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem. Unde et Dominus ait : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan.* XV, 3). Hic est ignis qui ardet ante Dominum ; nisi enim quis flagrantiam devotionis assumpserit, præsentiam Domini habere non poterit (*Levit.* VI, 12). Accende hunc prius ignem in mentibus tuis ; ut Christi tibi lumen effulgeat. Hoc igne urebatur rubus, et non exurebatur (*Exod.* III, 2). Urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris : non exurit, ut perdat. [c] Hic ignis hebetare, hic ignis exstinguere materialium sæva flammarum consuevit incendia. Denique Hebræi hoc igne succensi, fornacis ardentis vaporem nec timere, nec sentire potuerunt (*Dan.* III, 50). **1201** Merito ergo bonus servus diligit ignitum Domini eloquium, quo induitur charitas, quæ excludit timorem.

21. Pulchre autem addidit, *nimis*; quia omnis quidem doctor inflammat audientis affectum : sed supra omnes est sermo Dei, divisiones artuum et intima penetrans medullarum. Tripliciter ergo describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Ideo ait Dominus. *Scrutatus sum Hierusalem ad lucernam* (*Sophon.* I, 12). Sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui accenderetur, aut illuminaretur, invenit ; ideo eam in tenebris dereliquit.

22. Nec mireris si servus diligit ignitum Domini alloquium, quod et Sponsa dilexit, quæ ait : *Sicut resticula coccinea labia tua* ; in cocco enim species ignis, et crucis Dominicæ sanguis irrutilat. Coccinea labia Domini, quæ passionem propriam loquebantur. Denique in Exodo [d] coccum pro igne collocatum est. Non enim ex cocco mundus, sed ex quatuor constat elementis : sed in cocco figura ignis expressa est, cujus vapor nisi cœlum, atque aerem, maria, terrasque penetraret, omnia tamquam effœtis viribus solverentur. Per resticulam igitur vinculum persuasionis agnoscimus : per coccum, vel cupiditatis ardorem qui scintillet in animis audientium, vel indicium passionis. Unde et alibi ait Sponsa : *Labia ejus lilia distillantia myrrham plenam* (*Cant.* V, 13). Per myrrham enim passionis unguentum, et resurrectionis gratia declaratur, quæ redivivum vitæ odorem suscitatis mortuorum visceribus infundit. Merito igitur alloquii ejus accipiens suavitatem, exclamans Sponsa testatur : *Fauces ejus dulcedines, et totus desiderium* (*Ibid.*, 16).

23. (Vers. 141.) Sequitur versus quintus : *Junior sum ego et despectus : justificationes tuas non sum oblitus.* Multis sanctorum qui a prima adolescentia exercitati sunt duris laboribus, potest hic versiculus convenire. Nam et Joseph cum a fratribus junior in Ægyptum venderetur, junior erat, et despectus, qui ad servitutis injuriam vendebatur : et postea cum productus e carcere, præpositus Ægypto, populis frumenta divideret, fratribus vicem injuriæ non referret, sed refuso pretio alimenta donaret, senilem patris a fame atque jejunio vindicaret ætatem, curruque summisso, obvius, et famulantibus cæteris amplæ potestatis insignibus, adoraret, jure dicebat : *Junior ego sum, et despectus : justificationes tuas non sum oblitus.*

24. Ipse David quoque junior fratribus, cum patris oves pasceret tamquam vili ablegatus obsequio, non oblatus est sacerdoti, quasi indignus qui ungeretur in regnum : sed a sacerdote quæsitus, et accersitus a pascuis, prærogativam regiæ unctionis accepit. Postea quoque progressus ad bellum, cum Golias totum populum Judæorum corporis sui mole

[a] Post vocem *progenies*, subjungebatur in edit., *non est hic natura.* Quod in omnibus omnino scriptis cod. prætermittitur.

[b] Edit. omnes, *posito.* Melius mss., *positum*, ut referatur ad vocem, *aurum.* Et continuo post, cunctæ edit. cum duobus mss., *illud morum vel operum.* Mss. vero cæteri, ut in textu; paucis exceptis ubi legas, *illud bonorum operum*, etc.

[c] Vet. edit. et recentiores nonnullæ, *Hic ignis habitare Christum per fidem facit.* Rom. cum mss. omnibus nobiscum legit. Et certe prior lectio non aliunde inducta est, quam ab aliquo qui nesciebat, *hebetare*, idem hic esse ac retundere vel minuere.

[d] Mss. aliquot, *coccus pro igne collatus est*, aut *coccum.... collatum est.* Reliqui, ac edit. ut in textu. Videtur autem Ambr. respicere ad locum Fl. Josephi e lib. III *Antiq. Judaic.* cap. 8, ubi colorum quibus Tabernaculi vela intexebantur, mystica significatio ita exponitur : Τά τε γὰρ φάρση ἐκ τεσσάρων ὑφανθέντα τὴν τῶν στοιχείων φύσιν δηλοῖ. ἥ τε γὰρ βύσσος τὴν γῆν ἀποσημαίνειν ἔοικε, διὰ τὸ ἐξ αὐτῆς ἀνιεῖσθαι τὸ λίνον. ἥ τε πορφύρα τὴν θάλασσαν, τῷ πεφοινίχθαι τῆς κόχλου τῷ αἵματι. Τὸν δὲ ἀέρα βούλεται δηλοῦν ὁ ὑάκινθος. καὶ ὁ φοῖνιξ δ' ἂν εἴη τεκμήριον τοῦ πυρός. Hanc interpretationem Origenes primus secutus est Hom. 13, in cap. XXV Exodi, atque alii post eum.

Digitized by Google

despiciens, singulari certamine provocaret, timentibus cæteris, poposcit a rege, ut congrediendi sibi permitteret facultatem. Necdum quidem tanto certamini habilis æstimatus est, **1202** rege dicente : *Non potes ire ad Allophylum, et pugnare cum eo; quoniam tu puer es, et ille vir bellator est a juventute sua* (I *Reg.* XVII, 33). Neque esset admissus, nisi fecisset fidem, quod in sua adolescentia leonem suis manibus strangulatum, extractis raptæ ovis cruribus peremisset. Ipse etiam despectus ab Allophylo, quod adversus armatum præliatorem cum virga et lapidibus processisset, retulit non viribus se fretum esse, non armis : sed in nomine Domini confidentem ad prælium esse progressum; ut lacessitæ plebis auferret opprobrium. Hic ergo juvenis, atque despectus stravit Allophylum, potitusque victoria, in decem millibus juvencularum psallentium testimonio triumphavit.

25. Gerebat enim typum ejus qui quasi despectus venturus esset in terras, et sine legato, sine adjutore, sine nuntio totum populum mundi hujus crucis suæ prælio liberaret : cui applauderent animæ sanctorum, per baptismatis sacramentum renovatæ, quod verum illum Goliam revelatum nobis, ac proditum verbi sui gladio trucidasset. Jacet igitur verus Golias humilitate Filii Dei stratus : amisit caput quod in multas artes vertebat et fraudes. Psallunt securæ jam animæ, quæ ante peccatorum suorum tormenta deflebant. Dicunt tympanis, hoc est, corporibus suis peccato mortuis resultantes : *Saul triumphavit in millibus : David in decem millibus* (I *Reg.* XVIII, 7). Rex ille durus indignatur, et irascitur diabolus ; eo quod canerent juvenculæ quia duritiæ filius paucos decepit; Christus totum mundum redemit. Dicit ergo Christus natus ex Virgine : *Juvenis ego sum, et despectus : justificationes tuas non sum oblitus.*

26. Dicit etiam populus nationum, ille in prima electione despectus, rudis adhuc in fide, et studio primævæ devotionis adolescens, vel certe renovatus aquilæ juventute per baptismatis sacramenta : *Juvenis ego sum, et despectus : justificationes tuas non sum oblitus.* Ille ego despectus ante, jam præferor, jam anteponor electis. Ille ante despectus populus peccatorum, habeo cœlestium sacramentorum veneranda consortia. Jam mensæ cœlestis honore suscipior : epulis meis non pluvia undatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes : Christus mihi cibus, Christus mihi potus : caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. Non jam ad satietatem mei annuos exspecto proventus, Christus mihi quotidie ministratur. Non verebor, ne qua mihi eum cœli intemperies, aut sterilitas ruris imminuat, si pii cultus diligentia perseveret. Non jam coturnicum pluvias mihi opto descendere, quas ante mirabar : non manna quod ante cibis omnibus præferebam; quia qui manna manducaverunt patres, esurierunt. Meus cibus est, quem si quis manducaverit, non esuriet. Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis.

27. Fuerat mihi ante mirandus panis de cœlo; scriptum est enim : *Panem de cœlo dedit eis manducare* (*Joan.* VI, 31) : sed non erat verus ille panis, sed futuri umbra. **1203** Panem de cœlo illum verum mihi servavit Pater. Mihi ille panis Dei descendit de cœlo, qui vitam dat huic mundo. Non Judæis descendit, non Synagogæ descendit : sed Ecclesiæ descendit : sed populo Dei juniori descendit. Nam quomodo Judæis descendit panis qui vitam dedit; cum omnes qui illum panem manducaverunt, hoc est, manna, quem putaverunt Judæi verum panem, in deserto mortui sunt? Quomodo Synagogæ descendit; cum Synagoga omnis interierit, et æterno jejunio fidei macerata defecerit? Denique si accepissent panem verum, non dixissent : *Domine, da nobis semper panem hunc* (*Ibid.*, 34).

28. Quid petis, Judæe; ut tribuat tibi panem, quem dat omnibus, dat [a] quotidie, dat semper? In te ipso est, ut accipias hunc panem : accede ad hunc panem, et accipies eum. De hoc pane dictum est : *Omnes qui elongant se abs te, peribunt* (*Psal.* LXXII, 27). Si te elongaveris ab eo, peribis : si appropinquaveris ad eum, vives. Hic est panis vitæ : qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur, cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum, et satiamini, quia panis est : accedite ad eum, et potate; quia fons est : accedite ad eum, et illuminamini; quia lux est : accedite ad eum, et liberamini; quia *ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17) : accedite ad eum, et absolvimini; quia remissio peccatorum est. Quis sit iste quæritis? Audite ipsum dicentem : *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet umquam* (*Joan.* VI, 35). Audistis eum, et vidistis eum, et non credidistis ei; ideo mortui estis : vel nunc credite, ut possitis vivere.

29. Sed miramini Moysen, quia patres vestros per mare siccis duxit vestigiis. Moyses non imperavit, sed impetravit : non jussit mari, sed servivit jubenti fluctibus. Moysen laudatis, quia regem Pharao cum exercitu suo mersit : Moyses orabat, et alius imperabat. Moyses precabatur, Christus operabatur. Moyses fugiebat, Christus insequebatur. Moyses columnam sequebatur, ut nocturnas tenebras declinaret : Christus illuminabat. Moysen agnoscitis, quia aquæ amaritudinem temperavit. Moysen agnoscitis,

[a] Perseverabat adhuc in Ecclesia Mediol. antiqua fidelium consuetudo qua quotidie sacræ communionis participes fieri solebant. Hinc in lib. V de Sacram. cap. 4 : *Accipe quotidie, quod tibi quotidie prosit*, etc. Sed monet idem auctor Græcos tum semel in anno Eucharistiæ communione contentos. In plerisque vero Occidentis Ecclesiis mos quotidianæ communionis in desuetudinem abierat, adeo ut episcopi aliique doctiores viri eum nec reprehenderent, nec laudarent. Hieron. epist. 50 ad Pammach., et August. epist. ad Januar.

Digitized by Google

quia aquam produxit de petra : Christum non agno- A scitis, qui veri illius Ægyptii regis stravit exercitum, et abyssi mersit profundo : qui nos liberat quotidie de mundi hujus fluctibus ; ne nos sæculi hujus procella demergat. Quid profuit patribus transire per mare Rubrum, quibus ad terram repromissionis non licuit pervenire ? Quicumque enim exierunt de Ægypto, perierunt in deserto. Mortuus est Aaron, mortua est Maria, mortuus est et ipse Moyses : solum Jesum Nave nominis sacri similitudo servavit. Plaudat Judæus ; quia sitienti illi undam saxa vomuerunt : mihi de corpore Dei fons fluxit æternus : meas amaritudines bibit Christus ; ut mihi suæ donaret gratiæ suavitatem.

30. Dicit ergo populus Christianus : *Juvenis* **1204** *ego sum, et despectus : justificationes tuas non sum* B *oblitus*. Bene hoc dicit, qui justificavit Deum baptismatis sacramentis. Qui enim baptizatur, justificat Deum ; quia peccata propria confitetur, et a Domino suorum [a] præstolatur indulgentiam peccatorum. Justificavit David, qui ait : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci ; ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L, 6). Non justificaverunt pharisæi, qui baptizari Joannis baptismo noluerunt, ut in Evangelio legisti (*Luc.* VII, 30). Nec solum justificare satis est, sed etiam non oblivisci justificationum Dei, id est, ut intemerata gratiæ spiritalis dona custodiat, et sacræ remissionis munera illibata atque inoffensa conservet.

31. Hæc generalia : sed etiam specialis singulis Christianis suppetit prærogativa dicendi : *Juvenis* C *ego sum ; et despectus ;* si humilis corde sit, si mitis atque mansuetus. Dicat ergo : *Juvenis ego sum, et despectus*. Præmittat ætatis generalem jactantiam, quo plus commendet humilitatis suæ gratiam. Non mirabilis humilitas in senectute, quæ effeta viribus, fracta debilitatibus, tristis doloribus, anhela suspiriis, cocta curarum æstibus, et ipso vivendi mœsta fastidio, alacritatem est oblita jactantiæ. Rara sane in juvenibus est humilitas, ideoque miranda. Dum ætas viget, dum vires solidæ, dum sanguis exæstuat, dum sollicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur : tunc fervet jactantia : tunc se juventutis superbus extollit affectus : tunc humilitas quasi vilescit, abjecta contemnitur : D tunc subjectio degeneris conscientiæ æstimatur infirmitas. Grandis igitur morum assuefacienda maturitas, quæ vincat naturam.

32. Denique si consideremus, in paradiso defecit humilitas ; et ideo venit e cœlo. In paradiso orta est inobedientia ; et ideo obedientia cum Salvatore descendit. Inflabatur caro, unde subjectio mansuetudinis inveniri non poterat in terris. Intumuerat omnis prævaricatoris hæreditas. Veniens Dominus Jesus primum se exinanivit (*Philip.* II, 6-8), non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, formam servi sibi accipiens, et specie inventus ut homo : humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Nec te moveat, quia scriptum est, *ut homo* ; non enim similitudinem suscepit hominis, sed veritatem. Nam et ipse Apostolus ait alibi : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Et ut de Evangelio afferamus exemplum : *Vidimus*, inquit Joannes, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Numquid quia dixit, *quasi unigeniti ;* similitudinem magis unigeniti, quam veritatem voluit æstimari ?

33. Non ergo supervacuo Christus advenit. Jam potest dicere homo : *Juvenis ego sum, et despectus ;* qui erat ante in populo priore senex superbus. Dicit : *Juvenis sum et despectus*, quomodo dicit Ecclesia : *Nigra sum, et decora* (*Cant.* I, 4). Præmisit nigram, ut augeret decorem. Sic et hic præmisit juvenem, ut augeret humilitatem. Non dixit : **1205** Nigra sum decora ; ne quod nigrum est, decorum æstimaretur. Nec dixit : Juvenis sum despectus ; ne juventus despicabilis putaretur ; sed ait, *Juvenis*, et quod mireris, humilis, non superbus, dejecto propior quam tumenti. Sic et ibi : Nigra sum superiore peccato, sed decora confessione peccati, et correctionis studio, atque amore virtutis. Quamvis ergo et syllaba, ut grammatici appellant, conjunctiva sit ; habet tamen distinctionem qua confusio disjungitur ac separatur : ut si dicas Ambrosium Bassum intus esse, unus putatur : sin autem asseras Ambrosium et Bassum intus esse, duo utique intelliguntur.

34. Dicat ergo : *Juvenis sum, et despectus ;* quia Christus in paupere atque despecto mundum redemit, quia Christus humilitate diabolum vicit. Dicat ; *Despectus sum ;* quia cor humiliatum Deus non spernit ; quia despectus ille Lazarus in Abrahæ nunc requiescit sinu, et dives ille jactantior affligitur in inferno. Despectus erat Moyses, nec sibi idoneus videbatur, cum ad liberandum Hebræorum populum mitteretur. Despectus erat Hieremias, qui dicebat : *Dominator Domine, ecce nescio loqui ; quia juvenis sum ego* (*Jerem.* I, 6). Sed facilius iste despectus eligitur. Denique dicitur ei : *Noli dicere quia juvenis sum ego ; quia ad omnes ad quoscumque misero te, abibis : et per omnia, quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum ; quia ego tecum sum, dicit Dominus, ut liberem te* (*Ibid.*, 7 *et* 8). Despectus erat ille Publicanus, qui oculos ad cœlum non audebat levare : et ideo facilius quam ille Pharisæus exaudiebatur : *Omnis* enim *qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliaverit, exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 14).

35. (Vers. 142.) Sequitur : *Justitia tua, justitia in æternum : et lex tua veritas*. Possunt quidem singuli facere opera justitiæ, sed non in æternum manentia. Dives ille cui abundaverunt divitiæ in hoc sæculo, fortasse fecerit aliqua opera justitiæ, quorum remu-

[a] Cod. Læt. et Navar. unus, *præstatur indulgentia peccatorum*. Alii cum edit. ut in corpore, nisi quod loco verbi, *præstolatur*, mss. aliquot habent, *sperat*, quod significatu non est diversum.

Digitized by Google

nerationem in præsenti vita [a] acceperit; quod non magna fuerint opera illa, nec remuneratione digna perpetua. Quid quod, etiam si facimus opera aliqua justitiæ; facimus tamen non continua, sed rara. Plerique non rapiunt aliena, sed nesciunt de proprio largiri. Alii invadentes indebitas facultates, quo speciem justitiæ sibi acquirant, solent conferre pauperibus. Non est ista in æternum justitia. Multi justi plerumque graviter deliquerunt, non habentes æternæ fructum justitiæ. Soli Deo suppetit in perpetuum per omnia possidere justitiam, qui pascit justos et injustos; non enim [b] beneficis solis referenda justitia est: sed illa vera justitia est, quæ ipsis quoque defertur inimicis. Meritoque ait Justitia Dei: *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 44).

36. Ergo sicut in æternum est justitia solius Dei, ita lex Dei veritas. Sed quomodo istud accipimus? Utrum quia lex Dei veritas, hoc est, vera: et quod statuit Deus, omne verum, sicut infra ait: *Omnia præcepta tua veritas?* An quia veritas **1206** lex Dei est; quia non mentitur Deus? Apud eum igitur veritas lex est, fallacia prævaricatio est. Sed et sic potest intelligi, lex Dei veritas est: apud Judæos ergo non est lex Dei, quia non recipiunt veritatem. *Lex Dei spiritalis est* (*Rom.* vii, 14), sicut Apostolus dixit: non habent ergo veram legem, qui eam non acceperint spiritaliter. Quod autem non verum, mendax est: quod mentitur, occidit. Littera ergo quæ occidit mentitur: spiritus qui vivificat, verus est.

37. Accipiamus et sic: Lex Dei non typus, non umbra, non exemplar cœlestium; sed ipsa cœlestia. Unde et scriptum est, quia *finis Legis est Christus* (*Rom.* x, 4). Non defectus utique, sed plenitudo Legis in Christo est; quia venit Legem non solvere, sed implere. Sicut enim [c] Testamentum est vetus, sed omnis veritas in novo est Testamento: ita et lex per Moysen data figura legis est. Vere ergo illa Lex veritatis exemplar est, in exemplari enim Agni sanguis effunditur, in veritate Christus immolatur. Meritoque Apostolus cum præmisisset vitulorum immolationem secundum Legem, adjecit: *Necessarium itaque est exemplaria cœlestium his mundari: nam ipsa cœlestia melioribus hostiis; non enim in manufacta sancta intravit Christus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum: et nunc apparet vultui Dei pro nobis.* (*Hebr.* ix, 23 *et* 24). Ut cognoscamus autem quia legem novam dedit Dominus Jesus, habes dicentem Spiritum sanctum: *Hoc autem testamentum quod testabor ad eos,*

A *dicit Dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, et in sensibus eorum scribam eas, et peccati et injustitiæ eorum non ero memor* (*Hebr.* x, 16 *et* 17). Ubi ergo remissio, jam non oblatio pro peccatis. Quo evidenter ostenditur omnem veritatem in Evangelio contineri; quia lex Dei in sensibus hominum, et in cordibus eorum scribitur, non in tabulis lapideis (qui ergo præcepta Dei non habent in cordibus suis, non habent legem), sive quia inveteratur in Judæis, renovatur in nobis.

38. Umbra est, non veritas; ut cum fiat oblatio pro peccatis secundum Legem, non fiat remissio peccatorum. *Impossibile est enim sanguine taurorum et hircorum peccata mundari* (*Hebr.* x, 4). Mendax ergo erat illa remissio, donec remissionis veritas adveniret.
B Quid deinde manifestius, quam Joannis evangelistæ sententia, qui ait: *Quia Lex per Moysen data est: gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* i, 17)? Πρὸς ἀντιδιαστολὴν legis retulit veritatem. Nam cum sit, *autem*, disjunctio, intelligendum est disjunctionem ideo interpositam; quia si veritas fuisset in Lege, [d] non fuisset facta per Christum.

39. Possumus et sic intelligere: Veritas Christus est; ergo veritas lex est. Et si mandatum Domini lex est, multo magis vivum et operatorium Verbum Dei lex est.

40. (Vers. 143.) Sequitur versus septimus: *Tribulatio et necessitas invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.* Quærunt tribulationes et necessitates
C justum, **1207** et interdum inveniunt, interdum non inveniunt eum. Invenitur, cui corona debetur: non invenitur, qui idoneus certamini non probatur. Tribulatio igitur velut quædam gratia est. Denique *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* l, 19). An non est gratia, quæ operatur patientiam? Qui ergo noverat tribulationis profectum esse, quæsitus a tribulatione inventus est, nec refugit.

41. Dicit Sapientia: *Quærent me mali, et non invenient* (*Prov.* i, 28); non quia Dominus nolebat inveniri ab hominibus, qui se omnibus etiam non quærentibus offerebat: sed quia his operibus quærebatur, ut indigni essent qui quærerent, invenire. Cæterum Simeon qui eum exspectabat, invenit (*Luc.* ii, 25 *et seq.*). Invenit Andreas. Denique ait ad Simonem:
D *Invenimus Messiam, quod interpretatur Christus* (*Joan.* i, 41). Philippus quoque dicit ad Nathanael: *Quem scripsit Moyses in Lege, et prophetæ, invenimus Je-*

[a] Voci, *acceperit*, connectebant omnes edit. *quæ ad vitam æternam non pertinuerint.* Sed isthæc in cunctis mss. desiderantur.

[b] Omnes edit. ac multi mss., *beneficiis solis;* elegantius Reg. Sorb. Remig. ac Navar. unus, *beneficis solis;* ut ii opponantur *inimicis*, et utrique ad *justos et injustos*, de quibus ante dictum est, referantur.

[c] Ita cuncti mss. excepto quod in fine pauci habent, *Vera ergo illa lex.* Cunctæ vero edit., *Testamentum vetus venit non solvere, sed implere; ita novum certificare. Sed sicut omnis veritas in novo est Testamento; ita et lex.... legis est veræ. Ergo illa lex*, etc. Sed qui locum eo modo consarcinarunt, Ambrosii sensum nequaquam videntur assecuti; eum autem putamus esse hujusmodi: Quemadmodum licet vetus Testamentum fuerit, veritas tamen, hoc est, figurarum ejus impletio, in novo est: ita licet lex per Moysen data sit, ea tamen impleta, nisi in lege nova nequaquam fuit.

[d] Edit. omnes, *non fuisset gratia facta per Christum.* Mss. contra prætermittunt vocem, *gratia.* Concinnius; vox enim, *facta*, referenda est ad superiorem, *veritas*, de qua hic præcipue agitur.

Digitized by Google

*sum filium Joseph, qui est a Nazareth* (*Joan.* I, 45). A Et ut ostenderet quemadmodum Christus inveniretur, ait: *Veni, et vide* (*Ibid.*, 46). Qui ergo Christum quærit, veniat non corporis gressu, sed mentis vestigio: videat eum non exterioribus oculis, sed internis. Æternus enim corporalibus non videtur aspectibus; quoniam [a] *quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* IV, 18). Christus igitur non temporalis, sed ex Patre ante tempora, quasi Deus, verus Dei filius, et quasi virtus sempiterna supra tempora, quem nullus temporum finis includat: quasi vita supra tempora, quem numquam dies mortis inveniat; *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI, 10).

42. Audis quid dixerit hodie Apostolus? *Peccato* B inquit, *mortuus est semel.* Semel tibi peccatori mortuus est Christus: noli iterum peccare post baptismum. Omnibus in commune semel mortuus est, et singulis semel moritur, non frequenter. Peccatum es, o homo; ideo peccatum fecit Christum suum omnipotens Pater. Hominem fecit, qui peccata nostra portaret. Mihi ergo peccato mortuus Dominus Jesus; *Ut nos in illo essemus justitia Dei* (II *Cor.* V, 21). Mihi est mortuus, ut mihi resurgeret. Semel est mortuus, semel resurrexit. Et tu cum illo mortuus, cum illo sepultus, cum illo in baptismate resuscitatus, cave ne cum mortuus fueris semel, moriaris iterum. Jam non peccato morieris, sed veniæ: ne cum resurrexeris, moriaris secundo; *Christus* enim *resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors in eum jam non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Ergo mors dominata est ei? In eo utique quod dixit, *jam non dominabitur*, ostendit esse dominatam. Noli tantum amittere beneficium, o homo. Propter te Christus dominationi mortis se subdidit; ut te jugo dominationis exueret. Ille suscepit mortis servitutem; ut tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.

43. Qui quærit ergo Christum, quærit et tribulationem ejus, nec refugit passionem. Denique David qui dignus erat, ut a tribulatione quæreretur, tribulationem et ipse quæsivit. Nam nisi quæsisset, non invenisset. Quod invenerit autem, ipse testatur, dicens: *Tribulationem et dolorem inveni,* **1208** *et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3 *et* 4). Et alibi: *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in* D *latitudine* (*Psal.* CXVII, 5). Bona ergo tribulatio, quæ dignos facit nos, qui in latitudine exaudiamur a Domino. Gratia est autem exaudiri a Domino Deo nostro.

44. Qui quærit igitur tribulationem, non refugit: qui non refugit, invenitur. Non enim [b] refugit, qui mandata Dei sensu operibusque meditatur. Nam utique illum athletam certamina inveniunt, qui in usu exercitii fuerit constitutus: qui vero exerciti... dereliquerit, sine dubio non poterit reperiri; qui ... dignus est, ut quæratur. David ergo quasi bo... athleta dicit: *Tribulatio et necessitas invenerunt me;* quia paratum semper habuerunt, non refugientem necessitatum et tribulationum prælia, sed petentem.

45. (Vers. 144.) Sequitur: *Justa testimonia tua i... æternum; intellectum da mihi eorum, et vivifica me.* Quis tantus, qui possit intelligere Domini testimonia? Et ideo intellectus a Domino postulandus est, cujus tanta est vis; ut initium ejus sit plenitudo virtutis. Denique scriptum est: *Pietas autem in Deo initium intellectus* (*Prov.* I, 7), quæ virtutum omnium fundamentum est juxta humanarum rerum et cœlestium disciplinam. Pietas amica Deo, parentibus grata, Dominum conciliat, necessitudines fovet, Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium, indulgentia peccatorum.

46. Qui habet intellectum, ipse vere est pius; intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, et ideo ignoscit erranti. Intelligit commune nobis datum naturæ ususque consortium; et ideo pauperibus numquam debitum solvit, non inficiatur tamquam indebitum. Intelligit vices esse calamitatum; et ideo tamquam naufragiis mundi istius portu quodam suæ humanitatis occurrit. Hæc perfecta virtus in hominibus, hæc plena in Deo laus est.

47. Merito intellectum sibi etiam Salomon, magisterium secutus paternum, a Domino postulavit, C dicens: *Ego sum puer humilis, et ignoro introitum meum, et exitum meum, et servus tuus in medio populi tui, quem elegisti, populum multum sicut arenam maris, quæ dinumerari non potest præ multitudine: et dabis servo tuo cor prudens, audire et judicare cum justitia populum tuum, et intelligere inter bonum et malum* (III *Reg.* III, 7-9). Unde complacuit Domino; quia non sibi longævitatem vitæ, et regalium divitiarum copias, sed sapientiam ad intelligenda Domini judicia et justitias depoposcit: et ideo tantum populum regno pacifico gubernavit; quia non usurpavit, ut Adam, boni et mali scire distantiam: sed intelligendæ ejus gratiam [c] oravit a Christo. Quod enim scire divinum est, hoc a Domino Deo tuo, ut possis cognoscere, promerendum est. Si petisset et Adam, [d] sicut petivit David, nequaquam illos inextricabiles erroris laqueos incidisset, quibus omnis ejus hæreditas strangulatur. Ideoque mortuus est, et quod gravius est, **1209** morte peccati; quia ante usurpavit scire, quam intellectum quo vivificaretur, acciperet.

48. Vivificat ergo intellectus, ut Spiritus; quia ipse intellectus gratia spiritalis est: ideoque intel-

[a] Mss. plerique, *quæ videntur, corporalia sunt.*

[b] Cod. Navar. unus, *refugit mandata Dei, sed sensu*, etc. Melius alii, et edit. ut in textu; ubi post verbum, *refugit.*, subintelligendum, *tribulationem.*

[c] Rom. edit., *oravit a Domino.* Sed non insolens est Ambrosio, ut quæ proprie Verbo conveniunt, ea Christo Domino propter unitatem personæ attribuat. Sic serm. 15, num. 30, de Christo dicitur, *qui totius auctor est creaturæ.* Sic et alibi passim.

[d] Omnes edit., *sicut petivit Salomon.* Omnes mss., *sicut petivit David.* Non male, cum ipse David in hoc ipso versu a Domino postulet intellectum.

Digitized by Google

ectum munere suo Spiritus sanctus operatur. *Intellectus* autem *bonus est omnibus, qui eum faciunt* (*Psal.* cx, 10); quo docemur quia non solum sensu complecti, sed etiam factis, id quod intelligimus, exsequi debeamus.

## SERMO DECIMUS NONUS.

### ק. *Koph.*

1. Incipit littera decima nona *Koph*, cujus interpretatio est, *Conclusio;* et sicut alibi invenimus, *Aspice.* Distat littera, congruit sensus. Nam qui concluditur, circumspicere se debet, et causam periculi non dissimulare; maxime cum lethale discrimen sit. Concluditur unusquisque tumescentibus visceribus, internisve faucibus, cum intercluso spiritus commeatu, spirandi ac respirandi commercia coarctantur. Concluditur femina, cum fit peridrome matricis, qua pectoris ipsius premitur principale; unde graves oriuntur angustiæ, et nisi in locum suum illa recipiendorum seminum aula revocetur, vitam consuevit excludere. Ita etiam qui animo angitur, et quibusdam adversis imminentibus perurgetur, concludi dicitur non minoribus angustiis mentis, quam corporis. Majores enim animæ æstus, [a] fervoresque sunt animorum, quam corporum.

2. Conclusus igitur viscerum tumore, medicum quærit; ut possit propulsare periculum, et constricta laxare. Veniens medicus tentat omnia, explorat interna. Et tu ergo conclusus animi fervore, aspice te ipsum interiori oculo. Morbi vis urget, fervet noxia conscientia, moles peccatorum premit, intercipiunt sensum mentis angustiæ: cognosce te ipsum, et orationis quære medicinam: posce ut veniat medicus ille qui descendit de cœlo, qui maxime ægrotos requirit, sicut ipse ait: *Non opus est sanis medicus, sed iis qui male habent* (*Matth.* ix, 12). Habes vulnera? Ne differas: non est apud eum ulla comperendinatio sanitatis. Habes ulcera? Ne timeas: verbo, non ferro curare consuevit. Aspice igitur illis oculis, quibus David auxilium quæsivit et meruit. *Levavi*, inquit, *oculos meos ad montes: quæsivi unde mihi veniret auxilium* (*Psal.* cxx, 1 *et* 2). Non inveni nisi a Domino; qui enim mundum condidit, tuetur accolas mundi. Aspice ergo, et semper aspice; quia justi oculi semper ad Dominum.

3. Hoc monet te etiam Hieremias in Threnis sub hac ipsa littera, dicens ad Hierusalem: [b] *Surge et expergiscere in nocte, in principio vigiliæ tuæ effunde sicut aquam cor tuum ante faciem Domini: extolle ad Dominum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui deficiunt fame in plateis omnium itinerum* (*Thren.* ii, 19). Nonne et aperte conclusionis ostendit angustias, et monet ut intentione cordis, in quo est oculi melioris obtutus, remedium tibi salutare pro-

A videas? Denique etiam infra, iterum sub hac littera ait: *Appropinquavit enim* **1210** *tempus nostrum, repleti sunt dies nostri, advenit finis noster. Leves facti sunt qui persecuti sunt nos, super aquilas cœli. In montibus accensi sunt: in deserto insidiatus est nobis* (*Thren.* iv, 18 *et* 19).

4. Demonstravit summam conclusionem, nec ullum remedium nisi in adventu Domini nostri Jesu Christi, qui solus desperatis possit afferre medicinam. Et quasi ostendens eum, dicit: *Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus comprehensus est in interitu nostro..... In umbra ejus vivemus inter gentes* (*Ibid.*, 20). Et infra: *Bibes*, inquit, *et inebriaberis* (*Ibid.*, 21). Adhuc: *Visitabit iniquitates tuas, revelabit super peccata* (*Ibid.*, 22). Quam breviter adventum
B et passionem ejus expressit, remissionemque omnium peccatorum: quam aperte congregationem futuram gentium declaravit! Hinc illud Apostolicum: *Quia cæcitas ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* xi, 25 *et* 26).

5. Veni, Domine Jesu: sed jam non in umbra, sed in sole justitiæ. Si umbra profuit, si passionis tuæ umbra protexit, si corporis umbra salvavit; quantum conferre poterit claritas aperta virtutis? Per umbram lepra curata est (*Matth.* viii, 3); per umbram quoque illius feminæ quæ fimbriam vestis Dominicæ attigit, sanguis stetit (*Luc.* viii, 44): per umbram te vidimus, quando non habebas speciem neque decorem. Umbra tua caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit [c]
C cupiditatum, quæ restrinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ, diversarumque passionum incendia temperavit. Et quid dicam de umbra Domini, quando et apostolorum umbra sanabat (*Act.* v, 15)? Veniente etenim Petro unusquisque offerebat ægros suos, quos transeuntis apostoli umbra reddidit sanitati.

6. Audi quia caro Domini umbra erat: *Ecce Dominus sedet super nubem levem, et veniet in Ægyptum* (*Esai.* xix, 1). Et David dicit: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* xvi, 8). Factus est igitur exinanitus umbra nobis, quos sol iniquitatis exusserat. Vidimus ergo in umbra eum, cum adhuc fides prima procederet. Sed nunc jam totum illuminat mundum: et tamen adhuc eum per sui corporis, quæ est Ecclesia, umbram videmus, nondum facie ad fa-
D ciem; neque enim oculi corporis divinitatis possunt recipere fulgorem. Hæc quoque umbra totum quotidie protegit orbem terrarum. Profuit igitur conclusio; *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate; ut omnium misereatur* (*Rom.* xi, 32). Sed jam consideremus quid in conclusione dicendum est, et unde incipiendum.

7. (Vers. 145.) *Exclamavi in toto corde meo*,

[a] Edit., *febresque sunt animorum*; mss., *fervoresque*, etc.

[b] Rom. edit., *Surge meditari in nocte:* forte ut magis locus accederet ad Vulg. ubi legitur, *Consurge, lauda in nocte.* Omnes vero mss. et vet. edit. nobiscum faciunt. Et certe nostra lectio magis congruit cum LXX, apud quos legas: Ἀνάστα, ἀγαλλίασαι ἐν νυκτὶ, etc., *Surge, exsulta in nocte.*

[c] Ita mss. magno consensu, cunctæ vero edit. post vocem, *cupiditatum*, illa subnectunt, *quæ compescuit insolentiam vitiorum.*

Digitized by Google

*exaudi me, Domine : justitias tuas exquiram.* Cum impressiones patimur corporales, exclamare consuevimus ; ut alios ad præsidium nobis vocare possimus. Premebatur sanctus Propheta, appropinquantibus sibi persecutoribus. Saul primo infestus armato eum insequebatur exercitu : postea parricida filius imminebat : non contentus fugientis exsilio, vitam patris quærebat eripere. Sed ab illis minus pati poterat quos in præsenti videbat, quam ab illis quos non videbat ; est enim colluctatio sanctis non solum adversus carnem et sanguinem, **1211** sed etiam adversus principatus et potestates istius mundi, rectoresque tenebrarum, qui latronum modo in istius sæculi nocte humanis insidiantur affectibus. Horum igitur sanctus David cum graves adversum se videret fieri incursus, exclamavit in toto corde suo. Etenim adversus diabolum non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis utendum est.

8. Est tamen et vox cordis ; quia est et vox sanguinis, quæ ad Deum pervenit. Denique Deus dicit : *Vox sanguinis fratris tui de terra clamat ad me* (*Gen.* IV, 10). Clamat ergo cor nostrum non sono corporis, sed cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. Grandis fidei clamor. Denique in spiritu adoptionis clamamus, Abba pater, et ipse Spiritus Dei clamat in nobis. Magna vox justitiæ, magna est castitatis, per quam et mortui loquuntur ; nec solum loquuntur, sed etiam sicut Abel clamant. At vero injusti anima nec viventis clamat ; quia Deo mortua est. Nihil in illa sublime, nihil magnificum est : quale eorum, quorum sonus in omnem terram exivit, et verba in fines orbis terrarum. [a] Gracili voce Moyses loquebatur, et plus omnibus audiebatur. Quotidie auditur in Ecclesia : ab illis solis, hoc est, Judæis non auditur, qui aure audiunt, sed non exaudiunt. Prophetæ dicitur alteri : *Exalta viribus vocem tuam* (*Esai.* LVIII, 1).

9. Anna tamen non clamabat in corde suo (I *Reg.* I, 13), sicut Moyses, sed loquebatur : fortasse quia filios postulabat, hoc est, bona quidem, sed privata, non publica, non clamabat. Sed quia a Domino postulabat, quia Domino eum, si quem susciperet, offerebat; loquebatur Deo : clamabat autem Moyses ; quia non pro se, sed pro omni populo precabatur. Unde dictum est ei a Domino : *Quid clamas* (*Exod.* XIV, 15) ? Clamabat affectu pio, et sensu profundo, et personabat in cœlo, miraculis petens digna cœlestibus : ut mundi elementa mutaret.

10. Denique ut ipsius loci seriem recenseamus : instabat Pharao, et innumeris Ægyptiorum stipatus curribus, urgebat Hebræos : hinc circumfusus hostis, inde interfusum mare plebem Dei clauserat. Nulla in armis fiducia, spes nulla in viribus. Strepebat A tantummodo querela miserabilis, quod commodius sibi foret dura in Ægypto servitutis onera subire, quam acerba in deserto morte consumi : querela nihil præsidii offerens, plurimum offensæ afferens. Stabat ergo Moyses mœstus, sollicitus, anxius populi et periculis et querelis, exspectans fidem cœlestium promissorum : et tacitus secum ipse volvebat qua tandem Dominus ope, injuriæ immemor, memor gratiæ, subveniret. Dicit ad eum Dominus : *Quid clamas ad me ?* Sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco : silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. Clamabat populus, et non audiebatur : tacebat Moyses, et audiebatur. Non **1212** populo dictum est : *Quid clamas ad me ?* Non enim ad Deum clamabat populus, qui injusta, et viris indigna clamabat. Sed Moysi dictum est : *Quid clamas ad me ?* hoc est : Tu solus ad me clamas, qui de me speras : tu solus ad me clamas, qui virtutem meam excitas : tu solus ad me clamas, qui per universam terram annuntiari meum nomen exspectas.

11. Clamabat ergo Moyses in corde suo, et omnis sapiens in corde suo clamat. Denique sapientia cum altissima prædicatione convocat ad crateram, dicens : *Relinquite insipientiam... et quærite sapientiam* (*Prov.* IX, 6). Magnæ sublimitatis, magnæ vocis hæc prædicatio est, quæ stultis sapientiam pollicetur. Et Jesus Dominus exclamabat : *Si quis sitit veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII, 37). [b] Et vere magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cœlorum, ad illum venerabilem potum quo vitæ æternæ fluctus infunditur. Et tu cum oras, magna ora, id est, ora quæ æterna sunt, non quæ caduca. Ora quæ divina sunt atque cœlestia ; ut sis sicut Angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est : noli pro auro, quia metallum est : noli pro possessione, quia terra est ; ista oratio ad Dominum non pervenit. Non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis : sed audit piam vocem, plenam devotionis et gratiæ.

12. Non solum ergo clamandum in corde, sed etiam in toto corde clamandum est. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, cum toto ore clamatur : ita spiritaliter toto est clamandum corde, si volumus magna referre, et a Domino quæ poscimus, impetrare. Hanc Dominus vocem exigebat a populo, quam populus nesciebat. Ideoque dixit Dominus : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* (*Esai.* XXIX, 13). Qui ergo appropinquaverit corde, ipse auditur a Domino. Cor ergo prius clamet, ut sermo possit audiri.

13. Sed non satis est clamare ad Dominum, sed etiam justitias ejus exquirere. Exquirit autem justitias, qui id quod in omnibus creaturis, et maxime in animantibus rationalibus, vel etiam irrationabilibus

[a] Rom. edit. sola, *Gracili voce erat Moyses, nec loquebatur : plus omnibus tamen audiebatur.* Et paulo post, ubi eadem edit., *et corde non intelligunt.* Vel..... *non audiunt.* Mss. omittunt vocem, *corde*, ex quibus duo solum pro, *sed non audiunt*, exhibent, *sed non exaudiunt.* Haud male ; idem enim est ac non consentiunt.

[b] Omnes edit., *Et voce vere magna clamabat.* Sed cum, *voce*, in nullis reperiatur mss., *magna*, hic videtur esse in eodem casu, quo infra dicitur, *magna ora*, etc. Rursus edit. Rom. cum parte mss., *fructus infunditur.* Aliæ edit, cum reliquis mss., *fluctus infunditur.* Melius, cum videatur alludi ad illud Scripturæ, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Digitized by Google

justum est, providentiæ adscribit divinæ. Unde turturi studium pudicitiæ, quæ compare amisso, concubitui indulgere non novit: quod homines servare non possunt? Unde plerisque animantibus tam sobria partus cura servandi; ut ubi conceptionis munus agnoverint, ibi coitum non putent esse repetendum; ne receptorum seminum fiat adulterina permixtio? Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo resurgit rogo: sibi avis superstes, ipsa et sui hæres corporis, et cineris sui fœtus. Aquila ne degeneres partus nutriat, diligenti librat examine: et adhuc teneros fœtus pio ungue suspendit, solisque offert radiis; ut si forte oculos suos vi fulgoris inflexerint, tamquam degeneres laxato in præceps ungue dimittat: sin **1213** vero naturæ vigorem constanti adversum radios solis obtutu potuerint vindicare, dignæ indolem sobolis onere grato reportet.

14. Volatilia cœli omnia non serunt, neque metunt, et Deus pascit illa: quia justitias Domini custodiunt, nihil sibi proprium vindicando: sed ligno fructifero, quod Domini judicio communem ad escam datum est, famem relevare contenta. Ex his igitur nos cognoscimus, quam divinæ subsidia providentiæ hominibus non deessent, si Dei justitiam servare vellemus. Qui alit aves, non aleret homines, quos ad imaginem et similitudinem sui fecit? Nonne pluris sumus illis? Naturæ prærogativa pluris sumus, sed inferiores [b] devotionis gratia, et prævaricationis injustitia.

15. (Vers. 146.) Sequitur versus secundus: *Clamavi ad te, salva me: et custodiam mandata tua.* Repetit quod ad Dominum clamaverit, et custodem se promittit cœlestium statutorum, quæ cœlo terraque testibus Dominus Deus sanxit; ut prævaricatores elementorum testimoniis arguantur. Quomodo cœlum aspiciant prævaricationis suæ conscium? Quomodo fructus de terra exspectent, quæ novit ingratos? Vide igitur quam non parva promittat Propheta. In clamando fidelis et promptus affectus exprimitur: in custodiendo testimonia, continentiæ virtus, obsequii sedulitas declaratur.

16. (Vers. 147.) Sequitur versus tertius: *Anticipavi in maturitate, et exclamavi: in verba tua speravi.* Græcus ἐν ἀωρίᾳ dixit, quod est, ante horam, ante tempus. Qui ergo Dominum deprecatur, non velut præscripta præcipua tempora præstoletur, nesciens in obsecrationibus Domini tempus esse aliquod, sed semper in ipsis sit. Sive manducamus, sive bibimus, Christum annuntiemus, Christum rogemus, Christum cogitemus, Christum loquamur: in corde nostro semper, semper in ore sit Christus.

17. Sed forte dicas: Quomodo scriptum est: *Tempus omnibus, et tempus omni rei sub cœlo est* (*Eccl.* III, 1)? Sed Dominus Jesus supra cœlum est, nullo circumscriptus est tempore. Claudat os suum ariana perfidia. *Tempus*, inquit, *omni rei sub cœlo*: quanto magis sub Deo tempus, non supra Deum? Generatio ex Patre non habet tempus; neque enim opus ante auctorem, sed auctor supra operis exordium. Fortasse objiciant quia dixit: *Tempus meum nondum advenit* (*Joan.* VII, 6). Et iterum dixit: *Pater, venit hora* (*Joan.* XVII, 1). Sed hæc hora est passionis. Est etiam tempus virginalis conceptionis: *Ecce virgo in utero accipiet* (*Esai.* VII, 14): quia virgo sub tempore, et ideo præscripta ætate concepit.

18. Qui rogat itaque, semper roget: et si non semper precatur, paratum semper habeat precantis affectum. Pernoctabat in oratione Dominus Jesus (*Luc.* VI, 12), non indigens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, ut tu disceres, quomodo pro te rogares. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi supra dicentem Prophetam: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Serm.* 8, *v.* 63). Et tu surge vel media nocte, **1214** si non potes tota semper nocte vigilare; ut dum oras nocte, veri solis pectori tuo splendor irradiet; quia omnis anima quæ Christum cogitat, in lumine [c] semper est: dies lucet, tibi semper Christus aspirat. Sed quia sequens versiculus de tempore precandi evidenter expressit, in isto versiculo actuum magis operumque arbitror, quam orationis tempus intelligendum.

19. Præcurrit ætatis maturitatem quisquis in adolescentia positus senilem gravitatem induit, et juveniles annos veterana quadam continentia regit, fervoremque virentis corporis incana morum maturitate componit. Nam quid potest habere laudis, si effetum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam segnior vigore, convertat? Non est corona, nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis: ad quam rari attingere possunt, non omnes qui ingressi fuerint stadium, pervenire. Ille laudabilis, cui est in seipso ante certamen, qui carnem suam reluctantem sibi mentis coercet imperio, parca frugalitate castigat, et servituti redigit; ne effrenata libertate luxuriet, atque indomita fervens cupiditate, habenas animi regentis abrumpat. In hora est ergo senex, si munia sobriæ maturitatis exerceat: ante horam præcurrens juvenis, si senili pondere incentiva comprimat voluptatum, ac ferventis illecebras cupiditatis extinguat: *Bonus est* enim *Dominus sustinentibus*, Hieremias dicit (*Thren.* III, 25). Et, *Bonum est viro*,

[a] Sic omnes mss. ac vet. edit. in corpore. Fra. autem et Gill. in marg. *insitum est*, quod in textum transtulit Rom. edit. Sed recta est nostra lectio; cum hic ubique doceamur, quomodo Dei justitiæ in animantibus omnibus investigandæ sint: quod tum fieri declaratur, quando ad eum refertur, quidquid justi in illis deprehendimus. Confer autem, si vacat, quæ continuo traduntur, cum lib. V Hexaem. cap. 18, 19 et 22.

[b] Omnes edit. ac duo mss., *diminutione gratiæ*. Unus, *diminutionis gratia*. Reliqui, *devotionis gratia*; id est, obedientia, quæ sane in brutis major est, quam in homine.

[c] Rom. edit., *semper est: Nam diei lucem tibi Christus aspirat*. Duo mss., *semper est diei*. *Lucem tibi*, etc. Vet. edit. et reliqui mss. ut in textu.

*qui grave portavit jugum a juventute : sedebit singulariter, et silebit; quia tulit jugum verbi* (*Ibid.* 27). Qui enim a juventute jugum portaverit, et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter, remotus a strepitu interpellantium passionum, et quietus silebit : cui necesse jam non sit jurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus; quia tulit jugum verbi anima quæ quærit Deum, quæ captivas sibi fecit omnes delicias juventutis. Unde fortasse et illud Dominicum : *Non clamabit, neque contendet, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus* (*Matth.* XII, 19; *ex Esai.* XLII, 2), non solum ad defensionis silentium, absolutionisque contemptum, et tolerantiam passionis, sed etiam ad compressiones omnium accipere possumus corporalium voluptatum. Unde et alibi scriptum est : *Quia peccatum non fecit* (I *Pet.* II, 22). Recte igitur tacebat in mortis periculo constitutus, qui mortis aculeum non timebat.

20. *In verba*, inquit, *tua speravi.* Græcus ἐπήλπισα dixit, quod est ad sperandum semper crescere, et spem spei adjungere. Justus semper sperat, et in adversis positus, et frequentibus afflictus ærumnis desperare non novit : sed quo graviora toleraverit, magis sperat, et sperandi sumit profectum, secundum illud oraculum : *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Dominus : Sacerdotes loquimini justitiam in cor Hierusalem, consolamini eam; quia repleta est dejectio, et solutum est peccatum ejus; quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua* (*Esai.* LX, 1 *et* 2). Quam cito dixit plenitudinem dejectionis solutionem esse peccati, et repetivit causam consolationis eo majus esse reconciliationis **1215** insigne, quo numerosior fuerit pœna, quam culpa.

21. Job tot gravatus incommodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu, discretam a piis causam asserens impiorum, quorum lumen exstinguetur (*Job.* XVIII, 5). *Lux* autem, secundum Salomonem *semper est justis* (*Prov.* XIII, 9). Unde colligitur quia justus semper in verba Dei sperat, et spem adjicit spei. Quod evidentius expressit Esaias, dicens : *Tribulationem super tribulationem* [a] *exspecta, spem super spem* (*Esai.* XXVIII, 10). Ad perlactatos et abductos ab uberibus loquebatur, hoc est, ad eos qui prima infantiæ alimenta transissent, cibo jam habiles fortiori. Exemplo sit, quod ablactatus Isaac patriarcha tantus evaserit; ut adhuc inter rudimenta primævæ positus ætatis, nequaquam tamen gladium feriturí parentis horruerit (*Gen.* XXII, 10). Plures filios habuit Abraham, nullum ablactavit alium, sed in hoc felo seciss legitur epulum magnum (*Gen.* XXI, 8). Et bene magnum epulum Scriptura dixit, quia typus

A erat ejus, quem semper epulantur corda sanctorum.

(22. Vers. 148.) Sequitur versus quartus : *Prævenerunt oculi mei mane meditari verba tua.* Supra (*vers.* 147) ait : *Prævəni ἐν ἀωρίᾳ*, hoc est, ante horas, ante tempus; hic ait, *mane :* aliud significat tempus orandi atque psallendi Domino; ut sit illud prius, secundum quod ait : *Media nocte surgebam* (*Serm.* 8, *v.* 63); hoc autem juxta illud : *Prævenire orientem solem;* grave est enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inverecundo pudore converniat, et lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium sine ullius devotionis munere, ac sacrificii spiritalis oblatione, feriata nocte transmissum. An nescis, o homo, quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quo-

B tidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortum, ut te oriens inveniat jam paratum; ne lumina tua ex-sopido adhuc sopore mergentia primus diei fulgor cogitet.

23. [b] *In cubili meo, in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea* (*Cant.* III, 1), dicit Ecclesia. Ideo meruit eum invenire, ideo ejus gratiam promereri, quia etiam in cubili quæsivit, quæsivit in noctibus. Propterea copiam ejus adepta in posterioribus loquitur ad Sponsum : *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas* (*Cant.* VII, 11). Advertis quemadmodum Sponsa Verbum invitet Dei; ut veniat in terras, ut tollat peccata mundi? Ager hic erat ante desertus, sentibus nostrorum squalidus delictorum, horridus

C spinis. Castellum erat, in quo relegatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exsilio. Illo ergo ducit Ecclesia Christum, ut Adam liberet. Deinde exsulibus absolutis, cœpit mundi istius agri idoneos habere cultores : et qui erat ante jejunus, factus est vitis æternæ plantatione fecundus. Nec tamen sic spiritalibus læta palmitibus evagatur : sed ad has vineas vocat Christum, ubi psallentes sint, et orantes, ubi noctibus ac diebus fructus innocentiæ perseveret.

**1216** 24. *Ibi*, inquit, *dabo ubera mea tibi, dederunt mandragoræ odorem* (*Ibid.* 13). [c] Plerique discernunt quemdam inter mandragoras sexum; ut et mares putent esse et feminas, sed feminas gravis odoris. Significat ergo gentes quæ ante fetebant, cum essent

D infirmiores evirata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructum ferre cœpisse, postquam in adventum Domini crediderunt. Legimus etiam quod mandragoras acceperit sancta Rachel a sorore sua Lia; ut concederet ei illa nocte dormire cum sancto Jacob (*Gen.* XXX, 14 *et seq.*). Mandragoras Ruben primogenitus attulerat matri suæ Liæ, quæ lippien-

[a] Nullæ edit. agnoscunt vocem, *exspecta*, quam tamen mss. omnes exhibent, exceptis paucis ubi legitur, *exspectat*. Perperam; LXX enim constanter legunt, θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν προσδέχου, etc. Verum in textu hebræo, et aliis versionibus non parva est hoc loco diversitas, quam in Bibliis polygl. videre est.

[b] Edit. omnes, *in cubiculo meo.* Mss., *in cubili meo*, quod melius respondet græco, ἐπὶ κοίτην μου, apud LXX.

[c] Sequitur hoc loco Sanctus noster imprimis sententiam Dioscoridis lib. IV, cap. 7, ita tamen ut aliorum non rejiciat. Has videre licet apud Mathiolum in eumdem lib. et cap. Disc.; sed et Critici sacri de mandragoris nonnihil etiam tradunt in cap. XXX Gen. vers. 14; quos consule.

Digitized by Google

tibus oculis, Synagogæ figuram [a] accepit; quia Christi gratiam videre non potuit, hebetato debilis mentis obtutu. Quo declaratur quod fructus quos ante Synagoga a primogenito Dei filio susceperat, Ecclesiæ concessit: sed quia illius noctis potita concubitu genuit Lia suæ posteritatis hæredem, implevit mysterium, quoniam, credentibus apostolis, reliquiæ Judæorum per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.

25. Unde ait Ecclesia: *Nova et vetera, frater meus, servavi tibi* (*Cant.* VII, 13). *Quis dabit te fratrem lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te, et quidem non spernent me. Assumam te, et inducam in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me: ibi docebis me* (*Cant.* VIII, 1 et 2). Habens igitur informationem novarum et veterum Scripturarum, nec despicabilem se esse sentiens, non solum orationibus in secreto cordis Verbum tenet, verum etiam psallentibus chori vocibus velut quibusdam eum osculis gratiæ osculatur.

26. Itaque malorum granatorum, hoc est, diversorum et innumerabilium fructuum, et præcipue [b] fidei odoribus, gratiæ, sapientiæ, et gloriæ, vitæque æternæ subnixa divitiis, quæ sunt circa sinistram et dexteram Sponsi, per animas sanctas laudantium congregationum plausibus excitat Christum, dicens: *Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis et resuscitetis dilectionem, usquequo voluerit* (*Ibid.* 4).

27. Unde eam mirantur filiæ Hierusalem, sanctæ animæ patriarcharum, et prophetarum, veterumque justorum, vel cœlestes potentiæ, dicentes: *Quæ est hæc quæ ascendit dealbata, innitens super fratrem suum* (*Ibid.*, 5)? hoc est, talibus solemnitatibus fulget Ecclesia: et quæ ante per diem fusca erat, jam splendet in noctibus et relucet.

28. Ipse quoque Dominus tanto munere psallentium delectatus ait: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum; quia valida est ut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Alæ ejus, alæ ignis et flammæ: aqua multa excludere non poterit charitatem, et flumina non inundabunt eam* (*Ibid.*, 6 *et* 7). Quia vidit tantam devotionem Ecclesiæ, idoneos putat esse jam populos qui in corde nostro et in brachio signaculum ejus portare possimus. Ipsum enim Pater signavit Deus: et qui testimonium ejus accepit, signavit; quia Deus verax est: et ideo operantes cibum permanentem in vitam **1217** æternam, signati sunt ad imaginem et similitudinem Christi, qui est imago invisibilis Dei. Sicut ergo Deus verax est, et tu signa in tuo sensu et opere veritatem; ut os tuum non loquatur mendacium, manus tua non operetur opera hominum, quæ sunt fallacis istius mundi, sed illa quæ Dei sunt; ut pauperibus largiatur, debiles sublevet, mortuos honoret tumuli sepultura. His operibus charitas quæritur, ut nemo possit a Christo vel periculo mortis avelli. Unde ille ait: *Quis nos separabit a Christo? Tribulatio, an angustia.... an persecutio* (*Rom.* VIII, 35)? Et infra: *Confido enim quia neque mors, neque vita, neque angeli* (*Ibid.*, 38).

29. Ea specie etiam zelus durus est charitatis, et alæ ejus, alæ ignis. Habet alas sicut columba; sunt enim pennæ columbæ deargentatæ, quibus evolat qui diligit, dicens: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8): sed alæ charitatis, alæ ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem. Hoc vapore ferventes fecit Dominus angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem, sed non exurentem. Legimus et alam templi, supra quam diabolus tentans fecit ascendere Salvatorem, quæ erat in templi culmine (*Matth.* IV, 5). Sunt ergo [c] fastigia pinnæ, sunt culmina charitatis, quæ vaporem gratiæ pectoribus humanis adolere consueverunt; ut multa aqua extinguere atque excludere non queat charitatem, et flumina eam sæcularium tempestatum nulla concludant.

30. Cum ergo tanta Ecclesiæ gratia, tanta nos præmia devotionis invitent, præveniamus orientem solem, occurramus ad ejus ortus, antequam dicat: *Ecce adsum* (*Esai.* LVIII, 9). Vult se præveniri Sol justitiæ, et ut præveniatur, exspectat. Audi quemadmodum exspectet, et cupiat præveniri: *Dicit angelo Pergami Ecclesiæ.... Age pœnitentiam: cæterum veniam tibi cito* (*Apoc.* II, 12 *et* 16). *Dicit angelo Laodiceæ.... Æmulare ergo, et pœnitentiam age: Ecce sto ad januam, et pulso; et si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad eum* (*Apoc.* III, 14, 19 *et* 20). Poterat intrare: denique nec resurgentem eum cum corpore ulla clausarum valvarum repagula retinere potuerunt, subito se apostolicis penetralibus improvisus infudit (*Joan.* XX, 19): sed studia devotionis tuæ desiderat experiri; apostolos jam probatos habebat. Aut forte, in persecutione prævenit: ubi tranquillitas est, præveniri cupit. Præveni certe hunc quem vides solem. *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; ut illucescat tibi Christus* (*Ephes.* XV, 14). Si hunc solem præveneris antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem. Ipse prius in tui cordis illucescit arcano: ipse tibi dicenti: *De nocte vigilat ad te spiritus meus* (*Esai.* XXVI, 9), matutinum lumen temporibus faciet splendere nocturnis, si mediteris verba Dei. Dum enim meditaris, lux est: et videns lucem non temporis, sed gratiæ, dices quia *Lux præcepta tua* (*Ibid.*). Cum autem te meditantem verba divina dies **1218** invenerit, et tam gratum opus orandi, atque psallendi delectave-

[a] Post verbum, *accepit*, irrepserat in edit. quasdam Paris., *quia Christi gratiam accepit*, quod nos ut adulterinum abdicavimus.

[b] Ita edit. ac multi mss. Alii tamen nec ipsi pauci, *fidei odoribus grata*, *sapientiæ*, etc.

[c] Omnes edit. et pauci mss., *fastigia pietatis*. Alii non multo plures, *fastigia pia*. Reliqui denique, *fastigia pinnæ*. Optima lectio, cum referatur ad illud supra positum, *legimus et alam templi*: quam partem *pinnaculum* vocat Vulgata versio.

Digitized by Google

rit tuam mentem, iterum dices ad Dominum Jesum : A *Exitus matutinos, et vespere delectabis* (*Psal.* LXIV, 9).

31. An vero Moyse magistro [a] usus populus Judæorum, quotidie in senioribus suis, qui ad hoc munus electi sunt, noctibus ac diebus sine ulla cessatione recenset Scripturas divinas : et si quid aliud seniorem interrogaveris, nescit nisi Scripturæ divinæ seriem resultare (*Exod.* XVIII, 14 *et seq.*). Vacat illic sermo de sæculo, sola illic Scriptura contexitur, singulorum sibi per vices ora succedunt; ne quando sacer ille sonus mandatorum cœlestium ferietur : et tu Christiane, dormis, cui magister est Christus; et non vereris ne de te dicatur : Populus iste nec labiis me honorat? Judæus vel labiis, tu vero nec labiis. Si illius qui vel labiis honorat, cor longe est a Deo : quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam la- B biis non honoras? Quamdiu te somnus, quamdiu te sæcularia tenent, quamdiu sollicitudines istius vitæ, quamdiu terrena?

32. Divide saltem Deo et sæculo tempora tua : vel quando non potes agere in publico quæ sunt istius mundi, et tenebræ prohibent noctis, Deo vacato, indulge orationibus; et ne obdormiscas, psallito : somnum tuum bona fraude fraudato. Mane festina, et ad Ecclesiam defer primitias pii voti : et postea, si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere : *Prævenerunt oculi mei mane, meditari verba tua :* securus procedes ad tuos actus. Quam jucundum inchoare ab hymnis et canticis, a [b] beatitudinibus quas in Evangelio legis (*Matth.* V)? Quam prosperum ut te sermo Christi benedicat, et dum recantas Domini C benedictiones, studium alicujus virtutis assumas; ut etiam in te benedictionis divinæ meritum recognoscas.

33. (Vers. 149.) Sequitur versus quintus : *Vocem meam exaudi secundum misericordiam tuam, Domine : et secundum judicium tuum vivifica me.* Semper homo, etiamsi sanctus, et justus sit, debet orare; ut exaudiat eum Dominus secundum misericordiam suam, non secudum merita virtutis alicujus; quia rara virtus, multa peccata : et secundum judicium suum, ut infirmis opem ferat. Et maxime hoc debemus orare cum aliquibus urgemur adversis. Unde non otiose a sancto David præmissa est divinæ misericordiæ postulatio.

34. (Vers. 150.) Sequitur enim : *Appropinquaverunt persequentes me inique : a lege autem tua elongaverunt.* Græcus sic posuit : *Appropinquaverunt persequentes me iniquitate*, hoc est, qui cum iniquitate persequebantur. Quanto magis mihi appropinquaverunt, tanto amplius se a lege tua separaverunt, quoniam qui fratrem suum persequitur, a lege secernitur. Lex enim dicit : *Diliges Dominum Deum tuum.... diliges proximum tuum* (*Deut.* VI, 5). Ne ergo oderim fratrem, ne dicatur mihi : *Si fratrem tuum* **1219** *non diligis, quem vides : quomodo potes Deum diligere, quem non vides* (I *Joan.* IV, 20)? Nescis fratrem tuum mercem esse sanguinis Christi? Mercem ergo non diligis Christi, si fratrem non diligis.

35. Ergo persecutor mihi appropinquat, ut accedat : sed is se a lege disterminat; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Qui autem a lege Dei se separat, separat se ab æterna vita; lex enim vita est. Denique ostendens Propheta legem Dei, ait : Ecce ista est vita, quoniam qui facit quæ legis sunt, vivet in eis (*Levit.* XVIII, 5) : quod legi convenit utique spiritali. Et fortasse qui mihi appropinquat; ut accedat mihi, dum separatur a lege, separatur a Christo; quia Christus est vita. Ego autem si adhæream Christo, nec mihi appropinquat; quia etiamsi corporis mei habeat potestatem, animæ tamen meæ accedere non poterit. Denique persecutores martyrum quam longe ab eorum meritis separati sunt!

36. (Vers. 151.) Sed forte dicas : Quomodo sancti adhærent Deo? Et ideo sequitur : *Prope es tu, Domine, et omnia præcepta tua veritas.* Prope est Dominus omnibus, qui ubique adest : nec fugere eum possumus, si offendimus : nec fallere, si delinquimus : nec amittimus, si colamus. Spectat omnia Deus, omnia videt, assistit singulis, dicens : *Deus appropinquans ego sum* (*Jerem.* XXIII, 23)? Et quomodo potest deesse alicubi Deus, cum de Spiritu Dei legeris : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I, 7)? Quia ubi Domini Spiritus, ibi Dominus Deus. *Cœlum et terram ego compleo, dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII, 24). Ubi igitur deficit qui implet omnia? Aut quomodo de plenitudine ejus nos omnes accepimus, nisi omnibus appropinquet?

37. Denique David sciens illum ubique esse, et implere cœlum, et terram, et maria, ait : *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es : si descendero in infernum, ades : D si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitem in novissimo maris; etenim ibi manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 7-10). Quam

[a] Sic omnes mss. Edit. autem, *usus est populus Judæorum quotidie in sermonibus suis, a mane usque ad vesperam judicium Dei operiendo. Quod videns cognatus ejus esse intolerabile, consilium dedit negotii consummandi, partito cum aliis onere, qui ad hoc munus electi sunt.* Merum glossema.

[b] *Beatitudines*, seu *benedictiones* vocat Ambrosius priorem imprimis partem sermonis illius quem Christus ad discipulos suos in monte habuit; immo et aliquando totam illam divinissimam concionem, ut ex ejus in Lucam præfat. observare est. Illas autem beatitudines iis etiam diebus quibus Christiani sæcularibus vacabant negotiis, in prima Ecclesiæ synaxi recantari consuevisse, ut inde stimularentur ad exercenda misericordiæ opera, ex hoc loco non male conjicere nobis videmur. Et forte peculiaris ea fuerit Ecclesiæ Mediol. consuetudo; in aliis siquidem bene multis hanc matutinam Christianorum congregationem legimus : sed an ibi Evangelicæ beatitudines tam sæpe recitarentur, nullum uspiam deprehendimus vestigium. Cæterum quod addit Ambrosius *ut te sermo Christi benedicat*, eo sensu dicitur, quo in Luc. VI de Christo eum sermonem incipiente : *Et benedictionem de thesauro divinitatis prompturus*, etc.

Digitized by Google

cito significavit ubique Deum esse, [a] et ubi est Deus, A ibi spiritum ejus esse præsentem, et ubicumque est Dei spiritus, ibi Deum esse. Quo loco individuæ copula Trinitatis expressa est. Siquidem hæc per os Prophetæ locutus est Dei Filius, in persona hominis locutus, qui per incarnationem descendit in terras, per resurrectionem ascendit in cœlum, per corporis mortem penetravit infernum, ut solveret alligatos. Aut si ad Prophetam referas, advertis expressum quod ubique manus et dextera Dei Christus assistat, ubi Pater Deus, et sanctus Dei Spiritus.

38. An cum de sole dubitare nequeamus, quod procedente die toto orbe radios diffundat suos, et omnibus lumen infundat, quem etiam illi qui videre non possunt, sentiunt tamen aeris ipsius fotu esse præsentem? Ubi enim deest calor illius? Quo radii B ejus non perveniunt, cum discussis noctis aut nubium tenebris, illuminat terras? In cœlo fulget, in mari rutilat, fervet in terris. De sole ergo non dubitas, quod ubique resplendeat: de Deo dubitas, quod ubique fulgeat splendor gloriæ ejus, et imago substantiæ? Quid non penetret **1220** Verbum Dei, splendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest iste sol penetrare; Verbum enim Dei gladius spiritalis est, usque ad divisiones animæ, atque artuum, medullarumque perveniens. De quo dicit Simeon justus ad Mariam: *Et tuum ipsius animam pertransibit gladius; ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc.* II, 35).

39. Penetrat ergo animam, et quasi candor æternæ lucis illustrat. Sed quamvis diffuse per omnes, C et in omnes, et supra omnes potestates sit; quia omnibus ortus ex Virgine est, et bonis et malis (sicut et solem suum oriri jubet super bonos et malos) illum tamen fovet qui appropinquat sibi. Sicut enim a se fulgorem solis excludit, qui fenestras domus suæ clauserit, locumque tenebrosum in quo diversetur, elegerit; ita qui se averterit a sole justitiæ, non potest splendorem ejus adspicere: in tenebris ambulat, et in omnium luce ipse sibi causa est cæcitatis. Tuas igitur illi aperi fenestras; ut tota domus tua veri fulgore solis illuceat: aperi oculos tuos, ut videas orientem tibi solem justitiæ. Sed cave ne eos ulla stipulæ festuca perturbet. Si quid sordis in oculo fuerit mentis tuæ, non poteris intueri: si quid ægritudinis, plus gravabit; confusam D oculorum aciem lux ferit, majoremque dolorem excitat. Sit ergo simplex oculus tuus: ne incipiat totum corpus tuum esse tenebrosum, et vacillet in lumine, sicut sunt cæcorum vestigia.

40. Numquid si quis ostia domus suæ claudat, solis est culpa quod non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem; causari poterit quod sol justitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœlestis arguere? Pulsat januam tuam Dei Verbum. *Si quis.... mihi aperuerit*, inquit, *intrabo* (*Apoc.* III, 20). Si quis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis, et non magis non aperientis est culpa? Nihil quidem Deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini: sed portas malitiæ dedignatur aperire, conclavia non vult penetrare nequitiæ.

41. An vero cum animæ nostræ vigor putrem corporis refugiat portionem, quod ejus gratiam corrupti artus sentire non possint; Deus corruptæ animæ membra quædam dignatur habitare? Animæ tamen vigor per corpus omne diffunditur, sive manus, sive pes, sive digitus particeps sensus est: Dei potest alicubi deesse sapientia, alicubi ejus deesse majestas? Sane fugientes non retinet, non cogit invitos: sed neque fastidit appropinquantes: et illius quidem virtus, illius Verbum Deus omnibus prope est: *In ipso enim constant omnia, et ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Coloss.* I, 17 *et* 18), *in quo omnis inhabitat* [b] *plenitudo* (*Coloss.* II, 9). Sed plerosque ab eo peccata secernunt, de quibus dictum est: *Ecce qui elongant se a te, peribunt* (*Psal.* LXXII, 27). Unde sanctus Propheta ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Ibid.*, 28). Et Apostolus ostendens non esse longe Deum ab unoquoque nostrum: *In ipso*, inquit, *vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 27 *et* 28). Vitalem etenim omnibus gratiam subministrans, **1221** omnibus præsto est munere bonitatis suæ: sed proprior est illis qui contrito sunt corde.

42. Quod vetus quoque per ænigmata historia docet. Moyses in montis Sinai supercilio erat, et solus erat: populus in valle, in imo montis: presbyteri in parte montis supra merita plebis, sed plurimo intervallo a Moysi meritis separati (*Exod.* XIX, 20 *et seq.*). Non omnes in vertice, neque in imo omnes, sed populus: Moyses solus in vertice Sina montis, qui Latina interpretatione dicitur, *tentatio*. Et tu si supra tentationes ascenderis, et contrito corde detuleris precem, Deo proximus eris: si mundo corde fueris, et tu Deum videbis; *Beati enim mundo corde; quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

43. Qui ergo Deo proximus est, dicit: *Prope es, Domine, et omnia præcepta tua veritas.* Judæus hoc non potest dicere, qui non recipit Dominum Jesum; separavit enim se, nec in veritatem, sed in umbram credit. Quomodo dicit: *Præcepta tua veritas;* cum gratia et veritas per Jesum Christum facta sit, cum eum non agnoscat, qui veritate et plenitudine circumcisionis suæ totum mundum redemit?

44. (Vers. 152) Octavus versus est: *Initio cognovi de testimoniis tuis; quia in æternum fundasti ea.* De testimoniis, inquit, tuis ab initio cognitionem et fidem assumpsi, quod in æternum fundata sunt; tes-

[a] Omnes edit., *et ubi est Dei spiritus, ibi Deum esse, et ubi est Deus, ibi spiritum Dei esse præsentem.* Mss. aliquot non minus præpostere; sed alii plures ac potiores, ut in textu.

[b] Omnes edit., *plenitudo divinitatis.* Sed vox, *divinitatis*, ab omnibus mss. abest, nec magnopere videtur Ambrosiano sensui necessaria.



Digitized by Google

timonium enim fidele est, et præstat parvulis sapientiam. Si cognovissent Adam et Eva quod quasi parvulis data essent cautiora præcepta; ne usurparent sibi scientiam boni et mali, quam recto discrimine definire non possent, paradisi incolatum in perpetuum vindicare potuissent. Si considerent homines quia sanguis hominis ad Deum clamat, manus proprias a nece hominis abstinebunt. Si custodiant præcepta quæ dedit Dominus coram cœlo et terra [a] testibus, dicens : *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra* (*Esai.* I, 2) : scientes quia quidquid flagitii commiserint, adversus legem Domini fecisse, angelorum, et Potestatum, sanctorum quoque hominum testimoniis arguantur, supra hæc testimonia fundamentum sibi constituent, quia æterna sunt atque perpetua. Et nos ergo opus nostrum ædificemus supra fundamentum testimoniorum cœlestium ; ut non ardeat sicut lignum aut stipula : sed sicut aurum probetur; ut æterno maneat nixum fundamine.

## SERMO VIGESIMUS.

### ר. Resch.

1. Incipit littera vigesima *Res*, quæ Latina interpretatione *caput* dicitur, vel *primatus*. Caput est, ut formam generis humani consideremus, quod fovet membra omnia, et dirigit atque implet sensibus. *Sensus enim sapientis in capite ejus* (*Eccl.* II, 14). Inde ductus venarum, meatusque spiritus, sanguinis vires in totius partes corporis derivantur. Lustrat omnia, ornat omnia. Sublato capite, corpus sine nomine est, non agnoscitur, nec ulla superest usura vivendi. Propterea qui in aliquo **1222** damnantur crimine, eo quod ornamentum est totius corporis, [b] capite abdicantur : et quia turpi vel scelesto reatu belluinæ feditatis illuviem, vel bestialis immanitatis horrorem commississe detecti sunt, tamquam ii qui proposito humanæ moderationis exciderint, formam quoque humanæ conditionis jubentur exuere. Reciso enim capite, reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur, et sapientiæ arce fraudatur: quia sapientiæ non potuit tenere rationem. Sepelitur igitur sine decore suo corpus ; in capite etenim vigor vitæ, in capite est gratia venustatis.

2. Fertur coluber, cum urgetur periculo, caput semper abscondere, et in orbem se colligens, objecta reliqui parte corporis, hoc solum tueri ; [c] quod illisa feratur membra cætera, salvo capitis vigore, reparare. Hoc et tu moraliter caput serva, hoc servato et mystice. Mysticum caput Christus est ; quia *Omnia in ipso constant, et ipse est caput corporis Ec-* A *clesiæ* (*Coloss.* I, 17 *et* 18). Hoc caput qui amiserit, vivendi usum habere non poterit. Hoc solo distamus a bestiis, ad imaginem Dei et similitudinem virtutum vigore formati. Fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione secernit. Hoc caput, homini servato, serpentes; etiamsi omnia membra cædantur, totum uratur corpus incendiis, mergatur profundo, evisceretur a bestiis, hoc tamen capite custodito, vita integra, salus tuta est; nemo enim potest perire, cui non sublatus est Christus.

3. Est et caput summa studii atque operis nostri, summa negotii, summa spei, summa virtutum. Omnis autem summa est studii nostri; ut simus humiles, veritatem sequamur, *quam non videt extollens se, frustra inflatus mente carnis suæ, et non tenens* B *caput* (*Coloss.* II, 18 *et* 19). Quod sit hoc caput evidenter expressit dicens : *Ex quo omne corpus per compaginationes et colligationes subministratum et copulatum crescit in incrementum Dei* (*Ibid.*, 19). Et in Esaiæ libro dicit Dominus per Prophetam : *Auferam a Judæa caput et caudam, initium et finem* (*Esai.* IX, 14). Hoc caput Judæa quod tenebat amisit, quæ Jesum Dominum non recepit. Ubi fides est, et initium, et finem habemus. Ubi perfidia, nec initium, nec finis est. Ecclesia principium habet, quæ Christum habet; Christus enim Ecclesiæ principium est, primogenitus ex mortuis. Habet et finem; quia ipse est primus et novissimus. Ipse est finis Legis ad justitiam omni credenti. Synagoga nec initium nec finem habet; quia nec in principio invenit quod C sequatur, nec in fine quod speret. Inflatus ergo caput non tenet, hoc est, illam Christi humilitatem qua descendit usque ad crucem, descendit usque ad inferos. Ideo Judæus non credidit; quia contempsit dicentem : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Hæc humilitas virtutum omnium caput est, quæ totum velut quoddam nostrorum actuum fovet corpus.

4. Quamvis infirmus aliquis sit, pauper, ignobilis, tamen si non se extollat et præferat, ipsa se humilitate commendat. Sit aliquis prædives et **1223** nobilis, idem si nobilitatem generis et divitias suas jactet, insolentia sui vilis est. Sit aliquis facundus et fortis, qui tumore facundiæ ac virtutis elatus plurimum sibi arroget : nonne ei propter verecundiam, D et insipiens plerumque et invalidus antefertur? Denique Pharisæus in Evangelio [d] cum abstemius et parcus esset alieni, liberalis sui, non refugus jejunii, ut ipse dicebat; tamen propter jactantiam, etiam illa quæ habere poterat, amisit (*Luc.* XVIII,

[a] Rom. edit. sola, *testibus* (*unde dixit Propheta : Audi, cœlum... terra.*) Verum non satis apparet cui bono ea mutatio inducta sit; cum Deum in Propheta locutum quivis intelligat.

[b] Alia quidem erant præter capitis pœnam extrema supplicia, ut venarum sectio, venenum, bestiæ, laqueus : verum omissis reliquis, hic illam tantum Vir sanctus commemorat, vel quia in rem suam magis faciebat, vel forte quia id temporis aliis erat frequentior, vel tandem quia non solum mortis, sed et exsilii ac servitutis pœna, capitalis nomine censebatur. Vide Brisson. de Verb. signif. lib. III, ad voces, *Capitalia crimina*.

[c] Mss. aliquot, ac vet. edit., *Quod illæsa feratur..... reparare*. Rom. sola, *quod læsa ferantur... reparari.* Alii mss. majori numero, et meliori nota, ut in textu. Confer autem hunc locum cum Enar. in Psal. XXXVII, num. 19.

[d] Era. et seq. edit., *cum abstinens*. Am. et mss., *cum abstemius*. Non male; sæpe enim *abstemius* idem

Digitized by Google

10 *et seq.*). Nihil ei tot genera virtutum uno vitio decolorata prodesse potuerunt. Publicanus qui nihil enumerare poterat quod posset probari; propter humilitatem tamen justificatus magis, quam ille Pharisæus, descendit e templo, secundum quod scriptum est in Propheta : *Quia humiles spiritu salvabit* (*Psal.* xxxiii, 19).

5. Hoc autem esse caput quod hæc littera exprimat, evidenter etiam in Hieremiæ Threnis docemur. Nam prælata hac littera ait Propheta : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus..., sub umbra ejus in gentibus vivemus* (*Thren.* iv, 20). Hoc ergo caput vere est, quod omnium caput est.

6. Diximus de capite, dicamus et de primatu, quod licet sermone distet ac littera ; sensu tamen in eamdem concurrit intelligentiam. Primatus enim legimus in veteri Testamento (*Gen.* xxv, 33), quos in primogenitis Esau fratri suo cessit ; et ideo vocatum est nomen ejus Edom, hoc est, terrenus et callidus. Isti sunt autem fratres, de quibus rogatus est Dominus ab Isaac patre eorum ; ut daret ei suæ posteritatis hæredes de Rebecca uxore sua, quæ per viginti annos nullum dederat generationis insigne. Exaudivit eum, et concepit Rebecca, et rogavit Dominum, [a] cum jactare se parvuli viderentur in utero ejus, et responsum accepit : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ab utero tuo separabuntur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Ibid.*, 23). Nonne apertum est mysterium, duos significari populos, hoc est, populum Judæorum seniorem, et Christianum populum juniorem, qui propter cocturam lentis primatus fratris accepit senioris? Quo indicio evidenter exprimitur quod populus senior ille terrenus propter intemperantiam gulæ, primatus quos habuit, amisit : populus autem Ecclesiæ per sobrietatem et continentiam, primatus quos ordine non habebat ætatis, et concessione fraterna, et pio furto paternæ benedictionis eripuit. Quid est igitur quod populus rapuit Christianus, nisi Dominum Jesum? A diebus enim Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud, sicut ipse Dominus declaravit (*Matth.* xi, 12). Bona fraus, quæ vitam furatur æternam. Sed quoniam satis dictum de litteræ hujus interpretationibus arbitramur, consideremus ea quæ huic litteræ Propheta subjecit.

7. (Vers. 153.) Primus itaque versus est : *Vide humilitatem meam, et erue me; quoniam legem tuam non sum oblitus.* Fortasse dicat aliquis : Gloriatur de se Propheta. Et si gloriatur, gloriatur in infirmitatibus suis, in quibus et Apostolus gloriatur, dicens : *Gloriabor in infirmitatibus meis* (II *Cor.* xii, 5). Alius in divitiis, 1224 alius in titulis nobilitatis ac pro- A sapiæ suæ, alius in administrationibus et honoribus gloriatur : justus in humilitate gloriatur; bona enim gloria, Christo esse subjectum. Ut scias autem quia jactare non se cupiat, sed Domini in se gratiam provocare, alibi idem Propheta ait : *Vide humilitatem meam et laborem meum.* Ergo quasi is qui humiliaverit cor suum, quasi is qui plurimum laboraverit, ibi sibi dimitti peccata desiderat, hic erui se precatur.

8. Constitue aliquem sacerdotem pro ministri salute sollicitum, quem probatum advertat Deo : aliquem patrem pro filio in ægritudine constituto gravi : aliquam feminam vel pro filio, vel pro viro mœstam, orationibus incubantem, fundentem uberes lacrymas noctibus ac diebus, humiliantem se ac B sternentem solo, multiplicantem jejunia, et quod his gravius est, mentis atque animi dolore confectam, morbi ac periculi dilatione torpentem dicere ad Dominum ; *Vide humilitatem meam, et erue me.*

9. Considera etiam quia spiritali quodam oleo cœlestium præceptorum ungit nos atque exercet quotidie Scriptura divina, et Dominus noster plurimos ad subeunda certamina gestiens provocare, diversa posuit præmia coronarum. Considera, inquam, Christi athletam innumeris contentionibus fatigatum, ac prope jam lassatis viribus resistentem, periculi mole turbatum ; cum videat sibi non solum adversus carnem et sanguinem, sed etiam adversus spiritales nequitias, quæ sunt in cœlestibus, esse luctamen, dicere : *Vide humilitatem meam, et erue* C *me; quoniam legem tuam non sum oblitus ;* non enim potuit oblivisci, qui secundum ejus præcepta certavit.

10. Contuere etiam aliquem in martyrio constitutum, frequentibus afflictum suppliciis, retrusum in tenebras, gravi fractum pondere catenarum, nervis crura distentum, evisceratum equuleo, exaratum ungulis, adustum candentibus laminis, perseverantis fidei virum, sed jam tædiantis animi quod diutius differatur sacræ mortis corona, dicentem : *Vide humilitatem meam, et erue me ; quoniam legem tuam non sum oblitus.* Non solum enim in studiis atque propositis, sed etiam in tentationibus humilitatem dici posse, testimoniis Scripturarum docemur. Siquidem lectum est : *Homines acceptabiles in fornace* D *humilitatis* (*Eccli.* ii, 5); ταπεινώσεως enim Græcus dixit, quod est, *humilitatis.* Hoc ideo posui quia plurimi habent Latini, *in fornace afflictionis.* Latinus discernit, Græcus non separat ; ταπείνωσις et humilitas virtutis dicitur, et humilitas afflictionis. Nihil impedit si Latinus separat ; non enim Græcus ex Latino transtulit, sed Latinus ex Græco.

11. Denique et Hæbræi quamdiu in Ægypto erant,

simpliciter sonat atque *abstinens*, ut patet ex illo Horatii :

> Si forte in medio positorum abstemius herbis
> Vivis et urtica.

Unde nobis valde suspecta est illa Varronis originatio, qua dicitur *abstemius*, fieri ab *abstinentia temeti*, id est, vini ; præsertim cum inveniatur apud probatos auctores, *vini abstemius*.

[a] Era. et seq. edit., *cum luctari inter se*. Am. et pauci mss., *cum luctari se*. Alii magno numero, *cum jactare se*.

in fornace erant ferrea, hoc est, in fornace tentationis, in fornace afflictionis, cum duris affligerentur imperiis. Unde et scriptum est : *Quia eduxit eos Deus de fornace ferrea, ex Ægypto.* (*Jerem.* XI, 4). Fornax erat ferrea ; quia nullius adhuc in Ægypto opera virtutum plena lucebant, nullius aurum illic **1225** fuerat comprobatum, nullius plumbum iniquitatis exustum. Dura fornax, fornax mortis perpetuæ : quam fornacem nullus poterat evadere quæ omnes consumeret, in qua solus dolor esset et luctus. At vero fornax in qua Ananias, Azarias, Misael hymnum Domino canebant (*Dan.* III, 51) ; fornax aurea illa, non ferrea : per quam toto orbe sapientia fide devotionis illuxit. Erat quidem etiam hæc fornax in Babylonia, ubi aurum non erat spiritale, nisi forte captivum ; *Captivam enim Dominus duxit captivitatem* (*Ephes.* IV, 8). Hoc erat aurum in Dei sanctis, qui captivi erant apud Babylonios corpore : spiritu autem liberi apud Deum, soluti vinculis captivitatis humanæ, jugo gratiæ spiritalis innexi. Et fortasse eadem fornax ferrea fragilibus est, aurea perseverantibus.

12. Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradisum redire desiderant ; non enim otiose scriptum est, quod ejectis Adam et Eva de paradisi sede, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem (*Gen.* III, 24). Omnes oportet transire per flammas, sive ille Joannes Evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum : *Sic eum volo manere.... quid ad te ? Tu me sequere* (*Joan.* XXI, 22). De morte ejus aliqui dubitaverunt, de transitu per ignem dubitare non possumus ; quia in paradiso est, nec separatur a Christo. Sive ille sit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulavit, oportet ut dicat : *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (*Psal.* LXV, 12). Sed Joanni cito versabitur igneus gladius ; quia non invenitur in eo iniquitas quem dilexit æquitas. Si quid in eo vitii humani fuit, charitas divina decoxit ; *Alæ enim ejus sicut alæ ignis* (*Cant.* VIII, 6).

13. Qui habuerit hic charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit. Ipsi Petro qui toties mortem suam pro Christo obtulit, dicet : *Transi, recumbe* (*Luc.* XVII, 7). Sed ille dicet : Igne nos examinavit, sicut igne examinatur argentum ; etenim in quo aqua multa excludere non potuit charitatem, quomodo eum ignis excludet ? Sed ille examinabitur ut argentum, ego examinabor ut plumbum : donec plumbum tabescat, ardebo. Si nihil argenti in me inventum fuerit, heu me ! in ultima inferni detrudar, aut ut stipula totus exurar. Si quid inventum in me fuerit auri vel argenti, non per meos actus, sed per misericordiam et gratiam Christi, per ministerium sacerdotii, dicam fortasse ego : *Etenim qui sperant in te, non confundentur* (*Psal.* XXIV, 3).

14. Illo igitur igneo gladio iniquitas exuretur, quæ sedet super talentum plumbeum. Ideo unus ignem illum sentire non potuit, qui est justitia Dei Christus, quia peccatum non fecit ; nihil enim ignis A in eo quod exurere posset, invenit. Denique soli elevatæ sunt portæ æternales, ut introiret rex gloriæ, non reus causæ. Et hic quidem mortem caro illius gustavit ; neque enim aliter posset resurgere. Quod legi, præsumo : quod non legi, veneratus scientibus derelinquo : unum confitens, quia quidquid caro illa subiit, ideo subiit, ut viam cæteris vel triumphandi per martyrii passionem, vel transeundi in paradisum suis vestigiis informaret. Nemo ergo sibi arroget, nemo de meritis, nemo de potestate se jactet : sed omnes **1226** speremus per Dominum Jesum misericordiam invenire ; quoniam omnes ante tribunal ejus stabimus. De illo veniam, de illo indulgentiam postulabo ; quæ enim spes alia peccatoribus ?

15. Et qui se hic aurum putat, habet plumbum : B et qui putat se granum tritici, habet stipulam quæ possit exuri. Sed hic sibi multi aurum videntur. Non illis invideo : sed tamen aurum examinabitur, uretur ut possit probari. Sic enim scriptum est : *Sicut aurum in conflatorio probabo illos* (*Zach.* XIII, 9). Ergo advertant, quia examinabuntur omnes. Multi ergo qui se aurum putant, et ipsi humilitatem sequantur ; ut vitia sua decoquant. Sed hic inanis jactantia est ; ideo multis qui se massas putant auri, dicit sapientior auri massa : Omnes nos fornax probabit. Ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus ; ut judicio probari mereamur divino. Teneamus hic positi humilitatem ; ut cum unusquisque nostrum venerit ad judicium Dei, ad illos ignes quos transituri sumus, dicat : *Vide humilitatem meam, et erue me* ; C nam si superbus fuerit, si arrogans, si contumax, non poterit hoc dicere. Nemo autem dicet : Vide superbiam meam : sed *vide humilitatem meam* ; ut ejus gratia erui ab illo igne mereatur.

16. Est ergo humilitas laboris et fatigationis : est et humilitas virtutis atque propositi, quam in secundis et prosperis, et in otio positus tenet justus. Nullo licet fractus labore, nullius certaminis dubius eventu, humilem omnibus affectum exhibet, nec sua extollere studet : sed magis minuere operis sui pretium, et meriti sui gratiam. Audi justum humiliantem se : *Ego sum*, inquit, *minimus apostolorum* (*I Cor.* XV, 9). Ille vas electionis divinæ, ille gentium doctor minimum esse se dicit, indignum ejus officii nomine, quod suis operibus præferebat ; nihilque sibi arrogat, D sed totum gratiæ Dei deputat. Hoc utique decet justum.

17. Hac humilitate Abraham pater fidei nuncupatus est, qui cum divino participaretur alloquio, terram se esse dicebat, et limum (*Gen.* XVIII, 27). Ipse quoque Dominus ait : *Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 7), cum de sui corporis passione loqueretur : qui non quæ sua sunt quæsivit, sed quæ aliorum. Cujus nos imitatores vult fieri Apostolus, atque hortatur dicens : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philip.* II, 5-7).

Digitized by Google

Nec nos igitur nobilitatem generis, nec divitias requiramus, si volumus Christum sequi. Exinanivit se, cum esset in Dei forma; cum dives esset, pauper factus est. Noli et tu contemnere plebeium, quia nobilis es; noli despicere servum, quia potens es; noli pauperem fastidire, quia dives es. Numquid nobilior, numquid potentior, numquid ditior Christo es? Ille pro te suscepit illa, quæ tu despicis. Ille pro te humiliavit se usque ad mortem, et mortem crucis; ut tuæ lapsum aboleret superbiæ; ut quod per unius Adæ inobedientiam perdideramus, per unius Domini Jesu obedientiam reciperemus: *Propter quod Deus*, inquit, *illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur ..... quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 9-11).

**1227** 18. Considera, o homo, quid legas. Non laboravit Apostolus potentiam Christi probare: sed B obedientiam prædicare; sed demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus ejus profectus. Si simplicibus accipias auribus, et Christum exaltavit. Sed Christus non quæ sua, sed quæ tua erant, illa humilitate quærebat. [a] Accipe ergo argutis auribus: moraliter, tibi profuit; mystice, tuam redemit salutem. Quomodo vis intellige: salus est tua. Si putas quod Christo profuit humilitas sua; cui ergo non proderit? Si illum exaltavit; quem non augebit? Factus est minister omnium Dominus, et auctor omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus est, mortuus est. Sed in his omnibus detrimentum nullum video divinitatis ejus, profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit quod ad C cultum suæ majestatis adjungeret. Audeo dicere: operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidem redemit, sed etiam sibi acquisivit. Nihil ergo humilitas affert dispendii. Ille qui se exinanivit, plenus est. Ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, formam servi accipiens, in gloria est Dei Patris. Suscepi quem nesciebam, agnovi quem non cognoscebam, confiteor quem negabam. Ipsi genu corporis flecto, ipsi genu mentis inflecto, ipsum adoro, quem ante fugiebam.

19. Gratias tibi agimus, Domine Jesu, quod creasti nos, sed creatos feris, bestiis, mutis animantibus præfecisti. Majora sunt visitationis tuæ munera. Visitatos majestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23); D susceplo enim corpore frater es factus, nec Dominus esse desisti. [b] Major redemptionis gratia: periclitantes morte propria redemisti, sicut scriptum est: A *Expedit unum hominem mori pro populo* (*Joan.* XVIII, 14). Suscitasti mortuos, dicens: *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19); in illo enim templo Dominici corporis omnibus jus resurrectionis adcrevit. Resurgentes adæquasti angelis, sicut dixisti: *Quoniam quæ non nubunt, et ii qui non ducunt uxores, erunt sicut angeli in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). Postremo ad dexteram Dei in illo Filii hominis solio collocasti, sicut ipse dignatus es dicere: *Ex hoc autem erit Filius hominis sedens ad dexteram virtutis Dei* (*Luc.* XXII, 69).

20. Unde Apostolus admirans divinæ dona pietatis, simul ostendens unam Patris et Filii esse liberalitatem, ait: *Deus autem qui dives est in misericordia, propter multam charitatem qua dilexit nos* (*Ephes.* II, 4). Audis in quo debeas, homo, dives esse, quas habere [c] virtutes, amare in Deo, in te probare: inire beneficia misericordiæ charitatisque cœlestis. Et addidit: *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati: et simul suscitavit, simul fecit sedere in cœlestibus, in Christo Jesu* (*Ibid.*, 5 *et* 6). In Christo utique honoratur et caro. Ille igitur qui ad dexteram Dei sedet, propter nos **1228** humiliatus est. Ideoque dicit nobis: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Non dixit: Discite a me, quia potens sum, sed quia humilis corde; ut tu illum imiteris, ut tu ei dicas: Domine, audivi vocem tuam, implevi præceptum tuum. Dixisti ut a te disceremus humilitatem: didicimus non solum sermone tuo, sed etiam actu tuo, feci quod imperasti: *Vide humilitatem meam*.

21. Athleta bonus membra sua monstrat; ut conversationis suæ approbet disciplinam. Monstrat etiam tunc membra sua, quando post aliqua certamina graviora, iterum certare compellitur; ut judex videns fessum corpus, nequaquam eum certare compellat. Et tu ostende cordis tui humilitatem; ut titulos virtutis ostendas. Ostende et corporis tui certamina; ut dicas: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi* (II *Tim.* IV, 7): et videns spiritalis judex [d] certaminis, coronam justitiæ decernat; quoniam legem agonis implesti.

22. (Vers. 154.) Sequitur versus secundus: *Judica judicium meum, et libera me: propter verbum tuum vivifica me.* Festinant innoxii ad judicium, et propriæ innocentiæ arbitris desiderant citius comprobari. Habet hoc usus etiam in sæculo, quod est commune cum sanctis. Verum is qui apud Deum justus est, habet aliam causam judicii non timendi; quia apud

[a] Voci *Accipe*, præmittebant superiores edit. *Ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Sed ea in mss. omnibus desiderantur. Et sane de verbis Pauli adhuc agitur.

[b] Vet. edit., *Majorem redemptionis gratiam præstitisti; quia periclitantes*. Rom. edit. et mss. inter se congruunt, nisi quod illa habet, *quia periclitantes*: horum autem aliqui, *Majori redemptionis gratia periclitantes*. Nec ipsi male.

[c] Edit. ant., *virtutes. Amorem Dei te probato imitari, beneficia misericordiæ charitatisque cœlestis*. Rom. *virtutes. Amorem Dei te habere probato, imitare cœlestis charitatis dulcedinem*. Mss. autem ut in textu, nisi quod plures præferunt, *imitari*; satius tamen est legere cum aliis, *imitare*, ut sit quasi conclusio verborum superiorum.

[d] Post vocem, *certaminis*, edit. subnectunt, *agonem*: quæ vox deest in mss. omnibus, nec admodum necessaria est; cum participium, *videns*, referri possit ad illud antecedens: *Ostende et corporis tui certamina*.

Digitized by Google

misericordem judicem sibi causa est, apud redemptorem suum vult cito et sperat absolvi. Absolutio enim matura sanctorum est. Unde et Dominus ait per Ezechielem ad angelos qui ministri sunt ultionum : *A sanctis meis incipite* (*Ezech.* IX, 6). Non vult Dominus commune sanctis cum diaboli sociis consortium esse judicii; diabolus enim et ministri ejus cum hominibus non flagellabuntur. Separata est pœna, ubi distat et culpa. Ideoque alio loco Scriptura ait : *Tempus est incipere judicium a domo Dei* (I *Petr.* IV, 17). Quos miseratur enim, cito castigat; ut non diutius afficiantur futuri exspectatione judicii, non prolixius misera reatus sorte macerentur; ut unusquisque reddat etiam duplicia peccata sua, quo tandem possit absolvi. Pœna enim reorum quædam absolutio delictorum est.

23. Videmus in hoc sæculo insertos nexibus catenarum reos in specie pompæ miserabilis duci : et nonnumquam hoc patiuntur insontes; ut tolerabilius sit mori, quam talia subire supplicia. Optant utique audiri bene sibi conscii : optant etiam hi qui gravibus flagitiis urgentur, pœnam mortis celeritate transigere; ut aliquanta compendia pœnarum lucrentur. Spes est etiam de judiciis misericordia. Ipso exsilio claustra carceris duriora sunt, nec reditus in perpetuum omnibus intercluditur relegatis. Si hæc operatur humanum examen, quanto magis Christi est omnibus expetendum! Differtur diaboli judicium; ut sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenis, conscientiæ suæ in perpetuum sustineat ipse judicium. Ideo [a] dives ille in Evangelio (*Luc.* XII, 20), **1229** licet peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit evadere : diabolus autem nequaquam pervenisse ad judicium demonstratur, nequaquam adhuc pœnis esse subjectus; nisi quas ipse tantorum conscius scelerum solvit timore perpetuo, ne aliquando securus sit.

24. Immo ut verius dicam, sanctus ad judicium venit, impius non venit : *Quoniam non resurgunt impii in judicio* (*Psal.* I, 5). Hic petit ut absolvatur, alius ut coercitus dimittatur. [b] Qui autem non judicatur, non credidit, sed impietatis suæ judicio ipse punitur. Apud imperatores istos non puniuntur sceleris rei barbari, quod in sua gente commiserint; quia non sunt sibi subditi, sed graviore nomine hostes habentur, qui sine interrogatione privati sceleris puniuntur. Ita et Christus suos castigat quos diligit, alienos tamquam generali damnatione impietatis adstrictos pœnæ donat æternæ; *Novissima enim..... destruetur mors* (I *Cor.* XV, 26) : et tamen verecunde docet Propheta exemplo sui; ut etiam qui diffidit

A operibus suis, propter verbum tamen Dei clementiorem speret sententiam.

25. Alius propter divitias vivere cupit, alius propter filios : hic propter verbum Dei vivificari petit, sicut Simeon Domini exspectavit adventum. [c] vidit enim Dominum in templo, et ait : *Nunc dimittis servum tuum..... in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29 *et* 30) : asserens vivendi sibi cupiditatem aliam non fuisse, nisi ut Christum videret. Denique vidit, et vinculis solvi corporis postulavit.

26. Possumus etiam intelligere : *Judica judicium meum*, quasi gravior a nobis causa sit de judicio nostro, quam de errore dicenda. Erranti enim facilius datur venia, quam improbe in alium judicanti : Ne-

B cesse est enim eam formam in te redire judicii, quam in alium ipse decernendam putaveris.

27. (Vers. 155.) Sequitur versus tertius : *Longe est a peccatoribus salus; quoniam justitias tuas non exquisierunt.* Quorum serum est judicium, eorum salus longe est : sed ipsi sunt sui auctores periculi, qui Domino non appropinquarunt. Ideo facti sunt longe, quia voluntate sua a salutis se gratia separaverunt. Non refugit eos salus, sed ipsi salutem, qui se elongaverunt. Venit ad Judæos, sed ipsi salutem non receperunt. Quomodo non receperunt? Audi, Jesus salus est, Jesus filius hominis nuncupatus est: *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10) : sed Judæi dimitti sibi latronem postulaverunt, Jesum repudiaverunt (*Joan.*

C XVIII, 10).

28. Quis autem est qui se longe facit a Domino, nisi qui non exquirit justitias ejus? Qui vero justitias Dei exquirit, prope est, adhæret Deo. Et ideo justitias Dei quærentibus dicit Apostolus : *Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi* (*Ephes.* II, 13). Sanguis Christi justitia est. Denique ipse ait ad Joannem : *Sine.... nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III, 15).

29. (Vers. 156.) Sequitur versus quartus : *Miserationes tuæ multæ nimis, Domine : secundum judicium tuum vivifica me.* Etsi longe est a peccatoribus salus; tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini. Qui enim suo peccato pereunt, mi-

D sericordia Domini liberantur. *Miserebor*, inquit, *cui* **1230** *misertus ero* (*Exod.* XXXIII, 19). Palam apparuit non quærentibus, vocavit refugientes, [d] congregavit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni. Num ergo multum misericors? Misericordia enim hominis in proximum suum : misericordia Domini in omnem carnem; ut omnis caro ad Domi-

[a] Si quis contendat hic indicari divitem illum epulonem de quo Luc. VIII parabola instituitur, hoc dictum intelligat in sententia eorum, de quibus Enar. in Psal. I, ad num. 51, nonnihil observavimus. Quod vero negatur diabolus judicium adhuc subiisse, aut omnino in pœnis esse, hæc fuit omnium ant. Patrum opinio, quorum seriem texit Maldon. *de Angelis*, q. 7, *de Pœnis dæmonum*.

[b] Rom. edit., *Qui autem non credit, non judicatur*. Haud incommode, nisi ab aliarum et mss. consensu descisceret.

[c] Omnes edit., *Unde et Dominum accipiens in templo, ait: Nunc dimitte*, etc. Mss. vero ut in textu.

[d] Rom. edit., *congregavit ignotos*.

Digitized by Google

num ascenderet, illa Domini miseratione donata.

30. Sed cum dixerit multas esse Domini miserationes, quomodo secundum judicia ejus vivificari petit; maxime cum alibi ipse dicat : *Et non intres in judicium cum servo tuo* (*Psal.* CXLII, 2)? Sed aliud est illud judicium beneficiorum Christi, cui respondere non possumus (quis enim potest debitum referre naturæ, debitum salutis et gratiæ); aliud judicium, quo fragilitatis nostræ æstimatione censemur. In hoc ipso tamen judicium cum misericordia copulatum est; ut veritas judicii miseratione Domini temperetur.

31. Aut fortasse, quia dixerat : *Judica judicium meum* (*Sup. v.* 154); ideo subtexuit miserationes Domini nimium multas esse : grave est enim de altero judicare. Unde etiam scriptum est : *Nolite judicare, ut non judicemini* (*Luc.* VI, 37). Cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius judicare peccato? Judicet (3, *quæst.* 7, *cap. Judicet*) de alterius errore, qui non habet quod in se ipse condemnet : judicet ille, qui non agat eadem quæ in alio putaverit punienda; ne cum de alio judicat, in se ferat ipse sententiam : judicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. Audisti hodie quid judex verus et justus locutus sit : *Non possum*, inquit, *ego a me facere quidquam* (*Joan.* V, 30).

32. Nonnulli hæretici solebant hinc facere quæstiones, quasi infirmus esset Filius, qui a se nihil faceret; quasi secundum divinitatem quoque subditus, et paterno subjectus imperio : nec advertunt quod hoc quoque magis potestatis divinæ unitas comprobetur, ubi putant inter Patrem et Filium esse distantiam potestatis. Nihil a se facit Filius, quia per unitatem operationis nec Filius sine Patre facit, nec sine Filio Pater. Denique Pater dicit ad Filium : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26), communem asserens operationem esse, ubi commune consilium est. Quid sine Sapientia facit, qui omnia in Sapientia fecit, ut lectum est : *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24)? Denique Sapientia dixit, *Cum faceret cœlos, cum illo eram..... ego eram cui applaudebat* (*Prov.* VIII, 27 *et* 30). Et Evangelista ait : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3); ut doceret non solum operatorem omnium Filium, sed etiam paternæ operationis consortem esse.

33. Ego tamen arbitror, quod hic locus ad judicii formam videatur esse referendus; Evangelium etenim non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium, et speculum justæ conversationis. Invenio in Evangelio, quod Dominus Jesus multorum affectus, et officia susceperit; ut doceret quomodo nos in his conversari oporteret officiis. Suscepit personam pastoris, et ait : *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11). Ideoque pro rationabili grege se ipsum passioni corporis non negavit;

A ut ovem lassam crucis suæ **1221** humeris superponens, pii oneris functione recrearet.

34. Suscepit advocati personam : *Ipsum enim advocatum habemus apud Patrem* (I *Joan.* II, 1). Pernoctabat in oratione pro nobis (*Luc.* VI, 12) : ut nos suo informaret exemplo quemadmodum veniam nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctaret, quasi qui aliter Patrem nobis reconciliare non posset : sed ut qualis advocatus esse debeat, demonstraret : qualis Sacerdos, ut non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. An impetrandi egebat auxilio, qui facere ipse poterat quod rogabat, quemadmodum ipse dicebat : *Ego ad Patrem vado : et quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam* (*Joan.* XIV, 12 *et* 13)? Denique

B alibi ait, cum Lazarum resuscitaret : *Sciebam quod semper me audis* (*Joan.* XI, 42). Hic quasi infirmus pernoctabat, qui sciebat quod semper auditur, et clamavit : *Lazare, veni foras* (*Ibid.*, 44). Locuta est resurrectio, mors recessit.

35. Suscepit etiam affectum rei, et stetit ante judicem tamquam reus : nec dedignatus est Dominus omnium præsidis vilitatem. Interrogatus tacebat (*Joan.* XIX, 9), ostendens non in clamore vocis, nec in forensis assertione patrocinii, sed in conscientiæ integritate esse innocentiæ defensionem : nec salutem corporis ambiendam, sed animi puritatem. Denique qui Susannam absolvit tacentem, se obtulit morti. In illa causa ostendit ut nemo desperaret : in hac, ut redimendæ universitatis sacrificium non ne-

C garet. Cæsus postremo, non conviciatus est, non repercussit : Et Dominus cœli atque terrarum studium deposuit ultionis, vocem humilitatis emisit, dicens : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si bene, quid me cædis* (*Joan.* XVIII, 23)? Quasi infirmus, cædis deplorat injuriam : et cum se posset ulcisci, queri maluit quam vindicare.

36. Ergo et hic personam judicis, propositumque suscepit, dicens : *Non possum a me facere quidquam* (*Joan.* V, 30). Bonus enim judex (3, *quæst.* 7, *cap. Judicet*, § *Bonus*) nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, [a] scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati : nihil paratum et meditatum domo defert : sed sicut audit, ita judicat; et sicut se habet

D negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur : examinat causæ merita, non mutat.

37. Discite, judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit : *Non possum ego a me facere quidquam.* Alibi lego : *Negare semetipsum non potest* (II *Tim.* II, 13). Non potest utique, non per infirmitatem, sed per integritatem : non per impossibilitatem faciendi, sed per observantiam judicandi. Quid non potest qui omnia potest, [b] nisi quod posse nolit? Non vult posse quod damnet, non vult posse adversus fidem, non vult posse adversus veritatem. Audi

[a] Rom. edit., *statutis juris obtemperat.*

[b] Plerique mss., *nisi quod possit, nolit.* Non male.

Digitized by Google

postremo ipsum dicentem cur non possit a se facere quidquam: *Sicut audio*, inquit, *et judico* (*Joan.* v, 30), hoc est, non ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex **1232** judicandi religione, quod justum est: et ideo judicium meum verum est: quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Audite quid judex dicat cœlestis: *Non possum a me facere quidquam, sed sicut audio, et judico.*

38. Et Pilatus dicebat ad Dominum Jesum: *Potestatem habeo dimittendi te, et potestatem habeo crucifigendi te* (*Joan.* xix, 10). Usurpas, o homo, potestatem quam non habes; cum Deus neget se habere, qui habet super omnia potestatem! Audi quid justitia dicat: *Non possum a me facere quidquam* Audite quid judex æquitatis asserat: *Sicut audio, et judico.* Audite quid judex iniquitatis loquatur: *Potestatem* B *habeo dimittendi te, et potestatem habeo crucifigendi te.* Tua, Pilate, voce constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absolvisti latronem, auctorem vero vitæ interfecisti. Sed nec istam a te habuisti, quam habere te asseris, potestatem. Denique dicit tibi Dominus Jesus · *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi data tibi esset desuper* (*Ibid.*, 11). Mala potestas [a] licere quod non liceat. Potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere.

39. Audite quid verus judex loquatur: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* v, 30). Quasi homo loquitur: quasi judex docet: quoniam qui judicat, non voluntati suæ obtem- C perare debet, sed tenere quod legum est (3, *quæst.* 7, *cap. Judicet.* § *Qui*). Constitue judicem de hoc sæculo: numquid potest adversum imperialis formam [b] venire rescripti? Numquid potest normam augustæ definitionis excedere? Quanto magis divini formam debemus servare judicii! Christus dicit: *Non quæro voluntatem meam*, hoc est, hominis, quæ vel odio dirigitur, vel studio intenditur, vel gratia inflectitur, vel aliorum mendacio depravatur; *Omnis* enim *homo mendax* (*Psal.* cxv, 2). *Sed voluntatem*, inquit, *ejus qui me misit;* hoc est, divinæ cognitionis formam veni docere; ut in judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis (3, *quæst.* 7, *cap. Judicet*, § *In judicando*). Non ergo hic quoque infirmitas potentiæ, sed forma est expressa justitiæ.

40. Justum igitur est judicium Filii Dei; quia est D secundum voluntatem Dei, non secundum hominis affectum; Deus enim misericordiarum plenus est: et misericordia ejus cum judicio, et judicium cum misericordia; neque sine judicio miseretur, neque sine A misericordia judicat. Denique scriptum est: *Misericordia ejus in stateris* (*Esai.* xxviii, 17). *Filii* autem *hominum mendaces in stateris, ut decipiant* (*Psal.* lxi, 10). Examinat ergo et trutinat Deus merita singulorum, et quemadmodum pro mensura dat gratiam; ne supra mensuram sit: ita pro mensura dat misericordiam. Unde ait: *Mensuram bonam, confertam, commotam, supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura qua mensi fueritis, reddetur vobis* (*Luc.* vi, 38). Similiter in statera singulorum facta pensantur; ut si bona opera malis præponderent, remuneratio præmii deferatur: si peccata **1233** virtutibus, tristior reum pœna constringat: quod expressum habes ad Timotheum, dicente apostolo Paulo: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quosdam autem et subsequuntur* (I *Tim.* v, 24). Similiter et facta bona manifesta sunt, et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

41. Omnia ergo a Domino Deo nostro mensura quadam, et pondere fiunt. *Quis posuit. . . .* inquit, *rupes in statera* (*Esai.* xl, 13)? Et supra: *Quis mensus est manu aquas, et cœlum palmo* (*Ibid.*, 12)? Qui nostra examinat, sua utique examinata largitur, et salvo omnia decernit examine. Ponderat misericordiam, ponderat ultionem; in utroque certum pondus, habilisque mensura est. Unde et David ait: *Et potum dabis illis in lacrymis, in mensura* (*Ps.* lxxix, 6); ne sine moderatione mensuræ pœnæ cumulo gravarentur, et sustinere non possent. Et alibi idem ait propheta: *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto. Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita* (*Ps.* lxxiv, 9). Et Hieremias ait: *Calix aureus Babylon in manu Domini a quo inebriatæ sunt gentes* (*Jerem.* li, 7): hoc est, pœna a nationibus persoluta est; [c] ne diutius insultarent, quod Dei populum acerbissima populatione vexarent. Sensus igitur versus Davidici hic est: Parata et plena est pœna quæ debetur impiis, quam Dominus declinat in perfidos; sed tamen miseratione sua non usque ad fæcem dignatur effundere; ne plenitudinem supplicii ferre non possint. Inclinat ergo calicem, non evacuat. Quod inclinat, censuræ est; quod non evacuat, misericordiæ.

42. Ergo judicium quoque misericordia temperat Dominus Deus noster. Quis enim nostrum sine divina potest miseratione subsistere? Quid possumus dignum præmiis facere cœlestibus? Quis nostrum ita assurgit in hoc corpore; ut animum suum elevet, quo jugiter adhæreat Christo? Quo tandem hominum [d] meritum defertur; ut hæc corruptibilis

Alii tamen aliquot, et omnes edit. *nisi quod posse nolit:* quod quidem videtur confirmari ex verbis sequentibus, *Non vult posse*, etc.

[a] Mss. non pauci, ac vet. edit., *licere, quod nocet.* Alii tamen plures ac Rom. edit., ut in textu, excepto quod pro, *licere*, hæc reposuit, *posse.*

[b] Pauci mss., *venire decreti.* Reliqui ac omnes edit. *venire rescripti.* Melius; *rescriptum* enim imperialis constitutio erat, quæ variis nominibus solebat appellari. Hæc in vet. Glossario dicitur Βασιλέως ἀντίγραμμα, in jure, *sacri affatus*, et hic ab Ambrosio ipso, *augusta definitio.* Vide Cod. Theod. leg. i, tit. 2, et Godefr. Briss., etc.

[c] Mss. aliquot bonæ manus, *ne diutius exsultarent.*

[d] Edit. Era. et seq., *merito defertur;* ut nimirum congrueret cum superiore vocula, *Quo:* sed credibi-

Digitized by Google

caro induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem? Quibus laboribus, quibus injuriis possumus nostra eluere peccata? *Indignæ sunt passiones hujus temporis ad superventuram gloriam* (*Rom.* VIII, 18). Non ergo secundum merita nostra, sed secundum misericordiam Dei, cœlestium decretorum in homines forma procedit.

43. (Vers. 157.) Sequitur versus quintus: *Multi persequentes me, et tribulantes me: a testimoniis tuis non declinavi.* Non est magnum, si tunc a Dei testimoniis non declines; cum te nullus affligit, nullus persequitur. Quis enim [a] inoffense sibi prosperorum eventuum secundante successu, fieret ingratus? Quis divitiis affluens, jugi salute robustus, non ad Dei gratiam referat quod sibi illa concessa sint? Denique cum sanctum Job prædicaret Dominus, ait adversarius: *Numquid gratis colit Job Dominum? Nonne tu vallasti eum?* **1234** .... *Mitte manum tuam in omnia quæ habet, si non in faciem te benedicit* (*Job.* I, 9-11). Tunc igitur plus probatus est, quando amissis opibus et filiis, a Domini cultu et gratia non recessit. Sed non unus persecutor est; multos ministros habet; sed non te terreant: *Per multas* enim *tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Si multæ persecutiones, multæ probationes; ubi multæ coronæ, multa certamina; tibi ergo proficit, quod multi persecutores sunt; ut inter multas persecutiones facilius invenias quemadmodum coroneris.

44. [b] Utamur exemplo Sebastiani martyris, cujus hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est. Fortasse aut jam discesserat persecutor, aut adhuc non venerat in hæc partium, aut mitior erat. Advertit hic aut nullum esse, aut tepere certamen. Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutionis acerba fervebant; ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic, quo hospes advenit, domicilium immortalitatis perpetuæ collocavit. Si unus persecutor fuisset, coronatus hic martyr utique non fuisset.

45. Sed quod pejus, non hi solum persecutores sunt qui videntur, sed etiam qui non videntur; et multo plures persecutores! Sicut enim unus persecutor rex multis persecutionis præcepta mittebat, et per singulas vel civitates, vel provincias erant diversi persecutores; ita etiam diabolus multos ministros suos dirigit, qui non foris tantummodo, sed etiam intus faciant persecutiones in animis singulorum. De his dictum est persecutionibus: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12). Omnes dixit, nullum excepit. Quis enim exceptus potest esse cum ipse Dominus persecutionum tentamenta toleraverit? Persequitur avaritia, persequitur ambitio, persequitur luxuria, persequitur superbia, persequitur fornicatio. Unde et Apostolus ait: *Fugite fornicationem* (I *Cor.* VI, 18). Nam qua causa fugeres, nisi illa te persequeretur? Est enim malus spiritus fornicationis, est malus spiritus avaritiæ, malus spiritus superbiæ.

46. Isti sunt persecutores graves, qui sine gladii terrore mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quam terroribus animos expugnant fidelium. Hi tibi hostes cavendi, hi graviores tyranni, per quos Adam captus est. Multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. *Foris*, inquit, *pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5). Advertis quam grave certamen sit, quod est intra hominem; ut secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus prælietur. Ipse Apostolus fluctuat, hæret, astringitur, captivari se asserit in lege peccati et mortis corpore debellari, nec potuisse evadere, nisi esset Domini Jesu gratia liberatus (*Rom.* VII, 23-25).

47. Verum ut multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi. Tentatus **1235** es spiritu fornicationis; sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis et corporis castimoniam non putasti: martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, indefensæ viduæ jura temerares; et tamen contemplatione cœlestium præceptorum opem magis ferendam, quam inferendam injuriam judicasti: testis es Christi. Denique tales vult testes Christus assistere, secundum quod scriptum est: *Judicate pupillo, et justificate viduam: et venite, disputemus, dicit Dominus* (*Esai.* I, 17 *et* 18). Tentatus es spiritu superbiæ; sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti: testis es Christi; et quod est amplius, non sermonis tantummodo, sed etiam operis [c] testimonium perhibuisti. Quis enim locupletior testis est, quam qui confitetur Dominum Jesum in carne venisse, cum Evangelii præcepta custodit?

lius est hanc obire adverbii vices pro, *usquequo*, sive, *usque ad quem gradum*; quandoquidem Amerb. et mss. omnes nobiscum faciunt.

[a] Rom. edit., inoffense, *cum prosperorum eventuum secundant successus.*

[b] Vides eam diem qua habitus ab Ambrosio fuit hic sermo, in Ecclesia Mediolanensi Sebastiano martyri sacram exstitisse. De cujus quidem martyris patria etsi tam distincte pronuntiare videatur sanctus Præsul, ejus tamen verba in diversos sensus traxerunt historici. Namque a Baron ad an. 284, num. 12, dicitur: *Narbone oriundus, Mediolani vero educatus: vel ut sanctus Ambrosius* (hoc scilicet loco) *et alii tradunt, patre Narbonensi; matre Mediolanensi natus Mediolani.* Saussaius autem patre Gallo, matre Mediolanensi Narbone natum fuisse scribit. Cæteri partim huic, partim illi opinioni facile assentiuntur. Denique Acta ejusdem martyris a Bollando novissime sub Ambrosii nostri nomine ex veteribus mss. edita hæc secundum plures mss. habent: *Sebastianus Mediolanensium partibus educatus;* at secundum quosdam alios, *Mediolanensium partium civis*, quod quidem cum textu nostro optime congruit.

[c] Cunctæ edit. *testimonium perhibuisti; testis es Christi:* sed hæc ultima verba mss. omittunt; et supervacanea esse intelliget, quisquis locum paulo attentius expenderit.

Digitized by Google

Nam qui audit et non facit, negat Christum ; etsi verbo fateatur, operibus negat. Quam multis dicentibus : *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus* ( *Matth.* VII, 22 ) ? in illo die respondebit : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Ibid.*, 23) ! Ille ergo testis est, qui astipulantibus factis, Domini Jesu præcepta testatur.

48. Quanti ergo quotidie in occulto martyres Christi sunt, et Jesum Dominum confitentur ! Novit hoc martyrium Apostolus et testimonium Christi fidele, qui dixit : *Hæc est enim gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). Quanti foris confessi sunt, et intus negaverunt ! Namque uxoris ducendæ gratia, [a] quæ gentili viro a christianis parentibus negabatur, simulata ad tempus fide, plerique produntur quod foris confessi sunt, intus negasse. An fornicationis causa tantummodo putamus Dominum Deum nostrum in populum Judæorum tam severe esse commotum, ut [b] viginti tria millia de populo necarentur (*Num.* XXV, 9), propterea quod Madianitæ gentis feminis concubitu miscerentur : ac non eo quod per illos concubitus alienigenarum desciscere a fide, negare Dominum cogerentur ?

49. *Nolite*, inquit, *omni spiritui credere* ( *Joan.* IV, 11 ) ; sed a fructibus eorum cognoscite, quibus credere debeatis. Venit quis in Ecclesiam, dum honorem affectat sub imperatoribus Christianis, simulato metu orationem se fingit deferre : [c] inclinatur et solo sternitur, qui genu mentis non flexerit ; videt illum homo, Christianum putat ; videt homo orantem suppliciter, et credit ; sed Deus audit negantem. Discedit probatus ab homine, sed condemnatus a judice. Quanto tolerabilius fuerat homini negasse, et Deo esse confessum ! Licet hoc quoque reprehensibile ; perfecta enim confessio et animi quærit devotionem, et vocis professionem : *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10).

50. Ergo in persecutionibus interioribus esto fidelis et fortis ; ut et istis forensibus persecutionibus approberis. Et in intimis persecutionibus **1236** sunt reges, et præsides, [d] terribiles judices potestate. Dabis exemplum in Domini tentatione quam pertulit ; demonstrata sunt ei omnia regna, et dictum est ei : *Tibi dabo hæc omnia, si procidens adoraveris me* (*Matt.* IV, 9). Lectum et alibi : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12). Vides ante quos reges statuaris, o homo, ante quos præsides peccatorum, si culpa regnat ?

A Quot peccata, quot vitia, tot reges. Et ante h... adducimur, et ante hos stamus. Habent etiam ... reges tribunal in mentibus plurimorum ; sed ... quis Christum fateatur, statim regem illum ... esse captivum, dejicit de solio suæ mentis. Quom... enim poterit diaboli tribunal manere in eo cui Chri... tribunal assurgit ?

51. *Multi ergo persequentes, et tribulantes me.* ... fortasse Christus hoc dicit, et dicit in vocibus si... gulorum ; ipsum etenim adversarius persequitur i... nobis. Si declinas persequentem, Christum abj... qui se tentari patitur, ut vincat. Ubi illum vide... diabolus, ibi parat insidias, ibi tentationum m... chinas admovet, ibi dolos nectit ; ut illum, si p... sit, excludat. Ubi autem diabolus præliatur, ... B Christus assistit. Ubi diabolus obsidet, ibi Christ... includitur, ibi murorum spiritalium septa defend... Ergo qui persecutorem refugit, rejicit etiam defensorem. Sed cum audis : *Multi persequentes, et tribulantes me*, noli timere, qui potes dicere : *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 31) ? Verum hoc dicit ille, qui a testimoniis Domini nullo v... rum declinat anfractu.

52. ( Vers. 158. ) Sequitur versus sextus : *Vidi non servantes pactum, et tabescebam ; quoniam verba tua non custodierunt.* Beatus vir qui in charit... Dei tabescit ; quia videt non servantes pactum. Alius propter vitiosos amores tabescit, qui distillat dum est dilatus amore dilectæ : et dum protelatur fl... grantis cupiditatis effectus, animus deficit, vires C corporis quadam deformitate palloris, fessorumque artuum tabe minuuntur. Alius qui pecuniam concupiscit, donec potiatur ea, avaro miser tabescit af... fectu. Alius immodice capessendi honoris impatiens, si desideria longa suspiret, non mediocri mentis tabe conficitur. Non talis qui dicit : *Quam distabuit caro mea in terra deserta, in invia, et sine aqua* (*Ps.* LIII, 2 *et* 3) ! hic enim castigabat carnem suam, et tabescere faciebat, dum indefesso desiderio divinæ cogitationis intentus, et lucem diei sollicita exspectatione præveniens, antelucanum solvere Domino canticis et hymnis gestiebat obsequium.

53. Tabescit ergo vir pacificus, quando alios videt pacta rescindere, consensuum abolere concordiam, jurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia. D Quod utique non facit, qui Domini præcepta custodit : non facit qui audit dicentem : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Ergo qui pactum servat, is Christi obedit imperiis : qui autem non servat, ille Christi præcepta contem...

[a] Ambrosius cum antiquis PP. conjugia inter fidelem ac infidelem numquam non improbavit : an vero contracta ea dissolvi voluerint, lis est veteres inter ac recentiores Theologos. Id enim illi Gratianum, Magistrumque sententiarum secuti, obnixe affirmant, quod postea alii penitus negavere. Sed de his fusius ad epist. ad Vigilium.

[b] Quidam mss., *duo et viginti millia* ; cæteri ac vet. edit., *viginti et tria millia* ; Rom. sola, *quatuor et viginti millia.*

[c] Observa ex hoc loco moris fuisse apud veteres Christianos in Ecclesia inter orandum non solum caput inclinare, ac genua flectere ; verum etiam totum se in terram prosternere. Hic namque non de catechumenis et pœnitentibus, sed de fidelibus agi manifestum est.

[d] Omnes edit., *terribiles judicii potestate* ; omnes mss., *terribiles judices* ; nonnulli, *judicis potestate.* Consequenter autem ubi Amerb. et mss., *Dabis exemplum*, Era. et seq. edit. reposuerunt *Habes exemplum.*

Digitized by Google

nit; et quod pejus est, comperta fastidit, et negligit.

1237 54. (Vers. 159.) Sequitur versus septimus: *Vide quia præcepta tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me.* Hic quoque invitat Dominum, ut plenum charitatis suæ spectet affectum. Nemo dicit, *Vide*, nisi qui judicat se, si videatur, esse placiturum. Et pulchre dicit, *Vide*, et secundum Legem dicit; quia Lex præcepit, ut unusquisque ter in anno se offerat in conspectu Domini (*Exod.* XXIII, 17). Quotidie se sanctus offert, quotidie apparet, et non vacuus apparet: non est enim vacuus, qui de plenitudine ejus accepit. Non erat vacuus David, qui ait: *Repletum est gaudio os nostrum* (*Psal.* CXXV, 2); quia gaudium fructus est Spiritus sancti. Et sicut de plenitudine Verbi nos omnes accepimus, quemadmodum dixit Joannes (*Joan.* I, 16): ita etiam Spiritus sanctus de plenitudine sua replevit orbem terrarum. Non erat vacuus Zacharias, qui repletus est Spiritu sancto, et prophetabat adventum Domini Jesu (*Luc.* I, 67). Non erat Paulus vacuus, qui evangelizabat in abundantia: et repletus erat, accipiens odorem bonæ suavitatis ab Ephesiis, placentem Deo hostiam (*Ephes.* V, 2). Non erant Corinthii vacui, in quibus abundabat Dei gratia, juxta ejusdem Apostoli testimonium (I *Cor.* I, 7).

55. Offerebat se ergo David quotidie Deo, et non vacuus offerebat, qui poterat dicere: *Os meum aperui, et duxi spiritum* (*Sup.*, *v.* 131). Ideo ergo dicebat: *Vide quia præcepta tua dilexi.* Audi in quo te offerre debeas Christo. Non in his quæ videntur, sed in occultis, et in abscondito; ut pater tuus qui videt in abscondito, reddat tibi, et fidelem remuneret affectum. *Præcepta*, inquit, *tua dilexi.* Non dixit, servavi: non dixit, custodivi; nam imprudentes non custodierunt præcepta Domini. Aliqui enim [a] codices habent ἀσυνετοῦντας, hoc est, insipientes, non intelligentes. Ergo qui non intelligunt, non sapiunt; hi non custodiunt. Qui autem perfectus est intellectu, perfectus sapientia, diligit: quod est amplius quam custodire; custodire enim necessitatis plerumque est, et timoris: diligere charitatis. Custodit qui evangelizat: sed qui volens evangelizat, mercedem accipit; quanto magis qui diligit, mercede donatur! Possumus enim non amare quod volumus: non possumus nolle quod amamus. Sed quamvis mercedem perfectæ charitatis exspectet, et miserationis divinæ suffragium poscit, ut in ea vivificetur a Domino. Non ergo arrogans debitæ mercedis exactor, sed verecundus misericordiæ divinæ est deprecator.

56. (Vers. 160.) Sequitur versus octavus: *Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* Cum principium verborum Dei veritas sit, veritas utique fidei fundamentum est. Primum etenim oportet ut credamus vera esse Dei summi, quæ in divinis scripturis legimus, oracula. Secundum

A est, ut virtutem eorum pleniore cognitione discamus. Sicut enim *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 9): plenitudo autem sapientiæ dilectio; lex enim sapientia, plenitudo autem legis dilectio: ita plenitudo verborum Dei sapientia, cognitioque justitiæ. Nam sicut a timore Domini processus quidam est ad gratiam 1238 charitatis: ita a veritate ad judicium justitiæ divinæ quidam videtur fieri processus.

57. Venisti ad Ecclesiam: audisti unum Deum dici, unde Lex incipit, sicut habes scriptum: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4): crede unum Deum esse, non plures deos. Cum autem cœperis legere Dominum Jesum Dei Filium in carne venisse propter totius mundi redemptionem,
B distingue sapienter unum Deum Patrem esse, ex quo omnia, et nos in illum: et unum Dominum Jesum, per quem omnia, et nos per ipsum. Cognosce quia ideo venit, ut virtutis semitis noster informetur affectus, ut morum mansuetudinem conversationis ejus disceremus exemplo, ut aboleretur culpa per gratiam: et tunc a veritatis confessione ad cognitionem justitiæ processisti. Fides principium christiani est: plenitudo autem christiani justitia est. Fides in confessione populorum, justitia in martyrum passione.

58. Scientes igitur in æternum mansura judicia omnia justitiæ Dei, caveamus ne opera nostra displiceant, et æternum incipiamus subire judicium: nec si aliquid boni fecimus, resupino solvamur affectu.
C *Omnes oportet nos ante tribunal Christi assistere; ut recipiat unusquisque quod gessit, sive bonum, sive malum* (II *Cor.* V, 10). Vides quia et Paulus assistet, ut ipse commemorat. Cave ligna, cave stipulam; ne ad judicium Dei tecum deferas, quæ ignis exurat. Cave ne cum in uno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendat. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; potest tamen et ipse per ignem salvari* (I *Cor.* III, 15). Unde colligitur quia idem homo et salvatur ex parte, et condemnatur ex parte. Cognoscentes itaque multa esse judicia, opera nostra examinemus omnia. In viro justo grave est detrimentum, grave operis alicujus incendium: in impio pœna miserabilis. Sint magis omnia judicia plena gratiæ, plena florentium coro-
D narum; ne forte dum trutinantur facta nostra, culpa præponderet.

## SERMO VIGESIMUS PRIMUS.

### ש. *Schin.*

1. Incipit littera vigesima prima *Scin*, quæ latine dicitur, *Super vulnus.* Super vulnus quid est, nisi medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigatur? Super vulnus oleum infunditur; ut omnis vulneris emolliatur asperitas. Super vulnus malagma, super vulnus alligatura, quibus omne vulnus fovetur. Ubi ergo spes refundendæ est sanitatis, ibi adhibentur

[a] Omnes edit. LXX interp. εἶδον ἀσυνετοῦντας, καὶ ἐξετηκόμην, quibus accedit versio Arabica. Sed Vulg. lat. ex Hebræo, *vidi prævaricantes et tabescebam.*

Digitized by Google

medicamenta vulneribus. Ubi autem omne caput in A dolore, et omne cor in mœstitia, non est vulnus, neque cicatrix, non plaga cum fervore (*Esai.* I, 5 *et* 6) : hoc est, ubi non portio, sed universitas periclitatur, [a] et quædam corruptio totius corporis tabe consumitur : ibi non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturam. Multo igitur commodius, ut sit vulnus quod foveas atque constringas, quam sine vulnere mors serpat interior.

2. Sed est non solum corporis vulnus, sed etiam mentis, quod oleo quodam mollioris alloquii, et **1239** pacifici sermonis suavitate mitescit. Sunt fomenta verborum, sunt medicamenta cœlestium præceptorum, quibus omne nequitiæ virus aboletur. Sunt legis vincula quæ non adurant, sed magis liberent alligatos : est malagma spiritale, quo collisa B animæ quædam membra solidentur.

3. Consideremus igitur quid sit vulnus, quid supra vulnus. *Principes persecuti sunt me gratis*, vulnus est. *Exsulto ego in verbis tuis, sicut qui invenit spolia multa*, super vulnus est; quia verbis Dominicis vulneris dura curantur.

4. In Threnis quoque Hieremiæ habes sub hac littera scriptum : *Audisti opprobrium eorum, Domine, omnia consilia eorum adversum me, labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die, sessionem eorum, et resurrectionem eorum* (*Thren.* III, 61-63), vulnus est. Sed subjecit : *Aspice in oculos eorum : redde illis retributionem, Domine, secundum opera manuum ipsorum* (*Ibid.*, 64), super vulnus est; quia vindicta plerumque solet dolorem C vulneris mitigare. Et infra idem Hieremias ait: *Gaude et lætare, filia Idumææ*, [b] *quæ habitas in Geth : et quidem ad te pertransibit calix : bibes, et inebriaberis adhuc* (*Thren.* IV, 21), super vulnus est; calix enim Domini remissio peccatorum est, quo sanguis effunditur, qui totius mundi peccata redemit. Hic calix inebriavit gentes; ne proprii meminissent doloris, sed veterem obliviscerentur errorem. Bona igitur ebrietas spiritalis, quæ turbare nescit corporis incessum, [c] levare mentis novit vestigium. Bona ebrietas poculi salutaris, quæ mœstitiam peccatricis abolet conscientiæ, jucunditatem vitæ infundit æternæ. Ideo Scriptura dicit : *Et poculum tuum inebrians quam præclarum est* (*Psal.* XXII, 5) !

5. Medicamentum igitur super vulnus est; quia D Dominus Jesus ipse medicus, qui vulnera nostra curavit, infundens vinum et oleum, et alligans vulnera Adæ illius, qui descendens ab Hierusalem a latronibus vulneratus est. Caveat ergo unusquisque ne descendat ab Hierusalem ; peccatis enim se... unusquisque descendit, et meritis ascendit. ... quia fragiles sumus ; qui descendit, currat ad illum Samaritanum, custodem [d] operis sui, custodem Legis et gratiæ; ut vulneri suo possit invenire medicinam : qui alligaturam verborum cœlestium super vulnus imponat, dicens : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Bona alligatura, quæ fracta animæ tuæ ossa connectit, et soliditate reparata, in pristinas vires reformat, ac discissos artus sine ulla sibi cicatricis offensione restituat.

6. (Vers. 161.) De litteræ interpretatione satis ... captu nostro dictum putamus : adoriamur sanctos Prophetæ versus considerare, quos Spiritu sancto revelante subjecit : *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis trepidavit cor meum.* Si veterem repetamus historiam, et Saul, et Abessalon, et multi alienigenæ principes sanctum David persecuti sunt: sed nemo potuit de eo triumphare. Sunt et **1240** principes mundi, rectoresque tenebrarum, qui in tuo pectore conantur opprimere, et persecutionem sæva intus operantur, promittentes regna terrarum, honores atque divitias, si fragili mente succumbas, et obediendum eorum imperiis arbitreris. Isti principes interdum gratis persequuntur, interdum non gratis. Gratis eum persequuntur, apud quem nihil suum inveniunt, et eum subjugare contendunt : non gratis persequuntur eum, qui se eorum dederit potestati; et in possessionem sæculi totus intraverit; in suos enim sibi jure dominatum vindicant, atque ab iis mercedem iniquitatis efflagitant.

7. Bene hoc martyr dicit, quod injuste persecutionum tormenta sustineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, [e] nullius thorum putaverit esse violandum : qui nihil legibus debeat, et graviora latronum sustinere cogatur supplicia : qui loquatur justa, et non audiatur : qui loquatur plena salutis, et impugnetur, ut possit dicere: *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 7). Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur sine crimine : impugnatur ut noxius, cum sit in tali confessione laudabilis : impugnatur quasi veneficus, quia in nomine Domini gloriatur; cum pietas virtutum omnium fundamentum sit. Vere frustra impugnatur, qui apud impios

[a] Edit. Rom., *et quadam totius constitutio corporis tabe consumitur*. Haud male, nisi recederet ab omnibus aliis edit. et mss. quorum lectio, etsi minus usitata, potest tamen etiam defendi; cum *quædam corruptio totius corporis*, idem omnino sit, ac corpus quodammodo corruptum. Rursus ubi cuncti mss. ac vet. edit., *mors serpat interior;* eadem Rom., *morbus serpat interior*. Sed ea mutatione nihil opus est.

[b] Ita cuncti mss. atque edit vet. Rom. vero, *quæ habitas in terra Hus*. Et certe hic ei favet textus Hebræus, atque omnes versiones, excepta LXX interp. hi enim vocem *Hus*, non admittunt, sed locum exhibent in hæc verba, ἡ κατοικοῦσα ἐπὶ γῆς : ubi pro γῆς, quin Ambr. legerit γῆθ, non est dubium.

[c] Rom. edit. cum parte mss., *levare mentis non novit vestigium*. Melius aliæ cum reliquis mss. omittunt negationem.

[d] Omnes edit., *corporis sui*. Omnes mss. *operis sui*, duobus exceptis, in quibus utrumque prætermissum est.

[e] Mss. bene multi, *nullum justorum*. Sed ea varietas inde profecta est, quod in quibusdam mss. vox *nullius*, ita dividebatur, ut posteriores litteræ voci sequenti adhærerent; unde in nonnullis etiamnum legimus, *nulli justorum:* quod cum aperte vitiosum sit, alii proprio marte reposuerunt, *nullum justorum*.

Digitized by Google

t infidos impietatis arcessitur, cum fidei sit magister. A

8. Verum is qui gratis impugnatur, fortis debet esse et constans. Quomodo ergo subtexuit: *Et a verbis tuis trepidavit cor meum?* Trepidare infirmitatis est, timoris atque formidinis, sed est etiam infirmitas ad salutem: est etiam timor sanctorum. *Timete Dominum sancti ejus* (*Psal.* XXXIII, 10); et: *Beatus vir qui timet Dominum* (*Psal.* CXI, 1). Qua ratione *Beatus?* Quia *in mandatis ejus cupiet nimis.* Pone ergo martyrem inter pericula constitutum; cum inde immanitas bestiarum ad incutiendum terrorem infremat: aliunde stridor candentium laminarum, et flamma fornacis ardentis exæstuet: ex parte alia personent tractus gravium catenarum; hinc carnifex cruentus assistat: pone, inquam, circumspectantem omnia plena supplicii, deinde cogitantem mandata B divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam; trepidare corde, ne dum præsentibus cedit, perpetuis se dedat exitiis; perturbari animo, dum futuri judicii rhomphæam illam terribilem [a] quadam conspectus sui acie contuetur. Nonne hanc trepidationem fiduciæ viri constantis æquabis? In eumdem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, et divina trepidantis. Sit tamen fortior ille qui sperat: sit fortior qui præsumit.

9. Utinam ergo talis esse merear; ut si forte persecutor ingruerit, non considerem suppliciorum meorum acerbitates; non metiar tormenta, non pœnas; non cogitem ullius atrocitatem doloris; **1241** sed hæc omnia levia ducam: trepidem au- C tem; ne Christus me neget, ne Christus excludat, ne me repellat de concilio sacerdotum, si indignum eo collegio judicaverit; videat magis licet permotum corporalium terrore pœnarum, plus tamen trepidantem futura judicia. Et si dixerit mihi: *Modicæ fidei, quare dubitasti* (*Matth.* XIV, 31)? porriget tamen dexteram, et insurgentis hujus sæculi fluctus mole turbatum fida mentis statione firmabit.

10. (Vers. 162.) Sequitur versus secundus: *Exsulto ego in verbis tuis, sicut qui invenit spolia multa.* Bona igitur trepidatio a verbis Dei, si exsultationem generat; qui enim trepidat a verbis Dei, postea exsultat in verbis Dei. Ergo qui habet in aula sua, corde videlicet suo, verba Dei, excludit sermones principum a corde suo; excludit timor timorem. Si D enim ingressus quis balneas, solis deponit æstus, et calor excludit calorem; quanto magis divini judicii terror hunc terrorem excludit humanum; fervorem gratiæ sæcularis, gratiæ fervor æternæ!

11. Exsultat ergo qui habet verbum Dei; habet enim spolia multa, quæ Judæis abstulit; habet prostrati hostis exuvias (I *Reg.* XVII, 51). Sicut David abstulit Goliæ gladium, et ipsius gladio caput ejus exsecuit; sic verus David humilis atque mansuetus Dominus Jesus, intelligibilis Goliæ caput armis ipsius amputavit. Arma enim diaboli gentes erant; fide autem gentium vulneratus caput quod habebat, amisit. Detracta sunt spolia prostrato, vasa ejus direpta; quia alligatus est fortis. Vas diaboli caro erat hominis peccatoris; sed posteaquam in Christum credidimus, caro nostra cœpit esse vas electionis; ut habes de apostolo Paulo, qui ad gentes missus est, dictum a Domino Jesu ad Ananiam: *Vade, quoniam vas electionis mihi est* (*Act.* IX, 15). Merito ergo vocatum nomen est Christi: *Velociter spolia detrahe,* [b] *divide cito; quia priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ contra regem Assyriorum* (*Esai.* VIII, 3 *et* 4). Ergo rex Assyriorum, eorum scilicet quos vanos sua perfidia fecerat, amisit spolia quæ tenebat. Et ut iterum cognoscas, quia spolia Christus a diabolo, quæ in Adam ille invaserat, vindicavit; [c] et Sabaim viri excelsi ad Dominum Jesum alligati vinculis transierunt, atque ipsum adorare cœperunt, quia captivam duxit captivitatem. Ideo caput ejus abstulit; ut ipse caput esset corporis interempti. Merito nunc gentes toto orbe caput regale circumferunt; quia membra sunt Christi.

12. Cognovisti de nationibus: cognosce etiam de Judæis, quibus Dominus Jesus abstulit spolia; hoc est, regnum cœlorum abstulit, et dedit genti facienti fructum ejus. Abstulit virtutem panis, et virtutem aquæ, prophetam, et admirabilem consiliarium, et prudentem architectum, et sapientem auditorem (*Esai.* I *et seq.*). Illis abstulit, nobis dedit. Merito *exsulto... sicut qui invenit spolia multa.* Sine labore meo inveni spolia quæ non habebam. Inveni [d] Heptateuchum, inveni Regnorum libros, inveni prophetarum scripta, inveni Esdram, inveni **1242** Psalmos, inveni Proverbia, inveni Ecclesiasten, inveni Cantica canticorum, inveni admirabilem consiliarium Christum, inveni Paulum prudentem architectum: inveni sapientem auditorem populum Christianum, qui novit ea quæ leguntur, audire; ille enim audit qui ea quæ audit, intelligit. Lex spiritalis est. Non illam audit Judæus, qui audit corporaliter; sed ille audit, qui audit in spiritu. Habent illi libros, sed sensum librorum non habent. Habent prophetas, sed non habent quem illi prophetaverunt. Quomodo

[a] Sic mss. complures, alii autem, et omnes edit. *quadam conspectus specie contuentur.* Utrumque non male. Quod vero eædem edit. consequenter legunt: *Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri constantis, æqualis in eumdem concurrit effectum*, etc. Hinc sane aut nullus, aut multum confusus sensus erui poterat; quapropter locum ex mss. restituimus.

[b] Nonnulli mss. cum textu Hebr. et plerisque versionibus, *cito prædare.* Sed alii magno numero, et cunctæ edit. *divide cito:* quibuscum faciunt LXX, apud quos legas, ὀξέως προνόμευσον.

[c] Omnes edit., *et Saba dona adduxit: viri excelsi,* etc. Sed verisimile est verba quæ in mss. desunt, addita fuisse, ut allusio fieret ad psal LXXI, 10, cum forte ad Esai. XLV, 14, tantum alluderetur.

[d] Per *Heptateuchum* intellige priores VII vet. Testam. libros; ita tamen ut *Judices* ac *Ruth* unico libro comprehendantur. Etenim hunc illi tamquam partem aut appendicem ab Hebræis adjungi solitum docet Joseph. lib. II *contra Appionem*, Origenes *Philoc.*, cap. 3, et alii post ipsos.

Digitized by Google

enim habent, quem non receperunt? Ideo cum A Moyse et Elia mihi apparuit; quia ab illis recessit. Multa habet spolia, qui habet Dei Verbum. Habet resurrectionem, habet justitiam, virtutem atque sapientiam, habet omnia; quia in ipso constant omnia. Hebræi spoliaverunt Ægyptios, et vasa eorum abstulerunt (*Exod.* XII, 36): Judæorum spolia habet populus Christianus, et totum habemus quod illi habere se nesciebant. Illi aurum et argentum materiale abstulerunt, nos aurum mentis accepimus, nos acquisivimus cœlestis sermonis argentum.

13. (Vers. 163.) Sequitur versus tertius: *Injustitiam odio habui, et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.* Merito odit injustitiam, qui habet arma justitiæ. Hebræus cum haberet hæc arma, hoc est, Legem et prophetas, murem abominabatur mortuum; quia Lex B dicit: *Omnis qui tetigerit mortuum..... immundus erit* (*Num.* XIX, 11); et humanitatis suprema negabat officia defunctis; sed legi non est mortuus, nisi qui injustus est. Hæc est immunditia justi, quæ iniquitas. Quid enim immundius, quam mentem, qua nihil homini pretiosius est datum, turpibus commaculare criminibus, et atrocibus efferare commentis? Quid illis prodest quod mortuum hominem visere reformidant? [a] Utinam vita eorum non pollueret appropinquantem, quorum mors contaminare neminem potest! Mors nemini nocet, utinam vita non noceat! Contagium enim colluvionis consortium iniquitatis est. Quomodo ergo contaminare potest, qui iniquus esse jam non potest; cum etiamsi fuit, tamen esse desivit? Fuge ergo iniquitatem, ne te comprehendat. C Fuge injustitiam, quæ viventes adhuc mortuos facit.

14. Sed nemo fugit iniquitatem, nisi qui diligit æquitatem; et ideo ait: *Legem tuam autem dilexi.* In lege æquitas est, si spiritalem accipias legem, si consurgas cum Christo, et ibi altare sacrosanctum illud cœleste consideres, non altare terrenum, quod hostili depopulatione destructum est. Si illam Hierusalem spectes, quæ in cœlo est, non istam quæ a populo Judæorum frequentabatur in terris, quæ propter incolarum perfidiam a Romano exercitu triumphata, injecto flagravit incendio. Si intuearis in illum principem sacerdotum, de quo scriptum est: *Habentes itaque magnum sacerdotem egressum de cœlis, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem fidelem* (*Heb.* IV, 14): qui quotidie advocatus pro nobis est D apud Patrem; ut pro quibus in diebus carnis suæ misericordi est compassus **1243** affectu, pro his operetur remissionem quotidie peccatorum. Quæ enim spes alia generi humano, nisi omnium viventium delicta donentur? Ille ergo princeps solus est sacerdotum, cui adstant pii sacerdotes, in cœlestium sacrarium illud altissimum merito proprii cruoris ingressi. Illa ergo lex diligenda, in qua verus Hebræus liber ab omni servitute vitiorum est, in q: magnum sabbatum et inoffensa requies defunctorum, in qua mortui populi semen resuscitatur non commixtione, sed redemptione fraterna. Secundum hæ ergo legem odio habet sanctus injustitiam, non injustum qui potest sæpe converti: nec mortuorum requias, sed mortuam iniquitatem exsecratur, et refugit.

15. (Vers. 164.) Sequitur versus quartus: *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.* E numero quidem studium sanctæ devotionis exprimitur: sed puto magis quod purus, et quietus, ac v... cuus ab omni onere delictorum declaretur affectus, ut sine ullo iracundiæ impressionis, aut flagitiosæ cupiditatis incendio deferatur oratio; nihil quod ad noceat postulemus; nihil quod nos sæcularibus petitionibus decoloret. Laudemus in hymnis et canticis, vera semper et justa ea quæ de divinis canimus laudibus, confitentes. Non sit anceps et dubia sententia: non discolor mentis intentio, non materialibus negotiis occupata a proposito spiritalis exercitione deflectat. Justificetur semper justitia Dei tranquillo animo, non otio feriato.

16. (Vers. 165.) Sequitur versus quintus: *Pax multa diligentibus nomen tuum: et non est illis scandalum.* Supra (Vers. 162) diximus quia charitas excludit timorem; nunc dicimus quia excludit omnem perturbationem. Etenim qui Deum diligit, profunda est in eo confirmatæ mentis tranquillitas. *Aqua,* inquit, *multa excludere non potest charitatem, et flumina non inundabunt eam* (*Cant.* VIII, 7). Multa aqua diversarum est passionum, et flumina sæcularium cupiditatum corporalibus motibus incitata, [b] quæ tamen murum charitatis subvertere non possunt. Ideoque charitate fundatus dicit: *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Psal.* CXXIII, 5). Numquid aqua maris excludere Moysis potuit charitatem? Et ut secundum litteram tibi psalmorum series suffragetur, nempe diligens Deum, tutum sibi credidit iter esse per maria. Qui autem non dilexerunt Deum, hi demersi fluctibus dignum sacrilegiis suis exitum pertulerunt. Elias atque Elisæus Jordanem transmiserunt pede (IV *Reg.*, II, 8); et hæc fuit nimiæ merces et gratia charitatis. Hi igitur ut transirent aquas fluvii Jordanis, passionum fluenta nostrarum mentis prius vestigio transierunt. De hac aqua dicit Dominus: *Si transeas per aquam, tecum sum; et flumina non inundabunt te* (*Esai.* XLIII, 2). Adest suis justis semper cum aliquibus [c] terreantur adversis; si tamen transeant mente constanti, non dubitanti; non fidei turbentur incerto.

17. Transi ergo et tu fidelis animi directione, si divinam vis tibi adesse præsentiam: si non solum pax, sed etiam multa pax sit in animo tuo, nulla **1244** te prælia diversæ cupiditatis impugnent, non iracundia stimulet, non libido: et si est pugna, tamen

[a] Ita mss. omnes, et Rom. edit. quod etiam cum sequentibus bene congruit. Edit. tamen vet., *Utinam vitia eorum non polluerent.*

[b] Sex mss., *morum tamen charitatem subvertere non possunt.*

[c] Ita vet. edit. et cuncti mss. Rom. ed. sola: *terrentur adversis.* Minus bene, infra vero edit. vet. et quædam Paris., *sed etiam multa sit in animo tuo dilectio.* Rom. cum mss. omnibus, *sed etiam multa pax,* etc.

Digitized by Google

foris, non intus sit. Præliare adversus persequentes, A licet et ipsis silentio sæpe cedendum sit, quia tibi vincunt. Illorum potentia, tua victoria est. Tunc denique triumphantur, cum se vicisse crediderint. Non ergo te impugnet avaritia, non cupiditas exagitet, non tristitia dejiciat, non inflammet libido, non resupinet superbia, non curvet ambitio, non formido consternat. Pax multa abundet tibi, quæ exsuperat omnem mentem, secundum Apostoli sententiam (*Phil.* iv, 7) : quo nihil pulchrius dici potuit. Summus enim sapientiæ finis est; ut simus mente tranquilla ; non commentitiis poetarum fabulis lubricus turbetur affectus. Summus finis est justitiæ ; ut iniquitas mentem justi movere non possit. Virtutis totius hic finis, [a] et corporeæ ipsius fortitudinis; ut confecto bello, pacem reformet. B Paci ergo et ipsa plerumque militat fortitudo bellandi : nemo ergo pacificum turbet affectum.

18. Multa generantur ad perturbationem hominis ; et uxor plerumque decepta serpentis insidiis animum viri exagitare conatur ; et pater fidem filii frequenter irridet ; et vir conjugis suæ mentem tentat opprobriis. Sed in his omnibus superat justus, et dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia... an persecutio* (*Rom.* viii, 35) ? Quoties ipsa benefacta crimini dantur? Quoties virtus opprobrio ducitur? Quoties ipsa ingrata est gratia ? Vendidit justus facultates suas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit ; contemnitur plerumque in ipsa Ecclesia ; quia dives esse desivit, sicut scriptum est : *Si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contemptu contemptus erit* (*Cant.* viii, 7). Non ergo moveatur ; non enim mercedem C hujus sæculi, nec gratiam, sed vitæ quæsivit æternæ. Non indignetur, quia homines pecuniis magis quam operibus bonis deferunt. Nam si ei propter bonum opus in hoc sæculo deferatur, et hujus studii fructum hic adipiscatur, dicitur de eo: Percepit mercedem suam (*Matth.* vi, 2). Habet quidem opus bonum, et hic gratiam ; sed brevis portio emerendæ salutis est. Serva futuris mercedem tuam; et istius sæculi opprobria incrementa mercedis tuæ judica. Cogita semper Apostolicum illud, quod *Indignæ sint passiones hujus temporis ad superventuram gloriam* (*Rom.* viii, 18). Nullis ergo justus frangatur injuriis, nullis moveatur periculis, nullis tentetur procellis; sive mors ingruat, sive vita, sive angeli cœlorum. Neque dejiciatur adversis, neque extollatur secundis. Nusquam sit ejus infirmus affec- D tus. Et mors tentat, et vita tentat ; cave scandalum.

19. Qui pacem habet, quæ omnem mentem superat, magnus est ; non est de pusillis istis. Ideo scandalum pati non debet ; quia pusillorum est exagitari scandalo. Unde et Dominus ait : *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis minimis* (*Matth.* xviii, 6). Non solum pusillos, sed etiam minimos dixit, quos perturbant scandala; et ideo gravi obnoxius pœnæ est, ut legisti, quicumque turbaverit **1245** infirmæ mentis infantiam. Sicut enim graviori dignus supplicio est, qui persuaserit crimen infantulo, et incautam præcipitarit ætatem ; ita qui invalidum, et insipientem, et improvidum circumscripserit persuasione erroris, aut exagitatione cordis affectum. Vis scire quam infirmus sit qui scandalizatur ? *Non manducabo*, inquit, *carnem... ne fratrem meum scandalizem* (I *Cor.* viii, 13). Quanta infirmitas, et quædam infantia animi ; ut eum etiam esca fratris exagitet ! Unde non potest homini esse præcipitium, quando etiam hinc est periculum?

20. Et quod pejus est, infirmitas hujusmodi serpit in multos. Vides inopem justum, tentaris : vides divitem iniquum, tentaris : vides sine liberis sanctum, tentaris : vides liberis, honoribus, laudibus sæcularibus abundantem injustum, tentaris. Quantæ foveæ, quanti laquei, et quod est gravius, qui plurimos strangulent ! In sodomitana urbe vix unus Lot qui non tentaretur inventus est, cujus tamen uxor non potuit tentationis laqueos evadere. Hebræorum populus maria transivit : sed non potuit tentamenta transire. Tentati sunt omnes præter Jesum, et Caleb, qui ideo de senioribus terram repromissionis introire meruerunt ; quia fuerunt tentationis expertes. Nec Aaron introivit, nec Maria ; quia et ipsi tentati sunt. Nec Moyses introivit ; quia dux erat populi qui tentabatur : typus Legis quæ excludere tentamenta non poterat, non poterat in terram resurrectionis inducere; quia ista Evangelio gratia debebatur. Lex pacem non potuit dare ; ideo Moyses quoad vixit, semper præliatus est : semper Legis populus in ancipiti bellorum est : Jesus autem Nave plebis animos profunda pace composuit ; quoniam qui sub Lege est, agitatur incertis : qui sub Evangelio, audit dicentem : *Pacem relinquo vobis : pacem meam do vobis* (*Joan.* xiv, 27). Ideoque diligentibus non est scandalum.

21. Accipe aliter : crux Domini Judæis scandalum, Græcis stultitia est. Scandalum est perfido ; quia dicit Judæus : Ergo hic Deus est, qui homo visus est, hic Deus est qui jejunavit, hic Deus est qui vapulavit, hic Deus est qui crucifixus est, hic Deus est qui de cruce descendere et se liberare non potuit ? Denique hoc dicebant tempore Dominicæ passionis : *Descendat de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult* (*Matth.* xxvii, 42 *et* 43). Non te ista tentent, non te ista perturbent, non in animum tuum hujusmodi se ingerant cogitationes. Ubi pax, et multa pax : ibi crux Christi non opprobrio, sed saluti est. Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quæ tantum ei gloriæ dedit ; ut inversis Christum honoraret vestigiis : metuens ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido : fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est ; quia pro nobis passus est Dominus ; quia ille nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione revocavit. Qui hæc credit, quomodo potest turbari, cui spes regni cœlestis assurgit ?

[a] Edit. vet. et Paris. quædam, *ut corporea ipsius fortitudinis efficiat miles bella*. Rom. cum mss. in lectionem nostram consentiunt ; nisi quod illa vocem, *miles*, transtulit in membrum sequens hoc modo, *miles pacem reformet* : sed ea mutatio non admodum sensui necessaria est.

Digitized by Google

22. (Vers. 166.) Sequitur versus sextus : *Exspectabam salutare tuum, Domine : et præcepta tua feci.* Qui exspectat, sperat. Charitatem ergo spes præcedit, sequitur salus, spes igitur præcurrit effectum ; ideo qui exspectavit salutem a Domino, præcepta Domini fecit. **1246** Unde et Dominus appellat amicos in Evangelio (*Joan.* xv, 14 *et* 15), non servos, qui sua præcepta fecerunt. Qui diligit enim, facit : et qui fecerit, merito dilectionis remuneratione donatur.

23. (Vers. 167.) Sequitur versus septimus : *Custodivit anima mea testimonia tua : et dilexit ea nimis.* Plus est diligere, quam custodire : et supra diximus (*vers.* 159, *num.* 55) quia custodire, interdum necessitatis est, vel timoris : diligere charitatis. Ideo cum hic dixisset : *Custodivi*, adjecit *Dilexi* ; ut custodia amantis fuerit, non timentis. Qui nimium diligit, nimium custodit.

24. (Vers. 168.) Sequitur versus octavus : *Servavi præcepta tua et testimonia tua ; quoniam omnes viæ meæ ante te, Domine.* Beatus qui potest dicere : *Omnes viæ meæ ante te :* qui nolit abscondere omnes cogitationes suas, omnes actus suos : abscondebat Adam viam suam, abscondebat Eva post culpam, abscondebat Cain necem fratris. In affectu habemus abscondere, non in effectu. Plena abscondentis perfidia, etsi apud Deum nulla sit latebra. Ideo Ecclesia in Canticis sua ei secreta monstrabat, dicens : *Assumam te, et inducam te in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me* (*Cant.* viii, 2). Nam etsi Deus omnia videat cordis occulta ; bonum tamen est ut unusquisque animam suam ei aperiat et expandat, et tamquam lumini vel calori ejus occurrat. Nec immerito gloriatur Ecclesia, dicens : *Ego eram in oculis ejus tamquam inveniens pacem* (*Ibid.*, 10) ; quoniam vias suas prodere non timebat. Justi ergo est ista vox : *Oculi* enim *Domini super justos* (*Psal.* xxxiii, 16). Itaque Domino Jesu Christo, qui est via et veritas, bene hoc dicitur ab iis qui illam veram viam fide, moribus, actuque desiderant convenire : *Omnes viæ meæ coram te, Domine.* Nulla enim potest via esse bona, nisi quam tu illuminandam tui visitatione luminis judicaveris : cui est honor, gloria, laus, perpetuitas a sæculis, et nunc, et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO VIGESIMUS SECUNDUS.

### ת. *Tau.*

1. Incipit littera *Tau*, quæ latina interpretatione significat, *Erravit :* alia interpretatio habet, *Consummavit.* Quid est erravit ? Vigesima secunda littera est, quæ apud Hebræos est ultima. Psalmo autem isto, hoc est, centesimo octavo decimo profectum hominis diximus (*Sup.*, *in prolog. hujus psal.*) significari, qui doctrinæ moralis magisteriis eruditus, deponeret omnem inexercitatæ mentis infantiam, assumeret autem veterani consilii scientiam et prudentiæ A senilis ætatem. Ubi autem error est, culpa signatur. Et ergo est profectus finis, ut etiam culpæ sit. Sed videamus quid interpretetur. *Erravit*, inquit ; non errat, sed *erravit*. Errasse, præteriti est temporis : errare, præsentis. Qui erravit, desivit errare, et veterem condemnat errorem. De eo enim dicitur, erravit, qui in errore jam non sit ; nam is qui adhuc in errore permaneat, non errasse dicitur, sed errare, errare enim permanentis in vitio est : errasse, corrigentis est lapsum.

2. Denique emendator morum ait : *Eramus enim aliquando insipientes, increduli, errantes in desideriis et voluptatibus* (*Tit.* iii, 3). Non dixisset utique : *Eramus aliquando insipientes*, nisi qui adeptus esset postea sapientiæ disciplinam. Neque dixisset **1247** *Eramus errantes*, nisi qui superiorem depo- B suisset errorem. Denique ut abolitum lapsum doceret, nec ullum offensionis resedisse vestigium, ait : *Cum autem benignitas, et humanitas apparuit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti* (*Ibid.*, 4 *et* 5). Veteri igitur errore deposito, et Spiritu sancto, atque omni morum emendatione renovatis dicit : *Eramus enim aliquando errantes.* Vides ergo quia errori renuntiasse non vitii, sed profectus est.

3. Postremo ipse te doceat Dominus Jesus, si humanis consiliis vel sententiis non putas esse credendum. Namque in Evangelio suo ipse asseruit quod pastor reliquit nonaginta et novem oves, et unam requirit quæ erravit (*Lucæ* xv, 4). Centesima ovis est C quam dicit errasse : perfectio et plenitudo numeri ipsa te instruat et informet. Non immerito cæteris antefertur ; quia plus est a vitio se revocasse, quam prope vitia ipsa nescisse. Imbutos enim vitiis animos exuere frenis cupiditatum atque emendasse, non solum perfectæ virtutis, sed etiam cœlestis est gratiæ. Emendare etenim futura attentionis humanæ est : [a] præterita damnare divinæ est potestatis. Denique inventam pastor ovem humeris imposuit suis (*Ibid.*, 5). Agnoscis utique mysterium, quomodo ovis lassa reficiatur ; quia non potest aliter humana [b] conditio lassa recreari, nisi sacramento Dominicæ passionis et sanguinis Jesu Christi, *cujus principatus super humeros ejus* (*Esai.* ix, 6) ; in illa enim cruce infirmitates nostras portavit, ut ibi omnium peccata vacua- D ret. Merito gaudent angeli ; quia is qui erravit, jam non errat, jam suum est oblitus errorem.

4. Non error igitur, sed consummatio est ut altera docet interpretatio. Consummatio autem, perfectio disciplinæ est. Unde et Hieremias in suis Threnis sub hac littera ait : *Defecit iniquitas tua, filia Sion : non adjiciet te expellere adhuc. Visitavit iniquitates tuas, filia Edom : revelavit super peccata tua* (*Thren.* iv, 21). Advertis quoniam iniquitas non potuit sine Dei visitatione deficere, nec plena esse correctio, nisi per gratiam Domini Salvatoris ? Quo-

[a] Edit. vet., *præterita donare.* Rom., *præterita damnare.* Et rursus infra, vet. edit., *conditio lapsa recreari.* Rom., *conditio lassa recreari.* Mss. vero utrobique partim huic, partim illis accedunt.

[b] Vet. edit. cum parte mss., *conditio lapsa recreari.*

Digitized by Google

ıodo autem deficiat iniquitas, audi dicentem Ec- A lesiam : *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? ,avi pedes meos, quomodo inquinabo eos* (*Cant.* v, 3). Veteris igitur hominis vestimentum vitiis erroris inextum, in lavacri regeneratione depositum nescit quomodo possit induere ; studio enim correctionis noleverat oblivio peccatorum. Tanta vis consummatæ emendationis est, ut in quamdam pueritiæ redeat spiritalis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen etiamsi velit, non possit admittere ; quia desueverit usum nosse peccandi. Et jam de hujus litteræ interpretatione satis dictum arbitror : nunc cognoscamus ex subditis, [a] quæ sit viri consummati sententia.

5. (Vers. 169.) Itaque sic ait : *Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine : secundum verbum tuum mihi tribue intellectum.* Volare facit orationem bona B vita, et dat alas precibus spiritales, quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio. Sed et spiritus quo **1248** oramus, sublevat precem justi ; maxime si corde contrito compatiens eam commendet affectus. Consummati autem viri ista est confidentia. Denique ipse David in superioribus istius psalmi lucernam suis pedibus requirebat (*Sup. v.* 105) ; ne in hoc itinere terreno ambulans posset errare. Nunc autem quasi jam in fine et processu positus, consummato viandi munere, totus assurgit. Et orationem suam dirigit in cœlestia : mittit eam in conspectum Domini Salvatoris, dans illi flabra justitiæ, sapientiæ flamina, remigia devotionis et fidei, innocentiæ puritatisque subsidia ; peccato enim gravescit oratio, et longe fit a Deo. Tanto autem plus gravatur, [b] quanto im- C probabilior est vita deprecantis. Innocentium autem ascendit oratio, et gemitus compatientis affectus, si Ægyptium lutum oderint, et operari terrena declinent. Denique sic legisti (*Exod.* II, 23), quod Hebræorum qui dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant ; et ut gravia, ita et lutulenta opera indigna sui nobilitate generis recusabant, gemitus et vox ascenderit ad Dominum Deum nostrum. Ascendit enim oratio ; quia etsi operabantur, tamen operabantur inviti. Descendebat itaque ad illos Dei misericordia ; quia illorum ad Deum ascendebat devotio.

6. Ascendebat itaque non corporaliter ; neque enim propheta tantus precationem suam petebat Deo corporaliter appropinquare : nam qui ita putat, utique is Deum certo in aliquo loco ac sede concludit, D ut diffusiorem locum in quo Deus sit arbitretur ; cum utique invisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis impleat omnia, et divinitatis in eo habitet plenitudo. Legi Moysen appropinquasse Deo (*Exod.* XXIV, 18), cum Legem acciperet : sed solita David verecundia non semetipsum, sed orationem suam Deo appropinquare postulat ; ut videatur ordo quidam esse distinctus, quod ii qui perfectiores sunt, ipsi appropinquent Deo, sequentis autem ordinis justi viri satis habeant si eorum appropinquet oratio.

7. Ex usu autem nostri sermonis consideremus quid sit appropinquare. Constitue magistrum, atque discipulum : si discipulus studiosius magistri vel hausit ingenium, vel præcepto intendit, ita ut ad similitudinem operis ejus atque doctrinæ proxime videatur accedere ; nonne dicere solemus quod appropinquavit magistro ? Ergo et tu si imitatorem te præbeas Christi sicut ille qui ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 16) : si dolum nescias, mendacium oderis, veritatem sequaris, justitiam non refugias, diligas castimoniam, appropinquasti Christo, et per Christum Deo. Ipse enim est via, qua pervenitur ad Patrem, qui apud Patrem semper est.

8. Didicimus quid sit appropinquare orationem, hoc est, elevetur actibus nostris. Si elevas actus tuos, elevasti orationem tuam. Qui novit elevare manus suas, dirigit orationem suam in conspectu Dei, sicut infra legisti : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). Hæc utique oratio ad vitam, alia oratio in peccatum : *Et oratio* **1249** *ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CVIII, 7). Et tu si sæcularia petas, si flagitiosa postules, oratio tua non ad Deum dirigitur, sed in peccatum. Ideoque intellige quæ petas.

9. *Secundum*, inquit, *verbum tuum mihi tribue intellectum.* Adverte quid postulet. Non intellectum generaliter dixit, sed intellectum secundum verbum Dei ; est enim intellectus ad mortem, sicut est prudentia ad interitum : *Filii hujus sæculi prudentiores sunt quam filii lucis in hac generatione* (*Luc.* XVI, 8). Sed prudentia ista quæ sæculi est, ad vitam non suffragatur æternam. Circa honores, circa lucella est, quæstibus concervandis intenta, non meritis comparandis. Postremo circa elementa mundi est phalerata magis quam vera sapientia ; ut est philosophia omnis quæ aliena quærit, cum sua nesciat : scrutatur cœli plagas, mundi spatia rimatur, quæ sibi prodesse nihil possunt : Deum ignorat, quem solum deberet inquirere.

10. Ideo verus sapiens dicit : *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens ; sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum* (I *Cor.*, III, 18 *et* 19). Elaborandum est igitur ut in hoc sæculo stulti simus, nihil nobis cum philosophia ; ne quis fidem nostram per elementa mundi hujus traducat a vero ; ne quis assertionem nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam quæ apud Deum est : elegerunt disputationis tendiculas, et aucupia verbo-

[a] Septem mss., *quæ sit viri consummati fiducia.* Pro hac lectione facit, quod paulo post in omnibus mss. et edit. habetur : *consummati autem viri ista est confidentia.*

[b] Omnes edit., *quanto improbior* ; omnes mss., *quanto improbabilior.* Iterum vero ubi vet. edit. ac mss., *operari terrena declinent* ; Rom. sola posuit *opera terrena declinent.*



Digitized by Google

rum secundum dialecticæ disciplinam, cum clamet Apostolus : *Ne quis vos deprædetur per philosophiam, et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum* (*Coloss.*, II, 8).

11. Utinam possim imitari illam stultitiam, qua sim sapiens : illum virum habentem amplas possessiones, sed negligentem fructuum, intentum Deo illum virum, qui honores etiam delatos sibi respuat, doctrinam philosophiæ non requirat; etiamsi ante cognovit, tamen scire dissimulet, non requirendo de discat : non quærat quæ sua sunt, sed aliis sua conferat, sibi acquirat æterna. Hic potest dicere : *Secundum verbum tuum mihi tribue intellectum*, id est, non secundum philosophos, non secundum causidicos, non secundum mercatores hujus sæculi, non B secundum architectos domorum, sed secundum verbum tuum, quod est veræ sapientiæ bonorumque operum fundamentum; ut super illud constituat propheta aurum cordis sui, argentum sermonis sui, lapides pretiosos operationum suarum ; ut opus suum labi et perire non possit.

12. (Vers 170.) Sequitur versus secundus : *Intret postulatio mea coram te : secundum verbum tuum libera me.* Vide ordinem. Primum dixit : *Appropinquet oratio mea :* postea intellectum poposcit, *secundum verbum :* tertio ait, *Intret postulatio mea coram te.* Nonne quodam Dominus nos invitat usu, et suscipere **1250** dignatur affectu? Nonne cum aliquem de primariis viris desideras convenire, primum ad ejus domum appropinquas : postea quæris informari C atque instrui ; ut cognoscas mentem patrisfamilias : deinde ut ejus domum ingrediaris, imploras ; ne quis te abjiciat et excludat? Pulsa ergo et tu regiam illam cœlestem : pulsa non manu corporis, [a] sed quadam orationis tuæ dextera. Non sola manus corporis pulsat : pulsat et vox; scriptum est enim : *Vox fratris mei pulsat ad januam* (*Cant.* v, 2). Pulsamus et digito. Denique et Thomas digito meruit januam resurrectionis aperire. Et tibi dicit Jesus : *Infer digitum tuum huc..... [b] et mitte manus tuas in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* xx, 27). Pulsa ergo digito, si non potes tota manu. Pulsa januam. Christus est janua, qui ait *: Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan* x, 9).

13. Cum hanc igitur januam pulsaveris, vide quo- D modo ingrediaris ; ne forte et jam ingressus, extra conspectum regis sis. Multi ingrediuntur palatia, et non statim regem istum terrenum vident : sed frequenter observant; ut aliquando videre mereantur. Nec præsumunt videndi copiam : sed jussi repræsen- A tantur, et precem fundunt ; ut cum benevole suscipiantur. Primus sui sermonis ingressus est, ne quid titubet, ne quid offendat. Quanto magis rogandus est Deus, ut ostium misericordiæ suæ nostra ingrediatur oratio ! Denique et Paulus rogat ut aperiatur sibi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi (*Coloss.* IV, 3).

14. Sed quia Græcus habet, Εἰσελθέτω ἀξίωμά μου, hoc est : *Intret dignitas mea ;* licet potuerit et scriptor errare, et fecerit ἀξίωσις, hoc est, *deprecatio*, tamen hoc quoque explanemus, ut possumus. Nempe cum hominem regem rogas, dicis ut contemplationem habeat honoris tui, tangat eum tua contemplatio dignitatis; ut aut misereatur, si venia est postulanda : aut deferat pro ordine dignitatis. B [d] Et quid dicam, rogas? Sic unusquisque ingreditur, ut dignitatibus deferatur. Recte ergo et devotus Deo dicit : *Intret dignitas mea coram te.* Habet et Christianus dignitatem suam, qui tanto imperatori militat.

15. Sunt maximæ et veræ fidei dignitates, sunt honorum diversi et apud Christum ordines : *Posuit Deus in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* (I *Cor.* XII, 28). Sed istæ administrantium dignitates. Sunt etiam privatorum, ut est pietas, justitia, sobrietas, castimonia, disciplina. Sunt etiam orationis dignitates : si pro vidua roges, si roges pro pupillo, si roges pro misericordi, si roges pro nimium devoto ac fideli : si roges in tribulatione, roges cum dolore, si mœsto et ipse qui rogas compatiaris affectu, C intrat oratio tua Dei gratiam : intrat domum ejus, si tecum Ecclesia deprecetur, si populus universus imploret; ut Domini inclinet favorem.

16. Quid autem rogat ? Ut eruatur, ut liberetur : eo quod jam diu adversus nequitias spiritales, adversus tentamenta hujus sæculi prælietur ; eo quod [e] grave est satis longævo cursu istius vitæ **1251** diuturnam sustinere militiam. Denique et infra dicit : *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 5)! Ingemiscit enim quod indefessas jugi labore tendat excubias ; et ideo petit a tot adversantibus liberari, nec cum terrenis hominibus vult habere consortium.

17. (Vers. 171.) Sequitur versus tertius : *Eructabunt labia mea hymnum ; cum docueris me justificationes tuas.* D Eructavit hymnum, qui potest dicere : *Bonus* enim *odor Christi sumus Deo* (II *Cor.* II, 15) Et bene eructat, qui plurima et suavia præcepta Domini gustaverit. Eructat hymnum, qui eructaverit verbum. Denique et David ante eructavit verbum bonum (*Psal.* XLIV, 2), hic eructat hymnum. Bonum

[a] Omnes edit., *sed quadam rationis tuæ dextera.* Melius omnes mss..... *orationis tuæ dextera.*

[b] Mss. non pauci, *et mitte in manus meas, et latus meum.*

[c] Edit. omnes, *Nempe cum hominem rogas, regem te dicis.* Sensus absurdus. Itaque legitimum e cunctis mss. restituimus. Corruptio autem non aliunde exorta est, nisi ex eo quod pauci mss. dictionem, *regem* post verbum, *rogas*, transposuerint, quod intrudendi voculam, *te*, sciolo cuipiam dedit occasionem.

[d] Mss. aliquot, *Et quid dicam ? Rogans unusquisque sic ingreditur*, etc. Non ita male.

[e] Ita quinque mss. Alii autem, ac vet. edit. dictionem, *vitæ*, prætermittunt ; quod si placeat, referendum erit relativum, *istius*, ad vocem *sæculi*, prius positam. Sed Rom. edit. proprio marte sic emendavit : *grave est satis longævo, cursus istius diuturnam*, etc.

Digitized by Google

enim panem gustavit, qui de cœlo descendit: bonum panem, quem si quis manducaverit, non morietur in æternum. Habet verbum Dei epulas suas: alias fortiores, ut est Lex, et Evangelium; alias suaviores, ut sunt psalmi et Cantica canticorum. Eructabat hymnum Ecclesia, vel anima pia, cui dicebat Deus Verbum: *Insinua mihi vocem tuam; quia vox tua suavis est* (*Cant.* II, 14). Eructabat hymnum, cui dicebat: *Favum distillant labia tua, o sponsa: mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV, 11).

18. Sed non potest quis ante eructare hymnum, nisi didicerit justitias Dei, et didicerit ab ipso Domino Deo suo. Ideo specialiter hoc David petit, ut eum doceat Deus; audierat enim et cognoverat in spiritu, *Quia unus magister est* (*Matth.* XXIII, 10); et ideo ubique ipsum sibi doctorem fieri postulabat; ut ab ipso disceret justificationes ejus. Quomodo enim cantare potest quis in metu positus, et timore pœnarum? Quomodo cantare potest gravium sibi conscius delictorum, nisi prius fiat veniæ securus? Denique in posterioribus habes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI, 4), in qua impugnetur, in qua captivetur in lege peccati, in qua defleat atque deploret suæ captivitatis ærumnam?

19. Et tu ergo ede scripturarum cœlestium, cibos et ede ut permaneant tibi in vitam æternam, et ede quotidie, ut non esurias, ede ut replearis, ede ut verborum cœlestium eructes saginam. Spiritales epulæ non obesse solent, sed prodesse satiatis; ideoque repleri volebat Propheta qui dicit: *Repleatur os meum laude; ut cantem gloriam tuam* (*Psal.* LXXVIII, 8). Qui cantat Dei gloriam, hymnum Domino cor ejus eructat.

20. (Vers. 172.) Sequitur versus quartus: *Loquetur lingua mea verbum tuum; quoniam omnia mandata tua justitia est.* Qui didicerit justitias Dei, loquitur verbum Dei; et qui verbum Dei loquitur, otiosum verbum non loquitur. Otiosum verbum est, loqui opera hominum. Ideo Sanctus dicit (*Psal.* XVI, 4) dari sibi a Domino gratiam, ut non loquatur os suum opera hominum; quia otiosum verbum est: nec solum otiosum, sed etiam periculosum, pro quo rationem sumus reddituri. Omne enim verbum otiosum quodcumque locuti fuerimus, reddemus pro eo rationem (*Matth.* XII, 36). Non enim mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei, et Dei opera quæ fecit in Genesi, fecit in Exodo, fecit **1252** in Levitico, Numeris, Deuteronomio, Jesu Nave, Judicum libro, Regnorum, atque Esdræ libris, fecit in Evangelio, vel in Actibus apostolorum, illis prætermissis, loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi sunt. [a] *Sepi aures tuas spinis* (*Eccli.* XXVIII, 28): utinam et linguam tuam obsepias. Sed quod pejus est, circumdata est lingua tua spinis, quæ compungunt, et vulnerant loquentem quæ mundi sunt. Ideo adversarius etiam orantibus frequenter sæculares offundit cogitationes. Si non ergo debemus audire aliena, vel superflua; quanto magis non debemus obloqui! cum dicat unicuique nostrum Scriptura venerabilis: *Argentum et aurum tuum alliga: et ori tuo fac jugum et pondus* (*Ibid.*, 29). [b] Alliga sensum tuum fida taciturnitate: alliga sermones tuos, impone jugum ori tuo; ne indomita cervice verborum se jactet. Impone pondus, ut cauto omnia quæ loquimur trutinemus examine. Quibus tamen spinis ut sepias aures tuas Scriptura tibi dicit; nisi contrito corde, et timore judicii? Salubriter ista compungunt: stimulant ista, non vulnerant; licet et vulnera utilia sint amici.

21. *Omnia*, inquit, *mandata Dei justitia est;* quia sunt mandata justitiæ, et ideo sine justitia esse non possunt. Mandatum Dei est, ut diligas Deum tuum (*Deut.* VI, 5). Unde ait Paulus: *Qui diligit proximum suum, legem implevit; scriptum est enim: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur* (*Rom.* XIII, 8 *et* 9). Si in ipso verbo instauratur omne mandatum, quod verbum justitia est (quid enim tam justum, quam ut diligas Deum tuum, et diligas fratrem tuum), utique omnia Dei mandata justitia est. Sicut enim [c] qui occidere potest fratrem, utique non diligit; qui adulterat fratris uxorem, utique non diligit fratrem; qui furatur, qui concupiscit alienum, utique non diligit eum quem fraudare desiderat: ita qui superbe despicit fratrem, qui eum deformare conatur, qui pascitur ejus injuriis, a consortio charitatis alienus est.

22. (Vers. 173.) Sequitur versus quintus: *Fiat manus tua salvum facere me; quoniam mandata tua elegi.* Adventum Domini videtur orare; quia manus Dei Christus est. Ipsum legimus dexteram Dei, de quo supra ait: *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me* (*Psal.* CXVII, 16). Cur ergo hic manum dixit; nisi forte non solum propter diversitatem gratiæ, quam scriptores non prætermittere solent, sed etiam propter quamdam proprietatem manum dictum est; ut ibi dextera dicatur, ubi scribitur quod exaltavit eum virtute; hic manus, ubi intelligi oporteat, quod eum humilitate servavit? Potest et sic intelligi manus Domini, sicut dicitur in usu: Magna est manus illius regis; hoc est, magnus exercitus, et illius inferior est manus; ut etiam hic intelligamus: Fiat adjumentum tuum atque subsidium, ut mittas Angelos tuos, opem tuam, subsidia potentiæ tuæ ad liberandum populum tuum. Hæc est

[a] Plures mss., *Sepis aures tuas spinis.* Haud male. Alii tamen et omnes edit., *Sepi*, etc. Quod autem post verbum, *obsepias*, cunctæ edit. adjiciunt, *ne loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi;* hæc in mss. nullis reperias, et certe mera est repetitio superiorum.

[b] Edit., *Alliga sensum tuum fide, taciturnitate;* mss., *fida taciturnitate.*

[c] Cod. Corb., *qui occidere vult fratrem.* Sorb. unus, *qui occidere petit fratrem.* Sed ea mutatio non aliunde quam e scriptorum ignorantia promanavit. Non viderunt siquidem *potest occidere*, hic idem esse ac revera occidere, ut Virgilianum illud:

potuisti linquere solam?

perinde est ac *quomodo solam dereliquisti?*

Digitized by Google

manus Dei, de qua scriptum est : *Nonne omnes ministri spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos, qui futuri* **1253** *erunt hæredes salutis* (*Heb.* I, 14)? Qui ergo elegit mandata Dei, utitur confidentia ; ut cum auctoritate deposcat sibi divina subsidia.

23. (Vers. 174.) Sequitur versus sextus : *Concupivi salutare tuum, Domine : et lex tua meditatio mea est.* Alius longævitate vitæ istius delectatur, et concupiscit usque ad depositæ senectutis finem corporis hujus vitam producere. Alii franguntur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo potest dicere : *Cum infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10). Beatos se putant, si inoffensa valetudinis commoditate potiantur, quibus non est infirmitas ad salutem. Horum quoque nemo potest dicere : *Concupivi salutare tuum, Domine;* suam enim magis salutem, quam salutare Dei quærunt, medicis potius quam Scripturis obedientes. Contraria autem studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt medicinæ (*De Cons. dist.* 5, *Contraria*). A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intensione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat. Qui autem quærit salutare Dei, Christum sequitur, qui dicitur [a] salus Dei : non quæ corporis, sed quæ æterna sunt quærens, cum hoc in corpore conversetur. Qui autem salutem Dei quærit, die utique et nocte meditatur in lege. Jugis illi meditatio est divinorum decretorum, neque aliqua cura corporis hujus advertitur a studio disciplinæ.

24. (Vers. 175.) Sequitur versus septimus : *Vivet anima mea, et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me.* Futuræ utique vitæ, non præsentis sibi remuneratione blanditur; hæc enim vita quomodo dici potest, de qua scriptum est : *Et in pulverem mortis deduxisti me* (*Psal.* XXI, 16)? Quam multi viventes in inferno sunt! Ipse Paulus cupiebat de corpore mortis hujus liberari, qui vere concupivit salutare Dei, dicens : *Dissolvi enim cupio, et cum Christo esse multo melius : permanere autem in carne magis necessarium* (*Philip.* I, 23), quam voluntarium. Quomodo ergo vivit anima operta mortis involucro : aut quæ est vita, quæ in umbra est? In regione umbræ mortis sumus : abscondita est vita nostra, non libera ; erit enim libera in regione vivorum, in qua fiduciam complacendi justus assumit ; ut placeat Domino in regione vivorum (*Psal.* CXIV, 9). Ibi ergo vivit anima nostra, ubi nihil mortale, nihil infirmum amicta sit, nihil debitum pœnæ.

25. Ibi laudabit Dominum, ubi deposito infirmitatis corpore, conformis esse cœperit gloriæ corporis Christi Nam dum in peccato sumus, plene laudare qui possumus? *Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? In umbra sumus hic positi : in umbra vivimus : in umbra A laudamus : perfecte in umbra laudare non possumus. In terra aliena sumus : denique audisti in posterioribus dicentes : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI, 4).

26. Adjuvant autem judicia Dei sanctos, cum bonis operibus renumeratio vitæ confertur æternæ. Beatus qui dicit : *Et judicia tua adjuvabunt me.* Ego infirmus, ego peccator timeo judicia Dei propter conscientiam delictorum : mihi terrorem adferunt, me exagitant : sanctos adjuvant. Sed **1254** tamen juvabunt etiam peccatorem, licet diverso modo. Sanctus adjuvabitur, dum probatur : peccator adjuvabitur, dum humiliatur, dum castigatur; ut peccata solvat duplicia : dum opus ejus exuritur, ut ipse salvus fiat, sic tamen quasi per ignem. Fortassis etiam sic convenit sensus : Si dignus fuero judicio, dignus B ero ut exuar a consortiis impiorum; quoniam *Non resurgunt impii in judicium* (*Psal.* I, 5). Et juvabunt me judicia; quoniam qui credit in Domino, non judicatur. Proderit illi fides, et suffragabitur ad veniam, etiam si qua in operibus offensa sit.

27. (Vers. 176.) Sequitur versus ultimus : *Erravi sicut ovis quæ perierat : vivifica servum tuum ; quoniam mandata tua non sum oblitus.* Græcus habet *Quære servum tuum*, hoc est, ζήτησον : et potuit falli scriptor, ut scriberet ζῆσον, quod est vivifica. Sensus quidem uterque constat, sed opportunior est huic loco : *Quære servum tuum ;* quoniam ovis quæ erravit quærenda est a pastore, ne pereat. Ideo dicit, *Erravi. Dic et tu iniquitates tuas, ut justificeris* C (*Esai.* XLIII, 26). Quod lapsum fateris, in eo tibi cum omnibus commune consortium est ; quia nemo sine peccato : negare hoc, sacrilegium est ; solus enim Deus sine peccato est. Confiteri hoc Deo, impunitatis remedium est. *Erravi*, inquit : sed qui erravit, in viam potest redire, in viam revocari potest. Et pulchre addidit : *Sicut ovis quæ perierat ;* non enim perit qui agnoscit errorem.

28. *Quære*, inquit, *servum tuum; quoniam mandata tua non sum oblitus.* Veni ergo, Domine Jesu : quære servum tuum, quære lassam ovem tuam : veni, pastor, quære sicut oves Joseph. Erravit ovis tua, dum tu moraris, dum tu versaris in montibus. Dimitte nonaginta novem oves tuas, et veni unam quærere quæ erravit. Veni sine canibus, veni sine D malis operariis, veni sine mercenario, qui per januam introire non noverit. Veni sine adjutore, sine nuntio : jamdudum te exspecto venturum. Scio enim venturum : *Quoniam mandata tua non sum oblitus.* Veni non cum virga, sed cum charitate, [b] spiritusque mansuetudine.

29. Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta novem oves tuas ; quia in montibus constitutas lupi rapaces incursare non possunt. In paradiso semel nocuit serpens : amisit ibi escam, postquam

[a] Rom. edit. hic et paulo inferius, *salutare Dei.* Infra vero ubi post vocem, *quærens*, ant. edit. addunt, *cum hoc in corpore conversetur, quod salus quæritur ;* hoc totum eadem Rom. resecaverat. Verum satis fuisset resecasse, *quod salus quæritur ;* hæc enim verba in mss. non inveniuntur.

[b] Rom. edit., *spirituque mansuetudinis.*

Digitized by Google

Adam inde depulsus est : illic jam nocere non poterit. Ad me veni, quem luporum gravium vexat incursus. Ad me veni, quem ejectum de paradiso [a] serpentis diri ulceris venena pertentant; quia erravi a gregibus tuis illis superioribus : nam et me ibidem collocaveras, sed ab ovilibus tuis lupus nocturnus avertit. Quære me; quia ego te requiro. Quære me, inveni me, suscipe me, porta me. Potes invenire quem tu requiris : [b] dignaris suscipere, quem inveneris; imponere humeris, quem susceperis. Non est tibi pium onus fastidio : non tibi oneri est vectura justitiæ. Veni ergo, Domine; quia etsi erravi, tamen *mandata tua non sum oblitus :* spem medicinæ reservo. Veni, Domine; quia et ovem erraticam solus es revocare qui possis : et quos reliqueris, **1255** non mœstificabis; et ipsi enim peccatoris reditu gratulabuntur. Veni, ut facias salutem in terris, in cœlo gaudium.

30. Veni ergo, et quære ovem tuam jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me [c] in carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria; ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. Porta me in cruce, quæ salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola vivent quicumque moriuntur.

31. Pulchre autem etiam *vivifica*, potest dici; eo quod mori non possit, quem humeris suis virtus portaverit.

32. Dicit ergo et anima, dicit et Ecclesia : *Erravi sicut ovis quæ perierat.* Sed dicit : *Quæsivi quem dilexit anima mea* (*Cant.* III, 1); hoc est enim dicere : *Vivifica servum tuum; quoniam mandata tua non sum oblitus.* Ego te quæsivi; sed invenire non possum, nisi tu volueris inveniri. Et tu quidem vis inveniri; sed vis diu quæri, vis diligentius indagari. Novit hoc Ecclesia tua; quia non vis ut te dormiens quærat; non vis ut te jacens investiget. Denique pulsas ad januam, ut excites dormientem : exploras si cor vigilat, et caro dormit. Vis jacentem levare, dicens : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* V, 14). Mittis manum per cavernam, ut surgat : et si tardius surrexerit, derelinquis. Vis ut quærat iterum, et quærat a multis, et non obliviscatur quærere, non obliviscatur sermones tuos : et si tenet eos, offeras te videndum, non refugias et teneri.

33. Quæ cum te meruerit amplecti, ostendet fructus suos, docebit non oblitam se mandatorum tuorum, dicetque tibi : *Veni, frater meus : exeamus in agrum..... et in foribus nostris omnis fetus arborum : nova et vetera; frater meus, servavi tibi* (*Cant.* VII, 11

A et 13). Hoc est dicere : Teneo mandata tua omnia novi et veteris Testamenti. Sola hoc dicere Ecclesia potest. Non dicit alia congregatio : non dicit Synagoga, nec secundum litteram nova tenens, nec secundum spiritum vetera. Non dicit hæresis manichæa : Vetera servavi tibi, quæ [d] Prophetas non suscipit. Merito dealbata cernitur, quæ utriusque fulget gratia Testamenti.

34. Respondit ei Sponsus : *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum* (*Cant.* VIII, 6), quæ nova et vetera servasti mihi. Signaculum meum es, ad imaginem meam es et similitudinem. Fulget in te imago justitiæ, imago sapientiæ, imago virtutis. Et quia imago Dei in corde tuo est, sit et in operibus tuis : sit effigies Evangelii in tuis factis,

B ut in tuis moribus mea præcepta custodias. Effigies Evangelii erit in te, si percutienti maxillam, alteram præbeas; si diligas inimicum tuum; si crucem tuam tollas, et me sequaris. Ideo crucem [e] ego pro vobis portavi; ne tu pro te portare dubitares.

35. Audierunt hoc filiæ Hierusalem, quod jam Dominus Jesus sibi Ecclesiam copulabat : et quia considerantes magnitudinem Verbi, [f] imparem tantis nuptiis æstimabant; ne forte tantæ copulæ **1256** pondus sustinere non posset, excusant dicentes : *Soror nostra parva, et ubera non habet* (*Ibid.*, 8) Sic enim qui volunt differre nuptias, excusare consuerunt, ut prætendant immaturæ ætatis infirmitatem, et astruant quod ubera non habeat, quæ nubilis significant tempus ætatis. Hoc solet symbolum commu-

C ne omnibus virginibus esse nupturis; ut cum ubera cœperint eminere, tunc conjunctioni habiles judicentur.

36. Turbatæ igitur quod studio dilectionis urgeat nuptias Sponsus, dicunt : *Quid faciemus sorori nostræ in die qua loquetur in ea* (*Ibid.*)? vel, ut Symmachus, *qua loquetur ei;* hoc est, sponsalium celebritate solet fieri collocutio, et confirmatio nuptiarum. Quid ergo faciemus, dicunt turbatæ, quia urgetur conjunctio spiritalis? A tantis nuptiis excusare non possunt; nemo enim est qui copulam vel animæ et Spiritus, vel Christi et Ecclesiæ non beatam putet. Sed quia plenitudo Verbi vel Spiritus sancti vibrat et fulget, et nihil est quod illis possit æquari, ideo differre desiderant; ut illa dilatione vel anima, vel Ecclesia possit esse perfectior.

D 37. Dicunt ergo : *Si murus est, ædificemus super eum receptacula : et si janua est, sculpamus super eam tabulas cedrinas* (*Ibid.*, 9). Murus est anima sancti. Habet et Ecclesia muros suos, quæ jam perfectior

[a] Ita plerique mss. a quibus hoc tantum discrepant edit. quod vet. habent, *serpentini diu ulceris.* Rom. *serpentis diu ulceris.* Alia vero pars mss. voces, *diu*, sive, *diri ulceris*, non exhibent.

[b] Edit., *dignare;* Amerb., *dignaris*, *suscipere quem inveneris : impone*, etc. Sed mss. ferme ad unum lectioni nostræ astipulantur.

[c] Paris. edit., *non in carne, quæ in Adam lapsa est.* Sed aliæ omnes, et cuncti mss. respuunt negationem. Et optime id quidem; neque aliud hic significatur, nisi quod Christi caro ejusdem naturæ fuerit atque Adæ caro, unde per generationis successionem propagata est; licet ejusdem peccato nequaquam maculata.

[d] Per *Prophetas*, totum vetus Testamentum hic intellige, quod integrum a Manichæis rejiciebatur. Epiphan. Hæresi 68, Augustin. de Hæres. cap. 46.

[e] Sic mss. magno numero. Nonnulli tamen cum edit. omnibus, *ego pro te portavi, ne tu propter me portare dubitares*, Non male

[f] Era. et seq. edit., *impares se tantis nuptiis... sustinere non possent;* elegantius Amerb. cum mss.. *imparem tantis*, etc., hoc enim ad Ecclesiam refertur, non ad filias Jerusalem.

Digitized by Google

dicit : *Ego civitas munita* (*Esai.* XXVII, 3). Hic est A murus, qui habet duodecim portas apostolicas, per quas populo nationum patet ingressus in Ecclesiam. Sed murus quamvis ambitum totius urbis includat, tunc tamen est munitior, cum receptacula habuerit præparata, in quibus propugnatores urbis tutum speculandi ac tuendi possint habere subsidium. Sed quia rationabilis hæc civitas est, et omnis spes ejus in Dei verbo est : non ferrea, sed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis cœlestibus magis quam corporis voluptatibus hostiles impetus repulsare consueta. Eo fulta præsidio, eo splendore refulgens habilior Christi copulæ judicatur.

38. Et quia janua Christus est, qui ait : *Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X, 9) ; et Ecclesia janua nuncupatur ; quia per ipsam patet populis aditus ad salutem. Ne hæreticorum corrumpatur tineis aut vermibus, dicunt filiæ Hierusalem, vel Angeli, vel animæ justorum : *Ædificemus super eam tabulas cedrinas*, hoc est, fidei sublimis bonum odorem ; est enim suavis hujus materiæ odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo hujus materiæ usus eligitur tectorum fastigiis elevandis, formandisque litterarum elementis, quibus ætas puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, levis ad onus, suavis ad odorem, utilis ad instrumentum scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æternæ.

39. Sed quemadmodum Sponsam suam diligens Christus urgebat ad copulæ spiritalis solemnitatem : ita et Ecclesia Verbi decore jam capta festinabat ad C nuptias. Ideoque morarum et dilationis impatiens, quas filiæ Hierusalem innectere **1257** gestiebant, dicit : *Ego murus, et ubera mea turres* (*Cant.* VIII, 10), hoc est : Nolite dubitare utrum murus sim (illæ enim dixerant : *si murus est*) ; ego, inquit, murus sum, et non parva ubera habeo, sed ut turres ubera mea sunt. Quomodo dicitis, quia non habeo ubera ? Sensus, ut turres, habeo sapientiæ, in quibus est abundantia, sicut scriptum est : *Et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* CXXI, 7). His uberibus, id est, sensibus habilem se tantis nuptiis æstimabat : sed filiæ Hierusalem adhuc non poterant æstimare ; quia sensuum ejus abundantiam non videbant.

40. Et addidit : *Ego eram in oculis ejus tamquam inveniens pacem* (*Cant.* VIII, 10), hoc est : Deliberatis D de meis sensibus, cum pacem Dei invenerim, quæ exsuperat omnem mentem, [a] et custodit corda et sensus in Christo Jesu. Talis, inquit, eram in oculis Sponsi, qualis quæ habet pacem. Scriptum est enim : Qui recte [b] quærunt pacem, habebunt eam testimonium (*Prov.* XII, 20). Festinantibus igitur dilecto atque dilecta, celebrata conjunctio spiritalis est, mutuo expetita consensu.

41. Ideoque tamquam nuptiale canens carmen, exsultavit Spiritus in Propheta, dicens : *Vinea facta est Salomoni in Beelamon : dedit vineam suam iis qui servant* (*Cant.* VIII, 11). Clamat ergo Spiritus : Plantata est congregatio populorum, et vitis æternæ fundata radice, et spiritalia sub jugum Verbi corde mansueto colla subjecit. Plantata autem est in multitudine nationum ; hoc enim esse intelligendum *Beelamon* Symmachus, Aquila, [c] aliæque translationes Græco sermone docuerunt. Repudiata est vetus copula, quæ fructum afferre non poterat : data est vinea novis fidelibusque cultoribus, qui non solum facere fructum possent, sed etiam custodire. Una igitur ovis erravit : sed revocata, totius spatia orbis implevit. Unam ovem error abduxerat : sed multitudinem populorum Domini gratia congregavit. Erravit B homo : sed Ecclesia jam murus est, et murus validus. Erravit Adam : murus est David, qui mandata Dei oblitus non est.

42. Custodita igitur et vallata hæc vinea munimine spiritali, mille fructus dat Christo, ducentos autem fructus custodibus. Ideoque ait Ecclesia : *Vinea mea in conspectu meo, mille Salomoni, et ducenti servantibus fructum* (*Ibid.*, 12). Perfectio et plenitudo Christi est portio servulorum. Habes hoc mysterium in Genesi, ubi quinque partes Benjamin fratri juniori tribuit Joseph, singulas reliquis fratribus (*Gen.* XLIII, 34). Domino igitur quinque sensuum portio **1258** et prærogativa defertur, quam illi utique tribuit ipse quem diligit : sicut dilexit et Paulum, cui dedit ad evocandas gentes sapientiæ principatum (*Act.* XX, 21).

43. His igitur fructibus delectata Ecclesia dicit ad Christum : *Qui sedes in hortis, amici intendentes sunt voci tuæ : vocem tuam insinua mihi* (*Cant.* VIII, 13). Delectabatur enim quod in hortis Christus sedebat : et in hortis positi amici intendebant voci ejus. Sed quia amici illi de cœlestibus erant Archangeli, vel Dominationes, et Throni (homines enim expulsi de paradiso fuerant propter inobedientiam cœlestium mandatorum, atque ideo adhuc Ecclesia vocem ejus non poterat, quam cupiebat, audire), ideo ait : *Vocem tuam insinua mihi*. Unde et nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suavitatem ; ut disputantem cum Angelis Dominum Jesum audire possimus.

44. Sed quia futurum erat, ut cum ad plenitudinem Ecclesia pervenisset, persecutionibus variis tentaretur ; ideo cum Verbi gratia delectaretur, subito cernit insidias persecutorum : et quæ plus Sponso quam sibi timeret, aut quia a persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait : *Fuge, frater meus, et similis esto tu capreolæ, aut hinnulo cervorum super montes aromatum* (*Ibid.*, 14). Propter infirmos fugit, qui tentamenta graviora ferre non possent. Ideo scriptum est ut de civitatibus ad civitates fugiamus (*Matth.* X, 23) : et si nos in hac civitate fuerint per-

[a] Mss. non pauci, *et custodit corpora et sensus*.

[b] Rom. edit., *quærunt pacem, gaudebunt*. Ubi ad marginem adnotavit Prov. XII, 20, qui locus eo modo in Hebr. et omnibus versionibus constanter legitur.

Attamen a cunctis mss. ac vet. edit. hic recedere nobis religio est.

[c] Omnes pene scripti cod., *aliæque traditiones*.

Digitized by Google

secuti, fugiamus in aliam. Propter infirmos igitur, ut diximus, fugiat persequentes : [a] aut fugiat ab infirmis, et transeat ad montes aromatum, qui pro martyrio odorem possint beatæ resurrectionis adferre. Montes aromatum sancti sunt. Ad eos confugit Christus, quia *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1). Ad eos igitur confugit, qui sunt ejus stabilia fundamenta. In nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere : *Bonus enim odor Christi sumus Deo* (II *Cor.* II, 15). Mons aromatum David, cujus orationis odor ascendebat ad Dominum ; et ideo dicebat : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2).

45. Symmachus tamen et Aquila interpretati sunt, quod Christus dicat ad Ecclesiam : *Quæ sedes in hortis*, hoc est, jam in hortis sedes, superno digna paradiso ; et ideo *Vocem tuam insinua mihi*, cui amici intendunt. Ego quoque eam audire desidero. Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam [b] in hortis passus est Christus.

[a] Ita plerique mss. Alii tamen aliquot, et edit. omnes, *aut fugiat ab infimis*, ut nempe infimi per antithesin montibus opponatur : sed melius opponuntur infirmi martyribus.

[b] Rom. edit. sola, *in hortis captus est Christus*. Sed præterquam quod potest id de Christi agonia intelligi, etiam extra pomeria urbium, ubi erat mons Calvariæ situs, conseri horti consuerunt.

# IN EXPOSITIONEM EVANGELII SECUNDUM LUCAM ADMONITIO.

*Hoc opus sermonibus quibus Evangelium Lucæ Ambrosius populo enodavit, constare extra controversiam est. Illud enim non modo ex orationis forma, citatisque* (*Lib.* VII, *in cap.* X *et* XIV, *et alibi*) *Scripturæ in Ecclesia priusquam vir sanctus aggrederetur ad dicendum, recitatæ locis intelligitur : sed multo magis ex eo declaratur, quod illum diebus dominicis* (*Lib.* VIII, *in cap.* XIX) *aliisque celebrioribus* (*Lib.* IV, *in cap.* V), *verba fecisse deprehendimus. Immo vero non difficulter animadvertimus Evangelicum textum quem exponere ille cogitabat, publice recitatum fuisse : quandoquidem complures ejusdem Evangelii locos, textu non citato* (*Lib.* II, *in cap.* III), *ita explicat; ut quæ tractabantur* (*Lib.* V, *in cap.* VII; *lib.* VII, *in cap.* IX, *et alibi*), *nisi materia orationis prælecta fuisset, ab auditoribus capi minime potuissent. Quod incommodum ne lector quoque pateretur, curarunt editores Romani, ut Evangelicus omnis contextus, et is etiam in quem Ambrosius nihil dixerat, exhiberetur. Verum cum id præstare illi nequiverint, quin non solum sæpe Ambrosianam orationem interscinderent, sed et illic haud pauca partim inverterent, partim adjicerent; satius visum est ubi versus qui exponitur, desideratur in manuscriptis, illum in margine editionis indicare.*

*Quamvis solum Evangelium Lucæ enarrandum sibi proposuisset Ambrosius, subinde tamen aliorum etiam locos exponit* (*Lib.* V, *in cap.* VII ; *lib.* VI, *in cap.* IX) ; *quoties videlicet ii vel aliquid habere videntur peculiaris difficultatis* (*Lib.* II, *in cap.* II *et* III), *vel a beato Luca fuere prætermissi; cum alioquin eorum cognitionem populo utilitati futuram censet. Desudat potissimum in conciliandis quæ apud evangelistas apparent contrariis* (*Lib.* III, *init.*; *lib.* V, *in c.* V *et* VI; *lib.* VII, *in cap.* VII, *et alibi sæpius*), *et sicubi durior litteræ nodus inciderit, ad spiritualem confugit interpretationem* (*Lib.* V, *in cap.* VII; *lib.* X, *in cap.* XXIII), *in qua mirifice illos convenire demonstrat. Multus est in enarrando sensu naturali atque historico; frequenter tamen orationem convertit ad mysticum : sed inde sæpe sæpius præclara, quibus passim commentationem suam illustrat, morum præcepta ducit. Præcipuas quoque temporis sui hæreses, quibus Christi divinitas impetebatur, oppugnat, hoc est, Manichæos, Photinianos, Arrianos, et hos præ cæteris, ut pote Catholicorum ea tempestate hostes infensissimos; unde haud injuria liceat affirmare, hanc ei potissimam fuisse causam, cur Evangelium Lucæ interpretari apud se statueret.*

*Hos omnes sermones redegit in unum opus, illudque inscriptum voluit titulo expositionis Evangelii secundum Lucam : quomodo ipsum semel atque iterum ab Augustino* (*Lib.* I *de Grat. Chris. cap.* 44 ; *lib* II *de Peccat. orig. cap.* 41; *lib.* I *cont. Julian. c.* 3, *et lib.* II, *c.* 5) *citatum reperias, cui non pauci quoque mss. hac in re favent. At vero falsus est Sixtus Sen. cum eamdem hanc commentationem ab auctore suo in libros non fuisse distinctam asserit hoc argumento, quod* Augustinus nusquam libri alicujus numerum citat (*Biblioth. lib.* IV). *Non legerat profecto primum ejusdem Patris librum* de Gratia Christi; *in ejus enim cap.* 44 *et* 45 *plerique operis, de quo agimus, libri numero indicato ad decimum usque memorantur. Gravius adhuc peccat Possevinus* (*In Apparat.*), *qui Sixti judicium contra Augustini auctoritatem secutus, memoratam partitionem negat. Quippe dubium non est, quin exemplaribus, quæ idem Augustinus lectitavit, multum fidei sit habendum, non solum propter temporum vicinitatem, sed multo magis propter illius Doctoris arctissimam cum Ambrosio conjunctionem. Fatemur quidem ab illo librum sextum loco septimi semel nominari : sed nisi postremis operum Augustini scriptoribus hunc lapsum tribuendum putes, forte dicendum fuerit in hoc erratum esse ab iis qui Ambrosii expositionem descripsere, ut ibi septimi libri initium ponerent, quo sexti limites extendi oportebat.*

*Scriptos anno* 376 *hos libros auctor est Baronius* (*Ad ann.* 376), *unico nimirum persuasus loco, ubi Vir sanctus Alanorum* (*Lib.* X, *in cap.* XXI), *aliorumque barbarorum bella, neque non famem quamdam ac pestem in animalia omnia sævientem memorat. Sed magnus Cardinalis secum ipse non satis consentit, cum tradit Apologiam David*

non nisi post annum 383 lucubratam esse; constat siquidem eam citari in hac ipsa expositione (Lib. III, in c. III, ac proinde hanc dici debere illa posteriorem. Quapropter ut aliquid firmius statuatur, observandum est sanctum Ambrosium antequam in Evangelium Lucæ scriberet, multos libros. quorum ibidem mentionem facit, in lucem emisisse, v. g. de Viduis (Lib. II, in c. II; lib. IV, in cap. IV) post an. 377, de Fide (Lib. III, in c. III) post 378, de Spiritu sancto (Lib. VI, in cap. VI) an. 381, denique Apologiam David (Lib. II, in cap. II, et alibi) post 383 compositam. Quin etiam nec suum in Isaiæ prophetiam (Lib. III, in cap. III) commentarium silet. Quæ cum ita sint, si Baronius tot libros huic expositioni præmissos expendisset, haud ægre animadvertisset, tot opera ab eo, qui ad episcopatum a præfectura anno tantum 374 traductus fuerat, intra duos annos elucubrari non potuisse. Sed quæ Sanctus noster de Justinæ in se persecutione scribit (Lib. VII. in cap. IX), ea tantam cum illis quæ in scriptione de Basil. non trad leguntur, præferunt affinitatem; ut inde constet commentationem de qua loquimur, non nisi elapsis difficillimis illis temporibus, id est, non ante annum 386 absolutam esse; quandoquidem alibi (Lib IX, in cap. XX) pacem, quam deinceps consecuta est Ecclesia, memorari obscurum non est. Porro quod ad Baronii argumentum, ei non absurde quivis responderit, de incursionibus barbarorum istorum, aliisque calamitatibus tamquam de rebus præteritis locutum Ambrosium.

Multum temporis dum is expositioni huic operam daret, exactum est. Enim vero cum sub finem libri quarti significet Epiphania festa paucis ante diebus celebrata esse (Lib. IV, in cap. V), superiores libros per aliquot anni proxime elapsi menses ad populum pronuntiatos fuisse oportebat: cum autem ex libro octavo (In cap. XVIII) sermonem habuerit anniversariis consecrationis suæ encæniis, quæ in Ecclesia tum Græca tum Latina numquam nisi VII idus Dec. renuntiantur (Baron. in Martyrol., etc.); hanc materiam ferme per biennium tractatam esse manifestum est. Nihil tamen hic admiramur, cum ex Augustino (Confess. lib. VI, cap. 3) cognoverimus, Ambrosium Dominicis tantum diebus verba facere consuevisse: nec illud etiam ignoremus ipsum ab argumento suo quandoque avocatum esse propter majores solemnitates, quemadmodum usu veniebat in sacro Pascha, quo tempore ipse per se catechumenos instituebat. Sed fortassis etiam contigerit, ut intermissum opus propter Justinæ persecutionem, reddita demum tranquillitate perfecerit.

In prioribus libris nonnulla mutuatus est ab Origene (Homil. in Luc.) Utrum autem illum quoque in sequentibus subinde imitari perrexerit, cum non omnia doctissimi illius Patris opera ad nos pervenerint, definiri certo non potest. Verum ex Ambrosii oratione satis intelligas ipsum nemini homini privatim adhærentem variorum auctorum opiniones (Lib. VII, in cap. XIV, XVI et alibi sæpius), prout in rem suam esse videbantur, proponere, ut non multa Ecclesiæ suæ, illisque temporibus congruentia dicere, quæ cum Origenis doctrina minime cohærebant. Cæterum si quid ex illius scriptis aliorum Patrum ad instar hausit, non dubitarunt etiam posteriores ex hac pulcherrima commentatione plurima decerpere. In primis falcem immisit in hanc segetem S. Maximus; adeo ut ejus nomine quædam ex hoc Ambrosiano tractatu sumpta Lanfrancus XI sæculo citaverit (Libel. de Celanda confa.).

Porro, si Rufino credimus (Lib. II Invect.), erat hoc ipsum opus unum e duobus illis commentariis, e quibus alter, ut ex Paulæ atque Eustochii judicio refert Hieronymus, et sensibus hebes esset, et verbis: alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret (Epist. ad Paul. et Eustoch.). Sed etsi constaret eu de re, varie admodum de lucubrationibus sancti Ambrosii locutum Hieronymum, et a summis interdum laudibus ad contemptum haud satis æquum descendisse, in confesso est. Hujus varietatis alibi rationem aperuimus (Præfat.). Interim expositionis Ambrosianæ utilitas et excellentia abunde vindicatur, tum quod toties ab Augustino (Loc. cit.), Cassiodoro (Lib. de Instit. divin. litt. cap. 7), atque aliis non sine laude memorata est, tum quod ejusdem auctoritate synodum Hispal. secundam anno 619 et Sextam generalem (Act. 10) 680 habitam, usas comperimus. Sed nec Hieronymus ipse usque adeo pro contemnendis nugis habuit hanc expositionem, ut non ad illam lectores suos aliquando remiserit (Epist. 151, quæst. 6).

---

# SANCTI AMBROSII

## MEDIOLANENSIS EPISCOPI

# EXPOSITIO

# EVANGELII SECUNDUM LUCAM

## LIBRIS X COMPREHENSA.

## PROLOGUS.

1261 1. Scripturi in Evangelii Librum, quem Lucas sanctus pleniore quodam modo rerum Dominicarum distinctione digessit, stylum ipsum prius exponendum putamus; est enim historicus. Nam

Digitized by Google

licet Scriptura divina mundanæ evacuet sapientiæ disciplinam, quod majore fucata verborum ambitu quam rerum ratione subnixa sit: tamen si quis in Scripturis divinis etiam illa quæ miranda illi putant, quærit, inveniet.

2. Tria sunt enim quæ philosophi mundi istius præcellentissima putaverunt, [a] triplicem scilicet esse sapientiam, quod aut naturalis sit, aut moralis, aut rationabilis. Hæc tria jam et in veteri Testamento potuimus advertere. Quid enim aliud significant tres illi putei, quorum unus est Visionis, [b] alius Abundantiæ, tertius Juramenti: nisi triplicem istam in Patriarchis fuisse virtutem? Rationabilis puteus Visionis; eo quod ratio visum mentis acuat, et animi purget obtutum. Ethicus puteus Abundantiæ; eo quod cedentibus allophylis, quorum specie vitia corporis figurantur, vivæ Isaac liquorem mentis invenit. Purum enim profluunt boni mores, et bonitas ipsa popularis abundat aliis, sibi restrictior. Tertius puteus Juramenti, hoc est, sapientiæ naturalis, quæ ea quæ supra naturam, vel naturæ **1262** sunt, comprehendat. Quod enim affirmatur, et quasi Deo teste juratur, etiam divina complectitur; cum Dominus naturæ, fidei testis adhibetur. Quid etiam tres libri Salomonis, unus de Proverbiis, alius Ecclesiastes, tertius de Canticis Canticorum; nisi trinæ hujus ostendunt nobis sapientiæ sanctum Salomonem fuisse solertem? Qui [c] de rationabilibus, et ethicis in Proverbiis scripsit, de naturalibus in Ecclesiaste; quia *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccles* I, 2), quæ in hoc mundo sunt constituta, *Vanitati enim creatura subjecta est* (*Rom.* VIII, 20): de moralibus autem, et rationabilibus in Canticis Canticorum; eo quod cum animæ nostræ amor Verbi cœlestis infunditur, et rationabili mens sancta quadam societate connectitur; admiranda mysteria revelantur.

3. Evangelistis quoque quam putas defuisse sa- A pientiam; quorum alii cum variis generibus sint referti, singuli tamen diverso genere præstant? Est enim vere sapientia naturalis [d] in libro evangelistæ Joannis. Nemo enim, audeo dicere, tanta sublimitate sapientiæ majestatem Dei vidit, et nobis proprio sermone reseravit. Transcendit nubes, transcendit Virtutes cœlorum, transendit Angelos, et Verbum in principio reperit et Verbum apud Deum vidit. Quis autem moralius secundum hominem singula persecutus, quam sanctus Matthæus, qui edidit nobis **1263** præcepta vivendi? Quid rationabilius illo [e] admirabili copulato, quam quod sanctus Marcus in principio statim locandum putavit? *Ecce*, inquit, *mitto angelum meum* (*Marc.* I, 2 *et* 3): et, *Vox clamantis in deserto*; ut et admirationem moveret, B et doceret hominem humilitate atque abstinentia et fide placere debere, sicut ille sanctus Joannes Baptista his ad immortalitatem gradibus ascendit, vestimento, cibo, nuntio?

4. At vero sanctus Lucas velut quemdam historicum ordinem tenuit, et plura nobis gestorum Domini miracula revelavit: ita tamen ut omnis sapientiæ virtutes Evangelii istius complecteretur historia. Quid enim præcellentius ad sapientiam naturalem, quam quod Spiritum sanctum creatorem etiam Dominicæ incarnationis exstitisse reseravit (*Luc.* I, 35)? [f] Docet ergo naturalia, si creat spiritus. Unde et David docens sapientiam naturalem: *Emitte*, inquit, *Spiritum tuum et creabuntur* (*Psal.* CIII, 20). Docet moralia in eodem libro, cum me in illis beatitudi- C nibus docet mores: quemadmodum amare inimicum debeam (*Luc.* VI; 27 *et seq.*): quemadmodum non referire, et non repercutere verberantem: quemadmodum benefacere, mutuum dare cum desperatione recuperationis, aut remunerationis et mercedis. Merces enim facilius sequitur non exspectantem. Docuit etiam rationabilia, cum lego, quoniam *Qui fidelis est in minimo, etiam in majore fidelis est* (*Luc.*

[a] Hanc Philosophiæ divisionem vulgo Platoni adtribuunt: qua de re ita sanctus Augustinus, lib. VIII de Civitat. Dei, cap. 4: *Plato .... philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam moralem quæ maxime in actione versatur: alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est: tertiam rationalem qua verum disterminatur a falso.* Idem tradunt Cicero, lib. I Acad. quæst.; Laert. in Vita Platonis; Euseb. de Præpar. Evang. lib. XI, cap. 2; Plutarchus et alii. Sunt tamen qui Philosophiam in duo tantum membra distribuant, naturalem ac moralem, quod non abhorret ab Augustini sententia, ubi loco citato subjungit rationalem philosophiæ partem utrique, id est, actioni et contemplationi necessariam.

[b] *Alius abundantiæ*, addit edit. Rom. *seu latitudinis.*

[c] Mss. Carn. et Taur., *de moralibus, id est, ethicis.* Sed præterquam quod hic non obscurum, sed clarum explicaretur per obscurius, et duo hi cod. recentiores sunt, quam ut aliorum et edit. consensui præferantur: communis lectio etiam confirmari potest his verbis e Prol. expos. in Psal. CXVIII, n. 3: *Et in Proverbiis mystica pleraque reperias.* Et infra ubi omnes edit. cum majori parte mss. *de moralibus autem et rationalibus*, sive ut habent plerique mss. *et rationabilibus*: Cod. Corb. et alii septem pro, *moralibus*, legunt, *mirabilibus.* Verum etsi videatur hisce mss. favere, quod legimus in fine periodi, *admiranda mysteria revelantur*; tamen receptam lectionem defendit illud ex eodem loco memoratæ expos., *Hocque in Canticis lucet tam mysticum, quam morale.*

[d] Edit. et mss. aliquot, *in libro Evangelii qui scribitur secundum Joannem.* Corb. atque alii melioris notæ, *in libro evangelistæ Joannis.*

[e] Omnes edit. ac mss. aliquot, *admirabili copulatu.* D Plures et potiores, *copulato.* Et certe nihil vetat, quin ut dicitur *actus*, et *actum*; ita etiam dicatur *copulatus et copulatum.* Rursus edit. Rom. *quem sanctus Marcus*; at edit. vet. et mss., *quam quod sanctus Marcus.* Quæ verba non incommodum sensum efficient, modo interpreteris rationabilem quidem esse illum copulatum, sed adhuc rationabilius id esse, quod illum statim initio duxerit collocandum.

[f] Edit. Rom. hæc rejecerat post verba, *Et creabuntur*, contra vet. edit. et mss. omnium fidem. Sed nec ad hoc ulla cogebat necessitas, cum sit superioris sententiæ, *quam quod Spiritum sanctum creatorem*, etc., conclusio, cujus sequens illa: *Unde et David*, etc., confirmatio est. Cæterum tres mss. sed ævi recentioris pro, *si creat Spiritus*, habent, *secreta Spiritus.*

Digitized by Google

xvi, 10). Quid adhuc de naturalibus dicam, quod doeuit virtutes cœlorum moveri (*Luc.* xxi, 26), Dominum solum esse unigenitum Dei Filium, in cujus passione tenebræ per diem factæ sunt, terra obscurata est, sol refugit (*Luc.* xxiii, 44)?

5. Ergo omnem quem mundana sibi prudentia falso vindicat principatum, sapientia vere possidet spiritalis: præsertim cum, audacius ut aliquid usurpemus, ipsa fides nostra, ipsum mysterium Trinitatis sine hac triplici sapientia esse non possit; nisi credamus [a] et illum naturaliter Patrem, qui nobis genuit Redemptorem: et illum ethicum Filium, qui Patri usque ad mortem secundum hominem obediens, nos redemit: et illum rationabilem Spiritum, qui rationem colendæ divinitatis, et vitæ regendæ, humanis pectoribus infudit. Nec quisquam putet nos potestatis aut virtutis fecisse distantiam, cum hæc calumnia etiam Paulum possit incessere. Neque enim distantiam fecit ille, cum dixit, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* xii, 4-6). Operatur enim omnia, et in omnibus Filius, sicut habes alibi, quia *Omnia et in omnibus Christus* (*Coloss.* iii, 11). Operatur et Spiritus sanctus, quia *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* xii, 11). Nulla ergo operationum distantia, nulla discretio est, ubi vel in Patre, vel in Filio, vel in Spiritu sancto, nulli secunda plenitudo virtutis est.

6. Hæc igitur cum legimus, diligenter consideremus, ut in ipsis locis nobis possint melius **1264** elucere. *Qui* enim *quærit, inveniet: et qui pulsat aperietur ei* (*Matth.* vii, 8). Aperit sibi diligentia januam veritatis, et ideo præceptis cœlestibus pareamus. Neque enim otiose dictum est homini, quod nulli aliorum animantium: *In sudore vultus tui manducabis panem tuum* (*Gen.* iii, 19). His enim animalibus quæ natura irrationabilia sunt, jussu Dei terra pabulum ministrare præcepta est: soli autem homini, ut rationabile quod accepit, exerceat, vitæ cursus in labore præscribitur. Qui enim non est contentus animalium pabulo cæterorum, cui non satis est lignum fructiferum in commune omnibus ad escam datum: sed delicias sibi variarum exquirit epularum, delicias sibi transmarinis arcessit e terris, delicias verrit e fluctibus, recusare non debet, qui labore victum requirit, brevem si laborem pro vita subeat æterna. Itaque si quis in hæc sacratarum disputationum certamina veniens, exuat se vitæ hujus exposita ad errorem sollicitudine, et nudus malitiæ, athleta pietatis oleo spiritali velut quædam animæ A membra perfusus, suscipiat certamina veritatis: haud dubie perpetua promerebitur sacratarum præmia coronarum. Bonorum enim laborum nobilis fructus est: et quanto plura certamina, [b] tanto præcellentior corona virtutum.

7. Sed ad propositum revertamur. Historico enim stylo diximus hunc Evangelii librum esse digestum. Denique describendis magis rebus, quam exprimendis præceptis, studium uberius comparatione aliorum videmus impensum. Et ipse Evangelista historico more a narratione sumpsit exordium: *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias* (*Luc.* i, 5), eamque historiam plena digestione persequitur. Unde etiam ii qui quatuor animalium formas quæ in Apocalypsi revelantur (*Apoc.* B iv, 7), quatuor Evangelii libros intelligendos arbitrati sunt, hunc librum volunt vituli specie figurari: vitulus enim sacerdotalis est victima. Et bene congruit vitulo hic Evangelii liber, quia a sacerdotibus inchoavit, et consummavit in vitulo, qui omnium peccata suscipiens, pro totius mundi vita est immolatus; sacerdotalis enim est ille vitulus. Idem quippe et vitulus et sacerdos: sacerdos, quia propitiator est noster; advocatum enim ipsum habemus apud Patrem: vitulus, quia suo sanguine nos diluit, et redemit. Et bene accidit, ut quoniam Evangelii librum secundum Matthæum diximus esse moralem, opinio hujuscemodi non prætermitteretur; mores enim proprie dicuntur humani.

8. Plerique tamen putant ipsum Dominum nostrum C in quatuor Evangelii libris, quatuor formis animalium figurari, quod idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila esse comprobatur. Homo quia natus ex Maria est: leo, quia fortis est: vitulus, quia hostia est: aquila, quia resurrectio est. Atque ita in libris singulis forma animalium figuratur, ut uniuscujusque libri series popositorum videatur animalium aut naturæ, aut virtuti, aut gratiæ, aut miraculo convenire. Quæ **1265** licet omnia in omnibus sint; tamen plenitudo quædam in singulis virtutum est singularum. Ortum hominis alius (*Matth.*) descripsit uberius, mores quoque hominis præceptis uberioribus crudivit. Alius (*Marcus*) a potentiæ cœpit expressione divinæ, quod ex Rege Rex, fortis ex forti, verus ex vero, vivida mortem virtute contempserit. D Tertius (*Lucas*) sacrificium **1266** sacerdotale præmisit et ipsam vituli immolationem stylo quodam pleniore diffudit. Quartus copiosius cæteris divina miracula resurrectionis expressit. Unus igitur omnia, et unus in omnibus, sicut lectum est (*Coloss.* iii, 11): non dissimilis in singulis, sed verus in cunctis. Sed jam ipsum sermonem adoriamur Evangelii.

[a] Rom. edit., *et illum naturalem Patrem . . . . et illum moralem Patrem.*

[b] *Tanto præcellentior corona virtutum*, vocem *virtutum* Rom. edit. sustulerat.

Digitized by Google

# LIBER PRIMUS.

**1265** (Cap. I. — Vers. 1). *Quoniam*, inquit, A *multi conati sunt ordinare narrationem rerum.*

1. Pleraque nostrorum, quemadmodum veterum Judæorum, paribus et generibus formantur et causis [a] atque exemplorum similium pari usu, exituque conveniunt, principioque rerum et fine concordant: Nam sicut multi in illo populo divino infusi Spiritu prophetarunt: alii autem prophetare se pollicebantur, et professionem destituebant mendacio (*Jerem.* XXVIII, 1), erant enim pseudoprophetæ, potius quam prophetæ, sicut Ananias filius Azor; erat autem [b] populi gratia discernere spiritus, ut cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum; quos autem quasi bonus nummularius improbaret, in quibus materia magis corrupta sorderet, quam veri splendor luminis resultaret: sic B et nunc in novo Testamento multi Evangelia scribere conati sunt, quæ boni nummularii non probarunt. Unum autem tantummodo in quatuor libros digestum ex omnibus arbitrati sunt intelligendum.

2. Et aliud quidem fertur Evangelium, [c] quod duodecim scripsisse dicuntur. Ausus est etiam Basilides Evangelium scribere, quod dicitur secundum Basilidem. Fertur etiam aliud Evangelium, quod scribitur secundum Thomam. Novi aliud scriptum secundum Matthiam. Legimus aliqua (*Dist.* 37, *cap. Legimus aliqua*), ne legantur: legimus, ne ignoremus: legimus non ut teneamus, sed ut repudiemus, et ut sciamus qualia sint in quibus magnifici isti cor exaltant suum. Sed Ecclesia, cum quatuor Evangelii libros habeat, per universum mundum [d] Evangelistis C redundat: hæreses, cum multa habeant, unum non habent. *Multi enim conati*, sed Dei gratia destituti sunt. Plerique etiam ex quatuor Evangelii libris in unum [e] ea quæ venenatis putaverunt assertionibus convenientia, retulerunt. **1266** Ita Ecclesia quæ unum Evangelium habet, unum Deum docet: illi autem qui alium Deum veteris Testamenti, alium novi asserunt, ex multis Evangeliis non unum Deum, sed plures fecerunt.

3. *Quoniam multi*, inquit, *conati sunt*. Conati utique illi sunt, qui implere nequiverunt. Ergo multos cœpisse, nec implevisse, etiam sanctus Lucas testimonio locupletiore testatur, dicens plurimos esse conatos. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes et gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit; ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas: sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta complerunt. Et ideo dicit:

*Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis, completæ sunt*, vel [f] *quæ in nobis redundant.*

4. Quod enim redundat, nulli deficit: et de completo nemo dubitat, cum fidem effectus adstruat, exitus prodat. Itaque Evangelium completum est, et redundat omnibus per universum orbem fidelibus, et [g] mentes omnium rigat, animumque confirmat. Ergo fundatus in petra, et qui om-

[a] Rom. edit., *atque exemplorum simili usu.*

[b] Cave credas hanc Ambrosii mentem fuisse, ut singulis e populo Judæorum eam gratiam attribuerit; cum ejus partem multo maximam toties a pseudoprophetis deceptam tradant sacri codices: at credibilius est ipsum hanc prerogativam ei sacerdotum collegio, quod *sanedrim* vocabant, adscripsisse; cum ad eorum judicium in gravibus controversiis recurrere populus jubeatur Deut. XVII, 9, et seq. Forsan etiam hoc tantum significatum voluit, benignitate divina fuisse provisum, ne umquam universus populus a falsis prophetis perverteretur, ut Reg. III, 19 tempore Achab factum legimus.

[c] Rom. edit. *quod duodecim apostoli*: quo etiam vocabulo adulterinum hoc Evangelium ab Hieronymo nominatur Procemio in Matth.; sed vox *apostoli*, suppressa in vet. edit. ac mss. satis a lectore intelligitur. Infra vero ubi omnes edit. et plures mss. *secundum Basilidem*: mss. quinque melioris notæ legunt, *secundum proprium nomen*. De hoc Basilidis Evangelio loquitur Hieronymus citato loco, et in Isai. cap. LXIV, ubi alia nonnulla hujusmodi apocrypha Evangelia recenset. Evangeliorum quoque Thomæ ac Matthiæ idem Hieronymus memorato Procem. in Matth. mentionem facit, sicut et Evangelii secundum Bartholomæum. Denique hæretici eo usque amplificarunt numerum pseudoevangeliorum, ut suum etiam Judæ proditori ascriberetur, quemadmodum ab Epiphanio, hæresi 38, ac Theodoreto, lib. I *Hæret. fabul.*, discere est. Origenes, Hom. 1 in Luc., Athanasius in Synopsi, et alii nonnulla ex his insanorum Evangelistarum commentis memorant, quæ omnia configit decreto suo Gelasius, et Innocentius I, epist. 3, ad Exuper. Notandum porro quod hic dicitur, *Legimus aliqua, ne legantur*; innuit enim his verbis S. Doctor bonorum episcoporum munus esse, ut pravos libros ipsi pervolventes detecto eorum veneno illos refellant, et plebi suæ hac pestifera lectione interdicant.

[d] Rom. edit., *Evangeliis redundat.*

[e] Ea temeritate corrumpendi sacras paginas Marcionem in Evangelio B. Lucæ usum testantur Tertul. in libris adversus eumdem hæreticum, et Epiphan. hær. 4. De manichæorum autem in conspurcandis libris divinis audacia hic aperte Ambrosius noster non secus ac Leo papa, serm. 4 de Epiph., conqueruntur. Ad extremum Gelasius citato decreto Evangelia Luciani atque Hericli apocrypha declarat. Cæterum hoc loco liceat obiter admonere hoc decretum de libris apocryphis, quod recentiores quidam Hormisdæ pontifici attribuunt, a nobis sub consueto Gelasii titulo allegari, quia illud in mss. ante mille annos exaratis eadem inscriptione prænotatum reperiatur. Vide Mabill. nostrum in *Dissert. de Cursu Gallic.* § 1, *num.* 9.

[f] Græce πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν, quod etiam nonnulli vertunt, *quæ nobis abunde probatæ sunt*. Vide annot. Corderii in Catenam græc. Patrum ad hunc versum.

[g] Corb. cod. et alii non pauci, *mentes omnium regit.*

Digitized by Google

nem fidei sumpserit plenitudinem, firmamentumque constantiæ, recte dicit : *Quæ in nobis completæ sunt;* quoniam non signis et prodigiis, [a] sed verbo vera et falsa discriminant, qui salutaria Domini gesta describunt, vel qui animum mirabilibus ejus intendunt. Quid enim tam rationabile, quam ut credas, quod legis ea gesta quæ supra hominem sunt, potioris esse naturæ; at vero cum legis ea quæ sunt moralia, suscepti credas **1267** esse corporis passiones? Ita verbo atque ratione, non signis fides nostra fundatur.

(Vers. 2.) *Sicut tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt Verbi.*

5. Non congruit ista locutio, ut [b] magis ministerium verbi visum quam auditum esse credamus. Sed quia non prolativum verbum, sed substantiale signatur Verbum illud quod caro factum est, et habitavit in nobis : non vulgare verbum, sed illud cœleste intelligamus, cui Apostoli ministrarunt. Et tamen in Exodo lectum est, quia populus videbat vocem Domini (*Exod.* xx, 18) : et utique vox non videtur, sed auditur. Vox enim quid est, nisi sonus qui non oculis cernitur, sed aure percipitur? Verum altissimo ingenio voluit declarare Moyses, quia vox videtur Dei; interioris enim mentis videtur obtutu; in Evangelio autem non vox, sed illud quod voce præstantius est, Verbum videtur. Unde et Joannes sanctus Evangelista : *Quod erat*, inquit, *ab initio*, *quod audivimus*, *et quod vidimus*, *et oculis nostris perspeximus*, *et manus nostræ scrutatæ sunt de Verbo vitæ* : *et vita apparuit*, *et vidimus*, *et testamur*, *et annuntiamus vobis de vita*, *quæ erat apud Patrem*, *et apparuit nobis* (I *Joan*. I, 1 *et* 2). Vides ergo quod Verbum Dei et visum est apostolis, et auditum. Non solum enim secundum corpus viderunt Dominum, sed etiam secundum Verbum; viderunt enim Verbum, qui cum Moyse et Elia viderunt gloriam Verbi (*Cf. August. Epist. nunc.* 148, *al.* 111). Isti enim viderunt Jesum, qui in sua viderunt gloria; alii non viderunt, qui corpus tantummodo videre potuerunt; non enim corporalibus, sed spiritalibus oculis Jesus videtur.

6. Denique Judæi [c] non viderunt eum; quia non videbant in spiritu. Vidit enim Abraham; quia scriptum est : *Abraham diem meum vidit*, *et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Vidit ergo eum Abraham, qui Dominum utique in corpore non videbat : sed qui vidit in spiritu, vidit in corpore : qui autem vidit in corpore, et non vidit in spiritu; nec in ipso vidit corpore, quod videbat. Vidit eum Esaias; et quia vidit in spiritu, vidit et in corpore. Denique *Non habebat*, inquit, *speciem suam neque decorem* (*Esai.* LIII, 2). Non viderunt eum Judæi; obcæcatum enim erat insipiens

A cor eorum. Ipse quoque non se posse a Judæis videri testificatur dicens : *Duces cæci*, *liquantes culicem*, *camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII, 24). Non vidit eum Pilatus : non viderunt illi, qui clamabant : *Crucifige*, *crucifige eum* (*Joan.* XIX, 6); si enim vidissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent. Qui ergo Deum vidit, vidit Emmanuel, hoc est, vidit nobiscum Deum : qui autem nobiscum Deum non vidit, non potuit videre quem virgo peperit. Denique, qui non crediderunt Dei Filium, nec Filium virginis crediderunt.

7. Quid est ergo Deum videre? Nolo me interroges, Evangelium interroga, ipsum Dominum interroga, [d] immo docentem audi : *Philippe*, *qui videt me*, *videt*, *et Patrem qui me misit*. *Quomodo tu dicis*
B *Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in* **1268** *Patre*, *et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 9 *et* 10)? Utique non corpus videtur in corpore, nec spiritus videtur in spiritu : sed solus ille Pater videtur in Filio, et iste Filius videtur in Patre. Non enim dissimiles a dissimilibus videntur : sed ubi unitas operationis est atque virtutis, et Filius in Patre, et Pater videtur in Filio. *Quæ ego*, inquit, *opera facio*, *et ille facit* (*Joan.* v, 19). In operibus Patris Jesus videtur, in operibus Filii et Pater cernitur. Vidit Jesum qui Galilææ illud mysterium (*Joan.* II, 9), [e] id est, ex aqua vinum factum vidit; quod nemo posset, nisi mundi Dominus elementa convertere. Video Jesum, quando lego quia cæco linivit oculos luto, et reddidit visum. Ipsum enim recognosco qui de luto finxit hominem, et
C ei vivendi spiritum, et videndi lumen infudit (*Gen.* II, 7). Video Jesum, quando peccata condonat; nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus (*Marc.* II, 6 *et* 7). Video Jesum, quando Lazarum suscitat : et non viderunt qui viderunt (*Joan.* XI, 44). Video Jesum, video etiam Patrem, quando oculos ad cœlum erigo, ad maria converto, ad terram retorqueo : *Invisibilia enim ejus*, *per ea quæ perfecta sunt intellecta*, *conspiciuntur* (*Rom.* I, 20).

8. *Sicut tradiderunt nobis*, *qui ab initio viderunt*, *et ministri fuerunt Verbi*. Gemina virtus est in homine perfecto, ut et intentio sit, et actio. Utramque igitur virtutem sanctus Evangelista apostolis defert; non solum enim viderunt, sed etiam *ministri*, inquit, *Verbi fuerunt*. Intentio visionis, actionis est ministe-
D rium : finis autem intentionis est actio : principium actionis intentio. Atque ut proprio apostolorum utamur exemplo, intentio est, quod Petrus et Andræas audita Domini voce dicentis : [f] *Faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19), sine ulla comperendinatione reliquerunt scalmum, Verbum secuti sunt. Sed non statim in intentione actio : nec ibi quidem

[a] Rom. edit., *sed verbo atque ratione vera*, etc.

[b] Sic edit. omnes, ac mss. aliquot. Novem tamen non infimæ notæ legunt *ut magis*. e quibus quatuor *majus*, *ministerium verbi*. *quam auditus* : ex quo etiam numero quidam forte calami lapsu, *quam auditum*. Sed in illis omnibus deest, *visum*.

[c] Mss. Corb. et alii non pauci, *non viderunt eum, qui videbant. Vidit*, etc. Non male, si post verbum *videbant*, subintelligatur *in corpore*.

[d] Vet. edit. et plerique mss. *immo dicentem audi*.

[e] *Id est*, *ex aqua vinum factum*. Hæc verba quæ non nisi in tribus mss. et in edit. Rom. reperiuntur, e glossa in textum irrepsisse haud improbabile est.

[f] Corb. et alii aliquot, *faciam vos piscatores hominum*.

Digitized by Google

adhuc actio, sed intentio ubi dicit Petrus : Domine, A quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam (*Joan.* XIII, 37). Erat enim intentio passionis, sed nondum erat actio ; licet in jejuniis jam esset actio, esset in vigiliis, esset in contemptu corporalium voluptatum; hæc enim est actio Christiani. Neque enim in omnibus rebus simul et intentio, et actio est : sed cum sit rei alterius actio, alterius adhuc intentio est. Nam et ipse Petrus [a] cum multa apostolica virtute perpeti peregisset; postea tamen quando dixit ei Dominus : *Tu me sequere* (*Joan.* XXI, 22), tulit crucem suam et secutus est Verbum, atque actionem subiit passionis. Sed fuerat in Petro, Andrea, Joanne, et cæteris apostolis et intentionis, et actionis æqualitas.

9. Est autem nonnumquam plus in intentione B quam in actione, aut plus in actione, quam in intentione; ut in Evangelio cernimus inter sanctam Mariam, et Martham fuisse distantiam. Alia enim Verbum audiebat : alia festinabat circa ministerium, quæ stetit, et ait : *Domine, non est tibi curæ, quod dereliquit me soror mea solam ministrare. Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et dixit illi Dominus : Martha, Martha... Maria optimam partem elegit, quæ* **1269** *non auferetur ab ea* (*Luc.* X, 40-42). Ergo in altera intentionis studium, in altera actionis ministerium redundabat : utrique tamen utriusque virtutis studium suppetebat. Siquidem et Martha, nisi audisset Verbum, ministerium non subiisset, cujus actio intentionis indicium est : et Maria tantum gratiæ de utriusque retulit perfectione virtutis; ut ungeret pedes Jesu, et tergeret C capillis, et totam domum suæ fidei odore compleret (*Joan.* XII, 3). Est etiam nonnumquam maxima intentio, cassa actio ; ut si medicinæ animum aliquis intendat, et cum omnia medendi præcepta cognoverit, non exsequatur officia : atque ita fit ut quia cassa actio, cassa etiam intentio sit. Est etiam in nonnullis uberior aliquando actio, exilior intentio; ut si quis baptismi salutaris sacramenta percipiat, et cognoscendis variarum virtutum præceptis animum nolit intendere, fit plerumque ut per intentionis incuriam fructum actionis amittat. Ideo ergo utriusque virtutis plenitudo quærenda est, quam consequi potuerunt apostoli, de quibus dicit : *Qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt Verbi;* ut per id quod viderunt, divinæ cognitionis intelligatur intentio : D per id quod ministri fuerunt, eorum actio declaretur.

(Vers. 3). *Visum est*, inquit, *et mihi.*

10. Potest etiam non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate tantum humana visum est : sed sicut placuit ei qui in me, inquit, loquitur Christus; qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur; quem enim miseratur, et vocat (II *Cor.* XIII, 3). Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere : Visum est mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum; a Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est. Denique plurimi voluerunt scribere Evangelium : sed quatuor tantummodo, qui divinam meruerunt gratiam, sunt recepti.

*Visum est*, inquit, *et mihi assecuto a principio omnia* [b] *diligenter ex ordine.*

11. Prolixiorem hunc Evangelii librum quam cæteros esse nemo dubitaverit. Non ideo non ea quæ falsa sunt, sed quæ vera, sibi vindicat. Denique etiam a sancto apostolo Paulo testimonium meruit diligentiæ. Sic enim laudat Lucam : *Cujus laus*, inquit, *est in Evangelio per omnes Ecclesias* (II *Cor.* VIII, 18). Et vere laudabilis est, qui meruit a tanto gentium doctore laudari. Assecutum itaque se non pauca dicit, sed omnia : et assecuto omnia visum est scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed assecutus est omnia; quia quæ fecit, inquit, Jesus, si scribantur omnia, nec ipsum capere mundum arbitror (*Joan.* XXI, 25). Advertis enim quod consulto etiam ea quæ ab aliis sunt scripta præteriit, ut diversa in Evangelio gratia refulgeret, et propriis quibusdam singuli **1270** libri mysteriorum gestorumque miraculis eminerent. Diviserunt enim sibi vestimenta Domini milites Christi, quod suo loco plenius explanabitur (*Infra lib.* X, *in cap.* XXIII, XXXIV).

12. Scriptum est autem Evangelium ad Theophilum, hoc est, ad eum, [c] quem Deus diligit. Si Deum diligis, ad te scriptum est : si ad te scriptum est, suscipe munus Evangelistæ : pignus amici in penetralibus animi diligenter adserva. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (II *Tim.* I, 14) : frequenter inspice, sæpius discute. Fides pignori prima debetur : fidem sequitur diligentia; ne commissa tibi pignora aut tinea, aut ærugo consumat. [d] Quod enim tibi commissum est,

[a] Rom. edit. et pauci mss. *cum multa apostolica virtute perpeti prælegisset* : duo mss. *perelegisset.* Aliæ edit. et cod. scripti : *cum multa apostolica virtute perpeti* (quidam, *perpete*, quidam vero utrumque omiserunt) *peregisset.* Atqui sensus docet ultimam hanc lectionem optimam ac retinendam esse. Non enim vox, *apostolica*, in sexto casu, sed in quarto, sicut nec *perpeti* pro verbo, sed pro adjectivo sumenda est.

[b] Sic mss. omnes. Addunt. vet. edit., *tibi scribere.* Rom. autem locum ita decurtaverat : *omnia diligenter. Et ideo*, etc.

[c] Edit. Rom., *qui Deum diligit* : quod quidem cum hoc sequenti, *si Deum diligis*, videtur melius convenire : sed huic lectioni vet. omnes edit. ac mss. refragantur. Cæterum videtur hoc loco Ambrosius per Theophilum non certi cujuspiam hominis nomen intelligere, sed quamdam omnium Christianorum appellationem. Communior tamen opinio certum ac definitum hominem eo significari contendit; et hoc imprimis nititur argumento, quod honoris gratia *optimus* salutetur, qui titulus non nisi viris illustribus tribui consueverat. Vide Baron. ad an. 58. num. 35, et interpretes in hunc locum, nec non in Acta apost. cap. I, vers. 1, cap. XXIII, vers. 26, et alibi.

[d] *Quod enim tibi commissum est, consumi potest : Evangelium consumi non potest.* Isthæc in Rom. edit, evanuerant : eo videlicet ne parum cohærentia loqui videretur Ambrosius, cum nobis cavendum esse præcipit, ut ne in animo corrumpi sinamus Evangelium. Sed nihil in hoc est repugnantiæ, cum veritas omnis in se incorruptibilis maneat licet in mentibus

Digitized by Google

consumi potest: Evangelium consumi non potest. Evangelium bonum pignus est: sed vide ne vel in animo tuo illud aut tinea aut ærugo consumat. Consumit tinea, si quod bene legeris, male credas.

13. Tinea hæreticus est, tinea Photinus est, tinea tua Arrius est. Scindit vestimentum, qui separat a Deo Verbum. Scindit vestimentum Photinus, cum legit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat* (*Joan.* I, 1). Integrum enim vestimentum est, si legas: *Et Deus erat Verbum.* (*Ibid.*) Scindit vestimentum qui separat a Deo Christum. Scindit vestimentum qui legit: *Hæc est autem vita æterna; ut cognoscant te solum verum Deum* (*Joan.* XVII, 3); nisi cognoscat et Christum. Non enim solum Patrem vere Deum cognoscere vita æterna est: sed etiam [a] Christum cognoscere verum Deum, verum de vero, Deum de Deo, vita est sempiterna. Tinea est Christum cognoscere sine divinitatis fide, aut corporis sacramento. Tinea est Arrius, tinea est Sabellius. Patitur has tineas spiritus fluctuantium: patitur has tineas spiritus qui non credit quia Pater et Filius divinitate unum sunt: Scindit quod scriptum est: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), qui unum per discretas substantias dividit. Patitur hanc tineam spiritus, qui Jesum Christum in carne venisse non credit: et ipse est tinea: ipse est enim antichristus. Qui autem de Deo sunt, fidem tenent; et ideo tineam pati non queunt, quæ dividit vestimentum. Omne enim quod inter se dividitur, sicut satanæ regnum, non potest esse perpetuum.

14. Est etiam ærugo animi, cum sæcularium sordibus cupiditatum religiosæ acies intentionis obducitur, aut fidei puritas decoloratur nube perfidiæ. Ærugo mentis est rei cupiditas familiaris; ærugo mentis incuria est: ærugo mentis est ambitio dignitatum, si in his summa spes vitæ præsentis locetur. Et ideo ad divina conversi, acuamus ingenium, exerceamus affectum; ut gladium illum, quem vendita veste (*Luc.* XXII, 36), emi Dominus jubet, paratum semper et lucidum tamquam in vagina mentis reconditum habere possimus. Arma enim spiritalia et fortia Deo ad destruendas munitiones militibus Christi debent semper esse præsentia; ne cum venerit dux cœlestis militiæ, **1271** situ nostrorum offensus armorum, a legionum suarum nos societate secernat.

(Vers. 5, 6). *Fuit*, inquit, *in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: et uxor ejus de filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth. Et erant ambo justi, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.*

15. Docet nos Scriptura divina non solum mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari; ut veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis quos volumus laudare præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut sanctus Joannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sic etiam sancti Samuel mater Anna laudatur: sic Isaac a parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec solum sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est nobilis inter superiores familias.

16. *Et uxor*, inquit, *ejus de filiabus Aaron.* Non solum igitur a parentibus, sed etiam a majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur; non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales enim majores habere debuit prænuntius Christi; ut non repente conceptam, sed a majoribus acceptam, et ipso infusam jure naturæ prædicare fidem Dominici videretur adventus.

17. *Erant*, inquit, *ambo justi incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Quid ad hoc referunt qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, et utuntur versiculo; quia scriptum est in Job: *Nemo mundus a sorde, nec si una dies vita ejus sit in terra, numerosi menses ejus ab ipso* (*Job.* XIV, 4 *et* 5)? Quibus respondendum est, prius ut quid sit hominem sine peccato esse definiant: utrum numquam omnino peccasse, an desiisse peccare? Si enim hoc putant sine peccato esse, [b] desiisse peccare: et ipse consentio; *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Sin autem, eum qui veterem errorem correxerit, et in eam se vitæ transformaverit qualitatem, ut temperet a peccato, negant abstinere a delictis, non possum in eorum convenire sententiam; cum legamus: Quia *sic Dominus dilexit Ecclesiam.... ut exhibeat sibi ipse gloriosam, et non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi: sed ut sit sancta, et immaculata* (*Ephes.* V, 25 *et* 27). Nam cum Ecclesia ex gentibus, hoc est, ex peccatoribus congregata sit, quomodo ex maculatis immaculata potest esse; nisi primo per Dei gratiam, quod abluta a delicto sit: deinde quod per qualitatem non peccandi abstineat a delictis? Ita nec ab initio immaculata; humanæ enim hoc impossibile est naturæ: sed per Dei gratiam et qua-

plurimorum hominum mendacii commixtione adulteretur.

[a] Ita vet. edit. quibus scripti cod. consentiunt. Edit. vero Rom. locum interpolaverat hoc modo: *Christum cognoscere Deum de Deo, verum de vero, vita est sempiterna.*

[b] Rom. edit., *numquam omnino peccasse.* Cæteræ, ac mss. omnes, *desiisse peccare*, ex quibus verbis ut depellatur ambiguitas locum intellige isto sensu: Si dicant eum esse sine peccato, qui peccare desierit, de hac definitione ipsis assentior, cum alia in homines quadrare nequeat. Sed si præterea contendant qui recesserit a prioribus peccatis, in posterum ab iisdem aut aliis abstinere non posse, id vero penitus inficior. Certum non levia et quotidiana, sed gravia peccata, qualia sunt quæ sanctificantem gratiam excludunt, hic intelligenda esse manifestum est; cum ipse miseram hanc peccandi, quoad isto corpore mortis liberemur, necessitatem passim agnoscat. Et certe quam pulchre ipsi cum Augustino hac in parte conveniat, a nobis jam fuit observatum.

Digitized by Google

litatem sui, quia jam non peccat, fit ut immaculata videatur.

18. Nec otiose justos ante Deum dixit, *incedentes in mandatis et justificationibus Domini* : **1272** in quo Patrem omnipotentem, et Filium comprehendit. Filium esse qui legem tulerit, mandata præscripserit, etiam sanctus Lucas evangelista declarat (*Luc.* vi, 47). Et bene justos ante Deum; non enim omnis qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter videt Deus ; homines in facie, Deus in corde. Et ideo fieri potest ut aliquis, affectata bonitate populari, justus videatur mihi : justus autem ante Deum non sit, si justitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur; abscondita enim in ea homo non poterit deprehendere. Perfecta igitur laus est, ante Deum justum esse. Unde et Apostolus : *Cujus laus*, inquit, *non ex hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* ii, 29). Beatus plane ille qui in conspectu Dei justus est. Beatus ille, de quo Dominus dignatur dicere : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* i, 47) ; verus enim Israelita, qui Deum videt, et videri se novit a Deo, et ipsi exhibet cordis occulta. Solus enim perfectior, qui ab eo probatur, qui non potest falli : *Judicia* enim *Domini vera* (*Psal.* xviii, 10) : judicia autem hominum sæpe falluntur ; ut et injustis justitiæ gratiam frequenter adscribant, et justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. *Novit* autem *Dominus immaculatorum vias* (*Psal.* xxxvi, 18) ; nec pro peccatore laudabilem, nec pro laudabili peccatorem : sed unumquemque pro competentium judicat ratione meritorum; idem est enim arbiter mentis et facti. Divina namque judicia meritum justi ex mentis habitu, non aliquo factorum exitu metiuntur. Plerumque enim aut bona mens facti reprehensibilis exitu deformatur : aut improba cogitatio facti alicujus decore velatur. Sed etiam quod bene feceris, si male cogitaveris, divino judicio non potest comprobari. Scriptum est enim : *Juste quod justum est persequeris* (*Deut.* xvi, 20). Nam nisi esset ut justum injuste faceres, numquam dictum esset : *Juste quod justum est persequeris.* Et certe posse justum injuste fieri docuit nos ipse Salvator dicens ; *Cum feceris eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Et, *Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ* (*Matth.* vi, 2 *et* 5). Bonum est misericordia, bonum est oratio : sed potest injuste fieri, si jactantiæ causa aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus.

19. Unde sanctus Evangelista non solum justos ante Deum, et incedentes in mandatis omnibus et justificationibus Domini : sed etiam sine querela incedentes ait. Quod mire cum prophetico congruit dicto, quo sanctus Salomon in Proverbiis usus est dicens : *Provide bona semper coram Deo, et coram hominibus* (*Prov.* iii, 4). Nulla ergo querela est, ubi et mentis bonitas concordat, et facti. Et plerumque justitia durior hominum querelam excitat.

20. Quam vero congruat verborum ipsa distinctio, et ordo conveniat, diligenter adverte. *Incedentes*, inquit, *in omnibus mandatis et justificationibus Domini.* Prius enim mandatum, secunda est justificatio. Itaque cum mandatis cœlestibus obedimus, in mandatis incedimus Domini ; **1273** cum judicamus, et congrue judicamus, tenere Domini justificationes videmur.

21. Plena igitur laudatio est quæ genus, mores, officium, factum, judicium comprehendit. Genus in majoribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in justificatione judicium.

(Vers. 8, 9, 10.) *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Dominum Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini : et omnis populus foris orabat hora incensi.*

22. Videtur hic sanctus Zacharias summus designari sacerdos; quia, sicut lectum est [a] de priore tabernaculo in quod semper intrabant sacerdotes ministeria consummantes, non uno tantum anni tempore intrabant in templum : in secundo autem semel in anno singularis summus sacerdos non sine sanguine, quem offerret pro se et populi delictis (*Hebr.* x, 6 *et* 7). Hic est ille summus sacerdos, qui adhuc sorte quæritur; quia verus adhuc ignoratur : qui enim sorte legitur, humano judicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, et alius figurabatur. Ille quærebatur verus in æternum sacerdos, cui dicitur : *Tu es sacerdos in æternum* (*Psal.* cix, 4) : qui non hostiarum cruore, sed proprio sanguine Patrem Deum generi reconciliaret humano. Sed tunc sanguis fundebatur in specie, et in specie sacerdos ordinabatur : nunc quia veritas venit, relinquamus speciem, veritatem sequamur. Et tunc quidem vices erant, nunc autem est perpetuitas. [b] Erat ergo, et certe erat cujus vices etiam gerebantur.

23. Sorte ergo legebatur, ut introiret in templum sacerdos. Si igitur in typo nullus poterat testis adhiberi, quid aliud significabatur, nisi eum sacerdotem esse venturum, cujus sacrificium non esset commune cum cæteris : qui denique non in manufactis templis

[a] Rom., edit., *In priore tabernaculo semper intrabant sacerdotes ministeria consummantes : in secundo autem*, etc. Ant. edit. atque mss. addunt. . . . *consummantes, uno tantum anni tempore intrabant in templum*, etc. Mss. nonnulli,... *intrabat in templum*. Denique unicus Clarom. post vocem, *consummantes*, negationem habet, quem licet recentiorem sequi visum est, cum sensum præ se ferat expeditiorem. Non tamen omnino displicent qui legunt, *intrabat*, etc., ut referatur ad summum sacerdotem ; sed sic etiam videtur inserenda negatio. Tandem si de sacerdotibus inferioribus intelligas, et malis amandare negationem, dicendum erit Ambrosium in ea sententia fuisse, vicem cujusque familiæ ad ministrandum in templo semel tantum in anno rediisse; cum tamen post 168 dies rediret, ut ex J. Scalig. observat Grotius in hunc locum.

[b] Edit. Rom. in textu jugulaverat sequentia : *Erat ergo, et certe erat cujus vices etiam gerebantur* : quæ nos in suum locum vet. edit. et mss. omnium auctoritate restituimus.

Digitized by Google

sacrificaret pro nobis, sed in sui corporis templo nostra peccata vacuaret. Sorte ergo quærebatur sacerdos. Ideo fortasse et milites vestimenta Domini sortiebantur (*Joan.* XIX, 24), ut quoniam in templo suo pro nobis Dominus deferre sacrificium præparabat, [a] circa ipsum quoque sortis agitatio præceptum Legis impleret. Propter quod ait : *Non veni Legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 7). **1274** Certe ut ipse esset, qui et exspectatus in veteri Testamento, et mandato Dei videretur electus. Denique et super apostolum Matthiam [b] sors cecidit (*Act.* I, 26), [c] ne apostoli electio a mandato discrepare legis veteris videretur.

(Vers. 11.) *Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi.*

24. Non immerito angelus videtur in templo; quia veri Sacerdotis jam nuntiabatur adventus, et cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent (*Cf. Aug. epist.* 148, *al.* 111, *et alibi*). Et bene apparuisse dicitur ei, qui eum repente conspexit. Et hoc specialiter aut de angelis, aut de Deo Scriptura divina tenere consuevit; ut quod non potest prævideri, apparere dicatur; sic enim habes : *Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem Mambre* (*Gen.* XVIII, 1). Nam qui [d] ante non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, et is in cujus voluntate [e] situm est videri, et cujus naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non videtur : si vult, videtur. Apparuit enim Deus Abrahæ, quia voluit : alii, quia noluit, non apparuit. Visum est etiam Stephano, cum lapidaretur a populo, aperiri cœlum : visus est etiam Jesus stans ad dexteram Dei; et non est visus a populo (*Act.* VII, 55). Vidit Esaias Dominum Sabaoth, sed alius videre non potuit; quia cui placuit, apparuit (*Esai.* VI, 1).

25. Et quid de hominibus loquimur, cum etiam [f] de ipsis cœlestibus virtutibus et potestatibus legerimus, quia *Deum nemo vidit umquam* (*Joan.* I, 18)? Et addidit, quod ultra cœlestes est potestates : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Ibid.*). Aut adquiescatur igitur necesse est, si Deum Patrem nemo vidit umquam, Filium visum esse in veteri Testamento; et desinant hæretici ex Virgine ei principium dare, qui antequam nasceretur ex Virgine, videbatur : aut certe refelli non potest, vel Patrem, vel Filium, vel certe Spiritum sanctum, [g] si tamen est Spiritus sancti visio (*Aug. loco citato*), ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formaverit; quoniam Spiritum quoque visum accepimus in columba. Et ideo Deum nemo vidit umquam; quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. *Vidit* enim ad utrumque **1275** referendum est. Denique cum additur : *Unigenitus Filius ipse enarravit*, mentium magis quam oculorum visio declaratur. species enim videtur, virtus vero narratur : illa oculis, hæc mente comprehenditur.

26. Sed quid de Trinitate dicam? Seraphim quando voluit, apparuit, et vocem ejus Esaias solus audivit (*Esai.* VI, 6). Apparuit angelus, et nunc præsto est, sed non videtur; neque etiam in potestate nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tamen, etsi potestas non est videndi, est gratia promerendi ut videre possimus. Et ideo qui habuit gratiam, meruit copiam : nos copiam non meremur, quia Deum videndi gratiam non habemus.

27. Et quid mirum si in præsenti sæculo, nisi quando vult, Dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi iis qui corde sunt mundo. Et ideo ait : *Beati mundo corde : ipsi enim Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Quantos beatos jam numeraverat, et tamen videndi his Deum non promiserat facultatem! Si ergo ii qui mundo sunt corde, Deum videbunt; utique alii non videbunt. Neque enim indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre. Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde : nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sen-

[a] Rom. edit., *circa ipsam quoque sortis agitationem præceptum Legis impleretur. Propter quod ait.*

[b] Sortium usum in veteri Testamento frequentem fuisse ignorat nemo. Sed nec ab August. epist. al. 180, nunc 228, idem usus in novo plane repudiatur, et in Conc. Barcel. ann. 599, can. 3, comprobatur. At forte mirabitur aliquis scripsisse Ambrosium nostrum sortem idcirco illic adhibitam esse, *ne apostoli electio a mandato discrepare legis veteris videretur.* Difficultas autem inde oritur, quod jam tunc hujusmodi legales observationes in desuetudinem abiisse censeantur. At relato hoc ipso loco Venerabilis Beda in Acta apostolorum objectioni occurrit ad eum modum : *Matthias ante pentecosten*, inquit, *ordinatus sorte quæritur; quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus sancti effusa.* Unde sic colligit : *Donec veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Inde est quod Matthias qui ante pentecosten ordinatur, sorte quæritur.* Et hoc in posterioribus eo confirmat, quod postea in electione diaconorum nulla sors memoretur intervenisse. Addi etiam potest id forte eo modo peractum esse, ut ne Judæis recens ad fidem conversis offensionis daretur occasio, quam ipsam ob causam Actuum XVI narratur Apostolus Timotheum patre gentili natum circumcidisse. Adi sis Thomassinum Discipl. Eccl. lib. II, cap. 14.

[c] Corb. cod., *ut apostoli electio a mandato Legis videretur.*

[d] Idem Corb. et alii aliquot, *ante non præsentatur.*

[e] Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero locum contraxit in hanc formam, *situm est videri, naturæ vero est non videri.*

[f] Cum nemo catholicus ambigere possit, quin beati Angeli semper videant faciem Patris, intelligendus hic locus de visione, ut vocant, comprehensiva. Quod quidem ipse Doctor satis aperte significat, dum infra subdit, *plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit.* Neque vero aliter accipiendum est quod ait Chrysostomus : Ἐπεὶ αὐτὸ ὅπερ ἐστὶν ὁ Θεὸς οὐ μόνον προφῆται, ἀλλὰ οὔτε ἄγγελοι εἶδον οὔτε ἀρχάγγελοι. Nam in sequentibus haud ambiguis verbis se ipse exponit, ubi dicit, ἀλλ' οὕτως οὐδεὶς οἶδεν ὡς ὁ Υἱός. Et infra eidem Filio tribuit soli, ἀκριβῆ τοῦ Πατρὸς κατάληψιν.

[g] Rom. edit. sola, *si tamen et Spiritus sanctus visui*

Digitized by Google

titur incessu. Et cum absens putatur, videtur: et A cum præsens est, non videtur. Denique nec apostoli omnes Christum videbant; et ideo ait: *Tanto tempore vobiscum sum, et adhuc me non cognovistis* (*Joan.* XIV, 9)! Qui enim cognovit quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum, et supereminentem scientiæ charitatem Christi, vidit et Christum, vidit et Patrem. Nos enim jam secundum carnem non novimus Christum, sed secundum spiritum; spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordia sua implere dignetur; ut videri possit a nobis. Ideo ergo apparuit Zachariæ angelus a dextris altaris incensi, quia apparuit cum voluit, non apparuit quamdiu noluit.

28. Apparuit autem a dextris altaris incensi; quia B divinæ insigne misericordiæ deferebat: *Dominus enim a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV, 8). Et alibi: *Dominus protectio tua super manum dexteræ tuæ* (*Psal.* CXX, 5). Atque utinam nobis quoque [a] adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, immo præbeat se videndum. Non enim dubites assistere angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7). Nec verearis ne turbetur cor tuum angeli visione (perturbamur enim, et a nostro alienamur affectu, quando præstringimur alicujus superioris potestatis occursu), idem enim angelus qui occurrerit nobis, confirmare nos poterit, sicut turbatum ante Zachariæ firmavit animum, dicens: C

(Vers. 13, 14.) *Ne timeas Zacharia, quoniam ecce oratio tua exaudita* **1276** *est: et uxor tua Elizabeth pariet filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi: et multi in nativitate ejus gaudebunt.*

29. Plena semper, et redundantia sunt divina beneficia: non exiguo constricta numero, sed uberi bonorum coacervata congestu; ut hic primo precationis fructus, deinde sterilis partus uxoris, tum lætitia plurimorum, et magnitudo virtutis. Altissimi quoque propheta promittitur: quin etiam, ne qua esset dubitatio, futuri quoque vocabulum designatur. Tantis igitur supra votum fluentibus, non immerito diffidentiæ pœna silentium est: quod in posterioribus explanabimus. Solemnis autem lætitia est in ortu et generatione sanctorum; sanctus enim non solum D parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum. Unde admonemur hoc loco sanctorum generatione lætari.

30. Admonentur etiam parentes gratias agere non minus pro ortu, quam pro meritis filiorum; non enim mediocre munus est Dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes. Lege Jacob duodecim filiorum generatione gaudere (*Gen.* XLIX, 28). Abrahæ filius datur (*Gen.* XXI, 2). Zacharias exauditur. Divinum igitur munus, fecunditas est parentis. Agant itaque patres gratias, quia generaverunt: filii, quia generati sunt: matres, quia conjugii præmiis honorantur; stipendia enim militiæ suæ filii sunt. Vernet in Dei laudem terra, quia colitur: mundus, quia cognoscitur: Ecclesia, quia devotæ numero plebis augetur. Nec otiose in principio (*Gen.* II, 24) statim Genesis Dei jussu conjugium copulatur, nisi ut hæresis destruatur. Sic enim Deus conjugium probavit, ut jungeret: sic remuneratus est, ut quibus sterilitas filios denegasset, pietas divina concederet.

(Vers. 15.) *Et erit magnus coram Domino.*

31. Non corporis hic, sed animæ magnitudinem declaravit. Est coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis: est etiam parvitas animæ, et pueritia virtutis. Juxta enim animæ et corporis numeramus ætates, non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis; ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, et lubricum adolescentiæ animi maturitate non sentiat: pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum. Unde illud in Hieremia, cum misereretur Dominus deflentis Ephræm, [b] et peccata propria deprecantis: *A juventute*, inquit, *mea dilectus mihi est filius Ephræm, puer in deliciis* (*Jerem.* XXXI, 20). Si enim non fuisset puer in deliciis, numquam peccavisset. Et bene utrumque dixit, et in deliciis, et puerum; est enim puer, qui non peccat: *Ecce puer meus, quem elegi* (*Esai.* XLIII, 10). Per delicias itaque peccavit, [c] qui ita erat informatus a Domino, ut nescius esset erroris. Ergo et si puer in deliciis non fuisset, et si in virum perfectum virtutis processisset ætate, numquam lapsus fuisset; ut illi necesse esset veniam suorum petere **1277** delictorum, cum magis meritorum præmia sperare deberet. Quid etiam Dominus noster in Evangelio videtur exprimere, cum dicit: *Nolite contemnere unum ex pusillis istis* (*Matth.* XVIII, 10). Sed loco suo plura serventur. Ergo pusillus contrarius est magno. Et si, juxta Apostolum, parvulus sub elementis est: *Cum* enim *essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus* (*Galat.* IV, 10): ergo magnus supra elementa mundi est.

*est.* Id autem autumamus eo sensu intelligendum quo S. Thom. I part. quæst. 43, art. 7, ad 6, negat in vet. Testamento factam fuisse Spiritus sancti visibilem missionem. Alioquin enim tres personas SS. Trinitatis Abrahamo apparuisse liquido in libris de eodem Patriarcha, et alibi tradit hic noster Ambrosius.

[a] Hujus loci testimonio utitur Card. Bona. *Rerum Liturg.* lib. I, cap. 25, num. 9, ut thurificationis antiquitatem probet. Sed eo non minus demonstrari potest admissum ab antiquis Patribus in Ecclesia verum sacrificium, qua de re Ambrosii extant loci complures, ut jam alibi observavimus.

[b] Ita edit. Amerb. in corpore. Era. et Gill. in marg. cum mss. fere omnibus. Edit. autem Era., Gill. ac Rom. in corpore cum paucissimis mss., *peccata propria deplorantis.*

[c] Omnes edit., *qui non ita erat informatus a Domino.* Omnes mss., *qui ita*, vel, *quia ita erat*, etc. Negationem autem hic superfluam esse videtur satis indicare sequens conclusio: *Ergo et si puer in deliciis*, etc.



Digitized by Google

32. Erit itaque Joannes magnus non virtute corporis, sed animæ magnitudine. Denique non fines alicujus propagavit imperii, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis præoptavit: sed quod est amplius, in deserto prædicans, delicias hominum, corporisque lasciviam magna animi virtute depressit. Parvulus ergo in sæculo, magnus in spiritu. Denique quasi magnus, nec vitæ captus illecebris, sententiæ constantiam vivendi desiderio mutavit.

(Vers. 15.) *Et Spiritu*, inquit, *sancto replebitur adhuc in utero matris suæ*.

33. Non est dubium verum hoc angeli esse promissum; siquidem sanctus Joannes, antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus, Spiritus accepti gratiam designavit. Nam cum et pater ejus aut mater nulla ante mirabilia fecissent, in utero parentis exsiliens, parenti Domini evangelizavit adventum; sic enim habes, quod cum advenisset mater Domini ad Elizabeth, ait illa: *Ecce ut facta est salutatio tua in auribus meis, exsultavit infans in utero meo* (*Luc* I, 44, *infra*). Nondum enim erat illi [a] spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ. Denique et alibi vivendi substantiam præcurrere sanctificandi gratiam potuimus advertere, cum dicit Dominus: *Priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te* (*Jerem.* I, 5). Alius enim est spiritus vitæ hujus, alius gratiæ: ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum: iste non temporibus, non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur. Denique et sancta Maria plena sancto Spiritu prophetavit (*Luc.* I, 46, *infra*): et Elisæus mortuus defunctum cadaver hominis tactu sui corporis suscitavit (*IV Reg.* XIII, 21): et Samuel post mortem, secundum Scripturæ testimonium, futura non tacuit (I *Reg.* XXVIII, 17 *et seq.*).

34. *Et Spiritu*, inquit, *sancto replebitur*. Cui enim adest Spiritus gratiæ, nihil deest. Et cui Spirtus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est. Denique

(Vers. 16.) *Multos*, inquit, *filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum*.

35. Non egemus testimonio quod plurimorum sanctus Joannes corda converterit, in quo nobis propheticæ Scripturæ et evangelicæ suffragantur. *Vox enim clamantis in deserto: Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus* (*Esai.* XL, 3; *Matth.* III, 6): et baptismata **1278** populis frequentata declarant conversæ plebis non mediocres factos esse processus; quia dum creditur Joanni, creditur Christo. Non enim de se, sed de Domino prædicabat prænuntius Christi. Et ideo

A (Vers. 17.) *Præibit in conspectu Domini in spiritu et virtute Eliæ*.

36. Bene ista junguntur; numquam enim sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus est. Et ideo fortasse in spiritu et virtute Eliæ; quia sanctus Elias et virtutem magnam habuit et gratiam: virtutem, ut ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret: virtutem abstinentiæ atque patientiæ, et spiritum prophetandi. In deserto Elias, in deserto Joannes: ille corvis pascebatur, hic dumis; et calcata omni voluptatis illecebra, parcimoniam prætulit, luxumque contempsit: ille Achab regis gratiam non quæsivit, hic sprevit Herodis: ille Jordanem divisit, hic ad lavacrum salutare convertit: hic cum Domino versatur in terris, ille cum Domino apparet in gloria: hic
B prioris, ille sequentis Dominici præcursor adventus: ille post triennium arescentem pluviis terram rigavit, et hic post triennium nostri corporis humum fidei imbre perfudit. Quæris quod triennium sit? *Ecce*, inquit, *anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio* (*Luc.* XIII, 7); mysticus enim numerus debebatur, ut salus populis redderetur. Unus in Patriarchis annus: denique de hominibus tunc anni proventus fuit, qualis non fuit postea super terram. Alius in Moyse et prophetis cæteris. Tertius in Domini Salvatoris adventu: *Ecce*, inquit, *annum Domini acceptum, et diem retributionis* (*Luc.* IV, 19). Et ille paterfamilias qui plantavit vineam, non semel exactores fructuum, sed sæpius destinavit: primum servulos, secundo alios servulos destinavit,
C tertio autem Filium suum misit (*Matt.* XXI, 33 *et seq.*).

37. Venit ergo Joannes in spiritu et virtute Eliæ: alterum enim sine altero non potest esse, sicut etiam in sequentibus reperitur, cum dicitur: *Spiritus sanctus superveniet te, et virtus Altissimi obumbrabit te* (*Luc.* I, 35, *infra*). Sed fortasse hoc supra nos, et supra apostolos [b] videatur exemplum. Nam et ille sub Elia diviso amne fluvialium recursus undarum in originem fluminis, sicut dicit Scriptura: *Jordanis conversus est retrorsum* (*Psal.* CXIII, 5) significat salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli a malitia reformantur (*Cf. August., lib.* I *contra Jul. Pelag., cap.* 2). Quid quod etiam apostolis suis ipse Dominus virtutem Spiritus esse tribuendam promisit, dicens:
D [c] *Accipietis virtutem advenienle in vos Spiritu sancto.* (*Act.* I, 8). Deinde in sequentibus: *Factus est*, inquit, *subito sonus de cœlo, tamquam vi magna ferretur Spiritus* (*Act.* II, 2). Bene *vi magna*, quia *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Et vir-

[a] *Spiritus vitæ*, hic non est accipiendus pro rationali anima, sed tantum pro aeris respiratione, ut Doctor Angelicus acute exposuit III parte quæst. 27, art. 2. Et hac etiam ratione intelligamus necesse est quod ait, *vivendi substantiæ præcurrere sanctificandi gratiam*; etenim per vivendi substantiam designari eamdem respirationem satis declarat Ambrosius, cum ei spiritum gratiæ opponens de priore dicit, *ille nascendo sumit exordium*: de posteriore autem *non alvo matris excluditur*. Et confirmari ex eo potest, quod illa verba: *Priusquam te formarem in utero, novi te*, a quibus Jer. locus in cunctis edit. ac mss. aliquot exordium ducit, in antiquissimis mss. prætermittuntur. Confer etiam, si lubet, hunc locum cum iis quæ in *Apologia David*, cap. II, num. 56, tradit idem sanctus Ambrosius.

[b] Rom. edit., *videatur expletum*. Sed haud dubie aliarum ac mss. omnium lectio præponenda est.

[c] Plures et antiquiores mss., *Accipietis virtutem advenientem in vos Spiritus sancti. Duo, . . . . Spiritum sanctum*. Nonnulli tamen, ac omnes edit. nobiscum legunt. Quod quidem magis convenit cum sa-

Digitized by Google

tus est illa, quam a sancto Spiritu apostoli consecuti sunt.

1279 38. Bene etiam præibit ante faciem Domini sanctus Joannes, qui prænuntius natus est, et prænuntius mortuus est. Et fortasse hoc mysterium in hac vita nostra hodieque celebratur. Præcurrit enim animæ nostræ quædam virtus Joannis, cum credere paramus in Christum; ut paret ad fidem animæ nostræ vias, et de vitæ istius tramite tortuoso, rectas semitas nostri faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris; quo omnis vallis animæ nostræ virtutis fructibus possit impleri, et omnis sæcularium altitudo meritorum Domino se humili magis timore prosternat, sciens nihil sublime posse esse, quod fragile est.

(Vers. 18, 19, 20.) *Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondit ei angelus dicens: Ego sum Gabriel angelus, qui assisto ante Deum, et missus sum hæc annuntiare tibi. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant; propterea quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*

39. Condemnatur silentio incredulitas sacerdotis, et fides prophetarum probatur oraculo. *Clama*, inquit. *Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fenum* (*Esai.* XL, 6). Vides jubentis imperium, obtemperantis obsequium, interrogantis affectum, obsequentis oraculum. Credidit enim, qui quid clamaret exposcit: et quia credidit, prophetavit. At vero Zacharias qui non credidit, non potuit loqui: sed

(Vers. 22.) *Erat annuens illis, et remansit mutus.*

40. Non unius mysterium, nec unius silentium est. Tacet sacerdos, tacet propheta. Nisi fallor, in uno vox totius plebis obmutuit: quia in uno totus [a] ad Dominum per Moysen populus loquebatur. Cessatio sacrorum, et silentium prophetarum, taciturnitas prophetæ, et taciturnitas sacerdotis est. Auferam, inquit, validam virtutem, prophetam, et consiliarium (*Isai.* III, 1 *et* 2). Et vere abstulit prophetas, a quibus abstulit verbum quod loqui in prophetis solebat. Et vere his abstulit virtutem, a quibus Dei virtus recessit. Abstulit his consiliarium, [b] quem magni consilii Angelum declaravit. Abstulit vocem; quia vox verbi, non vocis est verbum. Nam nisi Verbum illud operetur in nobis, nullus est sonus vocis. Vox Joannes est; vox enim clamantis est in deserto (*Luc.* III, 4): Christus est Verbum, hoc Verbum operatur; et ideo ubi desivit operari, muta repente [c] carens spiritu veluti quædam animæ lingua conticuit. Transivit enim ad nos Dei Verbum, et in nobis non tacet. Denique jam non potest Judæus dicere, quod potest dicere Christianus: quia *Experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3).

41. *Et ipse erat annuens illis.* Remansit ergo mutus Zacharias et erat innuens illis. [d] Quid est nutus, nisi quidam sine verbo corporalis actus, indicare moliens, nec exprimens voluntatem: quidam, suprema morte, voce suppressa, mutus sermo morientium? Nonne tibi videtur huic similis 1280 esse populus Judæorum, ita irrationabilis, ut actuum suorum non possit præstare rationem: qui in ultimo spei vitalis obitu constitutus, vocem quam habebat, amiserit: quæ titubantis actu corporis signum verbi cupiat explicare, non verbum? Mutus ergo populus sine ratione, sine verbo. Cur enim tibi magis videatur mutus esse qui sonum quam qui mysterium nescit? Et est profecto vox operum, fideique clamor, sicut lectum est: *Sanguis fratris tui clamat ad me* (*Gen.* IV, 10). Et ille clamat, qui in corde suo clamat per diem. Qui ergo cordis clamorem perdidit, perdidit etiam linguæ. Nam qui distinctionem fidei non tenet, quomodo potest tenere verborum? Et ante quidem Moyses dixerat quia loqui non poterat (*Exod.* IV, 10): sed posteaquam dixit, verbum accepit, et bonorum operum edidit claritatem. Ergo sicut Moyses typus populi fuit, et typus Legis, ita etiam Zacharias tacuit.

42. Singula itaque ut concurrant, considerandum est. Verbum in utero. Lex in silentio, Joannes appellatur, et Zacharias loquitur. Verbum editur, Lex absolvitur, sed Legis absolutio Verbi est explicatio: Et ideo qui dixerit verbum, loquitur; etiamsi ante non sit locutus. Ab angelo jubetur tacere Zacharias, ab angelo vox premitur Judæorum. Non enim humanæ, sed divinæ hoc potestatis imperium est; ut non loquatur Deo, qui non credidit Christo. Et ideo credamus, ut loquamur. Credat Judæus, ut loqui possit. Loquamur in spiritu mysteria, intelligamus rationem sacrificiorum veterum, ænigmata prophetarum. Mutus est qui non intelligit Legem, mutus est qui non intelligit divinarum seriem Scripturarum. Vox enim nostra fides est; et ideo *malo in Ecclesia quinque verba mente mea loqui ut alios instruam, quam decem millia in lingua.... Linguæ* enim *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (I *Cor*, XIV, 19 *et* 22): prophetia autem non infidelibus, sed fidelibus.

(Vers. 24, 25.) *Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque dicens: Quid mihi sic fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines?*

43. Magna sanctis cura est verecundiæ, ut plerumque [e] in ipsis pudor votis sit; sicut hoc loco advertimus sanctam Elizabeth, quæ utique filios habere cu-

cro textu, in quo constanter exhibetur: ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς.

[a] *Ad Dominum per Moysen.* Voces *per Moysen* Rom. edit. sustulerat.

[b] Sic plures probatioresque mss. Attamen aliqui et omnes edit. præferunt *quos*, vel, *a quibus magni consilii Angelus declinavit.*

[c] Rom. edit. sola, *carens spiritu veluti quadam anima*, etc.

[d] Vet. edit. cum mss. aliquot. *Quid est mutus?* Rom. cum aliis pluribus ac probatioribus magis commode, *Quid est nutus?* At infra e converso vet. edit. et cuncti mss., *spei vitalis obitu constitutus.* Rom. sola, *spiritus vitalis*, etc.

[e] Mss. nonnulli, omnesque edit., *in ipsis pudor voti sit.* Alii mss. majori numero atque auctoritate,... *votis sit;* id est, in rebus quas summo studio expetierunt.

Digitized by Google

piebat, occultantem se mensibus quinque. Quæ causa occultationis, nisi pudoris? Est enim unicuique officio præscripta ætas: et quod tempore decet, tempore non decet; ævique mutatio, facti uniuscujusque mutat sæpe naturam. Sunt etiam ipsi quædam tempora præscripta conjugio, quando dare operam liberis sit decorum: dum anni vigent, dum suscipiendorum liberorum spes est; dum generandi usus est in exemplo, copulæ quoque usus in studio est: at vero ubi matura ævi senectus successerit, et ætas regendis liberis habilior quam creandis, pudor est legitimi licet coitus indicia gestare, et gravari alienæ ætatis onere, et tumescere alvum non **1281** sui temporis fructu. Senes enim ab ipsa concluduntur ætate, et justo intemperantiæ pudore [a] revocantur facere opera nuptiarum. Adolescentes ipsi plerumque filiorum vota prætendunt, et excusandum arbitrantur ætatis calorem, generationis affectu. Quanto magis senibus agere turpe est, quod adolescentibus pudor est confiteri? Quinetiam ipsi juvenes, sobria timore divino corda qui temperant, suscepta plerumque sobole, renuntiant operibus juventutis.

44. Et quid mirum de hominibus, si pecudes quoque muto quodam opere loquuntur generandi sibi studium, non desiderium esse coeundi? Siquidem ubi semel [b] gravem alvum sibi senserint et [c] genitali arvo semen receptum, jam nec concubitu indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt. At vero homines nec conceptis, nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exasperant. *Priusquam te* inquit, *formarem in utero, novi te: et in vulva matris sanctificavi te* (*Jerem.* I, 5). Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quasdam tui Auctoris in utero A hominem formantis advertis. Ille operatur, et tu sacri uteri secretum incestas libidine? Vel pecudem imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa a generandi opere sæpe requiescit, et si impatienti hominum studio jactis frequenter seminibus occupetur, impudentiam multat agricolæ, et fecunditatem sterilitate **1282** commutat. Itaque quidam in ipsis elementis, ac pecudibus ab usu non cessare generandi, naturæ pudor est.

45. Merito ergo etiam sancta Elizabeth erubescebat gratiam, etsi non agnosceret culpam. Nam etsi de viro conceperat (neque enim aliter [d] de hominis ortu fas est credere), tamen partus sui erubescebat ætatem. Et rursus caruisse se gaudebat opprobrio; pudor est enim feminis nuptiarum præmia non habere, B [e] quibus hæc sola est causa nubendi. Hoc igitur opprobrium consolatur sui pudore sublatum, eo pudore, ut dixi, quod pudebat eam propter ætatem (32, q. 2, *c. Pudor.*). Unde intelligi potest quia jam non conveniebant inter se concubitu conjugali; neque enim ea [f] quæ senilem non erubesceret coitum, erubesceret partum; et tamen erubescit onus parentis, quamdiu nescit mysterium [g] religionis.

46. Illa quæ occultabat se, quia conceperat filium, jactare se cœpit quia generabat prophetam. Et quæ erubescebat ante, benedicit: et quæ dubitabat ante, firmatur. *Ecce enim*, inquit, *ut vox salutationis tuæ facta est in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* (*Luc.* I, 44, *infra*). Itaque magna voce clamavit, ubi Domini sensit adventum; quia religiosum C credidit partum. Nulla enim causa erat pudoris, ubi prophetæ ortus datæ, non affectatæ fidem generationis adsisceret.

[a] Rom. edit. *revocantur ab opere nuptiarum*. Optime, nisi reliquæ et cuncti mss. dissentirent. Intellige igitur, *revocantur facere*, hic per hellenismum poni pro, *revocantur a faciendo*. Quod autem eadem edit. Rom. post duos versus reposuit, *ætatis calore, generationis affectum*: hoc non solum ab aliis et mss. omnibus abhorret, verum etiam ab Auctoris nostri sententia; quemadmodum series patefaciet intuenti.

[b] *Gravem alvum sibi senserint, et*. Hæc verba resecantur in edit. Rom.

[c] Omnes edit. ac mss. non pauci, *genitali alvo*. Cod. Corb. et alii aliquot melioris notæ, *genitali arvo*. Melius; eadem quippe metaphora usum etiam reperimus Virgil. lib. III Georg.

[d] *De hominis ortu*, in eadem edit. deletum est.

[e] *Quibus hæc sola est causa nubendi*. *Sola*, inquit Glossa Decreti, *id est præcipua*. Nec sane credendum est mentem Ambrosio fuisse alias duas causas, quas proli adjungunt Theologi post Aug. nempe fidem et sacramentum, excludere. Præsertim cum infra verum conjugium inter Mariam ac Joseph intercessisse defendat, quæ etiam fuit Augustini sententia lib. II *De consensu Evang*. cap. 1; lib. XXIII *cont. Faustum*, cap. 8, et lib. *De Nupt. et Concupis*. cap. 11. Adi quoque B. Tho. III part. quæst. 29, art. 2, et alios. Forte etiam simplicius explicari possit, *sola causa*, subintelligendo, *ut plurimum*, id est, causa maxime ordinaria.

[f] Mss. aliquot, *quæ anilis esset, non erubesceret coitum cum erubesceret partum*.

[g] Voci *religionis*, addit Rom. edit. *At ubi id intellexit*. Et post pauca pro vocibus *quia generabat prophetam*, propria auctoritate reposuit *quia gerebat prophetam*.

# LIBER SECUNDUS.

**1281** (Vers. 26, 27.) *Eodem autem tempore missus est Angelus Gabriel a Domino in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Virginis, Maria.*

1. Latent quidem divina mysteria, nec facile juxta Propheticum dictum quisquam hominum potest scire D consilium Dei, sed tamen ex cæteris factis atque præceptis domini Salutaris possumus intelligere et hoc perpensioris fuisse consilii, quod ea potissimum electa est ut Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit Scriptura,

Digitized by Google

ut et desponsata esset, et virgo : virgo, ut expers virilis consortii videretur : desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse [a] virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris : nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. Servatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas; **1282** oportet enim sanctos et ab his testimonium habere qui foris sunt : nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur.

2. Quid autem Judæis, quid Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret : *Non veni Legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 18) ; si videretur cœpisse a Legis injuria, cum partus innuptæ Lege damnetur (*Deut.* xxiii, 17) ? Quinetiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere injuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Quid quod etiam fides Mariæ verbis major adsciscitur, et mendacii causa removetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit; cum conjugii præmium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.

3. Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariæ falleret principem mundi : qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum. Fallendi autem principis mundi fuisse consilium, ipsius Domini verba declarant, cum apostoli jubentur tacere de Christo (*Matth.* xvi, 20), **1283** cum sanati prohibentur gloriari de remedio (*Matth.* viii, 4), cum dæmones præcipiuntur silere [b] de Dei Filio (*Luc.* iv, 35). Fallendi, ut dixi, principis mundi fuisse consilium etiam Apostolus declaravit dicens : *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam.... quam nemo principum istius sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent* (I *Cor.* ii, 7 *et* 8), hoc est, numquam me redimi Domini morte fecissent. Fefellit ergo pro nobis, fefellit ut vinceret, fefellit diabolum cum tentaretur, cum rogaretur, cum Dei Filius dice-A retur, ut nusquam divinitatem propriam fateretur. Sed tamen magis fefellit principem sæculi; diabolus enim etsi aliquando dubitavit, cum diceret : *Si filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* iv, 6) ; tamen vel sero cognovit, et discessit ab eo. Cognoverunt et dæmones qui dicebant : [c] *Novimus qui sis Jesu Filius Dei. Quid venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* viii, 29)? Et ideo venisse cognoverunt, quia præcognitum habebant esse venturum. Principes autem sæculi non cognovisse, quo majore possumus quam Apostolicæ sententiæ probare documento : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent?* Dæmonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit : at vero qui sæcularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.

B 4. Bene autem sibi diviserunt Evangelistæ, ut sanctus Matthæus Joseph ab angelo moneri induceret [d] Mariam conjugem accipere (*Matth.* i, 20) : Lucas illic Evangelista testimonium ferret quod non convenissent : hic ipsa Maria fateretur, cum dicit angelo : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi* (*Luc.* i, 34)? Et ipse sanctus Lucas virginem declaravit dicens : *Et nomen Virginis Maria*. Et propheta edocuit qui ait : *Ecce virgo in utero accipiet* (*Esai.* vii, 14). Et Joseph designavit, qui quoniam prægnantem videbat quam non cognoverat, dimittere gestiebat (*Matth.* i, 19). Et Dominus ipse in cruce positus manifestavit, cum dixit matri : *Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo : Ecce mater tua* (*Joan.* xix, 26 *et* 27). Etiam uterque testatus est, Discipulus et Mater, quia *Ex* C *illa hora suscepit eam Discipulus* [e] *in sua* (*Ibid.*, 27). Utique si convenisset, nunquam virum proprium reliquisset, nec vir eam justus passus esset a se discedere. Quomodo autem Dominus divortium præcepisset, cum ipsius sit sententia, quia nemo dimittere debet uxorem , excepta causa fornicationis (*Matth.* v, 32)?

5. Pulchre autem (27, *quæst.* 2, *c. Quod autem*, § *Item si conjuges*) docuit sanctus Matthæus quid facere debeat justus, qui probrum conjugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat : *Qui* enim *conjungitur meretrici, unum corpus est* (I *Cor.* vi, 16). Ergo ubique in Joseph justi gratia et persona servatur, ut testis ornetur; os enim justi mendacium nescit, et lingua

[a] *Virginis verecundiam*, vocem ultimam expunxit Rom. edit.

[b] Rom. edit. vocibus aliquot resecatis ita posuit, *de Dei Filio : quod etiam Apostolus declaravit*, etc.

[c] Omnes edit., *Novimus te, quia es Jesus Dei Filius*. Mss. vero, *Novimus qui sis Jesu Filius Dei:* paucis exceptis, quorum alii habent, *quis sis Jesus* ; alii, *quod sis*, etc.

[d] Ita vet. edit. ac plerique mss. excepto quod edit. omittunt, *illic*, mss. autem, *accipere*. Quidam alii legunt, *induceret, ne dimitteret Mariam*, etc. Unicus, *induceret. Mariæ Lucas illic testimonium ferret. Quod non cognovissent* ( Matthæus et Lucas videlicet ) *hoc ipsa Maria fateretur*. Quam lectionem vehementer suspicamur germanam esse : et potissimum, quod in aliquot mss. pro, *non convenissent, hic ipsa*, legatur D etiam, *non cognovissent, hoc ipsa*. Cæterum edit. Rom. totum locum emendare conata est hoc pacto, *induceret, ne Mariam conjugem timeret accipere; quo testimonium ferret quod non convenissent : quod hic ipsa*, etc.

[e] Mss. nonnulli, ac postremæ Paris. edit. *in suam*. Reliqui et mss. et edit. cum sacris cod. *in sua*, græce *εἰς τὰ ἴδια* , id est *in propria*, sive *in res suas*, sive, ut alii volunt, in domicilium : qua de re vide Guill. Estium in eadem verba. Quod vero Doctor noster affirmat Josephum tempore passionis etiam tunc superstitem extitisse, in hoc quidem consentit cum D. Cypriano Tract. *De Passione Domini :* sed dissentit ab Epiph. Hæresi. 78, num. 10, quem recentiores magis sequendum existimarunt. Consule card. Bar. ad annum Christi 12, num. 9; Estium, loco cit., et alios.

Digitized by Google

ejus loquitur judicium, judicium ejus loquitur veritatem. Nec te moveat quod frequenter 1284 Scriptura conjugem dicit; non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit; et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.

6. Simul etiam movere non debet quod ait Evangelista: *Non cognovit eam, donec peperit filium* (*Mat.* I, 25); illud enim vel idioma Scripturæ est, sicut habes alibi: *Et donec senescatis, ego sum* (*Esai.* XLVI, 4). Numquid post illorum senectutem Deus esse desivit? Et in Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Numquid postea non sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat quod causæ est dicere, redundantia non requirit; satis enim est ei ut causam susceptam astruat, incidentem differat. Et ideo qui Incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium; ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur. Certe quando justum docuit Joseph, satis declaravit quod sancti Spiritus templum, uterum mysterii, matrem Domini violare non potuit.

7. Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium: discamus et mysterium. Bene desponsata, sed virgo; quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alii nupta, ab alio repleta; quia et singulæ Ecclesiæ Spiritu quidem replentur et gratia; [a] junguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.

(Vers. 28, 29.) *Et ingressus ad eam angelus dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est in introitu ejus.*

8. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste; ne quo degeneri depravaretur affatu, ab angelo salutatur. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam: Maria etiam salutationem angeli verebatur.

*Erat tamen*, inquit, *cogitans, qualis esset hæc salutatio.*

9. Et ideo cum verecundia; quia pavebat: cum prudentia; quia benedictionis novam formulam mira-A batur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola 1285 gratiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore. [b] Erubescebat ergo Maria, erubescebat etiam Elizabeth; et ideo cognoscamus quid intersit inter mulieris et virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc per verecundiam: in muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.

(Vers. 30, 31, 32.) *Et ait angelus ad eam: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, et ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus.*

10. Dictum est quidem etiam de Joanne ab angelo, quia *erit magnus* (*Luc.* I, 15): sed ille quasi homo magnus, hic autem quasi Deus magnus; *Magnus* enim *Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3). Et vere est ille magnus; quia *major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est* (*Luc.* VII, 28). Habet tamen majorem; quia *qui minor est in regno Dei, major est illo* (*Ibid.*). Magnus autem Joannes; sed coram Domino [c] magnus. Et Joannes vinum et siceram non bibit, hic cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit. Ille abstinentia meritum colligat, cui potentia nulla naturæ: Christus autem cui [d] naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abstinentibus poterat præstare meliores?

11. Simul mystice non dedignatur eorum convivium, quibus daturus est sacramentum. Hic ergo manducat, ille jejunat: [e] utriusque populi typus in illo jejunat, in hoc pascitur. Sed jejunavit et Christus, ne [f] præceptum declinares: manducavit cum peccatoribus, ut gratiam cerneres, agnosceres potestatem. Magnus ergo et Joannes, sed hujus magnitudo habet principium, habet finem: Dominus autem Jesus idem est finis atque principium, idem primus et novissimus (I *Tim.* VI, 16). Nihil ante primum, nihil ultra novissimum.

12. Neque te generationis humanæ consuetudo in vitium trahat, ut putes non primum esse, quia filius est. Sequere Scripturas, ut errare non possis. Primus Filius dicitur. Lectum est etiam quia et solus Pater, *qui Solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*; sicut legisti: *Et immortali soli... D Deo* (I *Tim.* I, 17): sed neque primus ante Patrem, neque solus sine Filio. Si alterum negas, [g] alterum astruis, utrumque sequere, et utrumque confirmas. Non dixit: Ego prior, et ego posterior, sed: *Ego*

[a] Ita edit. ant. et potiores mss. Rom. autem et Vat. cod., *Junguntur tamen temporali ad speciem sacerdoti*. Reliqui,.... *ad temporis speciem sacerdoti*, vel, *sacerdotis*. Lectionem vero nostram interpretare hoc sensu, *sacerdoti exterius apparenti junguntur*.

[b] Hic sequentem Evangelii textum ponunt nonnulli mss. sed non antiquissimi.

[c] Quod hoc loco legitur in edit. Rom., *Magnus hic, sed Dominus*, optimum quidem sensum efficit, sed nulla alia edit. vel mss. confirmatur.

[d] *Naturaliter*, nimirum ad ministrorum differentiam indicandam.

[e] Mss. aliquot non infimæ notæ, *utriusque populi spiritus*.

[f] Observa præceptum jejunii, ac ejus obligationem novum inventum nequaquam esse in Ecclesia.

[g] Edit. Amerb. et Era., *Alterum destruis*. Gill. et Rom. cum potissima parte mss., *Alterum adstruis*. Reliqui, *Alterum non adstruis*. Et rursus nonnulli habent, *et utrumque confirma*. Sed totus locus obscuritate non caret.

Digitized by Google

*primus, et ego novissimus* (*Apoc.* I, 17 *et* XXII, 13). A Primus est Filius, et ideo coæternus; habet enim Patrem, cum quo sit æternus. Audeo dicere. Primus est Filius, sed solus non est; et bene dico, et religiose dico. Quid erigitis ad impietatem, hæretici, aures? In laqueos quos tenditis, incidistis. Primus est Filius, et solus non est: primus, quia cum Patre semper: solus non est; quia sine Patre numquam est. Non ego hoc dico, sed ipse dixit: *Et non sum solus, quia Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Solus Pater, quia unus Deus: solus Pater, quia sola divinitas **1286** Patris et Filii et Spiritus sancti: et quod unum est, solum est. Solus Pater, solus Unigenitus, solus et Spiritus sanctus; neque enim qui Filius, et Pater: aut qui Pater, et Filius: aut qui Spiritus sanctus, et Filius. Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; legimus enim: *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* (*Joan.* XIV, 16). Solus Pater, quia unus Deus, ex quo omnia: solus Filius, quia unus Dominus, per quem omnia. Solum divinitas facit, generatio et Patrem testificatur et Filium; ut nusquam Filius sine Patre, aut Pater esse videatur sine Filio. Ergo nec solus, quia non solus immortalis: nec solus lucem habitat inaccessibilem; quia *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris* (*Joan.* I, 18), qui sedet ad dexteram Patris. Et hinc quidam audent dicere inaccessibilem lucem esse quam habitat Pater. Numquid lux melior Patre? Quæ autem lux inaccessibilis ei, cui non est inaccessibilis Pater? Et ipse lux vera, et genitor lucis æternæ, de qua dictum est: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Vide ne illa sit lux inaccessibilis quam habitat Pater, habitat et Filius; quia Pater in Filio, et Filius in Patre.

13. Bene ergo magnus; late enim funditur Dei virtus, late cœlestis substantiæ magnitudo porrigitur. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur. Dedit quidem Dominus Jesus hominibus magnitudinem: *In omnem* enim *terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5); non in fines tamen mundi, non in fines cœli, non ultra cœlos. D At vero in Domino Jesu *omnia condita sunt in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia.... et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (*Coloss.* I, 16 *et* 17). Cœlum aspice, Jesus illic est: terram intuere, Jesus adest: ascende [a] verbo in cœlum, descende verbo in infernum, Jesus adest. Etenim si ascenderis in cœlum, Jesus illic est: si descenderis in infernum, adest. Hodie cum loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquitur Christianus, Jesus adest: *Nemo* enim *dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Abyssos opinione si penetres, illic quoque Jesum videbis operari; scriptum est enim: *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum? id est Christum deducere: aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum a mortuis reducere* (*Rom.* X, 6 *et* 7). Ubi ergo non est, qui cœlestia, inferna, et terrena complevit? Bene ergo magnus, cujus virtus mundum replevit, qui ubique est, et erit semper; quia *regni ejus non erit finis.*

(Vers. 34.) *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi?*

14. Videtur hic non credidisse Maria, nisi diligenter advertas; neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium, fuisse [b] videatur B **1287** incredula. Quo autem modo fieri posset (licet salva prærogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum: sed ut prærogativa major, major etiam fides ei debuit reservari), quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias qui non crediderat, silentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit usurpare: non credere angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum a sæculis in Deo, quod nec superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutavit: sed accommodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim cum dicit: *Quomodo fiet istud?* non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit C effectus.

15. Quanto temperatior ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Hæc ait: *Quomodo fiet istud?* Ille respondit: *Unde hoc sciam* (*Sup.*, v. 18)? Hæc jam de negotio tractat: ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire; et quasi fidei adhuc alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit, inquirit; sic enim habes: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi?* Incredibilis et inaudita generatio ante audiri debuit, ut crederetur. Virginem parere, divini est signum mysterii, non humani. Denique, *Accipe*, inquit, *tibi signum: Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium* (*Esai.* VII, 14). Legerat hoc Maria, ideo credidit futurum: sed quomodo fieret, ante non legerat; non enim quemadmodum fieret, vel tanto prophetæ fuerat revelatum. Tanti namque mandati mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum. Hodie primum auditur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Et auditur, et creditur. Denique:

(Vers. 36.) *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.*

16. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo,

[a] *Verbo*, id est, ratione et cogitatione; ut infra, *Abyssos opinione si penetres*, et alibi frequenter.

[b] Rom. edit., *censeatur incredula. Quo ergo modo fieri posset* (*salva prærogativa matris, cui profecto fuit amplius deferendum: et ut prærogativa major, major etiam fides debuit reservari*) *ut Zacharias*, etc.

Digitized by Google

nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret quod juberetur. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. *Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* Habes obsequium, vides votum. *Ecce* enim *ancilla Domini*, apparatus officii est: *contingat mihi secundum verbum tuum*, conceptus est voti.

17. Quam cito ergo etiam [a] de impari conceptione credidit Maria! Quid enim tam impar quam Spiritus sanctus, et corpus? Quid tam inauditum, quam virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cujus carior cura est virgini? Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili ætate non credidit; **1288** nam conditio congruebat. Ex viro et femina solemnis est partus: nec incredibile debet videri, ubi natura concordat. Cum enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, fit plerumque ut ætas impediat naturam; non est tamen irrationabile ut minor cedat causa majori, et potior prærogativa naturæ usum inferioris excludat ætatis. Huc accedit quod Abraham et Sara filium in senectute susceperant: et Joseph filius senectutis est. Quod si, quia risit Sara, reprehenditur (*Gen.* XVIII, 13): justius condemnatur qui nec oraculo credidit, nec exemplo. Maria autem cum dicit: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognovi* (*Supra*, *v.* 34)? non videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Liquet enim quia faciendum esse crediderat, quæ quomodo fieret, interrogavit. Unde et meruit audire: *Beata quæ credidisti* (*Infra*, *v.* 45). Et vere beata, quæ sacerdote præstantior; cum sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus mundum, [b] operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

18. Et bene quæsivit quomodo fieret; legerat enim [c] quia virgo generaret, sed non legerat quemadmodum generaret. Legerat, ut dixi: *Ecce virgo in utero accipiet* (*Esai.* VII, 14): quomodo autem acciperet, in Evangelio primum angelus est locutus.

(Vers. 39, 40.) *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth.*

19. Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideo angelus cum abscondita A nuntiaret, ut fides astrueretur exemplo, senioris feminæ sterilisque conceptum virgini Mariæ nuntiavit; ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

20. Discite et vos, sanctæ mulieres, sedulitatem quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris B retardavit. In montana virgo cum festinatione, virgo officii memor, [d] injuriæ immemor, affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo.

21. Discite, virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam **1289** suam tribus mensibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit ergo mensibus tribus, non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico displicebat.

22. Didicistis, virgines, pudorem Mariæ: discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior salutavit; decet enim ut quanto castior virgo, tanto huC milior sit. Noverit honorem deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est et causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elizabeth, Christus ad Joannem. Denique etiam postea, ut sanctificaret baptismum Joannis, Dominus venit ad baptismum. Cito quoque adventus Mariæ, et præsentiæ dominicæ beneficia declarantur.

(Vers. 41.) *Simul enim ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exsultavit infans in utero ejus. Et repleta est Spiritu sancto.*

23. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. Vocem prior Elizabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit: illa naturæ ordine auD divit, iste exsultavit ratione mysterii: illa Mariæ, iste Domini sensit adventum: femina mulieris, et

[a] Ita cuncti mss. et vet. edit. in corpore. Erat autem ac Gill. in marg. et Rom. in corp. *de impari conditione*: quod etiam videtur eo confirmari, quod infra mss. et edit. legunt, *non de impari conditione*; uno tantum cod. excepto, ubi pro, *conditione*, habetur *conceptione*.

[b] Ex hoc loco manifestum est non minus Christum cum peccata ne fiant, gratiæ præsidio impedit, quam cum dimittit perpetrata, redemptorem esse. Namque a matre dicitur inchoasse redemptionem, quoniam ne incredula esset Angeli verbis, ipse prohibuit. Quo quidem cuneo eorum qui immaculatam Deiparæ conceptionem impugnant, nodosissimum, ut ipsi putant, argumentum facili negotio diffringitur atque disjicitur.

[c] Omnes edit., *quia virgo conciperet*; omnes mss., *quia virgo generaret*.

[d] *Injuriæ*, qua nimirum virginis pudor afficitur, dum cogitur prodire in publicum. Consequenter autem Rom. edit., *affectu urgente*. Aliæ, ac mss. omnes, *affectu vigente*. Aptius sane, ut charitatis vigor puellari debilitati opponatur. Infra vero omnes edit. cum majori parte mss. legebant, *Maria in domo sera*: ubi e cod. Vat. Corb. et aliis nonnullis reposuimus, *Maria in domo seria*. Corb. quidem in glossa indicans legendum esse *sera*, addit, *id est tarda*, quam correctionem alii forte secuti sunt. Sed tamen magis placet, *seria*, hoc est, gravis; nam gravitati etiam contraria ut plurimum censetur festinatio.

Digitized by Google

pignus pignoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intus A operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus; duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, repleta est mater. Non prius mater repleta, quam filius : sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem. Exsultavit Joannes, exsultavit et Mariæ spiritus. Exsultante Joanne, repletur Elizabeth : Mariam tamen non repleri Spiritu, sed spiritum ejus exsultare cognovimus ; incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre. Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum.

(Vers. 42, 43.) *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?*

24. Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec umquam obliviscitur. Et prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo dictum est: *Ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris* (*Psal.* CXXVI, 3)? Hoc est, hæreditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Esaias dicens : *Exiet virga de radice Jesse, et flos ex radice ejus ascendet* (*Esai.* XI, 1); radix enim est familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus : qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediviva corporis resurrectione reparatur.

*Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

**1290** 25. Non quasi ignorans dicit; scit enim esse Spiritus sancti gratiam et operationem, ut mater Prophetæ a matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur : sed quasi non humani hoc meriti, sed divinæ gratiæ munus esse cognoscat, ita dicit : *Unde hoc mihi?* Hoc est, [a] quantum bonum mihi accidit; ut mater Domini mei veniat ad me? Non cognosco meum. *Unde hoc mihi*, qua justitia, quibus factis, pro quibus meritis? Non usitata hæc officia feminarum sunt: *Ut veniat mater Domini mei ad me.* Miraculum sentio, cognosco mysterium : mater Domini Verbo fœta, Deo plena est.

(Vers. 44, 45.) *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit gaudio infans in utero meo : et beata quæ credidisti.*

26. Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse; et ideo fructum fidei consecutam. *Beata*, inquit, *quæ credidisti.* Sed et vos beati, qui audistis, et credidistis; quæcumque enim crediderit anima et concipit et generat Dei Verbum, et opera ejus agnoscit. Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum : sit in singulis spiritus Mariæ, ut exsultet in Deo. Si secundum carnem una mater est Christi; secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit Dei Verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat.

27. Quæcumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificavit Dominum, et exsultavit spiritus ejus in Deo salutari. Magnificatur enim Dominus, sicut et alibi legis : *Magnificate Dominum mecum* (*Psal.* XXXIII, 4); non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est; et ideo si quid justum fecerit anima aut religiosum, illam imaginem Dei, ad cujus est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eum, magnitudinis ejus quadam participatione sublimior fit; ut illam imaginem splendido bo- B norum colore factorum, et quadam æmulatione virtutis in se videatur exprimere. Magnificat autem anima Mariæ Dominum, et exsultat spiritus ejus in Deo; eo quod et anima et spiritu Patri Filioque devota, unum Deum ex quo omnia, et unum Dominum per quem omnia, pio veneretur affectu.

28. [b] Sequitur Mariæ, quo persona melior, eo prophetia plenior. Nec otiosum videtur quod et ante Joannem Elizabeth prophetat, et Maria ante Domini generationem; serpunt enim jam tentamenta salutis humanæ. Nam sicut peccatum a mulieribus cœpit : ita etiam bona a mulieribus inchoantur; ut feminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient : et anima quæ non habet sexum, ut Maria quæ nescit errorem, religioso imitetur studio casti- C tatem.

(Vers. 56.) *Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus : et reversa est in domum suam.*

**1291** 29. Bene inducitur sancta Maria, et exhibuisse officium, [c] et mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus processus exiitit; ut ad salutationem Mariæ exsultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto mater infantis : quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam ? *Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus.* Ungebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero matris propheta; amplissimo enim virtus ejus D certamini parabatur. Denique tamdiu mansit Maria, quamdiu Elizabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter advertas, invenies hoc nusquam positum, nisi in generatione justorum. Denique impleti sunt dies, ut pareret Maria : impletum est tempus, ut pareret Elizabeth ; impletum est vitæ tempus, cum sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarunt. Plenitudinem justi vita habet, inanes autem dies sunt impiorum.

30. Peperit ergo filium Elizabeth, et congratula-

[a] Edit. Rom. sola, *quo tantum bonum mihi accidit*, etc.

[b] Edit omnes : *Sed Mariæ quo*. Mss. aliquot : *Sequitur enim ut Mariæ, quo*. Alii, qui et melioris ætatis : *Sequitur Mariæ, quo*, etc., ut nos in textu.

[c] Albin. codex : *et implesse mysterium ; ut et parentem* (forte parientem vel parturientem) *non desereret, et mysticum numerum custodiret.*

Digitized by Google

bantur [a] vicini. Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum; justitia enim communis est virtus. Et ideo in ortu justi, futuræ vitæ insigne præmittitur, et gratia secuturæ virtutis exsultatione vicinorum præfigurante signatur. Pulchre autem tempus quo fuit in utero Propheta, describitur; ne Mariæ præsentia taceatur : sed tempus [b] siletur infantiæ, eo quod præsentia Domini, matris in utero roboratur, qui infantiæ impedimenta nescivit. Et ideo in Evangelio nihil super eo legimus, nisi ortum ejus, et oraculum, exsultationem in utero, vocem in deserto. Neque enim ullam infantiæ sensit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in utero situs matris, a mensura perfectæ cœpit ætatis plenitudinis [c] Christi.

(Vers. 60, 64.) *Et respondit mater ejus, et dixit : Non, sed vocabitur Joannes. Et responderunt ad illam: Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Annuebant ergo patri ejus, quem vellet vocari eum. Et accepit pugillares, et scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt omnes. Continuo autem resoluta est lingua ejus, et apertum est os ejus, et loquebatur benedicens Deum.*

31. Mire sanctus Evangelista præmittendum putavit, quod plurimi infantem patris nomine Zachariæ appellandum putaverint; ut advertas matri non nomen alicujus displicuisse degeneris, sed id sancto infusum Spiritu quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori : sed per prophetiam Elizabeth didicit, quod non didicerat a marito : *Joannes est*, inquit, *nomen ejus*, hoc est, non nos ei nomen imponimus, qui jam a Deo nomen accepit. Habet vocabulum **1292** suum quod agnovimus, non quod elegimus. Habent hoc merita sanctorum, ut a Deo nomen accipiant. Sic Jacob Israel dicitur (*Gen.* XXXII, 28), quia Deum vidit. Sic Dominus noster Jesus nominatus est, antequam natus : cui non angelus, sed Pater nomen imposuit. *Revelabitur enim*, inquit, *filius meus Jesus cum iis qui cum eo jucundabuntur, qui relicti sunt in annis quadringentis. Et erit post annos hos, et morietur Filius meus Christus Jesus... et convertetur sæculum* (IV *Esdr.* VII, 28-30). Vides angelos, quæ audierint, non quæ usurpaverint, nuntiare. Nec mireris si nomen mulier quod non audivit, asseruit; quando Spiritus ei sanctus qui Angelo mandaverat, revelavit. Neque poterat Domini ignorare prænuntium, quæ prophetaverat Christum.

32. Et bene additur quia nemo in cognatione ejus vocabatur hoc nomine; ut intelligas nomen non generis esse, sed vatis. Zacharias quoque nutu interrogatur, sed quia incredulitas ei affatum eripuerat et sensum, quod voce non poterat, manu et litteris est locutus; scripsit enim dicens : *Joannes est nomen ejus*. Et hoc nomen non imponitur, sed astruitur : merito que continuo resoluta est lingua ejus; quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit. Credamus et nos igitur, ut loquamur, ut lingua nostra quæ incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce solvatur. Scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui : scribamus prænuntium Christi non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui Joannem loquitur, Christum prophetat. Loquamur Joannem, loquamur et Christum, ut nostrum quoque os possit aperiri, quod in sacerdote tanto irrationabilis muti pecudis frena nutantis fidei coercebant.

(Vers. 67.) *Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetabat dicens.*

33. Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis : non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat; hæc enim gratia Dei maxima, quod eum [d] qui negaverant confitentur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum (*De pœnit., dist.* 1, *cap. Novit Dominus*).

(Vers. 76.) *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis.*

34. Pulchre cum [e] de Domino prophetaret, ad prophetam sua verba convertit; ut hoc quoque beneficium esse Domini designaret; ne cum publice enumeraret sua, quasi ingratus tacuisse quæ acceperat beneficia videretur, quæ agnoscebat in filio. Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quod octo dierum alloquitur infantem. Verum si teneamus [f], intelligimus profecto quod potuit voces patris natus **1293** audire, qui Mariæ salutationem antequam nasceretur, audivit. Sciebat propheta alias esse aures prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate reserantur. Habebat intelligendi sensum, qui exsultandi habebat affectum.

35. Simul illud adverte quam paucis Elizabeth, quam multis Zacharias prophetet; et uterque sancto impletus Spiritu loquebatur : sed disciplina servatur, ut mulier discere magis quæ divina sunt, studeat, quam docere. Nec facile ullam prophetasse uberius quam matrem Domini reperimus. Prophetissa ipsa

[a] Vict. cod., *vicini. In illo tempore Elizabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Habet sanctorum*, etc.

[b] Rom. edit., *siletur infantiæ, quia infantiæ impedimenta nescivit.* Cur tamen interjectæ voces jugulentur, nihil causæ est.

[c] Unus e Colb., *Christi. Et nota quod de Joannis vocabulo erat vicinorum hæsitatio. Unde indubitanter scimus, quia cujus nomen angelo nuntiante in templo cognoverat ejusdem vocabulum spiritus prophetiæ Elizabeth matri revelaverat. Unde conquerentes dicunt, quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Et respondit*, etc. Sed hæc non tam aucloris verba, quam paraphrasis.

[d] Edit. Era. et seq. ac pauci mss., *qui*; alii plures *quem negaverat, confitetur.* Amerb. et cod. Corb. cum aliis probatioris notæ, *qui negaverant, confitentur.* Et hoc sane non tam dicitur de Zacharia, quam ejus occasione universim colligitur.

[e] Mss. Corb., *de domo*; alii aliquot, *de dono*. Reliqui cum ant. edit. in lectionem nostram consentiunt : nisi quod in uno e Vat. cod. et Rom. edit. desiderantur, *quæ acceperat beneficia*. Quædam edit. Paris. finem loci hujus ita immutaverant, *et quæ acceperat beneficia, videretur agnoscere in filio.*

[f] Post vocem *teneamus*, non pauci addunt *superiora*; unus, *quæ legimus*.

Digitized by Google

Maria soror Aaron quam cito cantici verba conclusit (*Exod.* xv, 20 *et* 21)! Eademque ubi prolixius est locuta cum fratre, nequaquam sui pœnam sermonis evasit (*Num.* xii, 1 *et seq.*).

(Cap. II.— Vers. 1.) *Factum est autem, in diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, ut censum profiteretur universus orbis terræ.*

36. De ortu Salvatoris dicturi, non putamus alienum ut quo natus sit tempore, requiramus. Quid enim professio sæcularium ad generationem Domini pertineret, nisi ut advertamus hoc quoque divinum esse mysterium; quia dum professio sæcularis obtenditur, spiritalis impletur, non terrarum regi dicenda, sed cœli? [a] Professio ista fidei, census est animorum; abolito enim Synagogæ censu vetusto, novus census Ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed auferret: et spiritaliter in typo plebs sua jam Christo nomina conferebat. Non hic spatia terrarum, sed mentium animorumque censentur: nec describuntur limites, sed proferuntur: nec ætas ulla distinguitur, sed omnis ascribitur; [b] nullus enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra uterum positi exsultatione testantur. Nihil in hoc censu vereare terribile, nihil immite, nihil triste; sola unumquemque fides signat. Vis Christi audire censores? [c] Jubentur censere sine virgis: nec terrore, sed gratia plebem quærere: recondere gladium, non possidere aurum (*Matth.* x, 9 *et* 10). Talibus censoribus acquisitus est orbis.

37. Denique ut scias censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri jubetur. Quando nascitur Christus, omnes profitentur: quando mundus concluditur, omnes periclitantur. **1294** Quis ergo poterat professionem totius orbis exigere, nisi qui totius habebat orbis imperium? Non enim Augusti, sed *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo* (*Psal.* xxiii, 1). Gothis non imperabat Augustus, non imperabat Armenis: imperabat Christus. Acceperunt utique A Christi censorem, qui Christi martyres ediderunt. Et ideo fortasse nos vincunt, ut præsentia docent; quoniam quem illi oblatione sanguinis fatebantur, huic Ariani quæstionem generis inferebant.

(Vers. 2.) *Hæc*, inquit, *professio prima facta est.*

38. Atqui plerasque jam partes terrarum sæpe fuisse descriptas loquuntur historiæ. Hæc est ergo professio [d] prima, sed mentium: cui omnes profitentur, quia nullus excipitur, non præconis evocatione, sed vatis qui multo ante prædixit: *Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exsultationis, quoniam Deus summus, terribilis, rex magnus super omnem terram* (*Psal.* xlvi, 2 *et* 3). Denique ut scias censum esse justitiæ, veniunt ad eum Joseph et Maria, hoc est, justus et virgo: ille, qui B Verbum servaret: ista, quæ pareret. Ubi profitentur justus et virgo, nisi ubi nascitur Christus? *Omnis enim spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, de Deo est* (I *Joan.* iv, 2). Ubi autem secundum altiorem rationem nascitur Christus, nisi in corde tuo, et in pectore tuo? *Prope est* enim *Verbum in ore tuo, et in corde tuo* (*Rom.* x, 8).

39. Pulchre autem quod et præsidis nomen addidit, ut seriem temporis designaret. *Præside*, inquit, *Syriæ Cyrino facta est hæc prima professio.* Ut quasi consulem quemdam, signi gratia, huic libro Evangelista ascripsisse videatur. Nam si consules ascribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus ascribi? Habes ergo omnia quæ in contractibus esse consueverunt: vocabulum C summam illic potestatem gerentis, diem, locum, causam. Testes quoque adhiberi solent: hos quoque nativitati suæ, et generationi secundum carnem Christus adhibuit, qui signarent Evangelium, dicens: *Vos eritis mihi testes in Hierusalem* (*Act.* i, 8).

(Vers. 6, 7.) *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium primogenitum, et pannis eum involvit, et posuit in præsepio;* [e] *quia non erat locus in eo diversorio.*

**1295** 40. Breviter sanctus Lucas et quomodo,

[a] Rom. edit. post voces, *Professio ista*, loco moverat dictionem *fidei*, quæ tamen omnium vet. edit. ac mss. auctoritate propugnatur. Iterum eadem edit. pro, *qui tormenta non exigeret*, reposuerat, *qui tributa non exigeret*. Perperam; etenim obscurum non est allusionem fieri ad censoriam Romanorum disciplinam, quam constat fuisse longe severissimam. Ipseque Ambrosius hoc infra satis aperte indicat, cum illi opponens Christi censuram dicit: *Nihil in hoc censu vereare terribile, nihil immite, nihil triste, sola unumquemque fides signat*, etc. His autem ultimis verbis innuitur ille vetus censorum ritus, quo nonnullos ignominiæ causa Ceritum ceris sive tabulis ascribebant: quo spectat illud Horatii epist. 6 lib. i:

> Quid deceat, quid non, obliti: Cerite cera
> Digni, etc.

Qua de re parœmia exstat apud Eras. chil. i, cent. 10, ada. 81.

[b] Mares ante annum. 14, feminæ ante 12, non cogebantur apud censores profiteri, cum ante illam ætatem tributum ab eisdem non exigeretur. Consule super hoc J. Lipsium, lib. ii de Mag. Rom. cap. 3.

[c] Sic omnes mss. Contra vero cunctæ edit., *Jubentur censere, sed non virgis.* Minus bene, cum manifesta fiat allusio ad Luc. ix, 3, ubi prohibentur apostoli, ne virgam ferant, ad proseminandum Evangelium proficiscentes.

[d] Edit. omnes, *professio prima, non terrarum, sed* D *mentium.* Apertus sensus. Verum quia in cunctis et et Gallic. et Vat. cod. desunt, *non terrarum*, et alioqui potest sententia constare illis expunctis, in hoc mss. consensum sequi maluimus. Dicitur autem, *professio prima*, non absolute, sed prima sub Cyrino, ut opponatur secundæ sub eodem peractæ, ut docet Baronius *Appar. ad Annales eccles.* pag. 29, Jans. Gand. aliique interpretes in hunc locum. Sed litteralem sensum unde parum utilitatis redire poterat ad suos lectores, hoc loco non excutit B. Ambrosius. Quod porro subditur, *non præconis evocatione*, hoc satis declarat suos præcones fuisse censoribus, licet hoc negetur a nonnullis. Qui de censura, ejusque officio plura voluerit, adeat. lib. xiii Cod. Theod., tit 10, *de Censu*, et tit. 11, *de Censit.*; Rosin. *Antiq. Rom.* lib. vii, cap. 10; Laur. Polym. lib. iii, Syn. 4, § 4, et alibi.

[e] Omnes edit. ac recentiores mss. *quia non erat ei*

Digitized by Google

et quo tempore, et quo loco secundum carnem Christus natus sit, explicavit. At vero de cœlesti generatione si quæris, lege Evangelium sancti Joannis, qui a cœlestibus exorsus ad terrena descendit. Illic invenies et quando erat, et quomodo erat, et quid erat, quid egerat, quid agebat, et ubi erat, et quo venerit, et quomodo venerit, quo tempore venerit, qua causa venerit. *In principio*, inquit, *erat Verbum* (*Joan.* I, 1); habes quando erat: *Et Verbum erat apud Deum*; habes quomodo erat. Habes etiam quid erat: *Et Deus*, inquit, *erat Verbum*. Quid egerat: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*, 3). Quid agebat: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Ibid.*, 9). Et ubi erat: *In hoc mundo erat* (*Ibid.*, 10). Quo venerit: *In sua propria venit* (*Ibid.*, 11). Quomodo venerit, *Verbum caro factum est* (*Ibid.*, 14). Quando venerit, Joannes testimonium perhibet de ipso dicens: *Hic est de quo dixi, qui post me venit, ante me factus est; quia prior me erat* (*Ibid.*, 30). Qua causa venerit, Joannes ipse testatur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Ibid.*, 29). Si igitur generationem utramque cognovimus, et [a] utriusque munus unum, et causam qua venit advertimus; ut pereuntis mundi peccata suscipiens, peccati labem, et omnium mortem in se, qui vinci non posset, aboleret: consequens est ut nunc quoque sanctus Lucas evangelista nos doceat, et vias Domini secundum carnem crescentis ostendat.

41. Nec quemquam movere debet quod altiori consilio Joannis infantiam diximus prætermissam, [b] Christi vero infantiam asserimus esse descriptam, non enim omnium est dicere: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam: omnibus omnia factus sum* (I *Cor.* IX, 22): neque de quoquam alio ita dici potest, quia *Vulneratus est propter iniquitatem nostram, et infirmatus est propter peccata nostra* (*Esai.* LIII, 5). Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit; ut tu vir possis esse perfectus: ille involutus in pannis; ut tu mortis laqueis sis absolutus: ille in præsepibus; [c] ut tu in altaribus: ille in terris; ut tu in cœlis: ille alium locum in eo diversorio non habebat; ut tu plures haberes in cœlestibus sedibus mansiones. *Qui cum dives*, inquit, *esset, propter vos pauper factus est; ut illius inopia vos ditaremini* (II *Cor.* VIII, 9). Meum ergo paupertas illa patrimonium est; et infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta laverunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset.

42. Sed nemo intra usum corporis formam omnem divinitatis includat. Alia natura carnis est, alia divinitatis gloria. Propter te infirmitas, in se potentia: propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis, sed quod **1296** redemeris, agnosce. Quia in pannis est, vides: quia in cœlis est, non vides: infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus: *Agnovit enim bos possessorem suum, et asina præsepe Domini sui* (*Esai.* I, 3); immo *præsepium* dixerim, sicut scripsit qui transtulit; nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator illorum (*Demost. Orat. pro Ctesiph.*) qui phaleras sermonum sequuntur, neget in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc an illo verbo usus sit; sed rem spectandam putat: si ipsi philosophi eorum qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis et receptis usi sermonibus sunt; ut propriis uterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula divinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt? Denique asinam illam irrationabilem [d] non fuco deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta paverunt.

43. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis divinum mysterium revelatum est: irrationabiles gentes, pecudum intra præsepia more viventes, alimoniæ sacræ ubertate pascendas. Agnovit ergo asina, species scilicet, et forma gentilium, præsepe Domini sui. Et ideo dicit: *Dominus pascit me, et nihil deerit* (*Psal.* XXII, 2). An mediocribus signis Deus probatur, quod angeli ministrant, quod Magi adorant, quod martyres confitentur? Ex utero funditur, [e] sed coruscat e cœlo: terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine viget. Nupta peperit, sed virgo con-

*locus in diversorio*. Reliqui, *quia non erat locus in eo diversorio*: quæ lectio etiam eo confirmatur, quod infra mss. et edit. magno consensu præ se ferant, *ille alium locum in eo diversorio non habuit*. Unde intelligas Ambrosium in Græcis vocibus ἐν τῷ καταλύματι accepisse particulam τῷ non pro articulo, sed pro demonstrativo, ut non raro etiam a probatis auctoribus usurpatur. Hinc præterea advertas licet eumdem sanctum Ambrosium ab opinione Eusebii *Demonst. Evang.* lib. VII, cap. 5; Epiphan. Hæresi 20; Hieronymi epist. 28, ad Marcellam, et aliorum dissentire; quandoquidem hi omnes Christum non in stabulo domus cujuspiam, sed in saxea spelunca natum volunt. Neque tamen desunt qui Doctori nostro patrocinentur, quos videre potes apud interpretes.

[a] Sic mss. aliquot melioris notæ. Alii nonnulli prætermittunt dictionem, *munus*, quod haud dubie in quibusdam recentioribus emendare conati sunt qui reposuerunt, *et utriusque unam esse causam*, etc. quam lectionem secutæ sunt omnes edit.

[b] Rom. edit., *Christi vero oportere esse descriptam*.

[c] *Ut tu in altaribus*, nempe ad accipiendum corporis Dominici sacramentum. Quo illud similiter pertinet, quod lib. de Init. cap. 8, dicitur, *His ablata plebs. . . . contendit ad altaria*. Et non multo post, *venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum*. Ubi plura dicendi de ritu quo in prisca Ecclesia divinissimum illud sacramentum administrabatur, locus erit opportunior.

[d] Cunctæ edit. ac mss. non pauci, *non succo deliciarum*. Cod. vero melioris ævi, *non fuco deliciarum*, id est, laute ac opipare conditis cibis. Quidni enim delicatas illas cupedias, ciborum fucum non liceat appellare?

[e] Edit., *sed cœlesti lumine fulget*.

Digitized by Google

cepit : nupta concepit, sed virgo generavit. Docuit A enim nos sanctus Matthæus non mediocre mysterium, quod sanctus Lucas, quia pleno jam erat expositum, silendum putavit, satis se divitem fore credens, si præsepe Domini sibi ex omnibus vindicasset.

44. Istum igitur parvulum, quem tu quasi vilem, qui infidelis es, arbitraris, Magi ex Oriente venientes, tam longo spatio sequuntur, et procidentes adorant, et regem appellant, et resurrecturum fatentur, offerentes de thesauris suis aurum, thus, et myrrham (*Matth.* II, 1 *et seq.*). Quæ sunt ista veræ fidei munera? Aurum regi, thus Deo, myrrha defuncto; aliud enim regis insigne, aliud divinæ [a] sacrificium potestatis, aliud honor est sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, sed reservet. Nos quoque qui hæc audimus et legimus, de thesauris B nostris talia, fratres, munera proferamus : *Habemus enim thesaurum in vasis fictilibus* (II *Cor.* IV, 7). Si igitur in teipso quod es, non ex te debes æstimare, sed ex Christo : quanto magis in Christo non tua debes æstimare, sed Christi.

45. Ergo Magi de thesauris suis offerunt munera. Vultis scire quam bonum meritum habeant? Stella ab his videtur : et ubi Herodes est, non videtur : ubi Christus est rursus videtur, et viam monstrat. Ergo stella hæc via est, et via **1297** Christus; quia secundum Incarnationis mysterium Christus est stella : *Orietur* enim *stella ex Jacob*, *et exsurget homo ex Israel* (*Num.* XXIV, 17). Denique ubi Christus, et stella est; ipse enim est stella splendida, et matutina. Sua igitur ipse luce se signat.

46. Accipe aliud documentum. Alia venerunt via C Magi, alia redeunt; qui enim Christum viderant, Christum intellexerant, meliores utique quam venerant, revertuntur. Duæ quippe sunt viæ : una quæ ducit ad interitum, altera quæ ducit ad regnum : illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem : hæc via Christus est, qua reditur ad patriam; hic enim temporalis est incolatus, sicut scriptum est : *Multum incola facta est anima mea* (*Psal.* CXIX, 6). Caveamus igitur Herodem mundanæ ad tempus præsulem potestatis; ut patriæ cœlestis æternum consequamur habitaculum.

47. Non electis tantum præmia ista proposita sunt, sed etiam omnibus; quoniam *Omnia, et in omnibus Christus* (*Coloss.* III, 11). Vides enim quia non otiose, vel de Chaldæis, qui peritiores in numeris habentur, Abraham Deo credidit : vel Magi qui licet [b] magicis artibus, cum reconciliandæ sibi divinitati studium impendunt, ortum in terris Domini crediderunt : non, inquam, otiose, sed ut ex adversariis gentibus sanctæ religionis testimonium sumeretur, et divini timoris exemplum.

48. Sed tamen qui sunt isti Magi, nisi qui, ut historia quædam docet, a Balaam genus ducunt, a quo prophetatum est : *Orietur stella ex Jacob?* Isti ergo sunt non minus fidei, quam successionis hæredes. Ille stellam vidit in spiritu, isti viderunt oculis, et crediderunt. Viderunt novam stellam, quæ non erat visa a creatura mundi. Viderunt novam creaturam, et non solum in terra, sed etiam in cœlo gratiam novi hominis requirebant, secundum quod Moyses prophetice posuit, quia *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel.* Et cognoverunt hanc esse stellam, quæ hominem Deumque significat. Adoraverunt parvulum : utique non adorassent, si parvulum tantummodo credidissent. [c] Magus ergo intelligit suas cessare artes, tu non intelligis tua dona venisse? Ille fatetur alienum, [d] tu non agnoscis promissum? Ille contra se credit, tu pro te non putas esse credendum?

49. Natum ergo Magi nuntiant regem : perturbatur Herodes, congregat scribas et principes sacerdotum, et interrogat ubi Christus oriatur. Magi tantummodo regem nuntiant : Herodes Christum requirit. Ipsum igitur regem de quo interrogat, confitetur. Deinde cum ubi nasci haberet inquiritur, utique prænuntiatus ostenditur; neque enim quæri poterat, qui non erat nuntiatus. O amentes Judæi, venisse non creditis, quem videtis : venisse non creditis, quem **1298** dicitis esse venturum! Nuntiate, inquit, mihi, ut veniam, et adorem puerum (*Matth.* II, 8). Insidiatur quidem Herodes, sed Deum non negat, quem memorat adorandum. Deinde infantes occidi jubet (*Ibid.*, 16). Cui alii nisi Deo talis victima debebatur? Expers licet sensus infantia, Deum tamen pro quo interimitur, confitetur. Hæc de Matthæo pauca libavimus; ut clareret infantiæ tempora a divinitatis operibus non vacasse. Quod si ætas carnis [e] ignava operis fuit, profecto Deus erat, qui divini-

[a] Omnes edit., *sacramentum est potestatis;* omnes mss., *sacrificium potestatis.* Utrumque commode. Cæterum mystica illa munerum a Magis allatorum interpretatio decantata fuit a tot Patribus, ut non videatur in iis recensendis immorandum.

[b] Edit. omnes, ac major numerus mss. *magicis artibus conciliandæ sibi divinitatis.* Rom. edit. *divinitati.* Cod. vero Corb. Prat. Carn. ac Gem. ut in textu. Melius, cum superior lectio æquivocatione non careat. Cæterum quod illi Magi ortum a propheta Balaam duxisse memorantur, hoc non obscure desumptum est ex Orig. Hom. 13, *in Numeros :* quod autem magicis artibus imbuti significantur, hoc non solum videtur petitum ex ejusdem Adamantii loco citato : sed etiam manifeste legitur ipsius lib. I, *cont. Celsum :* in quo illum secuti sunt Justinus martyr, *Dial. cont. Triph.*; Ignat. *epist. ad Ephesios*; Hier. *in Isaiam*, cap. 19 et 47, nec non alii. Quod D vero ad cognitionem numerorum, quam proxime ante Chaldæis adjudicat sanctus Doctor, id intelligi oportet de numeris astrologicis, ex quibus genethliaci futura prædicere posse sibi videbantur : unde est illud Flacci lib. I, Ode 11.

Nec Babylonios tentaris numeros.

Hanc scientiam ab Abrahamo ad Ægyptios illatam scribunt : nos tamen non superstitiosam illam a Patriarcha traditam autumamus, sed tantum rectam atque honestam siderum disciplinam, quam postmodum inquieta hominum curiositas ad pravas artes detorsit ac traduxit.

[c] Codex Remig. *Magus ergo intelligit per suas artes, tu,* etc.

[d] Rom. edit., *tu non agnoscis proprium.*

[e] Edit. Rom. cum uno aut altero mss. *ignara operis fuit.* Aliæ, ac reliqui mss. *ignava*, etc. Concinnius;

Digitized by Google

tatis operibus exercebat carnis ætatem : qui etiam A pastores faciebat in illa regione vigilare, custodientes vigilias noctis supra gregem suum.

50. [a] Videte Ecclesiæ surgentis exordium : Christus nascitur, et pastores vigilare cœperunt, qui gentium greges, pecudum modo ante viventes [b] in aulam Domini congregarent; ne quos spiritalium bestiarum per offusas noctium tenebras paterentur incursus. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur : *Esto vigilans, et confirma* (*Apoc.* III, 2) ; quia non solum episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam angelos destinavit.

(Vers. 9.) *Ecce angelus Domini stetit ante illos.* B

51. Videte quemadmodum cura divina fidem astruat : angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores edocet. Non satis est semel missum ; duobus enim vel tribus testibus stat omne verbum.

(Vers. 13, 14.) *Et facta est cum angelo multitudo exercitus cœlestium laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

52. Bene angelorum nominatur exercitus, qui ducem militiæ sequebantur. Cui igitur laudem angeli, nisi Domino suo dicerent, juxta quod scriptum est : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus* (*Psal.* CXLVIII, 1 *et* 2)? Impleta igitur prophetia est. Laudatur de cœlis Dominus, et videtur in terris. De quo sanctus C Marcus ait, quia *Cum bestiis erat, et angeli ministrabant ei* (*Marc.* I, 13) ; ut in altero misericordiæ insigne, in altero divinæ indicium potestatis agnoscas. Tuum est quod bestias patitur, suum quod ab angelis prædicatur. Et aiunt :

(Vers. 15, 16.) *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum quod factum est, sicut Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.*

53. Vides festinare pastores; nemo enim cum desidia Christum requirit. Vides pastores angelo credidisse : et tu Patri, Filio, Spiritui sancto, **1299** angelis, prophetis, et apostolis [c] crede. Vide quam signate Scriptura singulorum libret momenta verborum : Festinant, inquit, Verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est D Filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, [d] non vilis persona pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita, et fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quasi vilia [e] verba prophetarum : a pastoribus etiam Maria fidem colligit : a pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur; *mirati enim sunt de iis, quæ dicebantur a pastoribus ad ipsos.*

(Vers. 19.) *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

54. Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria a pastoribus discit, cur tu declinas discere a sacerdotibus? Si Maria ante præcepta apostolica tacet, cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere quam discere? Disce vitium esse personæ, non sexus; sexus enim sanctus. Denique Maria præceptum non accepit, exemplum edidit.

55. Circumciditur itaque puer. Quis ille puer, nisi ille de quo dictum est : *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis* (*Esai.* IX, 6)? Factus est enim sub Lege; ut eos qui sub Lege essent, lucrifaceret.

56. [f] Sistitur autem in Hierusalem. Quid sit autem in Hierusalem sisti Dominum, dicerem; nisi in Esaiæ commentis ante dixissem. Circumcisus enim vitiis, Dominico dignus judicabatur obtutu; quia *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16). Vides omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri; nam et circumcisio purgationem significat delictorum. **1300** Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humanæ carnis et mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octavum circumcisionis diem culpæ totius futura purgatio resurrectionis præfigurabatur ætate; hoc est enim illud : *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur* (*Exod.* XIII, 2) ; verbis enim Legis promittebatur Virginis partus. Et vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse qui Lege signetur, in eumdem modum ab Angelo repetita verba declarant : *Quia quod nascetur*, inquit, *sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Non enim virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit : [g] sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus

sic enim significatur infantia non modo quid agatur, ignorare ; sed etiam agendi virtute destitui.

[a] Hic pauci mss. iique recentiores inserunt textum Scripturæ : *Et pastores erant*, etc., quem Rom. edit. paulo superius exhibet, cum in omnibus ant. edit. et aliis mss. desideretur.

[b] Edit. cum uno vel altero, *in caulam Domini*.

[c] Ita omnes mss. At ex adverso edit. omnes, *credere non vis?*

[d] Edit. Rom. sola, *quod vilis sit persona pastorum*. Certe non esse necessariam hanc mutationem patebit locum attentius consideranti. At post tria verba cod. Corb. et Mich. legunt, *eo prudentia pretiosior*, ubi alii et edit., *eo pretiosior*, etc.

[e] Cod. Reg. et Rom. edit., *verba pastorum*; sed hic mutato nihil est opus, cum non ambiguo ipsi pastores a S. Doctore prophetæ vocitentur.

[f] *Sistitur autem in Hierusalem*, hæc verba quæ in ant. edit. exstant, sed absunt ab omnibus mss. Rom. edit. sustulerat, reposueratque eorum loco textum Scripturæ, qui in mss. et vet. edit. æque desideratur; sed cum illa passim id juris sibi arroget, semel hoc observasse sufficiat. Quod vero commentariorum suorum in Esaiam meminit sanctus Præsul, ea quidem reperimus ab Aug. non semel allegata, sed eo magis dolemus illa interiisse, quod in pretio fuisse apud tantum Doctorem intelligimus.

[g] His verbis non solum cuncti mss. atque edit

infudit : solus enim per omnia ex natis de femina A sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit.

57. Nam si litteram sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? Numquid sanctus Achab? Numquid sancti pseudoprophetæ quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis assumpsit? Sed ille sanctus, [a] per quem figuram futuri mysterii pia legis divinæ præscripta signabant; eo quod solus sanctæ Ecclesiæ virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fecunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum; qui enim dixerat ad prophetam : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et in vulva matris sanctificavi te* (*Jerem*. I, 5). Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vulvam ; ut immaculatus exiret.

(Vers. 25.) *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon : et homo iste justus, et timoratus, exspectans consolationem Israel.*

58. Non solum ab angelis et prophetis, a pastoribus et parentibus, sed etiam a senioribus et **1301** justis generatio Domini accipit testimonium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exsultat, vidua confitetur, justus exspectat. Et bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat : cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis absolvi, sed exspectans videre promissum ; sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent.

(Vers. 29.) *Nunc*, inquit, *dimitte servum tuum.*

59. Vide justum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo; dissolvi enim, et cum Christo esse, multo melius. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem, exspectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, [b] complectatur quibusdam suæ fidei brachiis. Tunc dimittetur, ut non videat mortem, qui viderit vitam.

60. Vides uberem in omnes gratiam Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam B esse, non justis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum ; ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum judex verus et justus aut supplicia decernat, aut præmia.

(Vers. 35.) *Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius.*

61. Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse; non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideo prudentiam Mariæ haud ignaram mysterii cœlestis ostendit. *Vivum* enim *verbum Dei, et validum* [c] *et acutum omni gladio acutissimo, penetrans*

hunc locum exhibent, verum etiam August., lib. II *de peccato orig.*, cap. 41, et lib. I *cont. Jul. Pelag.*, cap. 3. Garnerius tamen in appendice ad I partem Marii Mercatoris, pag. 379, contendit inserendam voculam, *se*, ante verbum, *infudit*, *fit enim*, inquit, *allusio ad vocem angeli : Spiritus sanctus superveniet in te.* Verum eo minime evincitur additione ulla hic opus esse, cum videatur Ambrosius noster eam Spiritus sancti operationem significare, qua effectum est, ut purissimum Virginis semen in ejus vulvam deflueret. In conjecturæ suæ confirmationem addit idem Auctor receptam loci hujus lectionem *a malevolo interprete*, in eorum gratiam trahi posse, qui teste eodem Mario, *sceleratissime opinantur Spiritum sanctum fuisse pro semine.* At si ita esset, huic malo nonnihilum remedii afferret additio illa; immo vero locutionem calumniæ redderet magis obnoxiam, ut fatebitur quisquis locum paulo diligentius expenderit. Ergo potius recurrendum esset ad solutionem quam similibus Patrum locis adhibendam docet S. Th. III part., quæst. 22, art. 2. ad 2. *Sed hoc*, inquit, *de facili solvitur ; quia secundum quod in semine intelligitur virtus activa comparant semini Spiritum sanctum, vel etiam Filium*, etc.

[a] Omnes edit., *quem in figura futuri mysterii*, etc. Contra omnes mss., *per quem figuram futuri mysterii*. Nec male. Vult enim ibi sanctus Doctor, Christum virginalem matris uterum immaculato partu reserantem, sui ipsius spiritalem Ecclesiæ vulvam ad generationem fidelium aperientis figuram esse. At enim vere et physice aperta fuit in partu vulva castissimæ Virginis? Negantem sententiam amplectuntur theologi, eo scilicet innitentes quod fidei dogma sit, PP. omnium, Nicæni conc. et sequentium, quotquot fuere, auctoritate munitum, Mariam in partu quoque virginem exstitisse, quod cum apertione uteri consistere nequaquam posse existimant. Ipse quidem Ambrosius opinionem quorumdam ne- C gantium parentem Domini, quam Virginem concepisse non diffitebantur, virginem generasse, in mediolanensi concilio damnandam curavit, ut intelligas ex ejus ad Siricium papam epistola, ubi collectis pluribus antiqui fœderis exemplis ac figuris, partus virginei possibilitatem astruit. Hoc ipsum præstat lib. *de Instit. Virg*. cap. 8. Et, in hymno de Nat. Domini, et ubi non? Erasmus tamen *Annot. in Luc.* allatis his quæ infra leguntur, verbis : *Hic est qui aperuit matris suæ vulvam; ut immaculatus exiret*, asserit Doctorem nostrum cum Origene hom. 14 in Luc. docuisse Christum nascendo reserasse vulvam maternam. Et certe hic locus non omni difficultate immunis est : sed eam expedit B. Th. III part., quæst. 28, art. 2, ubi proposito in hanc rem Ven. Bedæ testimonio ita concludit, *unde illa adapertio non significat reserationem communem claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis de utero matris.* Quam interpretationem nec Erasmus ipse repudiat. D Aliam quoque alii suppeditant perinde accipientes, *adaperiens vulvam*, ac si scriptum esset, *fecunditate donans* : quemadmodum *concludere vulvam* pro eo dicitur, quod est, *sterilem reddere*. Forte etiam addi possit non omni uteri patefactione violari virginitatem, sed ea quæ fit actu aliquo venereo, vel saltem ex eo consequatur. Id non obscure docet August., lib. I *de Civit. Dei*. cap. 18. Immo et hoc ipsum post D. Thom. 2-2, quæst. 152, art I, in corp. et ad III, tenentur scholastici agnoscere ; ibi enim ait : *quod si aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quam si corrumpatur manus, aut pes.*

[b] Vet. edit., *complectatur velut quibusdam suæ fidei brachiis, operibus suis* ; Rom. inversa phrasi, *complectatur operibus suis velut*, etc. Mss. vero, ut in textu.

[c] Era. et edit. seq., *et acutius omni gladio*; Amerb. ac mss., *et acutum*, etc. Non male, cum præpositio *præ* ibi subintelligi possit, ut in aliis mul-

Digitized by Google

*usque ad divisionem animæ, et spiritus, artuumque et medullarum, cogitationes cordis, et secreta scrutatur animorum* (*Heb.* IV, 12); quia nuda mentium, et aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiæ secreta non fallunt.

62. Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat Virgo, prophetaverat copulata conjugio, debuit etiam vidua; ne qua aut professio deesset, aut sexus. Et ideo Anna et stipendiis viduitatis, et moribus talis inducitur; ut digna plane fuisse credatur, quæ redemptorem omnium venisse nuntiaret. Cujus merita cum alibi descripserimus, cum viduas hortaremur (*Lib. de Viduis, cap.* 1), hoc loco quoniam ad alia properamus, non putamus iteranda. Non otiose tamen annos octoginta quatuor viduitatis ejus expressit; quia et septem dodecades, et duæ quadragesimæ sacrum videntur numerum designare.

(Vers. 42.) *Et cum facti essent illi anni duodecim.*

63. A duodecimo anno, ut legimus, Dominicæ sumitur disputationis exordium; hic enim **1302** prædicandæ fidei evangelizantium numerus debebatur. Nec otiose immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur et gratia, post triduum reperitur in templo; ut esset indicio quia post triduum triumphalis illius passionis in sede cœlesti, et honore divino fidei nostræ se resurrecturus offerret, qui mortuus credebatur.

(Vers. 49.) *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in propria patris mei oportet me esse?*

64. Duæ sunt in Christo generationes : una est paterna, materna altera : paterna illa divinior, materna vero quæ in nostrum laborem usumque descendit. Et ideo quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignanda virtutibus, sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum [a] ad mysterium mater impellit : hic mater arguitur (*Joan.* II, 3); quia adhuc quæ humana sunt, exigat. Sed cum hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere doceatur; vides matrem didicisse de Filio, ut exigeret a validiore mysterium, quæ stupebat in juniore miraculum.

(Vers. 51.) *Et venit Nazareth, et erat subditus illis.*

65. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miramur si Patri defert, qui subditur matri? Non utique infirmitatis, sed pietatis est ista subjectio; attollat licet sævis emissus latebris coluber perfidiæ caput, et serpentinis evomat venena pectoribus. Cum dicit se Filius missum (*Joan.* VIII, 29), majorem hæreticus appellat Patrem; ut imperfectum Filium dicat, qui potest habere majorem; ut alienis auxiliis asserat eum qui mittitur, indigere : numquid et humano egebat auxilio; ut materno serviret imperio? Deferebat homini, deferebat ancillæ (ipsa enim dicit (*Luc.* I, 38) : *Ecce ancilla Domini*), deferebat simulato patri : et miraris si Deo detulit? An homini deferre pietas est, Deo deferre infirmitas est? Vel ex humanis divina perpende, [b] et quid patri amoris debeatur, agnosce. Pater honorificat Filium (*Joan.* VIII, 54 *et* 49), cum vis ut Filius honorificet Patrem : Pater voce cœlesti in Filio se complacere profitetur (*Luc.* III, 22), cum vis ut Filius humanæ carnis indutus amictu, cum humana voce, humano loquatur affectu, Patrem dicat esse majorem (*Joan.* XIV, 28)? Nam si *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CLXIV, 3) : utique magnitudo quæ finem non habet, nec augmentum habet. Sed cur non accipiam religiosis auribus Filium Patri in susceptione corporis obedientem, cum religiose accipiam Patrem Filio deferentem?

66. Disce potius tuæ utilitatis præcepta, et exempla pietatis agnosce. Disce quid parentibus tuis debeas, cum legis a Patre Filium non voluntate, non opere, non tempore discrepare : etsi personis duo, potestate unum sunt. Et utique nullum Pater ille cœlestis laborem generationis **1303** expertus est : tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus majus periculum est : et cum ediderit quem optavit, partu absolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, et multiplicatos alienis usibus census, jactaque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obsequio saltem oportet rependi? Cur impio patris vita prolixior, et communitas patrimonii videtur angustior, cum Christus non refugiat cohæredes?

(Cap. III. — Vers. 2.) *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.*

67. Congregaturus Ecclesiam Dei Filius, ante operatur in servulo. Et ideo bene posuit sanctus Lucas factum esse verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto; ut Ecclesia non ab homine cœperit, sed a Verbo. Ipsa enim est desertum, quia *plures filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Esai.* LIV, 1). Denique ipsi dicitur : *Lætare sterilis* (*Ibid.*), et *Exsulta desertum* (*Esai.* LII, 9); quia nullis adhuc convenæ plebis operibus colebatur, neque ullum adhuc arbores illæ, quæ fructum ferre non poterant, meritorum suorum verticem præferebant. Nondum venerat qui diceret : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (*Psal.* LI, 10). Nondum vi-

tis hujusmodi locutionibus, de quibus videsis Fr. Sanctii *Minervam, de comparat. const.*

[a] Edit. Era., Gill. ac Rom. cum mss. aliquot, *ministerium*. Ita etiam eædem illæ infra. Edit. autem Amerb. in corpore; Era. et Gill. in marg. utroque loco habent cum tredecim optimis mss. *mysterium*, et cætera ut nos in textu, nisi quod in solis mss. pro, *a filio*, legitur, *de filio*. Quod autem hic legimus, *mater arguitur*, noli hinc inferre cum Calvino S. Præsulis hanc mentem esse, ut Deiparam peccasse indicaret : quo nihil a B. viro magis alienum, ut jam non semel licuit advertere. Intellige ergo, *arguitur*, lato modo positum pro *docetur*, aut alio consimili verbo : quod a communi usu non abhorret.

[b] Rom. edit. sola, *et quid honoris patri debeamus*. Sed nihil mutandum, cum amor in parentes semper honori conjunctus intelligatur.

Digitized by Google

tis illa cœlestis fructus palmitibus suis, verborum quodam suorum traduce, ministrabat. Factum est ergo verbum, ut quæ erat ante deserta, fructum nobis terra generaret. Factum est verbum, vox secuta est; verbum enim prius intus operatur, sequitur vocis officium. Unde et David dicit : *Credidi propter quod locutus sum* (*Psal.* cxv, 1). Prius credidit, ut loqui posset.

68. Factum est autem verbum, ut sanctus Baptista Joannes pœnitentiam prædicaret. Et ideo plerique sancto Joanni typum Legis imponunt; eo quod Lex peccatum denuntiare potuit, donare non potuit. Lex enim unumquemque qui viam gentium sequebatur, revocat ab errore, restringit a crimine : pœnitentiam suadet, ut gratiam consequatur. *Lex autem et Prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* xvi, 16) : Joannes vero prænuntius Christi. [a] Ita Lex et Ecclesiæ prænuntia, et gratiæ pœnitentia est. Bene itaque sanctus Lucas compendio usus est, ut Joannem declararet prophetam, dicens factum esse super eum verbum Domini : alia non adderet; nullus enim eget indicio sui, qui verbo Dei abundat. Unum itaque dixit, et omnia declaravit.

69. At vero sanctus Matthæus et Marcus vestitu, et cinctu, et cibo Prophetam declarare voluerunt; eo quod vestitum de pilis camelorum habuit, **1304** et zonam pelliceam super lumbos suos : locustas autem, et mel silvestre edebat (*Matth.* iii, 4 ; *Marc.* i, 6). Prænuntius enim Christi non patiebatur immundarum perire exuvias bestiarum : ipso quoque vestitus indicio designans Christum esse venturum, [b] qui belluina, illuvieque contexta pro nostrorum deformitate meritorum, gentilitatis immundæ peccata suscipiens, in illo trophæo crucis, amictu quodam se nostræ carnis exueret.

70. Quid autem sibi vult cinctus zonæ pelliceæ, nisi quod caro ista quæ mentem prius gravare consueverat, ea post adventum Domini non impedimento cœpit esse, sed cingulo? Scilicet juxta David : *In salicibus.... organa nostra suspendimus* (*Psal.* cxxxvi, 2); et juxta Apostolum (*Philip.* iii, 3) confidentiam non habemus in carne, et confidentiam habemus in corpore : non habemus in voluptatibus, habemus in passionibus; quoniam in spiritu fervens vigeat affectus, et ad omne accingamur obsequium cœlestium præceptorum, devotione mentis intenti, atque apparatu corporis expediti.

A 71. Cibus quoque propheticus index officii, nuntiusque mysterii est. Quid enim tam otiosum ad hominis officium, quam locustas quærere : et quid tam plenum ad vatis mysterium? Nam quo magis ad fructum inutiles, [c] ad usum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagæ saltu, ore stridulæ sunt locustæ; eo convenientius his populi figura gentilis aptatur, qui nullo usu laboris, nullo operis sui fructu, sine gravitate, sine voce sonum querelæ ederet, verbum vitæ ignoraret. Hic igitur populus cibus est prophetarum; nam quo numerus major populi congregatur, eo uberior prophetici oris usus augetur. Ecclesiæ quoque gratia præfiguratur in melle silvestri, non intra alvearium legis plebis Judaicæ fetu reperta, sed in campis, et foliis silvæ gentilium errore

B diffusa, juxta quod scriptum est : *Invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* cxxxi, 6).

72. Et hic quidem mel silvestre edebat, annuntians populos de petræ melle saturandos, sicut scriptum est : *Et de petra mellis saturavit eos* (*Psal.* lxxx, 17). Sic etiam Eliam corvi [d] cibo advectitio, et lucrativo potu inter deserta paverunt (III *Reg.* xvii, 6); ut indicio foret populos nationum tetro squalentes colore meritorum, qui ante cibum fetidis in cadaveribus requirebant, nunc de se advectitiam prophetis alimoniam præbituros. Cibus enim prophetarum, divinæ voluntatis effectus est, sicut ipse Dominus declaravit dicens : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* iv, 34).

(Vers. 4.) *Vox clamantis in deserto.*

C 73. Bene vox dicitur Joannes Verbi prænuntius. Nam interrogatus ipse Joannes : *Quid dicis de te ipso? Ait : Ego vox clamantis in deserto* (*Joan.* i, 22 *et* 23). **1305** Et ideo ait : *Qui post me venit, ante me factus est* (*Ibid.*, 30); quia vox præcedit inferior, verbum sequitur, quod præcellit. Ideo et a Joanne baptizari voluit; quia in hominibus verbum consecratur voce doctoris. Ideo fortasse Zacharias vocem recepit, quia vocem locutus est.

(Vers. 7, 8.) *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et ne cœperitis dicere : Pater noster est Abraham. Dico autem vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

74. Argui quidem videtur malitia Judæorum, eo

D quod vario noxiæ mentis veneno, serpentinos lapsus, et terrena cubilia, non divinæ aliquod mysterium co-

[a] Ita vet. edit. cum plerisque atque optimis mss. Et recta est ea lectio; nihil enim ea significatur, nisi Legem cujus typus erat Joannes, Ecclesiæ quasi viam parasse : et pœnitentiam quam idem Joannes prædicabat, ad gratiam aditum aperuisse. In quibusdam tamen cod. deest vox, *pœnitentia* : et in aliis locus legitur in hæc verba : *Ita Lex Ecclesiæ prænuntiat gratiam pœnitentiæ.* Rom. autem edit. sic mutavit. *Itaque Lex Ecclesiæ prænuntia, et gratiæ prævia est.*

[b] Edit. omnes : *qui belluinis induviis, quæ contextæ sunt nostrorum*, etc. Contra vero mss. Vaticani Gallicanique magno consensu lectionem nostram stabiliunt, nisi quod in quibusdam lapsu calami, pro *illuvie*, scribitur *ingluvie* : in uno, *sorde, illuvieque.*

[c] Mss. non pauci nec infimæ notæ, *ad usum inertes*, omissa dictione, *laboris.* Hic porro Doctor noster dissentit ab opinione eorum, quibus ἀκρίδες non locustæ sunt, sed fruticis aut herbæ cujusdam genus, immo, si Deo placet. etiam pisces delicati. Sed cum Ambrosio pars multo maxima Patrum ac interpretum consentiunt. Neque sane alia opinio videtur aliunde introducta, nisi quod locustæ animalcula non crederentur esui esse; cum tamen certos populos illis et olim victitasse, et etiamnum victitare prodant historici. Qua de re adiri possunt Erasmus atque Drusius in hunc locum.

[d] Cunctæ edit. ac mss. non pauci, *cibo adventi-*



Digitized by Google

gnitionis operentur : sed tamen cum dicitur : *Quis* A *ostendit vobis fugere a ventura ira?* ostenditur his Dei miseratione infusa prudentia ; ut gerant suorum pœnitentiam delictorum, futuri terrorem judicii provida devotione metuentes. Ad generationem ergo, non ad successionem referenda est comparatio viperarum. Aut fortasse juxta quod scriptum est : *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* x, 16), ostenduntur habere prudentiam naturalem, qui profutura videant, et sponte deposcant, sed adhuc noxia non relinquant.

75. Et ideo admonentur claritatem sibi magis operis, quam nobilitatem generis vindicare ; quod nulla in successione prærogativa sit, nisi fidei astipuletur hæreditas, quam Dei nutu ad populos gentilium transferendam, sermone prophetico revelavit, di- B cens : *Potens est Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahæ.* Nam licet Deus possit diversas convertere et commutare naturas ; tamen quia mihi plus mysterium quam miraculum prodest, in prænuntio Christi nihil magis quam ædificationem Ecclesiæ debeo surgentis agnoscere ; quæ non rupeis saxis, sed vivis lapidibus exstructa, in habitaculum Dei et fastigium templi conversione nostrorum surrexit animorum. Etenim parabat Deus mentium nostrarum dura mollire, et de lapidibus offensionis excitare cultores religionis. Quid enim aliud quam lapides habebantur, qui lapidibus serviebant, similes utique iis qui facerent eos? Prophetatur igitur saxosis gentilium fides infundenda pectoribus, et futuros per fidem Abrahæ filios oracula pollicentur, quibus per duri- C tiam mentis saxeus quidam insensibilis, irrationabilisque naturæ usus inoleverat. Nam si lapidibus vivis [a] firmatos viros fidei robore sententia apostolica comparavit, juxta quod scriptum est : *Et vos tamquam lapides vivi ædificamini domus spiritalis, in sacerdotium sanctum, offerentes hostias spiritales* (I *Petr.* ii, 5) : [b] multo altius hic videntur voce prophetica lapidibus homines comparati, qui ita humanæ sensum mentis amiserant ; ut dum lapidibus putant divinitatis alicujus inesse rationem, ipsi in naturam lapidum non usu corporis, sed mentis habitu verterentur. Denique ex Abrahæ **1306** secundum carnem successione manantes, et principes Sodomorum appellantur (*Esai.* i, 10), et parietes dealbati (*Matth.* xxiii, 27) : ita sibi prærogativam generis morum ma- D gis similitudo vindicat, quam ordo majorum (*Act.* xxiii, 3). Quin etiam ut scias quia lapidibus comparati sunt homines, arboribus quoque homines comparavit subjiciens Propheta :

(Vers. 9.) *Quia jam securis ad radices arborum posita est.*

76. Exempli autem ideo facta mutatio est ; ut i... comparationis processu quidam intelligatur homi... clementior jam profectus. Nam illi ante deformes a... usum, nudi ad ornatum, steriles ad fructum, irratio... nabiles ad profectum, jam in arborum speciem ... gurantur, quæ rationabili quodam naturæ mu... decoræ ad usum, ad aspectum venustæ, ad fruct... opimæ, surgunt cacuminibus, funduntur brachi... replentur fructibus, frondibus vestiuntur. Atque ... nam nos fecundarum usum arborum possimus imitari, meritisque crescentibus longævæ humilit... radice fundati, sublimes ab humo, decori ad spec... adultos fructuosorum operum vertices erigamus ne evangelica securis agricolæ trunci radicem s... vestris excidat. *Væ enim mihi est, si non evangelizavero* (I *Cor.* ix, 16). Sed vox ista apostolica e... Væ mihi est, si non peccata deflevero, væ mihi e... si non media nocte surrexero ad confitendum tibi ; væ mihi est, si dolum proximo meo fecero ; væ, si locutus non fuero veritatem. Ad radicem securis est posita, faciat fructum, qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ. Adest Dominus, ... fructum requirat, fecundos vivificet, steriles reprehendat. Anni tres sunt ex quo venit, et fructum ... Judæis invenire non potuit : utinam inveniat in nobis. Jussurus est succidi infructuosos, ne terram occupent. Sed qui adhuc non habet fructum, ... ut afferat in futurum. Bonus ille cultor agri interveniet pro nobis infecundis, pro nobis infructuosis ; ut detur spatium, patientia deferatur ; ... forte et nos aliquem fructum ferre Deo possimus.

77. Singulis quoque generibus hominum conveniens tribuit sanctus Joannes Baptista responsum, unum omnibus (*Dist.* 86, *cap. In singulis*) : ita publicanis, ne ultra præscriptum exigant ; militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant ; docens idcirco stipendia constituta militiæ ; ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Sed hæc et alia officiorum præcepta propria singulorum : [c] misericordia communis est usus, ideo commune præceptum : omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, et ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel urbanus, dives et pauper, omnes in commune admonentur, ut conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis ; ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis **1307** humanæ mensura servatur ; ut non sibi unusquisque totum eripiat : sed quod habet, cum paupere partiatur.

(Vers. 15, 16.) *Æstimante autem populo et cogi-*

*tio.... de se adventitiam.* Reliqui, et iidem antiquissimi, *cibo advectitio*, etc. Quod vero edit. Rom. resecarat, *et lucrativo potu*, in hoc refragantes habet omnes et mss. et ant. edit.

[a] Rom. edit. sola, *formatos viros fidei robore.* Non tam commode, ut ipse orationis contextus declarat.

[b] Ita vet. edit. in corpore, ac mss. longe plurimi. Eædem vet. edit. in marg., *multo aliis.* Rom. et cod. Corb. in glossa cum paucis aliis, iisque recentioribus, *multo aptius.* Non male : sed tamen alia lectio non rejicienda ; namque hic *altius* idem sonat, atque altiori, ac profundiori sensu.

[c] Mss. non pauci, nec infimæ notæ, *misericordiæ communis est usus... ætatibus necessariæ*, quidam *necessarie*, *tamen omnibus deferenda.* Alii quatuor

Digitized by Google

*tante in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; respondit dicens: Ego quidem vos baptizo in aqua, in pœnitentia.*

78. Videbat ergo Joannes cordis occulta. Sed consideremus cujus hæc gratia. Quemadmodum autem prophetis palam fiant cordis occulta, Paulus ostendit dicens: *Occulta quoque cordis ejus manifesta fient: et procidens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus est in vobis* (I *Cor.* XIV, 25). Dei ergo munus est qui revelat, non virtus hominis qui divino magis adjuvatur beneficio, quam naturali cernit officio. Quo autem proficit ista cogitatio Judæorum, nisi ut secundum Scripturas venisse Christum probetur? Erat enim qui exspectabatur; et ipse utique qui exspectabatur, non is qui non exspectabatur, advenit. Quid autem ineptius quam quod is qui in alio B æstimatur, in seipso esse non creditur? Quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt. Quæ Deo secundum carnem dignior generatio, quam ut immaculatus Dei Filius immaculatæ generationis servaret etiam in suscipiendo corpore puritatem? Et utique divini adventus [a] signum in virginis partu, non in mulieris constitutum est.

79. *Ego*, inquit, *vos aqua baptizo.* Cito probavit non esse se Christum, qui visibili operetur officio. [b] Nam cum ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat et corpore, visibile per visibilia, invisibile per invisibile mysterium consecratur. Aqua enim corpus abluitur, spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud invocamus; licet etiam in ipso C fonte sanctificatio divinitatis aspiret. Non enim aqua omnis ablutio est, sed hæc inter se divisa esse non possunt, et ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Istud ex utroque, illud ex uno; nam cum communia delicta sint mentis et corporis, purificatio quoque debuit esse communis. Et bene sanctus Joannes se intellexisse significans quid in cordibus cogitarent, et quasi non intellexerit, declinans majestatis invidiam, non verbo, sed opere declaravit non esse se Christum. Opus enim hominis est gerere pœnitentiam delictorum; Dei munus est gratiam implere mysterii.

*Venit autem fortior me.*

80. Non comparationem fecit, ut ipso se tantum fortiorem dixerit Christum (neque enim inter Dei D Filium et hominem ulla poterat esse collatio), sed quia multi fortes; nam et diabolus fortis: *Nemo enim potest vasa fortis... diripere, nisi prius alligaverit fortem* (*Marc.* III, 27). Multi ergo fortes, fortior nemo nisi Christus. Denique eousque non fecit comparationem, ut addiderit: *Cujus non sum dignus calceamenta portare,* evangelicæ prædicationis 1308 ostendens in apostolos gratiam esse collatam, qui sunt calceati in Evangelium.

81. Videtur tamen ideo hoc dicere, quod plerumque Joannes personam accepit populi Judæorum. Unde ad hoc referunt quod ait: *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 30), quod oporteret minorem fieri populum Judæorum, crescere in Christo populum Christianum. Denique et Moyses accepit personam populi; sed ille calceamentum non Dominicum portabat, sed pedum suorum. Et isti calceati sunt calceamento fortasse non suorum pedum; ille autem solvere calceamentum pedum jubetur suorum (*Exod.* III, 5); ut animi ejus gressus et mentis, corporei nexus vinculis absolutus, iter spiritale gradiatur. Apostoli autem calceamentum deposuerant corporale, quando missi sunt sine calceamento, sine virga, sine pera, sine zona; sed non statim Domini calceamenta portarunt. Fortasse post resurrectionem portare cœperunt; ante enim ne cui gesta Domini dicerent, monebantur. Denique postea his dicitur: *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium* (*Marc.* XVI, 15); ut evangelicæ prædicationis vestigium proferentes, toto Dominicorum seriem circumferrent orbe gestorum. Est igitur calceamentum nuptiale evangelica prædicatio. Sed de hoc opportunius aliquid in aliis explicabimus (*Inf. cap.* X).

(Vers. 17.) *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni: habens ventilabrum in manu sua, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum; paleas autem igni comburet inexstinguibili.*

82. *Habens ventilabrum in manu.* Ventilabri indicio discriminandorum Dominus declaratur jus habere meritorum; eo quod dum frumenta in area ventilantur, plena a vacuis, ab inanibus fructuosa veluti quodam auræ spirantis examine separantur. Per hanc igitur comparationem ostenditur quod Dominus judicii die solidæ merita fructusque virtutis ab inanis jactantiæ, exiliumque factorum infructuosa levitate discernat; perfectioris meriti viros locaturus in mansione cœlesti. Ipse enim perfectior fructus est, qui meruerit ejus esse conformis, qui sicut granum tritici cecidit, ut plurimos fructus afferret in nobis, invisus paleis, inanibus meritis non amicus. Et ideo ante eum ignis ardebit, non natura sui noxius; utpote qui mala improbitatis exurat, splendorem probitatis accumulet.

(Vers. 21, 22.) *Factum est autem, cum baptizatus esset omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est: Filius meus es tu, in te complacui.*

*misericordia... necessarium et ab omnibus deferendum est.* Reliqui, ac edit. ut in textu.

[a] Scilicet Isai. VII, 14: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium,* etc. Recte autem Ambrosius Judæos arguit, qui Christum ex muliere venturum putantes, hebraicam Isaiæ vocem עלמה pro qualibet muliere, non pro virgine, quæ virginitatem in conceptu et partu servaverit accipiendam esse pertinacius contendebant. Vide Huet. *Demonst. Evang.* cap. 9.

[b] Sic omnes edit. ac propemodum cuncti mss.; Corb. tamen et alii pauculi, *Nam cum ex duobus naturis homo,* etc. Rursus eodem loco edit. omnes, sed cum mss. omnino duobus, *visibile per visibile, invisibile per invisibile,* etc. Mss. octo, *visibile per invisibile, invisibile per visibile,* etc. Verum alii totidem pro-

Digitized by Google

83. Baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent. Et ideo qui ad Christi lavacrum venerit, peccata deponit. Pulchre autem in iis quæ a cæteris dicta sunt, sanctus Lucas **1309** evangelista compendium sumpsit, et intelligendum magis quod a Joanne Dominus baptizatus est, quam expressum reliquit. Quæ autem Dominici causa baptismatis, Dominus ipse declarat dicens : *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III, 15).

84. Cum igitur tanta ad ædificationem Ecclesiæ suæ divino Deus favore concesserit; ut post patriarchas, prophetas, angelos, unigenitus descenderet Dei Filius, et ad lavacrum veniret; nonne vere atque divine de Ecclesia cognovimus dictum : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI, 1)? Nec mirum si homo ædificare non potest, qui non potest custodire : *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilaverunt qui custodiunt eam* (*Ibid.*). Hæc de quodam psalmo. Audeo tamen etiam ego dicere, quod homo viam non possit adoriri, nisi Dominum habeat præviantem. Unde criptum est : *Post Dominum Deum tuum ambulabis* (*Deut.* XIII, 4); et, *A Domino diriguntur viæ viri* (*Prov.* XX, 24). Denique ille perfectior, qui intelligeret se sine Domino ambulare non posse : *Vias*, inquit, *tuas edoce me* (*Psal.* XXIV, 4). Et ut ad historiam veniamus (non enim simplicem tantum rei gestæ seriem debemus haurire, sed etiam actus nostros ad æmulationem scriptorum referre) ex Ægypto populus exivit, nesciebat viam quæ ad terram duceret sanctam. Misit Deus per noctem columnam ignis, ut per columnam populus viam disceret. Misit etiam per diem columnam nubis, ut neque ad sinistram, neque ad dexteram declinaret (*Exod.* XIII, 21). Sed non es talis, homo, ut merearis et tu ignis columnam : non habes Moysen, non accipis signum; nunc enim post adventum Domini fides exigitur, signa conduntur. Time Deum, et præsume de Domino : *Immittit enim angelos Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII, 8). Vides itaque quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino (*Conf. S. August. lib. de Gratia Christi, cap.* 44). Et ideo juxta Apostolum : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, in nomine Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* X, 31). In duabus enim epistolis : alibi *in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Coloss.* III, 17); alibi *in gloriam Dei* facere te præcepit; ut scias eamdem esse Patris et Filii gloriam, eamdemque virtutem : nec in aliquo circa sui divinitatem Patrem et Filium discrepare, qui circa præsidia nostra non discrepant. Docuit igitur me David quod nemo sine Domino ædificet domum, custodiat civitatem (*Ps.* CXXVI, 1).

85. Docuit me etiam Moyses quod nemo nisi Deus fecerit mundum : *In principio enim fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Docuit etiam quod hominem Deus opere suo fecerit; nec otiose posuit : *Finxit Deus hominem de limo terræ, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ* (*Gen.* II, 7); ut actum quemdam Dei circa ædificationem hominis usu quodam corporalis operationis advertas. Docuit etiam quia et mulierem fecit Deus : *Immisit enim Deus soporem in Adam, et dormivit, et sumpsit unam costam de latere ejus,* **1310** [b] *et replevit carnem ejus : et ædificavit Dominus Deus costam quam sumpsit ab Adam in mulierem* (*Ibid.*, 21 *et* 22). Non frustra, ut dixi, corporalibus quibusdam manibus circa Adam et Evam Moyses Deum inducit operantem. Mundum Deus fieri jussit, et factus est, et uno verbo opus mundi Scriptura indicat absolutum : ad hominem vero et manus ipsas quodammodo studuit tibi Propheta Dei laborantis ostendere (*Psal.* CXL, 5).

86. Plus nescio quid in his intelligere, quasi ergo, opera Dei elaborata me cogunt. Subvenit Apostolus æstuanti, et quod ego non intelligebam quid esset : *Os de ossibus meis, et caro de carne mea : Hæc vocabitur mulier; quoniam de viro suo assumpta est* (*Ibid.*, 23) divino mihi spiritu revelavit dicens : *Sacramentum hoc magnum est* (*Ephes.* V, 32). Quod sacramentum? *Quia duo erunt in carne una*; et, *Quia relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Ibid.*, 31) : et, *Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus* (*Ibid.*, 30). Quis est iste vir propter quem mulier parentes relinquit? Relinquit parentes Ecclesia, quæ de gentilibus populis congregata est, cui prophetice dicitur : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Propter quem virum, nisi forte illum de quo dicit Joannes : *Post me venit vir qui ante me factus est* (*Joan.* I, 27)? De cujus latere dormientis costam Deus sumpsit; ipse enim est qui dormivit, et quievit et resurrexit; quoniam Dominus suscepit eum. Quæ est hujus costa [b] nisi virtus? Quia tunc quando miles latus ejus aperuerit, continuo aqua et sanguis exivit, qui effusus est pro sæculi vita (*Joan.* XIX, 34). Hæc sæculi vita, costa Christi est : hæc costa secundi est Adam. Primus enim Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem : novissimus Adam Christus est, costa Christi vita Ecclesiæ est. Nos ergo membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Et fortasse hæc est costa de qua dixit : *Sentio de me virtutem exisse* (*Luc.* VIII, 46). Hæc est costa quæ de Christo exivit, nec cor-

pius ab editis recedentes, *visibile per invisibilia*, etc., et hoc satis apposite ad propositum.

[a] Sic mss. undecim optimæ notæ. Alii partim *replevit eam carne*; partim cum edit. *replevit locum ejus carne*, quibus verbis non male redduntur Græca illa LXX Seniorum, καὶ ἀνεπλήρωσε σάρκα ἀντ' αὐτῆς, sed præpositionem ἀντί abfuisse a cod. Ambrosiano credibile est.

[b] Rom. edit. *nisi vita*; reliquæ, et cuncti mss. *nisi virtus*. Et hæc lectio inde confirmatur, quod citatur infra : *Sentio de me virtutem exisse*.

Digitized by Google

pus ejus imminuit; non enim corporalis, sed spiritalis est costa; spiritus autem non dividitur ipse, sed dividit singulis prout vult. Hæc est Eva mater omnium viventium. Si enim [a] intelligas viventem cum mortuis quæri, intelligis eos mortuos esse, qui sine Christo sunt, qui participes vitæ non sunt; hoc est enim Christi non esse participes, [b] quia Christus est vita. Mater ergo viventium Ecclesia est, quam ædificavit Deus in ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei.

87. Veniat ergo Deus, ædificet mulierem, illam quidem adjutricem Adæ, hanc vero Christi. Non quia Christus adjumentum requirit, sed quia nos quærimus et desideramus ad Christi gratiam per Ecclesiam pervenire. Et nunc ædificatur, et nunc formatur, et nunc mulier figuratur, et nunc creatur. Et ideo novo verbo usa est Scriptura; quia superædificamur super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). Et nunc domus spiritalis surgit in sacerdotium sanctum. Veni, Domine Deus, ædifica mulierem istam, ædifica civitatem; **1311** veniat et puer tuus: tibi enim credo dicenti: *Ipse ædificabit civitatem mihi* (*Esai.* XLV, 13).

88. Ecce mulier omnium mater, ecce domus spiritalis, ecce civitas quæ vivet in æternum; quia mori nescit. Ipsa enim est civitas Hierusalem, quæ nunc videtur in terris, sed rapietur supra Eliam; Elias enim unus fuit. Transferetur super Enoch, cujus mors non invenitur. Ille enim raptus est, ne malitia mutaretur cor ejus: hæc autem diligitur a Christo quasi sponsa gloriosa, sancta, immaculata, sine ruga. Et quanto melius totum corpus assumitur, quam unus assumptus est? Hæc enim est spes Ecclesiæ. Rapietur profecto, assumetur, transferetur ad cœlum. Ecce curru igneo raptus est Elias: rapietur et Ecclesia. Non mihi credis? Crede vel Paulo, in quo Christus locutus est: *Rapiemur*, inquit, *in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus* (I *Thes.* IV, 16).

89. Ad hanc igitur ædificandam mittuntur quidem plures, mittuntur patriarchæ, mittuntur prophetæ, mittitur Gabriel archangelus, innumeri angeli diriguntur, et multitudo cœlestis exercitus Deum laudat; quia civitatis hujus ædificatio propinquat. Mittuntur plures ad eam, sed Christus eam solus ædificat, verum non est solus; quia Pater præsens est. Et si solus ædificat; gratiam tamen tantæ ædificationis non solus usurpat. Scriptum est de templo, quod ædificavit Salomon, in quo typus Ecclesiæ fuit, [c] quia septuaginta millia erant qui in humeris portarent, **A** et octoginta millia lapidum cæsores, et tria millia sexcenti operum præpositi (II *Par.* II, 2). Veniant angeli illi, veniant lapidum cæsores, cædantur superflua lapidum nostrorum, aspera levigentur. Veniant et qui in humeris portant; scriptum est enim: *Super humeros tollentur* (*Esai*, XLIX, 22).

90. Venit ergo ad Joannem, quoniam cætera comperistis. Venit ad Joannis baptisma: sed Joannis baptisma habebat pœnitentiam delictorum (*Matth.* III, 13). Et ideo prohibet eum Joannes dicens: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Ibid.*, 14)? Cur venis ad me, qui peccatum non habes? Ille enim baptizandus est a me, qui peccatum habet: qui autem peccatum non fecit, lavacrum pœnitentiæ cur requirat? *Sine*, in- **B** quit, *modo*: hoc est, dum Ecclesia ædificetur, *decet nos implere omnem justitiam* (*Ibid.*, 15). Quæ est justitia, nisi misericordia? *Dispersit* enim, *dedit pauperibus: justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* CXI, 9). Dedit mihi pauperi, dedit mihi inopi gratiam quam ante non habui. *Justitia* ergo *ejus manet in æternum*. Quæ est justitia, nisi ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo? Quæ est justitia, nisi ut qui carnem suscepit, non quasi Deus sensum aut ministerium carnis excluderet: sed quasi homo carnem vinceret, ut vincere me doceret? Docuit enim me qua ratione possim terrenis concretam vitiis obnoxiæ carnis illuviem sepelire criminibus, renovare virtutibus.

**1312** 91. O vere divinam in ipsa humilitate Do- **C** mini prospicientiam! Quanto enim abjectior humilitas, tanto divinior providentia. Injuriarum suarum acerbitate Deus proditur: et remediorum suorum usu, qui nullis remediis indigeret, Deus probatur. Quid enim tam divinum ad populos provocandos, quam ut nemo refugiat lavacrum gratiæ, quando Christus lavacrum pœnitentiæ non refugit? Nemo se dicat exsortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium peccatorum. Si pro nobis Christus lavit, immo nos in corpore suo lavit, quanto magis nos nostra delicta lavare debemus? Quo igitur magis opere, quo magis mysterio Deus (quamquam Deus in omnibus) quam hoc probatur; quando per totum mundum, qua generis humani conditio diffunditur, per separatarum divortia tractusque regio- **D** num, uno momento in uno corpore Deus fraudem vetusti erroris abolevit, gratiam regni cœlestis effudit? Unus enim mersit, [d] sed elevavit omnes: unus descendit, ut ascenderemus omnes, unus omnium peccata suscepit, ut in illo omnium peccata morerentur. Purificate igitur vos, ut apostolus dicit (*Ja-*

[a] Mss. septem, *intelligas viventem, quid cum mortuis quæris?* Alii tres, *intelligas viventem, cum mortuis non quæris.* At potior videtur aliorum atque edit. lectio.

[b] Corb. cod., *quia Christi est vita.*

[c] Vet. edit. ac mss. septem: *quia tria millia sexcenti erant qui portabant in humeris: et septuaginta millia lapidum cæsores*, vel *lapidis*, vel etiam, *lapidicæsores: et octoginta millia tollentes onera. Veniant*, etc. Alii cum edit. Rom. ut nos in corpore, nisi quod in plerisque desiderantur hæc verba: *Et tria millia sexcenti operum præpositi.* Alii denique ordine paululum inverso eumdem ac in textu sensum retinent.

[d] Edit. Era. Gill. et Rom. *sed lavit; omnes* Am., *sed levavit.* Mss. ad unum, *sed elevavit;* at Fol. et Colb. duo pro *omnes*, legunt *multos.*

Digitized by Google

*cob.*, IV, 8), quia purificavit se ille pro nobis, qui purificatione non eguit. Hæc de nobis.

92. Nunc consideremus mysterium Trinitatis. Unum Deum dicimus, sed Patrem confitemur, et Filium Deum confitemur. Nam cum scriptum sit: *Diliges Dominum Deum tuum, et ipsi soli servies* (*Deut.* X, 20), negavit Filius esse se solum dicens: *Sed non sum solus, Pater enim mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Nec nunc solus est; Pater enim se adesse testatur. Adest et Spiritus sanctus; numquam enim potest a se Trinitas separari. Denique *apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba*. Quomodo ergo hæretici dicunt quia solus in cœlo est, qui non est solus in terris? Advertamus mysterium: quare sicut columba? Simplicitatem enim lavacri requirit gratia; ut simus simplices sicut columbæ. Pacem lavacri requirit gratia, [a] quam in typo veteri columba quondam ad illam arcam quæ sola fuit diluvii immunis, advexit (*Gen.* VIII, 11). Docuit me cujus typus columba illa fuerit, qui nunc descendere dignatus est in specie columbæ. Docuit in illo ramo, in illa arca typum fuisse pacis Ecclesiæ, quod inter ipsa mundi diluvia Spiritus sanctus ad Ecclesiam suam pacem afferat fructuosam. Docuit etiam David, qui prophetico spiritu cernens baptismatis sacramentum, ait: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ* (*Psal.* LIV, 7)?

93. Venit ergo Spiritus sanctus, sed attende mysterium. Venit ad Christum. *Omnia* enim *per ipsum..... facta sunt..... et in ipso constant* (*Colos.*, I, 16 et 17). Sed vide benevolum Dominum, qui solus se injuriis subdidit, solus gratiam non quæsivit. Et ubi ædificavit Ecclesiam? *Rogabo*, inquit, *Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec agnoscit eum* (*Joan.* XIV, 16 et 17). Merito **1313** ergo se in corpore demonstravit; [b] quoniam divinitatis substantia non videtur.

94. Vidimus Spiritum, sed in specie corporali: videamus et Patrem. Sed quia videre non possumus, audiamus. Adest enim benevolus Deus, non derelinquet templum suum. Vult omnem exædificari animam: vult eam ad salutem informare: vult lapides vivos a terra ad cœlum transferre. Diligit templum suum: et nos diligamus eum. Si diligimus Deum, præcepta ejus servemus. Si diligimus eum, noverimus eum. *Qui enim dicit quia novit eum, et præcepta ejus non servat, mendax est* (I *Joan.* II, 4). Quomodo enim potest Deum diligere, qui non diligit veritatem, cum Deus veritas sit? Audiamus ergo Patrem; invisibilis enim Pater: sed et Filius invisibilis secundum divinitatem; Deum enim nemo vidit umquam. Cum ergo [c] Filius Deus, in eo utique quod Deus Filius, non videtur; sed demonstrare se voluit in corpore: et quia Pater corpus non gerebat, ideo probare voluit Pater nobis in Filio se esse præsentem, dicens: *Filius meus es tu, in te complacui*. Si vis discere Filium cum Patre semper esse præsentem, lege Filii vocem dicentis: *Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero ad infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 8). Si Patris testimonium quæris, audisti a Joanne. Crede igitur ei, cui se baptizandum credidit Christus, cui Pater Filium cœlesti voce commisit, **1314** dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui* (*Matth.* III, 17).

95. Ubi sunt Ariani, quibus non placet Filius, in quo complacuit Pater? Hoc non ego dico, neque hominum quisquam locutus est; neque enim per hominem Deus, neque per angelos, neque per archangelos: sed ab ipso Patre vox de cœlo missa signavit. Deinde alibi idem Pater repetit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui: ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5), dicentem utique audite: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Qui ergo [d] Filio non credit, non credit Patri. Testis est ille de Filio: si dubitatur de Filio, paterno non creditur testimonio. Deinde cum dicit: *In quo complacui*; non aliena in Filio, sed sua laudat. Quid est enim dicere: *In quo complacui*, [e] nisi quia omnia quæ habet Filius, et Pater habet, sicut et quæ Patris sunt, Filii sunt? Filius dicit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15); indifferentis enim divinitatis potentia non secernit inter Patrem et Filium, sed unam Patri Filioque participat potestatem. Credamus Patri, cujus vocem elementa sonuerunt: credamus Patri, cujus voce elementa obsequium præbuerunt. Credidit mundus in elementis, credat in hominibus: credidit in exanimis, credat in viventibus: credidit in mutis, credat in loquentibus: [f] credidit in iis quæ non habent sensum, credat in iis qui sensum, ut Deum cognoscerent, consecuti sunt.

[a] Rom. edit., *quam in typo olivæ*. Certum quidem est vocibus, *in typo veteri*, designari olivam, ut ex sequentibus intelligitur: sed non ideo ea vox in textum intrudenda. Porro in profanis etiam auctoribus oleam pacis symbolum esse notius est, quam ut vel a tenuiter docto possit ignorari. Hanc autem ejus rei causam reddunt, quod artibus, quæ maxime in pace florent, oleum usui sit.

[b] Rom. edit., *quoniam in divinitatis substantia*, etc.

[c] Rom. edit., *Filius Dei in eo utique quod Deus est, non videatur, demonstrare*, etc., Vet., *Filius Dei..... Deus est, non videtur, sed demonstrare*. Ab his propius recedunt scripti cod. quos sequimur.

[d] Edit. ac pauci mss., *Filium non credit*. Alii plures, et potiores, *Filio non credit*: quod quidem aptius cohæret cum superioribus.

[e] Ita edit. omnes; at contra omnes mss., *nisi omnia quæ habet Filius, mea sunt, sicut Filius dixit: omnia quæ habet Pater, mea sunt. Indifferentis*, etc. In uno vel altero omittitur *sicut Filius*, etc. et pro *Indifferentis*, ponitur, *Indifferenter*, aut *Indifferens*.

[f] Desiderantur in mss. septem, neque illis quidem infimæ notæ, *credidit in iis quæ non habent sensum*: quæ verba cum ad sententiam non sint absolute necessaria, potuerunt in sequioris ævi cod. irrepere. Cum autem exstent in multis mss. et omnibus edit. ea loco movere visum non est.

Digitized by Google

# LIBER TERTIUS.

**1313** (Vers. 23.) *Et ipse Jesus erat incipiens fere annorum triginta, qui putabatur esse filius Joseph.*

1. De generationibus dicturi, quarum nonnullam videmus in Evangelio secundum Matthæum, vel in hoc cujus interpretationem habemus in manibus, esse distantiam; quoniam non est credibile adversantia sibi sanctos viros potuisse dicere, [a] de gestis præsertim Domini Salvatoris, quanto studio possumus, non dixisse eos discrepantia demonstremus.

2. Et primum omnium neminem movere debet quod ita scriptum est: *Qui putabatur esse filius Joseph.* Bene enim putabatur, quia natura non erat: sed ideo putabatur, quia eum Maria, quæ Joseph viro suo erat desponsata, generaverat; sic enim habes: *Nonne hic est filius Joseph fabri* (*Matth.* XIII, 55)? Diximus supra qua ratione per virginem: diximus etiam qua ratione per desponsatam, et quare census tempore nasci voluerit Dominus Salutaris: non alienum etiam videtur ut qua ratione [b] fabrum patrem habuerit, declaremus. Hoc enim typo eum patrem sibi esse demonstrat qui fabricator omnium condidit mundum; juxta **1314** quod scriptum est: *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Nam etsi humana non sunt comparanda divinis; typus tamen integer est quod Pater Christi igne operatur et Spiritu, et tamquam bonus animæ faber vitia nostra circumdolat, cito securim admovens arboribus infecundis, secare doctus exigua, culminibus servare sublimia, rigida mentium spiritus igne mollire, et in varios usus omne humanum genus diversa ministeriorum qualitate formare.

3. Cur autem Joseph magis quam Mariæ generatio describatur, cum Maria de Spiritu sancto generaverit Christum, et Joseph a generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quæ semper viri originem quærit. Sic enim habes: Phares fuit filius Judæ principis Tribus: *Hic generavit Hesron, et Hesron generavit Aram, et Aram generavit Hamminadab, et Hamminadab generavit Nahasson, et Nahasson generavit Salmon, et Salmon generavit Booz, et Booz generavit Hobed, et Hobed generavit Jesse, et Jesse generavit David* (*Matth.* I, 3 *et seq.*). Viri enim persona quæritur, qui etiam in senatu et reliquis [c] curiis civitatum generis asserit dignitatem. **1315** Quam deforme autem si relicta viri origine, origo feminæ quæreretur, ut videretur patrem non habuisse ille totius mundi populis prædicandus?

4. Sed etiam alibi diverso ordine generationem doceamus esse decursam; ne hic quoque Evangelistæ discrepare videantur, qui veterem ordinem sunt secuti. Sic enim habes: *Fuit homo* [d] *ex Arath, et nomen ejus Elcana, filius Hieremiel, filius Heli, filius Ozi de monte Ephraim* (I *Reg.* I, 1). Vides et a patribus ad filios, et a filiis ad patres originis descriptionem veteri more contextam. Vides ubique familiam per virorum generationes esse decursam. [e] Noli mirari si Matthæus ab Abraham usque ad Joseph, Lucas a Joseph usque ad Adam, et ad Deum generationum ordinem percurrit. Noli mirari quod Joseph origo descripta est. Etenim secundum carnem natus, usum debuit sequi carnis, et qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi; maxime cum in Joseph origine etiam origo sit Mariæ. Nam cum vir justus fuerit Joseph, utique ex tribu sua, et ex patria sua accepit uxorem: nec potuit justus facere contra id quod Lege præscriptum est. Sic enim habes, quia unusquisque in hæreditatem tribus suæ patriæ adhærebunt filii Israel, nec de tribu ad tribum transibunt: et omnis filia quæ habet hæreditatem tribuum filiorum Israel, uni ex populo, et ex tribu patris sui erit uxor (*Num.* XXXVI, 6-8). Itaque et census tempore ascendit Joseph de domo et de patria David (*Luc* II, 4 *et* 5), ut profiteretur cum Maria uxore sua. Quæ ex eadem domo, et ex eadem patria professionem defert, utique ejusdem tribus, et ejusdem patriæ se esse designat.

5. Cognata quoque Mariæ inducitur Elizabeth (*Luc.* I, 36): primo quod omnes Judæi cognati, quemadmodum te Apostolus docuit dicens, *Optabam enim anathema esse ipse.... pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitæ* (*Rom.* IX, 3 *et* 4). Cognatæ ergo, quia ambæ Israelitæ erant: simul et cognatæ, quia ambæ erant ex tribu Juda. Didicisti ex tribu Juda Mariam, disce et Elizabeth. Nam *Ex-*

[a] Rom. edit. sola, *de generationibus præsertim*, etc.

[b] Cujusmodi faber fuerit S. Joseph in controverso est. Alii volunt fuisse ferrarium, quidam cæmentarium, plures lignarium; unde illud ecclesiastici viri dictum ad Julian. Apost.: Θὗτος δέ ὁ τέκτονος υἱὸς θήκην αὐτῷ ξυλίνην πρὸς θάνατον κατασκευάζει. Videtur autem ab Ambr. significari simul et ferrariam et lignariam artem Josephum exercuisse, ut sequentia clare ostendunt.

[c] Curiæ apud Romanos tringinta fuerunt, in quas Romulus universum populum divisit, quem morem aliæ quoque civitates imitatæ sunt. Indicat itaque Doctor noster viros in suæ quemque curiæ tabulas referri atque ascribi solitos, non feminas. Alias quoque significationes habet ea vox, quas colligere est ex Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2, lib. II, III, XXI, et alibi. Nonnullas etiam Rosinus lib. VI. *Antiq. Rom.* cap. 2, refert, atque alii.

[d] Rom. edit., *ex Aramathain Sophim.... filius Hierohani, filii Helin, filii Sophi.* Mss. Carn., Gem., Prat., *ex Ramath*, etc. Rursus Gem., Prat., *filius Ieremel*; Carn., *Heromel, filius Heli, filius Zoi.* Quibus accedit Corb. nisi quod habet, *ex Arath*, et scribit, *Iheremel.* Reliqui vero cum ant. edit. nostram exhibent lectionem.

[e] *Noli mirari si sanctus Matthæus.... ordinem percurrit*, in edit. Rom. jugulata sunt.

Digitized by Google

*surgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem*, inquit, *Judæ, et intravit in domum Zachariæ* (*Luc.* I, 39 *et* 40). Cum enim intra tribus suas Moyses habitare unumquemque præscripserit (*Num.* II, 2): utique cum in civitate Judæ manserit, erat et in tribu Juda; maxime cum ex genere Elizabeth fuerint sacerdotes, quorum Deus portio est. Simul quam pulchrum, ut cum illa prænuntium Christi, Christum ista generaverit, et altera de Spiritu sancto conceperit, altera sancto repleta Spiritu prophetaverit; secundum carnem quoque videantur fuisse cognatæ, quæ secundum Deum spiritalis cognationis consortio non carebant? Quod si omnis feminæ caput vir secundum sanctum Apostolum (*Ephes.* V, 23), et sunt duo in carne una secundum legem divinam (*Gen.* II, 24): utique ii qui una caro erant, et unus spiritus, quomodo poterat fieri ut viderentur patriam et tribum habere divisam? Accedit illud quod etiam Angelus Gabriel de Domino prænuntiaverat, quod *Dabit illi Deus sedem David patris sui* (*Luc.* I, 32). Certum est igitur **1316**
etiam Mariam de David generatione manasse. Simul etiam discimus nihil referre quo ordine generationis series exprimatur, cum iter hinc atque inde sit pervium.

6. Cur autem sanctus Matthæus ab Abraham generationem enumerare cœperit Christi, sanctus vero Lucas a Christo usque ad Deum perduxerit, explanandum videtur. Sed prius cur sanctus Matthæus cum ab Abraham cœperit generationis ordinem, non ita posuerit: Liber generationis Abrahæ, sed, *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1). Et cur hos duos potissimum nominaverit, nequaquam prætereundum puto. Non enim otiose fidelissimi auctores generis eliguntur; ut intelligamus quod in ipsa generatione carnis, spiritalis magis successio requiratur. Duo sunt enim isti viri in quos manaverunt promissa divina.

7. Prior Abraham qui ante Moysis legem, et ante populum Judæorum propria derelinquens, et cognoscens Deum, meruit fidei testimonium; quia *Credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6): qui etiam a Deo accepit oraculum, dicente sibi: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram quam tibi monstrabo, et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus, et benedicam benedicentes te, et maledicam maledicentes te, et benedicentur in te omnes tribus terræ* (*Gen.* XII, 1-3). Vides igitur congregationes gentium, et sacrosanctum Ecclesiæ cœtum oraculo divino huic esse primo promissum. Et ideo is auctor generis debuit designari, qui instaurandæ Ecclesiæ sponsionem primus emeruit.

8. David quoque merito et ipse auctor generis declaratur; quia cum jurejurando responsum, quod ex ipso secundum carnem Christus futurus esset, accepit; sic enim scriptum est: *Juravit Dominus David*
A *veritatem, et non pœnitebit eum: Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Et alibi: *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et sedes ejus sicut sol in conspectu meo* (*Psal.* LXXXVIII, 36-38). [a] Et in Paralipomenis: *Et erit cum completi fuerint dies tui, et dormies cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, et parabo regnum ejus. Ipse mihi ædificabit domum, et erigam sedem ejus in sæculum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, et misericordiam meam non dispergam ab eo, sicut dispersi ab iis qui ante te fuerunt* (I *Par.* XVII, 11-13). Per Esaiam quoque idem Dominus Deus generationem Domini revelavit, dicens: *Exiet virga de radice Jesse, et flos ex radice ejus ascendet, et requiescet*
B *quiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus* (*Esai* XI, 1 *et* 2). Et infra: *Et erit radix Jesse, et qui exsurget imperare gentibus: in ipso gentes sperabunt* (*Ibid.*, 10). Et alibi: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cujus principium super humeros ejus, et vocabitur nomen ejus, magni consilii angelus. Adducam enim pacem super principes et sanitatem: et magna potestas ejus, et pacis ejus non erit finis, in sede David, et in regno ejus* (*Esai.* IX, 6). In quo juxta Aquilæ quoque interpretationem non quasi de homine, sed de eo qui ultra hominem esset **1317**
vidimus exstitisse promissum. Idem enim interpretatus est: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et facta est mensura ejus in humero ejus, et vocabitur nomen ejus, admirabilis consiliarius, Deus fortis, potens, pater*
C *sæculi, princeps pacis. Ejus impleta est disciplina, et pacis ejus non est finis, supra sedem David, et supra regnum ejus.*

9. Omnia convenire de Christo evidentibus signatur oraculis, nec posse divinæ fructum potentiæ ad Salomonis gratiam derivari, qui David filius fuit, cujus finis haud dubie cognoscitur. Finis enim fuit regni Salomonis, et pacis, ut Regnorum lectionibus demonstratur. Unus est Christus, cujus regnum non habet finem. Deinde nullis Salomon gentibus imperavit, Christus vero Ecclesiam de nationibus congregavit universis. Postremo vivente David, et natus est Salomon, et regnum est consecutus. Hic autem qui promittitur, post mortem David surrecturus esse monstratur, sicut habes: *Quia cum completi*
D *fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo de semine tuo, qui erit ex ventre tuo, et parabo regnum ejus. Ipse mihi ædificabit domum, et erigam sedem ejus in sæculum* (I *Par.* XVII, 11 *et* 12). Numquid in sæculum regnavit Salomon, qui annis tantummodo quadraginta regnavit? *Ego ero*, inquit, *ei in patrem, et ille mihi in filium* (*Ibid.*, 13). Quis est iste proprius Dei Filius, nisi cui dictum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7)? Et, *Misericordiam meam non dispergam ab eo..... et fidelem eum servabo in domo mea, et in regno ejus in sæculum* (*Par.* XVII, 13 *et* 14)? At vero Salomonem fortasse

[a] Edit. ac pauci mss., *Et in Paralipomenon.* Aliquot alii, *Et in Paralipomenonis.* Melius Corb. alii nonnulli, *in Paralipomenis*; ex Græco ἐν Παραλειπομένοις.

Digitized by Google

ideo errasse tam graviter, ne errarent homines, et ad ipsum crederetur manasse promissum, divinarum serie cognovimus lectionum. Ædificavit enim templum Astartæ idolo [a] propter amorem mulieris, et indignatus est Dominus in Salomonem (III *Reg.* XI, 4 *et seq.*). Si igitur, vivente David, regnare cœpit (sic enim habes, quod cum esset nuntiatum David regnare Salomonem, adoravit rex David in cubili suo, et dixit (III *Reg.* I, 48): *Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit mihi hodie de semine meo sedentem in throno meo, et oculi mei vident*), si erravit, si offendit, vides quoniam promissi series Christum spopondit.

10. Et ideo istos duos generis auctores evangelista delegit: unum, qui promissum accepit de congregatione populorum: alterum, qui de generatione Christi oraculum consecutus est. Et ideo licet ordine sit successionis posterior, prior tamen quam Abraham in Domini generatione describitur; quia plus est promissum accepisse de Christo, quam de Ecclesia; quoniam Ecclesia ipsa per Christum. Ergo unus princeps generis secundum carnem, [b] alter princeps generis secundum spiritum: alter secundum seminis gratiam, alter secundum populorum fidem; potior enim qui salvat eo qui salvatur. Et ideo David filius dicitur: *Liber generationis Jesu Christi, filii David* (*Matth.* I, 1). Ejus enim primo loco debuit filius dici, cui dari filius est promissus; licet Apostolus etiam Abrahæ Christum dicat esse promissum: *Abrahæ* enim *dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, tamquam in multis, sed sicut in uno: Et semini tuo, qui est Christus* (*Galat.* III, 16); ut alteri proprietas generationis, principatus alteri deferatur. Illi delatum est, ut Jesus ejus filius diceretur: huic quasi principi, familiæ gentiumque prærogativa **1318** servatur; ut ab Abraham generationis Dominicæ manaret exordium. Qui enim fidei auctor est, ipsum asserere Scriptura quoque debuit divinæ generationis auctorem.

11. Unde et Lucas ad Deum putavit originem ejus esse referendam; quod verus Christi generator Deus sit, vel secundum veram generationem pater, vel secundum lavacri regenerationem mystici muneris auctor. Et ideo non a primo generationem ejus cœpit describere: sed postea baptismum ejus explicuit, auctorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare, Christum quoque a Deo ordine manasse successionis asseruit: universa contexens, ut et secundum naturam, et secundum gratiam, et secundum carnem Dei Filium demonstraret. Quod autem evidentius divinæ generationis indicium, quam quod de generatione dicturus, ipsum Patrem præmisit loquentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui* (*Luc.* III, 22, *sup.*)?

12. Hic quoque aliqui solent inserere quæstiones, quod Matthæus ab Abraham usque ad Christum quadraginta duas generationes enumeraverit, Lucas vero quinquaginta; et quod per alias personas Matthæus, per alias Lucas generationem manasse descripserit: in quo jam potes illud probare quod diximus, quia cum alios Matthæus majores Dominici generis, alios vero Lucas in ordine generationis texuerit; ab Abraham tamen et David reliquos auctores generis uterque significavit.

13. Quod vero per Salomonem Matthæus generationem derivandam putavit, Lucas vero per Nathan: alter regalem, alter sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius: sed alter alteri pari fide et veritate concordet. Fuit enim vere et secundum carnem regalis, et sacerdotalis familiæ: rex ex regibus, sacerdos ex sacerdotibus, licet oraculum non de carnalibus, sed de cœlestibus exprimatur; quoniam et rex in Dei virtute lætatur, cui judicium a Patre rege defertur, et sacerdos est in æternum, secundum quod scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Bene igitur uterque tenuit fidem; ut Matthæus per reges ductam originem comprobaret, et Lucas per sacerdotes a Deo transmissam in Christum seriem generis deducendo, sanctiorem ipsam originem declararet. Simul in hoc quoque vituli figura signatur, quod ubique sacerdotale mysterium putat esse servandum.

14. Nec mireris si ab Abraham plures secundum Lucam successiones usque ad Christum sunt, pauciores secundum Matthæum; cum per alias personas generationem fatearis esse decursam: potest enim fieri ut alii longævam transegerint vitam, alterius vero generationis viri immatura ætate decesserint; cum videamus complures senes cum suis nepotibus vivere, alios vero viros statim filiis obire susceptis.

15. Illud quoque advertimus quod sanctus Matthæus, Jacob qui fuit pater Joseph, filium Mathan esse memoraverit (*Matth.* I, 15): Lucas vero Joseph cui desponsata erat Maria, filium Heli: Heli autem filium Melchi esse descripserit (*Luc.* III, 24). Quomodo **1319** unius duo patres, id est, Heli et Jacob? Quomodo etiam duo paterni avi, Mathan et Melchi? Sed si vere quæris, invenies (*Deut.* XXV, 5) quod juxta præscriptum legis veteris duo fratres diversos filios [c] uterinos ex una uxore generaverint (*Euseb. Cæs. Eccl. hist. lib.* I, c. 7). Traditur enim Mathan, qui a Salomone genus duxit, Jacob generasse filium, et uxore superstite, decessisse, quam postea Melchi accepit uxorem, ex qua generatus est Heli: rursus Heli fratre sine liberis decedente, copulatus est fratris uxori, et generavit filium Joseph, qui juxta Legem Jacob filius dicitur; quoniam semen fratris defuncti frater juxta legis veteris seriem suscitabat. Ita duorum filius dictus est, non ab utroque generatus: sed quia alterius secundum generationem, alterius secundum Legem factus est filius. In quo præscripto Legi

[a] Rom. edit., *propter amorem mulierum.*

[b] Mss. novem antiquioris manus, *alter princeps generis secundum Christum.*

[c] Vocem *uterinos* Rom. edit. sustulerat.

Digitized by Google

futuram perpetuitatem defunctorum seminis nobis esse promissam non intellexit populus Judæorum: sed secundum litteram accipiens, gratiam corrupit oraculi. Alius enim erat frater, qui defunctorum fratrum semen resuscitaret, non frater secundum carnis germanitatem, sed secundum gratiæ puritatem. Et ideo fortasse, *Frater non redimit, redimet homo* (*Psal.* XLVIII, 8); quia non germanus frater ille, sed Dominus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus resurrectionis gratiam propagavit. Licet sit versiculi istius et alia interpretatio, quam suo dicemus loco (*Enarr. in Psal.* XLVIII).

16. Non absurdum autem videtur quod, geminato mystico numero, quater denas generationes dividendas sanctus Matthæus putavit, ab Abraham usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis, a transmigratione Babylonis usque ad Christum: in quo vices mutationum pariter designavit. Ab Abraham enim usque ad David tempora sine regibus fuit populus Judæorum; regnum enim justum a David cœpit: deinde per reges actum genus omne est Judæorum, et intemerata usque ad transmigrationem eorum regna manserunt. Post transmigrationem vero in occasum degenerantis populi nobilitas circumcisa vergebat. [a] De quinquaginta vero successionibus quas ab Abraham Lucas contexendas putavit, numeri mystici servata gratia satis claret. Nam et decimus et septimus numerus mysticus est, et tertio uterque repetitus mysterium signat. Et pentecoste, cujus Lucas, et tesseracoste, cujus Matthæus secutus est gratiam, satis superque numerum mysticum prodiderunt.

17. Plerique etiam mirantur cur Thamar mulieris famosæ, ut illis videtur, Matthæus commemorationem in Dominica generatione contexendam putaverit. [b] Cur etiam Ruth, cur ejus quoque mulieris quæ Uriæ uxor fuit, et occiso **1320** marito, in David nuptias commigravit; cum præsertim Sarræ, et Rebeccæ, et Rachel sanctarum feminarum nusquam fecerit mentionem. Sic enim habes: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam et fratres ejus: Judas autem genuit Phares et Zaram ex Thamar* (*Matth.* I, 2 *et* 3). Non otiose itaque hujus mulieris evangelista nomen inseruit, de qua divise in... tractandum videtur.

18. Primum enim si veris intendas animum, ... mulier non tam famosa, quam justa; non enim tem-poralis usum libidinis requisivit, sed successio... gratiam concupivit. Erat enim [c] deforme liberos ... habere: quod etiam legum civilium fuit auctorita... mulctatum. Promiserat eam filio suo Judas, et ... pactarum fœdera distulerat nuptiarum. Per m... promissi defunctus est sponsus. Nondum virginita... nondum viduitatis [d] ante Christi adventum verna... gratia. Dolens se sine filiis remansisse, dolum st... generationis commenta est, et Judam consilio ... vertit; ut se eidem offerret ornatam, postea... defunctam ejus cognovit uxorem. Vides utique ... lieris vitam probari, quod non alienum pr... thorum, non meretricio studio quasi meretrix ... nata est; non enim vagam captavit libidinem. ... diu soceri fraudata promissis, ex ea familia ... delegerat, converso dolo, fructum voluit succ... nis adipisci. Quis itaque castior, illa quæ tamdi... spectavit promissum, an ille qui amorem ferre ... potuit oblatum? Illa quæ sponsi familiam non ... git, an iste qui meretricem putavit? Illa quæ h... sui corporis volentibus non permisit ad copul... an iste qui quod studio cœpit erroris, ad successio... nis gratiam castitate mulieris consummavit? Illa ... filios non habebat, et tempus conceptionis ... conjugii timebat excludi: illa quæ gravitatem ... rioris elegit, an iste qui ætatem adolescentioris ... mavit? Denique ipse confessus est dicens: *Ju... cata est Thamar magis quam ego; propter quod ... dedi eam Selon filio meo* (*Gen*, XXXVIII, 26). ... illa experiri exactorem ipsum suæ voluit castit... Denique numquam postea virum experta est, ... ctum viduitatis sumpsit a coitu: iste unius horæ ... patiens, qui annos a puella exegerat castitatis, luctu... expulit, [e] vestem mutavit, comam totondit, rogu... deseruit, thorum amator ascendit.

19. Sed non ita illam defendimus, ut istum ac... semus: immo utrumque excusemus; non ... nos, sed mysterium quod copulæ illius fructus ex-pressit; generavit enim mulier Phares et Zara...

[a] Omnes edit. et pauci mss., *De quinquaginta vero generationibus*; alii plures et potiores, .... *successoribus*.

[b] *Cur etiam Ruth, cur ejus.... commigravit.* Hæc in Rom. edit. non inveniuntur.

[c] Quam turpe fuerit ante partum virgineum conjugatos liberis carere, declarat Rachel Gen. 30, 1, ubi Jacob marito, *Da mihi liberos*, inquit, *alioquin moriar*. Idem etiam cognoscimus tum ex dolore Annæ matris Samuelis, Reg. 1, tum ex verbis Annæ matris Joannis Baptistæ, Luc. 1, 25. Leges quoque civiles apud Romanos latæ sunt contra *cœlibes et orbos*, nimirum *Lex Papia*, et *Lex Julia*: quarum pœnas Augustus, ut a Suetonio ac Tacito proditum est, auxit. Verum eas demum sustulerunt Christiani imperatores, cum Constantinus Magnus et Theodosius Junior easdem jam magna ex parte minuissent, ut intelligitur e Cod. Theod. lib. VIII, tit. 16. L. unica, *De infirm. pœnis cœlib.*, etc. Et Tit. *De jure liberorum*, etc. L. 2 et 3, in quas, sicut et *in Papiam* ... *Juliam* consule Godef. Porro quod additur, *nondum virginitatis, nondum viduitatis ante Christi adventum vernabat gratia*, sic interpretare, ut non absolute ... gentur exstitisse, qui has virtutes colerent ante Domini adventum; cum contrarium Elias, Elisæus ... virginitate, Judith, et Anna Prophetissa de viduitate convincant: sed indicatur easdem illas virtutes, ... admodum frequentes, nec magno in pretio fuisse ante Christi tempora.

[d] *Ante Christi adventum*, in Rom. edit. resecatum est.

[e] *Vestem mutavit*, lugubrem videlicet, seu viduitatis. Quod autem etiam dicitur, *comam totondit*, ... nititur mos priscus orientalium præsertim populorum, qui in luctu barbam ponebant, crines promittebant. Quod vero subjungitur, *rogum deseruit*, *rogus*, hic sumitur pro tumulo. Nam Hebræi, sicut et Ægyptii, mortuos non urebant.

Digitized by Google

filios, generavit geminos. Unde non otiose Matthæus utrumque signavit, cum Phares tantummodo commemorationem causa deposceret : **1321** *Phares enim genuit Esron, Esron genuit Aram* (*Matth.* I, 3) : deinde per ordinem singuli. Cur autem, cum Isaac duos generaverit, Jacob plures, singulorum tantummodo quos successionis Dominicæ causa poscebat, fecit Scripturæ series mentionem, horum autem utrumque memoravit, nisi quia hic in utroque mysterium est?

20. Tractavimus moralem locum, quia non opera meretricis exercuit, sed munera fecunditatis elegit : tractemus historicum, et mysticum ventilemus. Neque enim sine mysterio potest esse quod annulum, et monile accepit, et virgam. Non vilis persona quæ mereatur accipere ornamentum, signaculum, potestatem : factorum signaculum, pectoris ornamentum, regiæ libertatis insigne. Ergo ut ordiamur historiam, cum generaret Thamar, legisti quia unus de utero ejus præmisit manum, quam corripiens obstetrix, coccum ligavit dicens : *Hic exiet prior* (*Gen.* XXXVIII, 28). Ut autem manum revocavit puer in matris uterum, statim exivit frater ejus. Dixit autem obstetrix : *Quid incisa est per te sepis? et vocavit nomen ejus Phares. Et post ipsum exivit frater ejus, in cujus manu erat coccum, et vocavit nomen ejus Zaram* (*Ibid.*, 29 *et* 30). Vides quanta enigmata mysterium prodant? Manus præmissa, coccum ligatum, reducta manus, vox obstetricis gemina, quod prior alter exiret, sepem alter incideret.

21. Cur autem alter manum præmisit ex utero, alter genitali præcessit exortu; nisi quia per geminorum mysterium gemina describitur [a] vita populorum : una secundum Legem, altera secundum fidem : una secundum litteram, altera secundum gratiam? Prior gratia quam Lex : prior fides quam littera. Et ideo gratiæ typus manum ante præmisit; quia gratiæ actus ante præcessit, qui fuit in Job, Melchisedech, Abraham, Isaac, et Jacob, qui per fidem sine Lege vivebant : *Credidit* enim *Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6). Melchisedech quoque sancti gratiam præcedens sacrificii figura monstravit (*Gen.* XIV, 18); prævenientes enim Legem patriarchæ sancti, præscriptorum vinculis absoluti, libera et consimili nobis Evangelii gratia refulserunt.

22. Junior horum frater, secundus ordo pietatis; primus enim in patriarchis, secundus in regibus et sacerdotibus est. Utraque enim vita secundum Deum; quia illi quoque qui secundum legem Moysi religiosam et piam militiam militabant, non sunt gratiæ et honoris exsortes : sed prior pietatis fructus in auctoribus, quam in hæredibus. Prior enim Zara, qui interpretatione significat oriens; lux enim pietatis veri splendor orientis est, illius utique qui dixit : A Oriens nomen est mihi : cujus in patriarchis primitus radius lucis illuxit (*Zacch.* VI, 12). Hi enim primi vitæ suæ actum in hoc sæculo præmiserunt, in quorum manu nostri quoque actus tamquam plenioris corporis, qui adhuc naturæ quodam generantis utero tenebamur, figura præcessit. Sed media tamquam sepis objecta Legis est observatio, et quodammodo vita majorum videtur incisa, de qua in typo illa obstetrix, fortasse justitia, quæ nos emissos alvo naturæ matris excepit, dixisse proditur : **1322** *Hic exiet prior.* Et revera mirabilis ille erat ordo pietatis, non a Moyse, nec ab aliquo homine, nec per hominem, sed munere quodam sapientiæ sponte se infundentis impressus.

23. Prima igitur disciplina pietatis secundum Evan- B gelium; quia per crucem [b] et sanguinem credimus Christi, cujus Abraham diem vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56) : cujus Noe gratiam in typo Ecclesiæ figuratam, spiritali cognitione præsensit : cujus Isaac vicem in sacrificio non recusavit (*Gen.* XXII, 10) : quem Jacob cum vinceret, adoravit (*Gen.* XXXII, 25) : cujus Esaias ruborem vidit vestimentorum (nam secundum Evangelium vita etiam prophetarum est) (*Esai.* LXIII, 2) : in cujus sanguine inter excidia mundi publicæ futurum salutis insigne Rhaab illa typo meretrix (*Josue*, II, 1), mysterio Ecclesia indicavit : quæ multorum convenarum copulam non recusat, et quo conjunctior pluribus, eo castior : [c] immaculata virgo, sine rugā, pudore integra, amore plebeia, casta meretrix, vidua sterilis, virgo fecunda. C Meretrix, quia a pluribus amatoribus frequentatur cum dilectionis illecebra, et sine colluvione delicti : *Qui* enim *adhæret meretrici, unum corpus est* (I *Cor.* VI, 16). Vidua sterilis, quæ viro parere non norit absente : venit vir, et hunc populum plebemque generavit. Virgo fecunda, quæ hanc genuit multitudinem cum fructu amoris, sine usu libidinis.

24. Sed ut ad historiam revertamur : quid sibi volunt obstetricis eloquia dicentis : *Hic exiet prior*; nisi quia ejus typum gerebat, qui ortu corporis posterior, virtute et veritate primus existens, principatum sibi omnium vindicavit? Inde et Joannes : *Post me venit vir, qui ante me factus est* (*Joan.* I, 17). Quid sibi vult quod coccum in manu ejus ligavit, nisi quia typus ejus erat, qui [d] crucis indicio suæ, et sangui- D nis effusione actum illustravit humanum? Itaque posteaquam manum reduxit, quasi incisione facta sepis, exivit frater ejus, quem quasi medium parietem sepis vel maceriæ Apostolus nominavit (*Ephes.* II, 14), atque ipse de incisione nomen accepit; Phares enim divisio est : unde et Pharisæi nuncupati, eo quod a multorum se conjunctionibus separarent. Beatius autem et multo melius fuisset non incidi sepem, sed unam eamdem et indivisam permanere.

[a] *Vita populorum.* Ultimam vocem expunxerat Rom. edit.

[b] Rom. edit., *et sanguinem credimus Christo..... in typo arcæ figuratam*, etc.

[c] Cod. Mich. et Colb. unus, *intemerata genitrix.* Et post tria verba ubi edit. *amore repleta*, pauci mss. *amore plebeio casta*, longe plurimi, *amore plebeia, casta.* Melius; idem enim est, atque amore popularis, quod non male aptatur Ecclesiæ.

[d] Mss. nonnulli, *crucis incisione suæ.*

Digitized by Google

Quod fieri potuit, si ei vitæ quæ prior manum misit, A hoc est, actum ostendit suum, [a] consequens fuisset ejus vitæ militia quæ secuta est. Multo enim melius, si circumcisus populus vitam majorum voluisset imitari; sic enim fuisset una sepis, una maceria, una ædificatio priorum ac sequentium. Sed quia primum illum vitæ actum posterioris infirmitas non potuit implere, incisione sine dubio facta sepis ejus sive maceriæ, quæ secundum Deum ædificata erat, tamquam medius paries interjectus est; ut illa sepis, hoc est, perpetua atque continua bonorum morum ædificatio rumperetur. Sepis enim est qua ager circumdatur fructuosus, furis removetur incursus, quæ culta concludit, deserta secernit. Maceria quoque domum claudit: hæc si maneat, domus tuta est. Denique, *Auferam*, inquit, *maceriam ejus, et erit in direptionem* (*Esai.* v, 5). B

25. Optemus ut hæc integra sit maceria domus nostræ, domus spiritalis quæ in nobis est, non enim **1323** ab homine exædificari potest, sed a Deo vivo, qui ait: *Et maceriam circumdedi* (*Esai.* v, 2). Perdiderunt igitur salutem qui maceriam perdiderunt. Maneat ergo maceria, maneat hæc sepis. Vis scire quam sit utilis sepis? *Sepi aures tuas spinis et tribulis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28). Sepis enim ista te defendit a culpa.

26. Ergo Dominus Jesus qui postea secundum carnem venit in lucem, veteris illius munitionem sepis instaurans, in majorum nos actum et antiquam simplicitatem fidei reformavit. Unde de eo [b] et propheta dixit: *Vocaberis ædificator sepis* (*Esai* LVIII, 12). Tulit enim illum obicem qui unitatem mentis et corpo- C ris, seriemque vitæ simplicis dividebat; atque ipse factus est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium [c] parietem sepis solvit. Quem parietem exponit Apostolus inimicitias esse in carne (*Ephes.* II, 14). Has ergo inimicitias tulit Dominus, et pacem refudit, legemque mandatorum in decretis evacuavit; ut duos conderet in uno novo homine: in quo non solum exteriorem et interiorem, sed etiam Judæum significat et Græcum, ut esset omnia et in omnibus Christus. Dominus enim sabbati, superstitionem tulit sabbati corporalis, et quasi medium solvit Legis parietem: qui nos ab ea pietate quæ secundum Deum est, decretorum difficultate prohibebat, eo quod juxta Moysi legem non erat [d] facile atque possibile genti- D bus militare Deo, cum inanis superstitio Judæorum purum affectum gentium a subeunda observatione revocaret. Quid ergo? Lex inutilis? Absit: sed utilis incredulis, infirmis necessaria, quæ lubricos et errantes præcepti salutaris austeritate cohiberet, et observationum attentione concluderet. Bona autem Lex est, quia spiritalis. Ei ergo non bona, qui non putat spiritalem: qui mente exiguus humilisque ctus, eam quæ super Legem est, majestatem Christi videre non potuit. Quam utique tam supra illum parietem respiciens ille mente subli Esaias gloriam Dei vidit (*Esai.* VI, 1), quæ vid in montibus, non in collibus.

27. Docuit itaque nos Ecclesia in Canticis can rum, quod iste paries Domino nostro Jesu Chri obstare non potuit, nec ei qui secutus est Christum dicens: *Vox fratris mei: ecce hic venit saliens su montes, et transiliens super colles, similis frater m capreæ vel hinnulo cervorum in montibus Bethel. Ec hic retro post parietem nostrum, prospiciens per fe stras, prospiciens per retia. Respondit frater meus, dixit mihi: Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea; quoniam ecce hyems transivit, pluvia abiit discessit sibi, flores visi sunt in terra, tempus s candi advenit, vox turturis audita est* (*Cant.* II, 8-12). Flores, apostoli: tempus messis [e] fructus est Christ vox turturis, vox Ecclesiæ. Jure igitur Dei Fili posteaquam terrenos homines nec gradientes ad su perna, et corporalibus inspexit angustiis coarcta (non enim erat (*Psal.* XIII, 3) qui faceret bonum, non erat usque ad unum) descendere in terras ip dignatus est; ut parietem illum Legis, hoc est, se lem quamdam et superstitionem intellectus corpora lis auferret, quæ quasi premeret **1324** et obumbra ret corda populorum. Melior igitur maceria, quam paries. Denique non bonus paries dealbatus. Qui non otiose dictum est principi sacerdotum, eo quod medii parietis impedimenta servabat (*Act.* XXIII, 3), quem Dominus Jesus abstulit quasi duram militiam, quo clariorem observantiam religionis infunderet; ut jam non unum Judæorum genus quasi corpori quodam præscripto Legis inclusum, sed omnes gentes ad Dei cultum per Evangelium vocarentur.

28. Duo igitur gemini duæ geminæ vitæ, duæ geminæ sunt militiæ; ita ut prior melior sit sequente. Et ideo quod est melius reformatum est. Quis autem neget Evangelium præstare Legi? Bona tamen Lex, si supra litteram mentem erigas: *Littera enim occid.* (II *Cor* III, 6). Quid autem haberet hæc historia gratiæ, nisi lucem tanti mysterii videremus? Docet enim nos Apostolus sanctus in simplicitate historiæ secretum quærere veritatis, et in quasdam non intelligibiles secundum litteram disputationes sensum referre, scribens: [f] *Dicite mihi qui Legem legistis, Legem non audistis? Scriptum enim est quia Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, et unum de libera: sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, secundum promissionem. Quæ sunt*, inquit, *per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta* (*Galat.* IV, 21-24). Et infra: *Quæ autem*

[a] Rom. edit., *consequens fuisset vita quæ secuta est.*

[b] Mss. aliquot, *et prophetia dixit.*

[c] Rom. edit., *parietem maceriæ solvit.*

[d] Rom. edit. contra cæterarum, ac mss. fidem eliserat, *atque possibile.* Sed jam advertimus, *non possibile*, sæpe pro *difficili*, usurpari.

[e] Edit. et quidam mss., *fructus est Christus.*

[f] Ita cuncti mss. Edit. vero, *Dicite mihi sub Lege volentes esse, Legem*, etc. His accedit Apostoli textus atque omnes versiones, excepta Æthiopica, ubi secundum interpretem legitur: *Dicitis mihi: In præcepto Legis sumus, et non audistis Legem.*

Digitized by Google

*sursum est Hierusalem, libera est* (*Ibid.*, 26). A

29. Ad illam igitur quam medius paries incidere et dividere non potuit, mentis sublimitate tendamus. Solutus est enim secundum intellectum corporalem ille paries veteris Testamenti : expulsa est ancilla, tenetur libera. Ex libera sumus liberi; libera est enim Ecclesia, expulsa est Synagoga. Serviebat enim populus Judæorum, remotum est servitutis jugum, quod nostræ animæ quædam colla reprimebat; ne ultra parietem vitæ prioris possemus aspicere. Habemus jugum bonum ac leve, quod habenis pacis, et gratiæ vinculis magis erigat, quam deprimat copulatos. Hic est Dominus, cujus in Zara typus ante præcessit; eo quod ex tribu et ex semine illius Zaræ Dominus Jesus secundum carnem non solum a femina, sed etiam sub Lege generatus est; ut eos qui B sub Lege erant, redimeret pretio sanguinis sui. Cujus figura ideo in manu illius Zaræ præcessit; ut promitteret nobis quia venturus erat, qui veteris vitæ revocaret usum, et libertatem quam tribueral primo illi Adæ, in Adam novissimo reformaret; ut jam genus hominum sine lege sit servitutis.

30. [a] Si igitur Thamar cognovimus propter mysterium inter Dominicas generationes esse descriptam : Ruth quoque sine dubio pari ratione minime prætermissam æstimare debemus : de qua sensisse videtur Apostolus sanctus, cum alienigenarum vocationem gentium spiritu prævideret per Evangelium esse celebrandum, dicens quod Lex non sit justis posita, sed injustis (I *Tim.* I, 9). Quomodo enim Ruth, cum esset alienigena, Judæo nupsit? Et qua C ratione in Christi generatione ejus putavit evangelista copulæ commemorationem esse **1325** faciendam, quæ Legis serie vetabatur? [b] Non ergo ex legitima Salvator generatione manavit (*Deut.* XXIII, 3)? Videtur esse deforme, nisi ad Apostolicam sententiam revertaris, *quia lex non est justis posita, sed injustis*. Hæc enim cum sit alinigena et Moabitis (præsertim cum lex Moysi prohiberet has nuptias, Moabitasque excluderet ab Ecclesia; sic enim scriptum est (*Ibid.*): *Moabitæ non introibunt in Ecclesiam Domini usque ad tertiam et quartam generationem, et usque in sæculum*) quomodo intravit in Ecclesiam, nisi quia sancta et immaculata moribus supra legem facta est? Si enim Lex impiis et peccatoribus posita est, utique Ruth, quæ definitionem Legis excessit, et intravit in D Ecclesiam, et facta est Israelitis, et meruit inter majores Dominici generis computari, propter cognationem mentis electa non corporis, magnum nobis exemplum est, quia in illa nostrum omnium qui collecti ex gentibus sumus, ingrediendi in Ecclesiam Domini figura præcessit. Hanc igitur æmulemur; ut quia hæc moribus hanc prærogativam meruit adsciscendæ societatis suæ, sicut historia docet : nos quoque propter morum electionem in Ecclesiam Domini, meritis suffragantibus, allegemur.

31. Etenim cum Israelitas in diebus Judicum superioribus fames temporibus urgeret, a Bethlehem civitate Judææ, in qua natus est Christus, abiit vir colere in agro Moab cum uxore et duobus filiis, Elimelech viro nomen, mulieri Noemi. Filii ejus acceperunt sibi uxores Moabitidas, nomen uni Orpha, et nomen secundæ Ruth : et inhabitaverunt illic quasi decem annis, et mortui sunt. Sed derelicta mulier, duobus filiis et viro proprio destituta, cognito quod Deus visitaret Israel, regredi domum parans, cœpit suadere ut domum propriam repeterent uxores filiorum suorum. Una concessit : Ruth vero cum socru mansit. Cui cum diceret socrus : *Ecce jam consponsa tua ad populum suum regressa est, et ad deos suos : et tu revertere pariter cum consponsa tua, respondit Ruth : Non contingat mihi dimittere te, et* [c] *redire ad deos meos; quia quocumque tu ieris, ibo tecum, et ubi tu habitaveris, habitabo. Populus tuus, populus meus : Deus tuus, Deus meus. Et ubi mortua fueris, moriar : et ubi sepulta fueris, sepeliar* (*Ruth.* I, 15, 17). Atque ita duæ pervenerunt Bethlehem. Hos igitur mores, atque [d] hanc sanctitatem erga socrum, pietatem erga defunctum, religionem erga Deum cum cognovisset Booz proavus David (*Ruth.* IV, 13), juxta legem Moysi, ut semen defuncti proximi suscitaret, eam sibi elegit uxorem.

32. Refert autem advertere quod et in agro pleno messis reperta, manipulos, sicut scriptum est (*Ruth.* II, 17), colligens, et socrui fructus reservans, et non post juvenem abiit, sed virum perfectum secuta est, **1326** unde et meruit audire : *Quia mulier virtutis es tu; vel quia bene fecisti misericordiam tuam novissimam, plus quam primam* (*Ruth.* III, 10). Novissima enim misericordia Ecclesiæ congregatæ [e] præstat priori. Quod brevius hic dicimus, quia plenius in libris digessimus quos de Fide scripsi (*Lib.* III *de fide ad Gratian.*, *c.* 5). Appropinquavit autem qui longe erat; quia elongavit qui proximus erat, et calceamentum proximi, muliere acquisivit accepta. Mos enim erat ut qui proximus erat, si nollet accipere in conjugium propinquam suam, calceamentum suum solveret, et aliis cederet (*Ruth.* IV, 7) : in quo non mediocre mysterium, eo quod is qui alienigenam in typo sumpsit, evangelizandi accepit facultatem.

33. Denique in typo has fuisse nuptias testatur

[a] Rom. edit. sola, *Sic igitur.... descriptam : Qui fuit Obed, qui fuit Booz*, etc. *Cur etiam Ruth mentionem fecit Matthæus.*

[b] Edit. Amerb. atque Era., *Non ergo quod ex legitima*, etc. Gill. cum paucis mss., *Non ergo quod non ex legitima Salvator generatione manavit videtur*, etc. Nullo sensu. Edit. Rom., *Non ergo ex non legitima Salvatorem generatione manasse videtur*, etc. Non melius, licet illi unus e Vat. cod. astipuletur, nisi quod ante, *legitima*, deest, *non*. Germana lectio est, quam ex mss. decem optimæ notæ restituimus.

[c] Mss. non pauci, *redire ad Deum meum*. Alii, et edit. *redire ad Deos meos*. Sed in sacris cod. neutrum invenias; ut verisimile sit meram esse verborum Noemi repetitionem ab aliquo librario scriptore in Ambrosianum textum inductam.

[d] Rom. edit., *hanc charitatem erga socrum.*

[e] Ita mss. sex probatissimi, neque ab his recedunt

Digitized by Google

benedictio seniorum dicentium : *Det Dominus mulierem quæ intrat in domum tuam, sicut Rachel, et sicut Liam, quæ ædificaverunt domum Israel, et facere virtutem in Ephrata : et sit nomen in Bethlehem : et fiat domus tua sicut domus Phares, quem peperit Thamar Judæ. De semine tuo det tibi Dominus ex hac puella. Et accepit Booz Ruth, et facta est in matrimonium* (*Ibid.*, 11-13), et peperit Obed patrem Jesse, avum David. Recte igitur sanctus Matthæus per Evangelium gentes ad Ecclesiam vocaturus, auctorem ipsum [a] Dominum gentilis congregationis, alienigenarum generationem secundum carnem assumpsisse memoravit; ut jam tunc esset indicium quod illa generatio ederet gentium vocatorem, quem sequeremur omnes ex alienigenis congregati, relinquentes paterna, et dicentes ei qui nos ad Dei cultum vocaret, verbi gratia Paulo, aut cuicumque episcopo : *Populus tuus, populus meus : et Deus tuus, Deus meus* (*Ruth.* I, 16). Ergo Ruth, sicut Lia et Rachel, oblita populum suum, et domum patris sui, solvens vinculum Legis, ingressa est in Ecclesiam.

34. Solvit autem calceamentum, qui non accepit Ecclesiam. Et Moysi dicitur : *Solve calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* III, 5); ne ipse sponsus Ecclesiæ crederetur. Solus ille non solvit, qui verus est sponsus. Et ideo dicit Joannes : *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Ergo et hic typus est, et ædificavit domum Israel.

35. Quam vero commemoratio ejus Dominicæ prosapiæ fuerit inserenda, declarat mysterii altioris expressio, qua prophetatum est ex genere ejus in Ephrata Christum esse generandum, cum dicitur : *Det tibi Dominus..... facere virtutem in Ephrata, et sit nomen in Bethlehem* (*Ruth.* IV, 11). Quæ est enim virtus, nisi quæ per Christum gentium populos congregavit? Quod autem nomen, nisi illud quod Bethlehem patria Domini secundum carnem nascentis est facta? Unde per prophetam dictum est : *Et tu* [b] *Bethlehem Judææ, non es minima inter principes Juda; ex te enim exiet princeps qui* **1327** *regat populum meum Israel* (*Mich.* V, 2). Videmus igitur mulierum [c] commemorationi historiam, mores, mysterium convenire.

36. Neque tamen abnuo cum Thamar et Ruth defendo, peccatores quoque inter majores Dominici generis computatos : quorum commemorationem sanctus Lucas declinare desiderans, alium quendam successionum ordinem tenuit : neque Achab, neque Jechoniam, neque postremo Uriæ uxorem nominandos putavit; ut immaculatam sacerdotalis generis seriem declararet. Sed ut [d] illi consilii sui ratio subsistit : ita etiam sancti Matthæi consilium a rationis justitia non abhorret. Nam cum evangelizaret Dominum secundum carnem esse generatum, et omnium peccata susciperet, subjectum injuriis, subditum passioni; ne hujus quidem putavit expertem asserendum esse pietatis, ut maculatæ quoque originis non recusaret injuriam : simul ne puderet Ecclesiam de peccatoribus congregari, cum Dominus de peccatoribus nasceretur. Postremo ut beneficium redemptionis etiam a suis majoribus inchoaret : ne quis putaret originis maculam impedimento posse esse virtuti : nec se insolens de sui se generis nobilitate jactaret, neve parentum crimina verecundus erubesceret, cui obumbrandæ originis facultas daretur flore virtutis.

37. An vero sanctus David, licet multa ejus mysterium figurentur, non eo præcelsior, quod hominem se esse cognovit, et commissum super abrepta Uriæ uxore peccatum pœnitentiæ putavit lacrymis abluendum, ostendens nobis neminem virtuti propriæ debere confidere? Habemus enim adversarium magnum, qui vinci a nobis sine Dei favore non possit. Et plerumque in illustribus et beatis viris gravia peccata fuisse reperies; ut quasi homines tentationi patuisse cognoscas, ne virtutibus egregiis plusquam homines crederentur. Si enim David quia præsumptione virtutis elatus dixerat : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 5) : et alibi : *Ego autem dixi in mea abundantia, non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX, 7); statim insolentiæ hujus pœnam subiisse se memoravit, dicens : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Ibid.*, 8) : si ipse Dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam : quanto magis nos cæteri peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulos

edit. nisi quod pro, *dicimus*, legunt, *comprehendi*, non secus ac multi ex mss. Aliorum vero nonnulli, *præstat priori : in quo non mediocre mysterium* : quidam, *præstat priori. Et non mediocre mysterium*, etc. Quidam etiam omittunt, *non.* At certe hæc verba : *in quo non mediocre mysterium*, incuria amanuensium vel loco mota, vel superaddita videntur, cum eadem paulo post repetantur.

[a] Era. et seq. edit., *Dominum gentilitiæ congregationis.*

[b] Rom. edit., *Bethlehem Ephrata non es minima in millibus Juda :* nimirum ex LXX, apud quos, καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Ubi tamen vides negationem deesse, quam nec ulla biblia aliorum idiomatum agnoscunt. Vet. autem edit., *Bethlehem Judæ.... inter principes Juda.* Cui lectioni suffragantur scripti cod. nisi quod optimi habent, *Bethlehem Judææ;* et alii nonnulli, *nequaquam minima es* ; quo modo etiam reperitur apud Matth. II, 6.

[c] Rom. edit., *commemorationem historiæ, morum mysterium convenire.* Vet. cum paucis mss. *commemorationi historiam, moribus*, etc. Alii vero cod. magno numero et auctoritate, ut in textu.

[d] Ita edit. ac mss. omnes tribus exceptis, qui legunt : *Ille consilii sui ratione substitit.* Contra vero mss. quatuordecim optimæ notæ in fine loci habent, *a rationis justitia adhorret;* ubi edit. et soli quatuor mss., *a ratione justitiæ*, etc. Denique ubi edit., *de Zara esse generatum :* in memoratis quatuordecim mss. non invenias, *de Zara*, quod videtur absurde superadditum, cum Ambrosius ipse non de Zara, sed de Phares Christum descendere, supra, num. 19, observaverit. Nam quod idem ait num. 29, Dominum ex tribu et semine Zaræ generatum esse, hoc perinde interpretamur ac si scriptum esset : ex eadem tribu et semine, quibus editus fuit Zara, Christum esse propagatum.

Digitized by Google

um timere debemus, in quo naufragium sit bonorum; præsertim cum tantus vir nobis et magisterii auctor sit et exempli, qui quasi palinodiam quamdam ad repropitiandum Dominum in posterioribus canendam putavit, dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei* (*Psal.* CXXX, 1): et Dominus *a dextris meis, ne commovear* (*Psal.* XV, 8); scivit enim quando se sibi credidit, esse se lapsum. Denique nihil aliud esse in homine designavit, nisi quia **1328** Deum novit. Sic enim habes: *Quid est homo, quod innotuisti ei: aut filius hominis, quia computas eum* (*Psal.* CXLIII, 3)? Si ergo David insolentiam damnat, humilitatem induit, recte in historia uxoris Uriæ magisterium istud affectandæ humilitatis adsciscitur.

38. Et tamen si ex ea natus est ille pacificus Salomon, videamus ne forte mysterium sit, quod sublato eo de medio, qui ante conjugio suo plebem gentium vindicabat, alii Ecclesia viro nupserit, vero David. David enim vocatus est Christus, in parentis nomen adscitus, juxta quod scriptum est: *Inveni David servum meum* (*Psal.* LXXXVIII, 21); cui nupsit Ecclesia, quæ Verbi semine, et Spiritu Dei plena, Christi corpus effudit, populum scilicet Christianum. Est ergo mulier, quæ vivente viro alligata est legi: et ideo mortuus est vir ejus; ut non esset adultera, si esset cum alio viro. Mysterium igitur in figura, peccatum in historia: culpa per hominem, sacramenta per verbum. De qua historia quoniam alibi plenius diximus, hic transcurrendum videtur. Meritoque sanctus David de hac historia mysticum psalmum quinquagesimum scripsit propter Bersabee nuptias, dicens: *In plurimum lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me* (*Psal.* L, 4). Si iniquitatem suam Dei amicus agnoscit, et meritis suis obstare delictum: si denique Deo se peccasse confitetur; cur tu de confessione criminis erubescas, cum criminis commentum, non confessio sit pudori?

39. Ergo cum David Bersabee historiam non prætermiserit in suis Psalmis; ut in ea vel mysterium, vel actum perfectæ pœnitentiæ nos doceret, jure videmus etiam in generationibus Dominicis non prætermissam; quia et ipse David qui eam accepit in uxorem sibi, generationis Dominicæ secundum carnem præcessor asseritur. Cujus speciale, ut diximus, meritum; ut Ecclesiæ in hoc mysterio videret exortum, et acciperet oraculum quod ex suo Christus genere nasceretur. Alterum enim ad Ecclesiam pertinet, quod dixit: *Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* CXXXI, 6). Alterum specialiter [a] ad Dominici corporis sponsionem, quod oraculo manifestissimo revelatur, cum dicitur: *Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ibid.*, 11). Noli tamen tanto negligens esse promisso; non enim [b] sine definitione datum est. Sed si custodieris testamentum, et testimonia servaveris Domini, quæ in Evangelio se pollicetur esse dicturum, tibi quoque copia sedis patebit æternæ. Hæc de uxore Uriæ.

40. De Achab autem satis claret, cui uxor Jezabel (III *Reg.* XVI, 31): et de Jechonia de quo satis idoneus auctor est Hieremias, maximi reum esse delicti: cui etiam quod habuit nomen, eripuit. Et ideo qui Joachim in Regnorum libris dicitur (IV *Reg.* XXIV, 1), Jechonias ab Hieremia est nominatus, dicente eo, *Abjectus est Jechonias ut vas,* [c] *non est usus in eo; propter quod* **1329** *projectus est ipse,* [d] *et semen ejus. Terra, terra, audi verbum Domini, scribe virum istum abdicatum; quia non exsurget ex semine ejus sedens in throno David, princeps adhuc in Juda* (*Jerem.* XXII, 28-30). Eo enim regnante, Judæam Babylonii vastaverunt, neque postea umquam de semine ejus regnum quisquam in Judæa potuit obtinere. Postea enim populus de captivitate dimissus, sub sacerdotibus et tetrarchis fuit. Unde etiam usque ad Christi generationem mansere tetrarchæ, ne ipsi quidem, quantum historia docet, regalis dignitatem generis reservantes.

41. Fertur enim ab his, qui sive argumentati, sive simpliciter docentes, sive vere astruentes tradiderunt nobis, quia Idumæi latrones Ascalonem urbem Palæstinæ ingressi, de fano Apollinis quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis cujusdam [e] Hieroduli filium inter alios abduxere captivum, quem pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus disciplinis et mysteriis Judæorum, Hyrcano Judææ regi amicitia copulatur, quem pro se ad Pompeium Hyrcanus legatum direxit: et quia legationis fructu potitus est, per eam gratiam partem regni affectavit. Occiso autem Antipatro propter felicitatis invidiam, filius ejus Herodes postea sub Antonio senatusconsulto Judæis regnare præceptus est. Cujus Herodes filius et alii tetrarchæ. [f] Quod ideo ex Græcorum historiis putavimus transferendum, ut clareat Herodem nullo affinem generi Judæorum, regnum adulterina fraude quæsisse. Denique conscius ignobilitatis suæ, ne qua posteris suis vel de præ-

[a] Omnes edit., *ad Dominici corporis susceptionem;* omnes mss.,.... *sponsionem.*

[b] Rom. edit., *sine conditione.* Aliæ ac mss. omnes, *sine definitione.* Sed hic utriusque eadem plane significatio est.

[c] Rom. edit. cum duobus aut tribus omnino mss., *cujus non est usus in eo,* unus aut alter, *cui non est usus in eo.* Paulo post Corb. solus, *et semen ejus a terra. Audi,* etc. Ful., *et semen ejus in terra. Terra, audi,* etc. Postremo major ac potior pars mss., *princeps. Adhuc eo enim regnante;* tres, *in Judæa regnante,* etc.

[d] Quidam mss., *et semen ejus a terra. Audi,* etc.

[e] *Hieroduli,* hoc est, servi seu ministri cujusdam ædis sacræ, puta custodis, ut interpretantur cod. Colb. unus, et Ful.

[f] Hæc iisdem pene verbis leguntur apud Eusebium lib. I hist. cap. 7, isque ea ex Africano desumpsisse se testatur: sed narratio illa ut prorsus fabulosa et commentitia rejicitur; neque omnino probatur Ambrosio. Cæterum cur hic tanto studio de Christi genealogia disputetur, non alia videtur esse causa, quam ut Judæi et gentiles, qui cum Juliano apud Cyril. lib. VIII et aliis locis evangelistarum dissensionem Christianis numquam non objiciebant, revincerentur.

Digitized by Google

scripto veteri quæstio moveretur, scripturas eorum incendit, exstimans quod si indicia de publico sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere posset, quin de patriarcharum vel proselytorum veterum genere demanaret. Sed ut pleraque curæ humanæ sunt, cognitioni hoc et indagini veritatis præjudicare non potuit.

42. Ne nobis tamen possit præjudicare videamus, qui veri regalisque generis dicimus Christum, et per veros et nobiles reges actum Domini genus. Sed ubi adulterina regnum affectavit propago, successionem nobilitatis suæ, non potentiæ, sed generationis ordo servavit. Tamen ipsum regem secundum honorem sæculi non accepimus Christum. Quomodo ergo *Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11)? Quomodo et angelus de eo dicit, quod *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob* (*Luc.* I, 32)? Quomodo regnare promittitur, nec ostenditur? Aut quomodo ex semine Jechoniæ nullus regnaturus dicitur per prophetam? Si enim Christus regnavit, ex semine autem Jechoniæ Christus est, propheta mentitus est, mentita sunt et oracula. Sed illic futuros ex semine Jechoniæ posteros non negatur; et ideo de semine ejus est Christus: et quod regnavit Christus, non contra prophetiam est; non enim sæculari honore regnavit, nec in Jechoniæ sedibus sedit, sed regnavit in sede David. **1330** 43. Verum cum ipse Jechonias David sederit sedem, quemadmodum solvitur quod dictum est, quia David sedem Jechoniæ posteri non sedebunt, cum eadem sedes fuisse videatur amborum? Itaque et nos sedem David fuisse negare non possumus; non eamdem tamen regis David sedem Christus, quam Jechonias sedit; immo nec quisquam alius ex genere David sedem ejus potuit sedere, quam Christus; quia nec in alio semen ejus æternum est, sed in Christo, sicut Deus ipse juravit dicens: *Semel juravi* [a] *in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, et sedes ejus sicut sol in conspectu meo* (*Psal.* LXXXVIII, 36-38). Quem igitur dicit hic? Non Salomonem utique, non Roboam, non Nathan, sed illum de quo solo potest dicere: *Ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me, Pater meus es tu* (*Ibid.*, 26 *et* 27); et *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli* (*Ibid.*, 30). Non utique hunc thronum Salomon sedit, non Roboam, non Jechonias. Vis scire quis sederit? Hic est de quo dicit angelus ad Mariam: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 31 *et* 32). Si angelo non credis, ipsi saltem Domino crede dicenti: *Tu dicis, quia ego sum rex* (*Joan.* XVIII, 37). Numquid ergo et ipse mentitus est, quia regnare se dixit, qui non regnavit in terris? Quomodo Scriptura solvitur, quæ regnare eum dicit, et regnare non astruit?

44. In abruptum disputationis venimus, hæremus in vado, et quodam veritatis naufragio fluctuamus. Excitemus igitur Christum, ipsum interrogemus. Ipse se respondeat. Interrogemus Scripturas. Invenimus quia regnum Domini non est de hoc mundo; ipse enim dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Ibid.*, 36). Qui dicit non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse supra mundum. Ita et erat regnum ejus, et non erat: non erat in sæculo, erat supra sæculum. Erat ergo regnum aliud veri David, quod solus Christus accepit: et erat semen aliud David, quod in æternum manet, de quo solus generatus est Christus, qui solus verus filius David, cujus etiam solus semen accepit, juxta quod scriptum est: *Inveni David servum meum, in oleo sancto meo unxi eum* (*Psal.* LXXXVIII, 21). Quod utique non de propheta David, sed de Domino dici præmissa declarant; scriptum est enim: *Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de populo meo* (*Ibid.*, 20). Solus enim potens, solus electus est Christus. Sanctorum enim majus in fide, quam in generatione semen est. Et ideo Apostolus: *Si enim qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ.* (*Galat.* III, 7).

45. Illud quoque non prætermittendum putamus, quod a David temporibus usque ad Jechoniam, hoc est, usque ad captivitatem, cum decem et septem fuerint reges Judææ, quatuordecim generationes sanctus Matthæus posuerit: et rursus ab Jechonia usque ad Joseph [b] cum viritim **1331** generationes duodecim computentur, postea quatuordecim generationes descriptas esse memoraverit. Sic enim habet: *Omnes generationes, ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim: et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim* (*Matth.* I, 17). Et primum oportet cognoscere, quod ante jam diximus, posse plures esse successiones, et pauciores generationes. Possunt enim diutius vivere aliqui, et serius generare, aut certe penitus exsortes generationis existere. Itaque non quæ regum, eadem generationum tempora. Unde et Matthæus eos quos ad generationem non putavit pertinere, præteriit. Nam si propositum esset ei successiones describere, rationabiliter moveremur, cur cum Regnorum libris et Paralipomenis conveniat, quod post Joram Ochozias regnaverit, et Jodam, et Amasias: Amasiæ autem successerit Ozias; sanctus Matthæus tres illos reges præterierit, Ochoziam, Jodam et Amasiam, [c] et post Joram Josaphat subjecerit. (IV *Reg.* VIII, *et deinceps*; II *Par.* XXII,

[a] Edit. *in Christo meo*; mss., *in sancto meo*.

[b] Mss. non pauci, *cum varietate*. Melius alii atque omnes edit. *cum viritim*.

[c] Omnes edit., *et post Joram Oziam subjecerit.* Mss. e contrario, *et post Joram Josaphat subjecerit.* Quæ quidem vera lectio est, cum infra in omnibus omnino mss. et edit. hoc ipsum nomen inveniatur. Quocirca nihil absurdi dicturum eum putamus, qui affirmarit, Oziam Ambrosio trinominem fuisse, ac non modo Oziam atque Asariam, quibus vocabulis in

*et deinceps*). Sed non eum in regum successione, sed in generatione subjecit. Denique generationum relatorem se fuisse memoravit: potuit autem fieri ut et Joram tardius generaverit, et Josaphat serius perceperit regnum; atque ita Joram patri suo, cui in potestatem non successit, in generatione successerit.

46. Quod vero post Jechoniam duodecim generationes enumerasse videtur Evangelista, si diligenter advertas, hic quoque quatuordecim generationum poteris invenire rationem. Duodecim enim usque ad Joseph numerantur, non usque ad Christum. [a] Tertius decimus est Christus. Sed nihil refert utrum in duabus generationibus, an in una mendacium sit. [b] Tamen ne hic quidem cæcum aliquem scopulum aut naufragium invenias veritatis. Duos Joachim, hoc est, duos Jechonias fuisse historia indicat: unum ante transmigrationem, alterum in ipsa transmigratione generatum, id est, patrem et filium. Ergo pater inter generationes superiores est computatus, qui successit Josiæ: filius inter posteriores, qui successit patri, id est, nepos Josiæ. Duos autem fuisse Regnorum libri indicant. Sic enim scriptum est: [c] *Et imperavit Pharao super Israel, Joachim filio Josiæ regnante in Judæo pro Josia patre suo; et convertit nomen Joachim in regnando, et undecim annos* **1332** *regnavit in Hierusalem* (IV *Reg.* XXIII, 34 *et* 36). Quibus subjecit: *Et reliqua verborum Joachim, et omnia quæ fecit, nonne scripta sunt in libro verborum, et in diebus eorum, qui regnaverunt in Judæa? Et dormivit Joachim cum patribus suis; et regnavit Joachim filius ejus pro eo.... Filius decem et octo annorum erat Joachim, et cum regnaret, tribus mensibus regnavit in Hierusalem: nomen matris ejus Mesola..... et omnia quæ fecit sub oculis Domini pater ejus, et ipse fecit: et in diebus ejus ascendit Nabuchodonosor, rex Babylonis, in Hierusalem* (IV *Reg.* XXIV, 5 *et seq.*). Vides igitur quod alius fuerit Josiæ filius, alius nepos: filius ille, cui Hieremias nomen imposuit, nepos iste qui patris vocatus est nomine. Et bene sanctus Matthæus a Propheta noluit discrepare; ut non Joachim, sed Jechoniam nominaret. Simul, ut supra diximus, majorem fructum Dominicæ pietatis astruxit, si generis nobilitatem non in omnibus Dominus requisivit: sed de captivis et peccatoribus congrue nasci voluit, qui remissionem veniebat prædicare captivis. Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrumque signavit; quod uterque Jechonias dictus sit. Ita addito juniore Jechonia, generationes quatuordecim computantur. Ergo illa Matthæus.

47. Pulchre autem Lucas quoniam filios Jacob plures non poterat comprehendere, ne extra generationes evagari superflua serie videretur; licet in aliis, id est longe posterioribus, patriarcharum tamen nequaquam nomina prætermittenda arbitratus sit, sed præ cæteris eligenda, Joseph, Judæ, Simeonis, et Levi (*Luc.* III, 30). Quatuor enim genera in his quorum isti posteri sunt, cognoscimus fuisse virtutum. In Juda, id est, illo superiore, Dominicæ per figuram passionis mysterium fuisse prophetatum (*Gen.* XLIX, 11): in Joseph præcessisse castitatis exemplum (*Gen.* XXXIX, 7): in Simeon vindictam læsi pudoris (*Gen.* XXXIV, 25): in Levi officium sacerdotis (*Num.* III, 6). Per Nathan quoque expressam advertimus prophetiæ dignitatem (II *Reg.* XII, 1); ut quia unus omnia Christus Jesus, in singulis quoque majoribus genera virtutum diversa præcederent.

48. Noe quoque justi inter Dominicas generationes commemoratio non debuit prætermitti; ut quia ædificator Ecclesiæ nascebatur, eum sui generis auctorem præmisisse videatur, qui eam in typo ante fundaverat (*Gen.* VI, 14). [d] Nam de Mathusala quid dicam, cujus ultra diluvium numerantur anni (*Gen.* V, 27); ut quoniam solus est Christus, cujus vita nullam sensit ætatem, in majoribus quoque suis non sensisse **1333** diluvia videretur. Enoch vero nonne manifestum et pietatis Dominicæ et divinitatis indicium est; eo quod nec mortem senserit Dominus, et ad cœlum remeaverit, cujus generis auctor

sacris paginis nuncupatur, appellatum, sed et avi nomine Josaphat. Nec vero desunt exempla Hebræorum qui similiter triplici nomine vocitati sint, ut videre est apud Corn. Jans. Comment. in Conc. Evang. part. I, cap. 6.

[a] Mss. aliquot *Tertius decimus est Christus ex Joseph*.

[b] Hic trifariam dividuntur mss. Etenim Corb., Mich. et alii sex optimæ notæ præferunt: *Tamen ne hic quidem eum capere aliquem scopulum, aut* (quidam, *et*) *naufragium invenias* (vel ut nonnulli, *invenies*) *veritatis*. Reliqui vero partim cum ant. edit. legunt: *Tamen ne hic quidem capere aliquem scopulum aut naufragium possis, invenies veritatem*; partim cum edit. Rom. ut supra in corpore. Et hi cod. quamquam pauciores, nobis tamen videntur hoc loco potiores, cum sensum clariorem, atque elegantiorem phrasim exhibeant.

[c] Ita mss. et vet. edit. magno consensu. Non tamen diffitemur ab historia sacra prout in Bibliis omnibus exhibetur, hunc locum dissidere haud mediocriter. Itaque Rom. edit. eum emendare conata est in hanc formam: *Et constituit Pharao super Judam et Hierusalem Eliachim filium Josiæ regem pro Josia patre ejus, et convertit nomen ejus Joachim... in libro sermonum dierum regum Juda.... Joachim cum regnaret, et tribus mensibus... matris ejus Nestha*. Et rursus paucis interjectis, *filius ille, cujus Pharao nomen convertit: nepos iste, cui Hieremias*, etc. Porro consensus ille ant. edit. et mss. Ambrosianorum illud confirmat, quod jam alibi annotavimus, Græcum vet. Testamenti codicem, quo utebatur Antistes noster, ab iis quos nunc habemus, in multis discrepasse.

[d] Quo tempore Mathusala mortuus sit, *famosissima* (ut ait Hieron. lib. de Quæst. Hebr.) *quæstio, et disputatione omnium Ecclesiarum ventilata*. Non pauci enim, quibus hic subscribit Ambrosius, quibusdam corruptis LXX interp. codicibus nimium confisi cum 14 post diluvium annos vixisse crediderunt; et ne ipsis objici ea possent quæ de diluvio Scriptura commemorat, eumdem dixerunt tum temporis cum patre suo Enoch e terris translatum vitam produxisse. Verum August. lib. XV de Civit. cap. 11, et Quæst. 2 in Gen., et Hieron. loc. cit. falsitate codicum illorum ex aliis Hebraicis deprehensa, Mathusalam vel sexto ante diluvium, ut ille: vel ipso, ut alter contendit, diluvii anno diem obiisse demonstrarunt; atque in hanc posteriorem sententiam alii deinum frequentes tum Chronologistæ, tum Interpretes pedibus ivere.



Digitized by Google

raptus ad cœlum est? Unde manifestum est, et Christum potuisse non mori, [a] sed noluisse; ut nobis mors illa prodesset. Et ille quidem raptus est, ne malitia mutaret cor ejus: Dominus autem quem malitia sæculi mutare non poterat, eo unde venerat, naturæ suæ majestate remeavit. Siletur sane parricida fratris; neque enim rationabile erat ut eum qui percusserat fratrem (*Gen.* iv, 8), inter Domini numeraret auctores; cum servulos iste servaverit, ut fraterni eos nominis honore [b] donaret: iste non servaverit, nec fratri pepercerit. Sed nec illud otiosum, quod Seth præteritus non est (*Gen.* v, 3), quem posteriore Adam generatione suscepit; ut cum duæ sint populi generationes, signaretur in typo Dominum Jesum Christum in posteriore potius quam priore generatione numerandum.

49. Jam de ipso Adam qui juxta Apostolum (*Rom.* v. 14) figuram accepit Christi, quid pulchrius potuit convenire, quam ut sacrosancta generatio a Dei Filio inciperet, et usque ad Dei Filium deduceretur: creatusque præcederet in figura, ut natus in veritate sequeretur: ad imaginem factus (*Gen.* i, 27) præiret, propter quem Dei imago descenderet? Et si mysterium primi discutiamus erroris, lignum scientiæ boni et mali, fallente diabolo, Eva suadente, ille gustavit (*Gen*, iii, 6); ut iste nobis priusquam sciret malum, eligeret bonum, dirique serpentis insidias Ecclesia suadente, evacuaret, juxta quod scriptum est: *Quoniam priusquam sciat puer bonum aut malum, non credet malitiæ ut eligat quod bonum est* (*Esai.* vii, 16). **1334** Et, *priusquam sciat vocare patrem aut* C A *matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ* (*Esai.* viii, 4). Hic enim est puer cujus incunabulis Magi spoliis orientalibus referserunt (*Matth.* ii, 11); quia gens ante Christum incredula, de exuviis idolorum, mutata jam fide, manubias obtulit Domino triumphales.

50. Hæc tibi, frater, de generatione Christi non incognita putavi prolixius prosequenda; ne quis cum ista in Evangelio minus attento animo recenseret, aliquatenus fluctuaret: quæ sancti evangelistæ ad majora miracula, et diviniora Domini gesta properantes, perstringenda brevius, quam diffundenda uberius putaverunt. Eorum igitur more, qui se putant ignaris viarum quasi notas quasdam itinerum et semitas demonstrare, spiritalis viæ semitas cu- B gentes, videro utrum secundo veritatis eventu, certe religioso fidei ductu in mysteriorum secreta contendimus: verentes ne quis ista cum legerit, quod proverbialiter dicitur, quasi puer machæram, tractet per infantiam fortia arma nesciret, magisque vulnus ex imprudentia, quam salutem ex lectione sentiret. Infirmos enim tela sua vulnerant, nec potest bene uti armis, qui ea ferre non noverit. Et ideo circa hæc idem vir perfectus exigitur, in quo non per humanæ scientiæ repiet infantia, non debilis quædam, ne carens sensibus mysticæ cognitionis titubet ætas, quæ virtute juventutis amissa, coronam gloriosi certaminis non requirat, et senescentis aquilæ more quæ prius aut leporem rapere pedibus consueverat, aut anserem, ævo fessa minorum avium implumes fetus requirat, qui solidiorem cibum afferre non possit.

[a] Edit. omnes cum parte mss., *sed voluisse*, respicientes nimirum ad sequentia illa, *ut nobis mors illa prodesset*. Mss. vero Corb. ac decem alii melioris notæ, *sed noluisse*. Optima lectio. Subintelligitur enim *non mori*, quod præcedit.

[b] In edit. omnibus ac mss. aliquot desiderabantur sequentia: *iste non servaverit, nec fratri pepercerit*: quæ verba ex mss. decem remotioris ævi restituimus; cum alioquin ut plenior oppositio redderetur, sint omnino superflua.

# LIBER QUARTUS.

**1333** 1. Non absurdum, opinor, de generatione Domini confecimus opus: certe infructuosum non fuit Dominicis diutius inhærere majoribus. Nam si ii qui magnum mare littorali parant navigatione transmittere, altioris compendium cursus, [a] itidem ut nos, fiduciæ infirmitate vitantes, agros et urbes littore deductas capti locorum decore frequenter invisunt: quanto magis nos in tanto non elementorum, sed gestorum cœlestium siti profundo, viciniores legere portus, et frequentes amare debemus excursus! ne quis longæ navigationis tædio fatigatus, fastidii vomitum tenere non possit. [b] Certe si quis intutæ ratis vitia infida perspexerit, tamquam frequenti librorum portu objecto, liset ut aurium vela deponat, et lectionis anchoram figat. Non videtur deseruisse navigium, D sed confecisse cursum, qui descendit in portus.

2. Et plerisque in locis fortasse amœnitas ipsa locorum invitet prætermeantem. Nam si Ulyssem illum, ut fabulæ ferunt (licet et Propheta dixerit: **1334** *Habitabunt in ea filiæ Sirenum* (*Esai.* xiii, 21); etsi non dixisset propheta, nemo tamen jure reprehenderet; cum et gigantes (II *Reg.* v, 22, *et* xxiii, 13), et vallem Titanum Scriptura comprehenderit) [c]; si ergo Ulyssem illum post decem annorum exsilia quibus bellatum in Ilio est, decemque erroris annos festinantem ad patriam, Lotophagi suavitate baccarum tenere potuerunt: si horti Alcinoi retardarunt; si postremo Sirenes cantu vocis illectum, ad illud famosum voluptatis naufragium pene deduxerant, nisi adversus illecebrosos sonitus cantilenæ inserta

[a] Rom. edit. hinc resciderat, *itidem ut nos*: quæ tamen verba nec in ulla alia edit. vel mss. prætermittuntur, nec sane ineptam sententiam efficiunt.

[b] Ita cuncti mss. et vet. edit. Rom. vero, *Certe si quis infidæ ratis vitia perspexerit .... portu objecto, aurium vela deponat.*

[c] *Si ergo Ulyssem illum*, hæc omissa fuerant in Rom. edit. cum tamen post parenthesim longiuscu-

Digitized by Google

cera sociorum clausisset aures : quanto magis religiosos viros cœlestium factorum cedet admiratione mulceri ! Atque hic jam non baccarum suavitas haurienda, sed panis ille qui descendit de cœlo : non olera Alcinoi spectanda, sed sacramenta sunt Christi. Nam *Qui infirmus est, olera manducet* (*Rom.* XIV, 2). Non claudendæ igitur aures, sed reserandæ sunt : ut Christi vox possit audiri, quam quisquis perceperit, naufragium non timebit. Non corporalibus, ut Ulysses, [a] ad arborem vinculis **1335** alligandus, sed animus ad crucis lignum spiritalibus nexibus vinciendus ; ne lasciviarum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis.

3. Figmentis enim poeticis fabula coloratur ; ut quædam puellæ scopuloso in littore maris habitasse prodantur : quæ si quos deflectere navigium propter aurium suavitatem dulci voce pepulissent, in vada cæca deductos, et infida statione deceptos, naufragii miserabilis sorte consumerent. Compositum hoc specie, et ambitiosa comparatione fucatum est ; ut mare, vox, feminæ, littora vadosa, fingantur. Quod autem mare abruptius quam sæculum, tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum ? Quid sibi vult puellarum figura, nisi eviratæ voluptatis illecebra, quæ constantiam captæ mentis effeminet ? Quæ autem illa vada, nisi nostræ scopuli sunt salutis ? Nihil enim tam cæcum, quam sæcularis suavitatis periculum : quæ dum mulcet animum, vitam obruit, et corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit.

4. Merito igitur Dominus noster Jesus Christus jejunio suo nos atque deserto adversus voluptatum informat illecebras, et tentari se a diabolo Dominus omnium patitur ; ut in illo omnes vincere disceremus. Advertamus igitur quia tria non otiose a Domino principaliter ordinata Evangelista descripsit. Tria sunt enim quæ ad usum proficiunt salutis humanæ, sacramentum, desertum, jejunium : *Nemo enim nisi qui legitime certaverit, coronatur* (II *Tim.* II, 5) : nemo autem ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ab omnibus ablutus maculis delictorum, gratiæ cœlestis munere consecretur.

5. Venit igitur Dominus ad lavacrum ; ut mysterii gratia nobis [b] et visu probaretur et sensu. Et quoniam Lex, cœlo et terris testibus, promulgatur ; ut mysterium divinitatis absconditum a sæculis in Deo plus crederes esse quam Legem ; non jam ad testimonium cœlum vocatur, sed utitur testis officio, cum vox Dei defertur e cœlo. Simul ne fidei mysterium dubio mentis offendas, invisibilia tibi visibiliter declarantur operari.

6. Venit Dominus ad lavacrum ; omnia enim pro te factus est. Iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege esset, cum ipse sub Lege non esset, circumcisus est ; ut eos qui sub Lege sunt, lucrifaceret : his qui sine Lege erant, convivii communitate sociatus est ; ut lucraretur eos, qui sine Lege vivebant. Factus est infirmis infirmus per corporis passionem ; ut infirmos lucrifaceret. Omnibus postremo omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus. In carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum apostolis epulatur, cum Samaritana sitit : in deserto esurit ; ut cibus primi hominis, quem prævaricatione gustaverat, jejunio Domini solveretur. Nostro periculo Adam scientiæ boni et mali **1336** famem solvit, nostro emolumento famem iste suscepit.

(Cap. IV. — Vers. 1.) [c] *Tunc Jesus ductus est in desertum ab Spiritu, ut tentaretur a diabolo.*

7. Convenit recordari quemadmodum de paradiso in desertum Adam primus ejectus sit (*Gen.* III, 24) ; ut advertas quemadmodum de deserto ad paradisum Adam secundus reverterit. Videte enim quemadmodum suis nodis præjudicia resolvantur, et suis divina beneficia vestigiis reformentur. Ex terra virgine Adam (*Gen.* II, 7), Christus ex virgine : ille ad imaginem Dei factus (*Gen.* I, 27), hic imago Dei : ille omnibus irrationabilibus animalibus (*Ibid.*, 28), hic omnibus animantibus antelatus. Per mulierem stultitia (*Gen.* III, 6 *et* 7), per virginem sapientia. Mors per arborem, vita per crucem. Ille spiritalium nudus, arboreis se texit exuviis : hic sæcularium nudus, corporis non desideravit exuvias. In deserto Adam, in deserto Christus ; sciebat enim ubi posset invenire damnatum, quem ad paradisum, resoluto errore revocaret. Sed quoniam sæcularibus indutus exuviis redire non poterat, nec paradisi incola potest esse, nisi nudus a culpa ; exuit veterem hominem, novum induit ; ut quia solvi non queunt divina decreta, persona magis quam sententia mutaretur.

8. Sed qui in paradiso sine duce iter amisit acceptum, quemadmodum de deserto sine duce iter repetere posset amissum, ubi tentationes plurimæ, nisus ad virtutem difficilis, lapsus facilis ad errorem : cum eadem sit virtutis natura, quæ nemorum ; ut si adhuc exigua de terrenis ad superna se subrigunt, dum teneris ætas adolescit frondibus, sævi veneno dentis obnoxia facile aut succidi possit, aut uri : si vero alta se radice fundaverit, et ramorum sublimitate sustulerit, frustra jam vel ferarum morsibus, vel lacertis agrestium, vel diversorum flatuum procellis arbor robusta tentetur.

9. Quem igitur opponeret ducem contra tot illecebras sæculi, contra tot versutias diaboli ; cum sciret nobis primo contra carnem et sanguinem, deinde

tam prima periodi verba scite repeti frequentissimus scriptorum usus palam faciat.

[a] *Ad arborem*, navis scilicet, id est, ad malum. Vide Homer. Odyss. M, ubi fabulæ hujus seriem fuse descriptam reperies.

[b] Rom. edit. sola, *et usu probaretur et sensu*. Infra vero eadem inversis verbis, *sed vox Dei utitur testis officio, cum defertur e cœlo.*

[c] Constat quidem hic textus Matthæi verbis, pro quibus Lucæ verba reposuit Rom. edit. Sed aliarum tamen ac mss. auctoritati standum duximus, præsertim cum nulla sit in sensu diversitas.

Digitized by Google

contra potestates, contra rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ quæ sunt in cœlestibus, esse luctamen? Angelum opponeret? Et ipse lapsus est, et legiones angelorum vix singulis profuerunt. Seraphim dirigeret? Et ipsum descendit in terras in medium populi immunda labia habentis, et unius tantum prophetæ labia, apposito carbone, mundavit (*Esai.* VI, 6 *et* 7). Alius dux requirendus fuit, quem sequeremur omnes. Quis tantus esset dux, qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me supra mundum constitueret, nisi qui major est mundo? Quis tantus esset dux, qui posset masculum et feminam, Judæum et Græcum, Barbarum et Scytham, servum et liberum uno regere ductu; nisi solus qui est omnia et in omnibus Christus?

10. Multi enim laquei quacumque progredimur. Laquei in corpore, laquei in Lege, [a] laquei **1337** in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur a diabolo. Laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus; oculus enim meretricis laqueus est peccatoris: laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis. Exiguis enim momentis mens inclinatur humana, et huc atque illuc [b] per versutias suadentis frequenter impellitur. [c] Videt aliquem diabolus religiosum virum, Deo venerabiliter deferentem, et quod sacrosanctum est æstimantem, nullius capacem injuriæ; in ipsa eum religione supplantat, ut faciat non credere quod Dei Filius vere hanc nostram susceperit carnem, hoc nostrum corpus, hanc nostrorum membrorum fragilitatem; cum utique passio corporis fuerit, divinitas exsors injuriæ manserit. Ita de religione fit culpa; omnis enim qui negat Jesum Christum in carne venisse, de Deo non est (II *Joan.* 7). Videt integrum et illibatæ castimoniæ virum, suadet ut nuptias damnet; quo ejiciatur ab Ecclesia, et studio castitatis a casto corpore separetur. Audivit alius quia *Unus Deus..... ex quo omnia*, adorat, atque veneratur (I *Cor.* VIII, 6). Insidiatur ei diabolus, claudit aures ne audiat, quia *Unus Deus per quem omnia* (*Ibid.*): ita nimia pietate impium esse compellit; ut dum Patrem a Filio separat, Patrem Filiumque confundat, et personam unam putet esse, non potestatem. Itaque dum mensuram fidei nescit, perfidiæ incurrit ærumnam.

11. Quomodo igitur hos laqueos evitabimus; ut possimus et nos dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* CXXIII, 7)? Non dicit: Ego contrivi laqueum: non ausus est hoc dicere David; sed: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Ibid.*, 8); ut ostenderet unde laqueus solveretur;

A ut prophetaret quod venturus esset in hanc … qui contereret laqueum fraude diaboli præp…

12. Sed non potuit melius conteri laqueus, … prædam aliquam diabolo demonstrasset; ut dum … festinat ad prædam, suis laqueis ligaretur, et … possem dicere: *Laqueos paraverunt pedibus* … *ipsi inciderunt in eos* (*Psal.* LVI, 7). Quæ potuit … præda, nisi corpus? Oportuit igitur hanc fraudem diabolo fieri, ut susciperet corpus Dominus Jesus, et corpus hoc corruptibile, corpus infirmum; ut crucifigeretur ex infirmitate. Si enim fuisset corpus spiritale, non dixisset: *Spiritus promptus est, carnem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). Audi igitur utramque vocem, et spiritus prompti, et carnis infirmæ: *… ter, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Ibid.*, … B hæc carnis est vox. *Sed non quod ego volo, sed … tu vis*: [d] habes devotionem spiritus et vigorem. … repudias dignationem Domini? Dignationis est … suscepit corpus meum, dignationis est quod … injurias meas, suscepit infirmitates meas, quas… que natura Dei sentire non potuit, cum etiam … tura hominis contemnere didicerit, vel sustinere … perpeti. Et ideo sequamur Christum, juxta … scriptum est: *Post Dominum Deum tuum ambula … et ipsi soli adhærebis* (*Deut.* X, 20, *et* XIII, 4). … adhærebo, nisi Christo, sicut Paulus dixit: … *adhæret Domino*, **1338** *unus spiritus est* (I *Cor.* … 17)? Illius igitur, de deserto ut ad paradisum … possimus, vestigia persequamur.

13. Et videte quibus itineribus reducamur. … C in deserto Christus est, agit hominem, instruit, … format, exercet, ungit oleo spiritali: ubi videt … stiorem, per sata et fructuosa transducit, … querebantur Judæi (*Matth.* XII, 2) quod discipuli ejus sabbato de segete spicas vellerent (jam enim apostolos suos in agro culto, et fructuoso … collocaverat); postea in paradiso constituit tempore passionis; sic enim habes: *Hæc cum dixisset Jesus, … cum discipulis suis transivit trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse cum discipulis …* (*Joan.* XVIII, 1). Agro enim fecundo hortum esse … rem docet Propheta in Canticis canticorum dicens: *Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, … signatus, emissiones tuæ paradisus* (*Cant.* IV, 12 *et* 13). Illa est enim animæ pura et immaculata virginitas, D quæ nullo terrore pœnarum, nullis a fide sæcularis voluptatis illecebris, nullo vitæ amore transducitur. Denique virtute Domini hominem esse revocatum præ cæteris hic Evangelista testatur, qui solus induxit Dominum dicentem latroni: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43).

14. Plenus igitur Jesus Spiritu sancto agebatur in desertum: consilio, ut diabolum provocaret; nam …

[a] Non obscura videtur allusio fieri ad illud Eccli. IX, 20: ἐπιγνῶθι ὅτι ἐν μέσῳ παγίδων διαβαίνεις, καὶ ἐπάλξεων πόλεων περιπατεῖς.

[b] Edit. ac pauci mss., *pro versutia suadentis.*

[c] Hic potissimum triplex indicatur error in quem pietatis specie non pauci misere præcipitantur. Primus autem ac secundus ad errorem Manichæorum pertinet, tertius ad Sabellianorum.

[d] Edit. Amerb. cum tribus mss. iisque recentioris manus: *Habes quemadmodum devotionem docemus spiritum.* Mss., *spiritus*, etc.

Digitized by Google

nisi ille certasset, non mihi iste vicisset : mysterio, ut Adam illum de exsilio liberaret : exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere ; et tunc magis esse cavendum, ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas.

(Vers. 2.) *Quadraginta* autem *dies*.

15. Mysticum numerum recognoscis. Tot enim diebus aquas abyssi effusas esse meministi (*Gen.* VII, 12), et tot jejunio dierum sanctificato propheta, refusam cœli serenioris esse clementiam (III *Reg.* XIX, 8). Tot jejunio dierum sanctus Moyses perceptionem Legis emeruit (*Exod.* XXXIV, 28). Tot annos in eremo constituti patres panem angelorum et cœlestis alimoniæ gratiam consecuti sunt (*Num.* XIV, 32) : nec antequam mystici numeri tempus explerent, terram repromissionis intrare meruerunt. Tot jejunio dierum Domini nobis in Evangelium patescit ingressus. Unde si quis Evangelii gloriam, fructumque resurrectionis optat adipisci, mystici jejunii prævaricator esse non debet ; quod et in Lege Moyses, et in Evangelio suo Christus utriusque Testamenti auctoritate præscripsit fidele virtutis esse certamen.

16. Quid vero sibi vult quod Evangelista Dominum esurisse significavit, cum de Moysi atque Eliæ jejunio nihil tale videamus expressum? Numquid hominum patientia Deo fortior est? Sed qui quadraginta diebus esurire non potuit, ostendit non cibum esurisse se corporis, sed salutem : simul ut adversarium lacesseret jam timentem, qui quadraginta dierum fuerat jejunio vulneratus. Et ideo fames Domini pia fraus est ; ut in quo diabolus majora metuens jam cavebat, [a] famis specie lactatus tentaret ut hominem, ne **1339** impediretur triumphus. Simul illud disce mysterium, sancti Spiritus opus hoc divinum fuisse judicium ; ut tendandum se diabolo Christus offerret.

(Vers. 3.) *Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.*

17. Tria præcipue docemur esse tela diaboli, quibus ad convulnerandam mentem hominis consuevit armari: gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium. Inde autem cœpit, unde jam vicit. Et ideo inde incipio in Christo vincere, unde in Adam victus sum; si tamen mihi Christus imago Patris, virtutis exemplum sit. Discamus igitur cavere gulam, cavere luxuriam, quia telum est diaboli. Laqueus tenditur cum mensa regalis convivii præparatur, quæ constantiam sæpe mentis inclinat. Non solum enim cum audimus verba diaboli, sed etiam cum videmus ejus copias, laqueum vitare debemus. Didicisti igitur diaboli telum, sume scutum fidei, loricam abstinentiæ.

18. Sed quid sibi vult talis sermonis exorsus : *Si Filius Dei es;* nisi quia cognoverat Dei Filium esse venturum ? sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat. Aliud explorantis, aliud tentantis est; et Deo se profitetur credere, et homini conatur illudere.

19. Sed vide arma Christi quibus tibi, non sibi vicit. Nam qui majestate sua lapides in panem posse converti naturæ alterius transfusione monstravit, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio, nec declarandæ virtutis contemplatione faciendum. Simul in ipsa tentatione artificem diaboli disce versutiam. Sic tentat, ut exploret : sic explorat, ut tentet. Contra Dominus sic fallit, ut vincat : sic adhuc vincit, ut fallat. Nam si convertisset naturam, prodiderat Creatorem. [b] Medie ergo respondit dicens :

(Vers. 4.) *Scriptum est quoniam non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei.*

20. Vides quo genere utatur armorum, quo hominem a spiritalis nequitiæ incursione defendat, adversus irritamenta gulæ septum atque munitum? Non enim quasi Deus utitur potestate (quid enim mihi proderat), sed quasi homo commune sibi arcessit auxilium; ut divinæ pabulo lectionis intentus famem corporis negligat, alimentum verbi cœlestis acquirat. Huic intentus Moyses panem non desideravit : huic intentus Elias famem prolixioris non sensit jejunii. Non enim potest qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cum substantiam panis cœlestis accipiat; humanis enim divina præstare non dubium est, et corporalibus spiritalia. Et ideo qui vitam veram desiderat, [c] illum panem expetat, qui per insensibilem substantiam humana corda confirmat. Simul cum dicit : *Non in pane solo vivit homo*, ostendit hominem esse tentatum, hoc est, susceptionem nostram, non suam divinitatem.

**1340** 21. [d] Sequitur jactantiæ telum, quo proclive delinquitur; quia dum homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum et statione decedunt.

(Vers. 9.) *Et duxit illum*, inquit, *in Hierusalem, et statuit eum supra pinnam templi.*

22. Ita est enim jactantia, ut dum se putat unusquisque ad altiora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trudatur.

*Et dixit illi : Si Filius Dei es, mitte te deorsum.*

23. Vere diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quam suadere ut unusquisque se mittat deorsum?

24. Disce ergo et tu diabolum vincere. Agit te spiritus, sequere spiritum : Non te revocet carnis illecebra, spiritu plenus disce contemnere voluptates. Jejuna, si vis vincere. Consequens est ut per hominem diabolus te putet esse tentandum : Christus quasi fortior, facie ad faciem tentatur, tu per homi-

[a] Mss. aliquot, *famis specie jactatus*. Melius nonnulli alii, *lætatus*. Optime autem reliqui cum edit. *lactatus*. Et post pauca edit. Era. et seq. cum duobus mss., *Spiritus opus, hoc est, divinum*, etc. Edit. Amerb. cum aliis scriptis cod. ut in textu.

[b] Edit. quædam Paris., *Merito ergo respondit*. Aliæ et cuncti mss. commodius, *Medie*, etc., id est, responsionem sic temperavit, ut et diabolum vinceret, nec suam aperiret divinitatem.

[c] Mss. bene multi, *illum panem exspectat*, nonnulli .... *exspectet*. Alii, ac edit., ... *expetat*.

[d] Rom. edit, *Hoc quidem est jactantiæ, ut dum*, etc.

Digitized by Google

nem. Et illud diaboli verbum est, [a] cum dicit homo: Fortis es, manduca et bibe, et similis mane. Noli te tibi credere, non erubescas egere præsidiis, quibus non egebat Christus; et tamen ea non negligebat, ut te doceret dicens: *Cavete ne gravetur cor vestrum in vino et crapula* (*Luc.* xxi, 34). Non erubuit Paulus, qui ait: *Sic certo, non ut aera cædens* (I *Cor.* ix, 26). Aera quidem non cædebat Apostolus: sed potestates aeris verberabat. *Sed castigo*, inquit, *corpus meum, et servituti redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar* (*Ibid.*, 27).

25. Simul infirmitatem suam diabolus malitiamque designat; [b] quia nemini potest nocere diabolus, nisi ipse se miserit. Nam qui relictis cœlestibus, eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit. Simul quoniam telum suum diabolus B vidit obtusum, qui omnes homines propriæ subjecerat potestati, plus cœpit quam hominem judicare. Sed Dominus rursus nec ea quidem quæ de se fuerant prophetata ad arbitrium diaboli putavit esse facienda: sed divinitatis propriæ auctoritate servata, versutiæ ejus occurrit; ut quia Scripturarum exemplum prætenderat, Scripturarum vinceretur exemplis. Potestas enim Deo vincere, [c] qui mihi vincit.

26. Disce hic quoque quia Satanas transfigurat se velut angelum lucis, et de Scripturis ipsis divinis sæpe laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, sic eviscerat fidem, sic jura pietatis impugnat. Ergo non te capiat hæreticus; quia potest de Scripturis aliqua exempla proferre, nec sibi arroget quod doctus videtur. Utitur et diabolus testimoniis Scriptu- C rarum non ut doceat, sed ut circumscribat et fallat. Cognovit aliquem attentum religioni, virtutibus clarum, signis et operibus præpotentem: jactantiæ tendit laqueum, ut hujusmodi virum inflet tumore;

1341 quo pietati se non credat, sed credat jactantiæ: nec Deo deputet, sed sibi arroget. Ideoque apostoli non in suo, sed in Christi nomine dæmoniis imperabant; ne arrogare sibi aliquid viderentur. Sic Petrus [d] paralyticum curat dicens: *In nomine Jesu Nazareni surge, et ambula* (*Act.* iii, 6). Disce etiam de Paulo jactantiam fugere. *Scio*, inquit, *hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, et audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem non gloriabor, nisi in infirmi-* D *tatibus meis* (II *Cor.* xii, 3-5).

27. Ergo et hic diabolus, quoniam fortem sensit, jactantiam prætendit, quæ etiam fortes decipit: sed A Dominus respondit ei: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. In quo et Dominum et Deum Christum: et Patrem et Filium potestatis unius esse cognoscis, juxta quod scriptum est: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Et ideo si *Unum* obtendit diabolus, occurre ei quia scriptum est: *Ego et Pater unum sumus*. Et distingue *Unum*, [e] ne potestatem discernas: distingue *Unum*, ne Patrem Filiumque secernas.

(Vers. 5.) *Et duxit illum diabolus iterum in montem altissimum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.*

28. Bene in momento temporis sæcularia et terrena monstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, B et sæpe honor sæculi abit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? Docemur hic inanis ambitionis fastus despicere, quod omnis dignitas sæcularis diabolo subjaceat potestati: ad usum fragilis, et inanis fructum.

29. Sed quomodo hic dat diabolus potestatem: et alibi legitur, quia *Omnis potestas a Deo est* (*Rom.* xiii, 1)? Numquid potest quis duobus dominis servire, aut a duobus accipere potestatem? Numquid ergo contrarium est? Minime. Sed vide quia omnia a Deo; neque enim sine Deo mundus; quia *Et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* i, 10): sed licet a Deo factus sit; tamen opera ejus mala, quia sæculum in maligno positum est; et ordinatio mundi a C Deo, opera mundi a malo (*Joan.* v, 19). Ita etiam a Deo potestatum ordinatio: a malo ambitio potestatis. Denique: *Non est*, inquit, *potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*Rom.* xiii, 1): non datæ, sed ordinatæ: et, *Qui resistit potestati Dei*, inquit, *ordinationi resistit* (*Ibid.*, 2). Hic quoque licet dicat dare se diabolus potestatem, omnia tamen illa ad tempus permissa sibi esse non abnuit. Itaque qui permisit, ordinavit: nec potestas mala, sed is qui male utitur potestate. Denique, *Vis non*

1342 *timere potestatem? Fac bonum, et habebis laudem ex illa* (*Ibid.*, 3). Non ergo potestas mala, sed ambitio. Denique eo usque a Deo ordinatio potestatis; ut Dei minister sit, qui bene utitur potestate: *Dei*, inquit, *minister est tibi in bonum* (*Ibid.*, D 4). Non ergo muneris aliqua culpa est, sed ministri: nec Dei potest ordinatio displicere, sed administrantis actio. Nam ut de cœlestibus ad terrena derivemus exemplum, dat honorem imperator, et

[a] Omnes edit. ac mss. nonnulli, *cum dicit*: *Homo, fortis esto, et similis mane*, ultimæ Paris. edit., *et si mali mane*. Sed mss. de meliori nota et majori numero, *cum dicit homo*: *Fortis es*, etc. Melius; hoc enim refertur ad superius illud: *Consequens est ut per hominem diabolus te putet esse tentandum.*

[b] Rom. edit. [solà] *quia [neminem] potest mittere deorsum.*

[c] Omnes edit. ac mss. non pauci, *Scriptura mihi vincit*. At mss. melioris notæ, *qui mihi vincit.*

[d] Sic omnes mss. ac vet. edit. Rom. vero, *claudum curat*. Sed quid si eum ex paralysi, seu resolutione nervorum claudicasse ratus est noster Ambrosius?

[e] Edit. Rom., *non ut potestatem discernas, sed ut Patrem Filiumque secernas*. Perspicuus sensus, si quo mss. aut aliarum edit. præsidio firmaretur. Veterem igitur lectionem interpretamur in hunc modum: Accipe vocem, *unum*, eo consilio positam, ne Patris ac Filii potestatem distinguas, vel aliam personam ab alia separes; nam ut ait Hilar. vii de Trinit.: *In divinis personis nihil diversum .... nihil separabile*, etc., cum Pater in Filio, et Filius in Patre sit unitate naturæ. Quæ fusius explicat ipsemet Ambrosius lib. i de Fide, cap. 2.

Digitized by Google

habet laudem. Quod si quis male honore usus fuerit, non imperatoris est culpa, [a] sed judicis. Habeat reum suum crimina, non quia potestas unumquemque, sed malitia sua implicat.

30. Quid ergo? Bonum est uti potestate, studere honori? Bonum si deferatur, non eripiatur. Distingue tamen hoc ipsum bonum. Alius enim bonus in sæculo, alius perfectæ virtutis usus; bonum est enim cognoscendæ divinitatis studium, nullis occupationibus impediri. Nam etsi multa bona, una tamen est vita æterna: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Et ideo vitæ æternæ maximus fructus, et solus Deus vitæ remunerator æternæ est. Solum Deum et Dominum nostrum adoremus, et ipsi soli serviamus; ut solus ipse nos fructu remuneret amplissimo. Fugiamus omnia quæ diabolicæ subjacent potestati; ne tamquam malus tyrannus in eos, quos intra suum regnum invenerit, acceptæ sævitia potestatis utatur.

31. Non ergo a diabolo potestas est, sed obnoxia tamen insidiis diaboli. Nec tamen ideo mala ordinatio potestatum, quia malo obnoxiæ potestates. Bonum est enim Deum quærere, sed quidam ipsius inquisitionis anfractus et error obrepit. Nam si inquisitor in sacrilegium sæva interpretatione vertatur, in deterius vertitur quærentis [b] offensa, quam si non quæsisset: nec tamen inquisitionis, sed quæsitoris est culpa: nec inquisitio obnoxia malo, sed quærentis affectus. Quod si is qui Deum quærit, propter fragilitatem carnis, et mentis angustias sæpe tentatur; quanto magis qui sæculum quærit obnoxius est! Atque hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum; et sæpe quos [c] vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus: et ut dominetur aliis, prius servit. Curvatur obsequio, ut honore donetur: [d] et dum vult esse sublimior simulata humilitate, fit vilior, et fit remissior; cum in ipsa potestate, quod præcellit, alienum sit; legibus enim imperat, sibi servit.

32. Dicet fortasse aliquis, quia solus qui malum fecerit, timet; tamen qui mare navigat, plus timet. Et contra in immobili terrarum statione 1343 consistens, non solet timere naufragium: at si mobile conscendat elementum, frequentioribus obnoxius fit periculis. Fuge ergo sæculi mare, et naufragium non timebis. Et si frequenter arborum vertices spirantium verberent flabra ventorum; solidatis tamen

A radicibus nullus occasus est: at in mari furentibus ventis, etsi non omnium naufragium, omnium tamen periculum est. Ita enim adversis flatibus nequitiæ spiritalis, nullus in arena vel in salo tutus est, et naves Tharsis vehementi sæpe spiritu conteruntur. Hæc moraliter.

33. Cæterum quod ad mysticum ordinem spectat, cernis vetusti erroris vincula suis resoluta vestigiis; ut primo gulæ, [e] secundo facilitatis, tertio ambitionis laqueus solveretur. Pellectus est enim Adam cibo: [f] et in locum interdictæ arboris sententiæ facilitate transgressus, temerariæ quoque ambitionis crimen incurrit, dum similitudinem divinitatis affectat. Et ideo prius Dominus veteris nexus solvit injuriæ; ut nos jugo captivitatis excusso, vincere crimina

B Scripturarum præsidio disceremus.

34. Quod si Dominus Jesus propria non desideravit, tu aliena cur quæras? Si creator omnium sæculi gloriam, subeundæ paupertatis virtute contempsit: cur tu fastidias quod natus es, appetas quod indebitum est? Cur ea quæ ad usum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? Cave insidias, cave fraudes. Et hoc ipso quod ad subruendum hominem totum versuta diabolus mundum fraude concutiat, totius sæculi pugnet illecebris, ejus tibi blanditia plus cavenda est. Non Evam cibus inflexerat, non mandatorum oblivio destituerat: sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Quæ si solum Dominum adorare voluisset, indebita non quæsisset. Et ideo remedium datur quo

C telum ambitionis obtundas, ut soli Domino serviamus; caret enim ambitione religiosa devotio.

(Vers. 13.) *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.*

35. Prope omnium criminum fontes hæc tria genera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset; nisi in his tribus esset omnium materia delictorum, quorum semina in ipsa origine sunt cavenda. Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum; quia causæ tentationum causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ. Quam religiosum videtur ut [g] commorationem christianæ feminæ non recuses! Sed crebra inde tentatio. Si attentos Deo viderit diabolus, suggerit ut decipiat: sed tu quamvis de

D proposito præsumas, cave tentationem, sciens naturam. Hæc tria, si recorderis, etiam Paulus cavenda præscribit, designans tres esse species peccatorum, a quibus liber exspectat justitiæ coronam.

[a] Rom. edit. sola, *sed utentis*. At hic agi de judiciaria potestate liquido probant superiora.

[b] Hæc verba, *Quam si non quæsisset*; et inferiora illa, *obnoxius est*, edit. Rom. rejecerat; sed cum in vet. edit. ac mss. omnibus inveniantur, eadem non restituere in integrum religio fuit.

[c] Eadem Rom. edit. sola, *vitia nulla deflectunt*; et post pauca cum reliquis edit. ac paucis mss., *domesticum periculum*; sed mss. plures et potiores, *domesticum scelus*. Magis apposite ad antecedentia, *facit ambitio criminosos*.

[d] Edit. omnes ac mss. aliquot, *Et dum vult esse sublimior, fit remissior*. Quæ vero interjiciuntur, e novem optimis codicibus restituta sunt.

[e] *Secundo facilitatis*. Per facilitatem designari jactantiam ac vanitatem ex superioribus manifestum est: nec immerito sane; cum hoc vitium e quadam animi facilitate levitateque oriatur.

[f] Ita mss. atque ant. edit. in corpore summo consensu. Rom. autem, *et in esum interdictæ arboris*, etc.; quod illa e margine edit. Era. ac Gill. transtulit in textum.

[g] Mss. nonnulli cum edit. Amerb., Era. et Paris.,

Digitized by Google

*Neque enim*, inquit, *in verbo adulationis fuimus, ne-* A *que in occasione avaritiæ*, *Deus testis est*, **1344** *neque gloriam quærentes ab hominibus* ( I *Thess.* II, 5 *et* 6 ); et ideo diabolum vicit, coronam petivit.

36. Vides ergo ipsum diabolum non esse in studio pertinacem, cedere solere veræ virtuti. Et si invidere non desinat, tamen instare formidat; quia frequentius refugit triumphari. Audito itaque Dei nomine, *Recessit*, inquit, *usque ad tempus;* postea enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit.

37. Docet igitur te Scriptura divina non tibi contra carnem et sanguinem, sed contra insidias spiritales esse certamen (*Ephes.* VI, 12). Vides magnificentiam christiani viri, qui certat cum rectoribus mundi: et licet constitutus in terris, adversus spiritalia nequitiæ B quæ sunt in cœlestibus, animi virtute decernit. Non enim de terrenis contendimus, ut dimicemus in terra: sed spiritalibus propositis præmiis, de regno Dei et Christi hæreditate necesse est spiritalia prius impedimenta superentur. Corona proposita est, subeunda certamina sunt. Nemo potest, nisi vicerit, coronari: nemo potest vincere, nisi ante certaverit. Ipsius quoque coronæ major est fructus, ubi major est labor: *Arcta* enim *et angusta est via*, *quæ ducit ad vitam . . . . lata vero et spatiosa*, *quæ ducit ad mortem* ( *Matth.* VII, 14 *et* 13 ). Et ideo tentationem neutiquam timere debemus; est enim causa victoriæ, materia triumphorum.

38. Dives ille, qui tentationem non sensit in sæculo, in pœnis est apud inferos: pauper ille Lazarus C qui ita paupertate morboque afflictus est et attritus, ut vibices ejus a canibus lamberentur, vitæ istius labore miserabilis, coronam gloriæ quæsivit æternæ (*Luc.* XVI, 22). *Multæ* enim *tribulationes*, non quorumcumque, sed *justorum* ( *Psal.* XXXIII, 20). Denique quos diligit Dominus, sæpe castigat (*Hebr.* XII, 6). Petrus tentatus est, ut negaret: negavit, ut fleret ( *Luc.* XXII, 57 *et seq.* ). Et quid de cæteris dicam? Nempe Job erat probatus Deo: sed licet probatus erat; victor tamen non erat ( *Job.* I, 12, *et* II, 6 ). Probata erat devotio; virtutis tamen præmium non habebat. Et ideo tentandus offertur, ut gloriosior redderetur.

39. Illius quoque certaminis refert ut gradum species. Non unum telum diabolus habet, frequentat spicula; ut aut præmio vincat, aut tædio. Primo cupiditate vulnerat, secundo pietate, tertio sanitate; mentis enim pariter et corporis pugnat ulceribus. Diversitas quoque ipsa tentationum pro diversitate certantium est. Avaritiæ damno dives urgetur, pater dispendio filiorum, homo doloribus, corpus ulceribus. Quanta hæc tela! Unde Dominus noluit habere quod perderet; et ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus, quod auferret. Vis scire quam verum sit? Ipsum Dominum dicentem audi: *Venit hujus mundi princeps, et in me invenit nihil* (*Joan.* XIV, 30). Noluit etiam paucorum esse pater, ut esset omnium. Frustra autem corporis tentaretur ulceribus, qui contemneret omnes corporis passiones: simul ut ostenderet nobis quod immaculata, corporis hoste depulso, victoria sibi deberetur. Sed ille quasi homo suis tentatur, hic publicis: illi patrimonium aufertur, huic regnum orbis offertur. Nec totus **1345** sine fraude diabolus, qui exasperare Dei Filium vereretur: illum injuriis tentat, hunc præmiis. Ille quasi servulus dicit: *Dominus dedit*, *Dominus abstulit* ( *Job.* I, 21 ): hic naturæ suæ dispositionis conscius sua sibi ridet offerri. Et ut ad illud revertamur, ingruit nuntius super nuntium ( *Ibid.*, 14 *et seq.* ), congeminant vulnera: nec tamen fortis atque stabilita mente turbatur. Adhibetur mulier primæ fraudis illecebra (*Job.* II, 9): hic per virginem natus culpam obnoxiam non habebat. Amici adhibentur qui pravis consiliis opprimant reluctantem. Sed *in omnibus quæ acciderunt ei*, *nusquam peccavit Job labiis suis in conspectu Dei* (*Ibid.*, 10).

40. Nam quod maledicit diei, dicens: *Pereat dies illa in qua natus sum* (*Job* III, 3); et infra: *Et maledicat ei is qui maledixit diem illam*, *qui habet magnum cetum opprimere* (*Ibid.*, 8), ad prophetiam pertinet; eo quod diabolum tamquam procellosi sæculi istius cetum Dominus noster Jesus Christus oppressit: et generationis suæ carnalis diem perire desiderat; ut dies ejus in regeneratione numeretur. Pereat, inquit, dies sæcularis, ut dies spiritalis oriatur. Ergo in tentatione sanctus Job mysteria loquebatur; qui enim vincebat sæculum, Christum videbat.

41. Nos igitur non timeamus tentationes, sed magis tentationibus gloriemur, dicentes: Cum infirmamur, tunc potentes sumus; tunc enim nectitur corona justitiæ (II *Cor.* XII, 10). Sed illa Paulo fortassis D accommoda: nos autem quia plures coronæ sunt, quamcumque sperare debemus. In sæculo laurus corona est, [a] corona est scutum. At vero tibi propo-

*commemorationem christianæ feminæ.* Commodius reliqui cod. scripti ac editi, *commorationem*, id est, frequentiora et longiora colloquia, nimiamque familiaritatem.

[a] Quidam interpretes in Psal. V, vers. 13, tradunt post D. Thomam in more antiquis fuisse, ut in curru victores scuto capiti superposito coronarentur, antequam coronarum usus inolevisset. Sed cum rara hujus rei exstent vestigia, quomodo scutum corona dicatur, multis hæret aqua. Et certe Hieronymus in eumdem locum diserte, *apud sæculum*, inquit, *aliud est scutum, aliud corona.* Unde cum ipse tum alii post Origenem ad spiritalem sensum confugiunt. Ambrosius tamen non solum hoc loco, sed et lib. III Hexaem. cap. 14, num. 60, scutum coronis, hoc est, victoriæ præmiis, annumerat. Illic enim posteaquam vitis folium scuti similitudine descripsit, subdit deinde: *Etenim bravii speciem videtur effingere.... innascitur species et prærogativa victoriæ. Secum igitur habet bravium suum quo et munimen sibi præbetur*, etc. Et huc etiam facit, quod in eumdem citati Psalmi versum dicit Cassiodorus, *Clypeus impositus capiti corona est*, *aptatus cordi defensio*. Nec forte aliam ob causam scuta in columna Trajani coronis insignita visuntur, licet hujus rei rationem nonnihil diversam reddat Lipsius in Anal. ad lib. de Magn. Rom.

Digitized by Google

sita est corona deliciarum : *Corona* enim *deliciarum* A *obumbrabit te* (*Prov.* IV, 9). Et alibi : *Scuto bonæ* [a] *voluntatis suæ circumdabit te* (*Psal.* V, 13). Gloria quoque et honore quem dilexit Dominus, coronavit (*Psal.* VIII, 6). Ergo qui vult coronam dare, tentationes suggerit. Et si quando tentaberis, cognosce quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tulisti coronas : tolle cruciatus, tulisti beatitudines.

42. Nonne tentatio Joseph [b] virtutis est consecratio? Nonne injuria carceris corona est castitatis? Quemadmodum regni in Ægypto consortium potuisset adipisci, nisi venditus fuisset a fratribus? Quod Dei factum arbitrio, ut justus probaretur, ipse monstravit, dicens : *Quemadmodum fieret in hodierno, ut pasceretur populus multus* (*Gen.* L, 20)? Non debemus igitur tentationes sæculi pro malis timere, qui- B bus bona præmia comparantur : sed magis rogare contemplatione conditionis humanæ ; ut eas tentationes subeamus, quas ferre possimus.

(Vers. 14.) *Et regressus est Jesus in virtute Spiritus, in Galilæam.*

43. Completur hoc loco prophetia Esaiæ dicentis : *Regio Zabulon, et terra Nephthalim, et cæteri paraliam inhabitantes*, [c] *et qui secus maritima, et* **1346** *trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in umbra mortis, lucem viderunt magnam* (*Esai.* IX, 1 *et* 2). Quis est enim lux magna, nisi Christus qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?

44. (Vers. 17.) Deinde librum accepit, ut ostenderet se ipsum esse qui locutus est in Prophetis : et removeret sacrilegia perfidorum, qui alium Deum C dicunt veteris Testamenti, alium novi : vel qui initium Christi dicunt esse de virgine : quomodo enim cœpit ex virgine, qui ante virginem loquebatur?

(Vers. 18.) *Spiritus Domini super me.*

45. Vides Trinitatem coæternam atque perfectam. Ipsum loquitur Scriptura Jesum Deum hominemque, in utroque perfectum : Deum loquitur et Patrem, et Spiritum sanctum. Spiritus enim sanctus cooperator ostenditur, quando corporali specie sicut columba descendit in Christum ; cum Dei Filius baptizaretur in fluvio, Pater loqueretur e cœlo. Quod igitur majus quærimus testimonium, quam quod se fuisse qui locutus est in Prophetis, propria voce signavit? Ungitur oleo spiritali, et virtute cœlesti ; ut paupertatem conditionis humanæ thesauro resurrectionis rigaret D æterno, captivitatem mentis averteret, cæcitatem illuminaret animorum, annum Domini perpetuis diffusum temporibus prædicaret, qui redire in orbem laboris nesciat, continuationem fructus hominibus et quietis indulgeat. Atque ille ita ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium : nos vero impii, qui divinitatis fidem miraculis operum colligendam contemplatione corporis negabamus.

(Vers. 24.) *Amen dico vobis quod nemo propheta acceptus est in patria sua.*

46. Non mediocriter invidia proditur, quæ civicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et oraculo declaratur quod frustra opem misericordiæ cœlestis exspectes, si alienæ fructibus virtutis invideas ; aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. Dominicæ quippe carnis actus divinitatis exemplum est : et invisibilia nobis ejus per ea quæ sunt visibilia demonstrantur.

47. Non otiose itaque salvator excusat quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit ; ne fortassis aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum. Neque enim cives poterat non amare, qui amaret omnes ; sed ipsi se charitate patriæ, qui invident, abdicarunt ; *Charitas* enim *non æmulatur..... non inflatur* (I *Cor.* XIII, 4). Nec tamen exsors beneficiorum patria divinorum est. Quod enim majus miraculum, quam quod [d] in ea natus **1347** est Christus? Videte igitur quid mali invidia afferat. Indigna propter invidiam patria judicatur, in qua civis operetur, quæ digna fuit [e] in qua Dei Filius nasceretur.

(Vers. 25.) *In veritate dico vobis : Multæ viduæ fuerunt in diebus Eliæ.*

48. Non quia Eliæ dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est : aut quia dies faciebat illis, qui in ejus operibus lucem videbant gratiæ spiritalis, et convertebantur ad Dominum. Et ideo aperiebatur cœlum videntibus æterna et divina mysteria : claudebatur quando fames erat ; quia nulla erat cognoscendæ divinitatis ubertas. Sed de hoc plenius scripsimus, cum de Viduis scriberemus (*Lib. de Viduis*).

(Vers. 27.) *Et multi leprosi erant in Judæa temporibus Elisæi prophetæ : et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*

49. Evidenter hic sermo nos Domini salutaris informat, et ad studium venerandæ divinitatis hortatur, quod nemo sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. Et bene apto comparationis exemplo arrogantia civium retunditur invidorum, Dominicumque factum Scripturis doce-

[a] Rom. edit., *voluntatis tuæ coronasti nos : et scuto circumdabit te.*

[b] Eadem Rom. edit., *virtutis est celebratio.*

[c] *Et qui secus maritima* deleta fuerant in Rom. edit., neque omnino male, cum in superioribus illis *paraliam inhabitantes*, comprehendantur ; sed tamen reperiuntur in omnibus mss. ac vet. edit. Et potuit Ambrosius quæ Græca dictione signaverat, continuo Latinis verbis explicare.

[d] Quod Christus de patria in qua educatus fuerat, dicit, id etiam ad patriam quæ ipsum nascentem susceperat, extendit Ambrosius. Nec sane injuria, quando illic etiam nullum a Christo miraculum legamus perpetratum.

[e] Rom. edit., *ut Dei Filius conciperetur ;* aliæ ac mss. omnes ,..... *nasceretur.* Sane conceptio nativitas est inchoata.

Digitized by Google

tur veteribus convenire, quod in libris quoque Regnorum legimus gentilem virum Naaman prophetico oraculo lepræ maculis absolutum, cum plurimos Judæorum lepra corporis pariter et mentis absumeret (IV *Reg.* v, 14). Siquidem quatuor illos qui cogente fame, in castra regis Syriæ primi tetenderunt, tradit historia fuisse leprosos (IV *Reg.* vii, 3). Cur igitur non curabat fratres, non curabat cives, non sanabat propheta consortes; cum sanaret alienos, sanaret eos qui observantiam Legis, et religionis consortium non habebant : nisi quia voluntatis est medicina, non gentis; et divinum munus votis eligitur, non naturæ jure defertur? Disce, Christiane, rogare quod cupias impetrare : fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur.

50. Sed quamvis simplex expositio moralem informet affectum; gratia tamen non est occulta mysterii. Etenim cum posteriora a superioribus deriventur, tum etiam superiora posterioribus astruuntur (*Lib. de Viduis*). Diximus enim in libro alio, in vidua illa ad quam Elias directus est, typum Ecclesiæ præmissum. [a] Populus Ecclesiam congruit, ut sequatur. Populus ille ex alienigenis congregatus, populus ille ante leprosus, populus ille ante maculosus prius quam mystico baptizaretur in flumine, idem post sacramenta baptismatis maculis corporis et mentis ablutus, jam non lepra, sed immaculata virgo cœpit esse sine ruga. Merito ergo magnus Naaman in conspectu Domini sui, et admirabilis facie describitur; quoniam in ejus typo salus futura gentibus declaratur, [b] qui solutæ consilio puellæ, quæ fractis viribus civium, in hostilem captiva venerat potestatem, a propheta salutem **1348** sperare commonitus (IV *Reg.* v, 2), non terreni regis imperio, sed divinæ misericordiæ liberalitate sanatur.

51. Cur mystico numero mergere jubetur? Cur Jordanis fluvius eligitur? *Nonne boni*, inquit, *Abana et Pharphar fluvii Damasci præ Jordane* (*Ibid.*, 12)? Sed iratus hos prætulit, Jordanem meditatus elegit; nescit enim ira mysterium, fides novit. Disce baptismatis gratiam salutaris : qui leprosus merserat, fidelis emersit. Disce spiritalia sacramenta signari : corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur caro, affectus abluitur. Non enim magis corporis quam mentis lepram video fuisse mundatam; quando post baptismum, veteris erroris colluvione detersa, negat se diis alienis hostias, quas spoponderat Domino, litaturum (*Ibid.*, 17).

52. Disce etiam congruæ præcepta virtutis : probavit fidem, qui præmia recusavit. Disce utroque dictorum factorumque magisterio quid sequaris. Habes Domini præceptum, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare : nec vendere ministerium, sed ef-fugere (*Matth.* x, 8). Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis.

53. Non tamen satis est si lucrum ipse non quæras : familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus : nec hoc solum exposcimus, ut te solum castum immaculatumque custodias. Non enim dixit Apostolus, te solum : sed, *Te ipsum castum custodi* (I *Tim.* v, 22). Quæritur ergo non solum tua ab hujusmodi nundinis, sed etiam domus tuæ castitas : *Oportet enim irreprehensibilem esse sacerdotem..... suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit* (I *Tim.* iii, 2-5)? Instrue ergo familiam tuam, hortare, custodi : et si te fefellerit servulus (humanæ enim non excipio facultatem) prophetico deprehensus repudietur exemplo. Cito (1, q. 1, *cap. Cito*) turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia corpus animumque male quæsita commaculat. *Accepisti*, inquit, *pecuniam, et possidebis ex ea agrum, et vineam, et oliveta, et greges :* [c] *et lepra Naaman applicabit se in te, et semini tuo usque in æternum* (IV *Reg.* v, 26 *et* 27). Vides quia facto auctoris successio damnatur heredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, et gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros. Denique Moabitæ et cæteri non intrabunt in Ecclesiam Dei usque ad tertiam et quartam generationem (*Deut.* xxiii, 3) : tamdiu videlicet (ut simplicius interpretemur) donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret.

54. Sed cum illi qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse multati : profecto durior videtur esse sententia qua Giezi semen usque in æternum pro cupiditate habendi, prophetica auctoritate damnatur, præsertim cum Dominus noster Jesus Christus per lavacri regenerationem omnibus remissionem dederit peccatorum; nisi ut vitiorum magis quam generis semen intelligas. **1349** Sicut enim qui filii promissionis sunt, æstimantur in semen bonum : ita etiam qui filii erroris sunt, æstimantur in semen malum. Nam et Judæi ex patre diabolo, non utique carnis successione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari Giezi lepram cum divitiis suis possident : et male quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt æterno supplicio, et brevi fructu. Nam cum divitiæ sint caducæ, pœna perpetua est; quia neque avarus, neque ebriosus, neque idolis serviens regnum Dei possidebit.

[a] Edit, omnes cum mss. quatuor infimæ ætatis, *Populus Ecclesiam congregavit*. Alii magno numero,... *congruit*. Melius. Non enim populus Ecclesiam congregasse recte dici potest, cum ex populo congregata sit Ecclesia. Sed *Populus Ecclesiam congruit, ut sequatur*, sensum expeditum præferet, si trajectis verbis ita explices, *congruit ut populus Ecclesiam sequatur*.

[b] Rom. edit. sola, *qui sanctæ consilio puellæ*. Vet. edit. ac mss. undecim, *qui sacratæ*, etc. Optime vero codices Corb., Mich. et alii sex probatiores, *qui solutæ*, etc., id est nullis conjugii vinculis astrictæ : vel si mavis, paternarum ceremoniarum jugo liberæ. Quo utroque nomine Ecclesiæ potest figuram ac similitudinem præ se ferre.

[c] Ita manu exarati codices magno consensu. Edit. autem omnes, *Et lepra Naaman adhærebit tibi*, etc.

Digitized by Google

(Vers. 28, 29.) *Et repleti sunt ira omnes in synagoga, hæc audientes: et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem.* A

55. Sacrilegia Judæorum, quæ multo ante Dominus prænuntiaverat per prophetam, et psalmi versiculo declaraverat quæ passurus esset in corpore constitutus, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Psal.* XXXIV, 12), in Evangelio docet esse completa. Nam cum ipse per populos beneficia diffunderet, illi injurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui ejecerunt de suis finibus Salvatorem: moralis enim Dominus; et qui docuerat exemplo sui apostolos suos omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Sic Gerasenos alibi cum virtutes ejus sustinere non possent, quasi infirmos et ingratos reliquit (*Luc.* VIII, 37). B

56. Simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem: nec captum a Judæis, sed a se ipso oblatum. Etenim quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult suspenditur, quando vult non tenetur. Et hic in supercilium montis præcipitandus ascenderat: et ecce per medium illorum, mutata subito vel obstupefacta furentium mente, descendit; nondum enim hora venerat passionis. Quinetiam malebat adhuc Judæos sanare quam perdere; ut inefficaci furoris exitu desinerent velle, quod implere non possent. Vides igitur et hic divinitatis esse [a] quod operatus est, et illic voluntatis esse quod captus est. Nam quemadmodum a paucis teneri potuit, qui a populo non tenetur? Sed noluit sacrilegium esse multorum; ut in auctores culpæ crucis invidiam retorqueret; atque a paucis quidem affligeretur, sed pro toto orbe moreretur. C

(Vers. 33, 38.) *Et in synagoga erat homo habens spiritum immundum.* Et infra: *Surgens autem de synagoga intravit in domum Simonis et Andreæ. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.*

57. Vide clementiam Domini Salvatoris: nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec injuria violatus Judæam deserit: quinetiam immemor injuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiæ liberatum ante præmisit, et substituit feminæ sanitatem. Utrumque enim **1350** sexum Dominus curaturus advenerat: et prior sanari debuit, qui prior creatus est; nec prætermitti illa quæ mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat. D

58. (Vers. 31.) Sabbato medicinæ Dominicæ opera cœpta significat; ut inde nova creatura cœperit, ubi vetus ante desivit: nec sub Lege esse Dei Filium, sed supra Legem in ipso principio designaret: nec solvi Legem, sed impleri. Neque enim per Legem, sed Verbo factus est mundus, sicut legimus: *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII, 6). Non solvitur ergo Lex, sed impletur; ut fiat renovatio hominis jam labentis. Unde et Apostolus ait: *Exspoliantes vos veterem hominem . . . . . induite novum qui secundum Christum creatus est* (*Ephes.* IV, 22 *et* 24; *Coloss.* III, 9 *et* 10). Et bene sabbato cœpit, ut ipsum se ostenderet creatorem; qui opera operibus intexeret, et prosequeretur opus quod ipse jam cœperat: ut si domum faber renovare disponat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem. Itaque ibi prius manum admovet, ubi ante desierat.

59. Deinde a minoribus incipit, ut ad majora perveniat. Liberare a dæmone et homines, sed in verbo Dei possunt: resurrectionem mortuis imperare divinæ solius est potestatis.

60. (Vers. 34.) Nec quemquam movere debet, quod Jesu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de cœlo angelus ad Virginem detulit (*Luc.* I, 31). Est enim hujus impudentiæ ut inter homines aliquid primus usurpet, et ad homines quasi novum deferat, quo terrorem suæ potestatis incutiat. Denique et in Genesi primus Deum homini nuncupavit; sic enim habes: *Et dixit serpens mulieri: Quid utique dixit Deus ne edatis ab omni ligno* (*Gen.* III, 1)? Uterque igitur deceptus a diabolo est, sanatus a Christo.

61. Sequere cætera, et Evangelicæ lectionis disce mysteria, atque in duorum sanitate publicæ sacramentum salutis agnosce. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur: ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22). Quis est ille qui in Synagoga spiritum dæmonii habebat immundum, nisi populus Judæorum, qui quasi serpentinis spiris revinctus, et innodatus diaboli laqueis, simulatam corporis munditiam interioris mentis sordibus inquinabat? Et bene: *In Synagoga homo erat qui spiritum immundum habebat;* quia Spiritum sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, unde Christus exierat. Simul ostenditur [b] natura diaboli non improba, opera iniqua. Nam quem per superiorem naturam Dominum confitetur, opere negat. Et in hoc apparet [c] ejus nequitia, et improbitas Judæorum, quod ita populo vesanæ cæcitatem mentis offudit; ut populus neget, quem dæmones confitentur. O pejor magistro discipulorum hæreditas! Ille verbo Dominum tentat, hi facto: ille dicit, *Mitte te* (*Luc.* IV, 9, supra): isti adoriuntur, ut mittant.

62. Si altiore consilio ista pensamus, animi debe-

[a] Omnes edit., *quod non captus est.* Omnes mss., *quod operatus est:* nempe mutationem in mente furentium.

[b] Mss. aliquot, *natura diaboli non improbari*, quidam, *non improbare, opera iniqua.* Sed potiorem esse aliorum, ac edit. lectionem patet ex iis quæ sequuntur.

[c] Edit. Rom. sola, *ejus nequitia et improbitas, quod ita populo Judæorum*, etc. Vet. edit. cum tribus omnino mss. ut in textu. Cæteri cod., *ejus nequitia improbitas Judæorum*, etc. Non ita male, si *nequitia* sumatur in sexto casu, pro *per nequitiam.*

Digitized by Google

mus intelligere et corporis sanitatem; ut prius animus qui serpentis laborabat insidiis, absolutus sit. Anima enim numquam a corpore vinceretur, **1351** nisi prius a diabolo tentaretur. Nam cum anima corpus agat, vivificet, et gubernet; quemadmodum in ejus illecebras captiva raperetur, nisi et ipsa superioris alicujus potestatis vinculis stringeretur? Denique non prius Eva esurivit, quam serpentis eam versutia tentavit: et ideo adversus ipsum auctorem peccati prius debuit medicina salutis operari.

63. Fortassis etiam in typo mulieris illius socrus Simonis et Andreæ variis criminum febribus caro nostra languebat, et diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra B avaritia est, febris nostra libido est; eo quod ignitæ sint cupiditates. Unde et Apostolus ait: *Si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* (I *Cor.* VII, 9). Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensusque pertentant. Hæc prior diaboli sollicitatur arte. Etenim ager bonus, vestis, monile, suadela serpentis est. Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis laqueus est diaboli, et quasi quidam nequitiæ spiritalis illecebrosus afflatus, [a] qui per carnis illecebram quæ cito feminea quadam levitate mollitur, animum quoque de gradu dejicit. Neque enim C formam mulieris animus prius quam corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris, non amabis: sed ubi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, et mens consortio amoris inflectitur (duo enim in carne una sunt) atque ita mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente.

64. Vehementior tamen est animi, quam corporis febris: et ideo pro animi voluptate, corporis salus plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur. Unde non alienum videtur repetere quemadmodum Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiverit. Sciens enim D prudensque quod esset oculos amissurus, priusquam conveniret uxori, in ipso æstu ferventis cupiditatis, et consuetudinis apparatu: Vale, inquit, amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, graviusque præcipitat et inflammat.

65. Sed ubi quis resipuerit a furore, tunc conscientiæ interioris aperitur visus, factique pœnitentia succedit, et pudenda sui unusquisque facinoris conscientia erubescit. Tunc Deus timetur, et peccator se cupit celare, sed non potest: tunc caro arguitur, A diabolus accusatur: hæc quasi lena vitiorum, ille quasi auctor erroris. Patescit deformitas; nudum est enim Deo omne secretum, nec illius ficus foliis, hoc est, tegmine corporali, vel jactantia sæculari flagitiorum secreta velantur. Et unusquisque divinum peccati conscia formidat mente judicium dicens: Qui super me montes cadent: in quibus me abscondam **1352** scissuris petrarum, cum venerit confringere terram? Tunc tribulos et spinas animo caro, hoc est, curarum morsus sollicitudinumque generat, atque, quos sibi per concupiscentiam carnis anima ipse circumdedit. Etenim quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus: et cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest unde descendit, sine Dei favore revolare. Actuum enim suorum vincta laqueis et deliciarum sæcularium illecebris obnoxia jam tenetur.

66. Hunc ergo Adam, hanc Evam Dominus liberaturus advenit: quorum alter ad imaginem Dei factus, altera virtutem sui accipiens viri, quamdiu fuit subdita fortiori, unam gerebant in uno spiritu Deo placitam voluntatem: et in paradiso Dei positi, vitæ cœlestis operabantur alimoniam. Postea vero quam caro suadere diversum, [b] et legem cœpit propriam non tenere, paradisi exsules facti, in hunc inferiorem demersumque locum peccati merito reciderunt. Nec quisquam putet incongruum esse, si Adam atque Eva in typo animæ et corporis æstimentur; cum in typo Ecclesiæ æstimentur et Christi. Nam cum duo esse in carne una Apostolus diceret, adjecit: *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). In quo ergo superni Dei, in eo multo magis animi nostri potest esse mysterium.

67. Sed hæret, suffixus est, captus est, et corporeis succensus febribus, compassione carnis ægrescit. Quærendus est medicus. Sed quis iste tantus est, qui sauciæ mentis mediatur ulceribus? Quis tantus est homo, qui possit aliis subvenire, cum ipse sibi non possit? Quis aliis possit vitam reddere, cum ipse mortem non possit evadere? Omnes enim in Adam mortui; quia *Per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (I *Cor.* XV, 12). Illius igitur culpa mors omnium est (*Cf. Aug. lib.* I *contra Jul. Pelag., cap.* 3). Denique missi sunt sancti, missi sunt et prophetæ, qui oracula divina loquerentur; nec quidquam promovere potuerunt. Quæramus ergo aliquem de angelis aut archangelis medicum. Sed quemadmodum mihi possunt præsidium ferre, ne peccem; cum ipse archangelus a peccato non potuerit abstinere? Quemadmodum ad paradisum angelus revocare me poterit;

[a] Mss. aliquot, *quo per carni illecebras cito cor feminæ quadam levitate emolliat.*

[b] Edit. Am. atque Era. cum mss. tribus, *legem cœpit propriam non timere.* Gill. cum duobus mss. *legem cœpit primam.* Rom. sola: *prima non timere.* Denique mss. undecim, in quibus Corb. et alii melioris notæ, ut in textu.

Digitized by Google

cum ipse Satanas et angeli sui sedem quam acceperunt, servare non possint?

(Cap. V. — Vers. 3.) *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit ut inducerent a terra aliquantulum.*

68. Ubi Dominus multis impertivit varia genera sanitatum, nec tempore, nec loco cœpit ab studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, urgebant. Et ideo ascendit in Petri navim. Hæc est illa navis quæ adhuc secundum Matthæum fluctuat (*Matth.* VIII, 24), secundum Lucam repletur piscibus; ut et principia Ecclesiæ fluctuantis, et posteriora exuberantis agnoscas; pisces enim sunt, qui hanc enavigant **1353** vitam. Ibi adhuc discipulis Christus dormit, hic præcipit. Dormit enim trepidis, perfectis vigilat. Sed quemadmodum dormiat Christus, audisti dicentem in Propheta: *Ego dormivi, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2).

69. Et sanctus Matthæus recte non prætermittendum putavit æternæ indicium potestatis, ubi imperat ventis (*Matt.* VIII, 26). Non est enim humana doctrina, sicut audistis Judæos dicere, verbo imperat spiritibus (*Luc.* IV, 36): sed cœlestis majestatis insigne. Quod turbatum sedatur mare, et divinæ vocis imperio obsequuntur elementa, atque insensibilia sensum accipiunt obsequendi; divinæ mysterium gratiæ revelatur. Quod fluctus mitescunt sæculi, verbo immundus spiritus conquiescit; non alterum altero refellitur, sed utrumque celebratur. Habes miraculum in elementis, habes documentum in mysteriis.

70. Ergo quia sanctus Matthæus illa prælibaverat, sanctus Lucas eam sibi navim, in qua Petrus piscaretur, elegit. Non turbatur ista quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet. Etsi multa illic discipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem; ne per unum plurimi fluctuemus. Ergo non turbatur hæc navis in qua prudentia navigat, abest perfidia, fides spirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, ubi modica fides: hic securitas, ubi perfecta dilectio.

71. (Vers. 4.) Denique etsi aliis imperatur ut laxent retia sua; soli tamen Petro dicitur: *Duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, et professionem divinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plenæ rationis investigatione comprehendere; fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit; non licet tamen nescire

A quod natus sit. Seriem generationis ignoro, [a] sed auctoritatem generationis agnosco. Non interfuimus cum a Patre Dei Filius nasceretur: sed interfuimus cum a Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credimus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu: visus sæpe fallitur, auditus in fide est. An asserentis persona discutitur? Si viri boni dicerent, nefas putaremus non credere: Deus asserit, probat Filius, refugiens sol fatetur, tremens terra testatur. In hoc altum disputationis Ecclesia a Petro ducitur; ut videat hinc resurgentem Dei Filium, inde Spiritum sanctum profluentem.

72. Quæ sunt autem apostolorum quæ laxari jubentur retia, nisi verborum complexiones, et quasi quidam orationis sinus, et disputationum recessus B qui eos quos ceperint, non amittant? **1354** Et bene apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reservant, et de profundo ad lumen extrahunt: fluctuantes de infimis ad superna traducunt.

73. Est et aliud apostolicum piscandi genus (24, *q.* 1, *c. Est aliud*), quo genere solum Petrum piscari Dominus jubet dicens: *Mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle* (*Matth.* XVII, 26). Magnum quidem est et spiritale documentum (11, *q.* 1, *c. Magnum quidem*), quod christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti; ne quis constitutionem regis terreni putet esse solvendam. Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Et ille censum solvit C qui nihil possidebat: tu autem qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feres, cum sæculo sis misera cupiditate subjectus.

74. Penditur igitur didrachma, quod erat [b] pretium nostræ redemptionis et corporis, in Lege promissum, in Evangelio persolutum, non otiose in ore piscis inventum: *Ex ore enim tuo justificaberis* (*Matt.* XII, 37). Etenim pretium immortalitatis est nobis nostra confessio; quia sicut scriptum est: *Ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10).

75. Et fortasse primus hic piscis primus est martyr, in ore habens didrachma, hoc est, pretium census. Didrachma nostrum Christus est. Habebat igitur primus ille martyr, Stephanus scilicet, in ore the- D saurum, cum Christum in passione loqueretur. Sed revertamur ad propositum locum, et discamus apostolicam humilitatem.

(Vers. 5.) *Præceptor*, inquit, *per totam noctem laborantes nihil cepimus: sed in verbo tuo laxabo retia.*

76. Et ego, Domine, scio quia nox mihi est, quando non imperas. Nemo adhuc nomen suum dedit, [c] adhuc noctem habeo. Misi jaculum vocis per

[a] Sic. vet. edit. ac plures mss. Rom. autem edit. cum mss. aliquot, *sed auctorem generationis agnosco.*

[b] Rom. edit., *pretium redemptionis nostræ animæ, et corporis.* Sed in cunctis aliis, atque mss. deest, *animæ:* quæ vox omnino necessaria non videtur, cum *nostra redemptio* idem sit ac *redemptio animæ nostræ.* Namque hominem in anima potissimum consistere passim testatur Ambrosius.

[c] Eadem edit. sola, *adhuc per noctem laboro.* Quod autem addit S. Præsul jaculum (est id retis genus a jaciendo dictum) abs se per epiphania festa missum fuisse, indicat instituisse se non baptizatis, ut nomen

Digitized by Google

epiphania, et adhuc nihil cepi. Misi per diem, ex- A spectο ut jubeas : in verbo tuo laxabo retia. O vacua præsumptio, o humilitas fructuosa! Qui nihil antea ceperant, magnam in verbo Domini concludunt piscium multitudinem. Non hoc humanæ facundiæ opus, sed supernæ vocationis est munus. Cedunt disputationes hominum : fide sua plebs credit.

77. (*Vers.* 6, 7.) Rumpuntur retia, nec labitur piscis. Vocantur ad adjumentum socii, qui erant in alia navi. Quæ est illa alia navis, nisi forte Judæa, ex qua Joannes et Jacobus eliguntur? *Facta est*, enim *Judæa sanctificatio ejus* (*Psal.* CXIII, 2). Hi igitur de Synagoga ad navem Petri, hoc est, ad Ecclesiam convenerunt; ut implerent ambas naviculas. Omnes enim in nomine Jesu genu flectunt, sive Judæus, sive Græcus : *Omnia et in omnibus Christus* (*Coloss.* III, 11). Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naves pene mergantur; oportet enim et hæreses esse, ut probentur boni.

78. Possumus tamen et aliam Ecclesiam intelligere, navem alterius; ab una enim plures Ecclesiæ 1355 derivantur. Ecce alia sollicitudo Petri, cui sua jam præda suspecta est. Sed novit perfectus quemadmodum servare possit reconditos, qui scit quemadmodum capere possit dispersos. Quos in verbo capit, [a] Verbo credit : negat suam prædam, negat suum munus.

(*Vers.* 8.) *Exi*, inquit, *a me, Domine; quia homo peccator sum.*

79. Admirabatur enim dona divina ; et quo 1356 plus meruerat, hoc præsumebat minus. Dic et tu : *Exi a me, Domine; quia homo peccator sum*; ut respondeat tibi Dominus ; [b] *Noli timere*. Indulgenti Domino peccatum fatere. Noli timere etiam quæ tua sunt Domino deferre; quia quæ sua sunt nobis ille concessit. Nescit invidere, nescit eripere, nescit auferre. Vides quam bonus Dominus, qui tantum tribuit B hominibus; ut vivificandi habeant potestatem.

in album catechumenorum referri postularent. Et hinc non male conjicias illos bis nomen suum dedisse: 1° cum catechumeni fierent; 2° et solemnius cum inter competentes describerentur ut alibi jam notavimus. Inde etiam rursus colligere est hunc sermonem circiter sacræ quadragesimæ initia esse pronuntiatum.

[a] Rom. edit., *Verbo reddit*. Haud absurdus sensus. Attamen non male etiam aliæ ac mss., *Verbo credit*, quidam mss. *credidit*; idem enim est ac Verbo ejusque præsidio committit.

[b] Ita edit. Amerb. cum mss. fere omnibus : a quorum tamen nonnullis scribitur... *peccatum fateri*. Et hoc in causa fuit cur Era. et seq. edit. interpunctionem immutarent hoc modo : *Noli timere indulgenti Domino peccatum fateri* : quod minus belle quadrat cum superioribus.

# LIBER QUINTUS.

1355 (*Vers.* 12, 13.) *Et factum est cum esset in* C *una civitatum, ecce vir plenus lepra, procidens in faciem, rogavit eum dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum suam, tetigit illum, dicens : Volo, mundare.*

1. Bene ubi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus; ut ostendatur non unum populum specialis alicujus civitatis, sed omnium populos fuisse sanatos. Bene autem et secundum Lucam quarto signo, ex quo in Capharnaum Dominus venit, iste sanatur; nam si quartum diem sole illuminavit (*Gen.* I, 14), et clariorem cæteris fecit diebus, cum illucescerent elementa mundi : et hoc clarius opus æstimare debemus. Et secundum Matthæum primus hic post benedictiones a Domino sanatus inducitur (*Matt.* VIII, 3); ut quia dixerat Dominus : *Non veni solvere* D *Legem, sed adimplere* (*Matth.* V, 17); ille qui excludebatur a Lege (*Levit.* XIII, 3), purgari se Domini potestate præsumens, non ex Lege, sed supra Legem esse gratiam judicaret, quæ leprosi maculam posset abluere.

2. Verum ut in Domino potestatis auctoritas, ita in illo fidei constantia declaratur. Ille in faciem procidit, quod humilitatis est et pudoris; ut unusquisque de suæ vitæ maculis erubescat : sed confessionem verecundia non repressit. Ostendit vulnus, remedium postulavit : et ipsa religionis et fidei plena confessio est. *Si vis*, inquit, *potes me mundare*. In voluntate Domini tribuit potestatem : de voluntate autem Domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suæ conscius non præsumpsit. Cui morali quadam Dominus [a] sanctitate respondit : *Volo, mundare.*

(*Vers.* 13.) *Et continuo lepra ejus discessit ab eo.*

3. Nihil enim medium est inter opus Dei, atque præceptum; quia in præcepto est opus. Denique *dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Videtis igitur quod dubitari non potest, quia voluntas Dei potestas est. Si ergo voluntas ejus potestas est; qui unius voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt potestatis. Itaque statim lepra discessit; 1356 ut intelligas medentis affectum, qui veritatem operi addidit.

4. Denique secundum Marcum miseratus est eum Dominus (*Marc.* I, 41) : quod pulchre est positum. Et pleraque talia posuerunt evangelistæ, qui nos in utroque fundare voluerunt, describentes signa virtutis ad fidem, exprimentes opera virtutis ad imitationem. Unde et tangit non dedignatus, et imperat non diffisus; hoc enim est indicium potestatis, quia quasi habens potestatem sanandi, et jubendi auctoritatem, operandi testimonium non refugit. [b] *Volo*, ergo dicit

[a] Rom. edit., *pietate respondit*. Sed non insolens est Auctori nostro ut *sanctitatem* ponat pro *pietate*.

[b] *Volo .... propter Photinum;* Photinus enim etsi Marcelli Ancyrani Arianis partibus addicti disci-

Digitized by Google

propter Photinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.

5. Nec unius tantum lepra curatur, sed omnium quibus dicitur : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan.* xv, 3). Si igitur lepræ medicina verbum est : contemptus utique verbi lepra mentis est. Sed ne lepra transire possit in medicum, unusquisque Dominicæ humilitatis exemplo jactantiam vitet. Cur enim præcipitur nemini dicere, nisi ut doceret non vulganda nostra beneficia, sed premenda ; ut non solum a mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ? Aut fortasse etiam illa silentii causa est imperati, quod meliores putabat qui fide magis spontanea, quam qui speratis beneficiis credidissent.

6. Offerre autem juxta Legem se præcipitur sacerdoti, non ut alium deferat : sed ut se ipsum Deo offerat spiritale sacrificium; ut actus præteriti colluvione detersa, per cognitionem fidei et sapientiæ disciplinam placitura Deo hostia consecretur : *Omnis* enim *victima sale salietur* (*Marc.* ix, 49). Unde et Paulus ait : *Obsecro ergo vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam acceptabilem, placentem Deo* (*Rom.* xii, 1).

7. Simul illud mirabile, quod eo sanavit genere quo fuerat obsecratus. *Si vis, potes me mundare. Volo*, inquit, *mundare*. Habes voluntatem, habes etiam pietatis effectum. *Et extendens manum, tetigit illum* (*Levit.* xiii, 3). Lex tangi leprosos prohibet : sed qui dominus Legis est, non obsequitur Legi, sed Legem facit. Non ergo tetigit, quia sine tactu mundare non poterat : sed ut probaret **1357** quia subjectus non erat Legi, nec contagium timebat, ut homines ; sed quia contaminari non poterat, qui alios liberabat : simul e contrario lepra tactu Domini fugaretur, quæ solebat contaminare tangentem.

8. (Vers. 14.) Ostendere autem se sacerdoti jubetur, et offerre pro emundatione sua; ut dum offert se sacerdoti, intelligeret sacerdos non Legis ordine, sed Dei gratia supra Legem esse curatum : [a] et dum mundato jubet offerre sacrificium secundum præceptum Moysi, ostenderet Dominus quia Legem non solveret, sed impleret ; qui secundum Legem gradiens, supra Legem sanare eos quos remedia Legis non sanaverant, videretur. Et bene addidit : *Sicut præcepit Moyses; Lex* enim *spiritalis est* (*Rom.* vii, 14); ideoque videtur sacrificium spiritale mandasse.

9. [b] Denique addidit : *Ut sit in testimonium hoc vobis*, hoc est, si Deo credatis, si impietatis lepra discedat, si occultorum cognitor sit sacerdos, si puri testis affectus : unde potest ille magis sacerdos videri quem occulta non lateant, cui dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cix, 4).

(Vers. 18, 19.) *Et ecce viri portantes in lecto hominem qui fuerat paralyticus, et quærentes eum inferre et ponere ante eum; et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt super tectum, et per tegulas submiserunt illum in lecto, in medium, ante Jesum.*

10. Non otiosa hujus paralytici, nec angusta medicina est, quando Dominus et orasse præmittitur, non utique propter suffragium, sed propter exemplum; imitandi enim specimen dedit, [c] non impetrandi ambitum requisivit. Et convenientibus ex omni Galilæa, et Judæa, et Hierusalem Legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilium, paralytici istius medicina describitur. Primum omnium quod ante diximus, unusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia verbi cœlestis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigant. Quorum rursus adminiculis et attollere, et humiliare se facilis, ante Jesum locetur, Dominico videri dignus aspectu. Humilitatem enim respicit Dominus : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* i, 48).

(Vers. 20.) *Quorum fidem*, inquit, *ut vidit.*

11. Magnus Dominus qui aliorum merito ignoscit aliis, et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Dominum servus et interveniendi meritum, et jus habeat impetrandi? Disce qui judicas, ignoscere : disce qui æger es, impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quæ pro te precetur, cujus contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscat.

**1358** 12. (Vers. 21, 22.) Et quamvis historiæ fidem non debeamus omittere; ut vere paralytici istius corpus credamus esse sanatum : cognosce tamen interioris hominis sanitatem, cui peccata donantur, quæ cum Judæi asserunt a solo Domino posse concedi, Deum utique eum confitentur, suoque judicio perfidiam suam produnt; ut opus astruant, personam negent. Itaque ab ipsis et operis sui Dei Filius accipit testimonium, et vocis suffragium non requirit; perfidia enim confiteri potest,

pulus in multis tamen cum Sabellio sentiebat : hunc autem negasse constat eamdem in Patre ac Filio potestatem reperiri ; ut Ambrosius supra, lib. iv, num. 10, indicavit. Igitur cum in Deo voluntas ac potestas unum sint, apte colligitur Christum ostendendo voluntatem suam ejusdem efficaciæ esse ac Paternam, simul ostendisse utriusque eamdem habendam potestatem ; proindeque eamdem etiam substantiam atque omnimodam similitudinem; quod idem Photinus pernegabat. *Imperat propter Arium*, qui videlicet cum Christo divinitatem abjudicaret, eadem opera illum imperandi auctoritate spoliabat. *Tangit propter Manichæum*; is quippe tangendi facultatem eidem Christo adimebat, quando veram ac naturalem carnem ab illo assumptam inficiabatur.

[a] Vet. edit., *et dum mundatur per sacrificium*; Rom., *dum mundatur offerre sacrificium* ; mss. vero fere ad unum, ut nos in textu.

[b] Rom. edit., *Denique addit : In testimonium vobis.*

[c] Edit., *non precandi ambitum requisivit.*

Digitized by Google

credere non potest. Itaque testimonium non deest divinitati, fides deest saluti. Nam et validius est ad fidem quod [a] confitentur inviti : et perniciosius ad culpam quod negant, qui suis assertionibus revincuntur. Magna itaque infidæ plebis amentia; ut cum confessa fuerit solius Dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti. Dominus autem salvos volens facere peccatores, et occultorum cognitione Deum se esse demonstrat, et admiratione factorum, adjiciens :

(Vers. 23.) *Quid est facilius dicere : Dimissa sunt tibi peccata tua; aut dicere: Surge, et ambula?*

13. Quo loco plenam speciem resurrectionis ostendit, qui mentis vulneribus corporisque sanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit; hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamvis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere (quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit, [b] quibus dimittendi tribuit potestatem); tamen multo divinius est resurrectionem donare corporibus; quandoquidem ipse Dominus resurrectio est.

14. (Vers. 24.) Hic lectus qui tolli jubetur, quid est aliud, nisi quia humanum jubetur corpus attolli? Ipse est qui per singulas noctes [c] lavatur a David, ut legimus : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7). Hic est lectus doloris, in quo anima nostra gravi conscientiæ ægra cruciatu jacebat. Sed si quis secundum Christi præcepta se gesserit, jam non lectus doloris est, sed quietis. Miseratione etenim Domini cœpit quies esse quod mors erat : qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis. Nec solum levare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est, ad paradisum redire censetur; ea est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit : non jure amissa, sed fraude. Merito ergo restituitur domus, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret, jus reformaret.

15. (Vers. 25.) Nec mora ulla sanitatis intervenit: unum dictorum remediorumque momentum est. Spectant surgentem increduli, mirantur abeuntem : et divini operis miracula malunt timere quam credere. Nam si credidissent, non timuissent utique, sed dilexissent; perfecta enim dilectio timorem excludit foras (I *Joan.* IV, 18). Et ideo isti, quia non diligebant, calumniabantur. Calumniantibus autem dicit : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Luc.* V, 22)? Quis hoc dicit? Sacerdos magnus. Lepram videbat in cordibus Judæorum, ostendit eos pejores esse leproso. Ille sacerdoti est se jussus offerre purgatus : **1359** hos sacerdos repudiat; ne alios quoque eorum lepra contaminet.

16. (Vers. 27.) [d] Sequitur mystica evocatio Publicani, quem sequi jubet non corporis gressu, sed mentis affectu. Itaque ille prius avara [e] de mercedibus, dura de laboribus periculisque nautarum emolumenta convertens, verbo vocatus, propria dereliquit, qui rapiebat aliena : ac vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit. Convivii quoque magni exhibet apparatum; qui enim domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, et in ejus qui crediderit, recumbit affectu.

17. Sed rursus accenditur invidia perfidorum, et futuræ pœnæ species præfiguratur. Epulantibus enim fidelibus, et in illo cœlorum recumbentibus regno, perfidia jejuna torquebitur. Simul ostenditur quantum intersit inter æmulos Legis et gratiæ, quod illi qui Legem sequuntur, jejunæ mentis famem patiantur æternam : qui vero verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cœlestis et fontis ubertate recreati esurire et sitire non possunt. Et ideo qui animo jejunabant, murmurabant dicentes :

(Vers. 30.) *Quare cum Publicanis et peccatoribus* [f] *manducat et bibit?*

18. Serpentina vox ista est. Denique hanc primam vocem serpens emisit, dicens Evæ : *Quid utique dixit Deus : Nolite manducare ex omni ligno* (*Gen.* III. 1)? Ergo patris sui venena diffundunt, qui dicunt : Quid utique cum Publicanis et peccatoribus manducat et bibit? Unde Dominus cum peccatoribus manducando, etiam cum gentilibus non prohibet nos inire convivium, dicens :

(Vers. 31.) *Non egent qui sani sunt, medico; sed qui male habent.*

19. Novum medicamentum novus magister advexit. Hoc de terra non pullulavit; imprudens enim est omnis creatura hujus confectionis. Venite, omnes qui incurristis peccatorum varias passiones, utimini peregrino medicamento, quo venenum serpentis ex-

[a] Mss. aliquot, *confitentur invidi*; unus et alter, *confitentur injusti.*

[b] Non poterat Ambrosius clarioribus verbis potestatem dimittendi peccata ministris Ecclesiæ a Christo datam prædicare.

[c] Quidquid inter voces, *lavatur a David*, et illas, *lectus doloris*, continetur, deerat in cunctis edit. Verum in omnibus Gall. mss. reperitur, excipimus tamen Reg. et Clarom.; sed uterque recentior, et hic non tam Ambr. expositio est, quam ejus epitome.

[d] Edit. Gill. intruserat in textum : *Sequitur de publicano et de eo quod non venit justos vocare, sed peccatores. Mystica vocatio*, etc. Sed manifestum est hæc tituli, non textus rationem ac formam habere. Rom. autem, omisso verbo, *sequitur*, sic reposuit : *Mystica hæc est*, etc.

[e] Quid si legeres cum ms. Reg., *de mercibus?* Certe quæ sequuntur non obscure indicant Matthæum Ambrosio fuisse ex eo genere publicanorum, qui tributum e portoriis, id est, e mercibus importatis, exportatisque exigerent. Sed contra fidem tot mss. atque edit. omnium nihil audemus; cum præsertim tributa non solum mercibus mercatorum, sed etiam mercedi nautarum mercatoribus operam suam locantium imponi potuerint.

[f] Rom. edit. hic et infra, *manducatis et bibitis.* Huic suffragatur textus evangelistæ, atque omnes ejusdem versiones; Æthiopicam tamen excipimus; hæc enim cum ant. edit. cunctisque mss. Ambrosianis lectioni nostræ patrocinatur : cui etiam favet loci series, si modo non perfunctorie examinetur.

Digitized by Google

cluditur: quod non solum passionum abstulit cicatricem, sed etiam causam diri vulneris amputavit. Hoc medicamentum non famem indicit, sed cibum animæ subministrat: *Venit enim Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Dæmonium habet* (*Luc.* VII, 34); et ideo mens nostra non est jejuna: jejunant hi quibus abest Christus, bonorumque meritorum copiis egent.[a] At vero cui virtus suæ voluntatis sufficit, qui sua domo recipit Christum, convivium magnum **1360** exhibet, hoc est, bonorum operum spiritale convivium, quo dives populus eget, pauper epulatur. Et ideo, inquit, jejunare non possunt filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus.

(Vers. 35.) *Venient autem dies, cum auferetur ab illis sponsus.*

20. Qui sunt illi dies, quibus nobis Christus aufertur, maxime cum ipse dixerit: *Vobiscum ero usque ad consummationem mundi* (*Matth.* XXVIII, 20): ipse dixerit: *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* XIV, 18)? Certum est enim quod si nos relinquat, salvi esse nequeamus. Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi ipse auferas. Non te auferat jactantia tua, non te auferat arrogantia, nec tibi de Lege præsumas; non enim vocare justos venit, sed peccatores.

21. Quomodo igitur Dominus justitias dilexit, neque David vidit justum derelictum (*Psal.* X, 8)? Aut quæ ista æquitas Dei si justus relinquitur, et peccator adciscitur (*Psal.* XXXVI, 25); nisi intelligas quod eos justos dicit, qui ex Lege præsumunt, et Evangelii gratiam non requirunt? Nemo autem justificatur ex Lege, sed redimitur ex gratia. Est igitur in Lege justitia, sed non est per Legem justitia; nam ipse Apostolus ait: Hebræus ex Hebræis, secundum Legem Pharisæus, secundum justitiam quæ in Lege est, conversatus sine querela (*Philip.* III, 5 *et* 6), qui gloriatur ex Lege: *Quæ mihi*, inquit, *lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta esse* (*Philip.* IX, 7), hoc est, abjeci justitiam et gloriam Legis; justitia enim Legis sine Christo vacua est, quia plenitudo Legis Christus est. Et ideo etsi est in Lege justitia, non est tamen per Legem justitia: *Si enim per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Galat.* II, 21); mortuus est enim Christus, ut impleret justitiam. Denique Joanni dicenti: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me*, respondit: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Matth.* III, 14 *et* 15). Ergo non gratis mortuus: sed pro nobis mortuus est Christus; ut justi fulgerent sicut sol in regno Patris sui. Sed non Judæi justi, quibus dicitur: *Cum videritis justos intrare in regnum cœlorum* (*Luc.* XIII, 28). Isti sunt justi qui per-

A cutientem non repercutiunt, qui inimicum diligunt.

22. (Vers. 32.) Si sic non accipimus, invenitur contrarium: *Non veni vocare justos.* Sed illos non vocat, qui se justos esse dicunt: *Ignorantes enim Deum, et suam justitiam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Ergo usurpatores justitiæ non vocantur ad gratiam; nam si gratia ex pœnitentia, utique qui fastidit pœnitentiam, abdicat gratiam.[b] Sitierunt vulnerati, qui se sanctificant; istis sponsus aufertur: nobis autem non Caiphas, non Pilatus Christum abstulit, nec possumus jejunare; quia Christum habemus, et Christi carnem epulamur et sanguinem. Quomodo enim videtur jejunare, qui non esurit? Quomodo **1361** videtur jejunare, qui non sitit? Quomodo autem sitire potest, qui bibit Chris-

B tum; cum ipse dixerit: *Qui biberit de aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13)? Denique de animi dictum jejunio, etiam sequentia declarant.

(Vers. 36.) *Dixit enim similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram de vestimento novo immittit in vestimentum vetus.*

23. Dixerat filios sponsi, hoc est, filios Verbi, qui per lavacri regenerationem in jus divinæ generationis assumpti sunt, quamdiu cum illis est sponsus, jejunare non posse. Non utique hoc jejunium relegatur, quo conficitur caro, et corporalis luxuria castigatur; hoc enim jejunium nos commendat. Nam quemadmodum discipulos hic jejunare prohiberet, cum ipse Dominus jejunaret (*Luc.* IV, 2); cum postremo diceret nequissimos spiritus nonnisi jejuniis

C et orationibus solere superari (*Matth.* XVII, 21)? Denique etiam hoc loco jejunium vestimentum appellavit vetus, quod exuendum Apostolus æstimavit dicens: Exspoliate vos veterem hominem cum actibus ejus; et induite eum qui baptismatis sanctificatione renovatur (*Coloss.* III, 9 *et* 10). In eamdem igitur formam series convenit præceptorum, ne actus veteris et novi hominis misceamus; cum ille corporalis exterior opera carnis operetur, et hic interior qui renascitur, non versicolorum speciem veterum novorumque debeat habere gestorum, sed concolor Christo illum studio mentis imitari, cui renatus est in lavacro. Absint igitur decolora mentis velamina, quæ displicent sponso; displicet enim ei, qui vestem non habuerit nuptialem. Sponso au-

D tem quid potest placere, nisi pax animi, puritas cordis, charitas mentis?

24. Bonus sponsus Dominus Jesus, hic novo partu naturam initiavit. Huic desponsata corruptelis carnis absolvitur, non filios mortales requirit, non Evæ delectatur doloribus, non virum obnoxium

[a] Ita mss. complures: alii vero et ant. edit., *At vero cui virtus sua voluntate sufficit.* Sed reponere placuit Rom., *At vero cui virtus suppetit.* Eadem edit. pro verbis, *Et ideo. . . . cum illis est sponsus*, ut in aliis, et cunctis mss. habetur, longum locum ex Lucæ Evangelio, suo more substitueral.

[b] Mss. non pauci cum ant. edit., *Isti erunt vulnerati*; alii aliquot in quibus Corb., *sitierunt vulnerati.* Et hæc vera lectio est. Hic enim ii qui jejunant, non jejunantibus opponuntur: cum autem de ultimis infra scriptum sit: *Quomodo videtur jejunare, qui non sitit;* satis intelligimus jejunare illos, de quibus dicitur, *sitierunt*. Nam hic, *vulnerati*, idem est ac *pœnitentia non sanati*: vel forte, *ardenter sitientes*, siquidem vulneribus confossi solent maximo sitis æstu ob exhaustum sanguinem laborare.

culpæ, non hæreditatem condemnati patris requirit. Vidit enim carnis ulcera, quam antea concupiscebat; advertit non esse pulchritudinem veram, quæ vitiorum habeat deformitatem. Et ideo quid tibi cum tali sponso, femina? Require diligenter, et in omni corpore invenies cicatricem. Cognosce alium magis sponsum, qui circumdatur luce, cujus species non potest interire. Hunc tolle in animo tuo, consecra in templo tuo, tolle in corpore tuo, sicut scriptum est: *Tollite Dominum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20). Hujus thalamos ingredere novos, hujus spectato peregrinum decorem, hunc indue, hunc vide ad dexteram Patris, et gaude quia talem habes sponsum: hic te vestiet benedictionem, ne qua noceat scissura peccati.

25. Servemus igitur vestem, quam nos sacro Dominus emergentes fonte vestivit. Cito scinditur vestis, si facta non congruant; cito tineis carnis atteritur, et veteris hominis errore maculatur. Ergo hic nova veteribus copulare: in Apostolo autem etiam novis vetera supervestire prohibemur, sed exuere vetus, novum sumere; ut exspoliati, non nudi inveniamur (II *Cor.* V, 2-4). Exspoliamur **1362** enim meliora sumpturi: nudamur autem cum indumentum nobis aliena fraude detrahitur, non nostra voluntate deponitur.

(Vers. 37.) *Et nemo mittit vinum novum in utres veteres.*

26. Fragilitas humanæ conditionis aperitur, cum corpora nostra exuviis defunctorum animalium comparantur. Atque utinam bonorum utrium usum possimus implere; ut sacramentum quod accepimus, reservemus! Levat injuriam industria, si renovatis utribus nova vina credantur. Et ideo utres hos plenos servare semper debemus; vacuos enim cito tinea et ærugo consumit; gratia servat impletos.

27. Pulchre autem operi huic talia præcepta conveniunt: sextum est enim opus, quo Levis nova quadam figuratur forma (*Luc.* V, 27). Sexto autem die factus est homo (*Gen.* I, 26): sexto igitur Christi opere reformatur jam non vetus, sed nova creatura, et quædam forma peregrina. Et ideo tamquam nova creatura Christo convivium exhibet; eo quod et in ipso Christus delectaretur, et ipse partem delectationis mereretur habere cum Christo. Ad hunc igitur informandum præcepta dat Dominus; sequebatur enim jam lætus, alacer, et exsultans, dicens: Jam non publicanum gero, jam non porto Levin. Exui Levin, postquam Christum indui. Odi genus meum, fugio vitam meam priorem; solum te sequor, Domine Jesu, qui sanas vulnera mea. Quis enim me separat a charitate Dei, quæ in te est? Tribulatio, an angustia, an fames? Ligatus sum fidei clavis quibusdam, et bonis compedibus charitatis innexus sum. Omne mandatum tuum sicut cauterium impressum tenebo. Et si urit cauterium mandati; tamen putrefacta carnis exurit, ne ad vivum serpat contagio: et si mordet medicamentum, tamen vitium ulceris tollit. Aufer igitur, Domine Jesu, potenti machæra tua meorum putredines peccatorum: dum me habes ligatum charitatis vinculis, seca quodcumque vitiosum est. Veni cito incidens occultas et latentes, variasque passiones: aperito vulnus, ne noxius serpat humor. Emunda omne quod fetidum est peregrino lavacro. Audite me, terreni homines, qui peccatis vestris cogitationes ebrias geritis. Et ego Levis talibus eram passionibus sauciatus. Inveni medicum qui in cœlo habitat, et in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit: hic auferre cordis dolorem, palloremque animæ, qui novit occulta.

(Cap. VI.—Vers. 1.) *Factum est autem in sabbato secundo primo; cum transiret per seminata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant, confricantes eas manibus suis.*

28. Nec solum comprehensione verborum, sed etiam usu ipso, specieque gestorum incipit hominem Dominus Jesus veteris observatione Legis exuere, novoque indumento gratiæ vestire. Itaque eum jam in sabbato per seminata traducit, hoc est, [a] admovet fructuosis. Quid sibi sabbatum velit, quid seges, quid spicæ non mediocre mysterium est. Ager enim est omnis hic mundus: **1363** agri seges in satione humani generis fecunditas numerosa sanctorum; spicæ agri fructus Ecclesiæ, quos operibus discutientes suis apostoli pascebantur, nostro se alentes profectu.

29. Stabat igitur seges jam fecunda virtutum, pullulantibus spicis, quibus nostri fructus meriti comparantur; æque enim aut imbre marcescunt, aut sole torrentur, aut pluviis humescunt, aut tempestatibus eliduntur, aut a messoribus intra horreorum felicium receptacula reconduntur. Receperat ergo terra jam Dei verbum, et cœlesti semine satus divites fetus ager almus effuderat. Esuriebant discipuli salutem hominum, et tanquam e folliculis corporum mentium fructus ad fidei lucem præclaris operum suorum miraculis eruebant. Sed hoc putabant Judæi sabbato non licere, Christus autem novæ gratiæ munere designabat otium Legis, opus gratiæ.

30. Nec sine mysterio hoc ab Evangelista secundum Matthæum (*Matth.* XII, 1), et Marcum (*Marc.* II, 23) [b] sabbata pure posita puto, quoniam sabbata perpetua feriæ sunt resurrectionis æternæ. Vel in hoc igitur sæculo feriatis ac vacantibus superstitionibus Judæorum, vel in futuro ferias ipsi perpetua

[a] Omnes edit., *admovet fructuosis itineribus.* Mss. vero non habent, *itineribus*: quæ vox introducta videtur ab aliquo, qui non putaret scite dici posse, *admovet fructuosis*, subintelligendo, *operibus*, vel, *actionibus*.

[b] Edit. vet. cum paucis mss., *sabbatum secundum* (Rom., *secundoprimum*) *positum puto; quoniam sabbatum perpetuæ feriæ*, etc. Cæteri cod. magno numero et meliori ævo scripti, ut in textu. Sic porro interpretare, *sabbata pure posita*, quasi esset, simpliciter, ut aiunt, sine addito posita: quam lectionem germanam esse inspectis utriusque Evangelistæ locis facile deprehendes.

Digitized by Google

solemnitate celebrantes, quæ bona sunt terræ man- A ducabimus, juxta quod scriptum est : Illi manducabunt, vos vero esurietis (*Esai.* LXIII, 13).

31. Mire tamen secundum Lucam, secundoprimum, non primosecundum sabbatum dixit : δευτερόπρωτον enim scriptum est. Præferri enim debuit quod præcellit. Secundum ideo, quia primum ante ex Lege præcessit, in quo etiam pœna præscripta est (*Exod.* XXXI, 14), si quis operetur : primum autem ideo, quia sabbatum illud ex Lege solutum est, quod erat primum; et hoc primum factum est, quod secundo est constitutum. Nam et cum operari sabbato liceat, et operantis nulla sit pœna; sabbati utique ex Lege cujus vis soluta est, nec nomen hærebat : sed tamen fuerit illud primum ordine, hoc primum munere; nec ideo minus hoc, quia secundum; nam et B Adam primus, nec comparandus secundo Adam : *Primus* enim *Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. . . . Et primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (I *Cor.* XV, 45 *et* 47). Prælatus utique secundus primo; ille enim causa mortis, hic vitæ. Sic et secundoprimum sabbatum dicitur; secundum juxta numerum, primum juxta operationis gratiam; melius est enim sabbatum quo impunitas datur, quam quo pœna præscribitur. Prima Lex, secundum Evangelium; inferior tamen formido quam gratia. Aut forte et primum hic in prædestinatione consilii, et secundum in sanctione decreti.

32. (Vers. 3.) Bene autem Dominus in Lege typum futuri hoc quoque demonstrat loco, et defenso- C res Legis arguit nescire quæ Legis sunt, exemplum afferens quod David, cum esuriret ipse cum sociis, intravit in domum Dei, et panes propositionis 1364 sumpsit, et manducavit, et dedit iis qui cum ipso erant (I *Reg.* XXI, 1 *et seq.*). Magnum et vere exemplum Propheticum, quo primum non inania Legis, [a] sed solida utilitatis nobis sequenda produntur. Deinde quia David cum sociis fugiens a facie regis Saul hic præfiguratus in Lege Christus est, qui cum apostolis principem mundi lateret.

33. Quomodo autem ille observator Legis atque defensor panes et ipse manducavit, et dedit iis qui secum erant, quos non licebat manducare nisi tantummodo sacerdotibus; nisi ut per illam demonstraret figuram, sacerdotalem cibum ad usum trans- D iturum esse populorum? Sive quod omnes vitam sacerdotalem debemus imitari : sive quia omnes filii Ecclesiæ sacerdotes sunt; ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales.

34. Legi igitur jam superefluit doctrina Christi, nec Legem solvit, sed implet, quia nec sabbatum solvit. [b] Si enim sabbatum propter homines factum est : utilitas autem hominis postulabat esurientem hominem qui diu fuerat terræ fructibus abdicatus, veteris famis jejunia vitare; non utique Lex solvitur, sed impletur. Quomodo igitur Domino ad crimen objicitur, quod in servo pro crimine non tenetur?

35. Quid autem evidentius hac figura, quæ per totam currit historiam? Intravit David in domum Achimelech sacerdotis : sed nec periculo mortis proposito, hospitem recusat, nec declinat exsulem sancti animus sacerdotis (I *Reg.* XXI, 1). Tanta hospitalitatis est gratia, ut libenter in nos aliena pericula transferamus.

36. Verum hoc [c] in historia morale, in mysterio prophetatum est, quod nec præsumpto futuræ mortis exitio, verum illum David hospitio suæ mentis religiosi excluderent sacerdotes. Nec solum in cujusque domo vatis reperturus docetur Christus hospitium : sed etiam per figuram nequitiæ spiritalis manubias et arma sumpturus; nam qui Christum hospitio recipit, intelligibilem illum Goliam spoliat suis telis.

37. Quid vero evidentius quam quod in Achimelech domo quinque panes petit David, et unum accipit (*Ibid.*, 3 *et* 6) : demonstrante typo quod jam non [d] quinque libris, sed Christi corpore cibus fidelibus pararetur; ut Christus corpus assumeret, ne quis de fidelibus esuriret? Nec Doech figura vacat, qui erat custos mulorum (*Ibid.*, 7); eo quod nemo alius nisi infructuosi gregis custos Judæ typum proditoris impleret.

38. Jam illud quod pro David receptione omnem Achimelech domum præter Abiathar principem tunc temporis sacerdotum Saul persecutus est (I *Reg.*, XXII, 20), ostendit prophetia nobis quod nemo possit nocere vero principi sacerdotum, qui solus est Christus.

39. (Vers. 7.) Hinc ad alia progreditur Dominus Jesus. Nam qui totum hominem salvum facere disposuerat, 1365 [e] per singula membra currebat; ut vere diceret : *Mihi irascimini, qui totum hominem sanum feci in sabbato* (*Joan.* VII, 23). Itaque hoc loco manum illam quam extendit Adam, et interdictæ arboris poma decerpsit (*Gen.*, III, 6), succis bonorum factorum salutaribus irrigavit, ut quæ crimine aruerat, bonis operibus sanaretur. In quo Judæos redarguit Christus, qui malis interpretationibus Legis præcepta violarent, æstimantes sabbato etiam a bo-

[a] Edit. vet. ac mss. nonnulli, *sed solius utilitatis.* Rom., *sed solida veritatis.* Mss. plerique, *sed solida utilitatis.* Consequenter autem ubi omnes. mss, et vet. edit., *Deinde quia David*, etc. Rom. sic immutavit : *Deinde quia in David cum sociis fugiente a facie regis Saul, præfiguratus cum apostolis Christus est, ut principem*, etc.

[b] Rom. edit. sola, *sabbatum enim propter homines factum est : si vero utilitas*, etc.

[c] Ita mss. omnes, quibusdam exceptis, ubi *morali* scribitur pro *morale*, et pro *in mysterio*, *in mysterium*; duo, *propheticum*; unus, *prophetica allegoria est.* Omnes autem edit. a nostra eo differunt, quod illæ habent, *propheticum est.*

[d] *Quinque libris*, Moysis videlicet, id est, Pentateucho.

[e] Omnes edit. et quidam mss., *per singula membra curabat.* Alii plurimi elegantius.... *currebat*; hoc enim respondet verbo superiori, *progreditur.*

Digitized by Google

nis operibus feriandum, cum Lex in præsentibus formam præfiguraverit futurorum : in quibus utique malorum feriæ futuræ sunt, non bonorum. Nam licet sæcularia opera conquiescant, non otiosus tamen boni operis actus est in Dei laude requiescere.

40. (Vers. 10.) Audisti igitur Domini verba dicentis : *Extende manum tuam.* Communis ista generalisque medicina est. Et tu qui putas manum habere te sanam, cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contrahatur. Extende sæpius eam, extende ad illum pauperem, qui te obsecrat : extende, ut proximum juves, ut viduæ præsidium feras, eripias injuriæ quem vides injustæ contumeliæ subjacere : extende ad Deum pro peccatis tuis. Sic manus extenditur, sic sanatur. Sic Hieroboam manum, cum idolis sacrificaret, contraxit : et rursus cum Deum rogaret, extendit (III *Reg.* XIII, 4 *et* 6).

(Vers. 12.) *Factum est autem in illis diebus, exiit* [a] *in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.*

41. Non omnis qui orat, ascendit in montem (est enim oratio quæ peccatum facit), sed qui bene orat, a terrenis ad superiora progrediens, verticem curiæ sublimis ascendit. At ille non ascendit in montem, qui de sæculi divitiis, aut de honore sollicitus est : non ascendit in montem, qui fundi jus optat alieni. Ascendit ille qui Deum quærit, ascendit ille qui cursus sui Dominica adjumenta deposcit. Omnes magni, omnes sublimes montem ascendunt; non enim cuicumque propheta dicit : *Ascende in montem excelsum, qui evangelizas Sion : exalta in virtute vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem* (*Esai.* XL, 9). Non vestigiis multis corporalibus, sed factis sublimioribus [b] in hunc montem ascendas. Sequere Christum, ut ipse esse mons possis : *Montes enim in circuitu ejus* (*Psal.* CXXIV, 2). Quære in Evangelio, invenies solos cum Domino montem ascendisse discipulos.

42. Orat ergo Dominus non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret; nam etsi omnia posuerit Pater in potestate Filii, Filius tamen ut hominis formam impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis; quia advocatus est noster. Noli insidiatrices aperire aures, ut putes Filium quasi infirmum rogare, ut impetret quod implere non possit potestatis auctor. Obedientiæ magister ad præcepta virtutis suo nos informat **1366** exemplo. *Advocatum*, inquit, *habemus apud Patrem* (I *Joan.* II, 1). Si advocatus est, debet pro meis intervenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quoniam omnia quæ velit, possit? Et advocatus, et judex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis.

43. *Et erat*, inquit, *pernoctans in oratione Dei.* Species tibi datur, forma præscribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri; quando Christus missurus apostolos, oravit prius, et solus oravit? Nec usquam alibi, si non fallor, orasse cum apostolis reperitur : ubique solus obsecrat. Dei enim consilium humana vota non capiunt, [c] nec quisquam interiorum potest esse particeps Christo. Vis scire quoniam mihi, non sibi oraverit?

(Vers. 13.) *Vocavit*, inquit, *discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis :*

44. Quos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinaret. Simul adverte cœleste consilium, non sapientes aliquos, non divites, non nobiles : sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur;[d] ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret.

45. (Vers. 16.) Eligitur et Judas, non per imprudentiam, sed per providentiam. Quanta est veritas, quam nec adversarius minister infirmat! Quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos judicium suum quam affectum maluit! Susceperat enim hominis fragilitatem; et ideo nec has partes recusavit infirmitatis humanæ. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi; ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum errasse judicium, perisse beneficium.

(Vers. 17.) *Et descendit*, inquit, *cum illis, et stetit in loco pede plano.*

46. Adverte omnia diligenter, quomodo et cum apostolis ascendat, et descendat ad turbas. Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia. Denique ubi descendit, invenit infirmos; in excelsis enim infirmi esse non possunt. Sic etiam Matthæus docet, (*Matth.* VIII, 1), in inferioribus debiles esse sanatos; prius enim unusquisque [e] sanatus est; ut paulatim virtutibus procedentibus, ascendere posset ad montem. Et ideo unumquemque in inferioribus sanat, hoc est, a libidine revocat, injuriam cæcitatis avertit. Ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam [f] et copia sui, naturæ compotes nos faciat esse cœle-

[a] Sic omnes edit. ac duo mss. Alii vero omnes, *in nocte orare.* Minus apposite ad sequentia.

[b] Vet. edit. et pauci mss., *in hunc montem si ascendas, sequeris Christum.* Rom.,.... *ascende, et sequere Christum.* Mss. alii multo plures ac potiores, ut in textu, nisi quod legitur in quibusdam, *ascendes*, Et rursus infra edit. Era. ac. seq. cum mss. aliquot, *Quare in Evangelio invenies :* Amerb. cum aliis multis, *Quære*, etc.

[c] Edit. ultimæ Paris., *nec quisquam inferiorum.* Mss. nonnulli, *nec quisquam exteriorum.* Commodius alii, ac vet. edit, *interiorum.*

[d] Mss. aliquot, *ut veritatis ratione, disputationis gratia prævaleret.*

[e] Rom. edit. et cod. Clarom., *sanandus est ut..... ascendere possit.* Aliæ, ac reliqui mss. ut in textu, nisi quod h rum aliquot legunt, *possit*, pro *posset.*

[f] Omnes edit., *et copia suæ naturæ comparticipes nos faciat esse regni cœlestis.* E contrario omnes mss. in lectionem nostram conveniunt.

Digitized by Google

stis. Et sanabat hos quidem, sed in inferioribus re- A linquebat.

**1367** 47. *Videns autem turbas*, ut legisti, *ascendit in montem. Et cum sedisset, ascenderunt ad eum discipuli ejus* (*Matth.* v, 1). [a] Evangelizaturus enim, et benedictionum de thesauro divinitatis prompturus oracula, incipit esse sublimior. Hic autem etsi in humili stabat, tamen oculos alte levavit. Sic enim etiam cum Lazarum suscitaret, infremuit spiritu (*Joan.* xi, 33) : sic etiam caput levavit, cum mulieri adulteræ peccata donaret (*Joan.* viii, 10). Quid est enim levare oculos, nisi interius lumen aperire?

48. Denique sanctus Matthæus : *Aperuit*, inquit, *os suum* (*Matth.* v, 2), thesauros scilicet sapientiæ et scientiæ Dei [b] reclusis adytis templi sui. Ora reseravit : ergo et tu aperi os tuum, sed prius ut ape- B riatur implora. Si enim Paulus in apertione oris sui implorat auxilium, multo magis implorare te convenit (*Ephes.* vi, 19). Ostendit etiam tibi clavem scientiæ, qua os aperire tuum debeas, dicens Propheta : *Aperi os tuum verbo Dei* (*Prov.* xxxi, 9). Verbum Dei clavis tui oris est : clavis scientiæ oris tui clavis est, qua laxatis silentii catenis, imperitiæ claustra reserantur.

(Vers. 20, 21, 22.) *Beati, pauperes spiritu, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia saturabuntur. Beati, qui nunc fletis; quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines.*

49. Quatuor tantum beatudines sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus (*Matth.* v, 3, *et seq.*) : sed in his octo illæ quatuor sunt, et C in istis quatuor illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales : ille in illis octo mysticum numerum [c] reservavit. Pro octava enim multi scribuntur psalmi (*Psal.* vi, 1, *et* xi, 1), et mandatum accipis octo illis partem dare fortasse benedictionibus (*Eccles.* xi, 2) ; sicut enim spei nostræ octava perfectio est : ita octava summa virtutum est.

50. Sed prius quæ sunt ampliora videamus. *Beati*, inquit, *pauperes; quoniam vestrum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Primam benedictionem hanc uterque evangelista posuit. Ordine enim prima est, et parens quædam generatioque virtutum : quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna : nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem.

51. Secunda benedictio : *Beati*, inquit, *mites*. Tertia, *Beati qui lugent*. Quarta, *Beati qui esuriunt*. Quinta, *Beati misericordes*. Sexta, *Beati mundo corde*. Septima, *Beati pacifici* (*Ibid.*, 4-9). Et bene septima; quoniam eo die ab omnibus mundi operibus requievit **1368** Deus (*Gen.* ii, 2); dies enim quietis, et pacis est. Octava, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v, 10).

52. Veni, Domine Jesu, doce nos ordinem beatitudinum tuarum; neque enim sine ordine dixisti, primo beatos pauperes spiritu, secundo beatos mites, et tertio qui lugent. Nam etsi cognosco aliquid, tamen ex parte cognosco. Si enim Paulus ex parte cognovit (I *Cor.* xiii, 9), quantum ego possum cognoscere? Paulo quantum vita, tantum etiam verbo inferior sum; vita enim verbum exigit et acquirit : sermo autem sine vita non est sermo Dei. Quanto me sapientior Paulus ! Ille gloriatur in periculis (II *Cor.* xii, 5 *et* 7), ego in successibus : ille gloriatur, quia revelationibus non extollitur : ego si quæ revelationes mihi contingerent, gloriarer. Sed tamen potest Deus de lapidibus homines suscitare, et verbum proferre de clausis, vocem elicere de mutis. Quod si asinæ oculos aperuit, ut videret angelum (*Num.* xxii, 27); potens est et nobis quoque aperire oculos, ut possimus Dei videre mysterium.

53. *Beati*, inquit; *pauperes*. Non omnes beati pauperes; paupertas enim media est : possunt et boni et mali esse pauperes. Nisi forte ille intelligendus pauper beatus, quem Propheta descripsit dicens :

[a] Ultima edit. Paris., *Evangelizaturus enim; et benedictionem de thesauro divinitatis prompturus, oraculo incipit*, etc. Mss. Clarom., *Evangelizaturus Dominus benedictionem, et prompturus oracula, incipit*, etc., Cæteri cod. scripti atque edit. nobiscum faciunt.

[b] Mss. prope omnes, non secus ac edit. ant. hunc locum iisdem quibus nos, verbis exhibent. Verum cum in his periodus tantum post verbum, *reseravit*, notato puncto, terminaretur, nullus hinc erui poterat legitimus sensus. Quare ut huic malo afferretur aliquid remedii, scriptor unius e mss. Colb. reposuit *ore*, pro *ora*, quæ voces omnino in ms. Clarom. prætermissæ sunt. In hoc Rom. edit. etiam cum Clarom. convenit, sed præterea addidit vocem *veteris*, ante vocem *templi*. Nos vero quo et sensui consuleremus, et communem lectionem retineremus, interpunctionem existimavimus restituendam, ut eam cernis.

[c] Omnes edit., *reseravit*. E contrario omnes propemodum mss., *reservavit;* id est, *servavit*, compositum pro simplici. Porro ut hunc locum cui offusæ tenebræ plusquam cimmeriæ multis videntur, pro nostra virili illustremus, lector advertat octonarium numerum duplici de causa mysticum dici. Prima est quia *de octava multi scribuntur psalmi :* per octavam autem beatam resurrectionem intelligi tum frequenti PP. Græcorum Latinorumque testimonio cognoscimus, ut puta Gregor. Nyss., Dydim. in psal. vi, Hilar. Prolog. in psal. et in psal. cxviii, Hieron., August., Cassiod. in psal. vi, etc.; tum ex verbis ipsius Ambrosii sup. lib. ii in cap. iii, et inf. lib. vi. in cap. D ix, *octava enim die facta est resurrectio; unde et plerique psalmi pro octava scribuntur*, intelligere est. Unde idem subdit octavam esse spei nostræ perfectionem, id est, terminum et coronidem. Secundam vero causam reddit, quod nobis præcipitur Eccles. xi, 2, *octo partem dare :* atqui per vocem *octo*, universalitatem designari Hieron. in Mich. vel alibi, Vatab., Estius aliique observarunt. Quapropter hic idem est, *octo benedictionibus partem dare*, atque *universis virtutibus operam dare*. Et hinc est quod additur, *ita et octava summa virtutum est ;* summa enim dicitur per allegoriam ad numeros, quibus collectis summa conficitur. Nec ob aliud ponitur adverbium, *fortasse*, nisi ut indicet hujus loci qui ad litteram de eleemosyna accipitur, nativam non esse interpretationem, vel etiam mystice de veteri novoque Testamento posse intelligi, ut alibi sæpius ipse interpretatus est. Sensus ergo est, per octavam et resurrectionem futuram, et virtutum universitatem ex æquo signari.

Digitized by Google

*Quia melior pauper justus quam dives mendax* (*Prov.* xix, 1). Beatus pauper qui clamavit, et Dominus exaudivit eum : pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper in quo mundi princeps nihil invenit : pauper illius æmulus pauperis, qui cum dives esset, propter nos pauper factus est. Unde plene Matthæus aperuit, dicens : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3); pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ.

54. Prima ergo ista benedictio est : cum deposuero omne peccatum, et exuero omnem malitiam, et simplicitate contentus fuero, inops malorum, superest ut et mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur utique illum qui ait : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* xi, 19). Depone igitur quæ improba sunt, [a] egeto vitiis secundum bonam paupertatem, mitiga affectum tuum; ut non irascaris, aut certe iratus ne peccaveris, juxta quod scriptum est : *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* iv, 5). Præclarum est enim motum temperare consilio ; nec minoris virtutis ducitur, cohibere iracundiam, indignationemque compescere, quam omnino non irasci; cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur.

1369 55. Cum hos feceris, memento quia peccator es ; lugeto peccata tua, lugeto delicta. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis; quia Trinitas est quæ peccata condonat. Ablue igitur te lacrymis tuis, et fletibus lava. Si tu ipse te fleveris, alius te non flebit; nam si Saul deflevisset peccata sua, Samuel eum non deflevisset (I *Reg.* xv, 35). Habet unusquisque quos fleat mortuos suos. Mortui sumus, quando peccamus, quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui exit de ore ; exit enim de sepulcro malo : *Sepulcrum autem patens est guttur eorum* (*Psal.* v, 11). Ideo dicit Apostolus : *Imitatores mei estote* (I *Cor.* iv, 16). Vult nos delictorum meminisse nostrorum. Paulus non habebat quod lugeret, ex quo in Christum credidit, et tamen priora deflebat dicens : *Quia non sum dignus vocari apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* xv, 9). Ille igitur peccator ante fidem, nos vero adhuc peccamus post fidem. Qui peccator est, defleat se, et arguat se, ut fiat justus : *Justus enim accusator est sui* (*Prov.* xviii, 17).

56. Ordinem igitur persequamur, quia scriptum est : *Ordinate in me charitatem* (*Cant.* ii, 4). Deposui peccatum, temperavi mores, delicta deflevi : esurire incipio et sitire justitiam. Æger enim cum in gravi morbo est, non esurit; quia ægritudinis dolor famem excludit. Sed quæ est ista fames justitiæ? Qui sunt isti panes quos esurit justus? Ne forte panes illi de quibus dictum est : *Juvenis fui, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal.* xxxvi, 25). Qui esurit, utique virium quærit augmentum. Quod autem majus virtutis incrementum, quam norma justitiæ?

57. Post hos : *Beati*, inquit, *misericordes* (*Matth.* v, 7); justitiam enim sequitur misericordia. Unde dictum est : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* cxi, 9). Sed etiam qui misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde miseratur; nam si jactantiam quærat, nullus est fructus. Emunda igitur interiora mentis tuæ; et si diligenter pectoris tui secreta mundaveris, compatere iis qui impugnantur; et intellige quanti hominum, quanti fratrum tuorum auxilium tuum quærant.

58. Sed nisi tu prius interiora tua vacuefeceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe; ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum ante mundaveris?

59. Profuisti igitur aliis, tulisti auxilium pluribus; festina, contende ad finem. Multi cum essent exitus vitæ, unus Domino competebat; nam quod natum erat secundum carnem, oportebat secundum carnem mori. Elegit passionem ut moreretur pro nobis ; et tu dic de omnibus quæ retribuit tibi Dominus : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* cxv, 13), hoc est, passionem. Unde etiam illis qui ad dexteram vel ad sinistram sedere cupiebant, ait : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* xx, 22). Usque ad finem te ducit, usque ad martyrium prosequitur, et constituit beatitudinum palmam.

1370 60. Vide igitur ordinem. Oportet te fieri pauperem spiritu; humilitas enim spiritus divitiæ virtutum sunt. Nisi pauper fueris, mitis esse non poteris. Qui mitis est, potest lugere præsentia ; qui inferiora luget, potest desiderare meliora; qui superiora quærit, [b] inferiora devitat; ut et ipse a superioribus adjuvetur; qui miseretur, cor suum mundat. Quid est enim mundare animum, nisi sordem mortis abolere? *Eleemosyna enim a morte liberat* (*Tob.* iv, 11) : patientia vero perfectio est charitatis. Qui autem patitur persecutionem, in ultimo certamine constitutus probatur adversis; ut cum legitime certaverit, coronetur. Hos quidam gradus volunt esse virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere.

61. Denique sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum; plus est enim Dei esse Filium, quam possidere terram, et consolationem

[a] Rom. edit. cum unico ms. Reg., *Egeto divitiis*. Minus apposite ad contextum.

[b] Reg. cod. solus, *inferiores adjuvet*; nimirum ut cum sequenti membro fiat antithesis; sed non ideo communis lectio deserenda. Et paulo post, omnes edit., *nisi sordem mentis abluere*, sic etiam mss. aliquot, excepto quod cum aliis legunt, *abolere*. Cæteri plures potioresque, *nisi sordem mortis*, etc., id est, corruptionem. Et hoc melius quadrat cum verbis sequentibus.

Digitized by Google

mereri. Sed quia et primum præmium regnum cœ- A lorum est, et ultimum præmium regnum cœlorum est: numquid æquale præmium incipientibus atque perfectis est? Ne forte mystice docemur quia est primum regnum cœlorum illud apostolicum: *Dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Habes primum regnum, quando sancti rapiuntur in nubibus obviam Christo in aera; multi enim dormientium surgent; isti in vitam æternam, illi in opprobrium. Primum ergo regnum cœlorum sanctis propositum est in absolutione corporis; secundum regnum cœlorum est post resurrectionem esse cum Christo. Cum fueris in regno cœlorum, tunc processus est mansionum; etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno cœlorum. Post resurrectionem terram tuam incipies possidere, absolutus a morte. Ille enim cui dicitur: B *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), non possidet terram suam; non enim potest esse possessor, qui non capit fructum. Absolutus igitur per Dominicam crucem (si tamen intra jugum Domini fueris inventus) consolationem in ipsa possessione reperies: consolationem sequitur delectatio, delectationem divina miseratio. Quem autem Dominus miseratur, et vocat; qui vocatur, videt vocantem; qui Deum viderit, in jus divinæ generationis assumitur: tuncque demum quasi Dei Filius, cœlestis regni divitiis delectatur. Ille igitur incipit, hic repletur. Nam et intra hoc sæculum multi in imperio Romano sunt; sed majorem imperii gratiam qui propiores imperatori sunt, consequuntur.

62. Nunc dicamus quemadmodum in quatuor be- C nedictionibus sanctus Lucas benedictiones sit octo complexus. Et quidem scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper est spiritu, avarus non est. Qui flet, non superbit; sed mitis est et pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui justus est, non negat [a] quod scit omnibus ad usum communiter datum. Qui miseretur, largitur de suo. Qui suum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo struit.

63. Connexæ igitur sibi sunt concatenatæque virtutes; ut qui unam habet, plures habere videatur: **1371** et sanctis una competit virtus, sed ejus quæ fuerit uberior, uberius est præmium. Quanta hospitalitas in Abraham! quanta humilitas (*Gen.* XVIII, 2)! [b] quanta sanctitas, ut fratris filium ab hoste servaret D (*Gen.* XIV, 16)! et quanta abstinentia, ut nihil de præda quæreret (*Ibid.*, 23)! Sed quia fide præstitit, fidei præ cæteris meruit principatum (*Gen.* XV, 6). Ergo unicuique plura præmia, quia plura incentiva virtutum; sed quod in aliquo merito copiosius, hoc etiam in præmio redundantius.

64. *Beati igitur pauperes spiritu.* Habes temperantiam, quæ a peccato abstinet, sæculum calcat, illecebrosa non quærit.

65. *Beati qui esuriunt et sitiunt*; qui enim esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit justus; quia *Justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* CXI, 9). Unde in Matthæo sitim et famem intelligimus spiritalem, qua [c] cibus justitiæ desideratur aut potus; quia virtus quasi materia quædam virtutum est, ut justus æqualem se inferioribus præstet, dolum excludat, veritatem requirat.

66. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Habes prudentiam, cujus est flere occidua, et ea quæ æterna sunt quærere; lugere sæcularia, [d] quæ seipsa compugnent: Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes; et qui ea quæ non sunt destruat, ut quæ sunt, possit adipisci.

67. (Vers. 23.) *Beati eritis cum vos oderint homines.* Habes fortitudinem, sed eam quæ non odium mereatur ex crimine; sed persecutionem patiatur ex fide; sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. Denique ut scias consummationem esse fortitudinis passionem: *Secundum hæc*, inquit, *faciebant prophetis patres eorum*; quia prophetas Judæi usque ad mortem corporis persecuti sunt. Est etiam fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere; ac per hoc fortitudo animum juxta corpusque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore; quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur.

68. Ergo temperantia [e] cordis habet animique munditiam, justitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo.

(Vers. 24.) *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram!*

69. Licet in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum; pleraque tamen sunt etiam incentiva virtutum. Quamquam virtus subsidia non requirat, et commendatior sit collatio pauperis, quam divitis liberalitas; tamen non eos qui habeant divitias, sed eos qui uti his nesciant, sententiæ cœlestis auctoritate condemnat. Nam ut ille pauper laudabilior, qui prompto largitur affectu, **1372** nec impendentis egestatis repagulis inhibetur, inopemque se non putat, qui habet quod naturæ satis est; ita hic dives criminosior, qui vel Deo referre gratiam de eo debuit quod accepit, nec censum ad communem usum datum sine usu abdere, defossisque terræ incubare thesauris. Non census igitur, sed affectus in crimine est. Et quamquam tota ætate custodiæ miserabilis sollicitas avara

[a] Ita edit. Amerb. et Era. cum maxima parte mss. Gill. autem ac Rom. cum aliis mss., *quod sit omnibus*, etc.

[b] Edit. Rom., *quanta charitas*: sed pietas in consanguineos sanctitatis nomine non tam improprie designatur, ut propterea videatur ab aliis edit. cunctisque mss. desciscendum.

[c] Sic mss. omnes ac edit. ant. nisi quod nonnulli mss. et edit. Era. et Gill. habent *quæ*, pro *qua*. Rom. vero elisa dictione, *virtus*, transposuit in hunc modum: *cibus aut potus desideratur justitiæ*, *quæ quasi*, etc.

[d] Mss. aliquot, *quæ se ipsa compungent*. Haud ita male.

[e] Mss. aliquammulti, *carnis habet animique munditiam*.

Digitized by Google

mens tendat excubias, [a] quo nulla pœna gravior est, successorum profutura compendiis anxio timore servare; tamen quoniam avaritiæ studia, et desideria congerendi, inani quadam voluptate pascuntur : qui consolationem vitæ præsentis habuerunt, remunerationem perpetuam perdiderunt.

70. Possumus hic tamen divitem intelligere populum Judæorum, vel hæreticos, vel certe mundi philosophos, qui ubertate verborum, et quodam ambitiosæ facundiæ patrimonio delectati, simplicitatem veræ fidei supergressi, thesauros inutiles condiderunt. Nonne tibi videtur hæreticus aliquis, cum audis eum de generatione Domini juxta usum sæculi disputantem, dives in verbis, pauper in viribus? Qui putat se in hoc tempore locupletes habere divitias : sed in futuro egestatem suæ fidei recognoscet; cibumque perfidiæ, [b] quem præsenti ætate ructaverit, æterno fidei commaceratus jejunio, causam tanti sciet esse supplicii. Eritque tempus, ut risus suos lugeant, [c] qui dicta nostra nunc rident. Quibus bene dicetur :

(Vers. 26.) *Væ cum bene vobis dixerint omnes homines!*

71. Nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in [d] Ariminensi concilio perfidæ prævaricationis auctores, dum imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt? Qui cum placere potentibus aucupantur, maledicto se perpetuo subdidere.

72. Ergo sanctus Matthæus præmiis ad virtutem et fidem populos provocavit : hic etiam a criminibus atque peccatis futurorum suppliciorum denuntiatione deterruit, qui non otiose plurimorum factorum cœlestium enumeratione progressus, ad benedictionum locum serius venit; ut populos divinorum miraculis roboratos, ultra Legis tramitem virtutum progredi vestigiis edoceret. [e] Fuerit cavendum illic, ubi adhuc infirmæ plebis corda nutabant : hic tubæ clangore excitanda virtus fuit. Docet hoc libri hujus, quæ in procemiis, et quæ in processu sermonis aperitur oratio. Illic qui infirmi sunt, adhuc quodam Legis lacte potantur, et ideo per Legis tramitem ducuntur ad gratiam : audiunt quæ Legis sunt, ut ultra Legem, Legem sequendo procedant : hic Ecclesia fundatior non lacte imbuitur, sed cibo **1373** vescitur; cibus enim validior est charitas. Denique inter tria maxima, fidem, spem, charitatem, major est charitas.

73. (Vers. 27.) Ordinatur igitur charitas, cum dicitur : *Diligite inimicos vestros*; ut compleatur illud Ecclesiæ, quod ante jam dictum est : *Ordinate in me charitatem* (*Cant.* II, 4); Ordinatur enim charitas, cum charitatis præcepta formantur. Vide quam ab altioribus cœperit, et Legem post benedictionis Evangelicæ terga rejecerit. Lex vicissitudinem imperat ultionis (*Exod.* XXI, 24); Evangelium inimicitiis charitatem, benignitatem odiis, vota maledictis, subsidia persequentibus, patientiam esurientibus et gratiam remunerationis impertit. Quanto athleta perfectior, qui non sentit injuriam!

74. (Vers. 31.) Et ne videatur Dominus Legem dissolvere, in beneficiis vicem servat, quam negligit in injuriis. Sed tamen dicendo : *Prout vultis ut faciant vobis homines, facite et vos illis similiter*, vicissitudo ipsa cumulatior est, quando votis actus æquatur. Nescit enim virtus mensuram gratiæ : nec contenta referre quod acceperit, vult cumulare quod sumpsit : ne inferior sit beneficio, licet æquetur officio. Non enim cumulo tantum, sed ordine et tempore beneficia pensantur; cum in beneficio pari prior sit, qui prior cœpit; beneficus enim est qui gratiam cœperit, debitor qui retulerit. Aliud itaque beneficium est [f] beneficii principatus; nam si qui pecuniam reddidit, non solvit gratiam, manetque debitor gratiæ, etsi jam non sit pecuniæ : cur gratiam referendo putamus posse vacuari, cujus relatio acceptæ magis est testimonium, quam absolutæ?

75. (Vers. 32.) Bono itaque exemplo imbuitur christianus; ut non contentus jure naturæ, gratiam ejus requirat. Si enim commune est omnibus, etiam peccatoribus, redamare : cui genus professionis excelsius, studium quoque debet esse virtutis uberius, ut diligat etiam non amantes. Nam etsi nulla merita diligendi usum amoris excludant, non tamen virtutis excluserint. Sicut enim in eo qui te diligit, pudet gratiam non referre; et gratiæ amore referendæ amor tibi ejus inolescit quem antea non amabas : ita etiam in eo qui non amat, debes amare virtutem; ut dum virtutem amas, incipias eum amare quem non amas : cum rara et caduca remuneratio sit amantis, sempiterna virtutis.

76. Quid autem tam mirum, quam percutienti maxillam præbere alteram? Nonne omnis indignantis frangitur impetus, ira sedatur? Nonne fit per patientiam, [g] ut sua amplius pœnitentia reverberes verbe-

[a] Rom. edit., *et quo nullo pœna . . . . anxio timore reservet*. Aperta quidem lectio, sed omni cum aliarum edit. tum mss. patrocinio destituta. Remur itaque hoc loco inesse hellenismum, ac verbum *servare*, sumi debere, pro, *ad conservandum*, τοῦ φυλάττειν, ubi præpositio supprimitur.

[b] Cod. Gem. et Prat., *quem præ satietate ructaverit*.

[c] Mss. non pauci, nec infer. notæ, *qui dicta nostra non credunt*.

[d] Celebre illud est Ariminense concilium anno Christi 359 celebratum, cui interfuere ex Arianis octoginta, ex Catholicis trecenti quinquaginta episcopi. Hi cum initio Nicænam fidem strenue propugnassent, ab ea tandem seu vi, seu minis, seu dolis, aut majoribus Constantii imperatoris promissis allecti, ad Arianas partes misere defecerunt. Verum de his fusius epist. ad Marcell. et de Basilicis non tradendis.

[e] Ita mss. et edit. Amerb. nisi quod in hac duobusque mss. legitur *Fuit*, pro *Fuerit*. Edit. vero Era., Gill. et Rom., *Fuit canendum illic*. Forte ut opponerentur inter se cantus ac tubæ clangor. At *cavendum* eo ponitur, quod superius dictum est populos a Matthæo præmiis ad fidem esse invitatos.

[f] *Principatus*, ponitur hic pro principio, sive initio, quemadmodum alibi principium pro principatu sive imperio positum reperimus. Vult igitur S. Ambrosius eum qui prior beneficium confert, dupliciter bene mereri.

[g] Nonnulli mss., *ut amplius pœnitentia tua reverberes verberantem*.

Digitized by Google

rantem? Ita erit ut et injuriam repellas, et gratiam A quæras. Ac sæpe maximæ causæ amoris existunt, cum patientia insolentiæ, gratia refertur injuriæ. Equidem, ut audire me memini, vel hoc solo pressum philosophiæ (*D. Laert. in Vita Plat.*) supercilium putamus; quod in tres partes illa sibi videtur divisisse justitiam : unam in Deum, quæ pietas vocatur : alteram in parentes, vel reliquum humanum genus : tertiam in mortuos, ut his exsequiarum **1374** justa solvantur. At vero Dominus Jesus Legis oraculum, ac philosophiæ fastigium supergressus, in eos quoque qui læserint, pietatis porrexit officium. Etenim si hostis qui tecum bello armisque certaverit, depositis armis, misericordiam suæ salutis adipiscitur, idque plerumque vel contemplatione naturæ, vel ipsius belli jure defertur, ut B subjectis vita tribuatur : quanto amplius meliore religionis intuitu deferendum est! Nam cum præliatorem appetitæ salutis causa non moveat, quid movere debet [a] militem pacis?

77. Itaque illud Apostolicum, quia *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur..... non inflatur* (1 *Cor.* XIII, 4), in his præceptis consummatum videmus. Si patiens est, debet patientiam verberanti : si benigna est, non debet respondere maledictis : si non quærit quæ sua sunt, non debet resistere diripienti : si non æmulatur, odisse non debet inimicum. Et tamen Apostolicis divinæ superfluunt præcepta pietatis; plus est enim donare, quam cedere : plus est amare inimicos, quam non æmulari. Quæ omnia Dominus et dixit, et fecit. Qui C cum malediceretur, non remaledixit : cum percuteretur, non repercussit : cum despoliaretur, non restitit : cum crucifigeretur, ipsis persecutoribus veniam postulavit, dicens : *Pater, dimitte illis peccatum, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 3). Criminatores suos excusabat a crimine. Illi crucem parabant, hic salutem et gratiam rependebat.

78. (Vers. 35.) Et tamen quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, et exemplum nobis attulit, et mercedem spopondit e cœlo, filios Dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores ejus. Qui enim festinat ad præmium, fastidire non debet exemplum; quia quanto præcellentius præmium, tanto impensius officium. Quanta autem misericordiæ merces, quæ in jus divinæ adoptionis D adsciscitur! Sequere igitur misericordiam, ut merearis gratiam.

79. (Vers. 36.) Late patet benignitas Dei : super ingratos pluit, malis fecunda non negat terra proventus. Idem mundi sol sacrilegos religiososque pariter illuminat. Aut ut mystice ista pendamus, propheticis populum Judæorum Dominus pluviis irrigavit, et solis æterni refulsit radiis, etiam non merentibus: Sed quoniam illi mundano rore maduerunt, Ecclesia Dei ad cœleste lumen adsciscitur; ita tamen ut illis quoque misericordiæ si credant, prærogativa servetur.

80. Addidit, non temere judicandum, ne cum sis tui conscius ipse [b] delicti, in alterum cogaris ferre sententiam.

81. (Vers. 44.) Magna etiam disciplina, ut de infructuosis fructuosa non quæras, nec de incultis proventum fecunditatis exspectes. Unicuique enim sua cultura dat fructus. In spinis istius mundi ficus illa non potest reperiri, quæ quia fecundis fructibus melior est, bene species ei resurrectionis aptatur : vel quia ut legisti : *Ficus dederunt grossos suos* (*Cant.* II, 13); quod immaturus, et inutilis, et caducus in Synagoga fructus ante præcessit : vel quia immatura vita **1375** nostra est in corpore, matura in resurrectione. Et ideo procul a nobis debemus sæculares sollicitudines abdicare, quæ mordeant animum, mentemque adurant; ut maturos fructus culturæ diligentis possimus adipisci : quod in incultis istius mundi reperire non possumus : *Quia non legunt de spinis ficus, neque de tribulis vindemiant uvam.* Alterum ad mundum et resurrectionem, alterum ad animam et corpus refertur : vel quia nemo peccatis fructum acquirit animæ suæ, quæ sicut uva proxima terris corrumpitur, in superioribus maturatur : vel quia nemo potest damnationem carnis evadere; nisi quem Christus redemerit, qui sicut uva pependit in ligno. Procul igitur ab illa carne, quæ damnato homini tribulos generare præcepta est (*Gen.* III, 18), levemus oculos spiritales, tendamus manus; ut Christum vindemiare possimus.

82. (Vers. 46.) Omnium autem fundamentum docet esse virtutum obedientiam cœlestium præceptorum, per quam domus hæc nostra non profluvio voluptatum, non nequitiæ spiritalis incursu, non imbre mundano, non hæreticorum possit nebulosis disputationibus permoveri.

83. (Cap. VII. — Vers. 1.) Pulchre autem ubi præcepta complevit, suorum præceptorum formam exsequi docet; nam statim gentilis centurionis servus Domino curandus offertur, in quo populus nationum, qui mundanæ servitutis vinculis tenebatur æger lethalibus passionibus, beneficio Domini sanandus exprimitur. Quod autem moriturum dixit, in eo Evangelista non fefellit; moriturus enim erat, nisi fuisset sanatus a Christo. Implevit igitur præceptum charitate cœlesti, qui sic dilexit inimicos; ut morti eriperet, atque ad perpetuæ spem salutis adscisceret.

84. (Vers. 6.) Quantum autem divinæ humilitatis insigne, ut cœli Dominus nequaquam dedignaretur

[a] Per *militem pacis*, intellige hominem christianum. Nam hic loci totius sensus est : si præliator ad victum hostem interficiendum non eo impellitur, quod sua ipsius vita ab eodem oppugnata sit, nihil esse debere quod christianum commoveat ad ultionem.

[b] Rom. edit., *delicti*, *dum alterum judicas, in te ipsum cogaris ferre sententiam.* Optime, si sensum spectes. At vero dissentiunt omnes mss. ac vet. edit. Nobiscum autem consentiunt, excepto quod pro, *cogaris*, ut habetur in mss. præferunt edit., *cogitaveris.*

Digitized by Google

centurionis servulum visitare? Elucet fides in operibus, A sed plus operatur humanitas in affectibus. Quod utique non ideo faciebat, quia absens curare non poterat: sed ut formam tibi daret imitandæ humilitatis, qua juxta humilioribus doceret ac superioribus deferendum. Denique alibi regulo dicit: *Vade, filius tuus vivit* (*Joan.* IV, 50); ut scias et potentiam divinitatis, et humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, ne in reguli filio videretur magis divitiis detulisse: hic ipse perrexit, ne videretur in centurionis famulo conditionem despexisse servilem; omnes enim, servus et liber, in Christo unum sumus.

85. Sed vide fidem prærogativam esse medicinæ. Adverte etiam in ipso populo gentili perspicaciam esse mysterii. Dominus pergit: excusat centurio, militarique deposito tumore, reverentiam sumit, et B ad fidem facilis, et ad honorificentiam promptus. Et bene Lucas etiam in occursum amicos dicit esse a centurione transmissos; ne præsentia sua gravare Domini verecundiam videretur, et officium officio provocasse. Hæc moraliter.

86. Mystice autem, quem Judæorum populus crucifixit, inviolatum ab injuria manere desideraret
**1376** populus nationum: et quod ad fidem pertinet, sermoni credidit, hoc est, non hominis, sed Dei potestate conjiciens dari a Christo hominibus sanitatem: quod vero ad mysterium spectat, vidit in pectora adhuc gentilium non esse penetrabilem Christum. Et ideo quia necdum cogitationis præteritæ maculas abluisset, gravari se magis Domini dignatione putavit, quam juvari. Sic illa vidua Sare- C ptana indignam se prophetico judicavit hospitio (III. *Reg.* XVII, 18). Ideoque Dominus in uno iste fidem gentium præferebat.

87. (Vers. 9.) Et quidem si sic legas: *In nullo tantam fidem inveni in Israel*, simplex intellectus et facilis est. Sin vero juxta Græcos: *Nec in Israel tantam fidem inveni*, fides hujus etiam electioribus, et Deum videntibus anteferture.

88. (Vers. 10.) Videte autem œconomiam: probatur fides domini, et servi sanitas roboratur. Potest ergo meritum domini etiam famulis suffragari non solum fidei merito, sed etiam studio disciplinæ. Spectate etiam alteram [a] œconomiam Dominicæ humilitatis: quæ non spondet, operatur; namque etsi nondum imperaverat sanitatem, tamen servi qui D missi fuerant, sanum servulum repererunt.

(Vers. 12-14.) *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce efferebatur defunctus filius unicus matris suæ: et hæc erat vidua: et turba multa civitatis cum illa. Quam cum videret Dominus, misericordia motus, dixit illi: Noli flere. Et accessit, et tetigit loculum.*

89. Et hic locus ad utramque redundat gratiam, ut et cito flecti divinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus, ejus præcipue quæ unici filii vel labore, vel morte frangatur; cui tamen viduæ gravitatis meritum exsequiarum turba conciliat: et hanc viduam populorum turba septam, plus videri esse quam feminam, quæ resurrectionem unici adolescentis filii sui lacrymis meruerit impetrare; eo quod sancta Ecclesia populum juniorem a pompa funeris, atque a supremis sepulcri suarum revocet ad vitam contemplatione lacrymarum; quæ flere [b] prohibetur, cum ei resurrectio debeatur.

90. Qui quidem mortuus in loculo, materialibus quatuor ad sepulcrum ferebatur elementis: sed spem resurgendi habebat; quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat; tamen posteaquam Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam; ut esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbi illius funeris portitores, qui corpus humanum lethali fluxu naturæ materialis urgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento jacemus exanimes, cum vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus mentem alit? Ili sunt nostri funeris portitores.

91. Sed quamvis suprema mortis spem vitæ omnis abstulerint, et tumulo proxima corpora jaceant defunctorum; verbo tamen Dei [c] jam moritura
**1377** resurgunt cadavera, vox redit, redditur filius matri, revocatur a tumulo, eripitur a sepulcro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulcrum tuum guttur est: *Sepulcrum enim patens est guttur eorum* (*Psal.* V, 11), unde verba mortua proferuntur. Ab hoc sepulcro te liberat Christus, ab hoc tumulo resurges, si audias verbum Dei.

92. Et si grave peccatum est [d] quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit; compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri. [e] Viscera sumus de visceribus ejus; sunt enim et spiritalia viscera, quæ habet Paulus dicens: *Ita, frater, ego te fruar in Do-*

[a] Rom. edit. sola, *œconomiam: Dominus quæ non spondet, operatur*, etc.

[b] Omnes edit. ac mss. non pauci, *prohibetur cum cui resurrectio debebatur*. Alii tamen plures ac potiores nobiscum faciunt. Illic ergo significatur ipsi Ecclesiæ filiorum suorum deberi resurrectionem: quod concinnius respondet antecedentibus.

[c] Rom. edit., *jam mortua resurgunt*: satis commode. Cum tamen aliæ et cuncti mss. præferant *jam moritura*, et priori membro corpora defunctorum nominata sint, videtur tertius loci sensus hic esse, ut corpora sive mortua, sive jam moritura verbo Dei dicantur resurgere: nisi malueris cadavera jam moritura vocari peccatores, eo quod nondum revera.

[d] Hæc confer, si lubet, cum iis quæ habentur lib. II. de Pœnit. cap. 2, ubi multa quæ variis ab auctoribus de peccatis canonicis, publicaque eorum pœnitentia solent explicari, istis plane similia ac pene eadem reperies.

[e] Ita edit. ac pauci mss. Alii autem partim, *Viscera Dei sumus, viscera Ecclesiæ*; partim, *Viscera sumus ejus Ecclesiæ*.

Digitized by Google

*mine, refice viscera mea in Christo* (*Philem.* 20). Nos ergo viscera sumus Ecclesiæ; quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Doleat igitur pia mater, assistat et turba: non solum turba, sed etiam multa compatiatur bonæ parenti. Jam resurges a funere, jam liberaberis a sepulcro: stabunt illi ministri tui funeris, incipies vitalia loqui, timebunt omnes; unius enim exemplo plurimi corrigentur. Laudabunt etiam Deum, qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulserit.

(Vers. 19.) *Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad eum dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?*

93. Non simplex intellectus in simplicibus est verbis; alioquin præsentibus superiora compugnant. Quomodo enim Joannes, quem in superioribus, Deo Patre demonstrante, cognovit, hic nescit? Quomodo et ibi quem ante nescivit, agnovit: et hic quem jam ante sciebat, ignorat? *Nesciebam*, inquit, *eum: sed qui misit me baptizare, ipse mihi dixit: Supra quem videris Spiritum sanctum descendentem* (*Joan.* I, 33). Et dicto credidit, et demonstratum agnovit, et baptizatum adoravit, et venientem prophetavit. Denique, *Ego*, inquit, *vidi, et testimonium perhibui*, *quoniam* [a] *hic est electus Dei* (*Ibid.*, 34). Quid ergo fieri posset ut sic propheta tantus erraret; ut de quo dixerat *Ecce qui tollit peccata mundi* (*Ibid.*, 29), adhuc eum Dei Filium esse non crederet? Aut enim insolentiæ est divina ei tribuere quem nesciat; aut de Dei Filio dubitasse perfidia est. Non cadit igitur in talem Prophetam tanti erroris suspicio.

94. Itaque si intellectus simplicis forma compugnat, spiritalem quæramus figuram. Et quia supra jam diximus (*in Luc. c.* III) in Joanne typum esse Legis, quæ prænuntia fuit Christi: recte Lex quæ pectoribus perfidorum, tamquam æterna carceribus luce vacuatis, corporaliter tenebatur inclusa, quam viscera fecunda pœnarum, et fores amentiæ coercerent, plenum exitum testimonii Dominicæ dispensationis sine Evangelii nequit [b] astipulatione perferre. Prophetavit quidem Lex in Exodo baptismatis gratiam per nubem et mare: **1378** spiritalem in agno prænuntiavit escam (*Exod.* XII, 5): fontem perennem designavit in petra (*Exod.* XVII, 6): remissionem peccatorum in Levitico revelavit (*Levit.* XXV, 10): regnum cœlorum annuntiavit in psalmis: terram repromissionis in Jesu Nave manifestissime declaravit.

95. Hæc omnia cum Joannis quoque congruunt testimonio: sed tamen tyrannicis mundi istius potestatibus quominus lucem Dominicæ resurrectionis effunderet, inclusa cohibetur. Mittit ergo discipulos suos ad Christum Joannes, ut supplementum scientiæ consequantur; quia plenitudo Legis Christus est: ut quoniam nutant plerumque dicta sine factis, et fides plenior gestorum testificationibus, quam verborum sponsionibus exhibetur, quæ tunc in pectoribus Judæorum velut obserata Lege nutabat, ipso spectaculo Dominicæ crucis, et pleno resurrectionis testimonio panderetur.

96. Et fortasse isti discipuli sunt duo populi, quorum unus ex Judæis credidit, alter ex gentibus, [c] qui ideo credidit, quia audivit. Voluerunt ergo isti videre propter illud: *Vestri autem beati oculi qui vident, et aures vestræ quæ audiunt* (*Matth.* XIII, 16). Sed etiam nos vidimus in Joanne: oculis nostris perspeximus in apostolis: et manibus nostris perscrutati sumus in Thomæ digitis. *Quod* enim *erat ab initio, quod audivimus, et quod vidimus, oculis nostris perspeximus, et manus nostræ scrutatæ sunt de Verbo vitæ, et vita apparuit* (I *Joan.* I, 1 *et* 2). Quando apparuit? Quando vidimus. Non sic apparebat antequam videretur. Gratias ergo Domino, qui crucifixus est pro fide nostra, crucifixus est pro cupiditatibus nostris. Mens mea in illo crucifixa est.

97. Itaque et nunc qui vetus Testamentum recensent, antequam cognoscant Evangelium, et quasi quædam Dominici corporis legunt vestigia, venturum putant, et requirunt utrum ipse sit Christus Dei Filius, qui venturus est. Et cum legunt quando cum Abraham locutus est (*Gen.* XVIII, 20 *et seq.*, *et* XXII, 1), vel quando se dux militiæ cœlestis ostendit (*Josue* V, 14), dicunt utique: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Cum autem venerint ad Evangelium, et cognoverint illuminari cæcos, ambulare claudos, audisse surdos, mundatos esse leprosos, mortuos resurrexisse, tunc dicunt: *Vidimus eum, et oculis nostris perspeximus*, et in vestigia clavorum ejus digitos nostros inseruimus. Videmur enim nobis vidisse quem legimus, spectasse pendentem, et vulnera ejus, spiritu Ecclesiæ scrutante, tentasse; si enim digito Dei ejiciuntur dæmonia, fides quoque digito Ecclesiæ reperitur. Aut fortasse in parte quadam operatrice corporis nostri omnes videmur investigasse Dominicæ seriem passionis; fides enim per paucos ad plures pervenit. Lex ergo Christum venturum annuntiat: Evangelii scriptura venisse confirmat.

98. Nonnulli etiam de ipso Joanne sic intelligunt, magnum quidem ita prophetam, ut Christum agnosceret, annuntiaret remissionem peccatorum futuram: sed tamen non tamquam dubium, sed tamquam pium vatem, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non **1379** igitur fide, sed pietate dubitavit. Dubitavit et Petrus dicens: [d] *Propitius esto, Domine, non fiet hoc* (*Matth.* XVI, 22). Ille fidei princeps (cui se Christus nondum Dei Filium dixerat, et tamen ille (*Ibid.*, 16) crediderat de morte

[a] Rom. edit. cum paucis iisque recentioribus mss., *Hic est Filius Dei*. Cui lectioni favet etiam sacer textus. Reliquæ tamen edit. cum cæteris mss., *hic est electus Dei*.

[b] Edit., *astipulatione proferre*; mss. nonnulli, *præferre*; reliqui, *perferre*.

[c] Mss. aliquot, *qui Deo credidit*, etc.

[d] Edit., *Propitius esto tibi, Domine*; sed vox *tibi* non legitur in mss.

Digitized by Google

Christi nec Christo credidit. Pietatis affectus, non indevotionis est lapsus. Denique alibi lavari sibi pedes recusat, ubi mysterium non agnoscit, dum Dominico gravatur obsequio (*Joan.* XIII, 8). Ergo moriturum Christum nec sancti crediderunt: *Quod* enim *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, hæc præparavit Deus diligentibus eum* (I *Cor.* II, 9). [a] Religiosis itaque lapsus amoris fidem non impedit.

99. Denique Dominus sciens neminem sine Evangelio plene credere posse; quia sicut fides a veteri incipit Testamento, ita impletur in novo: interrogatus de se, non verbo aliquo, sed factis se esse signavit.

(Vers. 22.) *Ite*, inquit, *nuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

100. Plenum sane testimonium quo Dominum Propheta cognosceret; de ipso enim, non de alio fuerat prophetatum: quia *Dominus dat escam esurientibus, Dominus erigit allisos, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus diligit justos, Dominus custodit advenas, orphanum et viduam suscipiet, et viam peccatorum exterminabit* (*Psal.* CXLV, 8 *et* 9). Qui ista, inquit, faciet: *Regnabit Dominus in æternum* (*Ibid.*, 10). Ergo non humanæ ista, sed divinæ virtutis insignia sunt, cæcis perpetuæ noctis tenebras aperire, defossorumque oculorum vulnera infusa luce sanare, auditum in aures insinuare surdorum, laxatis soluta membra reformare compagibus, in lucem quoque refuso vigore vivendi revocare defunctos.

101. Hæc ante Evangelium vel rara, vel nulla. Receperit Tobias oculos (*Tob.* XI, 12), unus est in exemplo; et tamen angeli fuit illa medicina, non hominis. Elias mortuum suscitaverit: ille tamen rogavit et flevit (III *Reg.* XVII, 20): hic jussit. Elisæus leprosum mundari fecerit (IV *Reg.* V, 14); non tamen illic valuit præcepti auctoritas, sed figura mysterii. Non defecerit ad escam viduæ esurientis, propheticis se multiplicans farina præceptis (III *Reg.* XVII, 16); unam tamen viduam farina illa, vel potius eamdem quoque sacramenti species præfigurata servavit. Sed tamen parva adhuc ista Dominicæ testificationis exempla sunt: plenitudo fidei, crux Domini, [b] obitus, sepultura est. Et ideo cum illa superiora dixisset, addidit:

(Vers. 23.) *Beatus*, inquit, *qui in me non fuerit scandalizatus.*

102. Crux enim etiam electis scandalum posset afferre: sed nullum hoc majus divinæ personæ est testimonium: nihil est quod magis esse ultra humana videatur, quam toto unum se obtulisse pro mundo; hoc vel solo plene Dominus declaratur. Denique sic designatus est a Joanne: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29.) Verum hoc

A non duobus illis viris Joannis discipulis, sed nobis omnibus respondetur; ut ita credamus in Christum, si facta conveniunt. Veniet enim qui **1380** hoc sibi nomen usurpet, quem licet hominis non queas appellatione secernere; factorum tamen consideratione discernas.

(Vers. 24.) *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento moveri?*

103. Ubi præmonuit discipulos Joannis in crucem Dominicam esse credendum, redeuntibus illis, conversus ad turbas, cœpit ad virtutem pauperes provocare; ne exaltati corde, mente instabiles, consilio infirmi, speciosa utilibus, æternis caduca præferrent: sed humili spiritu crucem potius tollerent, quam phaleras mundi hujus extollerent: et quasi beati

B pauperes, qui nihil haberent sæculi quod amitterent, libenter corporis vitam cum immortali gloria commutarent. Non otiose igitur sancti Joannis hic persona laudatur, qui vitæ amore posthabito, justitiæ formam nec mortis terrore mutavit.

104. *Quid*, inquit, *existis in desertum videre?* Deserto mundus hic comparari videtur, adhuc incultus, adhuc sterilis, adhuc infecundus, in quem negat nobis ita Dominus prodeundum, ut mente carnis inflatos vacuosque virtutis internæ viros, et fragili se gloriæ sæcularis sublimitate jactantes, pro exemplari quodam et imagine nobis putemus imitandos: quos procellis mundi hujus obnoxios vita mobilis inquietat, jure arundini comparandos: in quibus solidæ justitiæ nullus est fructus: qui forensibus criniti

C phaleris, nodis obsiti, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui utilitate, frequenti etiam offensione, intus inania, foris speciosa sectantur. Arundines sumus, nulla validioris naturæ radice fundati. Et si levis aspiraverit prosperioris aura successus, vago motu proximos verberamus: inopes ad suffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluvios amant, et nos labentia mundi caducaque delectant.

105. Tamen hanc arundinem si quis de terræ evellat plantariis, et superfluis exuat, exspolians se veterem hominem cum actibus ejus, et scribæ velociter scribentis manu temperet, incipit non arundo esse, sed calamus, qui præcepta cœlestium Scripturarum penetralibus imprimat mentis, tabulis cordis inscribat. De quo calamo habes dictum: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2):

D quod ad Christum alii referre volunt. Uno igitur loco et verbum, et calamus legitur, et scriba. Verbum, quia de genitali Patris processit arcano: *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Ibid.*). Calamus, quia caro Christi paternæ seriem voluntatis expressit, et linguæ mandata divinæ sacri effusione cruoris implevit. Scriba, quia calamo suo individua quadam distinctione, novi et veteris Testamenti, vel divinitatis et carnis, paternæ nobis dispositionis mysteria revelavit.

106. Hunc calamum imitare tuæ carnis tempera-

[a] Edit. omnes ac mss. nonnulli, *Religiosus itaque.* Alii multo plures, *Religiosis itaque*. Duo, sed recentiores addunt, *viris.*

[b] Mss. non pauci, *obitus sepulturæ. Et ideo*, etc.

Digitized by Google

mento. Et calamum tuum, hoc est, carnem tuam tinge non atramento, sed spiritu Dei vivi; ut quod scribis, æternum sit. Tali calamo Paulus illam epistolam scripsit, de qua dicit: *Epistola nostra vos estis..... scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi* (II *Cor.* III, 2 *et* 3). Tinge carnem tuam in Christi sanguine sicut scriptum est: *Ut tingatur pes tuus in sanguine* (*Psal.* LXVII, 24). **1381** Et tu ergo vestigium animi tui, et mentis incessum indubitata confessione crucis Dominicæ tinge. Tingis carnem tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tua carne circumferas, sicut Apostolus ait: *Mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes* (II *Cor.* IV, 10). Noli ad terrena inflecti, ne tuam arundinem frangas. Et ideo de Christo, quia non erat ad terrena curvandus, prophetatum est: *Arundinem quassatam non confringet* (*Esai.* XLII, 3); quoniam carnem quam peccata quassaverant, resurrectionis virtute solidavit. Bona arundo caro Christi, quæ serpentis diaboli caput, et mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.

(Vers. 24, 25.) *Sed quid existis in desertum videre? Arundinem vento moveri? Quid existis videre? Hominem mollibus vestimentis indutum?*

107. Non hic Domini sermo de vestibus; quamquam plerosque mollioris cura vestis effeminet, qui quasi lanæ onus ferre non possint, sericas vestes tectis per terram verrunt vestigiis, usuque faciunt ut amictus oneri sit. Sed tamen alia videtur hic indumenta signare, et nisi fallor, humana corpora quibus anima nostra vestitur. Denique et Joseph tunica ad speciem Dominici corporis cruentata est (*Gen.* XXXVII, 31). Et Apostolus ait: [a] *Exuens se carnem, principatus et potestates omnes traduxit* (*Coloss.* II, 15). Quid aliud ostendit, nisi vice indumenti corpus fuisse, quo se ista exspoliavit Dominus in passione, ut divinitas libera immunisque maneret injuriæ? Totus igitur hic locus exemplo nos prophetico ad virtutem subeundæ passionis hortatur. Denique addidit:

(Vers. 25.) *Ecce qui in veste pretiosa sunt in domibus regum sunt.*

108. Sunt etiam mollia indumenta deliciosi actus et mores: propter quod nos hortatur Apostolus (*Coloss.* III, 9 *et* 10), ut exspoliantes veterem hominem cum actibus ejus induamus novum, in quo non dulcis illecebra sit, ludusque lasciviæ, sed usus laboris et fructus; eo quod tenera corporis cura, luxuque, et lasciviarum cupiditate mollitos nequaquam cœlestis aula suscipiat, ad quam duris laboriosæ gradibus virtutis ascenditur. Illi vero quibus fluida deliciis membra solvuntur, regni cœlestis extorres, intra mundi hujus habitacula consenescunt, quos rectores hujus mundi [b] atque tenebrarum incolas esse non dubium est. Hi (sunt enim reges (*Ephes.* XVI, 21), quia sæculari quadam potestate dominantur) suorum æmulos operum receperunt.

(Vers. 26.) *Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plus quam propheta hic est.*

109. [c] Quomodo igitur in deserto Joannem videre cupiebant, qui erat clausus in carcere? Quem nobis Dominus imitandum proponit, qui viam Domino non solum nascendi secundum carnem ordine fideique nuntio, sed etiam præcursu quodam gloriosæ paraverit passionis. Major **1382** sane propheta, in quo finis est prophetarum. Major propheta, quia multi cupierunt videre quem iste prophetavit, quem iste conspexit, quem iste baptizavit.

110. Sed tamen numquid et illo major, de quo Moyses dixit, quia *Prophetam.... vobis suscitabit Dominus noster* (*Deut.* XVIII, 15)? Et de quo dixit: *Erit autem omnis anima quæ non audierit prophetam illum exterminata de plebe* (*Ibid.*, 19)? Si igitur Christus propheta, quomodo major hic omnibus? Numquid Christum prophetam negamus? [d] Immo et Dominum prophetarum confitemur: Joannem autem prophetam assero, et hunc omnibus dico esse majorem, sed inter mulieris, non virginis natos. Major enim fuit iis quibus æqualis esse poterat sorte nascendi (*Luc.* VII, 28). Alia ista natura est, nec cum humanis generationibus comparanda. Non potest homini cum Deo esse ulla collatio; suis enim quisque præfertur. Denique eousque cum Dei Filio non poterat Joannis ulla esse collatio; ut et infra Angelos æstimetur.

(Vers. 28.) *Nam qui minor est*, inquit, *in regno cœlorum, major est eo.*

111. Etenim quoniam angelum dixerat, hominibus jure prælatus est; et quia inter natos mulierum declaraverat potiorem (*Vers.* 27), ideo addidit: *Nam qui minor est in regno cœlorum, major est eo*; ut angelis scires esse cedendum. Merito autem Joannes suis præfertur æqualibus, a cujus diebus *Regnum cœlorum cogitur* (*Matth.* XI, 12). Quæ subobscura videtur esse locutio, et ideo eam de alio libro Evangelii putavimus derivandam. Nam si litteram sequamur, utique inferior a potiore cogitur: regnum autem cœli præstat humanis. Sed cum sint aliqua quæ cogendo densari feruntur, non est absurdum quia cogitur regnum, quando a pluribus frequentatur.

112. *Cogentesque diripiunt illud* (*Ibid.*). Si repetamus Dominicum illud quod scriptum est, dicente Filio Dei: *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21); advertimus in nobis regnum cœleste solidari, cum Christus exploso mundani principis regno, fugatisque

[a] Rom. edit. sola, *Exuens principatus*. In quo ei patrocinatur textus Apostoli, atque omnes versiones, Syriaca excepta, quæ nobiscum facit.

[b] Ita mss. septem melioris notæ. Alii nonnulli, *atque tenebrarum cœperunt. Hi sunt*, etc. Reliqui demum et edit., *atque tenebrarum vocat Apostolus. Hi sunt enim reges*. Rom. expunxit *sunt enim*.

[c] Resecaverat edit. Rom., *Quomodo igitur.... clausus in carcere?* Quæ quidem verba non esse hoc loco plane supervacanea ex eo intelligitur, quod infra de præcursu passionis subjicitur.

[d] Amerb. ac Era. cum mss. probatioribus. *Immo et dominum prophetarum* (mss., *prophetam*) *assero, et hunc omnibus*, etc. Quod minime displicet. Gill. tamen, ac Rom. edit. cum aliis mss. ut nos in textu.

Digitized by Google

deliciis sæcularibus, intra nostrorum secreta regnat A animorum. Vis igitur menti affertur humanæ, quæ diversis illecebris delinita laborem fugit, voluptatem expetit; cum vel metu supplicii coercita, vel præmio provocata, vincere ipsa se nititur: et tamquam exantlatis laboribus, palmam quæ sibi plurimis adversantibus, subtrahebatur, contendit eripere. Rapimus enim ex hoc mundo palmam salutis, et quasi excubantibus obsessos serpentibus fructus pervigili labore decerpimus; ita tamen ut non furtiva sublatio, sed direptio sit triumphalis. Est et aliud direptionis genus, quando aliis sublata diripimus. Qui sint igitur raptores illi, non laboramus intelligere, cum de Benjamin lupi rapacis genere nos manare noverimus (*Gen.* XLIX, 27). Præcesserat Joannes, ut justificaret populum Judæorum: ipse Dominus venerat ad oves B perditas domus Israel: apostolos destinaverat, ut fidem **1382** populi Judæorum vel disputatione, vel signis, miraculisque fundarent: sed cum illi munera sibi oblata defugerent, publicani et peccatores in Deum credere, in fidem coire cœperunt. In his igitur apostolica prædicatione regnum cœlorum cogitur, et fidelis populi aspiratione solidatur.

113. Diripit regnum illa quæ fluxu sanguinis laborabat (*Luc.* VIII, 44); nam cum Dominus ad filiam principis synagogæ tenderet, furtive quodam tactu sanitatis remedium [a] prælibavit. Diripit regnum illa Chananæa, quæ a suis finibus egressa clamabat dicens: *Miserere mei, Domine, Fili David: filia mea male a dæmonio vexatur* (*Matth.* XV, 22). Vere hæc regnum coegit, pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis. Prætereuntem revocat, ta- C centem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat. Nonne tibi videtur eripere, cum elicit quod negatur, præripere quod aliis reservatur? Negaverat enim Dominus panem filiorum dari canibus oportere: at illa consensit, et consentiendo diripuit dicens: *Utique, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (*Ibid.*, 27).

114. Didicisti quemadmodum regnum cœleste rapiatur. Cogamus igitur et nos, diripiamus illud; nemo enim nisi festinans pascha manducat (*Exod.* XII, 11). Sed quæ est ista quæ rapit regnum? Non improbitas, non lascivia, non voluptas: sed illa de qua dicitur: *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis* (*Matth.* XV, 28). Ecce rapuit, quæ quod voluit, impetravit: quod rogavit, extorsit. Rapuit et illa vidua, quæ frequenter orando, si non propter innocentiam, saltem propter importunitatem ut exaudiatur, extorquet (*Luc.* XVIII, 3).

**1384** 115. Rapuit igitur Ecclesia Synagogæ regnum. Regnum meum Christus est: rapio illum Judæis missum sub Lege, natum in Lege, nutritum juxta Legem: ut me qui eram sine Lege, servaret. Rapitur Christus, cum aliis promittitur, aliis prædestinatur: rapitur Christus, cum aliis nascitur, aliis suffragatur: rapitur Christus, cum ab aliis occiditur, sepelitur a nobis: rapitur insidiantibus, rapitur dormientibus. Habes ubi ipsi confessi sunt nos rapuisse, se dormisse, dicentes: *Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII, 13). Surge igitur qui dormis; ne et tu dum dormis, Christum amittas. *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* V, 14). Vides mortuos esse qui dormiunt? Et ideo non invidemus aliis, sed providemus nobis; non enim mortui poterant servare viventem.

116. Exsurgant vel sero qui dormierunt, etiam qui Christum perdiderunt. Non sic amittitur Christus, [b] ut non revertatur, si tamen requiratur: sed vigilantibus regreditur, et exsurgentibus præsto est: immo omnibus adest, qui ubique semper est, quia complet omnia. Nulli enim deficit, nos deficimus: nulli, inquam, deficit, superabundat omnibus; superabundavit enim peccatum, ut superabundaret gratia. Gratia Christus est, vita Christus est, Christus est resurrectio: qui surgit igitur, invenit esse præsentem.

117. Rapitur ergo regnum cœlorum, cum Christus a domesticis denegatur, a gentilibus adoratur: rapitur cum ab illis repudiatur, a nobis colitur: rapitur cum per hæreditatem non agnoscitur, per adoptionem acquiritur.

[a] In cod. Fal. et duobus Colb. post verbum, *prælibavit*, interpolantur sequentia: *Dæmones, inquit, ejicite, et discite quis in ea dignus sit, atque ibi manete. Itaque nec hic mandatum videtur ut Christum Dei Filium prædicarent. Ordo igitur disputationis est ordo tractans; et ideo si hic diripit regnum*, etc. Sed hæc omnia aliunde in textum translata esse manifestum est.

[b] Sic omnes mss. E contrario omnes edit., *ut non reperiatur*.

# LIBER SEXTUS.

**1383** (Vers. 29, 30.) *Et omnis populus audiens, et Publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis: Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in se, non baptizati.*

1. Aperuit sanctus Lucas specialibus additis, quod quasi generalibus sanctus Matthæus subobscurum reliquerat; ille enim ait: *Et justificata est sapientia* D *a filiis suis* (*Matth.* XI, 19). Primum quæ sit illa sapientia, hic videmus expressum; ait enim: *Justificaverunt Deum.* Deus ergo sapientia est: quia sapientia Dei Filius est: sapientia per naturam, non per profectum. Alia est sapientia Dei Patris virtus, alia sapientia virtus animæ: [a] illa nata est, hæc creata. Alia sapientia auctor operum, alia opus; opus enim

[a] Rom. edit. sola, *illa genita est*. Sed quorsum ista mutatio, cum Christus passim in scriptis Patrum, variisque Symbolis quæ et recipit, et quotidie cantat Ecclesia, non modo *genitus*, verum etiam *ex Patre natus* dicatur.

Digitized by Google

mentis sapere prudenter, sentire vivaciter. Hæc dona A naturæ sunt: operator autem non creatura est, sed creator, hoc est, non naturæ munus, sed munerator naturæ.

2. Justificatur itaque Deus ipse per baptismum, 1384 dum se homines peccata propria confitendo justificant, sicut scriptum est: *Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 26). Justificatur in eo, quia non per contumaciam refutatur, sed per justitiam Dei munus agnoscitur: *Justus enim Dominus, et justitiam dilexit* (*Psal.* X, 8). In eo ergo justificatio Dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur et justos sua munera transtulisse. Justificemus igitur Dominum, ut justificemur a Domino.

3. Quid sit justificari Deum, impensius requiramus. Apostolus dicit: *Sit autem Deus verax, omnis* B *autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Rom.* III, 4). David quoque dicit: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* L, 6). Ergo is qui peccat, et confitetur Deo peccatum, justificat Deum cedens ei vincenti, et ab eo gratiam sperans. In baptismate igitur justificatur Deus,[a] in quo est confessio, et venia peccatorum.

1385 4. Non contemnamus igitur sicut Pharisæi consilium Dei. Consilium Dei est in baptismate Joannis: quis igitur dubitet Dei esse consilium in Christi lavacro? Hoc est consilium quod magni consilii Angelus reperit, quod nemo cognovit: *Quis enim cognovit sensum Domini* (*Rom.* XI, 34)? Hominis consilium C nemo contemnit, Dei consilium quis refutet? Ergo quasi filii matrem justificemus, matrem sequamur. Scimus quia mater pro filiis se offert periculo. [b] Matris sapientiæ consilio, matris obediamus imperio.

(Vers. 32.) *Cantavimus vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non plorastis.*

5. Etsi non incongrua hæc puerorum videantur esse personæ, qui levem corporis motum imprudentia adhuc maturioris gravitatis exercent; tamen ad altiorem sensum referri posse præsumo, eo quod videantur Judæi, nec psalmis primo, nec threnis postea propheticis credidisse: psalmis ad præmia provocati, threnis ab errore revocati. Cantavit David, ut in salicibus nostra suspenderemus organa (*Psal.* CXXXVI, 2). Cantavit ipse, et ante arcam Do- D mini non pro lascivia, sed pro religione saltavit (II *Reg.* VI, 14). Ergo non histrionicis motibus sinuati corporis saltus, sed impigra mentis, et religiosa corporis agilitas designatur. Sed non in triumphis, non in excidiis Judæorum secuta correctio est, qui divinæ indulgentiæ muneribus provocati, levare mentem, corpus attollere, terrena deserere, cœlestia quærere debuerunt, et injuriis captivitatis attriti, deflere peccatum, quod culpa esset auctor injuriæ.

6. (Vers. 35.) *Justificata est ergo Sapientia ab omnibus filiis suis.* Bene ab omnibus, quia circa omnes justitia servatur, ut susceptio fiat fidelium, rejectio perfidorum. Unde plerique Græci sic habent: *Justificata est Sapientia ab omnibus operibus suis;* quod opus justitiæ sit, circa uniuscujusque meritum servare mensuram.

7. Bene ergo dicit: *Cantavimus vobis, et non saltastis* (*Exod.* XV, 1). Cantavit enim Moyses quando in mari Rubro ad transitum Judæorum fluctus obriguit, unda circumstetit, eodemque equos Ægyptiorum, ascensoresque refusa demersit. [c] Cantavit Esaias dilectæ vineæ suæ canticum (*Esai.* V, 1), significans asperam flagitiis fore plebem, quæ fecundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantaverunt Hebræi, cum vestigia eorum tacta flammæ rorantis humescerent, et intus extraque ardentibus omnibus; solos tamen ignis innoxius lamberet, nec adureret (*Dan.* III, 24). Habacuc quoque cantico publicam doctus mulcere mœstitiam, prophetavit dulcem Domini fore fidelibus passionem (*Habac.* III, 2). Cantaverunt ergo prophetæ spiritalibus modulis publicæ salutis oracula resultantes. Fleverunt prophetæ threnis flebilibus dura Judæorum corda mulcentes.

8. [d] Docuit nos Scriptura cantare graviter, psallere spiritaliter (*Psal.* XLVI, 8). Docuit etiam saltare sapienter, dicente Domino ad Ezechiel: *Plaude manu, et percute pede* (*Ezech.* VI, 11); neque enim [e] histrionicos fluxi corporis motus Deus morum censor exigeret, aut 1386 [f] indecores crepitus viris, plaususque femineos imperaret, ut tantum prophetam deduceret ad ludibria scenicorum, et mollia feminarum. Non congruunt resurrectionis revelata mysteria, et opprobria saltationis exacta. Sane est quidam proprius bonorum actuum factorumque plausus, cujus sonus in orbem exeat, et bene gestorum resultet gloria. Et honesta saltatio, qua tripudiat animus, et bonis corpus operibus elevatur, quando in salicibus organa nostra suspendimus.

[a] Hanc primis Ecclesiæ temporibus constat obtinuisse consuetudinem, ut sacro baptismate abluendi non modo jejuniis atque orationibus sese ad sacramentum regenerationis præpararent, verum etiam confessione peccatorum. Hujus moris testis Cyrillus, Hieros. Catech. 1; Greg. Nyss., Orat. 40, In sacrum lavacrum; Chrys., Hom. 10, in c. XIII Matth., et Socrates, Hist. eccl., l. V, c. 17; Tertul., lib. de Baptis., c. 19, et alii. Verum hanc confessionem sacramentum non fuisse, sed tantum ad baptismum religiosius suscipiendum dispositionem prudenter admonuit Menardus noster *In Sacram. Greg.*, pag. 158, quem consule.

[b] Mss. non pauci, *Matris sapienti consilio*. Unus, *Matris sapientiæ, matris consilio*. Melius alii, atque edit., *Matris Sapientiæ consilio*; ut nempe referatur ad superius illud: *Et justificata est Sapientia a filiis suis.*

[c] Rom. edit. sola, *Cantavit Esaias dilecto dilecti vineæ*, etc.

[d] Aliquot mss., *docuit etiam psallere sapienter*.

[e] Vet. edit., *histrionicos fluxu corporis motus*. Rom. cum paucis mss., *flexu corporis*, etc., non male. Plures tamen ac potiores, *fluxi*, etc. hoc est, mollis et effeminati.

[f] Edit. ac mss. nonnulli, *indecores strepitus viris*; alii plures et potiores,.... *crepitus viris*. Melius; solebant enim inter saltandum digitis et crepitaculis edi crepitus.

Digitized by Google

9. Jubetur ergo propheta plaudere manu, et percutere pede: jubetur psallere, quia sponsi nuptias jam videbat, in quibus desponsatur Ecclesia, Christus adamatur. Et bonæ nuptiæ, quando Verbo anima, spiritui caro nubit. In his propheta David nuptiis ludere nos voluit, ad has invitavit, quia suos posteros copulabat; et ideo lætior quam cæteri, quasi in ipso actu nuptiarum positus, nos ad celebritatem festi muneris adhortatur dicens: *Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara* (*Psal.* LXXX, 2 *et* 3). Nonne actum quemdam prophetæ saltantis advertis? Denique alibi: *Psallam tibi in cithara, sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti* (*Psal.* LXX, 22 *et* 23). Audis citharizantium voces, audis saltantium crepitus? Nuptias crede.

10. Sume et tu citharam, ut pulsata spiritus plectro interiorum chorda venarum, boni operis sonum reddat. Sume psalterium, ut harmonia dictorum factorumque tuorum concinat. Sume tympanum, ut organum tui corporis spiritus moduletur interior, factisque operantibus dulcis morum tuorum suavitas exprimatur. Sic psallebat propheta, cum diceret: *Veni huc a Libano, sponsa, veni huc a Libano* (*Cant.* IV, 8).

11. Hoc canticum cecinerunt pueri, nec auditi sunt. Qui pueri? De quibus dicit: *Ecce ego, et pueri quos dedisti mihi* (*Esai.* VIII, 18). Sed hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur, sed in Hierusalem; ipsa est enim Dominicum forum, in quo præceptorum cœlestium jura conduntur.

(Vers. 37.) *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.*

12. Hoc loco plerique pati videntur scrupulum, et serere quæstiones, utrumnam videantur Evangelistæ duo discordasse de fide; an vero aliquam in dictorum diversitate diversitatem signare voluisse mysterii? Habes enim in Evangelio secundum Matthæum quia *Jesus cum venisset in Bethaniam, in domum Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et recumbente illo, fudit super caput ejus* (*Matth.* XXVI, 6 *et* 7). Deinde istic: *Pharisæus intra se dicit, quod si esset propheta, sciret peccatricem, et unguentum ejus vitare deberet* (*Ibid.*, 8). Illic unguento effuso discipuli conqueruntur. Utrumque igitur explicandum est, sed ante quod scriptorum ordine prius est, priorem quoque ordinem interpretationis accipiat.

13. Venit ergo Dominus Jesus in domum Simonis leprosi. Apparet œconomia, quod leprosum non refugit, non vitat immundum, ut maculas humani corporis possit abolere. Domus autem **1387** leprosi erat in Bethania, quæ per interpretationem domus obeditionis dicitur. Omnis igitur locus Bethania, portio autem totius loci domus Simonis. Nonne tibi videtur Bethania mundus hic esse, in quo servitii obedientis debemus obsequium, domus autem Simonis leprosi terra esse, quæ mundi portio est? Princeps autem sæculi hujus quidam leprosus est Simon. Ergo Dominus Jesus Christus ex illis superioribus locis venit in hunc mundum, et descendit in terram. Non erat in hoc mundo, sed obediente pietate, missus est in hunc mundum. Ipse dicit: Sicut misisti me in hunc mundum (*Joan.* VI, 57). Audivit ergo mulier ista venisse Christum, intravit in domum Simonis; neque enim sanari potuisset hæc mulier, nisi Christus venisset in terram. Et fortasse ideo etiam ipsa ingreditur domum Simonis, quod speciem cujusdam habeat superioris animæ scilicet, vel Ecclesiæ, quæ descendit in terram, ut bono odore sibi populum congregaret.

14. (Vers. 38.) Hanc ergo mulierem inducit sanctus Matthæus supra caput Christi effundentem unguentum (*Matth.* XXVI, 7): et ideo forte noluit dicere peccatricem, nam peccatrix secundum Lucam supra Christi pedes effudit unguentum. Potest ergo [a] non eadem esse, ne sibi contrarium evangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti et temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior. Etsi enim personam non mutet Ecclesia, vel anima; tamen mutat profectum. Itaque si constituas animam fideliter appropinquantem Deo, non peccatis turpibus et obscœnis, [b] sed pie servientem Dei Verbo, habentem immaculatæ fiduciam castitatis, advertis quod ad ipsum Christi ascendit caput (*caput autem Christi* (I *Cor.* XI, 3) *Deus est*) et odorem meritorum spargit suorum: *Christi enim bonus odor sumus Deo* (II *Cor.* II, 15). Deum quippe honorat bonum fragrans odorem vita justorum.

15. Si hæc intelligas, videbis hanc feminam valde beatam, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, nominari, nec ejus umquàm memoriam exolescere (*Matth.* XXVI, 13); eo quod super caput Christi bonorum fragrantiam morum, justorumque factorum effudit unguenta. Qui accedit ad caput, nescit extolli; sicut ille frustra inflatus mente carnis suæ, et non tenens caput. Sed qui caput non tenet Christi, vel pedes teneat; quia corpus unum copulatum et subministratum crescit in incrementum Dei (*Coloss.* II, 19).

16. Altera est illa vel persona vel profectu, quæ propinqua nobis est. Nondum enim peccatis nostris renuntiavimus. Ubi sunt nostræ lacrymæ, ubi gemi-

[a] Utrum mulier peccatrix, Maria soror Lazari, ac Maria Magdalene plures personæ fuerint, an una tantum, et jam olim controversum est, hodieque controvertitur. Primam opinionem propugnare videntur plerique Græci Patres, ab altera vero stare multi Patres Latini. Hos Sorbona alumnis suis sequendos proposuit; nec tamen desunt qui calculum suum tribuant oppositæ sententiæ: immo et novissime prodiit libellus in publicum, quo plures fuisse multis certatur argumentis. Quid ergo nos in tanta controversia? Ambrosii nostri in re minime perspicua nihil definientis exemplum nobis credimus imitandum.

[b] Mss. non pauci, nec infimæ notæ, *sed pie servantem Dei verba*. Potior tamen videtur aliorum atque edit. lectio.

Digitized by Google

tus, ubi fletus? *Venite, adoremus, et procidamus ante* A *Deum, et ploremus ante Dominum nostrum, qui fecit nos* (*Psal.* XCIV, 6); ut saltem ad pedes Jesu venire possimus. Nondum enim possumus ad caput venire, quia peccator ad pedes, [a] justus ad caput.

17. Habet tamen et quæ peccavit unguentum. **1388** Defer mihi et tu post peccata pœnitentiam. Quocumque vel [b] in domum indigni, vel in domum pharisæi audieris justum venisse, contende : præripe hospiti gratiam, præripe regnum cœlorum : *A diebus* enim *Joannis Baptistæ..... regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Ubicumque audieris Christi nomen, accurre : in cujuscumque interiorem domum Jesum intrasse cognoveris, et ipse festina. Cum repereris sapientiam, cum repereris justitiam in alicujus penetralibus recumbentem, B accurre ad pedes, hoc est, vel extremam partem quære sapientiæ. Noli fastidire pedes : fimbriam illa tetigit, et sanata est (*Luc.* VIII, 44). Lacrymis confitere delicta, dicat de te quoque justitia illa cœlestis :

(Vers. 44.) *Lacrymis suis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.*

18. Et fortasse ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus. Bonæ lacrymæ, quæ non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium; ut gressus ejus in nobis exuberent. Bonæ lacrymæ, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam refectio est justorum, justi enim vox est : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4). C

19. Et si ad caput Christi accedere non potes, tangat pedibus suis caput tuum Christus. Et fimbria ejus curat, et pedes curant. Expande capillos, sterne ante eum omnes tui corporis dignitates. Non mediocres capilli sunt, qui possunt tergere pedes Christi. Testatur hoc ille, qui quamdiu capillos habuit, vinci nequivit (*Jud.* XVI, 5 *et seq.*). Denique et mulierem decalvatam orare non decet (I *Cor.* XI, 5). Habeat plane capillos quibus Christi circumvolvat vestigia, [c] quibus suæ criniculis pulchritudinis et decoris sapientiæ pedes tergat; ut extremo saltem rore divinæ virtutis humescant, figat justitiæ pedibus oscula sua. Non mediocris hæc meriti est, de qua potest dicere Sapientia :

(Vers. 45.) *Ex quo intravi, non cessavit osculari* D *pedes meos.*

20. Ut aliud nisi sapientiam loqui nesciat, ut aliud nisi justitiam diligere nesciat, ut aliud nisi castitatem libare nesciat, ut aliud nisi pudicitiam osculari nesciat. Osculum enim mutui amoris indicium est : osculum pignus est charitatis.

21. (Vers. 46.) Beatus qui potest et oleo ungere pedes Christi : denique adhuc Simon non unxerat. Sed beatior quæ unxit unguento; multorum enim florum in unum collecta gratia spargit odorum varias suavitates. Et fortasse istud unguentum non alius possit nisi Ecclesia sola deferre, quæ diversi spiraminis innumerabiles flores habet : quæ merito speciem accipit peccatricis, quia Christus quoque formam peccatoris accepit.

22. (Vers. 47.) Et ideo nemo tantum potest diligere, quantum illa quæ in pluribus diligit. Nec Petrus ipse qui dixit : *Domine, tu nosti quia diligo te* (*Joan.* XXI, 17). Nec Petrus **1389** ipse qui doluit quia interrogatus est : *Amas me* (*ibid.*)? Quod enim manifestum erat, nolebat quasi incognitum quæri. Ergo nec Petrus ipse, [d] quia Ecclesia dilexit in Petro. Nec Paulus ipse, quia Paulus quoque ejus est portio. Et tu plurimum dilige, ut et tibi plurimum remittatur. Multum peccavit Paulus, qui etiam persecutor fuit : sed multum dilexit, qui usque ad martyrium perseveravit. Remissa sunt ei peccata multa; quia et ipse dilexit multum, qui sanguini proprio pro Dei nomine non pepercit.

23. (Vers. 39.) Vide œconomiam : in domo Pharisæi peccatrix glorificatur : in domo Legis et prophetæ non pharisæus, sed Ecclesia justificatur; pharisæus enim non credidit, ista credebat. Denique ille dicebat : *Si esset hic propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum.* Domus autem [e] Legis Judæa, quæ non in lapidibus scribitur, sed in tabulis cordis. In hac justificatur Ecclesia jam Lege major; Lex enim peccatorum nescit remissionem; Lex mysterium non habet quo occulta mundantur; et ideo quod in Lege minus est, consummatur in Evangelio.

(Vers. 41.) *Duo*, inquit, *debitores erant cuidam feneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.*

24. Qui sunt isti debitores duo, nisi populi duo : unus ex Judæis, alter ex gentibus feneratori illi thesauri cœlestis obnoxii? *Unus*, inquit, *debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* Non mediocris est iste denarius, in quo regis imago formatur, qui tropæum habet imperatoris expressum. Non materialem feneratori huic debemus pecuniam, sed meritorum examina, æra virtutum : quarum meritum gravitatis pondere, justitiæ specie, sono confessionis expenditur. Væ mihi si non habuero quod accepi : aut quia difficile quisquam est qui feneratori huic integrum debitum possit exsolvere, væ mihi si non petiero : Concede mihi debitum (*Matth.* VI, 12)!

[a] Mss. aliquot melioris ævi, *justus ad caput habet unguentum. Defer*, etc. Minus bene; videtur enim hic lacuna esse, quam forte traxerunt ab exemplari, ex quo descripti sunt.

[b] Rom. edit. sola, *in domum immundi.* Eadem vero cum aliis omnibus, ac paucis mss., *contende præripere hospitis gratiam, præripere*, etc. Sed mss. plures ac probatiores, ut in textu.

[c] Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *quibus pulchros ac decoros sapientiæ pedes tergeat.*

[d] Omnes edit., *quia Ecclesiam dilexit in Petro.* Contra scripti cod. prope ad unum, *quia Ecclesia dilexit in Petro :* quam lectionem manifeste sensus ac ratiocinatio exigit.

[e] Post vocem, *Legis*, Rom. edit. vocem, *Judæa*, omiserat, quam tamen sensui necessariam esse obscurum non est.



Digitized by Google

Non enim nos ita Dominus orare docuisset, ut peteremus dimitti nobis nostra debita, nisi sciret difficile aliquos fore idoneos debitores.

25. Sed quis est populus iste qui amplius debet, nisi nos, quibus amplius creditum est? Illis credita sunt eloquia Dei, nobis creditur partus Virginis. Habes talentum Virginis partum : habes fidei centesimum fructum. Creditus est Emmanuel nobiscum Deus, credita Domini crux, mors, resurrectio. Et si Christus pro omnibus passus est, pro nobis tamen specialiter passus est; quia pro Ecclesia passus est. Itaque non est dubium quod plus debeat qui plus accepit. Et secundum homines plus fortasse offendit, qui plus debuerit : sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligat qui amplius debuit: si tamen gratiam consequatur. Gratiam enim et qui reddit, habet : et qui habet in eo ipso quod habet, solvit; [a] nam et reddendo habetur, et habendo redditur (*Cf. Aug. lib.* I *de Gratia Christi*, *cap.* 44).

26. Et ideo quoniam nihil est quod digne Deo referre possimus, (quid enim referamus pro susceptæ **1390** carnis injuria? quid pro verberibus? quid pro cruce, obitu, sepultura?) væ mihi si non dilexero! Audeo dicere : non reddidit Petrus, et ideo plus dilexit. Non reddidit Paulus? Reddidit quidem mortem pro morte, sed alia non reddidit; quia multa debebat. Audi ipsum dicentem quia non reddidit : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (*Rom.* XI, 34)? Reddamus licet crucem pro cruce, funus pro funere, numquid reddimus quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere, [b] gratiam pro sanguinis pretio; plus enim diligit cui donatur amplius.

27. Sed revertamur ad illam superiorem, cujus consilium adhuc nec apostoli intelligunt, quod erat absconditum a sæculis in Deo : *Quis enim cognovit sensum Domini* (*Ibid.*)? Conquerebantur ergo discipuli quia mulier super caput effudit unguentum, et quærebantur dicentes : *Quare hoc sic periit? Potuit enim venumdari pretio, et dari pauperibus* (*Matth.* XXVI, 8). Quid utique displicuerit Christo in eorum sermonibus, non poteris deprehendere, nisi mysterium intelligas; luxuriosi enim hominis, vel potius non hominis est, olere unguentum. Certe et ipsi qui olent, ungere se, non perfundere solent. Quid ergo displicuit quia dictum est : *Potuit hoc venumdari pretio, et dari pauperibus* (*Matth.* XXV, 40)? Certe et ipse supra dixerat : *Quidquid uni minimorum horum fecistis, et mihi fecistis.* Sed ipse mortem suam pro pauperibus offerebat.

28. Non est igitur simplex figura; et ideo respondit illis Dei Verbum : *Quid molesti estis huic mulieri?..... Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper* (*Matth.* XXVI, 10 *et* 11). Semper ergo tecum pauperem habes, et ideo benefac. Num igitur A differre pauperem debes; quia semper tecum est, cum tibi Propheta dicat : *Ne dixeris pauperi.... Cras dabo* (*Prov.* III, 28)? Sed ille de sola misericordia locutus est : hic autem misericordiæ fidem prætulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente, conferatur. *Mittens enim unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Matth.* XXVI, 12). Non ergo unguentum Dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probavit.

29. Et tu si desideras gratiam, charitatem auge : mitte in corpus Jesu fidem resurrectionis, odorem Ecclesiæ, communis charitatis unguentum; et ita progrediens pauperi dabis. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tamquam affluentem tribuas, sed tamquam profuturam Christi nomine largiaris : si B ita eam conferas pauperi, ut deferas Christo. Non ergo juxta litteram tantummodo accipias superfusum capiti unguentum : *littera enim occidit* (II *Cor.* III, 6); sed secundum spiritum, quia spiritus vita est.

30. Quod ergo istius mulieris unguentum est? Quis hoc audire potest? Quis tales aures habet, ut dicente Jesu verbum quod accepit a Patre, immo qui ipse Verbum est, possit tantam mysterii altitudinem capere? Et discipuli ex parte intelligunt, etsi non totum intelligant. Unde et quidam putant dixisse discipulos unguenti pretio **1391** emi fidem gentium debuisse, quæ sanguinis Dominici tantum pretio debebatur; quod videtur verisimile. Denique Joannes Evangelista inducit sermone Judæ Iscariotis æstimaC tum trecentis denariis illud unguentum, sicut habes: *Potuit enim venumdari trecentis denariis, et dari pauperibus* (*Joan.* XII, 5). Trecenta autem æra crucis insigne declarant : sed Dominus non perfunctoriam mysterii præscientiam quærit, sed consepeliri in se fidem credentium mavult.

31. Id tamen de cæterorum apostolorum vocibus intelligimus : Judas autem condemnatur avaritiæ, qui pecuniam Dominicæ prætulit sepulturæ, qui etiamsi de passione sensit, erravit tam cara auctione: vili vult æstimari se Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8). Pecuniam non quærit divitiarum altitudo, sed gratiam. Ipse nos pretioso sanguine redemit, non vendidit. De quo plenius dicereD mus, nisi a nobis ipsis tractatum alibi recordaremur (*Lib.* III *de Spiritu sancto*, *cap.* 18).

32. Ergo secundum dicta Domini, *In quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 5), quos nemo potuit prævidere, operari me oportet in sepulturam ejus; ut caro ejus requievisse, non corruptionem vidisse credatur : et mors corporis ejus ita domum nostram odore sui compleat, ut credamus quia in manus Patris commendavit spiritum suum, et a morte sequestrata divinitas corporalium non subiit consortium passionum.

[a] Nonnulli mss., *nam et credendo habetur, et habendo redhibetur;* quidam, *redimitur.*

[b] Iidem. mss., *gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam.* Alii nonnulli, *gratiam pro pecunia.*

Digitized by Google

33. Intellige quemadmodum corpus filii unguentum oleat. Corpus illud est quod exutum est, non quod amissum est. Corpus ejus traditiones sunt Scripturarum. Corpus ejus Ecclesia est. Corporis ejus odor sumus; et ideo decet ut mortem corporis ejus ornemus. Etsi nostros illa non requirat ornatus, sed requirunt pauperes. Ornabo corpus ejus, si fiam sermonum ejus prædicator, et possim gentibus crucis aperire mysterium. Ornavit ille qui dixit: *Quia prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis vero vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 23 *et* 24). Ornatur crux, cum id quod per imperitiam stultum putatur, per Evangelium sapientius æstimatur; ut possimus docere quemadmodum virtus adversaria per crucem Domini destruatur. Misi in Domini corpus unguentum, spirare incipit quod mortuum putabatur.

34. Ideo unusquisque adoriatur emere labore suo, nisuque virtutum alabastrum unguenti, non vile aliquod atque commune, sed pretiosum unguentum alabastri, et unguentum pisticum. Si enim quis fidei congreget flores, et prædicet Jesum Christum crucifixum : in omnem Ecclesiam, quæ Christi corpus est, mundo mortua, requiescens Deo, fidei suæ transfundit unguentum. Olere incipit tota domus Domini passionem : olere incipit mortem : incipit olere resurrectionem; ut possit unusquisque ex hoc sacræ plebis numero dicere : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14). Spirat odor, redolet unguentum in corpore, si quis possit (atque **1392** utinam ego possim) confidenter loqui : *Mihi* autem *mundus crucifixus est* (*Ibid.*). Non amanti divitias, non amanti honores sæculi, non amanti quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi : non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur : non cupido vitæ, sed ei qui festinat dissolvi, et cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, et sequi Christum; ut et nos commoriamur et consepeliamur cum eo; ut unguentum quod ista mulier in sepulturam ejus misit, olere possimus. Non mediocre istud unguentum est, quo Christi longe lateque diffunditur nomen. Unde etiam prophetice dictum est : *Unguentum exinanitum est nomen tuum* (*Cant.* I, 2). Ideo exinanitum, ut majore fides odore fragraret.

35. Ex hac ergo muliere intelligimus illud Apostolicum quid sit : Superabundavit peccatum, ut superabundaret gratia (*Rom.* V, 20). Nam si in ista muliere non superabundasset peccatum, non superabundasset gratia; agnovit enim peccatum, et detulit gratiam. Et ideo Lex necessaria; per Legem enim peccatum agnovi. Si Lex non fuisset, peccatum lateret. Agnoscendo peccatum, veniam peto. Per A Legem ergo genera peccatorum, prævaricationis quoque crimen agnosco, curro ad pœnitentiam, gratiam consequor. Lex ergo auctor est boni, quæ mittit ad gratiam.

(Cap. VIII. — Vers. 21.) *Mater et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt.*

36. Moralis magister qui de se cæteris præbet exemplum, atque ipse præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris quoniam qui non reliquerit patrem et matrem suam, non est Filio Dei dignus, sententiæ huic primus ipse se subjicit : non quo maternæ refutet pietatis obsequia (ipsius enim præceptum est (*Exod.* XX), *Qui non honoraverit patrem aut matrem, morte moriatur*), sed quia [a] paternis se mysteriis amplius B quam maternis affectibus debere cognoscat. Neque tamen injuriose refutantur parentes, sed religiosiores copulæ mentium docentur esse, quam corporum.

37. Ergo non debuerant foris stare, qui Christum videre quærebant : *Prope est enim verbum in ore tuo, et in corde tuo* (*Rom.* X, 8). Intus igitur verbum, intus est lumen. Unde et ille ait : *Accedite ad Dominum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Si enim foris astantes nec ipsi agnoscuntur parentes, et propter nostrum fortasse non agnoscuntur exemplum : quemadmodum nos agnoscemur, si foris stemus?

38. Nec putet aliquis offendiculum esse pietatis, ubi mandatum Legis impletur : si enim relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, recte sacramentum hoc C in Christo servatur et Ecclesia (*Ephes.* V, 31 *et* 32). Et ideo parentes corpori proprio non potuit anteferre. Ergo hic non (ut quidam [b] hæretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur (*Joan.* XIX, 26), sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat Judæis, ex quibus est **1393** Christus secundum carnem, Ecclesiam quæ credidit, præferendam.

39. Itaque qui se intelligeret propter divinum in terras venisse mysterium, Ecclesiæque conventum, relictis navem ascendit parentibus. Neque enim quisquam poterat hunc mundum enavigare sine Christo quando eos quoque quibus Dominus adest, tentationum sæcularium sæpe procella perturbat. Et D œconomia servatur in apostolis, ut advertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est.

40. Subjecti igitur sumus nequitiæ spiritalis procellis : sed quasi pervigiles nautæ gubernatorem excitemus. Verum et ipsi periclitari solent. Quem igitur gubernatorem requiramus? Illum utique qui non serviat, sed imperet ventis, de quo scriptum est:

[a] Rom. edit. sola, *paternis se ministeriis*.

[b] Qui fuerint hæretici illi, et cur matrem a Christo negatam tam impudenter asseruerint, luculenter declarat Hieronymus in cap. XII Matth. *Non ergo*, inquit, *juxta Marcionem et Manichæum matrem negavit; ut natus de phantasmate putaretur : sed apostolos cognationi prætulit*, etc. His similia habes apud Epiphanium Hæres. 42, et Chrysostomum in cap. XII Matth., etc.

Digitized by Google

(Vers. 24.) *At ille surgens, increpavit ventum.*

41. Quid est *surgens?* Quiescebat enim: sed quiescebat corporis somno, cum intenderet divinitatis mysterio; ubi enim sapientia, ubi verbum, nihil sine verbo fit, nihil sine prudentia.

42. Supra habes, quia pernoctabat in oratione (*Luc.* VI, 12): quomodo hic in tempestate dormiret? Sed exprimitur securitas potestatis, quod omnibus timentibus, solus intrepidus quiescebat. Non est ergo consors naturæ, qui non est consors periculi. Et si corpus dormit, operatur divinitas, operatur fides. Denique dicit: *Modicæ fidei; quare dubitastis* (*Matth.* VIII, 26)? Et bene arguuntur qui præsente Christo timebant, cum utique qui ei adhæret, perire non possit.

43. Ergo confirmavit fidem, refudit tranquillitatem. Ventum cessare præcepit, non aquilonem, non africum: sed illum utique ventum, cui dictum est ab angelo Michaele [a] in epistola Judæ: *Imperet tibi Dominus* (*Judæ* IX). Unde etiam sanctus Matthæus: *Imperavit*, inquit, *vento et mari* (*Matth.* VIII, 26). Atque utinam in nobis flatus ejus asperos cohibere dignetur; ut fluctuanti vitæ refusa tranquillitas naufragii metum demat! Et si jam non dormiat sui corporis somno, caveamus tamen ne nostri corporis somno nobis dormiat et quiescat.

44. Et [b] quoniam quæ loco superiori perstrinximus, delibasse satis est: nunc quia in libro secundum Matthæum duos homines in regione Gerasenorum dæmoniis afflatos Christo occurrisse cognovimus (*Ibid.*, 28), hic autem sanctus Lucas unum inducit, eumdemque nudum (nudus enim est quicumque tegumentum naturæ suæ et virtutis amisit), qua ratione evangelistæ de numero dissonare videantur, non otiose prætereundum, sed requirendum arbitror. Et quidem licet discordet numerus, tamen concordat mysterium; vir enim **1394** iste qui habebat dæmonium, populi figura gentilis est, [c] opertus vitiis, nudus errori, patens crimini. Duo illi quoque similiter figuram populi gentilis accipiunt; quoniam cum tres filios Noe generaverit, Sem, Cham, et Japhet (*Gen.* IX, 18); Sem tantum familia in possessionem adscita est Dei. Ex duobus illis diversarum nationum populi pullularunt, quorum alter maledictus, A quod nudatum patrem non texerat; benedictus alter, quod aversus licet, ne confusionem nudati parentis hauriret, duce tamen patrem [d] pietate texisset, et fraterni maledictum seminis eluisset.

(Vers. 27.) *Qui multis*, inquit, *temporibus agebatur.*

45. Ut pote qui a diluvio usque ad adventum Domini vexabatur, furore dementi rumpens vincula naturæ. Nec immerito etiam sanctus Matthæus in monumentis illos habitasse significavit (*Matth.* VIII, 28), siquidem talium animæ in quibusdam habitare videntur [e] tumulis sepulcrorum? Quid enim aliud sunt corpora perfidorum, nisi quædam defunctorum sepulcra, in quibus Dei verba non habitant? Agebatur ergo in loca deserta, spiritalium scilicet infecunda virtutum; profugus a Lege, discretus a prophetis, B remotus a gratia.

46. (Vers. 30-33.) Non enim uno dæmonio, sed totius legionis laborabat incursu; quæ cum Dominum vidisset, cognovissetque præscia Dominici adventus tempore in abyssos se esse trudendam, cœpit orare ut introeundi in porcos acciperet facultatem. Et primum clementiam Domini debemus advertere, quod nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque sibi auctor est pœnæ. Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt; quia cœlestis luminis claritatem sustinere non poterant; ut qui oculos dolent, radium solis ferre non possunt; sed tenebrosa eligunt, et splendentia derelinquunt. Fugiant ergo dæmones splendorem lucis æternæ, et C ante tempus debita sibi tormenta formident, non prædivinantes quæ futura sunt, sed quæ prophetata sunt recordantes; dixit enim Zacharias: *Et erit in illa die, disperdet Dominus nomina idolorum de terra, et non erit ulterius memoria eorum..... et spiritum immundum* [f] *exuram de terra* (*Zach.* XIII, 2). Docemur ergo quod non semper manebunt; ne malitia eorum in hominibus possit esse perpetua. Nunc igitur illam metuentes pœnam, aiunt: *Venisti..... perdere nos* (*Matth.* VIII, 29). Sed quia adhuc esse desiderant, jam ab hominibus recedentes, [g] propter quos pœnam sciunt sibi esse subeundam, petunt in porcos mitti.

47. Qui sunt isti porci, nisi forte illi de quibus dictum est: *Nolite dare sanctum canibus, nec mise-* D

[a] Narrat post Euseb. Hist. lib. II, cap. 23 et 24, et lib. III, cap. 25; Hieron. in Catal., hanc epistolam cum auctoritatem vetustate et usu jam meruisset, tamen a plerisque rejectam, quod in ea ab Apocryphis testimonium auctor assumpsisset. Verum iis contemptis ab Ecclesiæ PP. et Conc. inter canonicas Scripturas recepta est, puta ab Tertull., lib. de Hab. mul., cap. 3; Cypr. adv. Novat.; Orig. Homil. 13 in Gen., in Josue, in Matth. et alibi; Athanas. in Synop.; Clem. Alex. lib. Ὑποτυπ.; Epiph. Hær. 50, etc.; conc. Laodic., cap. 59, Carthag. III, cap. 47, etc. Tanta tamen tantorum virorum auctoritas, totque sæculorum præscriptio Novatores nostros prohibere non potuit, quin hanc eamdem epistolam, non aliis freti argumentis, ex canonicorum librorum albo iterum eraderent. Sed quid vetet in epistola canonica apocrypham citari commentationem, cum Apostolus ipse paganorum carmina laudaverit, et iis nos spoliis ditari debere frequens doceat Ambrosius, Hieronymus atque alii.

[b] Edit. Rom., *quoniam hæc loco superiori perstrinximus, nunc delibasse sat est. Verum quia*, etc.

[c] Eadem edit. Rom., *apertus vitiis*. Aliæ, ac mss. omnes, *opertus vitiis*. Neutra lectio aspernanda.

[d] Ita mss. ac vet. edit. Rom. vero, *pietate texit... seminis vitavit.*

[e] Edit. Rom. sola, *tumulis peccatorum*. Sed ponitur vox *sepulcrorum*, distinctionis ergo; tumulus enim per se ac proprie quemlibet editiorem locum significat.

[f] Eadem edit. Rom., *auferam de terra.*

[g] Mss. aliquot, *propter pœnam quam sciunt*, etc.

Digitized by Google

*ritis margaritas porcis; ne forte conculcent eas pedibus suis* (*Matth.* VII, 6)? Illi scilicet, qui immundorum usu animalium vocis et rationis expertes, lutulentis **1395** vitæ suæ actibus naturalium coinquinaverint ornamenta virtutum. Qui impetu feruntur in præceps; quoniam nullius meriti contemplatione revocantur: sed tamquam de superioribus ad inferiora per improbitatis proclive detrusi, suffocantur in aquis, inter fluctuantia mundi istius strangulatorum in modum, intercluso pereunt spiritus commeatu; neque enim in iis qui fluido æstu voluptatum huc atque illuc feruntur incerti, ullius spiritus potest esse vitale commercium. A

48. Videmus igitur quia homo ipse sibi est auctor ærumnæ. Nam nisi quis porci more vixisset, numquam accepisset in eum diabolus potestatem; aut si accepisset, non ut perderet, sed ut probaret. Aut fortasse quia post Domini adventum bonos jam depravare non poterat, non omnium hominum, sed levium jam quærit interitum; ut latro non armatis insidiatur, sed inermibus; et injuriis lacessit infirmum, qui se intelligit [a] vel a forti conteri, vel a potenti damnari. B

49. Sed dicit aliquis: cur hoc a Deo permittitur diabolo? At ego dico, ut boni probentur, improbi puniantur; hæc enim pœna peccati est. Denique lege quia immittit Dominus febrem, et tremorem, et malos spiritus, et cæcitatem, et omnia flagella, juxta merita peccatorum (*Deut.* XXVIII, 59 *et seq.*). Sed redeamus ad lectionem.

(Vers. 34.) *Viderunt*, inquit, *hoc magistri gregum, et fugerunt.* C

50. Neque enim aliquam philosophiæ professores, vel principes Synagogæ pereuntibus populis possunt ferre medicinam. Solus est Christus qui aufert peccata populorum; si tamen medendi patientiam non recusent. Cæterum curare non dignatur invitos, et cito infirmos deserit, quibus oneri videt esse præsentiam suam, sicut Gerasenorum populis, qui exeuntes de civitate in qua species Synagogæ videtur existere, rogabant ut discederet:

(Vers. 37.) *Quia timore magno tenebantur;*

51. Infirma enim mens non capit Dei verbum, nec potest pondus sustinere sapientiæ; fatiscit, et solvitur.

52. Et ideo diutius molestus non fuit: sed *Ascendit, et regressus est:* ascendit utique ab inferioribus ad superiora, a Synagoga scilicet ad Ecclesiam. *Regressus per stagnum est*, ut hic ait: aut sicut Matthæus *per fretum* (*Matth.* IX, 1); inter nos enim et illos fretum magnum est. Itaque nemo de Ecclesia ad Synagogam sine periculo transit salutis. Sed et ille qui de Synagoga ad Ecclesiam transire desiderat, crucem suam tollat, ut discrimen evadat. D

53. Cur autem non recipitur liberatus, sed domum redire censetur; nisi ut et jactantiæ causa vitetur, et infidelibus sit exemplo, quoniam domus illa naturale sit diversorium? et ideo qui remedium sanitatis fuerat consecutus, a tumulis et sepulcris in illam spiritalem domum redire præcipitur; ut fiat Dei templum, in quo erat mentis sepulcrum.

**1396** (Vers. 41, 42.) *Et ecce venit vir cui nomen Jairus, et ipse princeps Synagogæ erat; et cecidit ante pedes Jesu, rogans eum ut intraret domum suam; quia filia unica erat illi fere annorum duodecim, et hæc moriebatur.*

54. Reliquerat in Gerasenis Synagogam Christus, ut diximus; et quem sui non receperant, excepimus alieni, excepimus quem exspectabamus. Nec nobis igitur a quibus exspectabatur, diu defuit; nec ad illos, si rogetur, redire fastidit. Vir enim iste princeps Synagogæ, cui filia erat unica, pro Synagogæ pereuntis remedio precabatur, quæ urgebatur in mortem; quia deserebatur a Christo. Quem putamus Synagogæ principem esse, nisi Legem, cujus contemplatione Dominus Synagogam non penitus dereliquit, sed medicinam salutis credentibus reservavit? Ad hanc ergo principis filiam dum properat Dei Verbum, ut salvos faceret filios Israel, sancta Ecclesia de gentibus congregata, quæ inferiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis fide præripuit sanitatem.

55. Moraliter hunc locum satis putavimus exprimendum; et ideo non illa quæ dicta sunt [b] retractamus, sed mystica brevi voluimus sermone perstringere. An non ita factum est, ut Dei Verbum cum venisset ad Judæos, adscisceretur a gentibus, et prius ab illis qui in Lege non crediderant, in gratia crederetur?

56. (Vers. 43.) Nam sicut illa quæ in medicis erogaverat omnem substantiam suam, ita etiam congregatio gentium [c] amiserat omnia dona naturæ, et patrimonium vitale prodegerat, sancta, verecunda, religiosa, fide promptior, pudore cunctatior; hoc est enim pudoris et fidei agnoscere infirmitatem, non desperare veniam. Verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognovit. Sic sancta plebs gentium quæ Deo credidit, peccatum erubuit, ut desereret: fidem detulit, ut crederet; devotionem exhibuit, ut rogaret; sapientiam induit, ut sanitatem suam et ipsa sentiret; fiduciam sumpsit, ut fateretur quod præripuisset alienum.

(Vers. 44.) *Accessit retro.*

57. Cur autem retro tangitur Christus? An quia scriptum est: *Post Dominum Deum tuum ambulabis* (*Deut.* XIII, 4)? Quid etiam sibi vult quod et principis filia annorum duodecim moriebatur, et

[a] Ita mss. magno numero et auctoritate. Quidam tamen atque edit., *vel a forte contemni.*

[b] Omnes edit. ac pauci mss., *recensemus.* Plures potioresque, *retractamus;* unus, aut alter, *recantamus.* Sed *retractamus* hic idem sonat, atque *iterum et secunda cura tractamus*, non vero, *palinodiam canimus.*

[c] Rom. edit., *quæ amiserat omnia..... prodegerat, facta est verecunda...... pudore constantior.* Aliæ cum omnibus mss. in lectionem nostram, quæ nec ipsa contemnenda est, conspirant.

Digitized by Google

mulier ista fluxu sanguinis ab annis duodecim laborabat; nisi ut intelligatur quia quamdiu Synagoga viguit, laboravit Ecclesia? Defectus illius, hujus est virtus; quia *Illorum delicto salus gentibus* (*Rom.* XI, 11); et consummatio illius, hujus exordium, non naturæ exordium, sed salutis: *Quia cæcitas ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret* (*Ibid.*, 25). Non igitur tempore, sed specie sanitatis antiquior Synagoga quam Ecclesia; quia quamdiu illa credebat, ista non credidit, et per varias corporis atque animæ passiones [a] immedicabili remedio ægra languebat. Audivit ægrotare populum Judæorum, **1397** sperare cœpit salutis suæ remedium: tempus venisse cognovit quo medicus adesset e cœlo, surrexit ut occurreret Verbo, vidit quia comprimebatur a turbis; non enim credunt qui comprimunt, credunt qui tangunt. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur: non corpore tangitur, non oculis comprehenditur; neque enim videt, qui videns non videt; neque audit, qui ea quæ audit, non intelligit; [b] neque tangit qui non fideliter tangit. Denique ut fidem tangentis exprimeret, ait:

(Vers. 46.) *Tetigit me aliquis; nam ego cognovi virtutem de me exisse.*

58. Quod est evidentis indicii, quia non intra possibilitatem conditionis humanæ, atque intra corporis claustrum inclusa [c] sapientia, divinitas coarctata est: non capitur angustiis corporalibus, non tenetur, sed ultra fines nostræ mediocritatis virtus exundat æterna. Non enim humana ope plebs gentium liberatur: sed Dei muneris est congregatio nationum, quæ etiam brevi fide misericordiam inclinat æternam. Nunc si consideremus quanta sit fides nostra, et intelligamus quantus sit Filius Dei, videmus quia comparatione ejus fimbriam tantummodo tangimus, superiora vero vestimenti ejus nequimus attingere. Si igitur et nos curari volumus, fide tangamus fimbriam Christi.

59. Non latet eum quicumque fimbriam tetigerit, qui tetigerit aversum; neque enim Deus indiget oculis ut videat, neque corporaliter sentit, sed in se habet cognitionem omnium. Beatus ergo qui vel extremam partem Verbi contigerit; nam totum quis potest comprehendere? Verum ut ad illam quæ adhuc ægra est, revertamur; [d] ne per nostram moram dum diu Christi moramur ingressum, mortua esse credatur:

(Vers. 49.) *Venerunt*, inquit, *servi dicentes principi: Noli vexare illum, filia tua mortua est.*

60. Et primum illud consideremus quod suscitaturus mortuam, ad faciendam fidem hæmorrhousam ante curavit. Et ut scias exempli gratia stetisse sanguinis fluxum: [e] dum illa petitur, ista curatur. Sic et resurrectio temporalis in Domini passione celebratur; ut et perpetua illa credatur. Sic et Mariæ paritura sterilis indicatur (*Luc.* I, 36); ut conceptura virgo credatur. Denique audivit parituram Elizabeth, nec de sua generatione dubitavit.

61. *Venerunt*, inquit, *servi dicentes principi: Noli vexare illum.* Adhuc et hi incredduli ad resurrectionem, quam Jesus in Lege prædixit, in Evangelio complevit. Itaque cum venisset in domum, paucos futuræ arbitros resurrectionis adscivit; non enim a multis continuo est credita resurrectio. Denique dicente Domino:

**1398** (Vers. 52, 53.) *Non est mortua puella, sed dormit. Deridebant*, inquit, *eum.*

62. Quicumque enim non credit, irridet. Fleant igitur mortuos suos, qui putant mortuos: ubi resurrectionis fides est, non mortis est species, sed quietis. Nec abhorret illud Matthæi, quod ait tibicines fuisse in domo principis, et turbam tumultuantem (*Matth.* IX, 23): vel quia [f] more veteri tibicines ad incendendos excitandosque luctus videbantur adhiberi: vel quia per Legis et litteræ cantilenam, exsultationem Synagoga non poterat capere spiritalem.

63. (Vers. 54-56.) Tenens ergo manum puellæ Jesus sanavit eam, et jussit ei dari manducare. Quod est testimonium vitæ; ut non phantasma, sed veritas crederetur. Beatus ille cui manum sapientia tenet. Utinam meos quoque teneat actus, teneat manum justitia, teneat Dei Verbum, inducat in penetralia sua, spiritum avertat erroris, convertat salutis, dari mihi jubeat manducare! panis enim cœlestis, Dei verbum est. Inde et illa sapientia quæ divini corporis et sanguinis sacrosanctis altaria replevit alimentis: *Venite*, inquit, *edite panes meos, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 5).

64. Quæ tamen tantæ diversitatis est causa? Supra publice viduæ filius suscitatur (*Luc.* VII, 12), hic removentur plures arbitri. Sed puto quod in eo quoque pietas Domini declaretur; quia vidua mater unici non patiebatur moram, et ideo ne amplius afficeretur maturitas additur. Est etiam forma sapientiæ, in viduæ filio cito Ecclesiam credituram, in ar-

[a] Edit. Rom., *immedicabilis remedio.* Non male, nisi ab aliis, et mss. omnibus hic deficeret. Sumendum igitur, *immedicabili* pro *inefficaci atque inepto ad medendum.*

[b] Ita vet. edit. cum plerisque mss. Rom. vero cum aliis, *neque intelligit, qui non fideliter tangit.*

[c] Omnes edit., *sapientia divinitatis coarctata est.* Omnes mss., *sapientia, divinitas*, etc.

[d] Mss. aliquot, *ad per nos magis quam per suam moram, mortua esse credatur.*

[e] Omnes edit., *dum ne illam petitur.* Mss. autem nonnulli, *dum illa patitur.* Alii multo plures, ac melioris notæ, *dum illa petitur.* Optime, idem enim atque, *dum illa convenitur*, sive, *ad illam itur.*

[f] Dicuntur a quibusdam Græci fuisse primi auctores hujus moris: quem tangit Ovid. lib. IV Fast., et V Trist. eleg. 1, ubi non obscure indicat communem fuisse cum tam hominum, quam puerorum funeribus. Lactantius tamen tibias puerorum inferiis, majorum vero tubas adhiberi consuevisse testatur. Sed tibias in justis etiam majorum, si non essent e nobilium ordine, locum habuisse volunt nonnulli,

Digitized by Google

chisynagogi filia credituros quidem Judæos, sed ex A pluribus pauciores.

(Cap. IX. — Vers. 5.) *Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem de pedibus vestris excutite in testimonium supra illos.*

65. Qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei, præceptis evangelicis designatur; ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia (Vers. 3), hoc est, subsidii sæcularis adminicula non requirens, [a] fideique deditus sit, et quanto minus appetat temporalia, tanto magis speret ea sibi posse suppetere. Quæ possunt qui volunt ad eum derivare tractatum; ut spiritalem tantummodo locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate rejecta, contemptisque divitiis, sed etiam B carnis ipsius illecebris abdicatis.

66. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum (*Vers.* 4); ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis jura custodiant; alienum a prædicatore regni cœlestis astruens cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare. Sed ut hospitii gratia deferenda censetur: ita etiam si non recipiantur, **1399** excutiendum pulverem, et egrediendum de civitate mandatur. Quo non mediocris boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitibus: verum etiam si qua eos terrenæ obumbrant delicta levitatis, receptis apostolicæ prædicationis vestigiis, auferantur. Nec otiose secundum Matthæum domus quam ingrediantur apostoli, legenda C decernitur (*Matth.* x, 12); ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hospitii; ne dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur.

67. Sed hæc ut secundum litteram de hospitii religione venerabilis est forma præcepti: ita etiam de mysterio sententia cœlestis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquiritur. Videamus igitur ne forte Ecclesia præferenda designetur, et Christus. Quæ enim dignior domus apostolicæ prædicationis ingressu, quam sancta Ecclesia (24, *quæst.* 1, *cap. Quæ dignior*)? Aut quis præferendus magis omnibus videtur esse quam Christus, qui pedes suis lavare consuevit hospitibus, et quoscumque sua receperit domo, pollutis non patiatur habitare D vestigiis: sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mundare processus? Hic est igitur solus quem nemo debet deserere, nemo mutare. Cui bene dicitur; *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, et nos credimus* (*Joan.* vi, 69 *et* 70). Vides executorem cœlestium præceptorum: qui quoniam non mutavit hospitium, cœlestis consortium consecrationis emeruit.

68. Fides igitur imprimis Ecclesiæ quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legenda. Sin vero perfidus populus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga censetur. Excutiendus pedum pulvis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus, tamquam humi arido arenosoque mentis tuæ vestigium polluatur. Nam sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet Evangelii prædicator, et tamquam propriis inania gesta pulveri comparanda, allevare atque abolere vestigiis, juxta quod scriptum est: *Quis infirmatur, et ego non infirmor* (II *Cor.* xi, 29)? Ita si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis fundamenta possideat; ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Quod Apostolus quoque evidenter asseruit dicens: *Hæreticum hominem post unam.... correptionem devita* (*Tit.* iii, 10).

(Vers. 13.) *Ait autem ad eos: Date illis vos manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes.*

69. (Vers. 8). Quæ ratio est, quod cum in posterioribus Joannis passio describatur, hic jam mortuus verbis Herodis ostenditur? Ne forte illa, quia post Legis defectum Evangelicus cibus incipit jejuna pascere corda populorum? Denique postea quam illa quæ Ecclesiæ typum accepit, a fluxu curata est sanguinis, postea quam apostoli ad evangelizandum regnum Dei sunt destinati, gratiæ cœlestis impartitur alimentum. Sed quibus impartiatur, adverte. Non otiosis, non in **1400** civitate quasi in Synagoga, vel sæculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum; qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur a Christo, et cum ipsis loquitur Dei Verbum non de sæcularibus, sed de regno Dei. Et si qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam libenter indulget.

70. Consequens igitur erat, ut quos a vulnerum dolore sanaverat, eos alimoniis spiritalibus a jejunio liberaret. Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem ut veniret, accepit. Si lumine oculorum privatus erat, domum utique Domini, nisi refusa luce, intrare non potuit.

71. Ubique igitur mysterii ordo servatur; ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet: quamquam nondum validioribus hæc turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore et sanguine jejuna solidioris fidei corda pascantur. *Lacte*, inquit, *vos potavi, non esca; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* iii, 2). In modum lactis quinque sunt panes. Esca autem solidior corpus est Christi, potus vehementior sanguis est Domini. Non statim a primo epulamur omnia, neque potamus omnia. *Hoc primum*, inquit, *bibe* (*Esai.* ix, 1). Est ergo primum, est etiam secundum quod bibas. Est et primum quod manduces, est etiam secundum, est tertium. Primum quinque panes sunt,

[a] Sic plerique, nec non optimæ notæ mss. Alii tamen aliquot, omnesque edit. *fideque tutus, putet sibi quo minus ea requirat, magis posse suppetere.*

Digitized by Google

secundum septem, tertium ipsum corpus est Christi. A

72. Nequaquam igitur talem Dominum deseramus, qui pro uniuscujusque viribus impartire nobis alimenta dignatur; ne aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non satient: *Qui* enim *infirmus est, olera manducet* (*Rom.* XIV, 2). Et ille qui jam videtur laqueos infirmitatis evadere, de quinque istis manducet panibus et duobus piscibus. Certe si petere cibum validiorem vereatur, ipse relictis suis omnibus, festinet ad Dei verbum. Dum audire incipit, incipit esurire. Incipiunt apostoli esurientem videre. Et si illi adhuc non intelligunt quid esuriat, intellexit Christus. Scit quod non sæcularem cibum esuriat, sed cibum Christi. Dicat: *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (*Matth.* XV, 32). Bonus Dominus studia exigit, vires ministrat. B

73. Utinam, Domine Jesu, velis mecum istos jejunos non dimittere, sed impartitis abs te epulis reficias eos; ut possint tuis alimoniis fortiores infirmitatem jejunii non timere. Dicas utinam etiam de nobis: *Nolo eos jejunos dimittere!* Et causam mihi dicito, quare eos nolis jejunos dimittere: immo jam dixisti, quia si quem dimiseris jejunum, deficit in via, hoc est, deficit vel in istius cursu vitæ, vel antequam ad [a] caput perveniat viæ, antequam perveniat ad Patrem, et intelligat quod ex Patre Christus est, intelligat quod Christus e cœlo, et intelligat quod Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit; ne forte cum acceperit quod natus ex Virgine est, incipiat non Dei virtutem, sed hominis æstimare. Ergo ne deficiant, inquit. C

**1401** (Ibid.) *Date illis vos manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes, et duo pisces: nisi nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.*

74. Nondum intellexerant apostoli cibum populi credentis non esse venalem. Noverat Christus, noverat ipse nos potius esse redimendos: suas vero epulas gratuitas donat. Nondum ergo habebant discipuli cibum qui redimere nos posset. Habebant tamen jam cibum qui satiare nos posset: habebant cibum qui confirmare nos posset: *Panis* enim *confirmat cor hominis* (*Psal.* CIII, 16). Miseretur ergo Dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, non per Dominum Jesum, sed per se deficit: D nec habes quod adscribas Domino, qui vincit cum judicatur; quid enim dicas ei qui in te contulit omnia firmamenta virtutis? Nonne ipse te genuit, nonne ipse te pavit? Cibus ejus virtus est, cibus ejus fortitudo est. Sed si tu negligentia tua virtutem quam acceperas perdidisti, non alimentorum cœlestium, sed tuæ mentis tibi præsidia defuerunt. Denique Dominus sicuti super justos et injustos pluit: ita etiam injustos pascit et justos.

75. Nonne in escæ virtute cum jam deficeret in via sanctus Elias, quadraginta ambulavit diebus, et illam escam angelus dedit (III *Reg.* XIX, 8)? Si autem te paverit Jesus, et acceptam escam servaveris, ambulabis non quadraginta diebus et quadraginta noctibus, sed (audeo dicere Scripturæ fretus exemplis) quadraginta annis: et egredieris ab Ægyptiis finibus, donec pervenias in terram multam, in terram fluentem lac et mel, quam juravit Dominus daturum se patribus nostris. Hujus terræ tibi virtus requirenda est, quam possidet mitis. Non istam terram dico quæ arida est, sed illam quæ Christi confirmatur alimentis, quæ sub imperio constituta regis æterni sanctorum incolatibus frequentatur.

76. Dividit ergo escas Dominus Jesus. Et ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, dispensator enim est omnium: sed cum ille panes frangat, et det discipulis, si tu manus non extendas tuas, ut accipias tibi escas, deficies in via; nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miseretur, et dividit: sed his dividit, qui cum eo etiam in deserto permanent, qui primo et secundo et tertio die non recedunt. Sic enim habes alibi: *Misereor hujus turbæ; quia triduum est jam quod perseverant mecum* (*Matth.* XV, 32). Quanta dignatio, quanta ab eo hominibus inspiratur humanitas! Non vult jejunos dimittere, non vult; ne deficiant in via.

77. Noli ergo deficere a disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Non fatigeris nunc, ne postea fatigeris. Quid enim respondebis ei: aut quomodo te excusabis, si escæ virtutem quam ministrat, amiseris? Non potes dicere quia escam non dedit, quia dat omnibus. Non potes dicere quia noluit te bonum facere, **1402** ante quem posuit bonum et malum; ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Multum enim refert inter eum qui necessitate invitus aliquid agit, et inter eum qui ex voluntate quod bonum est eligit: *Si enim invitus hoc ago, dispensatio mihi credita est: si volens mercedem habeo* (I *Cor.* IX, 17). Consideremus ergo quia stabimus ante tribunal Christi, et si opus nostrum arserit, non habebimus quod excusare possimus. Dicet etenim quod jam per prophetam locutus est: *Populus meus, quid feci tibi.... aut in quo molestus fui tibi? responde mihi* (*Mich.* VI, 3). Dicet et ei qui in via defecerit: qua ratione defecisti in via? Nonne [b] panes fregi? nonne benedixi? nonne jussi dari? Sed cur tu accipere noluisti?

78. Quanti etiam præsentium deficient in via, et post hos sermones, qui licet nostri sint, tamen quia nemo dicit Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto (I *Cor.* XII, 3), [c] panes æstimandi sunt: quanti, inquam, deficient, et in vias gentium transversis itineribus fornicantes abibunt! Atque utinam unus, et non plurimi! Sed non Jesus auctor defectus, etiamsi

[a] *Caput viæ*, dicitur finis ac terminus viæ; nam quod summum atque extremum in singulis rebus est, caput dicitur.

[b] Mss. longe plurimi, *panes feci*. Corb. tamen per correctionem, et alii nonnulli cum edit., *panes fregi*.

[c] Rom. edit. sola, *Domini æstimandi sunt*. Minus commode. Palam enim est ab Ambrosio significari

Digitized by Google

quis defecerit; omnibus enim distribuit qui sequuntur, sive quinque millia, sive quatuor millia sint.

79. Non otiosus numerus, non otiosus ordo, non otiosæ reliquiæ manducantium. Cur enim plures, id est, quinque millia quinque panibus, hoc est, numero minori satiantur: pauciores vero, qui sunt quatuor millia septem panibus, hoc est, numero majore pascuntur? Si enim facti tantum sequamur miraculum, videtur esse divinius quod de minore modo pluribus abundavit. Cur ergo quod minus est ei quod est amplius, quasi præstaret, adjectum est? [a] Prius enim quinque millia quinque panibus (*Matth.* XIV, 19): postea vero quatuor millia septem panibus legimus satiata (*Matth.* XV, 36). Quæramus ergo mysterium, quod miraculo præstet.

80. Itaque videntur illa quinque millia quasi quinque corporis sensus adhuc corporalibus proxima alimenta accepisse de Christo: quatuor vero millia, etsi adhuc in corpore sint, et in hoc mundo qui ex quatuor constat elementis, non otiose tamen referuntur mysticæ escam accepisse quietis; jam enim æquantur mundo, supra mundum futuri. Nam etsi in hoc mundo sunt, intra mundum tamen non sunt, quibus mysticæ quietis impartitur alimentum; sex enim diebus mundus est factus, septimo requietum est die, et Dominus sanctificavit eum. Ultra mundum ergo quies, [b] ultra mundum etiam fructus quietis. Denique *Beati pacifici; ipsi enim filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Nam cum Deus supra mundum sit, nemo utique potest Deum videre, nisi mundum prius spiritali transcendat obtutu. Septima itaque benedictio pacatorum: septem etiam illis quatuor millibus fragmentorum sportæ supersunt (*Matth.* XV, 37). Non mediocris hic panis est sabbatorum, panis sanctificatus, panis quietis. Et fortasse si primum quinque panes sensibiliter manducaveris, audebo et **1403** dicam, post quinque panes et septem tertio jam in terra non manducabis panem: sed supra terram manducabis octo panes, sicut qui sunt in cœlestibus. Sicut enim septem panes, panes quietis: ita octo panes, panes sunt resurrectionis. Ergo isti qui septem aluntur panibus (*Ibid.*, 32) triduo perstiterunt, et fortasse integram resurrectionis futuræ fidem et constantiam consecuti. Denique sanctorum vox est: *Tribus diebus ambulabimus*, [c] *ut epulemur Domino Deo nostro* (*Exod.* V, 3). Sed illa suo loco.

81. De quinque ergo panibus sanctus Joannes suos etiam sermones per Spiritus sancti gratiam panes esse. A docuit me quod nesciebam, quod non docuerat sanctus Matthæus, non docuerat sanctus Lucas (singulis enim diversa impartita est gratia); docuit, inquam, me quinque istos panes hordeaceos fuisse (*Joan.* VI, 9); et ideo non inepte diximus escam istam esse habilem [d] corporalibus. Cur enim primo hordeaceos? Quia primo [e] lacte, deinde esca est nutriendus qui accedit ad fidem; nondum enim poteramus, et fortasse plerique nec adhuc possumus. Nam cum sint inter nos contentiones, et dissensiones, nonne carnales sumus, et secundum hominem ambulamus? Suis quæque aptata sunt alimenta virtutibus; et inde prius hordeum, deinde triticum nobis ad alimoniam datur (III *Reg.* XVII, 13): fortiori vero sicut Eliæ, de interioribus frumenti [f] panis farinaceus ministratur, [g] quem non queunt depascere peccatores. B

82. Nec solum panis et numeri, sed etiam accubitionis est differentia: illi enim supra fenum discumbunt, isti supra terram recumbunt: supra fenum quinque millia, supra terram quatuor millia. Plus est terram premere, quam supra fenum jacere; illi enim quibus adhuc sensus sunt corporales, mollioribus delectantur, et ideo supra fenum recumbunt: *Omnis* enim *caro fenum* (*Esai.* XL, 6): isti vero supra terram, quæ triticum et vinum gignit et olivam, cibum gratiæ consequuntur. Illi discumbunt, isti recumbunt; major enim est quædam requies recumbentis. Ibi duo pisces, hic sine numero; unde plerique septiformis Spiritus gratiam in panibus definitam, in piscibus quoque duplicis Testamenti figuram intelligendam putaverunt. C

83. Non piget ergo æstimare quod quatuor millia ex quatuor mundi collecta partibus, in quibus Ecclesia figuratur, majoris gratiæ cibum sumant, juxta quod scriptum est: *Quia venient ab Oriente et Occidente et Septentrione et Austro, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII, 11). Unde hic gratiæ Patri aguntur a Christo; non enim frustra illic benedictio tantum, hic etiam gratiarum est actio. Pro Ecclesia quippe sua Dominus Patri gratias agere consuevit; quia quæ abscondit sapientibus, ea parvulis revelavit. Benedictio igitur super nos, qui inferiores sumus: gratiarum actio super eos qui de infirmitatibus corporum suorum sacratis passionibus triumpharunt. Jam illud in D superioribus prælibavimus, quia cum quinquageni discumbere juberentur, licet sacrato numero defi-

[a] Sic omnes edit. cum mss. aliquot. Alii vero neque numero, neque ætate inferiores multis resecatis locum ita contrahunt: *Prius enim quinque millia quasi quinque corporis sensus adhuc corporalibus proxima alimenta*, etc. Quod quidem minime absurdum sensum efficiet, si verbum, *referuntur*, sequenti membro expressum hic subintelligas.

[b] Mss. aliquam multi, nec sequioris ætatis, *intra mundum etiam*, etc. Porro obiter monendum eosdem cod. ex quopiam exemplari descriptos esse, in quo post verba, *benedictio pacatorum*, folium videtur fuisse transpositum; unde ad illos quoque eadem transpositio promanavit.

[c] Mss. nonnulli, *ut epulemur Domino*, etc.

[d] Gill. in marg. *corporibus vel pecoribus*. Duo etiam mss. legunt, *pecoribus*. Melius tamen alii atque edit. *corporalibus*; refertur enim ad superiora illa, *corporalibus proxima alimenta*: quæ sic in omnibus mss. et edit. exhibentur.

[e] Plerique mss., *lacte Dei*, *deinde esca*, etc.

[f] Quidam mss., *panis subcinericius* ministratur.

[g] Edit. cum mss. non paucis, *quem* (Rom. *quia*) *valem* (quidam mss. *autem*) *non queunt contaminare*, *sed pascere peccatores*. Sed quis sensus, nisi ineptus hinc eruatur? Nos vero locum ex quinque mss. probatioris notæ restituimus.

Digitized by Google

nito; tamen videtur hic fundatioris Ecclesiæ populus, qui fide numeri definitione recumbit. A

1404 84. Mysticum quoque est quod et manducans populus satiatur, et ministrant apostoli; nam et in satietate, repulsæ in perpetuum famis indicium designatur; quia non esuriet qui acceperit cibum Christi : et in apostolorum ministerio futura divisio Dominici corporis sanguinisque præmittitur. Jam illud divinum, quemadmodum quinque panes quinque millibus populi redundaverunt; non enim exiguo, sed multiplicato cibo populum liquet esse satiatum.

85. Videres incomprehensibili quodam rigatu inter dividentium manus, quas non fregerant, fructificare particulas, et intacta frangentium digitis sponte sua fragmenta subrepere. Qui hæc legit, B quemadmodum juges aquarum miretur meatus, et liquidis fontibus stupeat continuos fluere successus : quando etiam panis exundat, et naturæ solidioris rigatus exuberat? Hæc igitur facta sunt, ut illa quoque quæ non cernimus, cerneremus. His evidenter illorum quoque designavit auctorem, et totius naturæ creatorem materialis existere, quæ non (ut philosophi volunt) reperta, sed facta, gignendis omnibus rebus successus defluos subministrat.

86. Hoc quidem mirum, quidquid de fluminibus haurias, signo dispendii non notari : quidquid de fontibus auferas, usurario quodam reparari meatu. Sed et fluminibus si nihil decedere, nihil tamen videatur accedere : et fontibus ut cumulata fluenta cernuntur, ita dum minuuntur fluenta, produntur. C At vero hic panis quem frangit Jesus, mystice quidem Dei verbum est, et sermo de Christo, qui dum dividitur, augetur; de paucis enim sermonibus, omnibus populis redundantem alimoniam ministravit. Dedit sermones nobis velut panes, qui in nostro dum libantur ore, geminantur. Visibiliter quoque panis iste incredibili ratione dum frangitur, dum dividitur, dum editur, sine ulla dispendii comprehensione cumulatur.

87. Nec dubites vel quod in manibus ministrantium, vel in ore edentium crescat; quando ubique nostri operis testimonium ad firmamentum credulitatis adsciscitur. Sic in nuptiis ex fontibus vina, ministris operantibus, colorantur, et ipsi qui impleverant hydrias aqua, vinum quod non detulerant, hauriebant (*Joan.* II, 5 *et seq.*). Comprehende, si potes, tanta rerum miracula. Hic edentibus populis crescunt suis fragmenta dispendiis, et de quinque panibus majores reliquiæ quam summa est, colliguntur : illic in alienam speciem vertuntur elementa, nec suos patitur natura defectus, nec suos agnoscit ortus, usu tamen proprio recognoscit. Quin etiam melior est mutati vini natura quam nati; quia in arbitrio Creatoris est, et quos usus velit assignare naturis, et quas naturas impartire gignendis. Vide D quantis operibus opus astruat : dum aquam minister infundit, odor transfusus inebriat, color mutatus informat, fidem quoque sapor haustus accumulat.

88. Conferant gentiles, si placet, cum Christi beneficiis deorum suorum non facta, sed ficta. 1405 Ferunt certe eorum fabulæ fuisse [a] regem quemdam qui quidquid tangebat, aurum fiebat. Sed etiam convivia ipsa feralia; nam et ipsa mantilia digitis apprehensa riguerant : et cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, sed vulnera : et in gutture potus hærebat, nec penetrare facilis, nec redire. Digna beneficia votis, digna tanto munera precatore, digna liberalitas conferente! Talia sunt idolorum beneficia, ut cum videntur prodesse, plus noceant : at vero Christi munera parva videntur, et maxima sunt. Denique non uni collata, sed populis; nam et cibus edentium in ore crescebat, et videbatur esse corporalis alimoniæ, sed sumebatur salutis æternæ.

89. Cur autem quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? Quia quatuor millia ista triduo cum Christo fuerunt; et ideo amplius cœlestis pabuli receperunt.

90. Nec otiose quæ turbæ supersunt, a discipulis colliguntur; quia ea quæ divina sunt, apud electos facilius possis quam apud populos reperire. Utinam mihi contingat audire : Collige quæ supersunt! Si audiero et fecero, habebo multa quæ turbæ, habebo multa quæ pueri et mulieres edere nequiverunt. Beatus ille qui potest colligere quæ etiam doctis supersunt.

91. Videamus quomodo colligat. Dixit Lex : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX, 14). Fregit hunc panem Christus, divisit hoc verbum, non aliunde adjiciens, sed de suo partiens : *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam* (*Matth.* V, 28). Habes fragmentum de suo. Addidit : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* (*Ibid.*, 29). Habes aliud. *Et si dextera tua scandalizat te, abscinde eam* (*Ibid.*, 30); et, *Qui dimissam a viro ducit, mœchatur* (*Luc.*, XVI, 18). Vides ex uno quam multa fragmenta. Moyses dicit quod *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera* (*Galat.* IV, 22). Paulus dixit : *Hæc sunt duo Testamenta* (*Ibid.*, 24). Divisit hoc verbum, et invenit mysterium. Beatus ergo qui colligit, quæ dividit Christus.

92. Qua ratione autem cophinos duodecim Christus implevit, nisi ut illud populi Judaici solveret : *Quia manus ejus in cophino servierunt* (*Psal.* LXXX, 7) : hoc est, populus qui ante lutum in cophinis colligebat, hic jam per crucem Christi vitæ cœlestis operatur alimoniam; et eo fidei cibum congerit, ubi erat ante cœnum gentilis perfidiæ. Nec paucorum hoc munus? sed omnium est. Nam per duodecim cophinos tamquam tribuum singularum fidei firmamentum redundat : *Panis* enim *confirmat cor hominis* (*Psal.* CIII, 16).

[a] Midam intellige Phrygiæ regem quem poetæ, quo sub ejus persona quam stulta sint avarorum vota, ob oculos ponerent, finxerunt eo munere donatum a Baccho, ut quidquid tangeret, in aurum verteretur. Vide Ovidii Metamor. lib. XI, fab. 5.

Digitized by Google

(Vers. 20.) *Dixit autem illis : Vos quem me esse dicitis? Respondit Simon Petrus, Christum Dei.* A

93. Nec turbæ quidem otiosa opinio est, quia alii Eliam, quem venturum putabant : alii Joannem, quem decollatum sciebant, aut unum de prophetis prioribus surrexisse credebant. Sed hoc quærere supra nos est : [a] alterius scientiæ, alterius prudentiæ est. Nam si Paulo apostolo satis est nihil scire nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (II *Cor.*, II, 2), quid amplius mihi desiderandum est scire quam Christum? In uno enim hoc nomine **1406** et divinitatis et incarnationis expressio, et fides passionis est. Et ideo licet cæteri apostoli sciant; Petrus tamen respondit præ cæteris : *Tu es Christus filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Complexus est itaque omnia, qui et naturam et nomen expressit, in quo summa B virtutum est. Etiamne nos de generatione Dei inserimus quæstiones, cum Paulus judicaverit nihil se scire nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum : Petrus nihil amplius quam Dei Filium confitendum putaverit? Nos et quando, et quomodo natus sit, et quantus sit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur. Scivit Paulus quod in istis magis offendiculum quæstionis, quam ædificationis profectus esset; et ideo judicavit nihil se scire nisi Christum Jesum. Scivit Petrus quod in Filio Dei omnia sint : *Omnia* enim *dedit Pater Filio* (*Joan.* XIII, 3). Si omnia dedit, æternitatem quam habet, majestatemque transfudit. Sed quo prolabor longius? Fidei meæ finis Christus est, finis fidei meæ Dei Filius est. Non licet mihi scire generationis seriem; non C licet tamen nescire generationis fidem.

94. Crede igitur sic quemadmodum Petrus credidit; ut et tu beatus sis, ut et tu audire merearis : *Quoniam non caro et sanguis tibi revelavit, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17). Caro enim et sanguis non queunt nisi quæ terrena sunt revelare : at vero qui spiritu loquitur mysteria, non carnis et sanguinis magisterio, sed divina inspiratione fundatur. Noli ergo acquiescere carni et sanguini; ne carnis et sanguinis haurias præcepta, atque ipse sanguis et caro fias. Qui enim carni adhæret, caro est : *Et qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17). *Non permanebit*, inquit, *spiritus meus in hominibus istis in æternum, propter quod caro sunt* (*Gen.* VI, 3). D

95. Sed utinam caro et sanguis non sint qui audiunt, sed a carnis et sanguinis remoti cupiditatibus possint dicere singuli : *Non timebo quid faciat mihi caro* (*Psal.* LV, 5)! Qui enim carnem vicerit, Ecclesiæ fundamentum est : si æquare Petrum non potest, imitari potest; magna sunt enim Dei munera, qui non solum nobis quæ nostra fuerant reparavit, verum etiam quæ sunt sua propria concessit.

96. Refert tamen quid sibi velit quod non alium turbæ opinabantur, nisi aut Eliam, aut Hieremiam, aut Joannem Baptistam. Et Eliam forte; quia raptus ad cœlum est. Sed non Elias est Christus : ille rapitur, iste regreditur : ille, inquam, rapitur, iste rapinam non arbitratus est esse se æqualem Deo : ille petitis ignibus vindicatur, hic persecutores suos maluit sanare, quam perdere. Cur autem Hieremiam putabant? Fortasse quia sanctificatus in vulva est. Sed non hic Hieremias : ille sanctificatur, iste sanctificat : illius sanctificatio cœpit ex corpore, hic sanctus ex sancto. Cur etiam Joannem populus putabat; nisi forte quia in matris utero positus, Domini præsentiam sentiebat? Sed non hic est Joannes : ille adorabat in utero, hic adorabatur : ille baptizabat in aqua, Christus in spiritu : ille pœnitentiam suadebat, hic peccata donabat.

97. Et ideo Petrus non exspectavit populi **1407** sententiam, sed suam prompsit dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Joan.* VIII, 12). [b] Qui et semper est, nec cœpit ut esset, et esse non deficit. Magna autem Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis suis donavit. *Ego sum*, inquit, *lux mundi* (*Matth.* V, 14) : et id tamen quo ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit dicens : *Vos estis lux mundi. Ego sum panis vivus* (*Joan.* VI, 41) ; et, *Nos omnes unus panis.... sumus* (I *Cor.* X, 17). *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV, 1). Et tibi dicit : *Plantavi te vitem fructuosam* [c] *omnem veram* (*Jerem.* II, 21). Petra est Christus : *Bibebant enim de spiritali sequente petra, petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4) : etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit (*Matth.* XVI, 18); ut et ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.

98. Enitere ergo ut et tu petra sis. Itaque non extra te, sed intra te petram require. Petra tua actus est, petra tua mens est. Supra hanc petram ædificatur domus tua; ut nullis possit nequitiæ spiritalis reverberari procellis. Petra tua fides est, fundamentum Ecclesiæ fides est. Si petra fueris, in Ecclesia eris; quia Ecclesia supra petram est. Si in Ecclesia fueris, portæ inferi non prævalebunt tibi. Portæ inferi, portæ mortis sunt : portæ autem mortis, portæ Ecclesiæ esse non possunt.

99. Quæ autem sunt portæ mortis, hoc est, portæ inferi, nisi singula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingressus es. Si fidem læseris, portas inferi penetrasti. Si peccatum mortale commiseris, portas mortis intrasti : sed potens est Deus, qui exaltet te de portis mortis; ut annunties omnes laudes ejus in portis [d] filiæ Sion. Portæ autem

[a] Edit. Amerb. cum longe maxima parte mss., *alterius sententiæ*. Præstat tamen alia lectio.

[b] Edit. omnes, cum paucis mss., *Qui est semper est*. Cætera cum mss. reliquis conveniunt; nisi quod Rom. sic prosequitur, *nec cœpit, nec esse deficit*.

[c] Mss. aliquot, *omne semen verum*; alii plures et cunctæ edit., *omnem veram*. Sic LXX interp. πᾶσαν ἀληθινήν.

[d] Ita mss. prope ad unum. At edit. omnes, *filiæ Sion*. *Sunt enim portæ castitatis, sunt portæ justitiæ*,

Digitized by Google

Ecclesiæ portæ castitatis sunt, portæ justitiæ, quas justus intrare consuevit dicens : *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino* (*Psal.* CXVII, 19). Sed ut porta mortis, porta inferi : ita et porta justitiæ, Dei porta est. *Hæc* enim *porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Ibid.*, 20). Et ideo fuge pertinaciam delictorum, ne portæ tibi possint inferi prævalere; si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta prævalebit. Fuge ergo contentiones, dissensiones, strepitus, tumultusque discordiæ; ne portas mortis ingressus incurras. Dominus enim Jesus Christus prædicari se primo noluit, ne ullus strepitus nasceretur. [a] Increpat discipulos suos, ne cui hæc dicerent, quod

(Vers. 22.) *Oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a principibus sacerdotum, et senioribus, et scribis, et occidi, et die tertio resurgere.*

100. Et fortasse ideo hoc addidit Dominus, quia sciebat difficile passioni et resurrectioni etiam discipulos credituros. Et ideo passionis et resurrectionis suæ assertor esse maluit; ut ex facto fides, non ex auditu discordia nasceretur. Ergo Christus noluit gloriari, sed maluit ignobilis videri, ut passionem subiret : et tu qui ignobilis natus es, gloriaris? Eadem tibi, qua Christus ambulavit, gradiendum est via. Hæc ejus agnitio, **1408** hæc ejus imitatatio, per ignobilitatem ac bonam famam; ut glorieris in cruce Domini, sicut ipse est gloriatus. Sic ambulavit Paulus, et ideo gloriatur dicens : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14).

101. Sed videamus cur secundum Matthæum reperiamus admonitos discipulos, ne cui dicerent quod ipse sit Christus : hic autem scriptum sit increpatos esse, ne cui dicerent quod esset multa passurus et resurrecturus (*Matth.* XVI, 20). Videtis quod in uno Christi nomine omnia sint. Ipse est enim Christus qui natus est ex Virgine, ipse est qui mirabilia fecit in populo, ipse qui mortuus est pro peccatis nostris, et resurrexit a mortuis. Unum horum si retraxeris, retraxisti salutem tuam. Nam etiam hæretici habere sibi Christum videntur; nemo enim Christi nomen negat : sed negat Christum, qui non omnia quæ Christi sunt, confitetur. Multis igitur ex causis jubet tacere discipulos; ut fallat principem mundi, ut declinet jactantiam, doceat humilitatem; simul ne rudes et imperfecti adhuc discipuli maximæ prædicationis molibus opprimantur.

102. Nunc qua causa etiam immundos spiritus jubeat tacere, consideremus. Sed et hoc nobis Scriptura aperuit, quia *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas* (*Psal.* XLIX, 16)? Ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem; improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet; ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat.

103. Etiam illud consideremus, utrum hic primum mandaverit discipulis, ne cui dicerent quia ipse esset Christus : an vero et ante mandaverit, quando apostolos duodecim destinavit, denuntians illis : *In viis gentium ne ambulaveritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis : ite autem ad oves quæ perierunt domus Israel.... ægrotos curate.... leprosos mundate, dæmonia ejicite.... et in quamcumque civitatem... intraveritis, discite quis in ea dignus sit, atque ibi manete* (*Marc.* X, 5-11). Itaque nec hic mandatum videtur, ut Christum Dei Filium prædicarent.

104. Ordo igitur [b] disputationis est ordo tractatus, et ideo etiam nos, cum aliqui ex gentibus vocantur ad Ecclesiam, ita præceptorum seriem formare debemus, ut primo unum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus, in quo vivimus, et sumus et movemur, cujus et genus sumus; ut non solum propter munera lucis et vitæ, verum etiam propter cognationem quamdam generis diligendus a nobis sit. Deinde opinionem illam, quæ est de idolis, destruamus; ut non possit auri argentique vel ligni materia vim in se habere divinam. Cum unum Deum esse persuaseris, [c] tunc indicio ejus astrues per Christum nobis salutem datam; incipiens ab illis quæ gessit in corpore, et ea divina describens, ut plus quam homo fuisse videatur, victam unius virtute mortem, mortuumque ab inferis suscitatum; paulatim enim fides crescit, ut cum supra **1409** homines fuisse videatur, Deus esse credatur. Nam nisi probaveris quod facere illa sine divina virtute non potuit, quemadmodum potes probare in eo vim fuisse divinam?

105. Sed fortasse nobis parum auctoritatis et fidei deferatur : lege sermonem Apostoli apud Athenienses habitum, qui si a primo destruere voluisset cæremonias idolorum, sermonem ejus aures gentilium respuissent. Ab uno igitur Deo operatore mundi incipit dicens : *Deus qui fecit mundum, et cuncta quæ sunt in eo* (*Act.* XVII, 24). Negari non poterat unum operatorem esse mundi, unum Deum, unum omnium creatorem. Adjunxit eo quod cœli et terræ Dominus [d] in manufactis non dignetur habitare. Deinde quod intra auri argentique cassam materiem nequaquam verisimile sit artificio hominis vim divinitatis includi : erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Tunc venit ad Christum, [e] nec tamen Deum maluit quam hominem nuncupare, dicens : *In viro quo de-*

[a] Rom. edit. sola, *Sic enim scribit Evangelista : At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent.* Sed frequentes illi tales mutationes.

[b] Id est, quemadmodum in disputationibus philosophicis procedere solent a facilioribus et simplicioribus ad difficiliora et magis impedita, sic in tractando quoque Evangelio procedendum.

[c] Amerb. cum mss. aliquot, *tunc judicio ejus.* Minus bene.

[d] Mss. aliquot. *non in manufactis idolis.* Melius alii cum edit. vocem, *idolis*, non admittunt, pro qua subauditur *templis*, ut referatur ad Apostoli verba, *οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ.*

[e] Mss. quatuor, *nec tamen Deum tacuit, quando hominem nuncupavit.* Infra vero ubi cuncti mss. et ant. edit. *definivit omnibus fidem*; Rom. reposuit, *definivit, præbens omnibus fidem*, in quo ei textus Apostolicus patrocinatur.

Digitized by Google

*finivit omnibus fidem, suscitans eum ab inferis* (*Act.* XVII, 31). Qui enim tractat, debet audientium considerare personas; ne prius irrideatur quam audiatur. Quomodo enim Athenienses crederent quia Verbum caro factum est, et de Spiritu sancto Virgo concepit, qui irridebant quia resurrectionem audierant mortuorum (*Ibid.*, 32)? Tamen et Dionysius Areopagites credidit, et alii crediderunt in virum; ut in Deum crederent (*Ibid.*, 34). Quid interest, quo quisque credat ordine? Non in principiis perfecta quæruntur: sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt pervenitur. Ergo tali Athenienses informavit præcepto: talis nobis apud gentiles ordo servandus est.

106. At vero cum Judæos alloquerentur apostoli, ipsum Christum esse dicebant qui propheticis nobis esset promissus oraculis: quem non prius auctoritate sua Dei filium nominabant: sed virum probatum, virum justum, virum a mortuis suscitatum, illum virum de quo dictum est in prophetis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Act.* II, 22, *et* III, 14, *et* XIII, 33, *ex Psal.* II, 7). Ita ergo et tu ad ea quæ difficile creduntur, auctoritatem divini sermonis adscisce, et promissum ejus adventum prophetarum voce designa: resurrectionem quoque multo ante compertam Scripturarum testimoniis edoceto, non usitatam cum cæteris atque communem; ut in ipsa suscitati corporis assertione, æternæ testimonium divinitatis acquiras. Cum enim cæterorum corpora corruptionem probaveris subiisse post mortem, hunc utique de quo dicitur: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10), comprobas humanæ fragilitatis expertem, probas humanæ conditionis merita supergressum, Deo magis quam hominibus conferendum.

**1410** 107. Quod si ad sacramenta fidelium tendens catechumenus imbuendus sit, dicendum quia unus est Deus ex quo omnia, et unus Jesus Christus per quem omnia (I *Cor.* VIII, 6): non duos dominos esse dicendos: perfectum quidem Patrem, perfectum esse et Filium; sed unius Patrem et Filium esse substantiæ: Verbum æternum æterni Dei, non quod profertur, sed quod operatur; ex patre genitum, non voce editum. Prohibentur ergo apostoli evangelizare eum Dei Filium, ut evangelizarent postea crucifixum.

A Hæc est fidei gloria, si vere intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi utilis est, et vere utilis, *Per quam mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum; scio quia præterit, non concupisco eum; scio quia corruptela consumit hunc mundum, quasi fetidum vito, quasi luem caveo, quasi nociturum relinquo.

108. Sed non statim per crucem possunt aliqui credere salutem mundo refusam. Astrue ergo per historias Græcorum hoc fuisse possibile, sicut interdum etiam Apostolus suadet incredulis (*Act.* XVII, 28): nec [a] versus poeticos refugit, ut fabulas destruat poetarum. Si enim revocetur in memoriam B quod legiones sæpe et magnos populos, oblatis aliquorum mortibus, [b] historiæ Græcorum asserant liberatos: si recordetur quod imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos ad sacrificium sit vocata: si nostrum illud consideremus, quia *Sanguis taurorum et hircorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandam* (*Hebr.* IX, 13), sicut ad Hebræos scriptum est: [c] si pestilentis regionum aliquibus hominum contracta peccatis, unius alicujus morte asseritur esse resoluta; [d] quod aut ratione prævaluit, aut dispositione convaluit, quo facilius in crucem Domini crederetur: proclive erit ut qui sua negare non possunt, nostra confirment.

109. Sed quoniam nullus hominum tantus esse C potuit, qui totius peccata tolleret mundi, neque Enoch, neque Abraham, neque Isaac qui licet morti se obtulerit, servatus tamen est (*Gen.* XXII, 9); quia omnia non poterat abolere peccata, (quis enim tantus homo, in quo omnium peccata morerentur?) idcirco non unus e plebe, non unus e numero, sed Filius Dei a Deo Patre electus est, qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posset offerre: quem mori oportuit, ut cum esset fortior morte, alios liberaret, *Factus . . . . inter mortuos sine adjutorio liber* (*Psal.* LXXXVII, 6), sine adjumento scilicet hominis, aut alicujus creaturæ, liber a morte. Et bene liber, qui servitutem cupiditatum repulit, mortis vincla nescivit.

[a] Nonnulli mss., *versus propheticos*. Minus commode; nisi quis velit ad id alludi, quod Apostolus, Tit. I, 12, poetam Epimenidem vocitet Cretensium prophetam, cujus etiam carmina χρησμῶν titulo inscripta erant: qua de re videsis Grotium in eumdem locum.

[b] Similia de Codro ultimo Atheniensium rege narrat Pausanias in Atticis, et post eum Eusebius: nec non ex Latinis Justinus, Paterculus, atque alii. Quod autem subnectitur de *imperatoris filia . . . . ad sacrificium vocata*; innuitur Iphigeniæ Agamemnonis Græcorum in bello Trojano imperatoris filiæ sacrificium; quam fabulam non solum Euripides in Trag. de hoc argumento, et alii poetæ pluribus locis, sed etiam Dictys Cretensis historicus, lib. I *de Bello* D *Troj.* commemorat.

[c] Cum pestis totam Aoniam devastaret, oraculumque respondisset eam tum demum cessaturam, si se duæ virgines morti devovissent, filiæ cujusdam Orionis Bœoti ultro sibi violentas manus inferentes pestem sedasse referuntur. Vide Anton. Liberalem ex Nicandro, lib. IV Alteratorum; et Corinna, lib. I Mutationum. Sed forte ad Thebanam luem quæ sub Œdipode contigit, quæque ipso in exsilium abeunte, atque interfecta matre Jocasta, cessasse dicitur, hoc loco respexit Ambrosius. De qua re consule Diodorum, lib. I, Statium, Senecam et alios.

[d] Rom. edit. sola, *quod aut relatione prævaluit.*

Digitized by Google

# LIBER SEPTIMUS.

1411 (Vers. 27). *Dico autem vobis, vere sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.*

1. Semper Dominus sicut ad præmia erigit futura virtutum, atque utilem sæcularium rerum docet esse contemptum, ita etiam infirmitatem mentis humanæ præsentium remuneratione sustentat. Arduum quippe est crucem tollere, et animam periculis, morti corpus offerre: negare quod sis, cum velis esse quod non sis; raroque, quamvis excelsa virtus, futuris præsentia commutat. Difficile quippe videtur hominibus, ut spem periculis emant: damnoque præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Ergo bonus et moralis magister ne quis desperatione frangatur aut tædio; quoniam vitæ dulcis illecebra constantem quoque mulcet affectum, continuos vivendi successus fidelibus pollicetur: frigent enim solatia sub metu mortis, magnusque amor vitæ ægre blanditias spei cum appetitæ salutis terrore compensat. Non habes igitur quod queraris, non habes quod excuses: arbiter omnium dedit et virtuti præmium, et infirmitati remedium; ut præsentibus sustineatur infirmitas, virtus futuris. Si fortis es, contemne mortem: si imbecillis es, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitam sequatur. Vita tua Christus est, ipsa est vita quæ mori nescit.

2. Itaque si volumus mortem non timere, stemus ubi Christus est; ut et de nobis dicat: *Vere sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem.* Non satis est stare, nisi ubi Christus est, stetur; soli enim non queunt gustare mortem qui possunt stare cum Christo. In quo licet ex verbi ipsius qualitate perpendere, ne tenuem quidem sensum habituros mortis, qui Christi videantur meruisse consortia. Certe mors corporis libando gustetur, vita animæ possessione teneatur.

3. Sed quid est gustare mortem? Ne forte quemadmodum panis vita est, ita etiam panis mors sit; sunt enim qui manducant panem doloris (*Psal.* CXXVI, 2): sunt etiam Æthiopum populi qui acceperunt in escam draconem (*Psal.* LXXIII, 14). Absit a nobis venenum draconis vorare; habemus enim panem verum, panem illum qui descendit de cœlo. Panem illum manducat, qui ea quæ scripta sunt servat. Sunt ergo qui mortem non gustent, donec videant regnum Dei. Sunt etiam qui mortem non videant, sicut scriptum est: *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem* (*Psal.* LXXXVIII, 49)?

4. Sed quis est homo qui non moriatur, cum resurrectio nisi mortui esse non possit? Quamvis de Enoch et Elia nullam mortem corporis acceperimus, A et de Evangelista Joanne Dominus dixerit: *Sic eum volo manere donec venio* (*Joan.* XXI, 22); tamen quoniam non de uno Joanne hoc putamus expressum, 1412 sed generale de multis hoc esse præceptum; non hic mors corporis, sed animæ denegatur. Sunt enim qui mortui vivunt; quoniam sunt qui viventes mortui sunt, sicut vidua illa quæ *vivens mortua est* (*I Tim.* V, 6), sicut scriptum est: *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV, 16). Si ergo vivus quis in infernum descendit ([a] peccato enim mortuus in inferni descendit habitaculum), sunt profecto quibus nec in morte corporis interruptus sit ordo vivendi, sicut Abraham, Isaac, et Jacob, quos vivere divinæ sententiæ auctoritate comperimus; quoniam cum sit Deus Abraham, Isaac, et Jacob, B non utique mortuorum est Deus, sed viventium (*Matth.* XXII, 32).

5. Itaque non de uno, sed de pluribus dicit; neque enim Petrus mortuus est, cui juxta Dominicam sententiam inferi porta prævalere non potuit (*Matth.* XVI, 18). Nec Jacobus et Joannes mortui filii tonitrui (*Marc.* III, 17), quibus in usum gloriæ cœlestis assumptis non prævalent terrena, sed subjacent. Esto ergo et tu Petrus, devotus, fidelis, pacificus; ut portas Ecclesiæ aperias, et portas mortis evadas. Esto filius tonitrui. Dicis: Quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse, si non in terra, sed in pectore Christi recumbas. Potes esse filius tonitrui si te terrena non moveant, sed ipse potius ea quæ terrena sunt, mentis tuæ virtute concutias. Tremat te terra, C non capiat: vereatur caro potestatem animi tui, et concussa subdatur. Eris filius tonitrui, si fueris filius Ecclesiæ. Dicat et tibi de patibulo crucis Christus: *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 27). Dicat et Ecclesiæ: *Ecce filius tuus* (*Ibid.*, 26); tunc enim incipis esse filius Ecclesiæ, cum in cruce victorem videris Christum. Nam qui crucem scandalum putat, Judæus est, Ecclesiæ filius non est: qui crucem stultitiam putat, Græcus est. Ille autem est Ecclesiæ filius, qui crucem triumphum putat, [b] qui crucem Christi triumphantis agnoscit.

6. (Vers. 28.) Ergo ut scias quia Petrus, Jacobus et Joannes mortem non gustaverunt, gloriam resurrectionis videre meruerunt; solos enim tres istos post hæc fere verba in diebus octo assumpsit, et D duxit in montem. Quid est quod iste dicit: *In diebus octo post hæc verba?* Ne forte quia is qui verba Christi audit et credit, resurrectionis tempore gloriam Christi videbit; octava enim die facta est resurrectio; unde et plerique psalmi in octavam inscribuntur (*Psal.* VI *et* XI). Aut forte ut ostenderet nobis

[a] Edit. omnes, *peccato enim mortis in infernum descendit*, *sunt*, etc. Mss. contra ut in textu, excepto quod in paucis, *mortis* legitur pro, *mortuus*, ac *infernum . . . ad habitandum*, pro *inferni . . . . habitaculum*. Porro peccatum *mortis* potuit Ambrosius illud dicere, quod supra lib. VI, n. 99, peccatum *mortale* appellaverat.

[b] Ita omnes edit. ac pauci mss. Alii vero tum frequentiores, tum antiquiores, *qui vocem Christi*, etc.

Digitized by Google

quia dixerat quod is qui propter Dei verbum perdiderit animam suam, salvam faciet eam; quoniam promissa sua in resurrectione restituat.

7. Sed Matthæus et Marcus post dies sex assumptos hos esse memorarunt (*Matth.* xvii, 1; *Marc.* ix, 1). De quo possemus dicere, post sex millia annorum; *Mille enim anni in conspectu Dei tamquam dies una* (*Psal.* lxxxix, 4): sed plures [a] quam sex millia computantur anni: et malumus sex **1413** dies per symbolum intelligere, quod sex diebus mundi opera sunt creata; [b] ut per tempus opera, per opera mundum intelligamus. Et ideo mundi temporibus impletis, resurrectio futura monstratur: aut quia is qui supra mundum ascenderit, et hujus sæculi momenta transcenderit, velut in sublimi locatus, futuræ resurrectionis fructum exspectabit æternum.

8. Transcendamus igitur opera mundi; ut possimus facie ad faciem Deum videre. *Ascende in montem qui evangelizas Sion* (*Esai.* xl, 9). Si in montem ascendit qui evangelizat Sion, quanto magis qui Christum evangelizat, et Christum in gloriam resurgentem? Fortasse enim in corpore eum multi videant; multi enim secundum carnem cognovimus Christum: nunc autem jam non novimus.

9. Multi cognovimus, quia multi vidimus. *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Esai.* liii, 3). Tres autem soli et tres electi ducuntur in montem. Putarem in tribus mystice genus hominum comprehensum; quia ex tribus filiis Noe genus omne defluxit humanum, nisi electos cernerem. Aut fortasse quia soli ex omnibus ad resurrectionis pervenire gratiam qui Christum confessi fuerint, merebuntur; quia impii in judicium non resurgunt, sed tanquam habito judicio puniuntur (*Psal.* i, 5). Tres igitur eliguntur, qui ascenderent montem; quia et duo eliguntur qui cum Domino viderentur. Utrinque sacratus numerus. Et hoc fortasse propterea, quia nemo potest resurrectionis gloriam videre, nisi qui integrum mysterium Trinitatis incorrupta fidei sinceritate servaverit. Petrus ascendit, qui claves regni cœlorum accepit (*Matth.* xvi, 19): Joannes quoque, cui committitur Domini mater (*Joan.* xix, 2): Jacobus etiam, [c] qui primus solium sacerdotale conscendit.

10. (Vers. 30.) Inde apparent Moyses et Elias, hoc est, Lex et prophetia cum Verbo; neque enim Lex potest esse sine Verbo: neque propheta, nisi qui de Dei filio prophetarit. Et illi quidem filii tonitrui corporali gloria Moysen quoque et Eliam speculati sunt: sed etiam nos quotidie [d] videmus Moysen cum Dei Filio; videmus enim Legem in Evangelio cum legimus: *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* vi, 5). Videmus Eliam cum Dei Verbo, cum legimus: *Ecce virgo in utero accipiet* (*Esai.* vii, 14). Unde bene Lucas addidit, quia:

(Vers. 31.) *Dicebant excessum ejus quem completurus erat in Hierusalem.*

11. Docent enim te de excessu ejus mysteria. Et hodie Moyses docet, et hodie Elias loquitur, et hodie in majore gloria videre possumus Moysen. Quis enim non potest, quando et populus Judæorum eum videre potuit, immo vidit? Vidit enim in gloria faciem Moysi (*Exod.* xxxiv, 30, *et seq.*): sed velamen accepit, sed in montem non ascendit. Et ideo **1414** erravit, quia solum Moysen vidit, Dei Verbum simul videre non potuit.

12. Revelemus igitur nos faciem nostram; ut revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem reformemur. Ascendamus in montem, deprecemur Dei Verbum; ut in specie et pulchritudine sua nobis appareat, et confortetur, et prospere procedat, et regnet. Et hæc enim mysteria sunt, et altius referuntur; etenim pro tua possibilitate aut minuitur tibi Verbum, aut crescit, ac nisi altioris prudentiæ cacumen ascendas, non tibi apparet sapientia, non tibi apparet mysteriorum cognitio, non tibi apparet quanta sit gloria, quanta sit species in Dei Verbo: sed Dei Verbum quasi quodam apparet in corpore, non habens suam speciem, neque decorem, et apparet quasi homo in plaga, qui ferre possit infirmitates nostras: apparet tibi quasi quidam sermo natus ex homine, litterarum opertus involucris, virtute spiritus non refulgens. Sed si dum hominem consideras, de Virgine credas esse generatum, et paulatim aspiret fides, quod de spiritu Dei natus sit, incipis montem ascendere. Si in cruce positum

[a] Hanc supputationem Ambrosio peculiarem esse tradit Sixtus Sen. Bibl. lib. v, annot. 190. *Nam*, inquit, *secundum Hebraicæ veritatis calculum Ambrosii tempore nondum prætericrant anni* 4400. Verum hæc sancti Præsulis opinio magnis auctoribus defenditur Theoph., Cypr., Clem. Alex. et aliis. Diversitatis autem ratio est, quod qui LXX senes secuti sunt, multo majorem annorum numerum mundi ætatibus ac potissimum primæ attribuant, quam ii qui Hebræis Latinisque codicibus adhæserunt. Sed de his adi, si vacat, Genebr., Torniel., Baron. in Apparatu Hist. § 119, Scalig. de Emend. Temp., Calvis. in Chronol., Petav. de Doctrina Temp., et alios.

[b] Corb. ms., *ut per tempora mundum intelligamus.*

[c] Rom. edit., *qui primus martyrium sustinuit:* ubi subintellige, *apostolorum.* Recta emendatio; non enim hic Jacobus episcopalem Jerosolymorum sedem tenuisse usquam legitur: quod de Jacobo Alphæi filio fratreque Domini post Clem. Alex. tradit Eusebius, Hist. Eccl. lib. ii. cap. i, et alii. Malumus tamen eum Maldonato in cap. xvii Matth. lapsum memoriæ, quem idem etiam Augustino adscribit, in Ambrosio nostro agnoscere, quam ab omnibus mss. ac vet. edit. desciscere. Cæterum observandum obiter non deesse qui Jacobum Alphæi distinctum velint a Jacobo fratre Domini, contendantque primum apostolum fuisse, non secundum: secundum vero Jerosolymorum episcopum exstitisse, non primum. Videsis Bollandi continuat. ad i Maii.

[d] Eadem edit. Rom. *videmus Moysen et Eliam cum Dei Filio. Videmus enim Moysen in Evangelio.* Melius aliæ, et cuncti mss. ut in textu. Etenim primum de solo Moyse probat, quod eum videamus, quia verba Legis quam is in monte repræsentabat, in Evangelio legimus: postea Eliam quoque a nobis videri asseverat, quandoquidem in Evangelio occurrit prophetia, cujus in eodem monte Elias quamdam referebat adumbrationem.

Digitized by Google

triumphantem de morte videas, non peremptum : si A
videas quod terra tremuit, sol refugit, tenebræ offusæ sunt oculis perfidorum, monumenta aperta sunt, mortui surrexerunt; ut esset indicio quia gentilis populus qui mortuus erat Deo, tamquam reseratis sui corporis tumulis, infuso crucis lumine resurrexit : si hoc videas mysterium, in excelsum ascendisti montem, alteram Verbi gloriam cernis.

13. Vestimenta ejus alia deorsum sunt, alia sursum. Et fortasse vestimenta Verbi, sermones sunt Scripturarum, et quædam intellectus indumenta divini; quia sicut ipse Petro, Joanni, et Jacobo in altera specie apparuit, et vestitus ejus albus refulsit (*Vers.* 29); ita et oculis tuæ mentis jam divinarum lectionum sensus albescit. Fiunt igitur verba divina sicut nix, vestimenta Verbi candida nimis, qualia B
fullo super terram facere non potest.

14. Quæramus hunc fullonem, quæramus hanc nivem. Legimus ad villam fullonis ascendisse Esaiam (*Esai.* VII, 3). Quis est iste fullo, nisi forte ille qui delicta nostra lavare consuevit? Denique ipse dixit, *Si fuerint delicta vestra sicut phœniceum, ut nivem dealbabo* (*Esai.* I, 18). Quis est iste fullo, nisi qui indumenta nostri intellectus abluit, et induit nos indumenta virtutum, ablutisque maculis corporalibus, Soli solet offerre divino?

15. Audivi etiam (ut ad redarguendos eos de contrariis sumamus exemplum ) [a] duorum prudentium facundiam nivi et apibus comparasse. Inveni quoque dixisse David : *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII, C
103)! Et infra: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lux semitis meis* (*Ibid.*, 105). Verbum Dei lux est, **1415** verbum Dei nix est. Super mel quoque et favum est Dei verbum, quod ore divino melle dulcior fluxit oratio, et perspicua, nivis ritu, mollioribus cadunt verba sententiis. Vere hic solus sermo nivibus comparandus, qui de cœlo missus in terras, jejuna nostrorum arva pectorum fecundavit. Quod non usurpatorie præsumptum, sed ex lectionis serie derivatum Deus ipse testatur, dicens: *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant velut ros verba mea, sicut imber super gramen, et sicut nix super fenum* (*Deut.* XXXII, 2).

16. Utinam, Domine Jesu, mens mea pluviæ tuæ humore viridescat: utinam terram meam nivis istius D
candore respergas; ne præpropero calore vernantis corporis arva luxurient, sed potius fotu nivali semina verbi cœlestis pressa fœcundent! Nix cum cadit, aves cœli ubi inhabitent non habent, et lætior solito tritici proventus exuberat.

17. (Vers. 32.) Vidit [b] hanc gratiam Petrus, viderunt et qui cum illo erant, licet somno gravati fuissent; premit enim incomprehensibilis splendor divinitatis nostri corporis sensus. Nam si solis radium e regione oculorum contuentium corporea nequit acies sustinere; quomodo Dei gloriam humanorum ferret corruptela membrorum? Eoque purior et subtilior exhausta concretione vitiorum, corporis habitus in resurrectione formatur. Et fortasse ideo gravati erant somno, ut resurrectionis viderent speciem post quietem. Itaque evigilantes viderunt majestatem ejus; nemo enim nisi vigilans gloriam videt Christi. Delectatus est Petrus, et quem sæculi hujus illecebrosa non caperent, gratia resurrectionis illexit.

18. (Vers. 33.) *Bonum est*, inquit, *nos hic esse* (hinc et sanctus Paulus ait (*Philip.* I, 23): *Dissolvi enim, et cum Christo esse multo melius*), nec laudasse contentus, non solum affectu, sed etiam factorum devotione præstantior, ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obsequii ministerium pollicetur. Et quamvis nesciret quid diceret; tamen pollicebatur officium : quo non inconsulta petulantia, sed præmatura devotio fructus pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit: quod promittebat, devotionis. Sed non capit humana conditio in hoc corruptibili, in hoc mortali corpore facere tabernaculum Deo. Sive in animo, sive in corpore, sive alio aliquo loco fuge quærere quod non licet scire. Si Petrus nescivit quemadmodum tu potes scire? Si nescivit, ille qui promisit, et qui corporis terminos magnitudine animi nesciebat; quemadmodum scire nos possumus, desidia quadam mentis intra proseptum carnis inclusi? Denique placuit tanta devotio Deo.

(Vers. 34.) *Et inter hæc verba facta est nubes, et obumbravit eos.*

19. Divini spiritus est obumbratio ista, quæ non caligat affectibus hominum, sed revelat occulta. **1416** Quæ etiam alio comperta est loco, dicente angelo : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Cujus profectus ostenditur, audita Dei voce dicentis :

(*Vers.* 35.) *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

20. Hoc est, non Elias filius, non Moyses filius: sed hic est Filius, quem solum videtis; recesserant enim illi, ubi cœpit Dominus designari. Vides hanc non solum insipientium, sed etiam perfectorum, immo etiam cœlestium fidem esse perfectam, Filium Dei scire. Sed quoniam hæc jam supra diximus, cognosce nubem istam non fumigantium esse montium nebuloso humore concretam, et coacti aeris caliginem piceam, quæ cœlum tenebrarum horrore subtexat : sed lucidam nubem, quæ nos non pluvialibus aquis, et humentis alluvione imbris immadidet; sed de qua mentes hominum, voce Dei omnipotentis emissa, ros fidei rigavit.

(Vers. 36.) *Et dum fit vox, inventus est Jesus solus.*

21. Itaque cum tres essent, unus est factus. Tres in principio videntur, unus in fine; [c] perfecta enim

[a] Intellige Ulyssem ac Nestorem, de quibus Homer. Iliad. A et Γ, nec non post eum Cic. *de Senect.* et Quint. lib. XII, cap. 10.

[b] Quædam edit Paris. ac mss. nonnulli, sed recentiores, *hanc gloriam*.

[c] Sex mss., *perfecta enim unum sunt.* Quinque, *perfectæ enim fidei unum sunt* . Alii aliquot, et omnes edit., *perfecta enim fide unum sunt.* At omnium optime unus e Colb., *perfecta enim in fine*, etc. Est enim ratio illius antecedentis ,*unus in fine.*

in fine unum sunt. Denique hoc etiam Dominus Patrem orat, ut omnes unum simus (*Joan.* XVII, 21). Nec solum Moyses et Elias in Christo unum sunt, sed etiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo et illi [a] tamquam recipiuntur in Christi corpus; quia et nos unum erimus in Christo Jesu. Aut fortassis quia Lex et propheta ex Verbo: quæ autem ex Verbo cœperunt, in Verbo desinunt: *Finis enim Legis est Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4).

(Vers. 58.) [b] *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, ubi requiescant: nam Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.*

22. Non videtur convenire rationi, ut simplicem fidelemque istum arbitremur, qui Domini dignatione respuitur; cum indefessi famulatus obsequium spopondisset: sed Dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus. Denique supra ait:

(Vers. 48.) *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo.*

23. Quo loco Dominus simplicitatem sine arrogantia docet, charitatem sine invidia, devotionem sine iracundia esse debere: nam et pueri mens provectionis affectu recipienda suadetur; quia dum puer nihil sibi vindicat, formam virtutis exsequitur: et si rationem nescit, culpam ignorat. Tamen quia plerisque non virtus, sed infirmitas videtur sine ratione simplicitas; ut tu veram recipias admoneris, id est, ut exsequaris [c] industria munus naturæ. Et ideo ait:

(Ibid.) *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.*

24. Qui enim imitatorem Christi recipit, Christum recipit: **1417** et qui imaginem Dei receperit, recipit Deum. Sed quia imaginem Dei non poteramus videre, facta est ad nos per incarnationem Verbi præsentia; ut reconciliaretur nobis quæ supra nos est divinitas.

25. Quod autem propensius studio charitatis Joannes plurimum diligens, et ideo redamatus plurimum, excludendum putat a beneficio eum, qui non utatur obsequio, recte non reprehenditur, sed docetur: non reprehenditur, quia amore faciebat, sed docetur; ut noverit infirmorum esse firmorumque distantiam. Et ideo Dominus etsi fortiores remunerat; tamen non excludit infirmos.

(Vers. 50). *Sinite eos, et nolite prohibere; qui enim non est adversum vos, pro vobis est.*

26. Bene, Domine, nam et Joseph et Nicodemus occulti discipuli propter metum, in tempore tamen suum tibi officium non negarunt. Sed tamen quia alibi dixisti: *Qui non est mecum, adversum me est: et qui mecum non colligit, dispergit;* aperi nobis, ne videatur esse contrarium. Et puto quia si quis mentium consideret scrutatorem, dubitare non debeat uniuscujusque factum mente discerni. Denique alii dicit, *sequere me*: alii, *vulpes foveas habent.* Ille cogitur, iste removetur; ut scias quia devotus admittitur, indevotus excluditur.

27. (Vers. 53-59.) Quod vero discipulos increpavit quia ignem super eos descendere gestiebant, qui non receperant Christum: ostenditur nobis non semper in eos qui peccaverint vindicandum; quia nonnunquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem (23, *q.* 4, *cap. Quod Christus*). Denique Samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur. Simul disce quia [d] recipi noluit ab his, quos sciebat non simplici mente conversos; nam si voluisset, ex indevotis devotos fecisset. Cur autem non receperint eum, evangelista ipse memoravit dicens: *Quia facies ejus erat cunctis in Jerusalem.* Discipuli autem (*Cf. August. lib.* I *de Gratia Christi, cap.* 46) recipi intra Samariam gestiebant: sed Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit. Nec discipuli peccant qui Legem sequuntur; sciebant enim et Phinees reputatum ad justitiam, quia sacrilegos interemerat, et ad preces Eliæ ignem descendisse de cœlo, ut prophetæ vindicaretur [e] injuria: sed vindicetur qui timet: vindictam non quærit, qui non timet. Simul ostenditur nobis in apostolis fuisse merita prophetarum; quando eamdem sibi potestatem quam propheta magnus emeruit, impetrandi jure præsumunt. Et bene præsumunt quia ad sermonem suum ignis de cœlo descenderet; quoniam sunt filii tonitrui.

28. Dominus autem mire omnia, nec illum temere se offerentem recepit: nec in hos indevote Dominum refutantes proprium, commovetur; ut ostenderet quia non habet ultionis studium perfecta virtus: nec ulla sit iracundia, ubi plenitudo est charitatis: nec excludenda infirmitas, **1418** sed juvanda. Procul a religiosis indignatio: procul a magnanimis cupiditas ultionis: procul etiam a prudentibus [f] inconsiderata conjunctio, et incauta simplicitas. Unde et illi dicitur: *Vulpes foveas habent:* nec obsequium ejus admittitur, cujus non probatur officium. Circumspectum etenim fidei debet esse hospitium; ne dum infidelibus nostræ domus

[a] Omnes edit., *tamquam in uno corpore.* Sed nullus ms. voces, *in uno corpore*, agnoscit.

[b] Ab his verbis usque ad num. 30, omnia in Rom. edit. fuere transposita, ut ad ordinem versiculorum Scripturæ accommodarentur. Sed præterquam quod reclamant omnes mss. ac vet. edit., series orationis Ambrosianæ manifeste corrumpitur, ut patebit illam attentius dispicienti. Porro ejusdem Rom. edit. mutationes non putavimus hoc loco repræsentandas, ne plus nimio margines onerentur. Confer, si lubet, inter se eamdem edit. ac vet.

[c] Mss. aliquot, *industriam unius naturæ.*

[d] Amerb. cum plerisque mss., *recipi noluit non simplici mente conversos.* Rom., *recipere noluit*, etc. Optime Era. ac Gill. licet cum paucioribus mss. ut nos in textu.

[e] Quidam mss., *injuria. Qui timet, vindictam non quærit: qui non timet, ultionem ostendit. Simul.* etc. Minus commode.

[f] Mss. aliquot, *inconsiderata commotio.* Melius alii, atque edit., *inconsiderata conjunctio;* ut nimirum ad sequentia referatur.



Digitized by Google

penetralia reseramus, in alienæ perfidiæ casses improvida credulitate labamur.

29. Sed ne illud improvide præteriisse videamur, cur hic eos qui possunt per manus impositionem immundis imperare spiritibus in nomine Jesu, neget esse prohibendos : secundum Matthæum autem dicat his : *Non novi vos : discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 23). Advertere debemus non esse distantiam sensus, sententiarumque discordiam : sed illud censeri eo quod non solum officii in clericis, sed etiam virtutis opera requirantur : tantumque esse Christi nomen, ut etiam parum sanctis opituletur ad præsidium; etsi non opituletur ad gratiam. Unde nemo jactare se debet, nec purgati hominis sibi gratiam vindicare, in quo æterni nominis virtus, non aliqua possibilitas humanæ fragilitatis operata sit; non enim merito tuo diabolus, sed odio sui vincitur.

30. Quod potest homo, sinceram exhibeat fidem, et observantiam mandatorum religiosa mente custodiat; ne dicatur ei : *Vulpes foveas habent.* Fallax quippe animal, et insidiis semper intentum, rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat.

31. Hæreticis autem vulpes comparat. Denique cum gentes vocet, hæreticos excludit. Vulpis enim plenum fraudis est animal, foveam parans, et in fovea semper latere desiderans : ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non norunt, sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Jacob domum habitat : hæreticus in fovea est, ut fraudulenta vulpis gallinæ illi evangelicæ dolum semper intendens, de qua scriptum est : *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos, et noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Merito ergo foveas habent, quia domum quam habuerant, perdiderunt. Hoc animal neque mansuescit umquam; unde et Apostolus ait : *Hæreticum hominem post unam. . . . correptionem devita* (*Tit.* III, 10) : neque ulli usui est, aut cibo utile; non enim de hoc dicit Christus : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est* (*Joan.* IV, 34). Quin etiam eas a fructibus suis relegat : *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas* (*Cant.* II, 15), hoc est, quæ minorem vineam, non majorem exterminant. Et ideo Samson ad caudas earum faces ligavit, et in messes alienigenarum dimisit (*Judic.* XV, 4); eo quod hæretici fructus incen-

A dere conentur alienos, latratibus [a] magis sonori, quam vocibus expoliti (qui enim Verbum negat, nec vocem habet), ad præsens [b] ore libero, sed in futurum fine **1419** jam vincto caudæ facibus, significantes sui finis incendium.

32. Volucres quoque cœli, quæ frequenter ad nequitiæ spiritalis similitudinem derivantur, veluti nidos quosdam instruunt in pectoribus improborum; et ideo Filius hominis, quia abundavit iniquitas, non habet ubi caput suum reclinet. Etenim dominante versutia, cum simplicitati nullus sit locus, nulla potest in affectibus singulorum divinitatis esse possessio : *Caput* enim *Christi Deus est* (I *Cor.* XI, 3), qui ubi mentem probarit innoxiam, supra ipsam quodammodo vim suæ majestatis reclinat : quod esse

B videtur indicio, quia profusior quædam gratia bonorum pectoribus inseratur.

33. (Vers. 59.) Itaque ut advertas Deum non cultus aspernantem esse, sed fraudis : qui repudiaverat fraudulentum, elegit innocentem dicens : *Sequere me.* Sed hoc dixit ei, cujus patrem jam sciebat mortuum, illum utique patrem de quo dictum est illi : *Obliviscere. . . . domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Vide igitur quia Dominus quos miseratur, etiam imprudentes advocat, et postulanti paternæ veniam sepulturæ respondit :

(Vers. 60.) *Sine, mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, annuntia regnum Dei.*

34. Itaque cum religiosum humandi acceperimus

C officium, quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur, nisi ut intelligas humana posthabenda divinis? Bonum studium, sed majus impedimentum; nam qui partitur studium, derivat affectum (*Act.* VI, 2 *et seq.*) : et qui dividit curam, differt profectum (*Luc.* X, 4). Ergo prius obeunda quæ maxima sunt; nam et apostoli, [c] ne occuparent studium dispensandi, ministros pauperibus ordinarunt: et ipsis cum a Domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptum est : non quod benevolentiæ displiceret officium, sed quod persequendæ devotionis intentio plus placeret.

35. Quomodo autem mortui sepelire mortuos possunt, [d] nisi cum ab infidelibus humatur cadaver, cujus ita cor animam perdidit, ut illorum animæ Deum : sive quia duplex hic intelligenda est mors,

D una naturæ, altera culpæ? Est etiam mors tertia, in qua peccato morimur, et Deo vivimus, sicut Christus qui peccato mortuus est : *Quod enim mor-*

[a] Quidam mss., *magis onerosi quam vocibus expoliti;* Rom. edit. cum aliis edit. ac mss. legit, *magis sonori*, sed vocem *expoliti* resecuit.

[b] Edit. omnes, *ore liberi, sed in futurum finem jam vincti, caudæ facibus*, etc. Mss. vero universi ab his dissidentes legunt ut in textu, nisi quod unus *fune*, pro *fine*, alter *vinctis*, pro *vincto*, præfert. Porro nobis magis arridet communis lectio mss. aliorum, ut sensus sit, per extremam partem caudæ vulpinæ facibus alligatam extremum hæreticorum incendium significari.

[c] Edit. Gill. ac Rom. cum paucis iisque recent. mss., *ne occuparentur studio dispensandi.* Amerb. et Era. cum reliquis, *ne occuparent studium;* id est, in se susciperent, exercerentque.

[d] Ita cod. Corb. cum aliis sex melioris notæ, nisi quod idem Corb. per correctionem pro, *cor*, legit, *corpus*. Minus bene; cordis enim hic mentio fit, eo quod illic animam præcipua quadam ratione residere docuerint plures philosophi. Reliqui autem atque edit. contractius habent, *nisi geminam hic intelligas mortem, unam naturæ, alteram culpæ.*

Digitized by Google

*tuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI, 10).

36. Una est igitur mors, qua copula corporis et animæ separatur, non formidabilis, non timenda; cum discessio quædam nostri videatur esse, non pœna : non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda, de qua dictum est : *Quærent homines mortem, et non invenient eam* (*Apoc.* IX, 6).

37. Est et alia quæ sæcularium afferat interitum voluptatum : in qua non natura, sed delicta moriuntur. Hanc mortem subimus consepulti baptismate, et mortui cum Christo ab elementis 1420 hujus mundi, cum actus patimur prioris oblivia. Hanc mortem voluit, cum prophetaret Balaam, ut Deo viveret, et ideo dixit : *Moriatur anima mea in animis justorum, et fiat semen meum ut semen eorum* (*Num.* XXIII, 10).

38. Est et tertia mors, quando Christus, qui est vita nostra, nescitur : scire autem Christum vita est sempiterna, quæ nunc justis præsto est in umbra, in futurum autem erit facie ad faciem; *Spiritus* enim *ante faciem nostram Christus Dominus* (*Thren.* IV, 20), de quo dixit : *In umbra ejus vivimus in gentibus* (*Psal.* LVI, 2). In umbra alarum ejus speravit David, in umbra ejus concupivit, et sedit Ecclesia (*Cant.* II, 3).

39. Si tantum, Domine Jesu, confert umbra tua, quantum utique veritas afferet? Quemadmodum vivemus, quando jam non erimus in umbra, sed in ipsa vita? *Nunc enim vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus*, inquit, *apparuerit, vita nostra, tunc et nos cum eo apparebimus in gloria* (*Coloss.* III, 3 *et* 4). Dulcis illa vita est, quæ non habet mortem : hæc autem vita corporis habet mortem [a] prævaricatione naturæ, quæ plerumque etiam desideratur. Habet etiam ipsa anima plerumque mortem labe peccati; *Anima* enim *quæ peccat, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4). Cum autem firmitate beatitudinis roborata cœperit obnoxia non esse peccato, jam non erit mortalis, sed vitam carpet æternam.

40. Ad hanc vitam, fratres, festinemus, mœsti in sæculo, quia *peregrinamur a Domino* (II *Cor.* V, 6); qui enim non peregrinatur a corpore, peregrinatur a Domino. Multo autem melius dissolvi a corpore, et adhærere Deo; ut et nos unum simus apud omnipotentem Deum, et unigenitum Dei Filium videamus, per resurrectionis gloriam in naturæ claritatem assumpti et inviolabilis concordiæ animorum fœdere sempiterno unitatem diuturnæ pacis imitati; ut compleatur id quod de nobis Dei Filius Patri orando promisit : *Ut et ipsi unum sint, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII, 23).

41. Non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur : illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis. Aut quia sepulcrum patens guttur est impiorum (*Psal.* V, 11), memoria eorum abolenda præscribitur, quorum simul cum corpore meritum occidit; nec revocatur ab officio patris filius, sed fidelis a perfidi communione secernitur.

42. Est enim propria quædam sepultura justorum, qualis illa de qua dictum est : *Hæc enim mittens hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Matth.* XXVI, 12); et ideo qui bona fide in se sepelit Christum, ut cum eo resurgat, diaboli perfidiam in se sepelire non debet.

43. Est et illa prophetica, ut supra [b] sepulcra majorum quædam ponamus (*Tob.* IV, 18), quæ lector agnoscis, infidelis intelligere non debet : non quod cibus imperetur aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reveletur. Non ergo interdictum est muneris, sed religionis mysterium, 1421 communionem nobis cum gentibus mortuis non futuram. Nam cum sacramenta vivorum sint, non videntur mortui, qui habent vitam.

(Cap. X. — Vers. 3.) *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

44. Ad septuaginta discipulos dicit, hos quos designavit, et misit binos ante faciem suam. Et qua ratione binos misit? Quia bina missa sunt animalia in arcam, hoc est, cum mare femina : [c] immunda per numerum, sed mundata Ecclesiæ sacramento. Quod completum est oraculo quod sanctus Petrus accepit, dicente sibi Spiritu sancto : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* X, 15). Et advertit dictum esse de gentibus, quæ corporeæ magis generationis successionem quam spiritalis gratiæ sequebantur. Hos mundavit Dominus, et passionis suæ fecit hæredes.

45. Mittens ergo discipulos in messem suam, quæ licet verbo Dei insita, tamen culturæ laborem et sollicitum munus operarii requirebat; ne aves cœli sparsa semina dissiparent, ita : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Esai.* LXV, 25).

46. Contraria sunt ista sibi animalia, ut alia ab aliis devorentur. Sed bonus pastor lupos gregi suo timere non novit : ideoque isti discipuli non in prædam, sed ad gratiam diriguntur; sollicitudo enim boni pastoris efficit, ut lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ergo agnos inter lupos, ut compleretur illud : *Tunc lupi et agni simul pascentur.*

47. Et quoniam proxime de vulpe nobis non ingratus tractatus evasit, si judicium vestrum fidele in figura minusculi animantis expertus sum (*In Luc.* *cap.* IX), præsumo quod profunda mysteria quæ lu-

[a] Omnes edit. ac plerique mss., *sorte naturæ*. Aptius tamen Corb. cum aliis quibusdam, *prævaricatione naturæ*.

[b] Vet. edit. in corpore, *sepulturam malorum*. Rom. cum paucis mss., *sepulturam justorum*. Era. autem et Gill. in margine, ac mss. quatuordecim, ut in textu. Paucis vero interjectis, ubi edit. cum parte mss., *quo* (mss., *quod*) *cibus imperetur;* alii bene multi, *quod impetretur;* duo etiam, *quo cibo impleretur aut potu.*

[c] *Immunda per numerum*, ideo dicuntur, quia per binarium mixtio et compositio significatur, quæ opponitur simplicitati, cujus figura est unitas. Hinc Philo Jud. lib. *Quod Deus sit immut.* : Καὶ γὰρ τὸ ἄκρατον μονάς, καὶ ἡ μονὰς ἄκρατον· τὸ δὲ δὶς τῷ κεκραμένῳ (supple ἔοικε), ἑκάτερον γὰρ οὐχ ἁπλοῦν, ἅτε καὶ σύγκρισιν καὶ διάκρισιν ἐπιδεχόμενον.

Digitized by Google

porum specie velantur, studiorum vestrorum possim A aperire suffragio. In specie vulpium hæreticos significari supra expressimus, qui promittunt nomine quod Christum sequantur, sed studio fraudis abjurant. Hos non suscipit Dominus, sed a suo nido arcet et prohibet. Lupi quid significare videantur debemus advertere.

48. Bestiæ nempe sunt quæ insidiantur ovilibus, circa pastorales versantur casas, [a] habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito strangulent: feri, rapaces, iidemque natura corporis rigidiores; ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, et ideo [b] sæpe luduntur. Tum præterea si quem priores hominem viderint, vocem ejus quadam naturæ ferun- B tur vi eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Et ideo cavendum mihi est ne si in hodierno tractatu spiritalium mysteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidisse credantur, et solemne vocis extorsisse suffragium.

49. Nonne lupis istis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ovilibus Christi, fremunt circa **1422** caulas nocturno magis tempore quam diurno? Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi sævæ nebulis interpretationis obducere, et quantum in ipsis est fuscare, conantur. Versantur ergo circa caulas; stabula tamen Christi intrare non audent. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult eos Christus inducere, in quo curatus est ille qui de Hierusalem descendens incidit in latrones: C quem vulneribus alligatis, infuso oleo et vino, imponens in jumentum suum Samaritanus ille duxit in stabulum, et sanandum stabulario dereliquit (*Luc.* x, 30 *et seq.*). Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt; si enim requirerent, non derogarent.

50. Explorant pastoris absentiam, et ideo pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exsilium agere contendunt; quia præsentibus pastoribus oves Christi incursare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini raptores conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri ac rigidi, nequaquam solent a suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait: *Hæreticum hominem post unam.... correptionem devita* (*Tit.* III, x), sciens quia subversus est, qui ejusmodi est. Hos D Scripturæ verus interpres Christus illudit; ut inanes suos in vanum effundant impetus, et nocere non possint.

51. Qui si quem versuta disputationis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere; mutus est enim qui Verbum Dei non eadem qua est gloria confitetur. Cave ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis; serpit enim, dum latet ejus perfidia: si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Cave igitur versutæ disputationis venena: animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affligunt. Graves sunt morsus hæreticorum, qui ipsis graviores et rapaciores bestiis, nullum avaritiæ finem impietatisque noverunt.

52. Nec vos moveat quod formam prætendere videntur humanam: et si foris homo cernitur, intus bestia fremit. Et ideo eos lupos esse non dubium est, juxta Domini Jesu divinam sententiam, qui ait: *Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium: intus autem sunt lupi rapaces; ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 15 *et* 16). Si quis ergo specie movetur, fructum interroget. Audis aliquem sacerdotem dici, [c] rapinas ejus agnoscis. Vestitum ovis habet, facta prædonis. Foris ovis, intus lupus est: qui modum non habet rapinarum, qui tamquam in nocte Scythico membra duratus gelu, cruentus ora, circumvolat quærens quem devoret. Nonne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat.

53. Ululat iste, [d] non tractat, qui negat vocis auctorem, et sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur Dominum Jesum **1423** æternæ præsulem vitæ. Audivimus ejus ululatus, cum in [e] orbem gladius mitteretur. Dentes asperos, ora tumida præferebat, et putabat quod vocem omnibus abstulisset, quam solus amiserat. Et ideo ut hos lupos effugere possimus, docet Dominus quid sequamur, dicens:

(Vers. 4.) *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.*

54. Quid sit, sacculum non esse portandum, alibi evidenter expressit; scripsit enim Matthæus quoniam dixit ad discipulos Dominus: *Nolite possidere aurum, neque argentum* (*Matth.* x, 9). Si prohibemur au-

[a] Pauci mss., *habitacula pastorum intrare*, etc.

[b] Mss. aliquot, *sæpe læduntur.* Melius alii, *sæpe luduntur*; ut satis inde intelligas, quod infra, num. 50, scribitur: *Hos Scripturæ verus interpres Christus illudit.*

[c] Cunctæ edit. et mss. nonnulli, *rapinas ejus non agnoscis.* Alii plures ac probatiores negationem respuunt, quæ nullo modo videtur esse admittenda. Hic porro Auxentium arianum designari ex eo intelligas, quod iisdem ferme verbis ille describitur *de Basil. non trad.* ubi legimus, *Auxentii ipsius qui se dicit episcopum*, etc. ubi etiam quod dicitur, *Minora fecit in Scythia*, etc. liquido respondet verbis infra positis, *Scythico membra duratus gelu*, etc.

[d] *Non tractat*, hoc est, Scripturam non exponit, quo sensu hoc verbum Patribus maxime familiare est.

[e] Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *cum in urbem*, scilicet Mediolanum, non Romam, ut alibi apud auctores. Melius tamen, *in orbem*. Etenim per vocem, *gladius*, crudelem illam legem Auxentii ipsius manu scriptam, et XII kal. Febr. promulgatam innuit Ambrosius, de qua idem quoque *de Basil. non trad.* scribit, *Auxentius gladium voluntem per omnes urbes direxit.* Confer utrumque locum inter se; namque illi mutuo sese mirum in modum explicant et confirmant.

Digitized by Google

rum possidere, quid eripere, quid auferre? Si A quod habeas, donare præceperis, quemadmodum [a] congeris quod non habebas? *Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui execraris idola, sacrilegium facis? Qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur* (*Rom.* II, 21-24).

55. Non sic apostolus Petrus, qui primus Dominicæ executor sententiæ, ut ostenderet non in vacuum Domini effusa mandata; cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: *Argentum atque aurum non habeo* (*Act.* III, 6). Ille gloriatur quod non habeat argentum neque aurum: vobis pudori est minus adhuc habere quam cupitis? Est ergo et pauperies gloriosa; quia est et beata, sic- B ut scriptum est: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v, 3). Tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quod argentum et aurum non habeat, quam quod servet mandatum Domini, qui præcepit: *Nolite possidere aurum*; hoc est dicere: Vides me Christi esse discipulum, et aurum a me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donavit, ut in nomine ejus operemur. Itaque non habeo quod non dedit, sed quod dedit habeo: *In nomine Domini Jesu, surge, et ambula* (*Act.* III, 6).

56. Sicut ergo qui horrea vult congerendis ædificare frumentis, Dominicæ sententiæ auctoritate reprehenditur (*Luc.* XII, 26): ita qui sæculum vult auro parare condendo, nævum reprehensionis incurrit.

57. *Non peram, neque calceamenta.* Utrumque de C corio mortui animantis confici solet: nihil autem in nobis Dominus Jesus mortale vult esse. Denique ad Moysen dicit: *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Mortale igitur atque terrenum calceamentum jubetur solvere, cum mitteretur ad populum liberandum; hujus enim minister muneris timere nihil debet, nec a suscepto officio, mortis periculo retardari. Ipse enim cum defensionem fratrum, hoc est, Judæorum voluntarius recepisset, calumniæ **1424** terrore revocatus est ab incœpto, et fugit ex Ægypto (*Exod.* II, 15). Et ideo cum Dominus affectum ejus probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi ejus mentisque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum.

58. Quod si quem movet qua ratione in Ægypto calceati jubentur edere agnum (*Exod.* XII, 11): apostoli autem sine calceamentis ad prædicandum Evangelium diriguntur, is considerare debet quia in Ægypto positus, debet adhuc morsus cavere serpentis; multa enim venena in Ægypto, et qui in typo pascha celebrat, patere potest vulneri: qui autem minister est veritatis, [b] hebetat venena, non trepidat. Denique momordit Paulum vipera in Melita insula, et videntes pendentem de manu ejus viperam incolæ loci illius putabant eum esse moriturum: sed ubi inoffensum stare viderunt, Deum esse dicebant, cui venenum nocere non poterat (*Act.* XXVIII, 3 *et seq.*). Et ut scias hoc verum esse, ipse Dominus ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebunt* (*Luc.* x, 19).

59. Non virgas in manu jubentur tollere apostoli; sic enim Matthæus scribendum putavit (*Matth.* x, 10). Quid est autem virga, [c] nisi præferendæ potestatis insigne, et ulciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini (*in humilitate* enim (*Esai.* LIII, 8) [d] *judicium ejus sublimatum est*), humilis, inquam, Domini præceptum discipuli ejus humilitatis officiis exsequuntur; eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent: [e] nec potestates exererent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco humilitati putavit etiam patientiam copulandam; quia ipse quoque, juxta testimonium Petri, cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, non repercussit (I *Petr.* II, 23). Hoc est ergo dicere: Imitatores mei estote, ultionis studia deponite, insolentiam verberantium non injuriæ relatione, [f] sed magnanimitate patientiæ verberate. Nemo debet quod ipse in alio reprehendit, imitari: graviora contumacibus mansuetudo vulnera refert. Hoc pugno repercussit Dominus verberantem, dicendo: *Qui te percutit in maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* v, 39). Fit enim ut judicio suo ipse se damnet, et quodam stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro injuria quam fecit adverterit.

60. Habet tamen quos et cum virga apostolos miserit, sicut Paulus testificatur, dicens: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu man-* D *suetudinis* (I *Cor.* IV, 21)? Hanc virgam etiam Timo-

[a] Sic mss. complures, ac melioris notæ. Alii nonnulli, et edit. ant.. *congeris, quod possidere prohiberis.* Rom. resecatis tribus ultimis verbis post, *congeris*, subnectit, *Qui prædicas*, etc.

[b] Omnes edit. ac mss. aliquot, *evitat venena.* Melius alii majori numero et antiquitate, *hebetat*, id est, retundit, superat, etc.

[c] Rom. edit., *nisi proferendæ potestatis.* Minus commode.; non enim *ad proferendam*, id est, amplificandam potestatem, sed ad eam *præferendum*, hoc est, significandam atque ostentandam, virgarum fasces antiquis magistratibus præferri consueverant.

[d] Omnes edit. ac prope omnes mss., *judicium ejus sublatum est.* Corb. tamen,... *sublimatum est.* Melius; namque in epist. ad Vercell. idem locus ita refertur, *judicium ejus exaltatum est:* cui lectioni favet versio Arabica secundum Interp. Lat.; habet enim et illa, *judicium ejus altum est.* Hinc autem promanavit ea diversitas, quod verbum ἤρθη, quo usos videmus LXX, perinde et per *exaltatum*, et per *sublatum* reddi potest. Heb. vero, Syr. ac. Vulg. Lat. præferunt, *de judicio sublatus* (sive *raptus*) *est.*

[e] Mss. non pauci, atque omnes edit., *nec vim potestatis exercerent*; Rom., *exererent.* Ex aliis autem mss. plures habent, *nec potestates exercerent:* antiquiores.... *exererent.*

[f] Edit. omnes, *sed.... supportate.* Mss. omnes e contrario, *sed.... verberate.* Elegantius, si quidem illud hoc loco significatur, quod lib. v. num. 76, clarioribus verbis exprimitur, bis videlicet: *Nonne fit per patientiam, ut.... reverberes verberantem.*

Digitized by Google

theo dedit Apostolus, dicens : *Argue, obsecra, increpa* (II *Tim.* IV, 2). Aut fortasse ante passionem Domini, quæ 1425 nutantium populorum corda firmavit, necessaria sola fuerit mansuetudo ; post passionem correctio. Certe mulceat Dominus, increpet Paulus : suadeat qui potest pectora etiam dura mollire : assignat qui non potest universa suadere. Virgam igitur Paulus ex doctrina Legis assumpserat. Legerat enim : *Qui parcit baculo, odit filium suum* (*Prov.* XIII, 24). Legerat etiam quia agnum manducantes, baculum in manibus habere præcepto prophetico jubebantur (*Exod.* XII, 11). Et ideo Dominus in veteri Testamento ait : *Visitabo in virga iniquitates eorum* (*Psal.* LXXXVIII, 33). In novo autem se ipsum obtulit, ut ignosceret universis, dicens : *Si me quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* XVIII, 8). Et alibi habes quia cum apostoli ignem de cœlo petere vellent, ut consumeret Samaritanos, qui Jesum Dominum intra civitatem suam recipere noluerunt : *Conversus increpavit illos*, et ait : *Nescitis cujus spiritus estis ; Filius enim hominis non venit animas perdere hominum, sed salvas facere* (*Luc.* IX, 55 et 56).

61. Perfectiores ergo sine virga diriguntur, infirmiores cum baculo manducant. Sed et Paulus virgam quidem minatur : sed in spiritu mansuetudinis visitat delinquentes. Denique ut scias mitem esse doctorem, eorum ipsorum quos arguit, consulit voluntatem : *Quid vultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21) ? Semel virgam dixit, bis mitiora subjecit, adjiciens mansuetudinem charitati. Prius tamen minatus est virgam, sed exhibuit mansuetudinem ; nam in secunda epistola ad eosdem Corinthios scribens ait : *Testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum* (II *Cor.* I, 23). Audi qua ratione putaverit esse parcendum : *Ne iterum*, inquit, *in tristitia venirem ad vos* (II *Cor.* II, 1). Abjecit virgam, et affectum charitatis assumpsit.

(Vers. 4.) *Et neminem salutaveritis in via.*

62. Fortasse quibusdam hoc durum et superbum, nec mansueti et humilis Domini præcepto convenire videatur, quod ille qui etiam accubitionis loco præcepit esse cedendum, hoc loco mandet discipulis : *Neminem salutaveritis in via* (*Luc.* X, 4) ; cum iste communis sit usus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi favorem conciliare consueverunt. Gentiles quoque cum Christianis habent hujusmodi officiorum commercia. Quomodo Dominus hunc usum humanitatis avellit ?

63. Sed considera non hoc esse solum : *Neminem salutaveritis* : sed non frustra additum, *In via*. Denique et Elisæus (IV *Reg.* IV, 29) cum mitteret servitium suum, ut baculum ejus poneret supra corpus defuncti pueri, mandavit ei ne in via aliquem salutaret ; festinantem enim eum jubebat pergere, ut celebrandæ resurrectionis exsequeretur officium, ne confabulatione alicujus obvii, mandato reflecteretur a munere. Ergo et hic non salutationis sedulitas aufertur : sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur ; ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, [a] sed pulchrior matura exsecutio divinorum, quæ per moram sæpe traxit offensam. Ideo autem et honesta prohibentur, ne solemnis gratia 1426 obrepat officii, et impediat ministerium, cujus mora culpa sit.

64. (Vers. 5.) Jam [b] illud virtus alia, ne de domo ad domum quis vaga facilitate demigret ; ut servemus etiam hospitali in amore constantiam, nec coalitam amicitiæ necessitudinem facile resolvamus ; ut pacis præferamus nuntium, ut ipse primus ingressus pacis benedictione celebretur : cibo potuque oblato oportere nos esse contentos, vexilla fidei non premenda, et regni cœlestis Evangelium prædicandum, excutiendum de pedibus pulverem, si quis recipiendos civitatis hospitio non putaverit.

65. (Vers. 13-21.) Docet etiam graviori pœnæ obnoxios fore qui Evangelium non sequendum, quam qui Legem judicaverint esse solvendam ; eo quod Tyrus et Sidon si tanta operationum cœlestium vidissent miracula, non despexissent remedium pœnitentiæ. Istam quoque vel affluentiam vel insolentiam sæcularem neque cœlesti muneri comparandam, neque rursus sine remedio derelinqui, cum unicuique sit subsidium pœnitendi. Postremo aperit cœleste mysterium, quod placuerit Deo ut parvulis magis quam prudentibus istius mundi suam gratiam revelaret. Quod apostolus Paulus stylo pleniore digessit dicens : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ? Nam quoniam in Dei sapientia non cognovit hic mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 20 et 21).

66. Parvulum ergo accipiamus, qui se exaltare non noverit, et phaleratis sermonibus artem suæ jactare prudentiæ, quod philosophi plerique faciunt. Parvulus erat qui dixit : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX, 1). Et ut scires parvulum hunc non ætate, non sensu fuisse, sed humilitate sua, et quadam declinatione jactantiæ, addidit : *Sed exaltavi animam meam* (*Ibid.*, 2). Vides quam excelsus fuerit hic parvulus, quanto virtutum sublimis vertice ? Tales nos parvulos vult esse Apostolus, cum dicit : *Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens ; sapientia enim hujus sæculi stultitia est apud Deum* (I *Cor.* III, 18 et 19).

[a] Edit. Amerb. cum mss. non paucis, *sed pulchrior, quo maturior exsecutio divinorum.* Era., Gill. ac Rom., *sed eo pulchrior, quo præceptorum maturior exsecutio divinorum.* Alii mss. qui et notæ probatioris, ut in textu.

[b] Omnes edit., *illa moralia.* Omnes mss., *illud* (unicus, *illa*) *virtus alia.* Idem est autem ac si legeretur, *illud de quo jam dicemus, ad aliam virtutem referendum est.*

Digitized by Google

67. (Vers. 22.) Pulcherrimus connectitur de fide locus, quando omnia sibi tradita dicit a Patre suo. Cum *omnia* legis, omnipotentem agnoscis, non decolorem, non degenerem Patris : cum *tradita* legis, Filium confiteris, cui per naturam omnia unius substantiæ jure sint propria, non dono collata per gratiam. Addidit :

(Ibid.) *Nemo scit quis est Filius, nisi Pater : et quis est Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

68. Quem locum in iis quos de Fide scripsi libellis, memini non esse præteritum (*Lib.* IV *de Fide, cap.* 6). Ut scias autem quia sicut Filius Patrem quibus vult revelat, etiam Pater revelat quibus vult Filium, audi dicentem ipsum Dominum Jesum cum laudaret Petrum, quod eum Filium Dei esse confessus sit : *Beatus es, Simon Barjona, quia non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 17).

**1427** 69. (Vers. 25.) Adhæret his lectio, [a] qua exponuntur hi qui sibi legisperiti videntur, qui verba Legis tenent, vim Legis ignorant : et ex ipso primo Legis capitulo docet esse Legis ignaros, probans quod in principio statim Lex et Patrem et Filium prædicaverit, incarnationis quoque Dominicæ annuntiaverit sacramentum, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum.... Et diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Deut.* VI, 5).

70. (Vers. 28.) Unde Dominus ait ad legisperitum : *Hoc fac, et vives.* At ille qui nesciret proximum suum ; quia non credebat in Christum, respondit : *Quis est meus proximus ?* Itaque qui Christum nescit, nescit et Legem. Quomodo enim potest scire Legem, cum veritatem ignoret, cum Lex annuntiet veritatem ?

(Vers. 30.) *Homo quidam ex Hierusalem descendebat in Hiericho, et incidit in latrones.*

71. Ut eum locum qui propositus est nobis, planius possimus absolvere, veterem civitatis Hiericho repetamus historiam. Meminimus itaque quod Hiericho, sicut legimus in libro qui inscribitur Jesu Nave, magna civitas fuerit, muralibus septa parietibus, quæ non ferro pervia, non arieti posset esse penetrabilis (*Josue* VI, 1) : in ea Rhaab habitasse meretricem quæ exploratores quos direxit Jesus, hospitio recepit, consilio instruxit, postulantibus civibus abiisse respondit, abscondit in tecto : et ut se suosque urbis excidio posset eripere, coccum in fenestra ligavit (*Josue* II, 4 *et seq.*) : urbis autem ipsius inexpugnabiles muros septem tubarum sacerdotalium sono et populi jubilantis ululatu consono corruisse (*Josue* VI, 20).

72. Videte quemadmodum unusquisque proprium servet officium : exploratores excubias, mysterium meretrix, fidem victor, religionem sacerdos. Hi periculum pro laude non metuunt : illa susceptos nec in periculis prodit : iste sollicitus fidem magis servare quam vincere, meretricis prius mandat salutem, quam excidium civitatis : religionis autem insignia arma sunt sacerdotis. Jam illud quis non plenum putet esse miraculi, quod ex tota urbe nemo servatus est, nisi quem meretrix liberavit ?

73. Hæc simplicis historia veritatis est : quæ si altius consideretur, admiranda signat mysteria. Hiericho enim figura istius mundi est ; in quam de paradiso, hoc est, de Hierusalem illa cœlesti ejectus Adam prævaricationis prolapsione descendit, hoc est, de vitalibus [b] ad infirma demigrans : cui non loci, sed morum mutatio naturæ suæ fecit exsilium. Longe enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur, ubi in sæcularia peccata defluxit, incidit in latrones : in quos non incidisset, nisi his mandati cœlestis devius se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi angeli noctis atque tenebrarum, qui se nonnumquam transfigurant in angelos lucis, sed perseverare non possunt ? Hi ante dispoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritalis, et sic vulnera **1428** inferre consuerunt ; nam si intemerata quæ sumpsimus indumenta servemus, plagas latronum sentire non possumus. Cave ergo (*Cf. Aug. lib.* I *contra Jul. Pelag., cap.* 3) ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati cœlestis custodia destitutus, et exutus fidei vestimento ; et sic lethale vulnus accepit : in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset.

74. Non mediocris iste Samaritanus, qui eum quem sacerdos, quem levita despexerat, non etiam ipse despexit. Nec vocabulo sectæ despicias ; quem verbi interpretatione miraberis ; Samaritanus etenim vocabulo custos significatur. Hoc habet interpretatio. Et quis est custos, nisi ille de quo dictum est : *Custodiens parvulos Dominus* (*Psal.* CXIV, 6) ? Itaque sicut Judæus alius in littera, alius in spiritu : ita et Samaritanus, alius foris, alius in occulto. Hic ergo Samaritanus descendens quis est ? Scilicet : *Qui descendit de cœlo, et qui ascendit in cœlum, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13) ? Videns semivivum, quem nemo potuerat ante curare, sicut illam quæ cursu sanguinis profluens, in medicis erogaverat omne patrimonium suum : *Venit secus eum* (*Luc.* VIII, 43 *et* 44), hoc est, factus est compassionis nostræ susceptione finitimus, et misericordiæ collatione vicinus.

(Vers. 34.) *Et alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.*

75. Multa medicamenta medicus habet iste, quibus sanare consuevit. Sermo ejus medicamentum est. Alius ejus sermo constringit vulnera, alius oleo fovet, alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriore præcepto, fovet remissione peccati, sicut vino compungit denuntiatione judicii.

(Ibid.) *Et imposuit*, inquit, *in jumentum suum.*

[a] Rom. edit. sola, *qua exploduntur hi*, etc.

[b] Omnes edit. et mss. aliquot, *ad inferna demigrans*. Alii plures potioresque, *ad infirma*. Melius ; ut nimirum *vitalibus*, *infirma*, seu infirmitates opponantur.

Digitized by Google

76. Audi quomodo te imponat : *Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet* (*Esai.* LIII, 4) : et pastor imposuit ovem lassam super humeros suos (*Luc.* XV, 5). Homo enim jumento similis factus est ; et ideo supra jumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus et mulus ; ut per nostri corporis assumptionem infirmitates nostræ carnis aboleret.

77. Denique duxit nos in stabulum, qui eramus jumenta. Est autem stabulum, in quo fessi longo itinere succedere solent. Duxit itaque in stabulum Dominus, *Qui suscitat a terra inopem, et de stercore erigit pauperem* (*Psal.* CXII, 7).

78. *Et curam egit* (*Ibid.*) ; ne æger ea quæ acceperat, nequaquam præcepta [a] servaret. Sed non vacabat Samaritano huic diu in terris degere : redeundum eo erat, unde descenderat. Itaque :

(Vers. 35.) *Altero die.*

79. Quis est iste alter dies, nisi forte ille Dominicæ resurrectionis, de quo dictum est : *Hic est dies quem fecit Dominus* (*Psal.* CXVII, 24) ?

(Ibid.) *Protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe.*

**1429** 80. Qui sunt isti duo denarii, nisi forte duo Testamenta, quæ imaginem in se habent æterni regis expressam, quorum pretio vulnera nostra curantur ? Redempti enim sumus pretioso sanguine ; ut ultimæ mortis ulcera vitaremus.

81. Hos ergo duos denarios (licet horum quoque librorum quatuor formas non absurdum sit intelligere) accipit stabularius. Quis ? ille forsitan qui ait : *Æstimo ut stercora, ut Christum lucrifaciam* (*Philip.* III, 8) ; quo curam haberet hominis vulnerati. Stabularius itaque ille est qui dixit : *Misit me Christus evangelizare* (I *Cor.* I, 17). Stabularii sunt illi quibus dicitur : *Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium universæ creaturæ : et qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit* (*Marc.* XVI, 15 et 16), salvus utique a morte, salvus a vulnere quod infixum est a latronibus. Beatus ille stabularius, qui alterius vulnera curare potest. Beatus ille cui dicit Jesus :

(Vers. 35.) *Quodcumque supererogaveris, revertens reddam tibi.*

82. Bonus dispensator, qui etiam supererogat. Bonus dispensator Paulus, cujus sermones et epistolæ veluti ei rationi quam acceperat, supereffluunt. Moderatum Domini mandatum prope immoderato labore D mentis et corporis exsecutus ; ut multos ab ægritudine gravi spiritalis alloquii dispensatione relevaret. Bonus ergo stabularius stabuli ejus in quo agnovit asina præsepe Domini sui, et in quo grex clauditur agnorum ; ne frementibus ad caulas rapacibus lupis, facilis in ovilia sit incursus.

83. [b] Spondet ergo mercedem se redditurum. A Quando reverteris, Domine, nisi in judicii die ? Nam licet ubique sis semper, et stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus quo universa caro te aspiciat revertentem. Reddes ergo quod debes. Beati quibus es debitor ! Utinam nos simus idonei debitores ! utinam quod accepimus, possimus exsolvere ; nec nos aut sacerdotii aut ministerii munus extollat ! Quomodo reddes, Domine Jesu ? Promisisti quidem in cœlo bonis copiosam esse mercedem (*Matth.* V, 12). Reddes tamen et cum dicis : *Euge, bone serve, quoniam super pauca fidelis fuisti, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21).

84. Ergo quoniam nemo magis proximus quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi dominum, B diligamus eum quasi proximum, nihil enim tam proximum, quam caput membris : diligamus etiam eum qui imitator est Christi : diligamus eum qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur. Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia : quia misericordia secundum naturam ; nihil enim tam secundum naturam, quam juvare consortem naturæ.

85. (Vers. 38, 42.) Dictum est igitur de misericordia, sed non una est forma virtutis. Subjicitur Marthæ exemplo et Mariæ : alterius operibus actuosa devotio, alterius religiosa mentis intentio Dei verbo, quæ si cum fide congruat, etiam ipsis operibus antefertur, juxta quod scriptum est : *Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur illi.* Studeamus igitur et nos habere quod nemo nobis possit auferre, C **1430** non ut perfunctoria, sed diligens audientia deferatur ; solent enim etiam ipsius semina verbi cœlestis auferri, si secus viam sint seminata (*Luc.* VIII, 12). [c] Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ ; hoc enim majus, hoc perfectius opus : nec ministerii cura cognitionem verbi cœlestis avertat, nec arguas eos, et otiosos judices, quos videas studere sapientiæ ; hanc enim sibi cohabitantem Salomon ille pacificus adscivit.

86. Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur : sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur ; Jesus enim multis abundat, et multa largitur : et ideo sapientior judicatur ; quia quod principale advertit, elegit. Denique apostoli optimum non putaverunt relinquere Dei verbum, et D ministrare mensis (*Act.* VI, 2). Sed utrumque munus sapientiæ est ; nam et Stephanus plenus sapientia minister electus est (*Ibid.*, 5). Et ideo qui ministrat doctori deferat : et ministrantem doctor invitet et provocet ; unum enim est corpus Ecclesiæ, etsi diversa membra : alterum altero eget. Non potest dicere oculus manui : Opera tua non desidero : aut iterum caput pedibus ; aut auricula se negare esse de

[a] Verbo *servaret*, subjungunt nonnulli mss., *in quo agnovit asina præsepe Domini sui.* Quibus insuper adjicit unus e Colb., *et ubi de terra inopes suscitantur, et de stercore pauper erigitur : certe ubi greges clauduntur agnorum ; ne frementibus ad caulas rapacibus lupis facilis in ovilia sit ingressus.* Verum isthæc et e proprio loco avulsa, et adulterinis aliquot vocibus interpolata esse ex iis quæ non multo post subjiciuntur, intelligimus.

[b] Rom. edit. sola, *Spondet ergo se reversurum. Quando reverteris, Domine,* etc.

[c] Quinque mss., *Laudatur ergo in Maria desiderium sapientiæ.* Unus, *Acuat te sicut Mariam,* etc.

Digitized by Google

corpore; nam etsi alia principalia, tamen alia necessaria. Sapientia in capite, actus in manibus: *Oculi* enim *sapientis in capite ejus* (*Eccles.* II, 14); quia ille vere sapit, cujus animus in Christo est, et cujus interior oculus erigitur ad superna. Et ideo: *Sapientis oculi in capite ipsius*: stulti autem in calcaneo.

(Cap. XI. — Vers. 5.) *Quis vestrum habens amicum, ibit ad illum media nocte, et dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes.*

87. Alius præcepti locus est, ut omnibus momentis non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim quod iste qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, et in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur oratis. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterii cœlestis alimentum? Quod si diligas Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amicior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit? Ab hoc media nocte panes David petiit, et accepit; petiit enim quando dicebat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII, 62); ideo meruit hos panes quos apposuit nobis edendos. Petiit cum dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI, 7); neque enim timuit ne excitaret dormientem, quem scit semper vigilantem.

88. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, et qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem Domino dicebat, matutinis et vespertinis sacrificiis semper intentus (*Psal.* CXVIII, 164): quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus; ut de via lassis, et istius ævi cursu ac vitæ hujus anfractu graviter fatigatis, panis refectionis deesse non possit, qui hominis corda confirmet?

89. Nec solum media nocte Dominus, sed omnibus **1431** prope docet vigilandum esse momentis; venit enim et vespertina, et secunda, et tertia vigilia, et pulsare consuevit: *Beati*, itaque, *servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 37). Si ergo desideras ut virtus Dei præcingat se, et ministret tibi, vigilandum est semper: multæ enim insidiæ sunt bonis, et gravis corporis somnus; quia si dormire mens cœperit, vigorem suæ virtutis amittit. Excita igitur somnum tuum, ut pulses ostium Christi: quod aperiri sibi etiam Paulus exposcit, non solum suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se juvari, ut aperiatur ostium sibi ad loquendum mysterium Christi (*Coloss.* IV, 3). Et fortasse illud est ostium quod apertum vidit Joannes; vidit enim, et dixit: *Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo; et vox prima quam audivi tamquam tubam loquentem mecum, et dicentem: Ascende huc,*

A *et ostendam tibi quæ oporteat fieri* (*Apoc.* IV, 1). Apertum est igitur ostium Joanni, apertum est ostium Paulo; ut nobis panes, quos ederemus, acciperent. Perseveravit ostium pulsans opportune, importune; ut gentes mundani tramitis labore vexatas, alimoniæ cœlestis ubertate recrearet.

90. Ergo præceptivus locus frequenter orandi, spes impetrandi, ratio persuadendi, prius in præcepto ponitur, post in exemplo. Qui enim promittit aliquid, spem debet afferre promissi; ut monitis obedientia deferatur, promissis fides, quæ humanæ contemplatione pietatis in majus æternæ spem pietatis acquirit; si tamen æqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio. Nec erubuit aliquid sæpius postulare, ne vel diffidere de Domini misericordia
B videretur, vel arroganter dolere, quod non prima prece aliquid impetraverit. *Propter hoc*, inquit, *ter Dominum rogavi* (II *Cor.* XII, 8): et ostendit quod frequenter Deus ideo non concedat oratus, quod inutilia judicet, quæ nos profutura credamus.

(Vers. 17.) *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.*

91. [a] Causa dicti hujus ea est, quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia dicebatur; ut ostenderet regnum suum individuum esse atque perpetuum. Meritoque etiam Pilato respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Et ideo qui non in Christo spem gerunt, sed in principe dæmoniorum ejici dæmones opinantur, eos regni negat esse perpetui: quod spectat ad populum
C Judæorum, [b] qui hujusmodi passionibus ad dæmonium ejiciendum, dæmonii arcessit auxilium. Nam quemadmodum potest, cum fides scindatur, regnum manere indivisum? Etenim cum in Lege sit populus Judæorum, Christus quoque secundum carnem ex Lege sit generatus: quomodo regnum potest Judæorum esse perpetuum, quod ex Lege est; cum populus ipse dividat Legem, quando a Legis populo Christus negatur, qui ex Lege debetur? Ita ex parte se fides Judaicæ plebis impugnat, et impugnando dividitur, et dividendo dissolvitur. Et ideo regnum Ecclesiæ manebit in æternum; quia **1432** individua fides, corpus est unum: *Unus* enim *Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes, et per omnes, et in omnibus* (*Ephes.* IV, 5 *et* 6).

D 92. Quanta hic sacrilegi furoris amentia; ut cum Dei Filius ad immundos spiritus conterendos, et ad manubias mundani principis auferendas susceperit carnem, et destruendæ nequitiæ spiritalis hominibus quoque dederit potestatem, dividens spolia ejus, quod insigne est triumphantis, aliqui sibi adjumentum ac præsidia diabolicæ potestatis adsciscant, cum in digito Dei, vel certe secundum Matthæum in spiritu Dei dæmones excludantur (*Matth.* XII, 28)! Unde intelligitur individuum quoddam [c] velut corpus esse

[a] Rom. edit sola, *Causa dicti hujus, quoniam Jesus in Beelzebub. . . . dicebatur, est ostendere*, etc.

[b] Eadem edit. Rom. expunxerat voces, *hujusmodi passionibus*. Et infra pro, *ex Lege sit generatus*, nec non *ex Lege est*, propria auctoritate posuerat, *sub Lege*, etc.

[c] Mss. aliquot, *velut corporis esse divinitatis regnum.*

Digitized by Google

divinitatis et regnum; cum Christus Dei dextera sit. A Spiritus autem digiti speciem velut unius secundum divinitatem corporis seriem videatur exprimere. Nonne videtur individuum esse regnum, cum velut corpus sit indivisum? *Habitat enim*, ut legisti, *corporaliter plenitudo divinitatis in Christo* (*Coloss.* II, 9). Quod utique et de Patre negare non poteris, et de Spiritu negare non debes. Nec tibi membrorum comparatione nostrorum portio quædam videatur facienda virtutis; individuæ enim rei non potest esse divisio: et ideo ad formam unitatis, non ad distinctionem potestatis referenda digiti nuncupatio est; cum et dextera Dei dicat: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Sed licet individua divinitas, distincta persona est.

93. Digitus tamen cum dicitur Spiritus, operatoria virtus significatur, quod divinorum operum sicut B Pater et Filius, ita et Spiritus sanctus operator sit. David enim dicit: *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4). Et in trigesimo secundo psalmo: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Et Paulus ait: *Hæc omnia autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Et id cum dicit:

(Vers. 20). *Quod si in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.*

94. Simul ostendit imperialem quamdam esse sancti Spiritus potestatem, in quo regnum est Dei. Nos quoque in quibus habitat Spiritus, regalem domum habemus. Unde et in posterioribus dixit: *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Et ideo divinitatis, et dominationis, et imperatoriæ majestatis consortem debemus æstimare Spiritum sanctum; C quia *Dominus est Spiritus: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17).

(Vers. 24). *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca arida quæ non habent aquam, quærens requiem, et non inveniens.*

95. Hoc de Judæorum plebe dictum ambigi non potest, quam Dominus a regno suo in superioribus segregavit. Unde omnes quoque hæreticos et schismaticos Da regno ei, et ab Ecclesia intellige separatos. Et ideo non Dei, sed immundi spiritus omnes schismaticorum hæreticorumque liquido claret esse conventus. Itaque in uno homine totius Judaici populi comparatio est, a quo **1433** per legem spiritus immundus exierat. Sed quia in nationibus et gentibus per fidem Christi requiem reperire non potuit (im- D mundis enim spiritibus Christus incendium est, qui in pectoribus gentilium, quæ ante arida erant, postea per baptismum rore Spiritus sancti humescebant, jacula adversarii ignita restrinxerat), ideo regressus ad plebem est Judæorum, quæ forensi et perfunctoria specie compta, animo manet interiore pollutior. Neque enim sacri fontis irriguo aut abluebat, aut restinguebat ardorem: meritoque ad eam spiritus redibat immundus, adducens secum septem spiritus nequiores se; quoniam in hebdomada Legis et octavæ mysterium sacrilega mente commisit. Itaque ut

A nobis multiplicatur septiformis Spiritus gratia: ita illis immundorum spirituum omnis cumulatur injuria; universitas enim hoc numero aliquoties comprehenditur, propter quod septimo die conclusis mundi operibus, requievit Deus (*Gen.* II, 2). Ideo et *sterilis septem peperit, et populosa in filiis infirmata est* (I *Reg.* II, 5). Denique ut scias Synagogæ populum deformari, ubi Ecclesiæ beatitudo laudatur, subjecit:

(Vers. 29, 30.) *Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Nam sicut Jonas fuit signum Ninivitis: ita erit et Filius hominis.*

96. In hoc quoque Judæorum plebe damnata, Ecclesiæ mysterium evidenter exprimitur, quæ in Ninivitis per pœnitentiam, et in regina Austri per studium percipiendæ sapientiæ de totius orbis finibus congregatur; ut pacifici Salomonis verba cognoscat. Regina plane, cujus regnum est indivisum, de diversis et distantibus populis in unum corpus assurgens. Itaque *Sacramentum hoc magnum est.... de Christo et Ecclesia* (*Ephes.* V, 32): sed tamen hoc majus est; quia illud in figura ante præcessit: nunc autem plenum in veritate mysterium est; illic enim Salomonis typus, hic autem Christus in suo corpore est. Ex duobus igitur constat Ecclesia, ut aut peccare nescias, aut peccare desinas; pœnitentia enim delictum amovet, sapientia cavet. Hoc in mysterio.

97. Cæterum Jonæ signum ut typus Dominicæ passionis, ita etiam gravium, quæ Judæi commiserant, testificatio peccatorum est. Simul advertere licet, et majestatis oraculum, et pietatis indicium; namque Ninivitarum exemplo et denuntiatur supplicium, et remedium demonstratur. Unde etiam Judæi debent non desperare indulgentiam, si velint agere pœnitentiam.

(Vers. 33.) *Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum.*

98. Ergo quia in superioribus Ecclesiam Synagogæ prætulit, hortatur nos ut fidem potius nostram ad Ecclesiam transferamus; lucerna enim fides est, juxta quod scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine* (*Psal.* CXVIII, 105); verbum enim Dei fides nostra est, verbum Dei lux, lucerna est fides. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit. **1434** Hæc est lucerna quæ accenditur, virtus scilicet nostræ mentis et sensus, ut mna illa possit quæ perierat, reperiri (*Luc.* XV, 8). Nemo ergo fidem sub Lege constituat; Lex enim intra mensuram est, ultra mensuram gratia: Lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram Legis includat; sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis Spiritus relucet gratia, quam Princeps ille sacerdotum fulgore supernæ divinitatis illuminat, ne eam Legis umbra restinguat.

99. Denique lucerna illa quam matutinis vesper-

Digitized by Google

tinisque temporibus, ritu veteri Judæorum, princeps A sacerdotum solebat accendere (*Exod.* xxvii, 21), velut sub modio sita Legis evanuit: et civitas illa Hierusalem, quæ in terris est, quæ occidit prophetas, quasi in convalle fletus posita delitescit; illa autem Hierusalem quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est in Christo, Ecclesia non potest tenebris et ruinis hujus mundi abscondi: sed fulgens candore solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat.

(Vers. 39.) *Nunc vos, Pharisæi, prius quod deforis est calicis et catini mundatis.*

100. Vides corpora nostra terrenorum et fragilium expressione signari, quæ brevi lapsu præcipitata franguntur: et facile ea quæ mens voluit interna per sensus et gesta corporis prodi, sicut illa quæ ca- B lix interius continet, foris lucent. Unde et in posterioribus (*Luc.* xxii, 42) non dubium est vocabulo calicis passionem corporis declarari, cum dicit Dominus: *Calicem quem mihi Pater dedit, non vis ut bibam illum* (*Joan.* xviii, 11)? Bibit enim corpus suum, qui corporalem fragilitatem spiritali absorbet affectu, et quasi in mentem animumque transfundit; ut interioribus exteriorum imbecillitas hauriatur. Cernis igitur quod nos non exteriora hujus calicis aut catini, sed interiora contaminant. Et ideo quasi bonus præceptor docuit quemadmodum nostri mundare corporis contagium debeamus, dicens:

(Vers. 41.) *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.*

101. [a] Vides quanta remedia? Mundat nos miseri- C cordia, mundat nos Dei sermo, juxta quod scriptum est: *Jam vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis* (*Joan.* xv, 3). Nec hoc loco solum, sed etiam in aliis quanta sit gratia expressum tenes: *Eleemosyna enim a morte liberat* (*Tob.* xii, 9): et, *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit in die malo* (*Eccli.* xxix, 15).

102. Totus itaque pulcherrimus ab hinc dirigitur locus, ut quoniam nos ad studium simplicitatis invitat, superflua Judæorum et terrena condemnet, qui secundum corpus intelligendo quæ Legis sunt, vitro et catino propter fragilitatem sui non immerito comparantur; et ea de quibus nobis nullus est usus, observant: ea autem in quibus nostræ spei fructus est, negligunt; et ideo peccatum grande committunt; D dum meliora despiciunt: et tamen ipsis peccati abolitio promittitur, [b] si misericordia consequatur.

1435 103. (Vers. 42.) Breviter autem vitia eorum multa perstringit, qui viliorum fructuum decimis conferendis omne studium intendant suum: nec ullum futuri judicii metum, nec aliquam Dei habeant charitatem, cum opera sine fide vana sint; prætereunt enim judicium et charitatem Dei: judicium ideo, quia non omnia quæ agunt, in judicium referunt: charitatem ideo, quia non ex affectu Deum diligunt.

104. Sed ne rursus fidei nos studiosos faciat, operum negligentes, perfectionem fidelis viri brevi sermone concludit; ut et fide et operibus approbetur, dicens: *Et hæc oportuit facere, et illa non omittere.*

105. (Vers. 43, 44.) Arrogantiam quoque jactantiamque redarguit Judæorum, dum primatus accubitionis in conviviis appetunt. In ipsos quoque peritos Legis damnationis sententia promulgatur: qui quasi sepulcra quæ non apparent, specie fallunt, visuque decipiunt; ut cum foris speciosa promittant, intus ossa plena fetoris includant. Quod faciunt plerique doctores, qui ab aliis exigunt, quæ ipsi non queant æmulari. Et ideo ipsi monumenta sunt, sicut et alibi dictum est: *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal.* v, 11).

106. (Vers. 47.) Bonus etiam locus adversus superstitionem vanissimam Judæorum, qui ædificando sepulcra prophetarum, patrum suorum facta damnabant; æmulando autem paterna scelera, in seipsos sententiam retorquebant. Etenim propheticorum ædificatione tumulorum, sceleris eos qui occiderant, arguebant; et similium æmulatione factorum, se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes. Non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur. Neque enim possunt hæreditariæ iniquitatis absolvi, qui Dei Filium crucifigendo, quod gravius est, paternis cumulum sceleribus addiderunt. Et ideo bene alibi addidit: *Implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* xxiii, 32); quia nihil est ultra Dei injuriam gravius peccare quod possint.

107. (Vers. 49.) Propterea mittit ad illos Sapientia apostolos et prophetas. Quis est Sapientia nisi Christus? Denique in Matthæo habes: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes* (*Matth.* xxiii, 34).

108. (Vers. 52.) Arguuntur adhuc sub nomine Judæorum, et futuro supplicio statuuntur obnoxii; quia cum doctrinam sibi divinæ cognitionis usurpent, et alios impediunt, nec ipsi quod profitentur agnoscunt.

(Cap. XII. — Vers. 6, 7.) *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Domino? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite timere, multis passeribus pluris estis.*

109. Pulcherrimum locum tenendæ simplicitatis et æmulandæ fidei Salvator intexuit, ne Judaicæ perfidiæ more alia premamus affectu, alia voce simulemus; cum ultimo tempore occulta cogitationum accusantium, aut etiam defendentium secretum nostræ mentis aperitur, ut videantur. Quæ enim major est simplicitatis illecebra, quam ut unusquisque cognoscat latebram fraudis esse non posse?

[a] Mss. aliquot, *Vides quanto remedio mundat nos.*

[b] Nonnulli mss., *si misericordiam consequantur.* Inepte; sensus enim est, Pharisæis promitti peccatorum abolitionem, si modo eam misericordia, id est, eleemosyna pauperibus erogata acquirat atque mereatur.

Digitized by Google

110. Sed quoniam gemina est causa perfidiæ, quæ A aut ex inolita malitia, aut ex accidenti metu nascitur; **1436** ne quis metu territus potestatis, Deum quem corde cognoscit, negare conetur, pulchre addidit animæ tantum formidabile esse supplicium, pœnam corporis non esse metuendam; mors enim naturæ finis, non pœna est; et ideo mortem supplicii corporalis esse defectum, pœnam vero animæ esse perpetuam; eoque Deum solum esse metuendum, cujus potestati non natura præscribat, sed eadem natura subjaceat; mortem vero non esse terribilem, quam locupletiore fenore sit immortalitas redemptura.

111. Inspiraverat Dominus simplicitatis affectum, virtutem mentis erexerat, fides sola nutabat; bene eam de vilioribus roboravit; nam si Deus oblivio- B nem passerum non habet, hominum habere qui potest? Quod si tanta est Dei, et tam æterna majestas, ut unus ex passeribus, aut nostrorum numerus capillorum præter scientiam Dei non sit; quam indignum est æstimare quod fidelium corda Dominus aut ignoret, aut spernat, qui viliora cognoscat!

112. Fortasse dicat aliquis: Quomodo Apostolus dixit: *Numquid de bobus cura est Deo* (I *Cor.* IX, 9); cum utique bos passere pretiosior sit? Sed aliud est cura, aliud scientia. Denique numerus capillorum non in actu computationis, sed in facilitate cognitionis accipitur; non enim sollicitam Deus curæ numerantis intendit excubiam; sed cui cognita sunt omnia, quasi numerata sunt omnia. Bene tamen numerari dicuntur; quia illa quæ volumus servare, nu- C meramus.

113. Possumus tamen hic discutere aliquod intelligentiæ spiritalis arcanum; præsertim cum hoc videatur absurdum, ut homines non potius hominibus quam passeribus comparentur. Videntur enim quinque isti passeres quinque esse corporis sensus, tactus, odoratus, gustus, visus, auditus; qui modo passerum si terrenarum sordium rimentur illuviem, atque ex incultis locis et fetidis cibum quærant, delictorum suorum laqueis occupati, ad superiorum operum fructus, quibus epulantur animæ, revolare non possunt. Est enim lenocinantis quidam laqueus voluptatis, [a] qui nostrorum vestigiis animorum quædam vincula subnectat; ut si igneum vigorem, puritatemque naturæ, terrenæ materiæ sensus hebetave- D rit, luxuriæ pretio sæcularis addictum sub quadam vitiorum auctione constituat.

114. Sunt etiam quædam nostrorum nundinæ delictorum. Itaque variarum capti illecebris voluptatum, aut venumdamur sub peccato, aut redimimur a peccato. Christus nos redimit, adversarius vendit; ille auctionatur ad mortem, hic redimit ad salutem. Unde bene Matthæus duos passeres posuit (*Matth.* X, 29), corpus animamque significans; quoniam caro quoque si consentiens Dei legi, et exuens se lege peccati in naturam animæ sensuum puritate transierit, alis ad cœlum spiritalibus elevatur. Itaque docemur quia volandi nobis gratiam natura dedit, [b] voluptas abstulit, quæ malorum escis gravat animam, atque in naturam corporeæ molis inclinat.

115. Meritoque posuit quia nemo illorum cadit sine voluntate Dei (*Ibid.*); quod enim cadit, vergit in terram; et quod volat, fastigio immortalitatis evehitur. Ne cui autem dubium esset quod **1437** Matthæus dixit, Lucas evidenter absolvit, quia [c] voluntas hominis Deo cognita est; non enim quicumque cadit, voluntate Dei cadit; sed qui delictorum suorum mole ruerit, Deum latere non poterit; nam et Job ex Dei voluntate tentatur (*Job* I, 12). Dedit tibi adversarium, sed proposuit præmium. Nec excuses fragilitatem, qui habes imaginem, accepisti munitionem; unde et hoc proficit ad salutem, ut sine permissione Dei diabolum nocere non posse cognoscas; ne potentiam diaboli magis timeas, quam divinitatis offensam.

116. Jam illud non dubium est, animæ passerem comparari, cum legeris: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (*Psal.* CXXIII, 7). Et alibi: *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer* (*Psal.* X, 2)? Ipsum quoque hominem legimus comparari passeri; quia scriptum est: *Ego autem sicut passer singularis in ædificio* (*Psal.* CI, 8); scilicet ex duobus passeribus in unum passerem, hoc est, spiritalis substantiæ subtilitatem, concordantis utriusque alæ compage formatus. Ergo passer bonus est, cui volandi natura suppeditat. Est etiam malus passer, qui volandi usum terrenæ vitio labis aboleverit: quales sunt isti passeres, qui dipondio veneunt.

117. Alibi asse veneunt, alibi dipondio (*Matth.* X, 29). Quanta vilitas delictorum! Mors enim vilis, sed pretiosa virtus. Etenim adversarius tamquam captiva mancipia vilioris pretio æstimationis addicit; at vero Dominus tamquam speciosa servitia, quæ ad imaginem et similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit, sicut sanctus Apostolus dixit: *Empti enim estis pretio magno* (I *Cor.* VI, 20). Et bene *magno*, quod non æstimatur ære, sed sanguine; quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit, sicut etiam sanctus Petrus in Epistola commemorat sua, scribens ad nos: *Quia non corruptibilibus argento vel auro*, inquit, *redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi Jesu* (I *Petr.* I, 18 *et* 19). Et bene *pretioso*, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est Filii Dei;

[a] Nonnulli mss., *qui nostrorum remigiis animorum.*

[b] Quidam mss., *voluntas abstulit.* Sed familiare est librariis scriptoribus, ut promiscue *voluntas* pro *voluptas* scribant et contra.

[c] Omnes editi cum parte mss., *voluntas Dei cognitio Dei;* mss. tamen pro *cognitio Dei*, habent *cognitio est.* Alii vero qui et melioris notæ, ut in textu. Consequenter autem ubi præferunt edit., *non enim quisquam*, Amerb., *quisque voluntate Dei cadit;* mss. omnes nobiscum faciunt, excepto quod in nonnullis primum *cadit*, prætermittitur.

Digitized by Google

qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit. A

118. In summa igitur hic sensus est; si Dominus vilibus avibus, et infidelibus hominibus vel in oriundo sole, vel in terrena fecunditate prospexit; si misericordiæ suæ omnibus munus impertit, haud esse dubitandum contemplationem apud illum fidelium valituram esse meritorum. Præclare autem et fidem acuendo intexuit, et fidei ipsi virtutum fundamenta subjecit; nam ut fortitudinis incentivum est fides, ita fidei firmamentum est fortitudo.

(Vers. 9, 10.) *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur ei: in Spiritum autem sanctum qui dixerit, non remittetur ei.*

119. Utique *Filium hominis* Christum intelligimus,
**1438** qui de Spiritu sancto generatus in virgine est, quod parens ejus in terris sola sit Virgo. Numquid ergo major est Christo Spiritus sanctus; ut in Christum peccantes veniam consequantur, in Spiritum sanctum delinquentes remissionem non mereantur adipisci? Sed ubi unitas potestatis est, nulla comparationis est quæstio, neque controversia magnitudinis, cum magnus sit Dominus, et magnitudinis ejus finis esse non possit. Si igitur, quod credimus, unitas Trinitatis est, indiscreta utique magnitudo, sicut indiscreta operatio; quod in sequentibus demonstratur; nam cum alibi dictum sit: Pater vobis dat quid loquamini, hic subjecit: *Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quæ oportet dicere* (*Matth.* x, 19). Ergo si operatio una est, una est contumelia.

120. Sed ad proposita revertamur. Hic videtur quibusdam ut eumdem et Filium hominis et Spiritum sanctum Christum intelligamus, salva distinctione personarum, et unitate substantiæ; quia unus et Deus et homo Christus, idem Spiritus, sicut scriptum est: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (*Thren.* IV, 20); idem sanctus; quia sicut Deus Pater, et Filius Deus, Dominus Pater et Filius Dominus; ita etiam et Pater sanctus, et Filius sanctus, et Spiritus sanctus. Denique Cherubim et Seraphim indefessis vocibus clamant; Sanctus, sanctus, sanctus (*Esai.* VI, 3); ut Trinitas repetita tertia appellatione signetur. Si ergo utrumque Christus est, quæ est diversitas, nisi ut sciamus quia divinitatem Christi nobis negare non liceat? Denique in persecutione quid quæritur, nisi ut Deus Christus negetur? Itaque [a] quicumque spiritus non confitetur in Christo Deum, et ex Deo, atque in Deo Christum, veniam non meretur. Sed etiam quicumque non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est; qui enim hominem negavit, Deum negavit; quia Deus in homine, et homo in Deo Christus.

121. Plerique tamen illud tenent, ut eam blasphemiam dicant non esse veniabilem, si quis Christum dicat in Beelzebub ejicere dæmonia, non potestate divina.

(Vers. 13, 14.) *Et ait quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem supra vos?*

122. Totus hic locus ad subeundam pro confessione Domini passionem, aut contemptu mortis, aut spe præmii, aut mansuri denuntiatione supplicii, cui numquam venia laxetur, instruitur. Et quoniam avaritia plerumque solet tentare virtutem, etiam hujus abolendæ rei præceptum subjicitur et exemplum, dicente Domino: *Quis me constituit judicem aut divisorem supra vos?* Bene terrena declinat, qui propter divina descen-
B derat; nec judex esse dignatur litium, et arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque judicium, arbitriumque meritorum. Non ergo quid petas, sed a quo postules intuendum est; nec coram majoribus intento animo putes minoribus obstrependum. Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium **1439** gestiebat corruptibilibus occupare; cum inter fratres patrimonium non judex medius, sed pietas debeat sequestra dividere; quamquam immortalitatis patrimonium, non pecuniæ, sit hominibus expetendum; frustra enim congregat opes, qui se his nescit usurum: sicut ille qui cum repleta horrea novis messibus rumperentur, exuberantium sibi fructuum receptacula præparabat, cui congregaret ignarus (*Vers.* 27 *et seq.*). Remanent enim
C in sæculo cuncta quæ sæculi sunt, et prætereunt nobis quæcumque congregantur hæredibus; neque enim nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium dux prævia mansionum, pecuniæ vilis usura tabernacula defunctis acquirit æterna, sicut Domini præcepta testantur, dicentis ad nos: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula sua* (*Luc.* XVI, 9). Bonum itaque ac salutare præceptum, et idoneum quod vel avaros possit animare, quo studeant corruptibilia perennibus, terrena mutare divinis. Sed quoniam plerumque devotio fidei infirmitate revocatur, et ad conferendum patrimonium prompti, victus sui consideratione retrahuntur; eo addidit Do-
D minus dicens:

(Vers. 22, 23.) *Nolite solliciti esse animæ quid manducetis: neque corpori quid vestiamini. Anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum.*

123. Nihil enim moralius ad faciendam fidem omnia credentibus a Deo posse conferri, quam quod aerius ille spiritus vitale collegium animæ, corporisque contubernio fœderatum, sine nostro labore perpetuat, nec salutaris deficit usus alimenti, nisi cum venerit dies suprema moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, et vigore animæ corpus animetur, absurdum est ut victus nobis copiam defu-

[a] Edit. et pauci mss., *quicumque non confitetur;* alii plures ac probatiores, *quicumque spiritus*, etc.

Digitized by Google

turam putemus, qui vivendi jugem substantiam consequamur.

124. *Considerate*, inquit, *volatilia cœli* (*Matth.* vi, 26). Magnum sane et aptum quod fide sequamur exemplum. Nam si volatilibus cœli quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate proventus est, indeficientem tamen providentia divina largitur alimoniam, verum est causam inopiæ nostræ avaritiam videri. Etenim illis idcirco inelaborati pabuli usus exuberat, quod fructus sibi communem ad escam datos speciali quodam nesciunt vindicare dominatu; nos communia amisimus, dum propria vindicamus; nam nec proprium quidquam est, ubi perpetuum nihil est; nec certa copia, ubi incertus eventus. Cur enim divitias tuas æstimes, cum tibi Deus etiam victum cum cæteris animantibus voluerit esse communem? Aves cœli speciale sibi nihil vindicant, et ideo pabulis indigere nesciunt; quia non norunt aliis invidere.

(Vers. 27, 28.) *Considerate lilia quomodo crescunt.* Et infra: *Si autem fenum quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos minimæ fidei!*

125. Bonus quidem sermo atque moralis, quod ad fidem divinæ nos misericordiæ conferendæ, 1440 vel juxta litteram, quia ad staturam corporis nostri (*Vers.* 25), vel spiritaliter, quia supra mensuram staturæ nostræ sine Dei favore nihil valemus adjungere, comparatione floris et feni sermo Dominicus provocavit. Quid enim tam morale ad persuasionem, quam cum videas quod etiam quæ sunt irrationabilia, sic Dei prospicientia vestiuntur; ut nullo usu vel ad gratiam egeant, vel ornatum; multo magis credas rationabilem hominem, si omnem sui usum in Deo collocet, nec studio mutandi violet fidem, numquam egere posse; eo quod jure præsumpserit de favore divino?

126. Sed tamen ut etiam altius ista pendamus; quia non otiosum videtur quod flos vel homini confertur, vel certe plus quam hominibus in Salomone præfertur, qui tantum meruit ut vel in specie templum Deo conderet, vel in mysterio Christi Ecclesiam figuraret; non alienum videtur ut per claritatem coloris, angelorum cœlestium gloriam putemus expressam, qui vere mundi istius flores sunt; quando eorum claritatibus mundus ornatur, et bonum odorem sanctificationis aspirant. Quorum præsidio fulti possumus dicere: *Bonus odor Christi sumus Deo in iis qui salvi fiunt* (II *Cor.* ii, 15); qui nulla sollicitudine præpediti, nullo usu laboris exercitati, divinæ in se liberalitatis gratiam, et cœlestis servant dona

A naturæ. Unde bene et hic vestitus gloria sua Salomon, et alibi coopertus ostenditur (*Matth.* vi, 29), quod infirmitatem corporeæ naturæ veluti virtute quadam mentis adopertam operum gloria vestiebat. Angeli vero quorum natura divinior expers manet injuriæ corporalis recte, licet maximo viro, considerationе tamen nostræ injuriæ præferuntur. Ergo quoniam per resurrectionem erunt homines sicut angeli in cœlis, nos quoque exemplo Angelorum gloriæ cœlestis augmentum Dominus, qui et illis eam tribuit, sperare præcepit, quoad absorbeatur hoc mortale a vita: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* xv, 53).

127. Plerique etiam comparationem hanc secundum naturam floris et usum putant propositi germinis aptiorem; eo quod lilia nullius annui usus cultum requirant, nec sicut erga proventum fructuum

B cæterorum, ita etiam erga generationem istius floris sollicitis in orbem redeat labor actus agricolis. Quibuslibet enim siccitatibus agri omne illud quod alitur in florem, quadam virtute genitali ex sese atque in se succi semper manentis animatur; ita cum foliorum puberum caulem videas aruisse, floris tamen natura virescit; absconditur enim viriditas, non amittitur. At ubi vernis fuerit provocata blanditiis, indumentum germinis, comam floris, liliive resumit ornatus. Quem locum nunc, quoniam alibi uberius tractatum esse reminiscimur, perstrinxisse satis est; ne in eadem sit recursus.

C 128. Illud quoque advertendum est, quia non in asperitatibus montium, incultisque sylvarum lilia, sed in hortorum amœnitate generantur. Sunt enim horti quidam diversarum pomiferi virtutum, juxta quod scriptum est: *Hortus clausus, soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus* (*Cant.* iv, 12); eo quod ubi integritas, ubi castitas, ubi religio, 1441 ubi fida silentia secretorum, ubi claritas Angelorum est, illic [a] confessorum violæ, lilia virginum, rosæ martyrum sunt. Nec incongruum quisquam putet quod angelis lilia comparentur, cum lilium se Christus ipse memoraverit dicens: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* ii, 1). Et bene lilium Christus; quia ubi martyrum sanguis, ibi Christus, qui est flos sublimis, immaculatus, innoxius; in quo non

D spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarescat. Sunt enim spinæ rosarum, quia tormenta sunt martyrum. Non habet spinas inoffensa divinitas, quæ tormenta non sensit.

129. Ergo si lilia vel angeli supra hominum gloriam vestiuntur, nec in nobis misericordiam Dei

[a] Confessores, qui nonnumquam ab antiquis sumuntur pro ipsis martyribus, ab eisdem hoc loco manifeste distinguuntur. Utrum autem tam ii significentur hoc nomine qui cum pro fide carcerem aut tormenta passi essent, postea tamen incruenta morte vitam clauserunt: quam illi qui propter diuturnius pœnitentiæ martyrium hoc vocabulo jam communiter apud nos designantur, non satis constat. Etenim hoc ultimo sensu id nominis apud veteres vix usurpatum reperias. Alias vero ejusdem vocis interpretationes videsis apud Menardum nostrum in lib. Sacram. S. Greg. pluribus locis, et Cangium in Glossar. ad eamdem vocem. Quod autem confessoribus violæ assignantur, ea causa est, quod corpora severiori castigatione liventia, mortuorumque cadaveribus haud multum dissimilia quodammodo violaceum colorem referunt. Vide Silvam Allegoriarum in voce, *viola*.

Digitized by Google

desperare debemus, quibus per resurrectionis gratiam Dominus similem angelorum speciem pollicetur (*Matth.* XXII, 30). Quo loco etiam illam videtur perstringere quæstionem, quam etiam Apostolus non omisit; quia gentes hujus mundi quærunt, quomodo resurgant mortui, et quali corpore veniant (I *Cor.* XV, 35).

130. (Vers. 31.) Nam cum dicat: *Quærite regnum Dei: et hæc omnia adjicientur vobis*; nec ad præsens, nec in reliquum fidelibus ostendit gratiam defuturam: si modo qui divina desiderant, terrena non quærant. Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant de regno. Novit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat; et ideo dixit: *Jacta in Deum cogitatum tuum, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV, 23).

(Vers. 49, 50.) *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi jam accendatur? Baptisma habeo baptizari, et quomodo angor, usque dum perficiatur?*

131. In superioribus vigilare nos voluit, per omnia exspectantes momenta Domini Salvatoris adventum; ne dum aliquis remittit et negligit, de die in diem opera sua differens, judicii futuri die, vel propria morte præventus, meritum suæ commendationis amittat. Et illa quidem in omnes præcepti forma generalis: verum series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est, sacerdotibus videtur esse proposita; quo sciant sibi gravem in futurum pœnam esse subeundam, si sæcularibus intenti deliciis, familiam Domini plebemque commissam sibi gubernare neglexerint.

132. Sed quia exiguus est profectus, et parva meritorum gratia, supplicii metu ab errore revocari, majorque prærogativa charitatis et amoris est, Dominus ad promerendam sui gratiam studia nostra acuit, et acquirendæ cupiditate divinitatis inflammat dicens: *Ignem veni mittere in terram*. Non utique illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea Dominicæ domus vasa meliorat, fenum vero consumit et stipulam, ac sæcularia omnia mundi voluptate concreta, perituræque opus carnis exurit ignis ille divinus, qui flammigerabat in ossibus prophetarum, sicut sanctus Hieremias **1442** dicit: *Quia factus est sicut ignis ardens, flammigerans in ossibus meis* (*Jerem.* II, 9). Est enim ignis Domini, de quo dictum est: *Ignis ante eum ardebit* (*Psal.* XCVI, 3). Est et idem Dominus ignis, sicut ipse dixit: *Ego sum ignis ardens, et non consumens* (*Exod.* III). Ignis enim Domini lumen æternum est. Quo igni illæ accenduntur lucernæ, de quibus supra dixit: *Sint autem lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes*. Et ideo quia [a] nox est dies hujus vitæ, lucerna est necessaria. Hunc ignem in se etiam Amaon et Cleophas a Domino missum esse testantur dicentes: *Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Evidenter itaque docuerunt qualis istius ignis sit ope-
A ratio, qui secreta cordis illuminat. Ideo fortasse Dominus in igne venturus est; ut resurrectionis tempore vitia universa consumat, suique conspectu desideria compleat singulorum, meritorumque et mysteriorum lumen accendat.

133. Tanta itaque Domini dignatio est, ut infundendæ nobis devotionis, et consummandæ perfectionis in nobis, et maturandæ pro nobis studium passionis sibi inesse testetur; qui cum in se nihil habuerit quod doleret, nostris tamen angebatur ærumnis, et sub tempore mortis mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat, juxta quod scriptum est: *Et quomodo angor usque dum perficiatur?* Utique qui usque ad perfectionem angitur, de perfectione secu-
B rus est. Et ait alibi: *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est Dominus; quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire quæ corporis sunt; ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur: divinitas autem commutari per hos nescit affectus. Simul ostendit quod in certamine passionis mors corporis, absolutio anxietatis, non coacervatio sit doloris.

(Vers. 51-53.) *Putatis quod pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem. Erunt autem ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur. Pater in filium, et filius in patrem dividentur: mater in filiam, et filia in matrem:*
C *socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.*

134. Cum in omnibus fere Evangelicis locis spiritualis intellectus operetur; tamen in præsenti maxime ne quem duritia nudæ expositionis offendat, spiritali altitudine sensus series temperanda est: præsertim cum sacrosancta religio moralibus disciplinis, et mitibus pietatis exemplis etiam fidei exsules ad reverentiam tamen sui clementer invitet; ut prævia fidei disciplina mansuetudine sui superstitionum dura dissolvat, et obnoxias erroribus mentes cogat etiam fide credere, quas potuit pietate mulcere. Etenim cum fidei alta pectoribus non capiuntur infirmis, per ea quæ præcepta sunt, ea quæ veneranda sunt, æstimantur; ut justa de justo, sancta **1443** de sancto bonorum suorum bonum testen-
D tur auctore.

135. Ergo Dominum illum qui simul divinitatis reverentiam, et pietatis gratiam [b] suadere complexus est dicens: *Diliges Dominum Deum tuum.... et diliges proximum tuum* (*Luc.* X, 27); ita nunc mutatum esse opinabimur, ut abolere necessitudinum nomina, collidere pietatis affectus, charissimorum pignorum dissidia mandasse credamus? Et quomodo *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14)? Quomodo ipse dicit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27), si parentes a filiis, filios a parentibus dissidio necessitu-

[a] Mss. aliquot, *non est hujus diei vita.*

[b] Omnes edit. ac mss. nonnulli, *sua lege complexus*. Reliqui multo majori numero et auctoritate, ut in textu.

Digitized by Google

dinis separaturus advenit? Quomodo *Maledictus qui* A *non honorat patrem* (*Deut.* XXVII, 16), religiosus qui deserit?

136. Sed si advertamus quia prima causa religionis, secunda pietatis est, [a] enodem etiam hanc æstimabimus quæstionem; oportet enim ut divinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes! Aut si illi omnino non recognoscunt parentem, quemadmodum tu recognoscas? Non igitur dicit renuntiandum esse pignoribus, sed Deum omnibus præferendum. Denique habes in alio libro: *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Non diligere parentes, sed eos Deo præferre prohiberis; etenim naturæ pignora Domini beneficia sunt: B nec quisquam debet plus amare beneficium quod accepit, quam Deum a quo beneficium servatur acceptum. Ergo etiam secundum litteram pie intelligentibus expositio religiosa non deest; subest tamen quo altius referendum putemus hunc sensum, quia addidit:

(Ibid.) *Erunt ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur.*

137. Qui sunt enim quinque, cum sex personarum facta videatur subjectio, patris et filii, matris et filiæ, socrus et nurus? Quamquam eadem mater quæ socrus accipi possit, quæ enim mater est filii, socrus ejus uxoris est; ut juxta litteram quoque numeri non absurda sit ratio, liquidoque clareat fidem vinculis nexam non esse naturæ, quo licet officio C pietatis obnoxii, fide tamen liberi sunt.

138. Non incongruum quoque videtur si mystica interpretatione enodemus hunc sensum. Domus una, homo unus est. Unusquisque enim domus aut Dei est, aut diaboli. Itaque domus spiritualis, homo est spiritualis, sicut habemus in epistola Petri: *Et vos tamquam lapides vivi ædificamini domus spiritualis in sacerdotium sanctum* (I *Pet.* II, 5). In hac ergo domo duo in tres, tres in duos dividuntur. Duos legimus frequenter animam et corpus (*Matth.* XVIII, 19). Quod si duobus in terra convenerit, effecit utraque unum. Et alibi: *Castigo corpus meum, et servituti redigo* (I *Cor.* IX, 27). Aliud est quod servit, aliud cui subjicitur.

139. Si duos agnovimus, etiam tres agnoscamus: D **1444** quod proclive ex illis duobus est intelligere. Tres enim animæ in corpore affectiones sunt: una rationabilis, alia concupiscibilis, [b] tertia impetibilis, hoc est, λογιστικὸν, ὀρεκτικὸν, ὀργιστικόν. Non ergo duo in duos: sed duo in tres, et tres in duos dividentur; etenim per adventum Christi homo qui erat irrationabilis rationabilis factus est. Ante eramus similes bestiarum quæ rationem nesciunt, eramus carnales, eramus terreni juxta illam sententiam: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Venit Dei Filius, misit Spiritum suum in corda nostra; facti sumus filii spirituales.

140. Possumus dicere quia in hac domo sunt alii quinque, id est, odor, tactus, gustus, visus, auditus. Ergo si secundum ea quæ audimus aut legimus, separato sensu visus atque auditus, excludamus superfluas corporis voluptates, quæ gustu, tactuque, et odore pariuntur, duos in tres dividimus, eo quod mentis habitus vitiorum non capiatur illecebris, sed æmulatione virtutis a lenociniis se voluptatis abducat: et ne fiat omnium una consensio, quæ præcipitet in errorem, sed dividendo se separent desideria cordis, et officia virtutis. Aut si quinque sensus accipimus corporales, vitia jam corporis et peccata se separant. Et fortasse quinque sunt quos fratres suos ille in Evangelio dives luxuriosus appellat (*Luc.* XVI, 28), qui cruciari describitur apud inferos, quibus mandari rogat ut noverint in hoc sæculo delicias abdicandas, ut possint requiem habere post sæculum, studio virtutis.

141. Possunt etiam (*Cf. Aug. lib.* II *contra Jul. Pelag., cap.* 5) videri caro atque anima ab odore, tactu, gustuque luxuriæ separata, in una domo se adversus incursantia vitia dividentes, caro et anima subjicientes se legi Dei, et removentes a lege peccati: quorum licet dissensio per prævaricationem primi hominis in naturam se verterit; ut nequaquam sibi paribus ad virtutem studiis convenirent; tamen per crucem Domini Salvatoris tam inimicitiis, quam etiam mandatorum lege vacuatis [c] in societatis concordiam congruerunt, posteaquam *Christus e cœlo pax nostra descendens, fecit utroque unum, et medium parietem maceriæ solvit, inimicitias in carne sua lege mandatorum in decretis evacuans; ut duos conderet in uno novo homine faciens pacem, et reconciliaret utrosque in uno corpore Deo* (*Ephes.* II, 14-16). Quis est uterque, nisi unus interior, alter exterior? Alter animæ spectat vigorem, alterum refert ad corporis sensum; [d] quamquam in se separabilis affectus conspiratione concordent, cum caro subjecta meliori, salutaribus obedit imperiis: non quod in naturam animæ subtilitate materiæ transfusa demigret, sed quia deliciis abdicatis, ab omni defæcata labe vitiorum, cœlestis conversationis tramitem obedientiæ affectione gradiatur: jam non ut antea legi mentis repugnans, sed per legem mentis et spiritum vitæ liberata a lege peccati; ut animæ caro fiat appendix,

[a] Vet. edit. ac pauci mss., *in eodem*. Mendose. Rom., *enodandam*. Melius. Optime vero mss. plerique, *enodem*, id est, facilem atque expeditam.

[b] Amerb., *tertia impenetrabilis*. Aliæ edit., *irritabilis*. Ms. unus, *impassibilis*, alius, *impatibilis*, et hic forte non male. Reliqui tamen magno consensu, *impetibilis*, hoc est, quæ impetit, sive impetu fertur in obstantia.

[c] Rom. edit., *in societatis concordiam coaluerunt*.

[d] Omnes edit. cum parte mss., *quamquam inseparabilis*. Magis scite alii, ut in textu; nisi quod unus habet, *quamquam in se parilis;* alter *in se parit*. Utrumque male.

Digitized by Google

non jam lena vitiorum, sed æmula quædam et quasi pedissequa virtutis.

**1445** 142. Et rursus quando anima corporis non connivet illecebris, nec carnalium voluptatum delectatione vincitur, sed mens pura mundique hujus exuta famulatu, sensus corporis in suas illicit et attrahit voluptates; ut audiendi legendique usu incrementa virtutis epuletur, atque [a] interioris succi spiritualibus nescitura famem satietur alimentis. Etenim (*Cf. Aug. lib.* II *cont. Jul. Pelag., c.* 5) oratio cibus mentis est, præclaraque alimonia suavitatis, quæ membra non oneret, neque se in naturæ pudenda, sed in ornamenta convertat; cum libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diversoriumque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum. Quod utique tunc facit cum caro in naturam regressa, vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ conjugatur arbitrio: qualis fuit cum inhabitanda paradisi secreta suscepit, antequam veneno pestiferi serpentis infecta, sacrilegam famem sciret, divinorumque memoriam præceptorum animæ sensibus inhærentem, edacitatis studio præteriret.

143. Hinc peccatum manasse proditur, tamquam corpore animaque genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima male sana compatitur. Quæ si appetentiam corporis refrenasset, in ipso ortu exstincta esset origo peccati, quam velut virili infusam corporis motu, [b] madefacta anima etiam sui vigore corrupto, alienis gravis operibus parturivit. Etenim ille violentior et fortior sexus quodam valido impetu velut virilis fertur affectus: hæc molliorem quam vehementiorem studet tenere rationem. Ex his itaque diversarum cupiditatum motus adolevit.

144. Sed ubi in se anima redit, deformis partus pudore conventa, degeneres abjurat hæredes, abdicans motus, exosa peccatum. Caro quoque gravium laborum defenerata sorte, et usura injuriæ miserabilis fatigata, ubi se cupiditatibus suis quas sibi ipsa generavit, tamquam sentibus mundi doluit esse confixam, veterem hominem festinat exuere; ut se sibi auferat, [c] ne improvidam parentem successio peritura destituat. Rursus cupiditatum irrationabilis motus, quasi cujusdam formæ decore fucato, voluptatis lenociniis illectans, eam sibi tamquam in usum societatis adscivit: ita velut quædam corporis atque animæ nurus voluptas motui pravæ cupiditatis innubit.

145. Ergo quamdiu mansit in una domo, conspirantibus vitiis, individua inseparabilisque consensio, nulla videbatur esse divisio. Ubi vero Christus ignem

A quo [d] delicta carnis exureret, vel gladium qui significat exertæ aciem potestatis, quo spiritus medullarumque secreta penetrantur, misit in terras; tunc caro atque anima regenerationis innovata mysteriis, oblita quod erat, incipit esse quod non erat: ac sic veteris vitii, quamvis sibi ante dilecti, societatem secernit, et quasi prodigæ copulam posteritatis eliminat; ut dividantur parentes in filios, dum intemperans motus temperantia corporis abdicatur, et anima **1446** declinat consortium culpæ, nec extrariæ illi et foris sumptæ locus remanet voluptati.

146. Filii quoque in parentes dividuntur, dum renovati hominis censuram senilem vitia vetusta declinant, pietatisque normam voluptas adolescentior, tamquam seriæ domus refugit disciplinam. Non B incongruum quoque est si putemus quod et isti ideo se dividant, ut meliores fiant parentibus; maxime cum in posterioribus dixerit: *Si quis venit ad me, et non odit patrem aut matrem, aut filios, et fratres, et sorores, etiam et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). Et ideo secundum simplicem intelligendi formam, gentilibus parentibus qui Christum sequitur illius antefertur; religio enim præstat pietatis officiis.

147. Illud quoque secundum altiorem interpretationem, quia de carne peccatum nascitur, et velut in utero carnis operatur, de quo ait Apostolus: *Si autem quod nolo hoc ago, jam non ego illud operor: sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 20). Cum pro vita C mundi hujus effusus Domini sanguis aboleverit vitia, in gratiam ex offensione convertitur: *Superabundavit enim peccatum, ut superabundaret gratia* (*Rom.* V, 20); fitque ut ex peccato orta pœnitentia ad conversionem propositi, et ad cupiditatem gratiæ spiritalis impellat. Itaque quod erat mihi ad mortem, hoc erit in salutem. Ergo peccatum irriguo fontis ablutum, ab ea unde generatum est carne secernitur: et dum unusquisque cupit redimere delictum, fit ex serie culpæ studium disciplinæ.

148. Concupiscentia quoque rerum malarum, et quidam motus fervidior cupiditatis Dei verbo in appetitum transfunditur divinæ charitatis et amoris, atque in eadem natura fit varia disciplina, multoque meliorem quam antea voluptatem sibi mysteriorum D cœlestium ille corporis atque animæ appetitus acquirit. Alitur enim animus cognitione rerum, et comperta futurorum repromissione sublimior, animæ opera vetusta fastidit: *Animalis enim homo non percipit quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim illi est* (I *Cor.* II, 14): spiritalis autem dijudicat omnia; ipse autem a nemine dijudicatur.

[a] Nonnulli mss., *interioribus sulcis*. Alii etiam pauci, *interioris succis*, verum tunc pro *alimentis*, legendum esset, *alimenti*. Rursus ubi omnes edit. cum mss. aliquot, nec non Aug. Lovan. edit. præferunt, *etenim ratio*, plures potioresque mss. legunt, *etenim oratio*. Ubi vero edit. Amerb., Rom., Aug. loco cit. et maxima pars mss nobiscum habent, *diversoriumque vitiorum*, Era. et Gill. cum aliquot mss. maluerunt, *diversorumque vitiorum*: quod si cui placeat subaudiendum erit, *volutabrum* supra expressum.

[b] Omnes edit. ac pauci mss., *male fœta anima. . . . Etenim ille valentior*. Mss. autem magno numero, ut in textu.

[c] Mss. aliquot, *ne invidia* (quidam, *invida* et *improvida*) *parentem* (duo, *parentum*) *successio peritura destituat*; duo, *destruat*; totidem, *destruatur*. Commodius alii, et edit. ut nos in corpore.

[d] Ita mss. aliquot melioris notæ. Cæteri ac edit., *delicta cordis*.



Digitized by Google

(Vers. 58, 59.) *Dum vadis cum adversario tuo ad magistratum, in via da operam liberari ab illo; ne forte condemnet te apud judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde donec etiam novissimum quadrantem reddas.*

149. Hoc etiam Matthæus posuit (*Matth.* v, 25): sed ille specialiter, iste generaliter: ille enim de reconcilianda pace dissidentium fratrum dictum putavit: hic de pœnitentia, et omnis emendatione delicti. Discutiamus igitur qui sit adversarius, qui magistratus, qui judex, quive exactor, quemve putemus esse quadrantem, quem nisi quis exsolverit, mittatur in carcerem.

150. Et juxta Matthæum quidem adversarius est, eum quo minime tibi in hac vita convenisse videatur, qui apud judicem futurum vivorum **1447** atque mortuorum manentis simultatis te crimine persequatur: juxta Lucam autem est adversarius noster ille præcipue, qui serit illecebras delictorum; ut habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes: atque ideo socios quærit ad culpam; ut obnoxios prodat ad pœnam. Quem nobis cavendum Petrus apostolus monet dicens: *Adversarius vester diabolus tamquam leo rapiens et rugiens quærit quem devoret* (I *Petr.* v, 8).

151. Est et adversarius noster juxta Matthæum omnis virtutis usus, et apostolicus et propheticus sermo, qui nos ad asperiora præcepta, et durioris vitæ documenta constringit: cui consentire nos convenit, ut eum operibus æmulemur; ne aliqua nostri contumacia ab eo descivisse prodamur. Juxta Lucam autem nemo nobis magis adversarius quam noster est lapsus, qui nos vitæ nostræ accusat indiciis: non quod accusationis ullius judex futurus quærat officium, sed quod apud omnium cognitorem noster nos actus accusat, dum ab usu virtutis, apostolicisque præceptis invenitur alienus.

152. Itaque adversarius nobis omnis vitiorum usus, adversaria nobis libido, adversaria avaritia, adversaria omnis improbitas, adversaria omnis iniqua cogitatio: denique mala est conscientia, quæ nos et hic afficit, et in futurum accusabit et prodet, sicut testatur Apostolus dicens: *Testimonium reddente illis conscientia illorum, et invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus* (*Rom.* II, 15). Quod si conscientia unumquemque prodit, quanto magis gestorum nostrorum opus ante Deum præsto est, quod expressum in nostro corpore ultimo tempore recensebitur, et secretum cogitationis scriptum in cordibus nostris legetur! Demus igitur operam, ut dum in hoc sumus vitæ curriculo constituti, tamquam a malo adversario, ita ab improbo liberemur actu; ne dum imus cum adversario ad magistratum, in via nostrum condemnet errorem.

153. Ideo et Matthæus ait: *Esto consentiens adversario tuo dum es cum illo in via* (*Matth.* v, 25): εὐνοέων autem Græcus dixit, hoc est benevolens; si enim dum sumus in hac vita, exsolvamus nos a vinculis diaboli, nec ille propter nos damnabitur, et nos a vinculis ejus erimus alieni. Unde et pro Assyrio psalmus inscribitur septuagesimus quintus. Bene ergo consulis adversario, et pro illo Assyrio, hoc est vano, bene facis, si ejus laqueis exutus præstes hanc benevolentiam; ut et pœnam tui lapsus et mortis evadat. Quod si vinculis ejus inhæreas, tradet te tamquam reum magistratui, idem accusator et proditor.

154. Quis est magistratus, nisi penes quem omnis potestas est, et qui pleni et perfecti temporis sublimem sibi vindicat dignitatem? Ad quem bonorum operum fretus conscientia, non timens adversarium sanctus Propheta festinat dicens: *Sitivit anima mea ad Dominum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3)? Hic enim magistratus tradet reum judici, ei scilicet cui vivorum et mortuorum tribuit potestatem: et tribuit per naturam, non per gratiam; non enim **1448** quam non habebat accepit, sed quam ex substantia Patris cum generaretur, assumpsit. Hunc magistratum tibi et judicem monstrat, qui monstravit accusatorem, et ostendit quando sit revelandus: *In die*, inquit, *qua judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* II, 16). Hic igitur est judex Jesus Christus, per quem occulta redarguuntur, [a] et improbi operis pœna mandatur.

155. Vis scire Christum esse judicem qui exactori tradit, et in carcerem mittit? Ipsum interroga, immo ipsum lege in Evangelio dicentem: *Tollite et mittite illum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). Exactores quoque suos ipse monstravit alio loco ubi dicit: *Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XIII, 49 *et* 50).

156. Superest nunc ut intelligamus quid sibi velit figura quadrantis. Et videtur usualis rei expressum nomine intellectus spiritualis arcanum. Nam sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fenoris nomen, quam totius sortis [b] ad nummum usque quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur: sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur.

157. Non otiosum etiam, quia non æra (sicut alibi, *Luc.* XXI, 2) duo, non assem (*Matth.* X, 29), non denarium (*Matth.* XX, 2), sed quadrantem hoc

[a] Mss. nonnulli, *et in opprobrium operis pœna mandatur*.

[b] Rom. edit. sola, *ad minimum usque*. Porro quod infra de quadrantaria permutatione subjicitur, etsi nonnihil obscuritatis præ se ferat, nihil tamen aliud significat, nisi commutationem quamdam videri, dum qui pecuniam solvit, libertatem a carcere et vinculis aliisve pœnis quibus obnoxius erat, accipit. At significatione non nihil diversa Cic. Orat. pro M. Cœlio, *quadrantariam permutationem* vocat eam qua Clodia, accepto quadrante, corporis sui copiam balneatori faciebat.

Digitized by Google

posuit loco; quadrantaria enim permutatio velut A quædam est compensatio, cum aliud redditur, et aliud significatur solutum: ita et hic aut pretio charitatis redimitur injuria, aut injuriæ æstimatione pœna laxatur.

158. Quadrantem autem in balneis dari solere reminiscimur, cujus oblatione ut illic unusquisque lavandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi; quia uniuscujusque peccatum supra scriptæ genere conditionis eluitur; cum tamdiu exercetur noxius pœnis, ut commissi supplicia erroris expendat.

159. (Cap. XIII.—Vers. 1.) De Galilæis autem illis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, figura quædam videtur eos tangens, qui coactu diabolico, non pure offerunt sacrificium: quorum oratio in peccatum, sicut de Juda scriptum est B (*Psal.* CVIII, 7) proditore, qui proditionem sanguinis Dominici inter sacrificia positus cogitabat.

(Vers. 6.) *Arborem fici quidam habuit plantatam in vinea sua.*

160. Quid sibi vult quod in Evangelio suo Dominus fici parabolam frequenter inducit (*Matth.* XXI, 19, *et Marc.* XI, 13)? Habes enim alibi, quod jussu Domini, viriditas omnis hujus ligni frondentis aruerit: unde intelligis omnium creatorem, qui potest imperare naturis, ut vel arescant subito, vel virescant. Alibi ex teneritudine arboris hujus et foliis commemorat conjici solere æstatis adventum (*Matth.* XXIV, 32), utroque significans et Judaicæ plebis inanem quam prætendebat gloriam, velut florem in adventu Domini decidisse; quia operibus infructuosa durabat: C **1449** et judicii diem velut æstatis adventum, quo adulti fructus terrarum omnium reconduntur, ex plenitudine Ecclesiæ, in quam Judæi quoque credituri sunt, [a] metiendum.

161. Hic ergo altioris sensus aliquod etiam quæramus arcanum (*Esai.* V, 5). [b] Ficus in vinea est: erat autem vinea Domini Sabaoth, quam dedit in rapinam gentium. Itaque qui vineam suam diripi fecit, hic etiam ficum jussit excidi. Apta autem synagogæ arboris istius comparatio est; quia sicut ista arbor foliis redundans fluentibus spem possessoris sui cassa speratorum proventuum exspectatione destituit: ita etiam in Synagoga dum doctores ejus operibus infecundis, verbis tantum velut foliis redundantibus gloriantur, inanis umbra Legis exuberat, spes autem D falsi exspectata proventus, populi vota credentis illudit.

162. Est etiam in natura arboris, quo magis credas Synagogæ speciem comparatione hujus expressam; etenim si diligenter inquiras, discretam ab usu arborum cæterarum consuetudinem naturæ hujus invenies. Namque aliæ florem ferunt, antequam fructum, pomaque ventura prænuntio sui flore designant; hæc sola ab initio germinat poma pro floribus: in aliis flos decutitur, et poma nascuntur; in hac poma decidunt, ut poma succedant. Ergo priora illa [c] cassa fructuum, vice floris emergunt: ita præcoqua quodam nascendi usu, quæ ordinem naturæ nesciunt, beneficium naturæ servare non possunt. Etenim qua se medio trudere de cortice gemma consuevit, ea minutissima quæque hujus generis poma prorumpunt. De quibus legimus in Canticis canticorum: *Ficus produxit grossos suos* (*Cant.* II, 13). Itaque cæteris albentibus primo vere virgultis, sola ficus proprio nescit flore canescere; ideo fortasse quod nullus istis maturior sit usus in pomis. Nam succedentibus aliis, hæc quasi degenerantia respuuntur, et arenti infirma radice, renovatis quibus sit succus utilior, [d] exuruntur. Manent tamen aliqua perrara, nec decidunt, quibus hic proventus arriserit; ut de medio duarum virgarum claviculo brevi erumpente promergant, quo geminis tecta præsidiis tamquam naturæ parentis gremio, succi fotu plenioris inolescant. Ea clementioris auræ provocata temperie, et prolixioribus adultiora temporibus, ubi silvestrem animum succi prioris exuerint, specie cæteris et maturitatis gratia præferuntur.

163. Specta nunc cultus et animos Judæorum, qui quasi primi fructus male feracis Synagogæ, grossi labentis similitudine corruerunt; [e] ut mansura supra ævum nostri generis poma succederent. Etenim primus Synagogæ populus quasi radice operum infirmus arentium, ubertatem sapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus; ut quasi ex iisdem claviculis arboris fructuosæ de pinguedine religionis antiquæ novus Ecclesiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat, esse desiit; ut esse inciperet qui non erat. Primi tamen ex Israel quos naturæ validioris ramus extulerat, sub umbra Legis et crucis, in utriusque sinu succo gemino colorati, **1450** grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur: *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28).

164. Nec illud alienum quod Adam atque Eva, primi illi nostri ut generis ita erroris parentes, qui hujus arboris texere se foliis (*Gen.* III, 7), paradisi exsules esse meruerunt: cum Domini deambulantis præsentiam transgressionis suæ conscii declinarent; ut significarent futurum quod ultimis temporibus populus Judæorum sub Domini Salvatoris adventu, qui eos vocaturus advenit, exutum se virtutibus per diaboli tentamenta cognoscens, et intecta conscientiæ probra formidans, a religione devius, prævaricatione confusus, esset a Domino recessurus, verborum fluentium velut foliorum velaminibus adopertus pudenda gestorum.

[a] Scripti cod. bene multi, *metuendum*. Haud ita male.

[b] Sic omnes edit. cum parte mss. Attamen octo cod. non infimæ notæ præferunt: *Ficus inventa est.*

[c] Quidam mss., *excussa fructuum vice floris*, etc.

[d] Mss. multi bonique, *exuuntur*. Minime male.

[e] Ita cunctæ edit. ac mss. non pauci. Alii tamen plures et potiores, *ut mansura supra eum*. Non incommode; si relativum ad vocem, *grossi*, referas.

Digitized by Google

165. Ergo illi qui folia de ficulnea, non poma carpserunt, eliminati sunt a Dei regno; erant enim in animam viventem. Venit secundus Adam, et jam non folia, sed poma quærebat; erat enim in spiritum vivificantem. In spiritu autem fructus virtutis acquiritur, Dominus adoratur (I *Cor.* xv, 45). Quærebat autem Dominus non quia fructum ficulneæ deesse nesciret, sed ut ostenderet in figura, quia fructum Synagoga jam habere deberet. Denique ex sequentibus docet non se ante tempus venisse, qui per triennium venit; sic enim habes:

(Vers. 7.) *Ecce anni tres sunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio. Succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?*

166. Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in Lege, venit in corpore. Adventum ejus ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est: circumcisio purificavit, sanctificavit Lex, justificavit gratia. Unus in omnibus, et in uno omnia. Nemo enim mundari potest, nisi qui metuit Dominum: nemo Legem meretur accipere, nisi purificatus a culpa: nemo accedit ad gratiam, nisi noverit Legem. Ergo populus Judæorum neque purificari potuit; quia circumcisionem non animi, sed corporis habuit, neque sanctificari; quia virtutem Legis ignoravit, qui carnalia magis quam spiritalia sequebatur (*Lex autem* (*Rom.* vii, 14) *spiritalis est*), neque justificari; quia delictorum suorum pœnitentiam non gerebat, et ideo gratiam nesciebat.

167. Merito ergo nullus in Synagoga fructus inventus est: et ideo jubetur excidi. Sed bonus cultor, et fortasse ille in quo Ecclesiæ fundamentum est, præsciens alterum ad gentes, se autem ad eos qui ex circumcisione sunt, esse mittendum; religiose ne excidatur intervenit, fretus vocatione sua etiam populum Judæorum [a] per Ecclesiam posse salvari. Ideoque dicit:

(Vers. 8.) *Remitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam cophinum stercoris.*

168. Quam cito duritiam Judæorum superbiamque **1451** causas esse sterilitatis agnovit! Itaque novit excolere, qui novit vitia deprehendere. Pollicetur dura cordis eorum apostolicis ligonibus esse fodienda; ut longo incultu situm mentis obductum sermo bis acutus invertat, et corde proscisso, excitet sensum aerio spiramine jam vigentem; ne radicem sapientiæ terrarum acervus obruat et abscondat. Cophinum quoque stercoris dicit esse mittendum. Magna profecto vis stercoris, quæ tanta est, ut de infecundis fecunda, de arentibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Job cum tentaretur, et vinci nequivit (*Job.* ii, 8). Et Paulus æstimat ut stercora, ut Christum lucrifaciat (*Philip.* iii, 8). Denique cum ante Job plurima perdidisset, posteaquam sedit in stercore, non habuit quod ei diabolus posset auferre. Bona ergo terra quæ foditur, bonum stercus quod mittitur. Denique *Dominus de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem* (*Psal.* cxii, 7).

169. Itaque per intellectus exercitium spiritualis et humilitatis affectum etiam Judæos in Evangelium Christi cultor ille bonus fore æstimat fructuosos. Meminerat enim quia per Aggæum Dominus locutus est, quoniam quarto et vicesimo noni mensis, a die quo fundatum est templum Domini omnipotentis, vineam, inquit, et ficus, et malogranata, et ligna olivæ, quæ non afferent fructum, ex hac die benedicam (*Agg.* ii, 20): quo revelatur sub ipsum anni vergentis occasum, hoc est, sæculi jam senescentis occiduo, sanctum Dei templum, quod est Ecclesia, esse condendum, cujus gratia per sanctificationem lavacri Judæorum nationumque populi fructum suorum possint habere meritorum.

170. Ergo per naturam arboris, Synagogæ species indicatur, secundis proventibus fructuosa; nos enim ex patrum semine. Meritoque Judæi grossis labentibus comparantur, quod incrassato corde, et prædura cervice ad perennitatem sui pervenire non possunt. Qui si moriantur, et quasi decidant huic mundo, ut in interiorem hominem per lavacri gratiam renascantur, erunt utique fructuosi. Perfidia autem hominum pertinacium Synagogam inutilem fecit; et ideo quasi sterilis jubetur excidi.

171. Quod de Judæis dictum, omnibus cavendum arbitror, et nobis maxime; ne fecundum Ecclesiæ locum vacui meritis occupemus: qui quasi malogranata benedicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, fructus conjunctionis, fructus mutuæ charitatis et amoris, sub uno utero Ecclesiæ matris inclusi; ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æstus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.

172. Nonnulli tamen ficum istam per allegoriam non Synagogæ, sed malitiæ improbitatisque figuram putant; hi tamen in nullo distant, nisi quod pro specie genus eligunt. Id autem cavere se dicunt, quia Dominus dixit ad ficum: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* (*Matth.* xxi, 19); cum utique plurimos ex Judæis credidisse, et credituros esse noverimus. Sed qui credit, non Synagogæ jam fructus est, sed Ecclesiæ: nec ex Synagoga **1452** nascitur, qui renascitur in Ecclesia: *Sicut enim sunt qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; si enim ex nobis essent, nobiscum mansissent* (I *Joan.* ii, 19): sic de iis qui ex Judæis credunt, dicimus quia si ex Synagoga essent, in Synagoga manerent: sed propterea exierunt de Synagoga, ut ex Synagoga non fuisse credantur. Deinde pro malitia interveniret aliquis, et diceret excolendam ut fructum afferret; cum ideo venerit Dominus, ut semina improbitatis aboleret (I *Joan.* iii, 5).

(Vers. 10, 11.) *Erat autem docens in Synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata.*

[a] Rom. edit., *in Ecclesia posse salvari.*

Digitized by Google

173. Quam cito quod de Synagoga diceret indicavit (*Matth.* xv, 23)! Ad ipsam utique arborem venisse se monstrat, qui in eadem prædicabat. Denique in muliere infirma quasi Ecclesiæ figura succedit, quæ cum mensuram Legis et resurrectionis impleverit, in illa quiete perpetua in sublime erecta fastigium, inclinationem nostræ infirmitatis sentire non poterit. Nec aliter curari potuisset hæc mulier, nisi quia Legem implevit et gratiam : Legem in præceptis, in lavacro gratiam, per quam mortui sæculo resurgimus Christo; nam in decem verbis, Legis perfectio est : in octavo numero, resurrectionis est plenitudo. Opus ergo sabbati signum futuri est, quod unusquisque Lege perfunctus et gratia, per misericordiam Christi corporeæ fragilitatis molestiis exuetur. Et ideo in signo ante per Moysen præmissa est sanctificatio (*Exod.* xix, 10); ut esset exercitium futuræ sanctificationis, et observantiæ spiritualis, a sæcularibus operibus abstinendo. Denique et Deus [a] ab operibus mundi quievit (*Gen.* II, 2), sed non ab operibus, cujus sempiterna et jugis operatio est; sicut Filius ait : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17); ut ad similitudinem Dei sæcularia nostra opera, non religiosa cessarent.

174. (Vers. 14.) Hoc autem non intelligens archisynagogus, prohibebat quemquam curari sabbato, cum sabbatum futurarum typus sit feriarum. Et ideo non operis boni, sed mali feriæ sunt; eoque præscriptum sit ut nullam ferentes sarcinam delictorum, nec honorum jejuni operum sabbata post mortem futura celebremus. Unde Dominus spiritaliter videtur respondere, cum dicit :

(Vers. 15.) *Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum, et ducit adaquare?*

175. Cur non aliud animal indicavit, nisi ut ostenderet, adversantibus licet Synagogæ principibus, futurum tamen ut Judaicus et gentilis populus sitim corporis, æstusque mundi istius Dominici fontis ubertate deponat? *Agnovit enim bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui* (*Esai.* I, 3). Itaque ille populus qui antea feni vilis quod priusquam evellatur arescit, alimonia pascebatur, panem illum qui e cœlo descendit accepit. Et ideo per vocationem duorum populorum Ecclesiam dicit salvam futuram, quæ tempore Legis impleto, et Dominicæ resurrectionis ætate, tempus suæ absolutionis acceperat. Quam clemens ergo **1453** Dominus, quam pius in utroque, cum aut miseretur, aut vindicat! In Synagogæ

A typo arborem excidi jubet, in typo Ecclesiæ feminam salvat. Quam dulcis parabola! facilis autem solutio. Vinculum vinculo comparat; [b] ut insimulatione Judæorum actus ipsorum redarguatur. Nam cum ipsi animalibus sabbato solvant vincula, reprehendunt Dominum, qui homines a peccatorum vinculis liberavit.

(Vers. 18, 19.) *Cui simile est regnum Dei, et cui simile illud æstimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit : et facta est arbor, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.*

176. Docet nos præsens lectio naturam comparationum spectandam esse, non speciem. Itaque videamus cur sublime regnum cœlorum grano sinapis comparetur : nam memini etiam alio loco granum

B sinapis lectum, ubi fidei confertur, dicente Domino : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti : Tollere, et jactare in mare* (*Matth.* xvii, 19 *et* 21). Nec exigua hæc, sed magna est fides, quæ monti possit ut se transferat, imperare; neque enim mediocrem fidem Dominus exigit ab apostolis, quibus adversus altitudinem extollentem se nequitiæ spiritalis scit esse certandum. Vis scire magnam fidem requiri? Lege in Apostolo : *Et si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam* (I *Cor.* xiii, 2).

177. Ergo si regnum cœlorum sicut granum sinapis, et fides sicut granum sinapis : fides utique regnum cœlorum est, et regnum cœlorum est fides. Itaque qui fidem habet, habet regnum cœlorum. Et regnum Dei intra nos, et fides intra nos est; legi-

C mus enim : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* xvii, 21). Et alibi : *Habete fidem in vobis ipsis* (*Matth.* xvi, 19). Denique sanctus Petrus qui omnem habuit fidem, regni cœlorum claves ut et aliis reseraret, accepit.

178. Nunc ex natura sinapis, quæ virtus comparationis sit æstimemus. Granum ejus certe res est vilis et simplex : si teri cœperit, vim suam fundit. Etiam fides primo simplex videtur : sed si teratur adversis, gratiam suæ virtutis effundit; ut alios quoque qui vel audiunt, vel legunt, odore sui compleat. Granum sinapis martyres nostri sunt Felix, Nabor, et Victor [c] : habebant odorem fidei, sed latebat. Venit persecutio, arma posuerunt, colla flexerunt, contriti gladio per totius terminos mundi gratiam sui sparsere martyrii, ut jure dicatur : *In omnem terram exivit sonus eo-*

D *rum* (*Psal.* xviii, 5).

179. Sed alias teritur fides, alias premitur, alias seminatur. Ipse Dominus granum est sinapis. Erat integer ab injuria : sed eum velut granum sinapis

[a] Rom. edit. sola, *ab operibus mundi quievit, sed non ab operibus sanctis.* Nonnulli mss., *non ex operibus mundi quievit : sed ab operibus mundi quievit.* Alii magno numero cum ant. edit. ut in textu. Et sane ea vera lectio est : nihil enim aliud vult Ambrosius, quam Deum quidem ab operibus mundi quievisse, non vero simpliciter ab omnibus operibus, cum ejus æterna sit operatio.

[b] Omnes edit. ac mss. aliquot, *ut insimulatio Judæorum actu*, etc. Sed alii plures et probatiores nobiscum faciunt, excepto quod in quibusdam legitur per divisionem, *in simulatione.*

[c] Ita mss. fere ad unum. Omnes tamen edit. subjungunt, *Gervasius, et Protasius, et Nazarius.* Quarum edit. si standum esset auctoritati, nostra de hujus operis ævo sententia invicte contra Baronii illud anno 376 tribuentis opinionem astrueretur; nam eo anno ne nomina quidem horum sanctorum cognita erant. Verum ingens suspicio est horum trium nomina tribus prioribus a quopiam eapropter in ms. aliquo recentioris ævi addita esse, quod Mediolani, qua in urbe illi omnes passi sunt, præcipuo in honore haberentur, et reperiantur in Ambrosii scriptis celebrati.

Digitized by Google

qui non attriverat populus, nesciebat. Teri maluit, A ut diceremus : *Christi enim bonus odor sumus Deo* (II Cor. II, 15). Comprimi maluit; unde et Petrus dixit : *Comprimunt te turbæ* (Luc. VIII, 45). Seminari maluit velut granum quod acceptum homo misit in hortum suum; in horto enim Christus et captus et sepultus : in horto crevit, ubi etiam resurrexit, et factus est arbor, sicut scriptum est : *Sicut arbor mali* **1454** *inter ligna silvæ : ita frater meus inter medium filiorum* (Cant. II, 3).

180. Ergo et tu semina in horto tuo Christum. Hortus utique locus plenus est florum et fructuum diversorum, in quo gratia tui operis effloreat, et multiplex odor variæ virtutis exhalet. Ibi ergo sit Christus, ubi fructus est. Semina Dominum Jesum. Granum est cum comprehenditur, arbor est cum resurgit, ar- B bor mundum obumbrans. Granum est cum sepelitur in terra, arbor est cum elevatur ad cœlum.

181. Preme etiam cum Christo, et semina fidem. Premitur fides, cum crucifixum credimus Christum. Pressit fidem Paulus, cum diceret : *Et ego veniens ad vos, fratres, veni non cum eminentia sermonis aut sapientiæ, prædicans vobis mysterium Dei; neque enim judicavi me scire quid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (I Cor. II, 1 *et* 2). Et quia docuit premere fidem, docuit et levare, dicens : *Nunc enim crucifixum jam non novimus Christum* (II Cor. V, 16). Seminamus autem fidem, cum ex Evangelio et apostolicis ac propheticis lectionibus credimus in Domini passionem. Seminamus ergo fidem, cum eam velut mollito et subacto solo Dominicæ carnis operimus; ut C quasi vapore et compressu sacri corporis fides se ipsa disseminet. Qui enim crediderit factum hominem Dei Filium, credit mortuum esse pro nobis, credit resurrexisse pro nobis, credit ascendisse pro nobis. Semino ergo fidem, cum sepulturam ejus intersero.

182. Vis scire granum Christum, et seminatum Christum? *Nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum afferet* (Joan. XII, 24). Ergo non erravimus, quia diximus quod ipse jam dixerat. Est autem et granum tritici; quia confirmat cor hominis : et granum sinapis; quia cor hominis accendit. Et licet ad omnia utrumque conveniat; videtur tamen granum tritici, cum de ejus resurrectione tractatur : panis enim Dei est, qui de cœlo descendit (Joan. D VI, 33); eo quod Verbum Dei, et resurrectionis exemplum mentes alat, spem acuat, firmet affectum : granum autem sinapis; eo quod amarior et acrior sermo sit de Domini passione : amarior ad flendum, acrior ad commovendum. Itaque cum audimus et legimus jejunasse Dominum (*Matth.* IV, 2), sitisse Dominum (*Joan.* IV, 7), lacrymasse Dominum (*Joan.* XI, 35), vapulasse Dominum, dicentem quoque eum sub tempore passionis : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41); velut succo amarioris sermonis increpiti, [a] dulciores justo voluptatum suavitates corporalium temperamus. Ergo qui seminat granum sinapis, seminat regnum cœlorum.

183. Ne despicias hoc granum sinapis : *Minimum quidem est omnibus seminibus, fit autem cum creverit, majus omnibus oleribus* (Matth. XIII, 32). Si granum sinapis Christus, quemadmodum Christus aut minimus est, aut crescit? Verum non per naturam, [b] sed per speciem rursus excrescit. Vis scire minimum? *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (Esai. LIII, 2). Disce maximum : *Speciosus forma præ* **1455** *filiis hominum* (Psal. XLIV, 3). Etenim ille qui non habebat speciem neque decorem, excellentior factus est angelis, ultra omnem gloriam prophetarum, quos infirmus Israel velut olera manducaverat; panem enim quo corda firmantur, alterum refutaverat, alterum non acceperat.

184. Semen autem Christus, quia semen Abrahæ: *Abrahæ enim dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, tamquam in multis, sed sicut in uno : Et semini tuo, quod est Christus* (Galat. III, 16). Nec solum semen est Christus, sed etiam minimum omnibus seminibus; quia non venit in regno, non in divitiis, non in istius mundi sapientia. Subito autem velut arbor sublimem suæ verticem potestatis effudit, ut dicamus : *Sub umbra ejus concupivi, et sedi* (Cant. II, 3). Et frequenter simul, ut arbitror, videbatur et arbor, et granum. Granum est cum dicitur: *Nonne hic est filius Joseph fabri* (Matth. XIII, 55)? Sed inter hæc verba crevit subito, testantibus Judæis, quia quasi latæ arboris ramos non poterant comprehendere, dicentes: *Unde huic ista sapientia* (*Ibid.*, 56).

185. Granum igitur est figura, arbor est sapientia : in cujus frondentibus ramis ille nycticorax in domicilio, ille passer singularis in ædificio (*Psal.* CI, 7 *et* 8), ille raptus in paradisum, in aerem rapiendus et nubes, tuta jam sede requiescat (II *Cor.* XII, 4, *et* I *Thess.* IV, 16). Requiescunt etiam potestates et angeli cœlorum, et quicumque spiritualibus factis evolare meruerunt. Requievit sanctus Joannes, cum recumberet super pectus Jesu; immo et ipse ejus arboris succo velut ramus extenditur. Ramus est Petrus, ramus est Paulus posteriora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens.

186. In quorum sinus, et quosdam disputationum recessus, qui eramus longe, nos scilicet ex nationibus congregati, quos diu [c] per inane mundi procella et turbo nequitiæ spiritalis agitabat, assumptis virtutum remigiis advolamus; ut nos umbra sanctorum ab istius mundi ardore defendat, certæ stationis jam securitate vernantes : eo quod anima nostra gravibus ante, sicut illa mulier, inclinata pec-

[a] Mss. aliquot, *dulciore musto voluptatum suavitatem*, etc.

[b] Vet. edit. vocibus, *sed per speciem*, addunt, *nostram* : Rom. *assumptam*. Sed neutrum agnoscunt mss.

[c] Edit. omnes et mss. nonnulli, *per mare mundi*. Alii frequentiores, *per inane mundi* : quod aptius cohæret cum sequentibus. Quidam tamen legunt, *per inanem mundi procellam turbo*, etc.

Digitized by Google

catis, ut passer erepta de laqueo venantium in ramos Domini montesque migravit. Itaque ante superfluis observationibus vani, et inani levitate volitantes, nunc jam per fidem Christi soluti manus, et liberi a vinculis sabbatorum, bonis operibus intendimus : et in ipsis epulis libertatem habemus, intemperantiam excludimus; ne liberi a Lege, cupiditatibus serviamus : Lex enim ligavit sibi, ut absolveret cupiditatibus. Gratia quæ minorem abstulit servitutem, multo graviora præcepit. *Omnia nobis licent, sed non omnia expediunt* (I *Cor.* x, 22); grave est enim potestate uti, ut sub potestatem recidas. Desiste esse sub Lege, ut virtute supra Legem sis.

(Vers. 21.) *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum.*

187. Hæc [a] de requirendis quæstionibus comparatio tantum ambiguitatis offundit, ut diversas **1456** habeat sententias plurimorum. Opportune itaque granum tritici supra diximus Christum, quia suberat nobis spiritale fermentum, eoque plerique fermentum Christum putant, quod virtutem attollat acceptam. Et quia fermentum ex farina, ut non specie generi suo præstat : Christus quoque ex patribus, æqualis corpore, sed divinitate incomparabilis præeminebat. Igitur sancta Ecclesia quæ typo mulieris istius Evangelicæ figuratur, cujus farina nos sumus, Dominum Jesum in interioribus nostræ mentis abscondat, donec animi nostri secreta penetralia calor sapientiæ cœlestis obducat.

188. Et quia in Matthæo legimus tribus mensuris absconditum esse fermentum (*Matth.* xvi, 33), congruere visum est ut Dei Filium crederemus absconditum in Lege, adopertum in Prophetis, Evangelicis prædicationibus adimpletum; ut perfectam fidem nobis acquirat ex omnibus, et scriptorum collatione formatus in nobis, qui sumus corpus ipsius, omnia et in omnibus impleatur; ipse enim erat Verbum Dei, atque mysterium quod absconditum est a sæculis et a generationibus : quo nihil potest ad expressionem perennitatis ejus attestatius dici (*Coloss.* I, 26). Erat enim profecto, ut absconditus sacrilegis, manifestatus in sanctis, prædestinatus ante sæcula, servaretur ad gloriam. Hæc est autem gloria, ut possimus, fratres, investigare mysterium absconditum a sæculis in Deo. Quod in Deo, utique et ex Deo; neque enim Deus alienæ capax potest esse naturæ.

189. Nec sum dubius animi, quod aliqui de hoc mundo dictum putent, donec fermentetur in Lege, Prophetis, Evangelio; ut Dominum omnis lingua fateatur. Itaque discutiamus omnia, et diligentius requiramus. Nemo invenit nisi qui ante quæsierit.

A Ædificemus turrim, computemus sumptus Scripturarum, conferamus impensas; ne quis etiam de nostrum aliquo dicat : *Hic voluit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* xiv, 30). Qui ædificat domum, bonum debet jacere fundamentum. Bonum fundamentum est fides, bonum fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20); duobus enim Testamentis fides nostra consurgit : nec injuriam facit qui parem dixerit in utroque perfectamque fidei esse mensuram, cum ipse dicat Dominus : *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi* (*Joan.* v, 46); quia et in Moyse Dominus est locutus. Bene ergo in utroque perfecta mensura quia perfectus in utroque: et fides utriusque una; quia unius est virtutis et sensus oraculum atque responsum.

190. Me tamen sequi juvat quod ipse Dominus B docuit fermentum Ecclesiæ spiritalem esse doctrinam; nam cum scriptum sit : *Cavete a fermento Pharisæorum* (*Matth.* xvi, 6); et cum Apostolus dixerit : *Non in fermento nequitiæ et malitiæ* (I *Cor.* v, 8), ostenditur quia doctrina fermentum est. Sed aliud est fermentum zizaniæ, aliud fermentum tritici. Unde et bonis auctoribus acquiescimus, ut dicamus quia Ecclesia renatum hominem qui est in corpore et anima et spiritu, fermento sanctificat spirituali. Sanctificatur enim [b] corpus atque anima, et ipsa **1457** gratia spiritalis accipit sanctificationis augmentum; cum per Ecclesiæ velut quoddam fermentantis officium, Scripturarumque doctrinam, quæ velut cœlestium collatione sermonum et ubertate concrescit, infusus toti homini atque permixtus usus C inoleverit, ut fiant unum etiam [c] ipsa fermentum. Quod utique tunc fit, cum sibi tria hæc pari quadam cupiditatum lance consentiunt, et æqualis aspirat [d] concordia voluptatum.

191. Hoc igitur Ecclesiæ opus non tumultuarium, nec fortuitum, sed diuturna meditatione collatum; ut hæc tria unum sint, integra a lege peccati. Cujus sententiæ assertorem habemus Apostolum dicentem : *Ipse autem Dominus sanctificet vos per omnia; ut integer spiritus, et anima, et corpus sine querela in die Domini nostri Jesu Christi servetur* (I *Thess.* v, 23). Quod per sæcularia quidem tentamenta non provenit, nisi fermentum illud cui comparatur regnum cœlorum, mulier illa Evangelica abscondat in farinæ mensuris tribus, donec fermentetur totum (*Matth.* D xiii, 33); tres enim mensuræ sunt, ut dixi, carnis, animæ, et spiritus, [e] sed spiritus quo vivimus omnes in hoc corpore siti : hoc verius quando carnis lascivia non redundat, et anima corporalibus non incurvatur erroribus, ac mensura vivendi in toto homine inoffensa servatur. Sed quia mensurarum æqualitas cum anima et corpore numeratur.

[a] Rom. edit. sola, *de requirendis comparationibus quæstio.*

[b] Omnes edit., *corpus atque anima per gratiam spiritalem, et accipit*, etc. E contrario omnes mss.,.... *et ipsa gratia spiritalis accipit*, etc. Melius; hic enim idem est, *gratia spiritalis* ac *ipse spiritus* : quemadmodum *virtutis gratia*, vel, *decus*, sæpe non aliud sonat, quam *ipsa virtus*. Alioquin hic omitteretur sanctificatio spiritus, qui supra ac deinceps semper

[c] Nonnulli mss., *ipsa per fermentum.*

[d] Edit., *concordia voluntatum.* Haud male; melius tamen mss. fere ad unum, *concordia voluptatum*, id est, cum corpus, anima, et spiritus iisdem rebus delectantur.

[e] *Sed spiritus.... hoc verius.* Ista in decem mss. non reperiuntur : quibus ablatis sensus nihil videtur passurus detrimenti.

Digitized by Google

sine adjumento Ecclesiæ atque doctrinæ difficile perseverat; idcirco mulier illa, quæ figuram Ecclesiæ gerit, tamdiu virtutem illis doctrinæ spiritalis admiscet, donec fermentetur totus ille interior homo cordis absconditus, et in gratiam panis cœlestis assurgat. Bene enim fermentum doctrina dicitur Christi, quia panis est Christus, et Apostolus ait : *Quia unus panis unum corpus multi sumus* (I *Cor.* x, 17).

192. Fit ergo unum fermentum, quando caro non concupiscit adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem : sed facta carnis mortificamus, et anima ex flatu Dei flatum vitæ sumpsisse se conscia, sæcularis necessitudinis contagia terrena declinat. Unde et Apostolus non in carne, sed in spiritu ambulare nos præcipit : ut sanctificati per lavacrum regenerationis, veterem hominem cum suis desideriis exuentes, induti novum, qui secundum Christum creatur, non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus gradiamur (*Coloss.* III, 9 *et* 10); quo possit nobis etiam resurrectionis tempore incorrupta corporis et animæ et spiritus manere communio : et tunc omnia quæ petimus, impetremus (*Rom.* VI, 4). Quod plerisque videtur etiam Dominus significasse, dum dicit : *Si duobus ex vobis convenerit, super terram, de omni re quamcumque petieritis, fiet vobis a Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 19).

193. Itaque alii duos, animam et corpus accipiunt : alii animam et spiritum ; ut si in terra, hoc est, in corpore sibi anima spiritusque consentiant, nec se impugnent invicem diversis cupiditatibus, omnia in effectum videantur orata posse deduci. Quod ita fit, cum fuerint utraque unum, si subtractis inimicitiis, vel solutis, duo condantur in unum novum hominem, id est, anima **1458** et spiritus : *Ut oremus spiritu, oremus et mente* (I *Cor.* XIV, 15). Licet plerique duos populos accipiant, ex Israele et ex gentibus in unum resurrectionis tempore congregandos; ut fiat in æternum mansura perfectio, et id quod ex parte est, destruatur. Plerique autem virum et uxorem consentientes sibi studio charitatis accipiunt.

194. Itaque si in hac vita tres mensuræ in eodem fermento manserint, donec fermententur, et fiant unum; ut æqualitatum nulla distantia sit, nec compositi ex trium diversitate videamur, erit in futurum diligentibus Christum incorrupta communio : nec compositi manebimus; nam et qui compositi nunc sumus, unum erimus, et in unam substantiam transformabimur. Neque enim in resurrectione aliud erit alio inferius, sicut nunc fragilis in nobis est carnis infirmitas, et corporalis habitudo naturæ vel vulneribus patet, vel injuriis subjacet, vel sui oneris mole depressa supra terras nequit extollere altius atque elevare vestigium : sed in simplicis creaturæ gratiam figurabimur, cum completum fuerit quod dictum est a Joanne : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum revelatum est quid erimus : sed scimus quia cum revelatum fuerit, similes ei erimus* (I *Joan.* III, 2). Itaque cum Dei natura sit simplex (spiritus enim Deus est), nos quoque in eamdem imaginem figurabimur (II *Cor.* III, 18) ; ut qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem illius terreni, portemus et imaginem hujus cœlestis (I *Cor.* XV, 48 *et* 49), quam animus noster debet induere.

195. (Cap. XIV. — Vers. 2-14.) Et ideo primo abhinc loco curatur hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans, animæ gravabat officia, spiritus exstinguebat ardorem. Deinde docetur humilitas, dum in illo convivio nuptiali [a] appetentia loci superioris arcetur; clementer tamen, ut persuasionis humanitas asperitatem coercitionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum, et correctio emendaret affectum. Huic quasi proximo limite humanitas copulatur, quæ ita Dominicæ sententiæ definitione distinguitur, si in pauperes et debiles conferatur ; nam hospitalem remuneraturis esse affectus avaritiæ est.

196. (Vers. 18-21.) Postremum quasi emeritæ militiæ viro contemnendarum stipendium præscribitur facultatum ; quod neque ille qui studiis intentus inferioribus possessiones sibi terrenas coemit, regnum cœli possit adipisci, cum Dominus dicat : *Vende omnia tua, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21); nec ille qui emit boves, cum Elisæus occiderit, et populo diviserit quos habebat (III *Reg.* XIX, 21) : et ille qui ducit uxorem, cogitet quæ mundi sunt, non quæ Dei. Non quo conjugium reprehendatur, sed quia ad majorem honorem vocetur integritas ; quoniam *Mulier innupta et vidua cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro* (I *Cor.* VII, 34).

197. Sed ut in gratiam, ut supra cum viduis, ita nunc etiam cum conjugibus revertamur, non refugimus opinionem, quam sequuntur plerique ut tria genera hominum a consortio magnæ illius **1459** cœnæ æstimemus excludi, gentilium, Judæorum, hæreticorum.

198. Et ideo Apostolus avaritiam dicit esse fugiendam, ne impediti more gentili, iniquitate, malitia, impudicitia, avaritia, ad regnum Christi pervenire nequeamus (*Rom.* I, 29). *Omnis enim immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (*Ephes.* V, 5).

199. Judæi autem corporali ministerio juga sibi Legis imponunt, et ideo secundum Prophetam : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II, 3) ; Christum enim recepimus, qui cervicibus nostris pietatis suæ jugum mite suspendit. Quinque autem juga sunt verborum decem, vel quinque libri veteris legis, de quibus in Evangelio videtur Samaritanæ dicere : *Quinque enim viros habuisti* (*Joan.* IV, 18).

200. At vero hæresis velut Eva femineo rigorem fi-

[a] Mss nonnulli, *de potentia loci superioris arcetur.* Paucis vero interjectis, ubi vet. edit. ac mss. *persuasionis humanitas*, Rom. invertendo reposuit, *persuasio humanitatis.* Denique ubi omnes edit. ac pauci mss. *proximo limine :* reliqui elegantius exhibent : *proximo limite.*

Digitized by Google

dei tentat affectu, et lubrica facilitate prolabens, lenocinia falsi decoris affectat, intemeratam negligens pulchritudinem veritatis. Ideo igitur excusant, quia nemini intercluditur regnum, nisi ei quem suæ professio vocis excluserit : Dominus autem omnes clementer invitat, sed nos aut desidia nostra, aut error avertit.

201. Ergo et ille qui villam emit, alienus a regno est; ementes enim atque vendentes [a] Noe, ut legisti, tempore diluvia obruerunt (*Luc.* xvii, 21), et ille qui jugum potius legis quam gratiæ munus elegit : et ille qui propter ducendam excusat uxorem; scriptum est enim: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem et uxorem, non potest meus discipulus esse* (*Luc.* xiv, 21). Etenim si propter te Dominus suæ renuntiat matri, dicens : *Quæ est mater mea, aut qui fratres mei* (*Matth.* xii, 48); [b] cur tu Domino tuo cupias anteferre? Sed neque ignorare naturam, neque servire naturæ Dominus jubet : sed ita indulgere naturæ, ut venereris auctorem, nec a Deo parentum amore desciscas.

202. (Vers. 21-23.) Itaque post divitum resupina fastidia contulit se ad gentes, jubet bonos et malos introire, ut bonos augeat, malorum affectum in meliora commutet; ut compleretur illud quod hodie lectum est : *Tunc lupi et agni simul pascentur* (*Esai.* lxv, 25). Invitat pauperes, debiles, cæcos : quo ostenditur nobis quod nullum debilitas corporis excludat a regno, rariusque delinquat cui illecebra desit peccandi : vel quod infirmitas peccatorum per misericordiam Domini remittatur; ut non ex operibus, sed ex fide redemptus a crimine sit, ut **1460** qui glorietur, in Domino glorietur.

203. Mittit itaque ad exitus viarum; prudentia enim in exitu canitur. Mittit ad plateas, quia misit ad peccatores; ut de latioribus viis ad angustam venirent, quæ ducit ad vitam. Mittit ad vias, et circa sepes, quod hi videlicet apti sint regno cœlorum, qui nullis præsentium cupiditatibus occupati ad futura festinant, in quodam bonæ voluntatis tramite constituti : et qui modo sepis quæ ab incultis culta secernat, et incursus arceat bestiarum, norint bona

A malaque distinguere, et adversus tentamenta nequitiæ spiritalis, fidei munimen obtendere. Denique Dominus, ut vineam suam ostenderet fuisse munitam, *Et sepem*, inquit, *circumdedi, et circumfodi eam* (*Matth.* xxi, 33). Et Apostolus medium parietem sepis dicit esse sublatum, qui continuationem munitionis irruperat (*Ephes.* ii, 14). Fides igitur et ratio quæritur, et quæritur in plateis, hoc est, in meatibus interioris affectus; quia scriptum est : *In plateis tuis diffundantur aquæ tuæ* (*Prov.* v, 16).

204. Nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, [c] fidem habeat et charitatem. Et ideo qui pacem et charitatem non detulerit ad Christi altaria, tolletur ligatis pedibus et manibus, *et mittetur in tenebras exte-*

B *riores. Illic erit fletus, et stridor dentium* (*Matth.* xxii, 13). Quæ sunt tenebræ exteriores? Numquid illic quoque carceres aliqui latumiæque subeundæ sunt? Minime. Sed quicumque extra promissa sunt cœlestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt; quia mandata Dei lumen sunt : et quicumque sine Christo est, in tenebris est; quia [d] lumen in tenebris est Christus.

205. Ergo neque est corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum [e] corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc ideo ponuntur, quia sicut ex multa cruditate et febres nascuntur et vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tam-

C quam cruditatem quamdam contrahat veterum et recentium delictorum, igne adurelur proprio, et suis vermibus consumetur. Unde et Esaias ait : *Ambulate in lumine ignis vestri, et flamma quam accendistis vobis* (*Esai.* l, 11). Ignis est quem generat mœstitia delictorum : vermis est, eo quod [f] irrationabilis animæ peccata mentem rei sensumque compungant, et quædam exedant viscera conscientiæ : quæ tamquam vermes **1461** ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris. Denique Dominus id per

[a] Ita cuncti mss. ac vet. edit. nisi quod hæ cum illorum nonnullis loco *obruerunt*, habent *sorbuerunt*. Edit. autem Rom., *Loth, ut legisti, tempore incendio perierunt*. Sed locum ab Ambrosio ex memoria citari manifestum est. Porro quidquid legitur a vocibus, *excusat uxorem*, usque ad numeri sequentis initium, in edit. Rom. contra aliarum ac mss. omnium fidem rejectum fuerat post verba, *improbitate deliquerit*, num. 26 posita.

[b] Paris. quædam edit., *cur te Domino tuo*. Inepte.

[c] Mss. non pauci, nec postremæ classis, *firmam* (aliqui, *fidam*) *habeat charitatem*.

[d] Plerique mss. atque edit. Era. et Gill. in margine, *lumen interius est Christus*.

[e] Coquæus in lib. xxi *de Civitate Dei*, cap. 9, scribit Ambrosium, tametsi has pœnas metaphorice videatur interpretari, non tamen negare *verum et proprium ignem, qui torqueat damnatos*. Contra vero Huetius Origen. lib. ii, quæst. 11, citato hoc Doctoris nostri loco, *Ignem*, inquit, *in conscientiæ facibus et flagellis itidem ut Origenes constituit Ambr.* Certe quidem apertiora sunt Ambrosiana verba, quam ut possint Coquæanam interpretationem admittere. Neque vero solus Ambrosius hac in re amplexus est

D Origenis opinionem. Idem quippe sentit Greg. Nyss. lib. *de Anima et resurr.* Item Joan. Damasc. lib. iv *de Orthod. fide* sub finem. Plures etiam fuisse qui starent ab hac sententia, testatur Hieron. lib. iii, *in Epist. ad Ephes.*, v, 6. Qui quidem licet acriter eidem sententiæ hic et alibi refragetur, alicubi tamen non videtur ipsam rejicere, ut puta lib. xviii *Comment. in Isai.* Aug. vero postquam dubie et anxie lib. *de Gen. ad lit.* cap. 32 et 33, *de Civit. Dei* lib. xx, cap. 9, 10, 16 et 26, locutus est, lib. demum xxii, cap. 10, ait : *Cur enim non dicamus quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi* : quibus satis ostendit se in eam sententiam quæ nunc in catholicis scholis obtinet, propendere. Sed nec ab illa alienus est ipsemet Ambrosius in psalm. cxviii variis locis, maxime ubi de illo igne tractat, quo etiam justos ac sanctos urendos tradit. Nihil autem est quod opposita eum proponere quis miretur, utpote in controversia cujus utraque pars magnorum ac sanctorum virorum auctoritate innitatur, neutra vero ab Ecclesia repudiata sit : quemadmodum cum Bellarm. lib. ii *de Purgat.*, cap. 11, fatentur theologi.

[f] Edit. vet. ac mss. non pauci, *irrationabilia ani-*

Digitized by Google

Esaiam declaravit dicens : *Et videbunt membra hominum prævaricantium in me : et vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Esai.* LXVI, 24). A

206. Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum; eo quod sero unumquemque pœniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci improbitate deliquerit.

(Cap. XV.—Vers. 4.) *Quis ex vobis*, inquit, *homo qui habet centum oves, et si erraverit una ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et ibit ad illam quæ erravit ?*

207. Didiceras in superioribus ablegare negligentiam, vitare arrogantiam, devotionem sumere, sæcularibus occupationibus non teneri, caduca non præferre perpetuis : sed quia fragilitas humana firmum nequit in tanto sæculi lubrico tenere B vestigium, etiam adversus errorem remedia tibi bonus medicus demonstravit, spem veniæ judex misericors non negavit. Itaque non otiose sanctus Lucas (*Vers.* 8 *et seq.*) ex ordine tres parabolas posuit : ovis quæ perierat, et inventa est : drachmæ quæ perierat, et inventa est : filii qui erat mortuus, et revixit; ut triplici remedio provocati, vulnera nostra curemus; spartum enim triplex non corrumpetur.

208. Qui sunt isti, pater, pastor, mulier? Nonne Deus Pater, Christus pastor, mulier Ecclesia? Christus te suo corpore vehit, qui tua in se peccata suscepit, quærit Ecclesia, recipit Pater. Quasi pastor revehit, quasi mater inquirit, quasi pater vestit. Prima misericordia, secunda suffragatio, tertia C reconciliatio. Singula singulis quadrant : redemptor subvenit, Ecclesia suffragatur, auctor reconciliatur. Eadem divini operis misericordia, sed diversa pro meritis nostris gratia. Ovis a pastore lassa revocatur : drachma quæ perierat, invenitur : ad Patrem filius suis vestigiis redit, et plena condemnati erroris regreditur pœnitentia. Unde bene scriptum est : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* XXXV, 8). Quæ sunt ista jumenta? Dixit propheta : *Semen Israel in semen hominum, et Juda in semen animalium* (*Jerem.* XXXI, 27). Itaque Israel quasi homo salvatur, quasi ovis Juda colligitur. Malo ergo filius esse, quam ovis; ovis enim a pastore repetitur, a Patre Filius honoratur.

209. Gaudeamus igitur, quoniam ovis illa quæ pe- D rierat in Adam, levatur in Christo. Humeri Christi, crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis cervice requievi. Ovis illa genere est una, non specie : *Omnes enim unum corpus sumus, sed multa membra* (I *Cor.* X, 17); et ideo scriptum est : *Vos autem corpus estis Christi, et membra ex membris ejus* (*Ibid.*, 15). *Venit itaque Filius hominis salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX, 10); omnes scilicet ; *Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22).

210. Dives igitur pastor cujus omnes nos centesima **1462** portio sumus. Habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. Qui quoniam sunt rationabiles, non immerito hominum redemptione lætantur. Quamquam hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat cœtibus angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo.

211. Non otiosum etiam quod mulier illa drachma lætatur inventa. Non mediocris hæc drachma est, in qua principis est figura. Et ideo imago regis, census Ecclesiæ est. Oves sumus, oremus ut super aquam refectionis nos collocare dignetur. Oves, inquam, sumus, petamus pascua : drachmæ sumus, habeamus pretium : filii sumus, festinemus ad Patrem.

212. [a] Nec vereamur quia acceptum spiritalis patrimonium dignitatis terrenis prodegimus voluptatibus, quod Pater in filios quem habebat, thesaurum contulit. Fidei census numquam exinanitur : licet totum dederit, totum habet; quia quod donavit, non amittit. Nec vereare, ne te non recipiat : *Non enim delectatur Deus perditione vivorum* (*Sap.* I, 13) : etiam occurrens venienti tibi cadet supra collum : *Dominus* enim *erigit allisos* (*Psal.* CXLV, 8). Osculum dabit quod est pignus pietatis et amoris. Stolam, annulum, calceamenta proferri jubebit. Tu adhuc injuriam metuis, [b] ille restituit dignitatem : tu supplicium vereris, ille osculum defert : tu convicium times, adornat ille convivium. Sed jam ipsam parabolam discutiamus.

(Vers. 11, 12.) *Homo quidam habuit duos filios, et dixit illi adolescentior : Da mihi portionem substantiæ.*

213. Vides quod divinum patrimonium petentibus datur. Nec putes culpam patris, quod adolescentiori dedit : nulla Dei regno infirma ætas, nec fides gravatur annis. Ipse certe se judicavit idoneum qui poposcit. Atque utinam non recessisset a patre, impedimentum nescisset ætatis : sed posteaquam domum patriam derelinquens peregre profectus est, [c] cœpit egere. Merito ergo prodegit patrimonium,

*mæ peccata.* Melius Corb. et alii aliquot, *irrationabilis animæ*, id est. partis inferioris, quam non semel animam simpliciter vocat Ambrosius, cum supra in homine tria agnoscit, *corpus, animam, et spiritum*. In quo Platonicos videtur imitatus; nam Photinus apud Numenium dictitat hominem συνιστάναι ἐκ τριῶν, σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ νοῦ.

[a] Ita mss. ac edit. omnes, excepta Rom. ; hæc enim totum locum invertit in hunc modum : *Nec vereamur quod Pater in Filium quem habebat, thesaurum contulit. Fidei enim sensus. . . . nec vereare quia acceptum spiritalis patrimonium dignitatis terrenis prodegerit voluptatibus, ne te non recipiat.*

[b] Mss. aliquot, *errantem ille restituet dignitati.*

[c] *Cœpit egere*, deest in omnibus mss. Sed cum in omnibus edit. habeatur, eoque dempto sensus quasi suspensus remaneat, ideo illud non putavimus loco movendum. Quibus tamen potiores hic videbuntur

Digitized by Google

qui recessit ab Ecclesia. Posteaquam domum, inquit, A patriam derelinquens,

(Vers. 13.) *Peregre profectus est in regionem longinquam.*

214. Quid enim longinquius quam a se recedere; nec regionibus, sed moribus separari: studiis discretum esse, non terris; et quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, [a] divortia habere factorum? Etenim qui se a Christo separat, exsul est patriæ, civis est mundi. *Sed nos non sumus advenæ atque peregrini, sed cives sumus sanctorum, et domestici Dei* (*Ephes.* II, 19); qui enim eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi (*Ibid.*, 13). Non invideamus de longinqua regione remeantibus; quia et nos fuimus in regione longinqua, sicut Esaias docet dicens:
1463 *Qui sedebant in regione umbræ mortis, lux* B *orta est illis* (*Esai.* IX, 2). Regio ergo longinqua, umbra est mortis: nos autem, quibus spiritus ante faciem Christus est Dominus, in umbra vivimus Christi. Et ideo dicit Ecclesia: *In umbra ejus concupivi, et sedi* (*Cant.* II, 3). Ille igitur vivendo luxuriose consumpsit omnia ornamenta naturæ. Unde tu qui accepisti imaginem Dei, qui habes similitudinem ejus, noli eam irrationabili fœditate consumere. Opus Dei es, noli ligno dicere: *Pater meus es tu* (*Jerem.* II, 27); ne accipias similitudinem ligni; quia scriptum est: *Similes fiunt illis, qui faciunt ea* (*Psal.* CXIII, 8).

(Vers. 14.) *Facta est fames per regionem illam.*

215. Fames non epularum, sed bonorum operum atque virtutum, quæ sunt miserabiliora jejunia. Ete- C nim qui recedit a verbo Dei, esurit: *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Matth.* IV, 4). Qui recedit a fonte, sitit: qui recedit a thesauro, eget: qui recedit a sapientia, hebetatur: qui recedit a virtute, dissolvitur. Merito ergo iste egere cœpit, quia thesauros sapientiæ et scientiæ Dei, divitiarumque cœlestium altitudinem dereliquit. Egere ergo ideo cœpit, et famem pati, quia nihil prodigæ satis est voluptati. Semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri.

(Vers. 15.) *Abiit itaque, et adhæsit uni civium.*

216. Qui enim hæret, in laqueo est. Et videtur civis iste princeps esse istius mundi. Denique ad villam ejus mittitur quam emit, qui excusat a regno. Et pascit porcos: illos utique in quos pe- D tit diabolus introire, quos præcipitat in mare istius mundi, in sordibus ac fetore viventes.

(Vers. 16.) *Et cupiebat*, inquit, *siliquis implere ventrem suum.*

217. Neque enim alia cura est luxuriosis, nisi ut ventrem suum impleant, quorum Deus venter est (*Philip.* III, 19). Quis autem aptior hujuscemodi hominibus cibus, quam is qui siliquæ modo intus inanis, foris mollis est: quo corpus non reficitur, sed impletur; ut fit magis oneri, quam usui?

218. [b] Sunt qui porcos accipiant pro gregibus dæmonum, siliquas pro exili virtute inanium hominum, sermonumque jactantia, qui nihil prodesse possunt, inani quadam philosophiæ seductione, et quodam sonoro facundiæ plausu pompam magis quam utilitatem aliquam demonstrantes. Sed hæc diuturna oblectamenta esse non possunt; et ideo,

219. *Nemo illi dabat;* erat enim in regione illius, qui neminem habet; quia eos qui sunt, non habet. Omnes quippe gentes in nihilo æstimantur (*Esai.* XL, 15): solus autem Deus est qui vivificat mortuos, *Et vocat quæ non sunt, tamquam quæ sunt* (*Rom.* IV, 17).

(Vers. 17.) *In se autem reversus dixit: Quantis panibus mercenarii patris mei abundant!*

220. Bene in se revertitur, qui a se recessit. Etenim qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit:
1464 et qui recedit a Christo, se sibi abdicat. Mercenarii autem qui sunt, nisi qui ad mercedem serviunt, qui sunt ex Israel, non id quod bonum est probitatis studio persequentes, nec virtutis gratia, sed utilitatis studio provocati? At vero filius qui habet Spiritus sancti pignus in corde, sæcularis mercedis [c] lucella non quærit, quibus serviat. Hæredes sunt etiam mercenarii qui conducuntur ad vineam. Bonus mercenarius Petrus, Joannes, Jacobus, quibus dicitur: *Venite, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Isti non siliquis, sed panibus abundant. Denique collegerunt fragmentorum cophinos duodecim (*Matth.* XIV, 20). O Domine Jesu, si nobis auferas siliquas, et panes tribuas! Tu enim dispensator in domo es Patris. O si nos quoque mercenarios digneris conducere, licet sero venientes! Nam et undecima conducis hora (*Matth.* XX, 9), et æqualem dignaris mercedem solvere, æqualem mercedem vitæ, non gloriæ; neque enim omnibus reposita est corona justitiæ, sed ei qui potest dicere: *Certamen bonum certavi* (II. *Tim.* IV, 7.)

221. Quod ideo non prætermittendum arbitratus sum, quia scio quosdam dicere quod [d] ad mortem sibi lavacri gratiam, vel pœnitentiam reservent. Primum qui scis an nocte proxima, tua a te anima reposcatur? Deinde cur putas otioso tibi omnia posse deferri? Pone unam gratiam, unam esse mercedem; diversum tamen bravium victoriæ est, ad quod se non frustra Paulus extendit, qui post mercedem gra-

mss. subintelligere poterunt, *impedimentum sensit ætatis*, vel quid simile; nisi pro *derelinquens* malis cum recentioribus quibusdam mss. legere, *dereliquit.*

[a] Rom. edit. sola, *divortia habere sanctorum.*

[b] Mss. plerique, *Sunt qui siliquas sæcularia verba significent, porcos*, etc., Alii et omnes edit. *Sunt qui porcos*, etc. Melius; voces enim quæ in his omittuntur, plane redolent interpolationem, ipsæque in textum e margine ab imperito scriptore transferri facile potuerunt.

[c] Ita sex mss. melioris notæ. Alii, et omnes edit., *lucella* (Amerb. et pauci mss., *buccellam*) *non quærit, quia jus servat hæredis.* Minus commode, ut lectorum nemo diffitebitur.

[d] Frequens ac familiaris fuit ea querela sanctis patribus, quæ utinam nostra ætate in pœnitentia multo justiorem locum non inveniret!

Digitized by Google

tiæ, bravium tamen ut comprehenderet sequebatur A (*Philip.* XXXIII, 14); quia sciebat etsi par esset merces gratiæ, palmam tamen esse paucorum.

222. Et quoniam in vineam Domini venimus, non vacui recedamus: juvat enim fructus legere, mercenarios ejus videre. Quid enim sibi vult quod una die diversis horis conducuntur operarii (*Matth.* XX, 1 *et seq.*), nisi *quia mille anni in oculis Domini, sicut dies hesterna quæ præteriit, et hora in nocte* (*Psal.* LXXXIX, 4)? Quæ est nox, nisi quæ præcessit, ut dies appropinquaret? Et bene *hora in nocte, quia mille anni sicut dies una* (II *Pet.* III, 8). Novit vim diei hujus ille qui dixit: *Jesus Christus heri et hodie, ipse est et in sæcula* (*Hebr.* XIII, 8). Scivit et ille diem esse multiplicem, qui scripsit: [a] *Hic dies generationis cœli et terræ, cum facta sunt; qua die fecit Deus cœlum et* B *terram, et omne viride agri* (*Gen.* II, 4). Cum enim supra septem descripsisset dies, postea uno die omnia facta complexus est, totum mundi tempus ostendens in conspectu Domini tamquam diem unum; eo quod ex incompositis atque tenebrosis forma istius mundi, divini operis claritate processerit. Ergo si dies totum tempus est mundi, habet utique etiam in sæculis horas suas: aut ipsa sæcula horæ sunt. Horæ autem diei duodecim sunt; unde bene in mysterio dies Christus, cujus apostoli duodecim, qui cœlesti lumine distinctis in se gratiæ vicibus refulserunt.

223. Venit ergo paterfamilias et prima hora conduxit operarios, fortassis eos qui a principio mundi usque ad diluvium justi esse meruerunt, **1465** de quibus ait: *Et locutus sum ad vos ante lucem: et misi* C *ad vos servos meos prophetas ante lucem* (*Jerem.*, VII, 25). Tertia post diluvium incipit, Noe cæterorumque tempora comprehendens, qui quasi boni operarii in vineam destinantur; ideo quasi in prandio inebriatus est Noe. Sexta et reliquæ Abrahæ, Isaac, et Jacob patriarcharum merita distinguunt. Nona, inclinante jam sæculo, et tamquam pallescente luce virtutis, Lex et Prophetæ decolores mores hominum notaverunt. Undecimam, et quod superest diei, sacer producit adventus. Unde et ipse in Evangelio dicit: *Ambulate dum lumen habetis* (*Joan.* XII, 35.)

224. Sed jam redeamus ad Patrem; licet non verear ne istius pœnitentiam gerentis exemplo diu abfuisse videamur (numquam enim abfuimus, qui versabamur in vinea, in qua si et iste mansisset, non D recessisset a Patre), cavendum tamen est, ne nos ei reconciliationis faciamus moram, quam non fecit Pater. Facile reconciliatur, quando impense rogatur. Et ideo discamus quali Pater obsecratione sit ambiendus. *Pater*, inquit. Quam misericors, quam pius, qui nec offensus patrium dedignatur nomen audire! (Vers. 18.) *Pater*, inquit, *peccavi in cœlum, et coram te.*

225. Hæc est prima confessio apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ. Sed etsi Deus novit omnia, [b] vocem tamen tuæ confessionis exspectat. *Ore enim confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10); quia allevat pondus erroris, quisquis ipse se onerat; et accusationis excludit invidiam, qui accusatorem prævenit confitendo: *Justus enim in primordio sermonis accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Frustra autem velis occultare, quem nihil fallat; et sine periculo prodas, quod scias esse jam cognitum. Confitere magis, ut interveniat pro te Christus, quem advocatum habemus apud Patrem; roget pro te Ecclesia, et illacrymet populus. Nec vereare ne non impetres. Advocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, [c] reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur assertor. Crede, quia veritas est; acquiesce, quia virtus est. Habet causam ut pro te interveniat, ne pro te gratis mortuus sit. Habet causam ignoscendi Pater, quia quod vult filius, vult et Pater.

226. (Vers. 18.) *Peccavi in cœlum, et coram te.* Non utique elementum exprimitur; sed peccato animæ cœlestia significantur dona Spiritus imminuta; vel quia ab illius gremio matris Hierusalem quæ in cœlo est, non oportuit deviari.

(Vers. 19.) *Jam non sum dignus vocari filius tuus.*

227. Dejectus enim se exaltare non debet; ut merito suæ possit humilitatis attolli.

(Ibid.) *Fac me sicut unum mercenariorum tuorum.*

228. Novit esse distantiam inter filios, amicos, **1466** mercenarios, et servos; filius per lavacrum, amicus per virtutem, mercenarius per laborem, servus per timorem. Sed etiam ex servis et mercenariis fiunt amici, juxta quod scriptum est: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis: jam non dico vos servos* (*Joan.* XV, 14).

229. Hæc apud se dixit; sed non satis est dicere, nisi ad patrem venias. Ubi illum requiras, ubi invenias? Exsurge primo, hoc est, qui sedens ante dormiebas. Et ideo dicit Apostolus: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* V, 14). Iniquitas in talento plumbeo sedet. Moysi dicitur: *Tu autem hic sta* (*Deut.* V, 31). Stantes elegit Christus. Exsurge ergo, curre ad Ecclesiam; hic est Pater, hic est Filius, hic est Spiritus sanctus.

230. (Vers. 20, 21.) Occurrit tibi, qui audit te intra mentis secreta tractantem. Et cum adhuc longe sis, videt, et accurrit. Videt in pectore tuo, accurrit ne quis impediat, complectitur quoque: [d] in occursu præscientia est, in complexu clementia, et quasi

[a] Rom. edit. ex LXX interp., *Hic liber generationis*, etc.

[b] Hæc verba intelligenda esse de ea confessione, quam a peccatoribus sive publice, sive secreto Ecclesiæ ministris fieri oportet, inde probatur, quod ea ponitur post primam, quæ soli Deo fit confessionem. Hinc autem validissime confirmatur, quod infra dicitur; *Confitere magis, ut..... roget pro te Ecclesia; et illacrymet populus.* Hæc namque non mentalem, sed exteriorem ac verbalem confessionem apertissime significant.

[c] Mss. non pauci, nec infimæ auctoritatis, *reconciliationem tibi paterna pietas pollicetur: assertori crede, quia*, etc.

[d] Ita mss. octo optimæ notæ. Alii vero et edit., *in occursu præsentia* (Era. et Gill. in margine, *præscien-*

Digitized by Google

quidam patrii amoris affectus. Supra collum cadit, ut jacentem erigat, et oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad cœlum, in quo suum quærat auctorem. Cadit in collum tuum Christus, ut cervicem jugo exuat servitutis, et collo tuo jugum suave suspendat. Nonne tibi videtur cecidisse in collum Joannis, quando erat Joannes in sinu Jesu, cervice recumbens reflexa? Et ideo Verbum apud Deum vidit; quia erectus est ad superna. Cadit in collum, cum dicit : *Venite ad me, qui laboratis..... et ego vos reficiam : tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI, 28 *et* 29). Cadit ergo hoc modo, si converteris.

231. (Vers. 22.) Et jubet proferri stolam, annulum, calceamenta. Stola amictus est sapientiæ, quo nuda corporis apostoli tegunt, eo quod se unusquisque convolvat; et ideo stolam accipiunt, ut corporis infirmitatem sapientiæ spiritalis virtute convestiant. De Sapientia enim dictum est : *Lavabit in vino stolam suam* (*Gen.* XLIX, 11). Ergo stola spirituale indumentum, et vestimentum est nuptiale. Annulus quid est aliud, nisi sinceræ fidei signaculum, et expressio veritatis? Calceamentum autem Evangelii prædicatio est; et ideo accepit sapientiam primam. [a] Est enim et aliud mysterium quod nescit, nisi qui accepit dictorum suorum, factorumque signaculum, et quoddam munimentum bonæ intentionis et cursus; necubi offendat ad lapidem pedem suum, et supplantatus a diabolo Dominicæ prædicationis officium derelinquat. Hæc est [b] præparatio Evangelii, ad cœlestium cursum dirigens præparatos; ut non in carne ambulemus, sed in spiritu.

232. (Vers. 23.) Occiditur et vitulus saginatus, ut carnem Domini spirituali opimam virtute per gratiam sacramenti mysteriorum consortio restitutus epuletur. Nemo enim nisi qui timuerit Deum (*quod est initium sapientiæ*), nisi signaculum spirituale
**1467** vel custodierit vel receperit, nisi Dominum prædicaverit, sacramentis debet interesse cœlestibus. Qui autem annulum habet, et Patrem habet, et Filium, et Spiritum sanctum; quia signavit nos Deus, cujus imago Christus : et dedit pignus Spiritum in cordibus nostris; ut sciamus hoc annuli istius qui in manu datur, esse signaculum, quo cordis interiora, factorumque nostrorum ministeria signantur. Ergo signati sumus, sicut et legimus : *Credentes*, inquit, *signati estis Spiritu sancto* (*Ephes.* I, 13). Bene autem carnem vituli, quia sacerdotalis est victima, quæ pro peccatis fiebat.

233. (Vers. 23.) [c] Epulantem patrem inducit filius;
A ut ostenderet quoniam paternus cibus est salus nostra, et Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum est. Et hic quidem si ad Patrem referas, quia hostia pro peccatis Filius est, delectatur Pater reditu peccatoris : supra delectatur Filius, inventa ove; ut scias quia una est Patris et Filii delectatio, una operatio in Ecclesiæ fundamento. Lætatur autem pater;

(Vers. 24.) *Quia filius perierat, et inventus est : mortuus fuerat, et revixit.*

234. Ille perit qui fuit; non enim potest perire qui non fuit. Itaque gentes non sunt, Christianus est, juxta quod supra dictum est : *Quia elegit Deus quæ non sunt; ut quæ sunt, destrueret* (I *Cor.* I, 28). Potest tamen et hic in uno accipi species generis hu-
B mani. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt (*Cf. August. lib.* I *cont. Jul. Pelag., cap.* 3). Homo igitur et in illo homine qui perierat, reformatur : et ille ad similitudinem Dei factus et imaginem divina patientia et magnanimitate reparatur. Quid est ergo : *Elegit Deus quæ non sunt; ut quæ sunt, destrueret* (I *Cor.* I, 28)? Id est, elegit populum gentium qui non erat; ut destrueret populum Judæorum.

235. Potest et de agente pœnitentiam dictum videri; quia non moritur, nisi qui aliquando vixit. Et ideo gentes non moriuntur, sed mortuæ sunt; etenim qui in Christum non credidit, semper est mortuus. Et gentes quidem cum crediderint, per gratiam vivificantur : qui vero lapsus fuerit, per pœnitentiam
C reviviscit.

236. Sequitur locus, ut remittendis post pœnitentiam debeamus favere peccatis; ne dum veniæ alterius invidemus, ipsi eam non mereamur a Domino. Quis enim tu es qui Domino contradicas, ne cui velit, culpam relaxet; cum tu cui volueris, ignoscas? Vult rogari, vult obsecrari. Si omnium justitia, ubi Dei gratia? Quis tu es, qui invideas Deo?

237. (Vers. 25, 27.) Et ideo notatur hic frater, usque adeo ut de villa venire dicatur, hoc est, terrenis operibus occupatus, ignorans quæ sunt Spiritus Dei : ut denique numquam pro se vel hædum queratur occisum; non enim pro invidia, sed pro venia
**1468** mundi agnus est immolatus. Invidus hædum
D quærit : innocens agnum pro se desiderat immolari. Ideo et senior dicitur; eo quod cito aliquis per invidiam consenescat. Ideo et foris stat; eo quod malevolentia eum animi liventis excludat. Ideo chorum et symphoniam audire non potest, hoc est, non illa theatralis incentiva luxuriæ, nec aulicorum con-

*tia*), *est in complexu clementia. Et quasi quodam patrii amoris affectu supra collum cadit.*

[a] Omnes edit. cum parte mss., *Est enim et alia quæ mysterium nescit, quæ accepit dictorum..... et quoddam monumentum*, etc. Alii mss. in quibus antiquissimi sunt, magis scite præferunt ut in textu. Etsi vero ea lectio sensum non contineat satis expeditum, nullum tamen in hoc videmus locum admirationis; hic enim dubio procul de sacramento eucharistiæ sermo est, de quo dedita opera sæpenumero obscure ac perplexe Patres locutos nemo nescit. Expende etiam numerum sequentem.

[b] Sic plures potioresque mss. atque edit. Era. et Gill. in margine. Alii mss. ac edit. omnes in corpore, *prædicatio Evangelii*.

[c] Pauci mss. ac Gill. in margine, *Epulante patre inducitur filius*. Idem in corp. cum reliquis mss. atque omnibus edit., *Epulantem patrem inducit filius*; nisi quod Rom. vocem *filius* amandavit.

Digitized by Google

centus sonorum [a], sed plebis concordiam concinentis, quæ de peccatore servato dulcem resultet lætitiæ suavitatem.

238. Constitue mihi aliquem ex his qui sibi justi videntur, qui trabem in oculo suo non vident, et alieni festucam vitii ferre non possunt. Quomodo indignatur, quando alicui peccatum fatenti, et diu indulgentiam deploranti venia relaxatur? Quomodo aures ejus symphoniam populi spiritualem ferre non possunt? Hæc est enim symphonia, quando concinit in Ecclesia [b] diversorum actuum atque virtutum, velut variarum chordarum indiscreta concordia, psalmus respondetur, amen dicitur. Hæc est symphonia quam scivit et Paulus; et ideo ait: *Psallam spiritu*, *psallam et mente* (I *Cor.* XIV, 15). Hæc de parabola præsenti putavimus esse tractanda.

239. Nec invidemus si quis duos fratres istos velit referre ad populos duos; ut sit adolescentior populus ex gentibus tamquam Israel, cui frater major beneficium paternæ benedictionis invidit. Quod faciebant Judæi, cum quererentur quia Christus cum gentibus epularetur; et ideo hædum, mali odoris sacrificium requisierunt. Judæus hædum requirit, Christianus agnum; et ideo illis Barabbas solvitur, nobis agnus immolatur. Unde apud illos fetor est criminum, apud nos remissio peccatorum, dulcis in spe, suavis in fructu. Qui hædum quærit, exspectat Antichristum; Christus enim boni odoris est victima (*Ephes.* V, 2).

240. [c] Queri etiam in hædo videtur, quia Judæi ritum veteris sacrificii perdiderunt: vel quia nullius sanguis his profuit, sicut Christi sanguis Ecclesiæ; non enim redimere eos sanguis potuit prophetarum. Impudens autem et similis illius pharisæi justificantis se arroganti prece, qui putabat quod numquam præterierit mandatum Dei, quia Legem servabat in litteris. Impius, qui accusabat fratrem quod cum meretricibus paternam substantiam prodegisset, cum debuerit advertere quia sibi dictum est: *Meretrices et publicani præcedunt vos in regnum cœlorum* (*Matth.* XXI, 31).

241. (Vers. 28.) Stat autem foris, nec excluditur; sed non ingreditur, ignorans voluntatem Dei de vocatione gentium, servus jam factus ex filio; servus enim nescit quid dominus agat (*Joan.* XV, 15). Ubi cognovit, invidet, et torquetur Ecclesiæ bonis, et foris stat. Foris enim Israel audit chorum et symphoniam; sed irascitur quia hic concinit plebis gratia, et consona populi jubilatio. Sed **1469** bonus pater etiam hunc salvare cupiebat, dicens:

(Vers. 31.) *Fili, tu semper mecum fuisti;*

242. Vel quasi Judæus in Lege, vel quasi justus in communione; et es, si desinas invidere.

(Ibid.) *Et omnia mea tua sunt;*

243. Vel Judæus sacramenta veteris Testamenti, vel baptizatus etiam novi possidens.

(Cap. XVI.—Vers. 13.) *Nemo servus potest duobus dominis servire;*

244. Quia non duo, sed unus est dominus. Nam etsi sunt qui mammonæ serviant; tamen non ille novit aliqua jura dominatus; sed ipsi sibi jugum servitutis imponunt; neque enim [d] justa potestas, sed injusta est servitus. Et ideo ait.

(Vers. 9.) *Facite vobis amicos de iniquo mammona;*

245. Ut largiendo pauperibus, angelorum nobis, cæterorumque sanctorum gratiam comparemus. Nec reprehenditur villicus, in quo discimus non ipsi esse domini, sed potius alienarum villici facultatum. Et ideo licet peccaverit, tamen quia sibi in posterum ex indulgentia domini quæsivit auxilia, prædicatur. Pulchre autem iniquum mammona dixit; quia variis divitiarum illecebris [e] nostros avaritia tentabat affectus, ut velimus servire divitiis. Unde ait:

(Vers. 12.) *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?*

246. Alienæ nobis divitiæ sunt, quia præter **1470** naturam sunt; neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt: Christus autem noster est, [f] quia vita est. Denique *In sua propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11). Ergo nemo dabit quod vestrum est; quia vestrum non credidistis, vestrum non recepistis.

247. Argui igitur videntur Judæi et fraudis et avaritiæ. Et ideo qui in facultatibus fideles non fuerunt, quas cum alienas scirent (communem enim ad usum fructus terrarum a Domino Deo datus est omnibus), debuerunt utique participare pauperibus: nec Christum accipere meruerunt, quem Zacchæus ut acquireret, dimidiam partem bonorum suorum obtulit (*Luc.* XIX, 8).

248. Ergo non serviamus alienis quia nullum dominum debemus scire nisi Christum: *Unus enim Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso: et unus Dominus Jesus, per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6). Quid

---

[a] Rom. edit., *hoc est, non plebis concordiam concinentis, quæ de peccatore salvato dulcem resultet lætitiæ suavitatem: sed theatralis illa incentiva luxuriæ, vel aulicorum concentus sonorum*. Non satis commode; hujus namque loci idem sensus est, ac si legeretur: Non potest audire chorum et symphoniam, qui chorus et symphonia non significant fomitem atque incentiva luxuriæ, sed concordiam plebis, etc. Porro per voces *aulicorum sonorum*, non videntur intelligendi soni, qui fiunt in aulis, hoc est, in regum palatiis: sed potius ita dici ἀπὸ τῶν αὐλῶν, a tibiis seu fistulis.

[b] Ita mss. septem probatioris notæ. Alii vero et edit., *diversarum ætatum atque virtutum*: utrumque non male. At observandum obiter non pauca hic dici ab Ambrosio, quibus Novatianorum in peccatores resipiscentes crudelitas perstringi videatur.

[c] Mss. aliquot cum edit. Gill. in marg. ac Rom. in textu, *Quæ res*. Reliqui cod. atque edit., *Quæri*, quod utcumque explicari potest, si subintelligatur *Christus*, quæ vox proxime ante exhibetur. Attamen rectius scribi putamus *Queri*; ut significetur senior filius dum hædi non occisi mentionem facit, mystice quiritari, quod ritus veteris sacrificii perierit, etc.

[d] Edit. quædam Paris., *injusta potestas, sed justa est servitus*. Præpostere.

[e] Rom. edit., *nos avaritiæ tentat affectus*.

[f] Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *quia via est*.

Digitized by Google

ergo, Pater Dominus, aut Filius Deus non est? Sed A et Pater Dominus, quia *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* XXXII, 6); et Filius Deus *qui est super omnes Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Quomodo ergo nemo potest duobus dominis servire? Unus enim Dominus, quia unus Deus : denique *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Unde claret unum Patris et Filii esse dominatum. Unus autem est, si non dividatur; sed totus in Patre, totus in Filio sit. Itaque [a] quia unius deitatis atque dominatus asserimus Trinitatem, unum Deum, et unum Dominum confitemur. Qui autem aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus memorant potestatem, plures deos, et plures dominos in Ecclesiam gentilis vitio erroris inducunt.

[a] Mss. aliquot probatæ manus, *qui unam esse deitatis*, etc.

# LIBER OCTAVUS.

**1469** (Vers. 16.) *Lex et prophetæ usque ad* B *Joannem.*

1. Non quia Lex defecit, sed quia incipit Evangelii prædicatio; videntur enim minora compleri, cum potiora succedunt. Et ideo vim faciamus regno cœlorum; omnis enim qui vim facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit affectu. Est ergo fidei violentia religiosa, segnitia criminosa. Lex multa secundum naturam [a] statuit; ut naturalibus indulgentior desideriis ad justitiæ studium nos vocaret; Christus naturam incidit, quia naturales quoque amputat voluptates; et ideo vim faciamus naturæ, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se subrigat.

(Vers. 18.) *Omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, mæchatur : et qui dimissam a viro ducit, mæchatur.* C

2. Prius dicendum mihi arbitror de lege conjugii, **1470** ut postea de prohibendo divortio disputemus. Quidam enim putant omne conjugium a Deo esse, maxime quia scriptum est : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet* (*Marc.* XIX, 6). Ergo si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvi. Et quomodo Apostolus dixit : *Quod si infidelis discedit, discedat* (I *Cor.* VII, 15)? In quo et mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo omne conjugium; neque enim Christianæ gentilibus Dei judicio copulantur; cum Lex prohibeat.

3. Sed occurrit illud quod ait Salomon : *Domum et substantiam* [b] *patres partiuntur filiis : a Deo autem præparabitur viro uxor* (*Prov.* XIX, 14). Quod qui in D Græco legit, non putat esse contrarium. Bene enim dixit Græcus ἁρμόσεται; harmonia enim conveniens et apta rerum omnium dicitur commissa connexio. Harmonia est cum fistulæ organi per ordinem copulatæ, legitimæ tenent gratiam cantilenæ, chordarumque aptus servat ordo concordiam. Itaque non habent harmoniam suam nuptiæ, **1471** quando christiano viro gentilis mulier non legitime copulatur. Ergo ubi nuptiæ, harmonia; ubi harmonia, Deus jungit. Ubi harmonia non est, pugna atque dissensio est; quæ non est a Deo, quia *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 8).

4. Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim si alienos, multo magis uxoris debes tolerare et emendare mores. Audi quid dixerit Dominus : *Qui dimittit mulierem, facit eam mæchari* (*Matth.* V, 32). Etenim cui non licet, vivente viro, mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque qui auctor erroris, etiam reus culpæ est. Quo cum parvulis feta dimittitur? Quo titubanti vestigio grandæva detruditur? Durus, si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam charitatis, addas etiam pietatis injuriam; durus, si propter matrem etiam filios simul pellas; cum magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras! Quam impium, si ejus destituas senectutem, cujus defloraveris juventutem! [c] Ergo inhonoratis stipendiis et veteranum imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat; et rusticum laboris sui effetum agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est (35 *quæst.* 2, *c. An quod*)?

[a] *Statuit*, deest in cunctis edit. et compluribus mss., sed tamen in septem reperitur.

[b] Mss. bene multi ac probatæ notæ, *patris partiuntur filii*. Melius tamen alii cum omnibus edit. *patres partiuntur filiis*; LXX enim constanter præferunt, μερίζουσι πατέρες παισί. Quod autem in hoc ipso loco Rom. edit. reposuit, *præparatur*, auctoritatem quidem secuta est LXX, ubi sicut et in vet. Amb. edit. constanter habetur, ἁρμόζεται : attamen ant. edit. ac mss. omnium hic et infra exhibentium, *præparabitur*, consensus facit, ut credamus Ambrosium legisse ἁρμόσεται. Quippe insolens non est, ut futura media sumantur in passiva significatione. Adverte autem quam improbaverit Doctor noster initum inter personas cultu dispares conjugium : qua de re videsis notam in psal. CXVIII, serm. 20, num. 48, et in epist. ad Vigil.

[c] Omnes edit. cum tribus mss., *inhonoratum stipendiis*. Alii mss., *inhonoratis stipendiis*. Optime, si voce *stipendiis*, pro annis in militia peractis sumas, ac subintelligas *militem*. At paucis interjectis ubi cuncti mss. et edit., *quasi jure, sine crimine*, in tribus Gratiani codicibus, ut testantur ejusdem correctores, habetur, *quam scis vivere sine crimine*. Quod porro de lege humana divortium non prohibente, dicitur, credibile est S. Doctorem respicere ad Legem a Constantino Magno latam, quæ continetur lib. III Cod. Theod., tit. 16, *de Repudiis*. Hac enim etsi repudii causas quæ antea plurimæ ac nonnunquam levissimæ fuerant, ad pauciores reduxerit, illius tamen usum nequaquam tollit. Sed hanc esse minoris mali tolerantiam, ut gravius vitaretur, non obscure indicat Ambrosius.

Digitized by Google

5. Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine ; A et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet ; sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* xix, 6).

6. Sed non solum hic cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur. Paterisne, oro, liberos tuos, vivente te, esse sub vitrico ; aut incolumi matre, degere sub noverca ? Pone, si repudiata non nubat. Et hæc viro tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat ? Pone, si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est ; et conjugium quod putas, adulterium est. Quid enim refert, [a] utrum id aperta criminis confessione, an mariti specie adulter admittas ; nisi quod gravius est legem criminis fecisse, quam furtum ?

7. Sed fortasse dicit aliquis : *Quomodo Moyses mandavit dari librum repudii, et dimittere uxorem* (*Deut.* xxiv, 1) ? Qui hoc dicit, Judæus est ; qui hoc dicit, Christianus non est. Et ideo quia hoc objicit, quod objectum est Domino, respondeat ei Dominus : *Ad duritiam*, inquit, *cordis vestri permisit vobis Moyses dare librum repudii, et dimittere uxores : ab initio autem non fuit sic* (*Matth.* xix, 8). Moyses permisit, inquit, non Deus jussit ; ab initio autem Dei lex est. Quæ est lex Dei ? *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt ambo in carne una* (*Gen.* ii, 24). Ergo qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus.

**1472** 8. Ostendit autem hic locus, quæ propter C fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta. Unde et Apostolus : *Denuntio*, inquit, *non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* (I *Cor.* vii, 10). Et infra : *Cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus : si quis frater infidelem habet uxorem, et relinquit eam* (*Ibid.*, 12). Itaque ubi est impar conjugium, lex Dei non est. Et addidit : *Quod si infidelis discedit, discedat* (*Ibid.*, 15). Simul idem Apostolus negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur ; nec ipse præcepit, nec dedit deserenti auctoritatem, sed culpam [b] abstulit destituto. Hæc moraliter.

9. (Vers. 17.) Tamen quia supra proposuit regnum Dei evangelizare, et cum dixisset de Lege unum apicem non posse cadere, subjecit : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur.* Recte admonet Apostolus dicens sacramentum hoc magnum esse de Christo et Ecclesia (*Ephes.* v, 32). Invenis igitur conjugium quod nemo dubitet a Deo conjunctum, cum ipse dicat : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus qui misit me, attraxerit eum* (*Joan.* vi, 44) ; ille enim solus potuit has nuptias copulare. Et ideo mystice Salomon dixit : *A Deo præparabitur viro uxor* (*Prov.* xix, 14). Vir Christus, uxor Ecclesia est ; charitate uxor, integritate virgo. Ergo quem Deus traxit ad Filium, non separet persecutio, non avertat luxuria, non Philosophia deprædetur, non Manichæus contaminet, non Arianus avertat, non Sabellianus inficiat. Deus junxit, Judæus non separet. Adulteri sunt omnes qui adulterare cupiunt fidei et sapientiæ veritatem.

10. *Quis liber est*, inquit, *iste repudii matris vestræ, quo dimisi eam* (*Esai.* l, 1) ? Audisti repudium, crede conjugium. Audisti quid Judæorum plebi ipse vir dicat : *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in peccatis vestris dimisi matrem vestram* (*Ibid.*). Mane ergo tu in domo patris, mane cum sponso, enitere ut placeas viro. Mens quæ credidisti Deo, esto fortis B mulier, qualis illa [c] vel anima ecclesiastica, vel Ecclesia, de qua dicit Salomon : *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* xxxi, 10) ? Pretiosior autem est lapidibus pretiosis, quæ talis est : confidit in ea vir suus *Ibid.*, 11). Videamus quid hæc viro faciat suo, quod opus ejus, quod sit obsequium, cur confidat in ea Christus.

11. Bona uxor virum suum vestit. Vestiat Jesum fides nostra corpore suo, vestiat carnem suam divinitatis suæ gloria : sicut et illa bina vestimenta fecit viro suo (*Ibid.*, 22 *et seq.*) ; ut et in præsenti et in futuro sæculo honorificet eum. Non mediocris hæc femina, cujus tale textrinum est ; quam non mollia lanæ fila carpentem, sed pretiosæ virtutis pensa tractantem vir ejus inveniat ; quæ manus extollat in noctibus, et ad libram dirigat opus, morumque suorum pondus examinet, gestorum quoque noverit servare mensuram, gloriosi subtegmen laboris intexens ; sollicita quando vir redeat, anxia atque suspirans, et jam cum viro **1473** suo esse desiderans, dicens : Moras facit vir meus venire, festinabo ipsa ad eum ; occurram ei facie ad faciem, cum venire cœperit in gloria sua.

12. Veni, Domine Jesu, ut invenias sponsam tuam, non contaminatam, non adulteratam, quæ non violaverit domum tuam, non mandata neglexerit. Dicat tibi : *Inveni quem dilexit anima mea* (*Cant.* iii, 4) : introducat te in domum vini (vinum enim (*Psal.* ciii, 15) lætificat cor hominis), inebrietur in spiritu, agnoscat mysterium, loquatur oraculum.

D (Vers. 19.) *Homo autem quidam dives induebatur purpuram.*

13. Narratio magis quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur. Non otiose autem hic divitem Dominus perfunctum deliciis sæcularibus, in perpetuæ famis apud inferos constitutum significavit ærumna : cui non immerito quinque fratres, id est, quinque sensus corporis naturali quadam germani-

Videtur autem maritus dimittens uxorem quæ alteri nubit, propterea adulter dici, quod in eum uxoris adulterium redit, ut proxime ante expositum est.

[a] Era. ac Gill. in corp., *utrum aperta..... adulterum admittas* ; in marg. autem cum duobus mss. et Rom. edit.,... *adulterium admittas*. Reliqui mss. ut nos in textu ; duos tamen excipimus, ubi lapsu calami scriptum est,.... *adulteram dimittas*, ut apud Amerb. errore etiam typographi,... *adultera dimittas*.

[b] Mss. aliquot antiquæ manus, *abstulit de instituto*.

[c] *Vel anima ecclesiastica*, ultima dictio in Rom. edit. fuerat amputata.

Digitized by Google

tate videntur fuisse sociati, qui immodicis atque in- A
numeris cupiditatibus æstuabant : Lazarum vero in Abrahæ gremio quasi in quodam sinu quietis, et sanctitatis recessu locavit; ne illecti præsentium voluptate, maneamus in vitiis; vel tædio victi, laborum dura fugamus. Sive itaque Lazarus pauper in sæculo, sed Deo dives : sive apostolicus aliquis pauper in verbo, locuples in fide (neque enim sancta omnis paupertas, aut divitiæ criminosæ : sed ut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas), sive ergo apostolicus qui veram teneat fidem, verborum infulas, fucum argumentorum, ambitiosa sententiarum velamina non requirat : feneratam mercedem accipit, impugnans hæreticos Manichæum, Marcionem, Sabellium, Arium, Photinumque (isti enim non aliud quam fratres sunt Judæo- B
rum, quibus perfidiæ germanitate nectuntur), reprimens quoque carnis cupiditates, quæ illis, ut dixi, quinque sensibus vaporantur : feneratam, inquam, mercedem accipit, cui compensatio exuberantium copiarum, et perpetuitatis usura est.

14. (Vers. 20, 21.) Nec alienum putamus, ut de fide quoque opinemur hunc esse tractatum, quam Lazarus abjectam de mensa divitis collegit : cujus utique ulcera secundum litteram dives fastidiosus horreret, nec inter pretiosas epulas unguentatosque convivas fetorem ulcerum lambentibus canibus sustineret [a] cui odor aeris, et ipsa esset natura fastidio: quamquam insolentia et tumor divitum indiciis competentibus exprimatur, quod ita conditionis immemores humanæ sint, ut, tamquam supra naturam C
siti, de miseriis pauperum incentiva suarum capiant voluptatum, rideant inopem, insultent egenti, et quorum misereri deceat, his auferant.

15. Utrumque ergo qui volet, tamquam Lazarus colligat. Cui similem illum puto, qui cæsus sæpius a Judæis (II *Cor.* XI, 25), ad patientiam credentium, et vocationem gentium ulcera sui corporis lambenda quibusdam velut canibus offerebat, quia scriptum est : *Convertentur ad vesperum, et famem patientur ut canes* (*Psal.* LVIII, 15). Quod agnovit Chananitis illa **1474** mysterium, cui dicitur : Nemo tollit panem filiorum, et mittit canibus (*Matth.* XV, 26). Agnovit hunc panem, non panem esse qui videtur, sed illum qui intelligitur; et ideo respondit : *Utique, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ* D
*cadunt de mensa dominorum suorum* (*Ibid.*, 27). Micæ istæ de illo pane sunt. Et quia panis verbum est, et fides verbi est, micæ velut quædam dogmata fidei sunt. Unde respondit Dominus, ut ostenderet fideliter dictum : *O mulier, magna est fides tua* (*Ibid.*, 28) !

16. O felicia ulcera, quæ perpetuum excludunt dolorem ! O uberes micæ, quæ repellitis jejunium sempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis ! Abjiciebat vos de mensa sua archisynagogus, cum propheticarum Scripturarum et Legis interna mysteria refutaret (*Luc.* XIII, 14), micæ enim sermones sunt Scripturarum, de quibus dicitur : *Et projecisti sermones meos post te* (*Psal.* XLIX, 17). Abjiciebat vos scriba, sed Paulus diligentissime colligebat, in injuriis suis legens plebem. Lambebant ulcera ejus qui morsu serpentis intrepidum, excusso serpente, viderunt, et crediderunt (*Act.* XXVIII, 6). Lambebat ille carceris custos qui vulnera Pauli lavit, et credidit (*Act.* XVI, 33). Beati canes, in quos ulcerum talium distillat humor; ut adimpleat cor, et impinguet fauces eorum : qui custodire domum, servare gregem, cavere assuescant lupos.

17. Pone nunc ante conspectum sæcularibus Arianos studiis intentos, qui societatem potentiæ regalis affectant, ut armis militaribus impugnent Ecclesiæ veritatem : nonne tibi videntur in quadam purpura et bysso et exstructis jacentes thoris, qui pro veris fucata defendant; ditibus abundare sermonibus, cum jactant Dominico terram tremuisse sub corpore, cœlum tenebris obductum, excita verbo maria vel sedata : verumtamen Dei Filium denegantes ? Constitue et illum pauperem, qui sciens non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse, paucis quid sentiret expressit, dicens : *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16) : nonne illæ tibi videntur egere divitiæ, hæc redundare paupertas ? Dives [b] hæresis Evangelia multa composuit ; pauper fides hoc solum Evangelium tenuit, quod accepit. Dives Philosophia plures sibi deos fecit : pauper Ecclesia unum Deum novit.

18. (Vers. 24.) Inter hunc igitur divitem et pauperem chaos magnum est; quia post mortem nequeunt merita mutari, eoque in inferno dives inducitur, cupiens [c] aliquid de paupere spiritus, refrigerantis haurire; aqua enim refectio est animæ in doloribus constitutæ, de qua dicit Esaias : *Et saliet aqua cum delectatione de fontibus salutaris* (*Esai.* XII, 3). Cur autem cruciatur ante judicium ? Quia luxurioso carere deliciis pœna est. Nam et Dominus dicit : *Ibi erit fletus et stridor dentium; cum videritis Abraham, Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno cœlorum* (*Luc.* XIII, 28).

19. (Vers. 27.) Serus autem dives iste magister esse incipit; cum jam nec discendi tempus habeat, nec docendi. Quo loco evidentissime declarat Dominus, vetus Testamentum esse fidei firmamentum, **1475** retundens perfidiam Judæorum, et exclu-

[a] Rom. edit., *cui odor acris;* melius aliæ ac mss., *cui odor aeris :* taxatur enim superbum divitis fastidium, qui naturalem aeris suavitatem adscititiis odoribus corrumperet.

[b] De hujusmodi pseudoevangeliis consule quæ scripsit sanctus Doctor supra lib. I, num. 2, et nos ibidem notavimus.

[c] Edit. Rom., *aliquid spiritus a paupere refrigerantis haurire.* Minus bene ; non enim, uti putamus, aquam a quoquam spiritus vocabulo nominatam reperias. Refer igitur vocem *spiritus* (aut *spiritu*, quemadmodum Amerb. et duo mss. præferunt) ad vocem *paupere*, nisi cum uno et altero mss. atque edit. Era. et Gill. in marg. legere malis *de pauperis spiritu.*



Digitized by Google

dens nequitias hæreticorum, a quibus mens supplantatur infirmior; ipsi enim pusilli sunt, qui adhuc nesciunt incrementa virtutis.

20. Licet autem advertere quod in villici illius superiore, et istius divitis præsenti comparatione incentivum misericordiæ sit : et ibi fortasse sanctis quos amicos dicit, et quibus tabernacula tribuit; hic vero docet pauperibus conferendum.

(Cap. XVII. — Vers. 3.) *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum.*

21. Quam bene post divitem qui cruciatur in pœnis, subjecit præceptum veniæ largiendæ, his utique qui se ab errore convertunt, ne quem desperatio non revocet a culpa! Quam vero moderatus est, ut neque difficilis venia, nec remissa sit indulgentia; ne quem vel austera percellat invectio, vel conniventia invitet ad culpam! Sic et alibi : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum* (*Matth.* XVIII, 15). Plus enim proficiat amica correptio, quam accusatio turbulenta : illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Servetur potius quod prodi metuat, qui monetur. Bonum quippe est ut amicum magis te qui corripitur credat, quam inimicum : facilius enim consiliis acquiescitur, quam injuriæ succumbitur. Unde et Apostolus : Corripite, inquit, ut fratrem, ut erubescat, non ut inimicum eum existimetis (II *Thess.* III, 15). [a] Infirmus enim custos diuturnitatis est timor : pudor autem bonus magister officii; qui enim metuit, reprimitur, non emendatur : quem pudet facere, in naturam vertit.

22. Pulchre autem posuit : *Si peccaverit in te;* non enim æqua conditio in Deum, hominemque peccare. Denique Apostolus, qui divini est verus interpres oraculi : *Hæreticum*, inquit, [b] *post unam correptionem devita* (*Tit.* III, 10); quia non est æque perfidia ut culpa, veniabilis. Et quoniam plerumque per imperitiam error obrepit, corripiendum præcepit; ut aut pertinacia vitetur, aut prolapsio corrigatur. Verum quid est :

(Vers. 4.) *Si septies conversus fuerit ad te, dimitte illi?*

23. Num veniæ numerus præfinitur, an vero quia cum septimo die requieverit Deus ab omnibus operibus suis, post hebdomadam istius mundi quies nobis diuturna promittitur; ut quemadmodum mala istius mundi feriata cessabunt, ita etiam vindictæ severitas conquiescat? Sabbatum autem non solum dierum, sed etiam mensium est; et ideo septimi mensis decima die sabbata sabbatorum (*Levit.* XXV, 9) : nec solum mensium, sed annorum quoque : neque annorum tantum, sed etiam generationum, postremo ipsius mundi, **1476** cujus typus est sabbatum magnum; sicut in Lege est hebdomada septima, post quam celebratur annus Jubilæus. Quod mysterium nobis Dominus voluit revelare, cum dicit : *Non solum septies, sed etiam septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 22). Quia septima [c] generatione, ut habes secundum Lucam (*Luc.* III, 37), Enoch raptus est, ne malitia immutaret cor ejus (*Sap.* IV, 11); et in eo aculeus doloris quievit. Septuagesima autem et septima generatione Dominus natus ex Maria, humani generis in se peccata suscipiens, remissionem tribuit omnium delictorum.

24. Ergo quamvis secundum litteram discas frequenter ignoscere, nec indignationem tenere (nihil enim est quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo), tamen agnosce mysterium; neque enim otiose sabbato dixit Dominus mulieri : *Dimissa es ab infirmitate tua* (*Luc.* XIII, 12), ostendens plebi suæ, quæ sicut mulier illa vocata sequeretur, adventu suo se remisisse peccata. Septuagies itaque et septies Lamech condemnatur (*Gen.* IV, 24); quia gravius delinquit, [d] qui scelus dum punit, admittit. Omnem autem enormitatem sceleris baptismi sacramenta dimittunt. Disce ergo donare injurias tuas; quia persecutoribus suis Christus ignovit.

25. Nec illud otiosum, [e] quod sabbato passus est magno, significans fore sabbatum, quo mors destrueretur a Christo. Quod si Judæi sabbatum ita celebrant, ut et mensem et annum totum quasi sabbatum habeant, quanto magis nos resurrectionem Domini celebrare debemus! Et ideo majores tradidere nobis pentecostes omnes quinquaginta dies ut paschæ celebrandos; quia octavæ hebdomadis initium Pentecosten facit. Unde et Apostolus quasi Christi discipulus, qui sciret diversitatem esse temporum, scribens ad Corinthios : *Apud vos,* inquit, *forsitan manebo; et hyemabo* (I *Cor.* XVI, 6). Et infra : *Manebo*

[a] Ita vet. edit. et cuncti mss. duobus exceptis, ubi legitur : *Infirmis enim custos diuturnus est timor.* Rom. vero : *Infirmus enim custos diuturnæ bonitatis*, etc.

[b] Quædam edit. Paris., *post unam aut secundam correptionem.* Sed videtur omnino Ambrosius legisse, *post unam correptionem.* Etenim non solum hic, verum etiam lib. II de Abraham et alibi omnes aliæ edit. cum. mss. in hanc lectionem conspirant. Post pauca vero edit. Rom. reposuerat, *Si septies in die conversus fuerit ad te dicens, Pœnitet me : dimitte illi.* At cum lectio nostra in ant. edit. et cunctis mss. habeatur, locum ab ipsomet Ambrosio contractum fuisse existimandum est.

[c] Eadem edit., *generatione Enoch secundum Lucam ponitur, qui raptus est.*

[d] Videtur hic sequi Ambrosius quorumdam Hebræorum opinionem, asserentium Cainum a Lamecho interemptum fuisse; qui tamen casu fortuito id factum volunt. Qua de re multa interpretes in hunc locum.

[e] Rom. edit. sola, *quod sabbato sepultus est.* Sed aliarum ac mss. omnium in voce *passus est* convenientium auctoritate adducimur, ut Christum sabbato passum ideo hic dici autumemus, vel quia erat ea dies παρασκευή ad sequens sabbatum, vel quod, ut statim subjicitur, sabbatum ita celebraretur a Judæis ut et mensis et annus instar sabbati haberetur. Ubi vero omnes edit. et plures mss. statim subjungunt, *magnum significans*, etc., maluimus cum mss. aliis, iisque melioris notæ legere *magno*, etc. Judæis enim tria festa erant quæ *sabbata magna* nuncupabantur, pascha scilicet, pentecoste, ac scenopegia, quorum primum eodem anno incidebat in sabbatum minus, uti ex sacris historiis intelligimus. Quod porro dicitur L *dies ut pascha celebrandos*, hoc de quibusdam ritibus intelligendum, de quibus in Apol. David cap. 8, n. 42.

Digitized by Google

*autem Ephesi usque ad pentecosten; ostium enim* A *mihi apertum est magnum* (*Ibid.*, 8 *et* 9). Itaque apud Corinthios hyemem agit, quorum erroribus angebatur; quod eorum circa Dei cultum frigeret affectus: cum Ephesiis pentecosten celebrat, atque his tradit mysteria, relaxat animum; quia fidei cernebat ardore ferventes. Ergo per hos quinquaginta dies jejunium nescit Ecclesia, sicut Dominica qua Dominus resurrexit, et sunt omnes dies tamquam Dominica.

26. Erit et alia Dominica qua Dominicum corpus resurgat. Novit hanc Paulus, qui ait: *Vos autem estis corpus Christi, et membra ex membris* (I *Cor.* XII, 27). Hæc enim corpus Domini et ossa de ossibus ejus capiti cohærebunt: *Caput autem Ecclesiæ Christus* (*Ephes.* V, 23). Tunc ergo cessabit jejunium, quoniam in perpetua jucunditate fatigatio, cura, lassitudo cessabit. Tunc mors destruetur: *Novissima enim mors*
1477 *destruetur* (I *Cor.* XV, 26). Nam etsi cessavit in Enoch, et non est inventa in eo; destructa tamen non est: ille enim raptus est, ut evaderet eam (*Gen.* V, 24): Christus ut destrueret, immolatus est. Et ideo bene dixit: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 55)? Ergo in hac resurrectione iterum Christus tamquam suo resurget in corpore. Beatus itaque qui habuerit partem in prima resurrectione; sicut enim primitiæ dormientium Christus, sic tunc primitiæ [a] resurgentium Ecclesia et sancti ejus (I *Cor.* XV, 20).

27. Hoc mysterium Petrus scire non potuit. Fortasse scierit de Enoch: quis tamen potuit mysterium absconditum in Deo humana mente comprehendere? Veniat ergo Dominus in animam meam, in mentem meam, atque eam subjiciat sibi; ut cum subjecta mens fuerit mea, dicam: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psalm.* XXII, 4).

(Vers. 6.) *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et jactare in mare, et obaudiet vobis.*

28. De grano sinapis supra dictum est, nunc de arbore mori est disputandum. Arborem lego, non tamen arborem credo. Nam quæ ratio, qui profectus hic noster, ut arbor quæ laborantibus agricolis ferat fructus, eradicetur, et mittatur in mare? Licet hoc pro virtute fidei possibile judicemus, ut sensibilibus imperiis natura insensibilis obsequatur: quid sibi vult tamen etiam ipsa arboris species? Legi qui- D dem: *Pastor eram caprarum, vellicans mora* (*Amos* VII, 14), et puto prophetam significasse nobis, quod ex peccatorum grege peccator ipse conversus sit; licet conveniat ut futurus gentium propheta fructum quæsisse videatur in sentibus, cibum ex sentibus eruisse, sed decolores et fetidos greges gentium, populos nationum, in suorum scriptorum pascuis locaturus, ut spirituali refectione pinguescerent; ipse autem de peccatore converso lac spirituale mulgeret.

29. Sed cum in alio Evangelii libro (*Matth.* XVII, 19) de monte sit dictum, cujus species nuda gignentium vitium, olearumque jejuna, infecunda messibus, apta latibulis bestiarum, ferarumque cursibus inquieta, extollentem se altitudinem nequitiæ spiritualis videatur exprimere, sicut scriptum est: *Ecce ego ad te, mons corrupte, qui corrumpis omnem terram* (*Jerem.* LI, 25); congruit ut hoc quoque loco opinemur id dictum, quoniam fides spiritum excludit immundum, maxime cum arboris natura huic concurrat opinioni. Nam fructus ejus primo albet in flore, deinde jam formatus irrutilat, maturitate nigrescit. Diabolus quoque ex albenti angelicæ flore naturæ et potestate rutilanti, prævaricatione dejectus, tetro inhorruit odore peccati. En tibi illum arbori moro B dicentem: *Eradicare, et jactare in mare*, cum legionem ejecit ex homine, in porcos transire permittit: qui exagitati diabolico spiritu, se in maria demerserunt.

30. Hic igitur locus hortatorius ad fidem, docens
1478 moraliter etiam ea quæ solidata sunt, fide posse dissolvi. Ex fide autem charitas, ex charitate spes, et rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur.

31. (Vers. 7, 8.) Sequitur ut nemo in operibus glorietur: quia jure Domino debemus obsequium. Nam si tu non dicis servo aranti, aut oves pascenti: *Transi, recumbe* (ubi intelligitur quia nullus recumbit, nisi ante transierit: denique et Moyses ante transivit, ut magnum visum videret); si ergo tu non dicis C servo tuo: *Recumbe*, sed exigis ab eo aliud ministerium, et gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis aut laboris; quia dum vivimus, debemus semper operari.

32. (Vers. 17.) Ergo agnosce esse te servum plurimis obsequiis defeneratum. Non te præferas, quia filius Dei diceris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Neque te jactes si bene servisti, quod facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, serviunt angeli. Vas gentium electus a Domino: *Non sum*, inquit, *dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XV, 9). Deinde alibi nullius se ostendens conscium culpæ, subjecit: *Sed non in hoc justificatus sum* (I *Cor.* IV, 4). Et nos ergo non a nobis laudem exigamus, nec præripiamus judicium Dei, et præveniamus sententiam judicis: sed suo tempori, suo judici reservemus. Post hæc reprehenduntur ingrati: atque ita demum ad tractatum futuri venitur judicii.

(Vers. 31, 32.) *In illa hora qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa: et qui in agro similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot.*

33. [b] Interrogatus a discipulis Dominus quando veniret regnum Dei, ait: *Regnum Dei intra vos est*

[a] Vet. edit., *resurgentium Ecclesiæ, et sancti ejus*; mss., *resurgentium Ecclesia et sancti ejus*; Rom. edit. *resurgentium sancti ejus*.

[b] Edit. Rom. sola, *Interrogatus a pharisæis.... utique per libertatem gratiæ*. Sed in voce *pharisæis* potuit S. Doctor vel memoria, vel quo usus est codice, falli; præterquam quod in sequenti versu mentio fit discipulorum: *vox autem veritatem recta est*; cum illa, ut

Digitized by Google

(Vers. 21); utique per veritatem gratiæ, non per servitutem culpæ. Itaque qui vult esse liber, sit servus in Domino; ea enim parte qua participamur servitute, participamur et regno. Ait ergo: *Regnum Dei intra vos est:* quando autem veniret, noluit dicere, sed dixit judicii diem esse venturum; ut terrorem omnibus judicii imminentis incuteret, nec securitatem dilationis afferret.

34. Et ne videretur contristare discipulos, [a] si his aliquid denegaret, ait in alio libro: *De die autem et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius* (*Matth.* XXIV, 36). Bene medie posuit Filium, est enim idem filius hominis Filius Dei; ut magis dictum secundum filium hominis æstimemus, quia temporum finem non per naturam hominis, sed per naturam Dei novit. Nec alienum tamen a fide est, si Filium accipias Dei. Quid enim est quod bonus Pater Filium celaverit, cui omnia dedit? Aut quomodo non dedit cognitionem temporis, cui dedit [b] ipsius judicii potestatem? Quomodo autem Filius nescire potest quod Pater novit; cum in Patre Filius sit, et Spiritus scrutetur etiam alta Dei (*Joan.* XIV, 11); cum ipse Filius altitudo sit divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei (I *Cor.* II, 10)? Sed cur nolit dicere, **1479** ostendit alio loco: *Non est vestrum scire tempora et annos quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7).

35. Videtis quo tendat qui Trinitatem negat unius potestatis, ut sit aliquid quod nesciat Filius? Cur enim celaret Filium proprium Pater? Aut enim invidiæ causa nolumus aliis intimare quod scimus, aut ne forte prodamur: sed nec invidi in Patrem, nec proditoris in Filium suspicio cadit. Ergo unius sunt cognitionis, quia unius sunt potestatis. Deinde qui signa novit futuri judicii, utique novit et finem.

36. (Vers. 24.) Quid enim est quod nesciat ille sicut fulgur coruscans, eo quod lux, Dei Filius interna mysterii cœlestis illuminet? [c] *In illa*, inquit, *hora*. Ergo et horam novit: sed novit sibi, nescit mihi. Bene autem causam diluvii, et incendii, et judicii de nostris asserit prodisse peccatis; quia Deus malum non creavit, sed nostra sibi merita repererunt.

(Vers. 27.) *Edebant* enim *et bibebant; uxores ducebant, et nubebant.*

37. Non quia conjugia damnentur, neque ut alimenta damnentur; cum in illis successiones, in istis naturæ subsidia sint; alioquin de hoc mundo est exeundum: sed in omnibus modus quæritur; quidquid autem abundantius est, a malo est. Sit aliquis consensus ad tempus, ut vacemus orationi: sit aliqua inter sollicitudines mundi, et intemperantiæ crapulas sobrietas religionis, et induciæ castitatis (I *Cor.* VII, 5).

38. Ergo quia propter improbos necesse est probi in hoc sæculo contritionem cordis animæque patiantur, quo uberiorem mercedem accipiant in futurum, remediis instruuntur; ut qui in Judæa sunt, fugiant in montes (*Matth.* XXIV, 16). Quæ est ista Judæa? Novi enim et aliam Judæam secundum spiritum, non secundum litteram: *Notus* enim *in Judæa Deus* (*Ps.* LXXV, 1). Quales autem isti montes qui possint metum futuri cohibere judicii, cum scriptum sit: *Tremor autem montes occupabit* (*Esai.* LXIV, 3)? *Cœlum et terra transibunt* (*Luc.* XXI, 33): quomodo terrarum portio manebit immunis, aut tueri me poterit, quæ nec ipsa se servat? Ubi igitur me ab ira ejus abscondam, qui conturbat profundum maris? *Si ascendero in cœlum, ibi est: si descendero in infernum, adest* (*Psal.* CXXXVIII, 8). Non ergo falli potest qui ubique est, sed placari.

39. Adest itaque judicii dies: si vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris quomodo fugias? *Ascende in montem qui evangelizas Sion* (*Esai.* XL, 9): ut excelsorum vertice possis eminere meritorum: Deus enim montium, et non Deus vallium est (III *Reg.* XX, 28). Ascende eo ubi Christus sedet ad dexteram Dei, cujus *Fundamenta in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1): et, *Montes in circuitu ejus* (*Psal.* CXXIV, 2). Mons tuus Paulus, mons tuus Petrus est. Supra illorum fidem mentis tuæ locato vestigium. In lege Dei atque hæreditate fidei constitutos judicii dies non ad pœnam invenit, sed ad gloriam.

**1480** 40. Si quis etiam in tecto est positus, hoc est, superiora jam domus suæ, eminentiumque virtutum culmen ascendit, ad terrena mundi hujus opera non recidat. Novi enim tectum in quo Rhaab illa typo meretrix (*Josue* II, 1 *et seq.*), mysterio Ecclesia sacramentorum consortio populis copulata gentilibus, exploratores quos Jesus direxit, abscondit: qui si ad inferiora descendissent domus, ab exploratoribus qui ad corripiendos eos missi fuerant occidissent. Tectum ergo sublimis est mentis offi-

jam a nobis observatum est, idem apud probatos auctores quandoque significet ac æquitas; itaque *per veritatem gratiæ* perinde erit atque per æquitatem seu justitiam quæ ortum ducit ex gratia.

[a] Sic. vet. edit. et cuncti mss. nisi quod in quibusdam prætermittitur, *in alio libro.* At Rom. edit. locum immutavit in hanc formam, *si eos aliquid celaverit, subjungitur: Et ait ad discipulos suos, venient dies. Et in alio libro.* Et post non multa ubi Amerb. cum Paucis mss. *Bene medium posuit filium*; et Era. ac Gill. cum reliquis, *Bene medie*, etc., eadem Rom. edit. exhibet, *Bene interposuit filium*. Sed omnino legendum *medie*, hoc est, non determinando utrum *Dei*, anve *hominis*.

[b] Mss. aliquot, *supra illorum fundamentum.*

[c] Rom. edit., *De die autem et hora dixit Matthæus.* Verum ea mutatio non aliunde invecta est quam quod superiorem Lucæ textum cum rejecisset post verba inferius posita, *sed ad gloriam*, alios textus omissos ab Ambrosio substituerit, ad quos referri non poterat ista expositio. Quod autem mox subjicitur, *novit sibi, nescit mihi*, referendum est ad superiora illa, *sed cur nolit dicere, ostendit.* Quapropter hic non est æquivocatio, sed metonymiæ species qua causa ab effectu denominatur; quomodo hunc locum etiam ab Augustino expositum reperimus lib. Quæst. 83, quæst. 60. Namque ibi a maximo illo Doctore traditur, *nescire Filium sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent.*

Digitized by Google

cium, animæque fastigium, quo nuda corporis ope- A ritur infirmitas. Unde mihi videtur etiam paralyticus ille idcirco esse sanatus (*Marc.* ii, 3), quia a quatuor juvenibus demissus e tecto est; quia a quatuor adminiculo virtutum, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, atque justitiæ, ad pedes Christi alta quadam se ratione subjecit. Nihil enim excelsius humilitate, quæ tamquam superior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod infra se judicat.

41. Sed quoniam in judicio versamur, non digrediamur a tecto; ne dum vasa quæ in domo sunt, auferre cupimus, capiamur. Non enim in omni domo sunt vasa aurea et argentea, sed in plerisque sunt lignea : nec omnis domus plena; sunt enim et vacuæ, quas novit propheta qui dixit : *Quid factum est tibi nunc, quia ascendisti in domos vacuas? Impleta* B *est civitas clamantium* (*Esai.* xxii, 1 *et seq.*). Et subjecit : *Omnes principes tui fugerunt, quicumque in te vulnerati sunt*, et ad perfidiam de fide lapsi sunt. Vulneratus est Sabellius, vulneratus est Valentinus, vulneratus est Arius; in domo enim vacua sunt reperti.

42. Vis domum videre plenam? Sequere Petrum, cum esuriret ad domus seperiora gradientem (*Act.* x, 9) : ibi agnovit mysterium Ecclesiæ congregandæ; ut gentilem populum non judicaret immundum, quem [a] fides posset ab omni mundare contagio. Vasa autem de luto sunt : ergo vas corpus est. Et ideo cave ne desiderio corporis, præclara mentis studia derelinquas. Si Petrus non accepit mysterium in inferioribus positus, tu quemadmodum accipies? Ille C accepit, quia ascendit, ut evangelizaret Dominum, passionem corporis non timeret.

43. Ergo *Qui in tecto est, non descendat : et qui in agro est, non revertatur retro.* Unde intelligam quid sit ager, nisi ipse me doceat Jesus, dicens : *Nemo mittens manum in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* ix, 62)? Otiosus in villa sedet, laboriosus in agro seminat : debilis ad focum, fortis ad aratrum. Bonus odor agri; odor enim Jacob odor agri pleni (*Gen.* xxvii, 27). Ager plenus est florum, plenus est fructuum diversorum. Ara igitur agrum tuum, si vis dirigi ad Dei regnum. Floreat tibi bonorum seges fecunda meritorum. Sit *Vitis abundans in lateribus domus tuæ, et novella olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* cxxvii, 3). Dicat anima D tua Christo, fertilitatis suæ jam conscia, et seminata **1481** Dei verbo, spiritalibus quoque inarata culturis : *Veni, frater meus, exeamus in agrum* (*Cant.* vii, 11). Ille respondeat : *Introivi in hortum meum, soror mea sponsa : vindemiavi myrrham meam* (*Cant.* v, 1). Quæ enim melior quam fidei vindemia, qua resurrectionis fructus reconditur, qua perpetuæ lætitiæ fons rigatur?

44. Itaque cum respicere prohibearis, multo magis redire prohiberis, et tollere tunicam; comperisti enim quod ei qui tunicam te petierit, remittere debeas et pallium (*Matth.* v, 40). Ergo directus ad Dei regnum, opes et patrimonium non requiras. Novit et aliam Scriptura tunicam, de qua nos hortatur Apostolus dicens : *Ut exspoliantes veterem hominem cum actibus ejus, induti novum* (*Coloss.* iii, 9 *et* 10), superioris tunicam non requiramus erroris. Unde et illa, ait : *Nocte exui me tunicam meam, quomodo induar eam* (*Cant.* v, 3)? quod non solum renuntiare peccatis, sed etiam memoriam omnem debeas actus superioris abolere. Denique Paulus superiora obliviscens, culpam exuit, pœnitentiam non omisit (*Philip.* iii, 13).

45. Et ideo Dominus : *Memores*, inquit, *estote uxoris Lot :* quæ ideo quia respexit retro, perdidit naturæ suæ munus; retro enim Satanas, retro Sodoma. Quapropter fuge intemperantiam, declinato luxuriam. Et ut cognoscas quia non omnes possunt fugere in montem, recordare quia ille [b] qui se a veteribus studiis non reflexit (Sodomam enim ante delegerat) ideo evasit, quia pervenit ad montem (*Gen.* xix, 30) : illa quæ infirmior fuit, quoniam ad posteriora respexit, nec mariti adjuta suffragio, ad montem pervenire potuit, sed remansit.

(Vers. 34.) *In illa nocte erunt duo in lecto uno : unus adsumetur, et alter relinquetur.*

46. Bene noctem dixit, quia Antichristus hora tenebrarum est; eo quod pectoribus hominum tenebras offundat, cum dicat se esse Christum, exsurgentibus pseudoprophetis qui asserant nunc in desertis Jesum degere, ut vagæ errore opinionis illudant; nunc in penetralibus, ut qui audierint, præcelsæ nomine potestatis arctentur. Christus autem sicut fulgur coruscans per universum mundum luminis sui globos spargit (*Matth.* xxiv, 27). Et ideo nec in desertis vagatur, nec aliquibus locis clauditur, quia *Cœlum et terram ego impleo*, dicit Dominus (*Jerem.* xxiii, 24) : sed luce fulgoris sui fulget, ut in illa nocte resurrectionis gloriam videre possimus. Quid igitur sibi vult quod ait :

(Vers. 35.) *Duo in lecto uno. . . . . duæ molentes in pistrino. . . duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur?*

47. Numquid iniquus Deus, ut pares studiis et societate vivendi, atque indiscretos actuum qualitate, meritorum remuneratione discernat? Non ita est, sed pro actibus hominis remunerationis est qualitas. Non ergo merita hominum copulæ usus exæquat : nam et Pater in filium, et filius in patrem studio religionis insurgunt; quia non omnes quod adoriuntur, efficiunt : *Sed qui perseveraverit in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Tum deinde non forense obse-

[a] Non ita hic fides intelligenda, ut necessitas bonorum operum excludatur, quod sane ab Ambrosii doctrina quam alienissimum esse probe norunt, qui in ejus lectione non sunt omnino peregrini : sed ea sola ideo nominatur, quia salutis ac virtutum omnium est fundamentum, ut docet Sanctus noster lib. ii de Cain et Abel, cap. 9, num. 28, atque alibi.

[b] Rom. edit, *qui se ad vetera studia non reflexit.*

Digitized by Google

quium, sed interiorem Dominus rimatur affectum; neque enim si juste offeras, et non juste dividas, acceptum est sacrificium Deo (*Gen.* IV, 7). 1482 Ergo ex uno strato (est enim stratum infirmitatis humanæ, quia scriptum est (*Psal.* XL, 4): *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*) unus relinquitur, alter assumitur: qui assumitur rapitur obviam Christo in aera; qui autem relinquitur, improbatur.

48. *Duæ molentes in pistrino.* Sensus quidem est quod hi significari videantur, qui ex occultis alimenta quærant, et in apertum ex interioribus proferant. Sed tamen quid molant istæ duæ mulieres, requirendum est. Nisi forte quod legimus in Esaia: Si afferatis similaginem, vanum est; ut similago sit, quæ a molentibus offeratur (*Esai.* I, 13). Discutiamus ergo quæ molant, quidve molant, quidve pistrinum sit. Et fortasse mundus iste pistrinum est, [a] in quo aptius reor quia humani corporis forma referatur, in quo anima nostra velut quodam carcere includitur corporali, panem, [b] si boni consulat, operatura cœlestem. In hoc ergo pistrino vel Synagoga, vel anima obnoxia delictis, triticum molendo madefactum, et gravi humore corruptum, non potest interiora ab exterioribus separare; et ideo relinquitur, quia ejus similago displicuit. At vero sancta Ecclesia, vel anima nullis maculata contagiis delictorum, quæ tale triticum molet quod solis æterni calore sit torridum, quod Deus quemadmodum voluit, sic vestivit, et angeli ab omni purgamentorum labe mundarunt, bonam similaginem de penetralibus hominum Deo offerens, sacrificii sui libamenta commendat.

49. Nec solum molentes duæ, sed etiam operantes duo erunt in agro uno, e quibus assumetur unus. Bonus seminator, qui non supra vias seminaverit, sed supra aratum et cultum solum; ut fructum humilitate pressum, non jactatione dispersum terra multiplicet. Relinquitur autem seminator zizaniorum, ex quibus refutabilis similago conficitur. Qui sint autem isti agricolæ differentes possumus reperire, si advertamus qua ratione duos νοῦς, hoc est, duas mentes esse in nobis Apostolus dixerit; fortasse enim ideo, quia altera exterioris est hominis, qui corrumpitur, altera interioris, qui per sacramenta renovatur. Et eo ille fortasse deterior, qui extollitur frustra inflatus mente carnis suæ, et non tenens caput; quia a Domini nostri Jesu Christi salutarium præceptorum observatione declinat; ipse enim caput omnium, qui auctor est omnium. Alter est ille præstabilior, qui humilitatem diligit, sapientiam quærit, misericordiam non omittit; bonus scilicet seminator; *Dispersit* enim, *dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* CXI, 9). Hic igitur spiritalis est, ille carnalis. Nam sicut verbis Apostolicis comprehendimus illum extollentem se tumido animo seductorem mente carnis inflari (*Coloss.* II, 18); ita etiam sanctum virum renovari spiritu mentis ostendimus, dicente eodem: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV, 23). Duas ergo mentes esse demonstrat; unam, quæ mens carnis efficitur, vincta peccato; alteram, quæ spiritui copulata, carnis abjurat illecebras.

50. Nec solum duæ mentes, sed etiam duæ leges in nobis sunt, quarum utramque nobis Apostolus 1483 explicavit, dicens: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 22 *et* 23). Est ergo lex interioris hominis, est etiam exterioris; illa quæ peccatum prohibet, ista quæ suadet; illa quæ damnat errorem, ista quæ suggerit; illa quæ mentem instruit, ista quæ tentat. Sunt etiam duæ aliæ vehementiores in nobis leges, una Dei, altera peccati, secundum eumdem Apostolum dicentem: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Ibid.*, 25). Et ostenditur quod si mentem tantummodo dicas, contrariam carnis ostendas; cum enim dicat Paulus se legi Dei mente servire, utique mentem per se ipsam, nisi carne vincatur, bonam esse demonstrat, et natura ita creatam, ut resistat errori. Itaque cum vincitur, mens carnis est, non ex natura habens, sed ex carne, quod labitur; et quasi in nomen proprietatemque victricis victa succedit; natura autem adversa carnis est. Denique mente Deo servimus, carne peccato. Melior autem mens erit, si cooperaria sancto Spiritui religiosum non intermittat officium.

51. Istæ sunt igitur operantes in agro nostro, quarum altera bonum fructum diligentia dat, altera amittit incuria, quam sanguinem Legislator appellat, dicens: *Anima omnis carnis, sanguis ejus* (*Levit.* XVII, 14). Quo plerique referunt etiam illud quod scriptum est: *Non manducabis carnem in sanguine* (*Gen.* IX, 9); ne vulneribus animæ cruentatas corporis voluptates, refectionis potius loco, quam reatu sanguinis æstimemus, quos oportet Dei verbo refici. [c] Est ergo cibus refectionis, est cibus sanguinis; sicut enim caro Domini vere est cibus, ita sanguis vere noster est potus (*De Consec. dist.* 2, *cap. In quibus*, § *Est cibus*). Bonam ergo de nostris operibus escam Domino suggeramus; ne rursus cum venerit, et sicut in illa ficu pomum non invenerit, nostrorum meritorum infecunditate jejunus propositum pietatis avertat, dicens ad illam animam quam nudam pomorum repererit, et sanguine cruentatam: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum* (*Matth.* XXI, 19). Est ergo anima carnis omnis sanguis ejus. Est etiam

[a] Ita omnes mss. et edit. nisi quod illorum aliqui pro *referatur*, habent, *reformatur*. Unus *reseratur*. Edit. autem Rom. pro *in quo aptius reor quia* (vel *quod* ut edit.) reposuit, *quod aptius reor quod in eo*, etc.

[b] Nonnulli mss., *si bonis consulat*; quidam etiam, *si bene consulat*. Neutrum satis commode.

[c] Hæc verba Gratianus loco citato in margine S. Leoni attribuit: sed ejusdem Gratiani correctores ea nusquam nisi apud Ambrosium reperiri observarunt. Eosdem quoque non fugit similis error admissus in verbis, *Est etiam corpus*, etc., num. 56, quem errorem nec B. Anselmus declinavit.

Digitized by Google

præstabilior anima, de qua dixit Deus : *Omnes animæ* A *meæ sunt : sicut anima patris, ita etiam anima filii mea est* ( *Ezech.* XVIII, 4 ).

52. Nec illud prætereat ut duos populos interpretemur, id est, quod in hoc mundo qui agro frequentissime comparatur, duo populi sint, unus credentium, alter qui non credit, relaturi meritorum vicem suorum ; et ideo alter qui fidelis est, assumatur ; alter qui infidelis, relinquatur. Duæ autem illæ molentes, duæ animæ, vel certe Ecclesia atque Synagoga ; non enim una tantum figura, sed multiplex in divinis Scripturis esse consuevit ; ut unus sermo plures species comprehendat. Itaque mens carnis, et anima carnis, et synagoga id triticum colligunt, et eam similaginem molunt, quæ offertur in vanum : mens autem quæ juncta est animæ, et anima quæ [a] recep- B trix est salutaris verbi, vel Ecclesia Dei, excolunt et molunt veræ **1484** legis similaginem spiritalem ; unde etiam panes propositionis fiunt, quos soli sacerdotes edunt, quibus puriorem panem manducare præscriptum est (*Levit.* XXIV, 8), illum utique qui descendit de cœlo (*Joan.* VI, 31). Omnes autem sumus, si merita nostra patiantur, justitiæ sacerdotes, qui unctione lætitiæ in regnum et sacerdotium consecramur.

53. Ergo ita exerceamus et colamus agrum nostrum in istius culturæ munere constituti ; ut in illa superiore Hierusalem, ubi legis custodia vera celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris, quos beati qui potuerint congregare : *Ut venientes veniant in exsultatione, tollentes manipulos suos* (*Psal.* CXXV, 6). Isti igitur fructus sunt spiritales, et felices C veri proventus laboris, qui nullo inutili imbre madefiant : fructus autem carnis corruptelæ obnoxius est ; et ideo qui carnalia seminaverit, carnalia et metet (II *Cor.* IX, 6). De agro vero quid dicam, cum manifestum sit in opere cultoris vel laudem esse, vel culpam ?

(Vers. 36). *Et respondentes dixerunt : ubi, Domine?*

54. Hoc discipuli locuti sunt : Dominus autem ubi præmonuit et quo fugiendum, et ubi commorandum, et quid esset cavendum, complexus est summam definitione generali, dicens :

(Vers. 37). *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.*

55. Itaque prius quæ sint aquilæ conjiciamus, ut quod sit corpus definiamus. Justorum enim animæ D aquilis comparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere ferantur ætatem. Unde et David animæ suæ dicit : *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII, 5). Si igitur intelleximus aquilas, de corpore jam dubitare non possumus, maxime si meminerimus quod a Pilato Joseph corpus acceperit (*Joan.* XIX, 38). Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene, et Maria mater Domini, apostolorumque conventus circa Domini sepulturam ? Nonne tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet cum intelligibilibus nubibus Filius Hominis : *Et videbit eum omnis oculus, et qui eum compunxerunt* (*Apoc*, I, 7) ?

56. Est etiam (*De Consecr., dist.* 2, *cap. In quibus*, § *Est etiam*) corpus de quo dictum est : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI, 56). Circa hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumvolant spiritalibus. Sunt et circa corpus aquilæ quæ credunt Jesum in carne venisse ; quia omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, de Deo est ( I *Joan.* IV, 7 ). Ubi ergo fides, ibi sacramentum, ibi diversorium sanctitatis. Est etiam corpus Ecclesia, in qua per baptismi gratiam renovamur spiritu, et occidua senectutis in redivivas reparantur ætates [b].

(Cap. XVIII. — Vers. 16.) *Sinite pueros venire ad me, et nolite eos vetare ; talium est enim regnum Dei.*

57. Atqui ætas hæc infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio : non ergo ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. **1485** Quid votis opus est ut ævi maturitas consequatur, si mihi meritum regni [c] demptura cœlestis est (*Luc.* VI, 13) ? Ergo Deus vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa virtutis. Et cur ipse apostolos non puerilis, sed provectioris elegit ætatis ? Cur autem pueros aptos regno dicit esse cœlorum ? Fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non norint, referire non audeant, [d] scrutari ignorent opes, honorem, ambitionem non appetant. Sed ignorare ista virtus non est, sed contemnere ; nec continentiæ laus, ubi infirmitatis integritas : non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. Denique ipse hoc Salvator expressit, dicens : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 8).

58. Quis est ergo puer imitandus apostolis Christi, num unus ex parvulis ? Hæc igitur virtus apostolorum ? Quis ergo puer ? Ne forte ille de quo Esaias dicit : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis* (*Es.* IX, 6) ? Ipse enim tibi puer dixit : *Tolle crucem tuam et sequere me* (*Matth.* XVI, 24). Et ut agnoscas puerum : *Cum malediceretur, non remaledixit ; cum percuteretur, non repercussit* ( I *Pet.* II, 23 ) ; hæc est

[a] Mss. aliquot, *receptrix est salutis*, *Ecclesiam Dei excolunt*. Melius alii plures, et edit. omnes ut in textu ; nisi quod pro *salutaris verbi*, non pauci quoque horum mss. legunt *salutis*.

[b] In mss. non paucis hoc loco inseritur ampla lacinia in parabolam pharisæi ac publicani : quæ non modo in mss. antiquioribus non invenitur, verum etiam vel prima lectione deprehenditur nihil habere Ambrosiani, ac præterea totidem verbis apud Bedam lib. V comment. in Lucam, cap. 74, legitur. Quapropter alienum partum legitimo non putavimus admiscendum.

[c] Mss. aliquot, *dein natura cœlestis est*. Minus commode.

[d] Ita edit. ant. ac mss. omnes, excepto quod in horum nonnullis pro *honorem*, legere est *honorum*. At Rom. edit sola, *scortari ignorent, opes, honorem, ambitionemque non appetant*.

Digitized by Google

enim perfecta virtus. Itaque et in pueritia est quædam venerabilis morum senectus, et in senectute innocens pueritia: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata, cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV, 8 *et* 9). Unde et scriptum est: *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini* (*Ps.* CXII, 1); quia nemo nisi perfectus laudat Dominum. *Nemo* enim *dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (1 *Cor.* XII, 3).

59. Quod videtur de Ecclesiæ populo prophetatum, qui junior seniorem populum Judæorum virtutis studiis anteivit. Et ideo illud: *Ecce ego et pueri mei quos dedisti mihi* (*Esai.* VIII, 18). Isti sunt pueri qui Dominum pullo asinæ supervectum propheticis vocibus prosequentes, redemptionem gentium venisse dicebant (*Matth.* XXI, 15): isti sunt pueri vel infantes qui Christi illa ubera super vinum haustu pleniore suxerunt. *Ex ore enim infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ps.* VIII, 3).

60. Durum itaque aliquibus et immite videri potest, quod discipuli ad Dominum infantulos adire prohibebant, nisi vel mysterium intelligas, vel affectum; neque enim id invidæ in pueros mentis asperitate faciebant, sed sedulæ servitutis obsequia Domino deferebant, ne comprimeretur a turbis. Denique alibi scriptum est: *Magister, comprimunt te turbæ* (*Luc.* VIII, 45). Respuenda quippe est utilitas nostra, ubi divinitatis injuria est. Ergo fugiamus superbiam, sequamur puerilem simplicitatem; quia veritas adversaria superbiæ, simplicitas autem concurrens veritati, in ipsa humilitate sublimis. Non enim in abjecto corde habitat Deus, sed sicut tradiderunt nobis prophetæ: *Thronus virtutis exaltatus est* (*Jerem.* XVII, 12); in eo scilicet cujus elevatur sapientia ad altitudinem veritatis. Nec sicut Cain fraterna specie dolum **1486** percussoris abscondat; sed foris intraque sit frater. Hæc in affectu. In mysterio autem, quia prius salvari populum Judæorum, ex quo et secundum carnem nati fuerant, gestiebant, sed et pro Chananæa muliere supplicarunt (*Matth.* XV, 23). Sciebant ergo mysterium, quod utrisque populis vocatio deberetur, sed fortasse adhuc ordinem nesciebant.

61. Nunc distantiam intende verborum. Ubi ad se infantes accedere jubet, ut eos [a] vel prædicatione, vel manuum impositione benediceret, pueros appellat: ubi præcipit non scandalizandos (*Matth.* XVIII, 6), pusillos vocat; non enim scandalizantur qui tanguntur a Christo, non labuntur qui Christo propinquant: sed labuntur illi quos pusillos non ætatis exiguitas, sed virtutis pusillitas fecit. Simul etiam docet infirmos non esse tentandos; ne in nos eorum delicta vertantur, quorum preces ad Dominum, et si ipsi virtutum meritis infirmi sint, angelorum tamen patrociniis evehuntur. Nemo ergo irrideat pauperem, quia exacerbat illum qui fecit eum: nemo tentet invalidum, ne angelos lædat: nemo præcipitet infirmum, ne solvat beneficium Redemptoris. (*Prov.* XII, 5).

62. Et ideo dixit: *Væ huic mundo ab scandalis* (*Matth.* XVIII, 7); quia crucem Domini plerique scandalum judicarunt, cum Dominicæ humilitas passionis nostræ sit sacramentum salutis; ut adoriamur virtutis officium, sumamus humilitatis exemplum. Væ igitur ei qui in crucem Domini non crediderit, quo scandalizantur infirmi: *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6).

63. In divinis quidem Scripturis non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus; plus enim proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis atque deformis belluina quædam pompa supplicii. Tamen ne cui hinc quoque scandalum generetur infirmo, non otiose simul positam putamus molam asinariam, collum hominis, profundum maris. Etenim cum asini typum populus gentilis acceperit; nonne tibi videtur tamquam molam asinariam volvere, quamdiu in imperitiæ suæ errore versatur, naturæ quidem vinculis alligatus, ut verbum emolat, Deum quærat: sed opertæ mentis cæcitate suffusus; ut vultum animi erigere ad Deum, et oculos cordis aperire non noverit? Et ideo sine ulla cursus alacritate, vestigiis in se sæpe redeuntibus, invitus usui laborat alieno. Tamen qui molam volvit, consummandi aliquando finem operis habet, et exuendæ spem gerit cæcitatis; cui vero mola ad collum suspenditur, portat lapidem qui portare Domini jugum recusavit. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt, nec agnoscit: *Deus enim non in manufactis habitat* (*Act.* XVII, 24), nec in saxo agnoscitur, sed in spiritu.

64. Uterque igitur populus et gentilis et Judæus pompa quadam sermonis hujus exponitur, sed vehementior in Judæos pœna decernitur. Gentilium enim memoria sæculi istius fluctibus **1487** obruetur, et cœno mundi hujus abolebitur, qui inter ea quæ non sunt, esse voluerunt, et alienati a scientia Dei tamquam in profundum maris mersi sunt; at vero Judæi per patriarchas adsumpti, circumcisione signati, per Legem eruditi, non tamquam ignoti peribunt, sed tamquam sacrilegi punientur. Etenim Atheniensibus ignotus Deus, in Judæa notus, sed non receptus (*Act.* XVII, 23). Et ideo qui ignorat, ignorabitur; qui prævaricatur, damnabitur; nec ille exutus a culpa, qui suum nescivit auctorem, et ille exutio a venia, qui Dominum non recepit. Tolerabilius tamen est fidem non detulisse Christo, quam manus intulisse (*Psal.* LXXV, 2).

(Vers. 18, 19.) *Interrogavit autem eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciendo vitam*

[a] Rom. edit. *vel precatione*: quam lectionem lubentes amplecteremur, si ea saltem unico mss. defenderetur.

Digitized by Google

*æternam possidebo? Dicit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.*

65. Versuta interrogatio, et ideo arguta responsio. Tentator enim princeps iste magistrum bonum dixit, qui Deum bonum dicere debuisset. Nam licet et in divinitate bonitas sit, et in bonitate divinitas (nemo enim bonus nisi solus Deus, omnis autem homo mendax (*Psal.* cxv, 11), quidquid autem mendax, utique non bonum), tamen addendo, *Magister bone*, in portione bonum dixit, non in universitate; nam Deus universitate bonus, homo ex parte. Propterea Dominus : *Quid me dicis bonum*, quem negas Deum? Quid bonum dicis, cum bonus nemo nisi unus Deus? Non ergo bonum se negat, sed Deum designat. Bonus enim quid est, nisi plenus bonitatis? At vero cum scriptum sit : *Non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum* (*Psal.* xiii, 2), utique de hominibus, non de Deo dixit; Deus enim unus est, non unus e numero (*Deut.* vi, 4); ita et Dei Filius quasi unicus exceptus est, non quasi unus ex multis; unigenitus est, non unus ex genitis. Et ideo *Nemo bonus*, non præjudicat Christo; quia nemo judicat Christum. *Nemo* enim tamquam communiter de nobis dicitur, sed nihil Christo commune nobiscum.

66. Quod si quem movet, quia *Nemo bonus nisi unus Deus*, moveat et illud, quia nemo bonus nisi Deus. Quod si a Deo Filius non excipitur, utique nec a bono Christus excipitur. Sed cum in Deo Filius persona alter, potestate unus sit, *Unus enim Deus ex quo omnia, et unus Dominus per quem omnia* (I *Cor.* viii, 6); Deus autem et Dominus non duo dii, sed unus Deus sit, quia *Dominus Deus tuus Dominus unus est* (*Deut.* vi, 4), utique cum secundum majestatem Deus unus utraque persona sit, et bonus unus in utroque est. Nam quomodo non bonus ex bono natus? *Arbor enim bona bonos fructus facit* (*Matth.* vii, 17). Quomodo non bonus, cum bonitatis substantia assumpta ex Patre non degeneravit in Filio, quæ non degeneravit in Spiritu? Et ideo *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* (*Ps.* cxlii, 11). Quod si bonus Spiritus qui accepit ex Filio, bonus utique et ille qui tradidit. Et cum bonus Pater, utique et ille bonus qui omnia habet, quæ Pater habet. Aut si negatis Filium habere bonitatem, negatis et Patrem (*Joan.* xvii, 10).

67. Ratio evidens exemplis non eget, tamen **1488** vel auctoritatem sequimini Scripturarum; scriptum est enim : *Dominus judex bonus domui Israel* (*Esai.* xxxiii, 22). De Filio, an de Patre dicit? Sed *Pater non judicat quemquam; quia omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Ergo Dominus bonus Filius. Accipe aliud : Trinitatem utique confitentur qui ad baptismum veniunt; quia baptizantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ergo et [a] Patri et Filio et Spiritui sancto confitentur. Cum ergo dicitur : *Confitemini Domino, quoniam bonus* (*Ps.* cxxxv, 1), bonus utique Pater, bonus et Filius, bonus et Spiritus sanctus, sed Deus unus est; quia *bonus Dominus exspectantibus eum* (*Thren.* iii, 25). An non bonus qui bona tribuit *animæ quærenti eum?* An non bonus, *Qui satiat in bonis animam tuam* (*Ps.* cii, 5)? An non bonus, qui ait : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* x, 11)?

68. Sed putatis ideo Deum bonum; quia judicium non habet [b] in quo est necessitas vindicandi. (*Supra, num.* 67). Quamquam jam præmissum sit judicem bonum esse domui Israel, tamen alibi habes : *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (*Ps.* lxxii, 1)! De quo igitur putatis dictum, de Patre, an de Filio? Si de Patre, ergo non omnibus bonus. Cur igitur Filio derogatis? Si de Filio, ergo bonum Deum et Filium confitemini; ipse est enim *Benedictus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* i, 68). Ipse est rex et Deus Israel, cui dicitur : *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (*Joan.* i, 49). Sic igitur hic dicit : Quoniam tu bonum me non potes sentire qui tentas, quid me dicis bonum? Bonus quidem ego, sed *Rectis corde*, cui bonum esse ex natura suppetat, non ex versutia. Bonus ergo Filius, *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (*Sap.* vii, 26). Quomodo ergo non bonus, qui est imago bonitatis? Sicut enim imago Dei Deus, sed unus Deus, ita et divinæ imago bonitatis bona, sed una bonitas. Mihi certe utile est bonum Deum credere, quem meorum habiturus sum judicem delictorum. Illi viderint qui credere bonum nolunt. Itaque quia legisperitus est iste qui tentat, sicut in libro alio demonstratur, bene dixit : *Nemo bonus, nisi Deus* (*Marc.* x, 18); ut admoneret quia scriptum est : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* vi, 16), sed magis confiteretur Domino, *Quoniam bonus* (*Ps.* cxxxv, 1).

69. (Vers. 21.) Denique eum sæpe perstringit, nam glorianti in lege quod a juventute sua omnia custodisset; ut inanem jactantiam ejus exponeret, ostendit ei adhuc deesse quod Legis est. Et ideo ad misericordiæ præceptum tristis inducitur; ut in eum naturalis quædam detur forma sententiæ.

(Vers. 25.) [c] *Facilius camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.*

70. Magna vis, magnum pondus in verbis. Quibus enim verbis aliis vehementius exprimeret, non debere jactare se divitem in divitiis suis, quam talibus quibus definitur contra naturam esse dives misericors? Aufer mihi lenocinia fucumque verborum, quæ solent enervare sententias. [d] Lactari non debuit iste, sed frangi, qui misericordiam respuebat.

[a] Pauci mss., *Patrem et Filium et Spiritum sanctum confitetur.*

[b] Mss. aliquot, *in quo necessitas non est vindicandi.*

[c] Edit. Rom. plura hic per quatuor aut quinque columnas propria auctoritate transposuerat, quæ nos etsi pristino ordini restituamus, ea tamen in marginibus, quæ non nisi ægre tam multa caperent describere supersedemus.

[d] Sic edit. Era. et Gill. in marg. nec non Rom. in corp. cum plerisque scriptis cod. Edit. autem vet. in

Tamen si quos verborum **1489** magis ornamenta quam sensus virilis et naturalis quidam habitus et forma delectant : quod boni faciunt petitores in uxore ducenda, ut mores discutiant, non decorem; nec aspectus offensione revocentur, cum virtute animi provocantur : hi quoque in verbis mysterium quærant, quod est mens quædam et anima verborum; nec in mysterio verba discutiant.

71. Camelus ergo in typo populus gentilis accipitur, quem leo ille quærens quem devoret, onustum thesauro propheticis [a] agitat speciebus in desertum : in tribulatione enim et angustia leo et catulus leonis, aspides et progenies aspidum volantium ferebant in asinis et camelis divitias suas (*Esai.* xxx, 6). Et bene camelus pro gentili figuratus est populo; quia superstitionis deformitate degenerans, priusquam crederet populus nationum, belluinæ speciem fœditatis, absurda vestigia, ora turpia præferebat. Facilius igitur iste peccator per viam intravit angustam (quæ est via Christi, qui per proprii corporis passionem mortis penetrans viam, velut acus redintegravit scissa quædam nostræ vestimenta naturæ) quam populus Judæorum dives in Lege, egenus in fide, præruptus in furore, probrosus in crimine.

72. Potest etiam moraliter de omni intelligi peccatore, et de arrogante divite. Nonne tibi videtur publicanus ille oneratus suorum conscientia delictorum, cum oculos ad Deum non auderet attollere (*Luc.* xviii, 13), velut quidam camelus in foramen acus confessionis suæ remediis facilius introire, quam pharisæus ille [b] in regnum Dei, arrogans in prece, jactans innocentiæ, præsumptor gloriæ, exprobrator misericordiæ, prædicator sui, criminator alieni : qui magis conveniret Dominum quam rogaret? Si quis igitur horret camelum, horrescat eum qui factis fœdior sit camelo.

(Vers. 20.) *Honora patrem et matrem.*

73. Pulchre mihi hodie legitur Legis exordium; quando mei natalis est sacerdotii; [c] quotannis enim quasi de integro videtur incipere sacerdotium, quando temporum renovatur ætate. Bonum etiam quod legitur : *Honora patrem et matrem* (*Exod.* xx, 12). Vos enim mihi estis parentes, [d] qui sacerdotium detulistis : vos, inquam, filii, vel parentes : filii singuli, universi parentes; libenter enim meos dixerim vos vel liberos, vel parentes, qui verbum Dei auditis et facitis : filios, quia scriptum est : *Ve-*

A *nite, filii, audite me* (*Psal.* xxxiii, 12) : parentes, quia ipse Dominus dixit : *Quæ mihi mater aut fratres? Mater et fratres mei hi sunt qui audiunt verbum Dei et faciunt* (*Luc.* viii, 21).

74. Bene ergo Lex quæ præmiserat : *Diliges Dominum Deum tuum, et diliges proximum tuum,* subjecit : *Honora patrem tuum et matrem.* Primus enim gradus iste pietatis est; namque hos auctores **1490** tibi esse voluit Deus. Honora obsequiis, ut abstineas a contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda pietas est parentum. Sed parum est non lædere, quia Lex prospexit ne patiantur injuriam : *Qui enim maledixerit patri vel matri, morte moriatur* (*Exod.* xxi, 17): tu honora, ut bonus sis. Aliud est Legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, quia suos Dei
B Filius honoravit. Legisti enim, *Et erat subditus illis* (*Luc.* ii, 51) : si Deus servulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Joseph et Mariam Christus non naturæ debito, sed pietatis officio. Honorabat et patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare, ut esset obediens usque ad mortem : honora ergo et tu parentes.

75. Est autem honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis : *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt* (I *Tim.* v, 3). Honor enim est deferre pro meritis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam. Et si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus quos pro te passa est : non reddidisti obsequia quibus te illa gestavit : non reddidisti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, im-
C mulgens labris tuis ubera : non reddidisti famem quam pro te illa toleravit; ne quid quod tibi noxium esset, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit : et tu [e] illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum judicium, si pascat Ecclesia quos tu nolis pascere! *Si quis fidelis*, inquit, aut si qua fidelis *habet viduas, subministret illis; ut non gravetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt, sufficiat* (I *Tim.* v, 16). Hoc de extraneis : quid de parentibus?

76. Non otiose diximus proxime, quia nos materna querela præstrinxit : sed maluimus eum qui
D talis est, [f] publice monere, quam domestice coercere. Et si nostra voce non proditur, vel suo tamen

corp. ac nonnullæ ex ultimis Paris. cum mss. aliquot, *jactari non debuit.* Non satis apte.

[a] Omnes edit. et pauci mss., *agit affatibus.* Septem mss. *agit aspectibus.* Non absurde. Alii tamen septem. *agitat speciebus*, id est, figuris ac imaginibus, quibus prophetica visio exprimitur. Ubi autem post pauca mss. plerique legunt, *ad aspides;* alii nonnulli atque edit. omnes præpositionem omittunt, magis congrue ad propheticum textum.

[b] *In regnum Dei*, resecata fuerunt in edit. Rom.

[c] Mss. aliquot, *tot annis enim. . . . quanta temporum*, etc. Hic porro vetus consecrationis antistitum quotannis celebrandæ consuetudo indicatur, minime indigna quam observemus. De qua videsis Baron. in *Martyr. Rom.* ad xv kal. Febr. et alios.

[d] Dicitur hoc loco populus sacerdotium detulisse, quod nimirum Ambrosium *ordinari*, ut Paulinus testatur, *mirabili et incredibili concordia consensisset,* non quod ei contulisset ordinem aut jurisdictionem. Illa quippe nequaquam inter se confundenda sunt, quod hæretici faciunt, ut missionis ac potestatis ministrorum suorum defectum quoquo modo videantur defendere. Sed ordinationem per quam confertur jurisdictio, nunquam nisi ab episcopis in Ecclesia catholica peractam esse extra dubium est.

[e] Tres mss., *illam, quem voluit cibo egere pateris.*

[f] Hinc intelligas episcopis olim non solum admo-

Digitized by Google

erubescit affectu. Ne commiseris, fili, ut parentes A tuos aliorum fames pascat : ne commiseris, fili, ut jejunia pauperum parentibus tuis cibum quærant. Si non propter gratiam et salutem, propter verecundiam pasce vel tu, fili, vel tu, filia. Non pudet si te ingrediente in Ecclesiam, alienis manus suas anus mater extendat, et prætermissa filia, de extraneis stipem poscat; cum tu transeas sublimi collo, et nutibus oculorum, trahens vestem, habens inaures, et dextralia, et annulos, et reliqua quæ Esaias dicit (*Esai.* III, 16 *et seq*)? Quid si in te sermonem suum vertat, reposcens naturæ debitum, nutrimentorum pretium, manus tuæ quod genitrici debetur officium? Quid respondebis?

77. Dabisne aliis? Quid si tibi objiciant: Vade, prius matrem tuam pasce. Nam et si pauperes sunt; B impiam tamen non quærunt collationem. **1491** Nonne audisti supra quia dives ille in bysso et purpura recubans, cujus de mensa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis qui pauperi non impartivit alimenta (*Luc.* XVI, 19 *et seq.*)? Si non donare extraneis grave est, quanto gravius excludere parentes? Sed dicis te quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis quia discipuli Domini manus non lavarent, respondit Jesus: *Quicumque dixerit: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem aut matrem* (*Matth.* XV, 5 *et* 6).

78. Quapropter obscuritatem sensus non imprudenter deflexImus. Nam Judæi cum hominum traditionem sequuntur, Dei negligunt : discipuli traditio- C nem Dei præferentes, hominum negligebant, ut manus non lavarent, cum panem manducarent; quoniam, *Qui lotus est totus, non habet necesse ut manus lavet* (*Joan.* XIII, 10). Laverat eos Jesus, lavacrum aliud non quærebant; uno enim Christus baptismate omnia solvit baptismata. Itaque quem laverit Ecclesia, non habet necesse iterum lavari. Ergo mysterio intendebant discipuli, [a] non sui munditiam corporis, sed animæ requirentes. Hoc reprehendebant Judæi : sed argute redarguuntur a Domino, quod inania observent, profutura despiciant. Et ideo illis dicit : Vos quare dicitis patri aut matri, quos Lex præcipit honorari : *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit* (*Exod.* XX, 12); id est, cum petit aliquid ad sumptum D egens pater aut mater a filio, [b] quia Legem timens Judæus excusationem non dandi requirit, dicere solet : *Munus quod est ex me, tibi proderit*; ut dicatam a filiis Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet. Sec hæc traditio hominum est excusationes obtexentium avaritiæ suæ. Cæterum Dei traditio est, ut prius pascas parentes (*Dist.* 86, *cap. Cæterum*). Nam si juxta divinum oraculum, contumelia parentis morte luitur (*Exod.* XXI, 17), quanto magis fames, quæ morte gravior est?

79. Quo loco insolentem Dominus infrenat jactantiam. Multi enim, ut prædicentur ab hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferunt; cum misericordia a domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo prius parenti, da etiam pauperi, da illi [c] presbytero quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias spirituale quod tibi deest; etenim qui honorat, honorabitur. Vide ergo quia ille cum accipit, tradit : et accipit non quasi inops, sed quasi remuneraturus majore mensura. Da pauperi in requiem ejus, ut et tu communicans de tuo inopi, requiem consequaris. Sed ut pascendos Scriptura dicit parentes (*Luc.* XIV, 26) : ita propter Deum relinquendos parentes; si impediant devotæ mentis affectus.

(Vers. 35.) *Factum est autem cum appropinquasset Hiericho, quidam cæcus sedebat secus viam.*

80. In libro secundum Matthæum duo inducuntur (*Math.* XX, 30), **1492** hic unus : ibi egrediente Hiericho, hic appropinquante. Sed nulla distantia; nam cum in hoc uno typus populi gentilis sit, qui sacramento Dominico recipit amissi luminis claritatem, nihil interest utrum in uno medicinam, an in duobus accipiat; quoniam ex Cham et Japhet Noe filiis originem ducunt, in duobus cæcis duos generis sui prætendebant auctores.

81. Quod videtur etiam Lucas non omisisse, cum Zachæum subjicit, qui statura pusillus, hoc est nulla [d] nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum, audito domini Salutaris adventu, quem sui non receperant, videre cupiebat : sed nemo facile Jesum videt, nemo potest Jesum videre constitutus in terra. Et quia non prophetas, [e] non regnum habebat, tamquam formæ gratiam naturalis ascendit in sycomorum, vanitatem scilicet Judæorum vestigio suo proterens, errata quoque corrigens superioris ætatis : et ideo Jesum interioris domus recepit hospitio. Et bene ascendit in arborem, ut arbor bona bonos fructus faceret, ac naturali excisus oleastro, et contra naturam insertus in bonam olivam, fructum posset Legis afferre; radix enim sancta, et si rami inutiles, quorum infructuosam gloriam plebs gentium fide resurrectionis quasi quadam corporis elevatione transcendit.

(Cap. XIX.—Vers. 2.) *Et ecce vir nomine Zachæus.*

82. Zachæus in sycomoro, cæcus in via. Quorum

nendi, verum etiam coercendi jus auctoritatemque fuisse.

[a] Mss. non pauci, nec inferioris notæ, *non suæ munditiam animæ, non corporis requirentes.* Atque haud scimus an non illa vera sit lectio. Non male tamen alii, et edit. omnes, ut in textu.

[b] Ita mss. plures, potioresque. Alii, et edit. vocem *Judæus*, non agnoscunt, cujus loco in Rom. substituitur *filius*, ante voces, *quia Legem*.

[c] Adverte nequaquam esse vituperandum si presbyteri quæ spiritalia et sui officii sunt laicis impendentes, ab eisdem vicissim eleemosynam terrenam accipiant; dummodo hinc absit pudenda cupiditas, ac turpis rerum sacrarum nundinatio.

[d] Quidam mss., *nobilitatis vigente dignitate sublimis;* alii nonnulli, *nobilitatis ingenuitate sublimis.*

[e] Vet. edit., *non alibi regnum habebat.* Vox autem *alibi*, omittitur in mss. At Rom. edit. emendavit, *non legem habebat.* Haud infelici conatu.

Digitized by Google

alterum Dominus miseraturus exspectat, alterum mansionis suæ claritate nobilitat: alterum sanaturus interrogat, apud alterum [a] se non invitaturum invitat; sciebat enim uberem hospitis sui esse mercedem: sed tamen et si nondum vocem invitantis audierat, audierat affectum.

83. Verum ne cæcum istum tamquam fastidiosi pauperum cito reliquisse videamur, et transisse ad divitem; exspectemus eum, quia exspectavit et Dominus: interrogemus eum, quia interrogavit et Christus. Nos interrogemus, quia nescimus: ille, quia noverat: nos interrogemus, ut sciamus unde iste curatus sit: ille interrogavit, ut in uno plures disceremus unde Dominum videre mereremur; interrogavit enim, ut crederemus nisi confitentem non posse sanari.

*Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Dominum. . . . Et perambulabat in Hiericho* (*Cap.* XVIII, *vers.* 43).

84. Aliter enim non videret, nisi sequeretur Christum, nisi Dominum prædicaret, nisi sæculum præteriret. Cum divitibus quoque in gratiam revertamur; nolumus enim offendere divites, quia volumus, si fieri potest, sanare omnes; ne in cameli comparatione præstricti, et in Zachæo citius quam oportuit, derelicti, justæ habeant commotionis offensam.

85. Discant non in facultatibus crimen hærere, **1493** sed in iis qui uti nesciant facultatibus; nam divitiæ ut impedimenta in improbis, ita in bonis sunt adjumenta virtutis. Dives certe Zachæus electus à Christo; sed dimidium bonorum suorum pauperibus largiendo, reddendo etiam in quadruplum quæ fraude sustulerat (alterum enim non sat est: nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat; quia non spolia, sed dona quæruntur), uberiorem mercedem, quam conferebat, accepit.

86. (Vers. 2.) Et bene princeps inducitur publicanorum. Quis enim de se desperet, quando [b] et iste pervenit cui census ex fraude? *Et ipse*, inquit, *dives*. Ut scias non omnes divites avaros.

87. (Vers. 3.) Quid sibi vult, quod nullius alterius staturam Scriptura nisi hujus expressit, *Quia statura pusillus erat*? Vide ne forte malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide; nondum enim [c] promiserat, cum ascenderet, nondum viderat Christum, merito adhuc pusillus. Denique Joannes magnus, quia et Christum vidit, et Spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: *Vidi Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum* (*Joan.* I, 32).

88. Quæ autem turba, nisi imperitæ confusio multitudinis, quæ verticem nequit videre sapientiæ? Ergo Zachæus, quamdiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascendit, et vidit; hoc est, [d] plebeiam transgressus inscientiam, meruit, quem desiderabat, aspicere. Pulchre autem addidit:

(Vers. 4.) *Quia illa parte erat transiturus Dominus.*

89. [e] Vel ubi sycomorus, vel ubi crediturus; ut et mysterium servaret, et gratiam seminaret: sic enim venerat, ut per Judæos transiret ad gentes.

90. Vidit itaque Zachæum sursum; jam enim sublimitate fidei inter fructus novorum operum velut fecunda altitudine arboris eminebat. Et quoniam de typo ad moralia deflexímus, inter tot [f] credentium voluntates Dominica die relaxare animum, festivitatem admiscere delectat. Zachæus in sycomoro, novum videlicet novi temporis pomum, ut in hoc quoque compleretur illud: *Arbor fici produxit grossos suos* (*Cant.* II, 13); ad hoc enim Christus advenit, ut ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Legimus alibi: *Cum esses sub arbore fici, vidi te* (*Joan.* I, 48). [g] Ergo non Nathanael sub arbore, hoc est, supra radicem, quia justus; radix enim sancta: sub arbore tamen Nathanael, quia sub Lege: Zachæus supra arborem, quia supra Legem: ille domini occultus defensor, hic publicus prædicator: ille adhuc Christum ex Lege quærebat, iste jam supra Legem, relinquebat sua, et Dominum sequebatur.

**1494** (Vers. 16.) *Ecce mna tua decem mnas acquisivit.*

91. Bonus ordo, ut vocaturus gentes, et Judæos jussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Judæorum: unde potuit melior fieri; aut quid ab eo qui nihil recepit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam supra mulier Evangelica quia non invenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam (*Luc.* XV, 8).

92. (Vers. 18.) Denique ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. [h] Fortasse istæ moralia habent, quia quinque sunt corporis sensus: illæ decem, duplicia, id est, mystica Legis, et moralia probitatis.

[a] Omnes edit. ac mss. non pauci, *se non invitatus*; alii, qui et melioris notæ, *se non invitaturum*. Rursus eædem edit. et mss. aliquot, *hospitii sui*; alii plures, *hospitis sui*. Denique ubi memoratæ edit., *jam viderat affectum*; mss. contra fere ad unum præferunt, *audierat affectum*.

[b] Edit. Rom., *iste cui sensus ex fraude ad salutem pervenit*.

[c] Rom. edit. iterum sola, *reddere promiserat*.

[d] Cunctæ edit. et complures mss. *plebem jam transgressus, in scientiam meruit quam*, etc. Inscite. Nobis vero locum restituere mss. Corb., Colb. unus, Vict. et alii nonnulli. At post verbum, *aspicere*, Rom. edit. insertis illis, *in quo et mysterium licet advertere*, prosequitur, *nam statura pusillus*, etc.; ut num. 87.

[e] Rom. edit. sola, hoc loco partim decurtato, partim inverso ita reposuerat: *Hic enim venerat ut per Judæos transiret ad gentes; ut et mysterium servaret, et gratiam seminaret.*

[f] Ita mss. et edit. omnes, excepta Rom. et ms. Reg. ubi, *credentium voluptates*. Sed in mss. sæpissime, *voluntas* et *voluptas*, confunduntur.

[g] Rom. edit. et ms. Reg., *Ergo Nathanael*. Sed negationem aliæ edit. ac mss. cæteri præ se ferunt.

[h] Edit. ant. *Fortasse iste moralia habet . . . . ille decem duplicia*. Rom. ab his tantum eo recedit, quod resecavit, *decem*. Verum diversitati locum non aliud dedit, nisi quod in mss. quibusdam *e* simplex pro diphthongo scriptum legatur.

Digitized by Google

Unde et Matthæus quinque talenta et duo talenta A posuit (*Matth.* xxv, 15): in quinque talentis ut sint moralia, in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re uberius. Et hic possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, Legis doctrinam: quinque mnas, magisteria disciplinæ. Sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum; non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei.

93. Bene autem quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam detulerunt; non utique æris, sed [a] disputationis usuris. Alia est enim pecunia fenoris, alia doctrinæ cœlestis usura.

94. (Vers. 23.) Denique Dominus cum dicit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam* (*Matth.* xxv, 18)? non nostræ, sed suæ pecuniæ quærit usu- B ram.

95. Unus intra terram abscondisse se dicit, quod rationem quæ ad imaginem et similitudinem Dei data est nobis, studio voluptatis obruit, et tamquam in foveam carnis abscondit. De aliis siletur, qui quasi prodigi debitores, quæ acceperant, perdiderunt (*Luc.* xx, 10). In duobus illis pauci sunt, qui per duas vices ad cultores vineæ destinati sunt: in reliquis omnes Judæi (*Matth.* xxiv, 18). Quam comparationem Matthæus etiam nobis voluit aptare, quod similiter ut dives qui pecuniam suam non impartit pauperibus: ita etiam qui doctrinæ suæ gratiam non dividit imperitis, docere cum possit, haud mediocris reus est culpæ (*Lib.* v *de Fide, cap.* 1). De quo, quoniam in libris de Fide scriptis diximus, transcurrere melius fuerit.

96. Civitates autem [b] decem (*Vers.* 17) esse quæ possunt, nisi forte animæ quibus jure præponitur qui pecuniam Domini, et illa eloquia casta probata sicut argentum, mentibus hominum feneraverit? Nam sicut Hierusalem dicitur ædificata sicut civitas (*Psal.* cxxi, 3), ita sunt animæ pacificæ. Et sicut angeli præsunt, ita et hi qui vitam meruerint angelorum.

[a] Rom. edit. sola, *dispensationis usuris*. Sed vox *disputatio* frequenter apud Ambrosium idem significat quod tractatio, seu prædicatio Evangelica. Rursus eadem edit. Rom. cum Era. et Gill. *Alia est enim pecuniæ fœnebris*. Amerb. vero et mss. nobiscum faciunt, nisi quod legitur in duobus, . . . *pecuniæ, vel fœnoris*.

[b] Sic omnes mss. et edit. præter Rom. quæ pro *decem* reposuit *quinque*.

# LIBER NONUS

**1495** (Vers. 29, 30.) *Et factum est, cum appro-* C *pinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos, dicens: Ite in castellum quod contra est, in quod introeuntes invenietis pullum asinæ alligatum, in quo nemo sedit.*

1. Pulchre relictis Judæis, habitaturus in affectibus gentium, templum Dominus ascendit; hoc enim templum est verum, in quo non in littera, sed in spiritu Dominus adoratur: hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant.

2. Et ideo ad montem venit Oliveti, ut novellas oleas in sublimi virtute plantaret, quorum mater est illa quæ sursum est Hierusalem. In hoc monte est ille cœlestis agricola, ut plantati omnes in domo D Dei, possint viritim dicere; *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (*Psal.* LI, 10). Et fortasse ipse mons Christus est. Quis enim alius tales fructus ferret olivarum, non curvescentium ubertate baccarum, sed spiritus plenitudine gentium fecundarum? Ipse est per quem ascendimus, et ad quem ascendimus. Ipse est janua, ipse est via, qui aperitur, et qui aperit, qui pulsatur ab ingredientibus, et ab emeritis adoratur.

3. Ergo in castello erat, et ligatus erat pullus cum asina: non poterat solvi, nisi jussu Domini: solvit eum manus apostolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, ut et tu possis ligatos solvere.

4. Nunc consideremus qui fuerint illi, qui errore detecto, de paradiso ejecti, [a] in castello sunt religati. Et vides quemadmodum quos mors expulerat, vita revocaverit (*Matth.* xxi, 2). Et ideo secundum Matthæum et asinam et pullum legimus; ut quia in duobus hominibus uterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus uterque revocetur. Ergo illic in asina matre quasi Evam figuravit erroris: hic autem in pullo generalitatem populi gentilis expressit; et ideo in pullo sedetur asinæ.

5. Et bene: *In quo nemo sedit*; quia nullus antequam Christus nationum populos vocavit ad Ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes: *Quem nemo adhuc sedit hominum* (*Marc.* xi, 2). Alligatus autem perfidiæ vinculis tenebatur, iniquo addictus domino, [b] errore famulatus: sed dominatum sibi vindicare non poterat, quem reum fecerat non naturæ.

[a] Edit. omnes *in castellum sint*, Amerb. *religati*, aliæ *relegati*. Mss. autem nullo pene excepto, ut nos in textu. Et sane hanc lectionem allegoria non obscure exigit; quippe qua peccatores delictorum suorum vinculis alligati per asinam et pullum in castello religatos adumbrentur.

[b] Rom. edit. et pauci mss., *errori famulatus*. Melius aliæ, ac mss. longe plurimi, *errore famulatus*; id est, per errorem, ubi subintelligendum est *dæmoni*, ad quem verba proxime sequentia referuntur. In quibus verbis pro voce *reum*, ut edit. et plures mss. habent, in mss. quatuor legitur *Deum*, in tribus *Dominum*, quod ultimum forte an vera lectio est.

Digitized by Google

tura, sed culpa. Et ideo cum Dominus dicitur, unus agnoscitur; nam et multi dii, et multi domini, [a] sed generaliter: nobis tamen unus Deus, et unus Dominus. Itaque etsi non exprimitur, **1496** Dominus definitur non jam per adjunctionem personæ, [b] sed per universitatem naturæ.

6. Marcus autem induxit ligatum ante januam (*Marc.* XI, 4); quia extra Christum quicumque est, foris est in via: qui autem in Christo est, foris non est. *In transitu*, addidit, ubi nullius certa possessio, non præsepe, non alimenta, non stabulum. Misera servitus cui vagum jus est; plures enim dominos habet, qui unum non habet. [c] Alieni alligant, ut possideant: iste solvit, ut teneat; vehementiora enim dona novit esse, quam vincula.

7. Nec illud otiosum quod duo discipuli diriguntur, Petrus ad Cornelium, Paulus ad reliquos (*Act.* X, 23, *et* XIII, 3). Et ideo non personas designavit, sed numerum definivit; tamen si quis est qui personas exigat, potest æstimare de Philippo quem Spiritus misit in Gazam (*Act.* VIII, 26), quando Candacis reginæ baptizavit eunuchum, et ab Azoto in Cæsaream per omnes civitates verbum Domini seminavit. Nec illud prætereundum quod mox remittendos asserit; quia dirigendi erant qui dominum Jesum in finibus gentium prædicarent.

8. (Vers. 34.) Illi ergo directi cum solverent pullum, numquid suis verbis usi sunt? Minime: sed dixerunt sicut dixerat illis Jesus; ut agnoscas quod non suo sermone, sed Dei verbo; nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infudere gentilibus, atque adversariæ potestates quæ sibi nationum obsequia vindicabant, mandato cessere divino.

9. (Vers. 35.) Unde et apostoli propria Christo vestimenta substernunt, sive [d] quo facti gloriam evangelica prædicatione præferrent: in Scripturis enim divinis plerumque vestimenta virtutes sunt, quæ gentium duritiam in aliquantum propria quoque virtute mollirent; ut [e] inoffensa vecturæ felicis obsequia sedulis affectibus exhiberent. Non enim mundi Dominum forensi specie gestari dorso asinæ delectavit: sed ut latente mysterio penetralia nostræ mentis insterneret, et in secretis animorum interiore consessu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore divinitatis infusus, regens mentis vestigia, lascivias carnis infrenans; ut ductu pietatis assuetum populi gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem internis renibus recepere vectorem! Felices plane illos, quorum ora ne multiloquio solverentur, verbi cœlestis habena restrinxit!

A 10. Quæ est ista habena, fratres? Quis me doceat quemadmodum ora hominum aut restringat, aut solvat? Monstravit mihi habenam ille qui dixit: *Ut detur mihi sermo in apertionem oris mei* (*Act.* IX. 5). **1497** Sermo ergo habena est, sermo stimulus est: et ideo durum est tibi adversus stimulum calcitrare. Docuit igitur hic nos [f] aperire cor, stimulum perpeti, jugum ducere. Doceat et alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat plane ille, qui velut mutus adversus dolum non aperuit os suum (*Psal.* XXXVII, 14), paratus in flagella, et verbera non recusans, ut esset pia sessio Deo.

11. (Vers. 36.) Disce a domestico Dei gestare Christum; quoniam prius te ille gestabat, cum pastor er-
B rantem reduceret ovem (*Luc.* XV, 6); disce sedula mentis tuæ dorsa substernere, disce esse sub Christo, ut possis esse supra mundum. Non quicumque facile vehit Christum, sed ille qui potest dicere: *Incurvatus et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei* (*Psal.* XXXVII, 9). Quod si desideras non moveri, super illa vestimenta sanctorum elatum fige vestigium. Cave enim ne lutulentis pedibus incedas, cave [g] ne transversis gressibus, perstrata tibi propheticarum viarum itinera derelinquas; namque ut tutior venturis gentibus esset incessus, propriis indumentis usque ad Dei templum qui præibant Jesum, semitam munierant. Ut tu sine offensione gradiaris,
C discipuli Domini amictu se proprii corporis exuentes, inter adversa turbarum viam tibi suo stravere martyrio. Si quis tamen ita vult accipere, non renitimur, quod pullus iste jam supra Judæorum vestimenta graderetur.

12. Quid autem sibi velint ramorum fragmina (*Matth.* 21, 8), quæ utique incedentium gressus implicare consuerunt; dubitarem profecto, nisi me in superioribus bonus mundi totius docuisset agricola, quia jam securis ad radices arborum posita est, quæ sub adventus Domini Salutaris infecunda succidat, et infructuosarum inanem gloriam gentium solo sternat, fidelium pedibus proterendam; ut renovatæ mentis spiritu nationes, velut novellarum arborum stirpes de vetustis possint germinare caudicibus.

13. Ne ergo despicias hunc asellum; nam sicut in vestitu ovium sunt lupi rapaces, ita contra inest ho-
D mo cordis absconditus sub specie bestiali; quia sub exuviis corporis, quod nobis est commune cum belluis, mens Deo plena vegetatur. Quod ad figuram hominum pertinere sanctus Joannes evidentius declaravit (*Joan.* XII, 15), addendo quia acceperunt

[a] Mss. non pauci, *sed generaliter unus Deus.*

[b] Eadem Rom. edit. sola, *per unitatem naturæ.* Sed *universitatem.* Ambrosius vocat communitatem illam qua tribus personis æqualiter convenit natura divina. Infra vero ubi vet. edit. cum parte mss. *foris est a via*: nostra cum reliquis, *foris est in via*; exceptis uno vel altero in quibus.... *in vico*; Rom. edit. tantum retinuit, *foris est.*

[c] Edit. Rom., *Alii alligant.* Aliæ ac mss. omnes commodius, *Alieni alligant*, hoc est, non legitimi Domini. Rursus eadem edit. cum vet. in textu et mss. aliquot, *jura novit esse*; Gill. in marg. et mss. plures potioresque, *dona novit esse.* Sed utrumque suum sensum habere potest.

[d] Ita cuncti mss. et edit. excepta Rom. ubi, *quo facti gloriam evangelicæ prædicationis præferrent*: nullo sensu.

[e] Mss. aliquot, *ut inoffensæ vectore felices obsequia*, etc.

[f] Edit. Rom. sola, *aperire ora*: quæ conjectura satis arridet.

[g] Idem mss., *ne transversariis gressibus.*

Digitized by Google

[a] sibi medullas palmarum; justus enim ut palma floret. A Et ideo adventante Christo, erigebantur jam supra humeros hominum vexilla justitiæ, et insigna triumphorum. Quid miratur turba quod operatur mysterium? Etsi nesciat quid miretur; miratur tamen quia in illo pullo sapientia sedet, virtus manet, inhæret justitia.

14. Ne despicias quoque asinam istam, quæ quondam angelum Dei vidit (*Num.* xxii, 23), quem homo videre non potuit. Et vidit, et detulit, et locuta est; ut agnosceres posterioribus temporibus sub adventu magni angeli Dei gentiles illos, ante asinos, locuturos.

**1498** 15. (Vers. 37.) Pulchre autem secundum Lucam turbas laudantes Deum ad descensum montis occurrisse legimus; ut operatorem mysterii spirita- B lis significarent sibi venisse de cœlo. Turba igitur agnoscit Deum, regem appellat, prophetiam (*Psal.* cxvii, 24) repetit: *Hosanna filio David*, hoc est, [b] redemptorem domus David exspectatum quoque secundum carnem David filium venisse declarat: et hoc turba illa post exiguum crucifixura momentum. Vere memorabile divinæ operationis insigne; ut adversum se testimonium extorqueatur invitis, cum Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur. Unde et Dominicum illud:

(Vers. 40.) *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

16. Neque enim mirum si laudes Domini contra naturam suam saxa respondeant, quem scopulis duriores prædicant peremptores. Aut fortasse quia obmutescentibus Judæis post Domini passionem, vivi C erant secundum Petrum, lapides clamaturi (I *Pet.* ii, 5). Ergo compugnantibus licet affectibus suis, turba tamen Deum ad templum suum cum laude deducit.

17. Sed Deus templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis: nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii sacerdotalis informat. Considera igitur quid tibi ad exemplum vivendi Dominica gesta præscribant.

18. [c] *Et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo: et mensas nummulariorum evertit, et cathedras vendentium columbas* (*Matth.* xxi, 12). Generaliter itaque supra docuit sæculares a Dei templo abesse debere contractus: specialiter autem nummularios pepulit. D Qui sunt nummularii, nisi qui de pecunia Domini lucrum quærunt, nec bona malaque discernunt? Pecunia enim Domini Scriptura divina est; nam et denarios servis distribuit profecturus, et talenta divisit (*Matth.* xxv, 14), et pro sanitate hominis vulnerati duo æra stabulario dereliquit (*Luc.* x, 35); duobus enim Testamentis vulnera nostra curantur. Sed tu quasi bonus nummularius eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum reconde, purgatum Spiritu septiformi (*Psal.* xi, 7): [d] nec adulteram imaginem regis (quia et Satanas transfigurat se in angelum lucis) impia commutatione suscipias: nec imminutam principis tui figuram arianæ fraude perfidiæ, thesauro tuo misceas: nec pecuniæ sono aures tentes fidelium; ut religiosarum audientiam Scripturarum tinnitus æris excludat, vel religiosis affectibus habendi cupiditas inseratur. Non ergo omnes excludantur nummularii; sunt enim et boni. Denique, *Pecuniam meam*, inquit, *dedisses nummulariis, et ego veniens cum usuris recepissem eam* (*Matth.* xxv, 27). Quod si nummus est Scripturarum, et usura B est Scripturarum.

19. Cathedras autem vendentium columbas cur everterit, secundum litteram non intelligo; neque enim nundinatores avium vindicare sibi poterant honorati alicujus in nundinis solii dignitatem. **1499** Nam quæ prærogativa dignitatis est in columbis? Admonet tamen Dominici forma baptismatis, quando descendit Spiritus sanctus in columba (*Luc.* iii, 22), typo ejectorum de templo hujusmodi mercatorum, in Ecclesia Dei consortium eos habere non posse, qui sancti Spiritus gratiam nundinentur. *Gratis enim*, inquit, *accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8). Denique Simoni, qui sanctificandi munus pretio in se putavit posse conferri, respondit Petrus: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in interitum; quoniam gra-* C *tiam Dei putas te pecunia consequi posse: non est tibi pars, neque sors in hac fide* (*Act.* viii, 20 *et* 21).

20. Venditores quoque ovium et boum (*Joan.* ii, 15) eos puto, qui de labore alieno vel simplicitate, fœdi auctionatores quasdam nundinas aucupantur: aut quia oves ejiciuntur et boves, columbæ jubentur auferri, populus videtur Judæus excludi; Ephræm enim sicut columba, quod eorum Dominus et successiones oderit et labores (*Ose.* vii, 11). Æs effunditur, ut gratia colligatur: mensa nummulariorum evertitur, ut Domini subrogetur: ara dejicitur, ut erigantur altaria.

21. Atque hoc non aliqua succintus manu divitiisque faciebat (*Joan.* ii, 15), sed flagello de restibus cædebat turbas, et nullus resistere audebat. Et D nunc virga utitur, nunc flagello (*virga enim recta est* (*Psal.* 44, 7), *virga regni tui*): virga, ut corrigat; flagello, ut suadeat. Directa illic: hic moralis quasi inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur; alii sunt enim terrores prophetici, aliæ apostolicæ suasiones: in utroque

[a] Rom. edit., *ramos palmarum*. Aliæ, ac mss. omnes, *medullas palmarum*. Quomodo etiam locutum reperimus auctorem Quæst vet. et nov. Testam., quæst. 82, in app. III tom. S. Aug. novæ edit.

[b] Ambrosium arguit Erasmus, quasi hic cum Hilario Pictav. parum erudite doceat voce *Hosanna*, redemptionem domus David significari. Sed parum arguta est ea correctio; non enim de grammatica illius vocabuli significatione agit S. Doctor, cum hoc unum indicet, a populo faustis ac propheticis acclamationibus adventum redemptoris domus David esse declaratum.

[c] Hunc Matthæi textum qui in omnibus mss. et ant. edit. invenitur, edit. Rom. rejecerat, ut alium ex Luca substitueret: sed aliorum evangelistarum locos, auctore non citato, preponere atque exponere non semel in hoc opere contigit Ambrosio.

[d] Mss. aliquot, *nec adulteres imaginem Regis*..., *impiam commutationem suscipiens*.

Digitized by Google

tamen unius verbi est disciplina. [Et ideo flagellum de restibus fecit; quia *Funes ceciderunt*, inquit, *mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* xv, 6); funes enim dicuntur, quibus agrimensores [a] metandorum limites partiuntur agrorum. Et ideo tamquam bonus agrimensor Synagogæ terminos distinguebat et Ecclesiæ, sacrilegos de templo jubebat exire, Novus enim venerat feracium metator animarum, qui agrorum genera, non spatia metaretur.

22. Pulchre tamen non extentis funibus modus aliquis possessionis includitur, nec quasi definitæ rei limites fidei terminantur, sed flagello in immensum libero fines Ecclesiæ porriguntur : eliminantur Judæi, non præscripto aliquo exsilio, sed interminο; ut nusquam Synagogæ locus in orbe remaneret.

(Cap. XX. — Vers. 9.) *Vineam plantavit homo.*

23. Plerique varias significationes de vineæ appellatione derivant : sed evidenter Esaias vineam Domini Sabaoth, domum Israel esse memoravit (*Esai.* v, 7). Hanc vineam quis alius nisi Deus condidit? Hic est ergo qui locavit eam, et peregre profectus est : non quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui ubique semper est : sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest. Multis autem temporibus abfuit; ne præpropera videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicacia.

24. Unde bene secundum Matthæum habes, quia *Et sæpe circumdedit* (*Matth.* xxi, 33), hoc est, divinæ custodiæ munitione vallavit; ne facile spiritalium pateret incursibus bestiarum. *Et fodit in ea torcular* (*Ibid.*). Quomodo **1500** intelligimus quid sit torcular, nisi forte quia psalmi pro torcularibus inscribuntur (*Psal.* viii, lxxx *et* lxxxiii); eo quod in his mysteria Dominicæ passionis, modo musti sancto fervente Spiritu prophetarum redundantius æstuaverint? Denique ebrii putabantur, quibus Spiritus sanctus inundabat (*Act.* ii, 13). Ergo et hic fodit torcular, in quod uvæ rationabilis fructus interior spiritali infusione deflueret. *Ædificavit turrim* (*Matth.* xxi, 33), verticem scilicet Legis attollens : atque ita hanc vineam munitam, instructam, ornatam locavit Judæis.

25. (Vers. 10.) Et tempore fructuum servulos suos misit. Bene tempus fructuum posuit, non proventum; nullus enim fructus exstitit Judæorum, nullus vineæ hujus proventus, de qua Dominus ait : *Exspectavi ut faceret uvas, fecit autem spinas* (*Esai.* v, 2). Itaque non lætitiæ vino, non spirituali musto, sed cruento prophetarum sanguine torcularia redundarunt. Denique Hieremias in lacum missus est (*Jerem.* xxxviii, 6); hæc enim erant jam torcularia Judæorum non vino repleta, sed borbore. Et licet generaliter prophetæ videantur exprimi, dat tamen lectio (III *Reg.* xxi, 13), ut illum qui lapidatus est, Nabutham esse credamus : cujus etsi nullum accepimus propheticum verbum, accepimus tamen propheticum factum; quia multos pro hac vinea futuros martyres proprio sanguine prophetavit. Quis autem est ille qui in capite vulneratur? Nimirum Esaias cujus facilius compaginem corporis serra divisit, quam fidem inclinavit, constantiamve detrivit, aut vigorem mentis exsecuit.

26. (Vers. 11-14.) Eo igitur factum est, ut cum plures alios destinasset, quos Judæi inhonoros et inanes sibi, de quibus nihil potuerunt proficere, dimiserunt : novissime etiam Filium unigenitum mitteret, quem perfidi, quasi hæredem removere cupientes, occiderunt crucifigendo, ejecerunt negando.

27. Breviter itaque quam magna, quam multa. Primum quia naturalis est bonitas quæ plerumque credit indignis : deinde quia postremum malorum remedium Christus advenit : tum quoniam qui hæredem negat, de auctore desperat. Hæres autem Christus, idemque testator et hæres; quia morti propriæ supervivit, et Testamentorum quæ ipse condidit, tamquam hæreditaria in nostris profectibus emolumenta consequitur.

28. (Vers. 15.) Pulchre ergo interrogat, ut sua se ipsi damnent sententia. Venturum autem Dominum dicit vineæ, quod in Filio adsit etiam paterna majestas, vel quod ultimis temporibus præsentior humanis aspiret affectibus. Ipsi itaque in se sententiam dicunt, ut mali pereant, et ad alios colonos vinea transferatur. Qui igitur sint coloni, quæ vinea, consideremus.

29. Vinea typus noster est, quod populus Dei vitis æternæ radice fundatus, supereminet terris, ac solum vile prætexens, nunc gemmanti flore pubescit, nunc circumfusa viriditate vestitur, nunc mite jugum suscipit, cum [b] maturioribus brachiis quasi sarmentis secundæ vitis adoleverit. Agricola quippe omnipotens pater, vitis est Christus (*Joan.* xv, 1 *et seq.*): at vero nos palmites, qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidimur. Recte igitur vinea Christi populus nominatur; vel quod crucis in fronte prætexatur indicium, **1501** vel quod fructus ejus postrema anni legatur ætate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis in Ecclesia Dei æqua dimensio, nulla discretio sit : ut vitis maritatur arboribus; ita corpus animæ, anima quoque corpori conjugatur : ut vinea dum jugatur, erigitur; et recisa non minuitur, sed augetur : ita sancta plebs dum ligatur, [c] exuitur : dum humiliatur, attollitur : dum reciditur, coronatur. Quinetiam ut tener surculus veteri abscissus ex arbore, in alterius fetu radicis inseritur : ita populus hic sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in illo crucis ligno tamquam gremio piæ parentis fotus inolescit : [d] Spiritusque sanctus sicut in altas

[a] Edit., *metiendorum limites*. Et infra, *non spatia metiretur*. Mss., *metandorum.... metaretur*.

[b] Rom. edit. *maturioribus sarmentis quasi brachiis*.

[c] *Exuitur*, supple *vinculis*, ut in fine seq. num. exprimitur.

[d] Rom. edit., *Spiritusque sanctus in hoc carcerem*

Digitized by Google

demissus terrarum scrobes, ita in hoc carcereum corpus infusus, aquæ salutaris irriguo diluit quidquid est fetidum, membrorumque nostrorum habitus in cœlestem erigit disciplinam.

30. Hanc vineam diligens agricola fodere, [a] jugare, contendere consuevit: eruderatisque terrenæ molis aggeribus, operta corporis nostri nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, stirpare agrum solitus; ne a sentibus gemma lædatur, ne luxuriet umbra foliorum, verborumque infructuosa jactantia virtutibus obumbrando, maturitatem indolis naturalis impediat. Sed absit ut huic vineæ quidquam timeamus adversi, quam pervigil custos Domini Salutaris adversus omnes nequitiæ sæcularis illecebras muro vitæ vallavit æternæ, et extendit palmites ejus usque ad mare (*Psal.* LXXIX, 12): *Domini* enim *est terra* (*Psal.* XXIII, 1). Ubique Deus Pater colitur, ubique Christus Dominus adoratur.

31. Hæc est nostra vindemia. Læti igitur atque securi, pars gremium suum mitium funiculis oneret uvarum, alii cœlestia munera ore libemus, plerique bonarum gressibus voluntatum divini fructum muneris exprimentes, vestigia cothurnis nuda direptis, musto fluente tingamus; locus enim in quo stamus, terra sancta est, et ideo calceamenta solvenda sunt (*Exod.* III, 5), ut spiritale vestigium sacrosanctæ sedis tribunal ascendens, corporei nexus vinculis exuatur; decet enim totius orbis hic esse vindemiam, ubi totius orbis est vinea.

32. Ecce tempus acceptabile, quo non hiemalibus perfidiæ caligantis pruinis annus riget, [b] nec altis nubibus informis crusta blasphemiæ, gelu durante, concrescit: sed procellis sacrilegii liberata, novos fructus terra jam parturit. [c] Vere parit; dissensionum quippe omnium procella deferbuit, cuncti sæcularis cupiditatis ardores æstusque omnes quibus Italiæ populus per Judaicæ olim, et Arianæ proxime sævitatis incendia coquebatur, sereno jam spiramine temperantur. Sedata tempestas est, concordia navigat, fides spirat: certatim nautæ repetunt fidei quos reliquere **1502** portus, et dulcia patriis oscula littoribus affigunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes.

33. Salve, vinea tanto digna custode: te non unius Nabuthæ sanguis, sed innumerabilium prophetarum, et (quod est amplius) pretiosus cruor Domini consecravit. Ille licet non regalibus minis territus constantiam metu presserit, non præmiis uberrimis provo- A catus religiosum vendiderit affectum; sed studio regis obsistens (III *Reg.* XXI, 3), ne in hortulis suis malvarum olus, succisa vite, sereretur, quando aliud facere nequibat, parata vitibus incendia proprio cruore restinxerit; temporalem tamen vineam defendebat: te vero in perpetuum multorum nobis martyrum plantavit interitus: te crux apostolorum æmula Dominicæ passionis usque in orbis totius terminos propagavit.

(Vers. 24.) *Cujus habet imaginem et inscriptionem?*

34. Docet hoc loco Dominus circumspectos nos in respondendo adversus hæreticos vel Judæos esse debere. Alibi dixit: *Estote astuti sicut serpentes* (*Matth.* X, 16). Quem locum plerique accipiunt, ut quia serpente suspenso, Christi crux annuntiata est, quo serpentinum nequitiæ spiritalis virus [d] aboleret, videa- B tur astutus ita esse debere sicut Christus, simplex sicut Spiritus. [e] En tibi serpentem illum qui caput semper custodiat, lethale vulnus excludat. Interrogatus a Judæis utrum de cœlo accepisset potestatem, respondit: *Baptismus Joannis unde est: de cœlo, an ex hominibus* (*Luc.* XX, 4)? ut dum illud de cœlo esse negare non auderent, ipsos amentiæ confutaret, qui ejus auctorem negarent esse de cœlo. Postulatus didrachma quærit de imagine; alia enim imago Dei, alia imago mundi (*Matth.* XVII, 23). Unde et ille nos admonet: *Sicut portavimus imaginem terreni illius, portemus et imaginem hujus cœlestis* (I *Cor.* XV, 49).

35. Imaginem Cæsaris non habet Christus, quia imago est Dei. Imaginem Cæsaris non habet Petrus, quia dixit: *Reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* C XIX, 27). Imago Cæsaris non reperitur in Jacobo vel Joanne, quia filii tonitrui sunt (*Marc.* III, 17): sed reperitur in mari, ubi dracones illi contritis capitibus super aquam, et ipse draco major comminutus caput, datur in escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII, 14). Si ergo non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt: sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil regi debere terreno, relinque omnia tua, et sequere Christum.

36. (Vers. 25.) Et bene prius quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddenda decernit: neque enim potest esse quis Domini, nisi prius renuntiaverit mundo. Sed D omnes renuntiamus verbis, sed non omnes renuntiamus affectu; nam cum [f] sacramenta suscipimus, **1503** renuntiamus. Quam gravia vincula promit-

*corpus infusus, velut in altas demissus terrarum scrobes, aquæ*, etc.

[a] Omnes edit., *rigare*, *tondere*, Mss. fere omnes, *jugare*; sed non pauci legunt cum edit., *tondere*; ant. tamen, *contendere:* quod pro *tendere*, sive *extendere*, hic sumendum est. Iterum sequenti versu pro voce, *operta*, quam omnes edit. ac mss. aliquot habent, alii plures et antiquiores præferunt, *operata*; et ea quidem vox, si recta est, idem significat atque *exculta*; sed veremur ne duriuscule sonet auribus eruditis.

[b] Era. et seq. edit. cum mss. nonnullis, *nec altis nivibus*. Amerb. cum aliis mss. pluribus ac potioribus, ut in textu. Nec sane male, si grandinem quæ semper frugibus noxia est, informis illa crusta in altis nubibus concreta designet.

[c] Omnes edit., *veteres præterit*. Plerique mss., *veteres parit*. Quidam, *pellit*. Corb. et alii aliquot, *Vere parit*. Aptius, ut intelligitur ex sequentibus, quibus non ambigue Justinæ persecutio, atque secuta pax designantur.

[d] Mss. aliquot, abolere videatur, *astutos ita esse debere, sicut Christi simplex spiritus*.

[e] Ita mss. majori numero, et pretio. Quidam vero, et cunctæ edit., *Imitare et tu serpentem illum*.

[f] Intellige sacramentum baptismatis, in quo etiam



Digitized by Google

tere Deo, et non solvere! *Melius est*, inquit, *non vovere te, quam vovere, et non reddere* (*Eccles.* v, 4). Major est contractus fidei, quam pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, prius quam veniat exactor, et mittat te in carcerem. *Amen dico tibi, non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 26).

(Vers. 28.) *Si frater alicujus mortuus fuerit.*

37. Sadducæi, hoc est, detestabilior portio Judæorum, hoc loco Dominum tentant: quorum aperte stultitia reprehenditur, mystice autem sententia retorquetur; [a] quia excluserunt de se castitatis exemplum, dum secundum litteram nubere mulier cogitur et invita, ut defuncti semen excitet frater (*Deut.* xxv, 5). Ergo littera occidit quasi lena vitiorum: spiritus autem magister est castitatis (II *Cor.* III, 6).

38. Videamus itaque ne hæc mulier Synagoga sit, quæ septem viros habuit, sicut Samaritanæ dicitur: *Quinque enim viros habuisti* (*Joan.* IV, 18); quia Samaritani [b] quinque tantum libros Moysi: Synagoga septem sequitur principaliter, et de nullo propter **1504** perfidiam suam hereditariæ posteritatis semen accepit. Et ideo partem cum viris suis in resurrectione habere non poterit, quia spiritale præceptum secundum sensum carnis invertit (*Apoc.* xx, 6); non enim frater carnalis aliquis denuntiatus est qui semen fratris suscitaret defuncti: sed ille qui demortuo populo Judæorum sapientiam sibi divini cultus adsciceret in uxorem, atque ex ea semen in apostolis excitaret: qui quasi defunctorum reliquiæ Judæorum informes adhuc in Synagogæ utero derelicti, secundum electionem gratiæ reservari novi seminis admixtione meruerunt.

39. Synagoga autem frequenter stolam accipit, quod est [c] insigne conjugii, quasi auctor fidelium: repudiata quoque frequenter inducitur, quia mater est perfidorum: cui Lex occidit corporalis, ut spiritualis resurgeret. Ergo sancta plebs Dei, [d] si quinque libros Legis quadam conjugii charitate dilexerit, et quasi maritalibus obsecundarit imperiis, habebit in resurrectione cœleste consortium, non corporeæ colluvionis pudore confusa, sed divinæ gratiæ ditata muneribus.

num *diabolo et pompis ejus*, id est, mundi vanitatibus renuntiamus. Hæc porro consuetudo clarius exponitur de Init. cap. 2, et lib. I de Sacram. cap. etiam 2.

[a] Omnes edit. et pars mss., *Quale de suo dederunt castitatis exemplum*. Reliqua pars, quæ et potior, nobiscum legit.

[b] Cur solos v libros Moysis admiserint Samaritani, hanc esse causam putat eruditus quidam atque acer criticus, quia quo tempore facta est secessio Judæos inter ac Samaritanos, nempe sub Roboamo, nullidum ex aliis divinis libris vulgati essent. Sed veremur, ut omnibus satis probetur ea conjectura.

[c] Hic *Stola* dicitur *insigne conjugii*; quia, ut Vir sanctus supra, lib. VII, num. 231, docet, *vestimentum est nuptiale*. Quibus verbis intelligitur in more positum fuisse antiquis ut matronæ nubentes stolam acciperent, sine qua deinceps illis in publicum exire non liquisse auctor est Tertullianus in libro de Pallio, cap. 4.

[d] Sic plerique mss. ac edit. omnes præter Rom. quæ cum duobus iisque recentioribus mss. habet, *si septem libros*. Minus commode, cum de libris Legis, quo nomine v libri Moysis vulgo designantur, agat Ambrosius.

# LIBER DECIMUS.

**1503** (Vers. 42.) *Dixit Dominus Domino meo.*

1. Consummaturus præcepta Dominus, etiam præviam passioni fidem ac misericordiam Testamenti sui fine concludit: fidem, in eo ut Christum et Dominum et Deum nostrum, et ad dexteram Dei sedere credamus: non quod corporaliter sedeat, qui ubique est. Denique ipse in Patre est; quia in substantia Dei, quia una virtus, una majestas. Ipse ergo in Patre, et in ipso Pater; quia Verbum in Deo, Deus in Verbo: ipse in Patre; quia Verbum: ipse ad dexteram Patris; quia Patri consors, nulli secundus: ipse missus a Patre; quia descendit de cœlo paternum impleturus arbitrium. Tolle hinc perfidiæ quæstiones, et plena est religio. Nec præfertur, quia ad dexteram sedet: nec injuriam patitur, quia mittitur. Gradus non quæritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis.

2. (Vers. 44.) Illud quoque considerandum, quia reprehendit eos qui Christum filium David dicunt. Et quomodo cæcus ille David filium confitendo meruit sanitatem (*Luc.* XVIII, 43)? Quomodo pueri dicentes: *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI, 9), præcelsæ prædicationis Deo gloriam deferebant? Sed non reprehenduntur hoc loco quia David filium confitentur, sed quia non credunt filium Dei. Non enim alterum, sed alterutrum in fide vera est: nam etsi in principio judicavimus nihil nos scire nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I *Cor.* II, 2): nunc tamen, ut pote judicio proximi, crucifixum jam non novimus **1504** Christum, sed venientem in nubibus operimur. Incredulus vulnera -cilit asp fidelis obviam Christo in aera raptus occurrit.

3. Ergo et Deum Christum et hominem esse credamus: unum in utroque, non alterum: cui a Patre subjiciuntur inimici non per infirmitatem potestatis suæ, sed per unitatem naturæ; quia in altero alter operatur. Nam et Filius subjicit inimicos Patri, qui Patrem clarificat super terram (*Joan.* XVII, 4). Et dedit Pater Filio *Nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II, 9 *et* 10): sed et Filius Patri dicit: *Nomen tuum manifestavi hominibus, quod dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 6). Dando autem nomen quod est super omne nomen, non plus dedit quam habuit: sed totum quod habuit, dedit. Dedit autem hæc

Digitized by Google

nomen, ut *Omnis lingua confiteatur Deo; quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 11).

4. Vide ergo singula. Pater subjicit Filio, Filius subjicit Patri : Pater suscitat Filium, Filius ipse se suscitat. Unde ait : *Solvite hoc templum, et in triduo illud resuscitabo* (*Joan.* II, 19). Et Pater Dominus, et Filius Dominus : *Dixit Dominus Domino meo*. Et non duo Domini, sed unus Dominus; quia et Pater Deus, et Filius Deus : sed unus Deus; quia Pater in Filio, et Filius in Patre. Unus Deus, quia una deitas : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga recta est, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus* (*Psal.* XLIV, 7 *et* 8). Sed unus Deus, in quo et novi et veteris Testamenti doctrina concordat. Nam et in veteri Testamento scriptum est : *Diliges Dominum Deum tuum : et, Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Deut.* VI, 5 *et* 13). **1505** In novo : *Unus Deus, et Pater omnium* (*Ephes.* IV, 6). Sic et Pater Dominus, et Filius Dominus : sed unus Dominus. Denique scriptum est : *Nolite duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24); hoc in novo : in veteri autem scriptum est : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (*Deut.* VI, 4). Unde mirabiliter Apostolus, ne duos Deos diceret, aut duos Dominos nominaret, aut derogaret vel Filio, vel Patri : *Unus*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia : et unus Dominus Jesus, per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6). Nam qui Deus, et Dominus : et qui Dominus, Deus. Denique scriptum est : *Scitote quia Dominus ipse est Deus noster* (*Psal.* XCIX, 3).

5. Omnia ergo quæ Pater habet, et Filius habet. Deus Pater secundum generationis rationem : Deus Filius secundum imaginis unitatem. [a] Dominus Filius, quia omnia sibi cum potestate posset, ratione subjecit; Dominus Pater, quia radix est Filii. Sic nobis Pater in Filio personarum definitione distinguitur, potestatis unitate connectitur. Itaque alter in altero, et unus in alterutro. Nam et Patris gloria est, si non degeneravit in Filio; et Filii gratia, si Pater videtur in Filio. Ergo non degener, in quo unitatis summa majestas; non alienus, in quo proprietas generationis, expressio veritatis est.

(Cap. XXI. Vers. 6.) *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

6. Sequebatur de vidua locus (*Vers.* 1 *et seq.*), quem quoniam jam in libro quem de Viduis scripsimus prædicavimus (*Lib. de Vid.*), nunc sequestramus. [b] Verum autem dictum est juxta proposita de templo quod Salomon condidit, idque judicii esse tempore subvertendum, nihil est enim opere et manu factum, quod non aut vetustas conficiat, aut vis subruat, aut ignis exurat : est tamen et aliud templum constructum ex speciosis lapidibus, et ornatum donis, cujus eversionem Dominus significare videatur, Synagoga scilicet Judæorum, cujus structura vetus, Ecclesia surgente, dissolvitur. Est etiam templum in unoquoque, quod deficiente fide labitur; et maxime si quis falso Christi nomen obtendat, quo interiorem expugnet affectum.

7. Potest etiam ea esse expositio, quæ mihi plus prosit. Quid enim mihi prodest diem scire judicii? Quid mihi prodest tantorum conscio peccatorum, si Dominus veniat, nisi veniat in meum animum, redeat in meam mentem, nisi vivat in me Christus, in me Christus loquatur? Ergo mihi Christus debet venire, mihi debet adventus ejus fieri. Fit autem Domini secundus adventus in defectione mundi, quando possumus dicere : *Mihi autem mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14).

8. Sed hunc virum talis mundi defectus si in superioribus **1506** domus inveniat, ut conversatio hujus in cœlis sit; tunc destruetur templum corporale atque visibile, Lex corporalis, pascha corporale, et pascha visibile, azyma corporalia, et azyma visibilia, audeo dicere, Christus temporalis, ut fuit Paulo, antequam crederet; quia in eo cui mundus deficit, Christus æternus est. Huic spirituale templum, lex spiritualis, pascha etiam spirituale; quoniam semel Christus occiditur. Hic epulatur azyma non ex fruge terrena, sed ex fruge justitiæ. Fit ergo huic præsentia sapientiæ, præsentia virtutis atque justitiæ, præsentia redemptionis; Christus enim semel quidem pro peccatis populi mortuus est (I *Pet.* III, 18), sed quotidie peccata populi redempturus.

(Vers. 9.) *Cum autem audieritis prœlia et opiniones prœliorum.*

9. Interrogatus Dominus quando templi esset futura destructio, et quod signum esset adventus ejus, de signis docet, de tempore non putat intimandum. Sed Matthæus interrogationem tertiam addidit (*Matth.* XXIV, 3), ut et templi tempora destruendi, et signum adventus, et consummatio sæculi a discipulis quæreretur : Lucas satis putavit de consummatione sæculi cognitum, si de adventu Domini diceretur.

10. Verborum autem cœlestium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invenit. Quanta enim prælia, et quas opiniones accepimus præliorum! Chunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Tayfalos [c] et Sarmatas insurrexerunt. Nos quoque

[a] *Dominus ..... subjecit*, desunt in Amerb. In Era. autem, Gill. et mss. nostris ita habentur, ut ea exhibemus, nisi quod in Era. rejiciuntur post voces *radix est Filii*. At in Rom. edit. ultimorum verborum facta est illa mutatio, .... *omnia sibi quæ potest Pater, subjecit*.

[b] Rom. edit. sola, *Verum licet juxta proposita de templo quod Salomon condidit, intelligatur; idque primum ab hoste judicii*, etc.

[c] Plerique mss., *Taifalos*; melius alii atque edit., *Tayfalos*; ita enim semper legitur apud Ammianum lib. XXXI. Sed alius de hac gente atque aliis hic memoratis erit loquendi locus. At vero pestilentiam illam quæ non solum homines, sed pecora ipsa tam misere devastabat, signo crucis facillime depulsam fuisse Hermannus lib. II, cap. 12, Vitæ S. Ambrosii observat ex Baronio. Nititur autem magnus cardinalis Ecloga Sev. Endelechi christiani poetæ, ubi inter cætera sic habetur :

BUCULUS..... Dic, age, Tityre,
Quis te subripuit cladibus his Deus,
Ut pestis pecudum quæ populata sit

Digitized by Google

in Illyrico exsules patriæ Gothorum exsilia fecerunt, et nondum est finis. Quæ omnium fames, lues pariter boum atque hominum, cæterique pecoris; ut etiam qui bellum non pertulimus, debellatis tamen nos pares fecerit pestilentia! Ergo quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Ægritudo mundi est fames, ægritudo mundi est pestilentia, ægritudo mundi est persecutio.

11. Sunt autem et alia bella quæ vir sustinet christianus, diversarum quoque prælia cupiditatum, studiorumque conflictus, multoque graviores domestici hostes, quam extranei. Nunc avaritia stimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat, nunc ambitio movet, nunc terrere tentant spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). Itaque quasi quibusdam urgetur præliis, et quibusdam terræ motibus quatitur mobilis animi nutantis affectus.

12. Sed fortior dicit: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* (*Ps.* XXVI, 3). Stat in acie ferens hosti obvium pectus, etiam si quis Golias exsurgat **1507** immitis atque præcelsus (I *Reg.* XVII, 4); timentibus tamen cæteris, exsurget humilis quasi David, regis abjiciens arma terreni, sumens fidei tela leviora, et [a] triplici sparto jaculum puræ confessionis intorquens, persecutoris vulnerat impudentiam, contemptor minarum, negligens potestatum, etiam idoneus in quo Christus loquatur. Alibi Christus, alibi Pater, alibi Spiritus loquitur Patris. Non discordant ista, sed congruunt. Quod unus loquitur, tres loquuntur; quia vox una est Trinitatis. Huic victori, qui suo Goliam gladio peremerit, dum mortem pro Christo excipit, fugatis Allophylis, occurrunt juvenculæ, illæ scilicet sicut aquilæ, dicentes: *Percussit Saul in millibus, David in decem millibus* (I *Reg.* XVIII, 7). Quod indicio est, victores sæculi principibus anteferri. Denique mortuis regibus, in perpetuum martyres regnum cœlestis gratiæ honore succedunt; et illi fiunt supplices, hi patroni.

13. Est et alius Goliæ gladius (I *Reg.* XXI, 9), aliud diaboli telum, sermo scilicet hæreticorum, quem vir psallere sciens arripit, ut adversarium vincat, audiens hic bella, non patiens, nec alicujus vento doctrinæ mobilis inquietus (*Ephes.* IV, 14), nesciens famem verbi (*Amos* VIII, 11), et Scripturæ cœlestis ubertate satiatus, qui vanis hæreticum vocibus personantem lacessere non reformidet. Tunc qui est infirmus, exspectet; ne præjudicium cæteris faciat congressu impari. Veniat David, cui Christus os aperiat ad eloquenda mysteria: veniat ille Nazaræus (*Judic.* XVI, 17), cujus capillus non cadat, vel nihil habens superfluum quod cadere possit, vel nihil de superioribus virtutibus amissurus, integer sobrietate, fortis in pace, qui sensus omnes usque in finem, et verba custodiat.

14. Prædicetur Evangelium, ut sæculum destruatur. Sicut enim præcessit in orbem terræ Evangelii prædicatio (*Matth.* XXIV, 14), cui jam et Gothi et Armenii crediderunt, et ideo mundi finem videmus: ita et a viro spirituali Evangelium prædicatur, quando omnes sapientiæ progressus [b] et omnes virtutes exsequitur, psallenti mente et spiritu, novissimam destruens mortem; tunc enim finis, cum tradiderit in eo Christus regnum Deo et Patri, fueritque iste subjectus ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia, in omnibus (I *Cor.* XV, 25). Et prædicabitur Evangelium per omnes civitates, id est, civitates Judææ: *Notus* enim *in Judæa Deus* (*Ps.* LXXV, 1). Tunc enim civitates ædificantur Judææ, quando virtutum fundamenta ponuntur.

(Vers. 20.) *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem.*

15. Vere Hierusalem ab exercitu obsessa est, et expugnata a Romano duce. Unde Judæi putaverunt tunc factam abominationem desolationis, eo quod caput porci in templum jecerint illudentes Romani Judaicæ ritum observantiæ. Quod ego nec furens dixerim. Abominatio enim desolationis, exsecrabilis adventus Antichristi est; eo quod sacrilegis infaustis mentium interiora **1508** contaminet: sedens juxta historiam in templo, ut sibi divinæ vindicet solium potestatis. Juxta interpretationem autem spiritalem pulchre inducitur stare, eo quod in affectibus singulorum vestigium perfidiæ suæ confirmare desideret, ex Scripturis disputans esse se Christum.

16. Tunc appropinquabit desolatio, quoniam a vera religione plerique lapsi errore desciscent. Tunc erit Domini dies, quod etiam Apostolus evidenter exposuit dicens (II *Thess.* II *et seq.*), non timendum esse nobis quasi instet dies Domini; ne quis nos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.

17. Ergo sedebit in templo, et in templo interiore Judæorum, qui Christum negabunt: in templo non inviolabili, sed corruptelæ obnoxio, quod aut perfidiæ involvat ruina, aut iracundiæ vis subruat, aut cupiditatum ignis exurat. Et bene tunc veniet dies Domini, et breviabuntur dies propter electos (*Matth.* XXIV, 22): quoniam sicut primus adventus Domini propter redimenda peccata, ita et secundus pro-

Vicinos, tibi nulla sit.
TYRTAEUS. Signum quod perhibent esse crucis Dei,
. . . . . . . . . . . . . .
Hoc signum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.

Cæterum quæ Ambrosius de dissensionum fine atque animo relaxando superiore libro memorabat, ea non obscure probant illum de rebus jam præteritis hic disserere.

[a] Allegorice Trinitatis confessio describitur. Porro voces illæ, *triplici sparto jaculum intorquens*, non hastam designant amentatam, sed lapidem funda excussum; quidquid enim jacimus, non improprie jaculum nominamus: *spartum* vero ponitur pro ipsa funda; eo quod funda texatur e funiculis, quos ex illo frutice veteres contorquebant.

[b] Edit.. *et omnes formas virtutis*; mss., *et omnes virtutes.*

Digitized by Google

pter [a] reprimenda delicta, ne plures perfidiæ errore labantur.

18. Tunc pseudoprophetæ, tunc fames. Repete mihi Eliæ tempora, et invenies tunc prophetas confusionis, tunc Jezabel, tunc famem, tunc ariditatem terræ. Qua ratione? *Quia abundaverat iniquitas, refrixerat charitas* (*Matt.* XXIV, 12). Denique justus in deserto, iniquus in regno est.

19. Est alius Antichristus auctor hujus, diabolus scilicet, qui meam Hierusalem, meam animam, certe animam Dei, animam pacificam obsidere nitatur [b] suæ legionis exercitu. *Non est* enim *colluctatio nobis adversus carnem et sanguinem: sed adversus principatus et potestates, adversus mundi hujus rectores, tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Tunc est discessio cum anima a se ipsa desciscit: et rursus cum Dominum cogitat, tremit atque turbatur. [c] Tunc cum interiora Antichristus tenet: donec de medio fiat, injustitia exsultat, iniquitas regnat. Tunc fides rara, ut ipse quasi addubitans Dominus dixerit: *Tunc veniens filius hominis, numquid* [d] *inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8), vel in nostra utique terra, vel in orbe terrarum? Sic et alibi: *Dominus respexit super filios hominum, si est intelligens aut requirens Deum* (*Psal.* XIII, 2): Non quia dubitet Deus, sed quia ita rara erit in hominibus fides, ut secundum opinionem hominum videretur esse dubitandum.

20. Ergo quando in medio templi est diabolus, desolatio abominationis est, secundum Danielem prophetam (*Dan.* IX, 27): cum autem unicuique laboranti Christi præsentia spiritalis illuxerit, tollitur iniquus e medio, et incipit regnare justitia quæ omnem fidelium mentibus evacuat principatum.

21. Est etiam tertius Antichristus, aut Arius,
1509 aut Sabellius; immo omnes sunt Antichristi qui prava nos interpretatione seducunt. Et ideo *qui legit intelligat* (*Matth.* XXIV, 15): qui intelligit, non seducatur, ut credat falsa pro veris, more utique Judæorum, qui verum Christum negaverunt; unde consequens erit ut credant verum esse qui falsus est: sic et Ariani, quod negant Christo, Antichristo non negabunt.

(Vers. 23.) *Væ illis quæ in utero habent, et ubera dant in illis diebus!*

22. Ergo conceptio criminosa est? Atqui liberi præmia nuptiarum sunt. Et quomodo Saram Dominus benedixit, et peperit? Quomodo Anna oravit, et genuit? Quomodo Rachel filios benedicta suscepit? Numquid erraverunt prophetæ, quoniam Dominus errare non potuit? Sed in prophetis quo- A que Dominus est locutus, et ideo nec illi errare potuerunt. [e] Qui igitur quadrare poterit discordia litterarum?

23. Sed quia ibi bellum est, convertamur ad spiritum pacis; Pax enim dixit: *Mulier cum parturit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit, jam* [f] *non meminit tristitiæ*. Habetis iterum quod subjecit: *Et vos modo quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI, 21 *et* 22); ut ostenderet perfectorum esse lætari, nutare infirmorum, quasi adhuc incerta metuentium. Sed et hic in superioribus dixit: *Edebant et bibebant: nubebant, et uxores ducebant* (*Luc.* XVII, 27), ligantes scilicet se in hanc vitam, et sollicitudinibus sæcularibus vincientes. Hæ sunt itaque B prægnantes quibus væ dicitur, quæ arvinam suæ carnis extendant, et quibus intimorum gressus pigrescat animorum, effetæ virtutum, fetæque vitiorum.

24. Sed nec illæ prægnantes condemnationis exsortes sunt, quæ in bonorum actuum molimine constitutæ, necdum aliquos suscepti operis dedere processus. Sunt enim et quæ de Dei timore concipiunt, quæ dicunt: *De timore tuo concepimus et parturivimus* (*Esai.* XXVI, 18). Sed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere: *Peperimus spiritum salutis in terra:* non omnes Mariæ, quæ de Spiritu sancto Christum concipiant, Verbum pariant. Sunt enim quæ abortivum excludant Verbum, antequam pariant: sunt quæ in utero Christum habeant, C sed eum nondum formaverunt, quibus dicitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Galat.* IV, 19). Ergo qui adhuc in utero sunt, parturiuntur quasi imperfecti: jam illi perfectiores, quibus dicitur: *Ego vos per Evangelium genui* (I *Cor.* IV, 15).

25. Multi patres per Evangelium, et multæ matres quæ Christum pariunt. Quis mihi igitur Christi monstret parentes? Ipse monstravit, dicens: *Quæ mihi est mater, aut qui fratres?.... Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi et frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII, 48 *et* 50). Fac voluntatem Patris, ut Christi mater sis. Multæ conceperunt Christum, et non genuerunt. Ergo 1510
quæ parit justitiam, Christum parit: quæ parit sapientiam, D Christum parit: quæ parturit verbum, Christum parturit.

26. Est etiam quæ parturivit injustitiam, et peperit iniquitatem. Istis væ prægnantibus, quæ corpore graves, ad evadendum periculum pigriores

[a] Edit. Amerb. et Rom. cum paucis mss. *propter redimenda delicta*. Minus commode.

[b] Mss. fere ad unum, *suæ legis exercitu*. Melius tamen cunctæ edit., *suæ legionis exercitu*. Facilis quippe scriptorum lapsus trium elementorum omissio.

[c] Vet. edit. ac pauci mss., *Tunc cum iste Antichristus tenet: donec de medio fiat, justitia exulat*. Rom. *Tunc Antichristus tenet: dum justitia exulat*. Reliqui mss. magno consensu nobiscum faciunt; nisi quod pro *interiora*, in quibusdam tantum legitur *in te*, non pravo sensu.

[d] Mss. nonnulli, *inveniet pacem super terram*.

[e] Edit. Era. et Gill. in margine ac Rom. in textu cum mss. nonnullis, *Quid ergo? Errare poterit discordia litterarum?* Eædem edit. Era. et Gill. in textu cum Amerb. maximaque parte mss. *Quid* (mss. aliquot, *quis*) *quadrare poterit discordiam litterarum?* Elegantius vero Corb. et alii quidam, quos secuti sumus.

[f] Edit. et pauci mss., *non meminit pressuræ. Et subjecit;* alii magno consensu ut nos in textu.

Digitized by Google

sunt! Istis væ, quibus futuri partus, quo corpus omne concutitur, [a] dolor ingeritur. Illis futuri signa judicii initia sunt dolorum (*Matth.* xxiv, 8).

27. Docuit etiam Moyses esse prægnantem, quam si duo conculcaverint litigantes, abortivum cito incidat (*Exod.* xxi, 22). Et ideo bona femina litem fugiat, pacem sequatur; ut partum possit absolvere: nec novem mensium tempus exspectet, verbi partus non in tempore, sed diligentiæ plenitudine est. Consummatus autem in brevi justus explevit tempora multa (*Sap.* iv, 13). At contra cito anima imperfecta calcatur, et verbum quod concepit, amittit. Sed væ illi qui scandalizaverit unum de pusillis istis (*Marc.* ix, 41)! Væ illi qui prægnantem calcaverit! Nam si informe adhuc pignus excluserit, pecuniæ jactura est: si vero formatum, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu.

28. Sed cur oculum aut manum, cum abortivus et manum habeat, et oculum habeat, qui jam formatus excussus est? Unde apparet pro eo modo quo nocuit, unumquemque damnandum. Si enim catechumenum quis vel hæreticus vel schismaticus tamquam de utero vel animæ vel Ecclesiæ parturientis excusserit, levius punitur: si fidelem, gravius. Et ideo cavendum ne cum talibus litigando Ecclesiam calces; stultas enim pugnas, et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites, quibus Ecclesia quasi parturiens totius corporis conculcatione vexetur (II *Tim.* ii, 16).

29. Ergo cito reple ventrem tuum, ut citius possis partum edere. Audi quomodo repleas, et quibus repleas: *Ex fructu*, inquit, *oris sui vir implevit ventrem suum: fructibus autem labiorum suorum satiabitur* (*Prov.* xviii, 20).

30. De nutrientibus quoque docuit me illud Salomonis sublime judicium, et illa duarum contentio feminarum, quod etiamsi jam partus dolore sint absolutæ, adhuc tamen [b] confidendorum pignorum metu nutent; quia per temulentiam nutrientis somnus obrepat, parvulum mater opprimat, neget suum, quærat alienum: sed et illa quæ filium non peremit, periclitatur suo; quia judicii hæret incerto (III *Reg.* iii, 23).

31. Ergo et nos, ne quasi imperfectorum parentes operum aut judicii dies, aut mortis inveniat, parvulos nostros ablactare properemus. Ablactatus Isaac non fuit somno matris obnoxius; et ideo epulum magnum exhibuit Abraham, quando ablactavit filium (*Gen.* xxi, 8). Ablactatus David retributionem animæ suæ sperat (*Psal.* cxxx, 2); non enim ut Corinthius in primordio fidei, escæ adhuc invalidus fortiori, lacte potatur: sed jam pane solido firmatus in plenitudinem perfectæ ætatis adoleverat (I *Cor.* iii, 2). **1511** Ergo non satis est cura generandi, nisi suppetat efficacia nutriendi.

32. Itaque et tibi tamquam Mariæ verbum Dei crescat, sapientia et ætate proficiat. Quod ita fit, si omnia dicta justitiæ in corde custodias, nec senectutis tempus exspectes: sed in prima ætate desponsata alii viro justo sapientiam sine corruptela corporis tui cito concipias, cito parias, cito nutrias. Vide mihi Paulum hesterno persequentem, hodie credentem, die crastina prædicantem (*Act.* ix, 21).

33. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato* (*Matth.* xxiv, 20). Cum judicii die venturus sit Dominus, ante quem ignis ardebit; ignis autem vis est semper eadem, aut citius adurat æstate: quomodo orandum dicit ne fuga nostra hyeme fiat; nisi forte quia is qui in montes fugit, frigus et glaciem, procellas et grandinem delictorum [c] timere debet, et optare æstivæ lucis serenitatem, ne lubrico corporis vestigia infirma labantur?

34. Unde et illa jam secura processu, jam firmis radicibus nixa lætatur, dicens: *Hyems abiit, tempus secandi advenit* (*Cant.* ii, 11 *et* 12); hyeme enim arbores ventus suo honore despoliat, et asperitas frigoris teneras frondes in speciem mortis interficit: vere autem resurgunt semina, et tamquam nova æstas naturæ viridantis adolescit. Vere Pascha est, quando servatus sum: æstate est Pentecoste, quando resurrectionis gloriam celebramus ad instar futuri.

35. Orandum etiam ne sabbato te, hoc est, ab operibus otiantem veniens Dominus deprehendat. Et ideo juxta Legem operare diem in die, et esto spiritu ferventi, et labore pervigili. Nec otiosum illud, quia scriptum est: *Sabbato humiliabis animam tuam* (*Lev.* xiii): et quia septuaginta annis populus in captivitate duravit, tunc violata religio, obtrita libertas, pudicitia vulnerata. Ergo tunc tibi emigrandum ex hac vita, quando virtutes vigent, vitia captiva sunt: non quando captiva est anima, vigor et virtus vacat corporis, et peccata dominantur.

(Vers. 25.) *Et erunt signa in sole et luna et stellis.*

36. Et prophetiæ vera series, et integra causa mysterii, quod et captivi Judæi secundo in Babyloniam, Assyriamque ducentur, captivi in toto erunt orbe, quia negaverunt Christum: et Hierusalem quæ videtur, ab hostili exercitu calcabitur, cadentibus Judæis in ore gladii: et Judæa omnis a nationibus credituris subjicietur in ore gladii spiritalis, qui est

[a] Cunctæ edit et plerique mss. *dolor integer*. Alii mss. partim *dolor ingreditur*; partim, *dolor ingeritur*. Et hoc ultimum elegantius. Iterum ubi omnes edit., *abortivum cito inducant*, mss. contra prope ad unum habent, *abortivum cito incidat*, subintellige *corpus*, vel potius *pignus*, quæ vox infra non semel adhibetur.

[b] Plures mss. atque omnes edit. exceptis ultimis Paris. præferunt, *confirmandorum pignorum*. Potior tamen alia lectio.

[c] Vet. edit. cum plerisque mss., *timere non debet, sed optare*; Rom. cum aliis, *timere debet, et optare.*

Digitized by Google

sermo his aeulus: et erunt signa diversa in sole et luna et stellis.

37. Quæ signa secundum Matthæum evidentius exprimuntur: *Tunc*, inquit, *sol obscurabitur*, *et luna non dabit lumen suum*, *et stellæ cadent* (*Matth.* XXIV, 29). Plurimis enim a religione deficientibus, clara fides obscurabitur nube perfidiæ; quia mihi sol ille cœlestis mea fide vel minuitur, vel augetur. Quemadmodum si plurimi radios mundani solis aspiciant, pro captu videntis aut pallidior sol videtur, aut clarior: ita pro devotione credentis unicuique spiritale lumen infunditur. Et quemadmodum menstruis cursibus luna vel terræ opposita cum fuerit e regione solis, vanescit; sic et sancta Ecclesia, cum lumini cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgores divini luminis de Christi radiis **1512** non potest mutuari. Nam in persecutionibus lucem Dei solus plerumque amor vitæ hujus excludit.

38. *Stellæ cadent*, illi utique resurrectionis gloria jam micantes, illi viri sicut luminaria in sæculo verbum vitæ continentes, illi viri de quibus Abrahæ dictum est, quia sicut cœlum fulget et stellæ, sic erit semen ejus (*Gen.* XIII, 16). Excident ergo hominibus patriarchæ, excident prophetæ, si persecutionis acerbitas convalescat: quæ oportet fieri, donec Ecclesiæ in omnibus virtutum, in singulis plenitudo cumuletur; sic enim probantur boni, sic produntur infirmi. Ergo varii animorum æstus ita graves erunt, ut delictorum multitudine male consciis, futuri judicii metu, sacri in nobis ros fontis arescat; aret enim perfidia, fides rorat.

(Vers. 26, 27.) *Nam virtutes in cœlo commovebuntur: et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus.*

39. Fortasse quemadmodum Domini exspectatur adventus; ut ejus præsentia in toto fiat vel hominis orbe vel mundi, quæ fit utique in singulis, cum omnibus affectibus receperint Christum: sic etiam virtutes cœlorum adventu domini Salutaris ac reditu (*Psal.* XIII, 10), est enim virtutum Dominus, augmentum gratiæ consequantur necesse est, et plenitudine divinitatis propius se infundente moveantur.

40. Sunt etiam virtutes cœlorum quæ enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1), quæ pleniore Christi infusione moveantur, virtutes spiritales, quæ vident Christum. Docuit nos David quemadmodum hæ moveantur virtutes, dicens: *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Docuit etiam Paulus (II *Cor.* III, 16) quemadmodum Christum videas; cum enim conversus fueris ad Dominum, aufertur velamen, et vides Christum.

41. Vides illum in nubibus. Non equidem puto quod in caligine tenebrosa et horrore pluviali Christus adveniat; nubes enim quando videntur, cœlum utique caliganti horrore subtexunt. Et quomodo in sole posuit tabernaculum suum (*Psal.* XVIII, 6), si pluvialis erit ejus adventus?

42. Sed sunt nubes quæ, quia sic oportet, cœlestis obtexunt mysterii claritatem: sunt nubes quæ rore gratiæ spiritalis humescant. Aspice nubem in veteri Testamento: *In columna*, inquit, *nubis loquebatur ad eos* (*Psal.* XCVIII, 7). Per Moysen utique loquebatur, per Jesum Nave, qui solem statuit (*Josue* X, 12); ut plenioris luminis acciperet claritatem. Ergo Moyses et Jesus nubes sunt. Aspice quia viri sancti nubes sunt, qui sicut nubes volant, et quasi columbæ cum pullis. Super me nubes sunt Esaias, Ezechiel, qui mihi per Cherubim et Seraphim sanctitatem divinæ Trinitatis ostendunt (*Esai.* LX, 8). Nubes sunt omnes prophetæ: in his nubibus venit Christus. Venit in nube in Canticis canticorum, serena nube, et Sponsi refulgens lætitia (*Cant.* III, 11). Venit et in nube levi incarnatus ex Virgine; vidit enim propheta sicut nubem venire ab Oriente (*Esai.* XIX, 1). Et bene levem nubem dixit, quam terrena vitia non gravarent. Vide nubem, in quam Spiritus sanctus supervenit, et virtus Altissimi obumbravit (*Luc.* I, 35).

43. Cum ergo apparuerit Christus in nubibus (*Matth.* XXIV, 30), **1513** concident se Tribus terræ; est enim quidam ordo criminum, et series peccatorum, quæ Christi dirimatur adventu.

(Vers. 29, 30.) *Videte ficulneam et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis quia prope est æstas.*

44. Diverso quidem modo, in unum tamen concurrere videtur Evangelistarum sententia; Matthæus enim de sola dixit ficulnea, cum ramus ejus tener fuerit (*Matth.* XXIV, 32): hic de arboribus omnibus. Verum sive cum fructus in omnibus virescit arboribus, et ficulnea fecunda jam floret, ut omnis lingua confiteatur Deo, confitente etiam populo Judæorum; sperare Domini debemus adventum, quo tamquam temporibus æstivis resurrectionis fructus metentur: sive cum levem fragilemque jactantiam homo iniquitatis tamquam folia Synagogæ ramus, induerit, conjicere debemus appropinquare judicium: nam remunerare fidem Dominus, et delinquendi finem afferre festinat.

45. Duplicem igitur habet figuram hæc ficulnea, vel cum dura mitescunt, vel cum peccata luxuriant. Nam per fidem credentium quæ arebant ante, florebunt: et per gratiam delictorum peccatores gloriabuntur: ibi fructus est fidei, hic perfidiæ lascivia. Fructum mihi ficulneæ agricolæ Evangelici (*Luc.* XIII, 9) cultura promittit, desperare non debemus, si foliis ficulneæ peccatores se tamquam fraudis veste texerunt, ut conscientiam velarent: ergo folia suspecta sine fructu. Tales vestes paradisi exsules habent (*Gen.* III, 7).

(Cap. XXII. — Vers. 10.) *Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans.*

46. Bonum est considerare ubi Dominus [a] pascha faciat. Secundum Matthæum habes: *Ite in civitatem ad quemdam* (*Matth.* XXVI, 18). Primum majestatem divinitatis adverte. Cum discipulis loquitur, et jam novit quid alibi sit futurum. Deinde dignationem

[a] Mss. nonnulli, *ad pascha* (unus *in pascha*) *veniat*.

Digitized by Google

ejus intuere; quia non persona divitis aut potentis A eligitur : sed pauper ambitur, et angustum hospitium pauperis amplis nobilium ædibus antefertur. *Ite*, inquit, *ad quemdam*. Sciebas, Domine, nomen ejus, [a] cujus sciebas ministerium, sciebas ministerium cujus sciebas occursum : sed ideo sine nomine designatur, ut ignobilis æstimetur. Nihil hic compositum, ubi non exprimitur persona, sed causa. Secundum Marcum autem, *Lagenam aquæ portans* (*Marc.* XIV, 13). Hic ergo apostolis mandatur sequendus.

47. (Vers. 11, 12.) Et quomodo paterfamilias? Ut agnoscas sanctitatis definitionem esse, non census. Quomodo [b] in superioribus habens stratum magnum? Ut magnum meritum ejus advertas, in quo Dominus cum discipulis sublimium virtutum ejus B delectatione requiesceret. Utinam ergo mihi contingat amphoram aquæ portare, contingat **1514** lagenam aquæ portare, quam portat paterfamilias, habens in superioribus stratum magnum. Quid est enim amphora, nisi [c] mensura perfectior? Non mediocres qui mensuram habent. Denique Dominus : *Mensuram*, inquit, *bonam commotam*, *superfluentem dabunt vobis* (*Luc.* VI, 38).

48. Nam de aqua quid loquar? Super aquam ante ipsos mundi natales sanctus, ut legitur, Spiritus ferebatur (*Gen.* I, 2). O aqua, quæ humano aspersum sanguine, ut præsentium lavacrorum figura præcederet, orbem terrarum lavisti! O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris! Tu incipis prima, tu comples perfecta C mysteria. A te principium, in te finis : vel potius tu facis ut finem nesciamus. Per te fetor tabidæ carnis aboletur, et pereuntia situ viscera [d] asperso sale, in multam servantur ætatem. Per te arentibus æstu corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suavis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen prophetis et apostolis, tu nomen Salvatori dedisti : illi nubes cœli (*Esai.* LX, 8), [e] illi sal mundi (*Matth.* V, 13), iste fons vitæ est (*Joan.* VII, 38). Quæ montibus pressa non clauderis, quæ scopulis illisa non frangeris, quæ terris infusa non deficis : sed intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem inhalas, aut succum infusa fertilem præstas, [f] aut rigatu superfusa ad commodum subministras; ne siccatis exinanita vitalibus, solemnes neget terra D proventus. Omnium elementorum substantia, cœlum, aer, mare, et terra te reddunt. Te prophetico percussa tactu, ut sitientium rigares corda populorum, vomuit petra (*Exod.* XVII, 6) : te, cum de latere Salvatoris erumperes, percussores viderunt, et crediderunt (*Joan.* XIX, 34) : et ideo regenerationis nostræ de tribus una es testibus; tres enim testes sunt, aqua, sanguis, et spiritus (I *Joan.* V, 8). Aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium, spiritus ad resurrectionem.

(Vers. 29.) *Et ego quidem dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

49. Regnum Dei non est de hoc mundo. Non ergo æqualitatis homini ad Deum, sed similitudinis æmulatio est; solus enim Christus est plena imago B Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem : justus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinæ conversationis similitudinem mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi Dei perceptione despiciat, quo alimur in vitam; unde et corpus Christi edimus (*De conseq. dist.* 2, *cap. In quibus*, § *Corpus*), ut vitæ æternæ possimus esse participes. Non enim victus et potus nobis præmii loco spondetur et honoris, sed communicatio gratiæ cœlestis et vitæ : neque duodecim throni tamquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis (*Vers.* 30); sed quia sicut secundum divinam similitudinem judicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, **1515** virtutem remunerans, impietatemque con- C demnans : ita et apostoli in judicium spiritale formantur remuneratione fidei, et exsecratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes.

50. Convertamur igitur, et caveamus ne in perditionem aliqua inter nos de prælatione possit esse contentio; si enim contendebant apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando convertitur, qui ad primam Domini secutus est vocem (*Matth.* IV, 20), quis potest dicere cito se esse conversum? Cave ergo jactantiam, cave sæculum; ille enim confirmare jubetur fratres suos qui dixit : *Omnia dimisimus, et secuti sumus te* (*Luc.* XVIII, 28).

51. Deinde contuendum est quia [g] non omnis ho- D norificentiæ studio humilitas definitur; potes enim

[a] Ita decem mss. melioris notæ. Alii, et edit., *cujus sciebas ministerium, cujus sciebas occursum*.

[b] Innuit Ambrosius veterem consuetudinem cœnandi in ædium parte superiori; unde cœnaculum Marco XIV, 15, dicitur ἀνώγεον : qua de re consule Criticos sacros in eum locum, nec non Struchium *Antiq. conviv.* lib. II, cap. 14.

[c] Omnes propemodum mss., *mensura perfectior, non mediocrem mensuram habens?* Potiores tamen hoc loco videntur edit.

[d] Quum ex hoc loco, tum ex Origenis, Augustini, et aliorum testimoniis antiquitatem ritus illius, quo sal catechumenis in os inseritur, ostendit Jos. Vicecomes *de Antiq. Bupt. rit. ac cærem.* lib. II, cap. 12.

[e] Plerique mss., *ille sal* (nonnulli *ille salvator*) *mundi : tu fons vitæ es, quæ*, etc.

[f] Mss. non pauci, et ant. edit., *aut rigatum superfusa ad commodum subministras, ne siccatis examinata*, etc. Edit. Rom. hinc tantum expunxit præpositionem, quam forte melius cum adjectivo conjunxisset, ut esset *adcommodum*, pro *accommodum*, ut nunc scribimus. Mss. vero plures ac potiores nobiscum faciunt. Ita porro locum interpretare ac si legeres, *aut rigatu superfusa ad utilitatem illud subministras*, *ne videlicet*, etc.

[g] Omnes edit., *non omnis honorificentiæ studium humilitatis* (Rom., *humilitas*) *definitur*. Scripti cod. magno numero, ut nos in textu. Post voces autem *non omnis honorificentiæ*, subintelligendum est, *aliis exhibendæ*; quemadmodum sequentia planum faciunt.

Digitized by Google

deferre alicui propter sæculi gratiam, potentiæ metum, utilitatisque contuitum. Tua ædificatio quæritur, non alterius honor : et ideo una datur omnibus forma sententiæ, ut non de prælatione jactantia sit, sed de humilitate contentio; eoque se Dominus proponit imitandum. Egebamus omnium, ipse nullorum; et tamen præbuit se humilitatis auctorem, cum discipulis ministraret. Quod utique non faciebat studio utilitatis, sed exercitatione virtutis.

52. (Vers. 31.) Petrus autem etsi spiritu promptus, corporis tamen adhuc infirmus affectu denuntiatur Dominum negaturus; neque enim poterat divinæ constantiam intentionis æquare. Passio Domini æmulos habet, pares non habet. Ita non reprehendo quod negavit, laudo quod flevit. Aliud commune conditionis est, aliud speciale virtutis. Et ideo instruitur ad cavendum, non cogitur ad negandum.

(Vers. 36.) *Qui nunc habet*, inquit, *sacculum tollat similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat sibi gladium.*

53. O Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi? Nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria; et videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire non vetat, et ideo fortasse Petro duos gladios offerenti : *Satis est* (*Vers.* 38), dicis, quasi licuerit usque ad Evangelium; ut sit in Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.

54. (Vers. 37.) Multis hoc iniquum videtur : sed non iniquus Dominus, qui cum se posset ulcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritalis, ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, et immolatæ carnis exuviis ematur tibi sacri corona martyrii : quod ex benedictionibus Dominicis colligere potes, qui summam omnium coronam, si quis persecutionem patiatur pro justitia, prædicavit. Denique ut scias quia de passione locutus est, ne turbaret discipulorum **1516** animos, de se exemplum protulit, dicens : *Quoniam hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, quod et cum injustis deputatus est.*

55. Movet tamen adhuc quod duos gladios discipuli protulerunt; ne forte unum novi, alterum veteris Testamenti, quibus adversus diaboli armamur insidias? Denique dicit Dominus : *Satis est*, quasi nihil desit ei, quem utriusque Testamenti doctrina munierit.

(Vers. 42, 43.) *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum.*

56. Hærent plerique hoc loco, [a] qui tristitiam Salutaris ad argumentum insolitæ potius a principio,

A quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, et naturalis sensum cupiunt detorquere sententiæ. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem ejus majestatemque demiror; minus enim contulerat mihi; nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret : et sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur : et vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico; neque enim speciem Incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque

B enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem : *Homo enim in plaga, et sciens*, inquit, *ferre infirmitates* (*Esai.* LIII, 3).

57. Nos vult erudire, ut quia in Joseph didiceramus carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo : et quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus. Quomodo enim te imitaremur, Domine Jesu, nisi sequeremur ut hominem, nisi mortuum crederemus, nisi vulnera vidissemus? Quemadmodum discipuli crederent fuisse moriturum, nisi morituri tristitiam comperissent? Sed adhuc dormiunt, et nesciunt dolere, pro quibus Christus dolebat; ita enim legimus : *Quia peccata nostra portat, et pro nobis dolet* (*Ibid.* 4). Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera :

C non tuam mortem, sed nostram infirmitatem : et nos æstimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres; infirmatus enim es, sed propter peccata nostra (*Ibid.* 5) : non quia illa tibi infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta; quia mihi proderat ut eruditio pacis nostræ esset in te, et livore tuo vulnera nostra sanares.

58. Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Et quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum ressuscitaturus illacrymat (*Joan.* XI, 35)? Sed et ibi piæ sororis lacrymis commovetur; quia mentem humanam tangebant : et hic alto operatur affectu; ut quia in carne sua peccata nostra perimebat, mœrorem quoque **1517** animæ nostræ, suæ animæ mœror aboleret. Et fortasse ideo tristis

D est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc sæculo recedendum, ut mori esset necesse : *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13); et ideo fastidit quod ipse non fecit.

59. Denique ait : *Transfer a me calicem istum*, quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans; oportet enim mori nos sæculo,

[a] His verbis castigantur Apollinaristæ, qui teste Epiphanio Hær. 77, num. 33, pervicaciter contendebant *etiam divinitatem Christi passam esse :* aut forte, ut ait B. Th. in Matthæum, a quibus affirmabatur in Christo *Verbum esse loco animæ.... ut omnia quæ ad defectum pertinent, ad Verbum referrentur*. Et hoc tota serie orationis confirmatur. Falsus est ergo Maldonatus si ad huncce locum respexit, cum in cap. XXVI Matthæi scripsit Ambrosii auctoritate olim exstitisse *qui negarent veram in Christo fuisse tristitiam*. Verum quidem est infra reperiri nonnulla quibus Manichæi Christum vere passum esse negantes perstringantur, sed hoc obiter, ac levi manu.

Digitized by Google

[a] ut resurgamus Deo; ut juxta divinam sententiam lex maledictionis, resoluto in terræ limum naturæ fine, solvatur (*Gen.* III, 19). Quod autem ait :

(Vers. 42.) *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

60. Suam ad hominem retulit : Patris, ad divinitatem; voluntas enim hominis temporalis, voluntas divinitatis æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas, ubi una divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus; ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

61. Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus : *Tristis est*, inquit, *anima mea* (*Matth.* XXVI, 38). Et alibi : *Nunc anima mea turbata est valde* (*Psal.* VI, 4). Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur; anima enim obnoxia passionibus, divinitas libera. Denique, *Spiritus promptus, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, [b] sed anima. Suscepit corpus meum : non me fefellit, ut aliud esset, aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Matth.* XXVI, 31). Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Cæterum quam constanter se morti obtulerit, [c] Scriptura declarat (*Joan.* XVIII, 4); quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit.

62. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit : *Transfer hunc calicem a me* (*Luc.* XXII, 42); non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia vel malos perire nolebat. [d] Denique ait : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Luc.* XXIII, 34), ut passio sua esset omnibus salutaris.

(Vers. 48.) *Juda, osculo Filium hominis tradis?*

63. Magna divinæ significatio potestatis, magna disciplina virtutis. Et consilium proditionis aperitur, et adhuc patientia non negatur. Ostendisti, Domine, quem proderet, dum occulta manifestas. Ostendisti etiam quem traderet, dum dicis : *Filium hominis*; quia caro, non divinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit, qui cum esset Dei **1518** Filius, propter nos tamen Filius hominis esse voluisset. Quasi dicat : Propter te

A suscepi, ingrate, [e] quod tradis. En hypocrisin. Ergo per interrogationem pronuntiandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem : *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Hoc est, amoris pignore vulnus infligis, et charitatis officio sanguinem fundis, et instrumento pacis mortem irrogas? Servus dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem? Hoc est illud : *Utiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (*Prov.* XXVII, 6). Proditori hoc : pacifico vero quid dicitur? *Osculetur me ab osculis oris sui* (*Cant.* I, 1).

64. *Et osculatus est*, inquit, *eum* (*Matth.* XXVI, 49). Non quo simulare nos doceat, sed ut neque proditionem refugere videretur, et plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret; scriptum est B enim : *Cum odientibus pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7).

65. Et signo dato, inquit, ab iis qui cum fustibus venerant, comprehenditur (*Matth.* XXVI, 50) : sed Dominum omnium mysteria, non arma tenuerunt. Denique locutus est, et ceciderunt retrorsum (*Joan.* XVIII, 6). Quo mihi legiones angelorum, quo cœlestis exercitus? Vox Domini sola plus terret. Hanc ille ad demonstrandum divinæ majestatis indicium, qui in pectore Christi recumbebat, efigit. Volenti ergo injicit manus turba, nectuntur vincula. O amentes! O perfidi! non sic comprehenditur sapientia, non sic tenetur justitia.

66. (Vers. 49-51.) Nec discipulorum studia defuerunt. Denique Petrus eruditus in Lege, promptus af- C fectu, qui sciret Phineæ reputatum ad justitiam quod sacrilegos peremisset, percussit principis servum (*Psal.* CV, 31). Sed Dominus vulnera cruenta detersit, mysteria divina subjecit; ut servus principis mundi, hoc est, non naturæ conditione, sed culpæ, sæcularium famulus potestatum, auris suæ vulnus exciperet; quia non audisset verba sapientiæ : *Omnis denique qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). *Peccatis*, inquit, *vestris venditi estis* (*Esai.* L, 1). Venditio propter peccata nostra : propter bonitatem autem Dei redemptio peccatorum. Aut si Petrus volens (24, *quæst.* 1, *c. Si Petrus*) percussit aurem, docuit quod aurem habere in specie non deberent, quam in mysterio non habebant. Sed bonus Dominus et ipsi refundit auditum, secundum

[a] Ita cuncti mss. ac vet. edit. nisi quod hæ illorumque nonnulli legunt ..... *lex maledictionis resoluta*. Et alii duo, *resoluto terræ* (unus, *in terram*) *limo*. Minus commode. Rom. vero locum immutavit in hunc modum, *ut corpore juxta divinam sententiam, in terræ limum naturæ fine resoluto, spiritu resurgamus Deo*.

[b] Omnes edit. cum uno aut altero mss., *sed anima; suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum*. Mss. vero cæteri et synodus Hispal. II, ubi hic locus allegatur, in nostram lectionem consentiunt; excepto quod in mss. aliquammultis, ac margine memoratæ synodi legitur, *sed anima, quæ suscepit*, etc. Minus apposite.

[c] Vet. edit., *consequentia declarant*; Rom., *connexa declarant*; mss., *Scriptura declarat*.

[d] Rom. edit. sola, *unde ait : Pater, dimitte illis hoc* D *peccatum*. Vet. autem ac mss. hoc tantum inter se dissentiunt, quod plurimi mss. nobiscum legunt *Domine*, alii aliquot et edit. præferunt *Pater*. At vero ubi omnes edit. habent, *ne exitialis esset populo passio sua, futura omnibus salutaris*; mss. omnes omnino nostram astruunt lectionem.

[e] Edit. Gill. et Rom. cum paucis mss., *quod tradis in hypocrisi. Ergo* etc., nimirum ut *in hypocrisi* ad exsecrandam perfidi illius discipuli simulationem referatur. Amerb., Era. cum aliquot mss., *quod tradis. In hypocrisim* (Era., *in hypocrisi*) *ergo*, etc., ubi per *hypocrisin* nihil aliud significatur quam imitatio seu modus exprimendi affectum quo pronuntiata sunt verba Servatoris; ὑπόκρισις enim proprie imitandi actionem sonat. Et hoc etiam sensu accipienda videtur lectio Corb. et aliorum quorumdam mss. quam sequimur.

Digitized by Google

propheticæ dicta demonstrans (*Esai*. xxxv, 10) et A ipsos, si convertantur, posse sanari, qui in passione Domini vulnerati sunt; eo quod omne peccatum fidei mysteriis abluatur.

67. Tollit ergo Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipse est qui accepit claves regni cœlorum (*Matth*. xvi, 19): ille enim condemnat, qui et absolvit; quoniam idem et ligandi et solvendi adeptus est potestatem (*Ibid*.). Tollit autem aurem male audientis: tollit autem gladio spiritali aurem interiorem male intelligentis.

1519 68. Caveamus ne cui tollatur auricula. Legitur passio Domini: si ad divinitatem ejus referimus infirmitatem corporeæ passionis, exciditur auricula, et exciditur a Petro, qui non passus est Christum prophetam æstimari: sed Dei Filium docuit B fideli confessione signari. Ergo cum legimus teneri Jesum, caveamus ne ab aliquo audiamus, et putemus eum secundum divinitatem teneri, teneri invitum, teneri quasi infirmum. Tenetur quidem, et ut dixit Joannes (*Joan*. xviii, 12), ligatur secundum corporis veritatem: sed væ illis qui ligant Verbum! Ligant enim qui tantummodo Christum hominem putant: ligant [a] qui præscium non putant, qui omnipotentem non confitentur. Mala vincula Judæorum quibus non Christum ligant, sed seipsos alligant. Ligatur autem in domo non pii alicujus et justi, sed in domo Caiphæ (*Joan*. xi, 50), hoc est, in impia domo; ubi etiam moriturus pro omnibus prophetatur. Quam amentes igitur qui beneficia divina con- C fitentur, et beneficiorum auctorem persequuntur!

69. Ideo aurem perdunt, quia perdiderunt auditus profectum. Auditum multi non habent, qui habere se credunt. In Ecclesia omnes habent, extra Ecclesiam non habent. Aut fortasse ideo aurem tulit; ne amplius delinquerent audientes, qui audita servare non possent. Sic et aliquando confudit Deus linguas exstruentium turrem, ne se audirent, et opus suæ impietatis augerent (*Gen*. xi, 7).

70. Comprehende, si potes, quomodo ad dexteræ salutaris attactum fugiat dolor, et vulnera non medicamento [b] aspersa, sed tactu obducta sanentur. Operatorem suum limus agnoscit, et operatricem suam Domini manum sequitur caro; quomodo enim vult, opus suum creator instaurat. Sic et D alibi cæco illi visus, luto supra oculos illito, quasi in naturam redierit, reformatur (*Joan*. ix, 6). Jubere potuit, sed operari maluit; ut cognoscamus ipsum esse qui e limo terræ corporis membra nostri variis apta formavit officiis, et infuso vigore mentis animavit.

71. Venerunt ergo et comprehenderunt eum, gravius perituri studii sui fructu: nec intellexerunt infelices mysterium, nec venerati sunt tam clementem pietatis affectum, quod etiam hostes suos non passus est vulnerari. Illi justo mortem inferebant: persecutorum vulnera iste sanabat.

(Vers. 54, 55.) *Petrus vero sequebatur a longe*.

72. Et bene a longe sequebatur, jam proxime negaturus; neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset. Sed fortasse et in hoc nobis maxima sit admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Metus naturæ est, cura pietatis. Alienum, quod timet; suum, quod non fugit. Quod sequitur, devotionis; quod negat, obreptionis. Commune, quod labitur: fidei, quod pœnitet. Jam in domo principis sacerdotum ignis ardebat: accessit Petrus, ut calefaceret se; quia clauso Domino, calor mentis etiam in ipso refrixerat.

73. (Vers. 56.) Quid sibi vult quod prima eum prodit ancilla, 1520 cum viri utique magis eum potuerint recognoscere; nisi ut et iste sexus [c] peccasse in necem Domini videretur, ut et iste sexus redimeretur per Domini passionem? Et ideo mulier resurrectionis accipit prima mysterium (*Joan*. xx, 17), et mandata custodit; ut veterem prævaricationis aboleret errorem.

74. (Vers. 57.) Petrus ergo proditus negat; ponamus enim negasse Petrum, quia dixit Dominus: *Ter me negabis* (*Matth*. xxvi, 34)? Et malo negasse Petrum, quam Dominum fefellisse. Quid negavit? Quod promisit incaute. Devotionem consideravit, non respexit conditionem. Mulctatus, quia dixit se animam ponere (*Joan*. xiii, 37): quod non humanæ infirmitatis, sed divinæ est potestatis. Cum tam gravem imprudentis sermonis mulctam luerit, quanta est pœna perfidiæ!

75. Ubi tamen negat Petrus? Non in monte, non in templo, non in sua domo: sed in prætorio Judæorum, in domo principis sacerdotum. Ibi negat, ubi veritas non est: ibi negat, ubi Christus captus, ubi Jesus ligatus est. Quid, nisi erraret, quem intromisit ostiaria, interrogavit ostiaria (*Joan*. xviii, 17), et ostiaria Judæorum? Male Eva induxit Adam, male Petrum introduxit femina. Sed ille in paradiso labitur, ubi non veniabilis culpa: hic in prætorio Judæorum, ubi difficilis innocentia. Illi interdictus lapsus, huic prædictus error. Ille commissus huic præjudicavit, hic illum resolvit.

76. Consideremus etiam quo in statu neget. *Frigus*, inquit, *erat* (*Ibid*. 18). Si tempus consideremus, frigus esse non poterat: sed frigus erat ubi Jesus non agnoscebatur, ubi non erat qui lucem videret, ubi negabatur ignis consumens. Frigus ergo erat mentis, non corporis. Denique ad carbones stabat Petrus, quia algebat affectu (*Marc*. xiv, 54). Mala flamma Judaica: urit, non calefacit. Malus focus, qui quamdam etiam sanctorum mentibus fuliginem erroris aspergit, juxta quem etiam Petri interiores oculi caligarunt. Illi oculi non carnis et sanguinis,

[a] Paris. quædam edit., *qui præsentem non putant*. Taur. cod., *qui perfectum non putant*.

[b] Sic vet. edit. et mss. paucis exceptis, ubi pro *aspersa*, legitur *conspersa*: unde Rom. edit. videtur fecisse vocem *compressa*.

[c] Mss. aliquot, *præcessisse in nece*, etc.

Digitized by Google

sed oculi mentis, quibus Christum videbat.

77. Dicet aliquis : Tu Judæorum etiam elementa condemnas ? Non condemno elementa, quia non sunt Judæorum, [a] sed Christi : sed alia est quam condemno, flamma perfidiæ. Hanc flammam condemno Judæorum, divina secutus oracula ; dicit enim Dominus : *Argentum vestrum reprobum est* (*Jerem.* vi, 30). Si argentum Judæorum reprobum est, et focus reprobus Judæorum est. Denique foco et auro Judæorum caput vituli figuratum est (*Exod.* xxxii, 24), hoc est, sacrilegii principatus.

78. Sed videamus negandi tenorem, quem inter evangelistas video esse diversum. Ita novum fuit Petrum potuisse peccare, ut peccatum ejus nec ab evangelistis potuerit comprehendi. Itaque Petrum prodenti ancillæ quod ex illis esset qui cum Jesu Galilæo erant, prima voce Matthæus posuit respondisse : *Nescio quid dicas* (*Matth.* xxvi, 70). Hoc etiam Marcus (*Marc.* xiv, 68), qui secutus est Petrum, et ex ipso potuit [b] verius cognoscere. Prima vox negantis est Petri ; qua tamen non negare Dominum, sed a proditione se separasse mulieris videtur.

**1521** 79. Quid tamen negaverit, considera. Ex illis utique se esse, qui cum Jesu Galilæo erant, vel, ut Marcus posuit (*Ibid.*, 67), cum Jesu Nazareno. [c] Numquid negavit cum Dei fuisse se Filio ? Hoc est dicere : Nescio Galilæum, nescio Nazarenum, quem Dei Filium novi. Habeant homines locorum vocabula, Dei Filii patria non potest nuncupari, cujus majestatem locus nullus includit. Et ut scias hoc verum esse, etiam exemplo probatur ; nam alibi cum interrogaret Dominus discipulos : *Quem dicunt esse homines Filium hominis ? Alii Eliam, alii Hieremiam dixerunt, aut unum de prophetis* (*Matth.* xvi, 13) : Petrus autem ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Ibid.*, 16). Numquid et ibi negavit, quia Christum non hominis Filium, sed Dei maluit confiteri ? Certe quid hic putamus ambiguum, quod etiam Christus probavit ?

80. Et aliud accipe. Interrogatus enim Petrus : *Et tu ex illis es, qui cum Jesu Galilæo erant* (*Matth.* xxvi, 69) ? Verbum æternitatis refugit ; non enim erant, qui esse cœperunt, hoc est dicere : Ille solus erat, qui in principio erat (*Joan.* i, 1). Denique ait : *Non sum ego* ; illius est enim esse, qui semper est. Unde et Moyses ait : *Qui est, misit me* (*Exod.* iii, 14).

81. Rursus cum urgeretur quod ex illis esset, secundum Marcum negavit (*Marc.* xiv, 70) ; ut scias evangelistam veritati quam gratiæ plus dedisse : sed tamen negavit ex illis se esse, non Christum negavit. Negavit hominum consortia, non Dei gratiam. Negaverit ex illis se esse, qui cum Galilæo erant, non negavit cum Dei Filio.

82. Denique secundum Matthæum proditus quod A cum Jesu Nazareno fuisset, ait : *Nescio hominem* (*Matth.* xxvi, 72). Hoc idem et in tertia voce uterque, de quibus proposuimus, evangelista ; cum juramento enim respondisse posuerunt, quia nesciret hominem. Et bene negavit hominem, quem sciebat Deum. Denique ubi jusjurandum est, cauta responsio est. Nam etsi negavit Petrus, non tamen pejeravit ; quia nec Dominus pejeraturum esse memoraverat. Quod si in Petro dubium est, quam periculosum est jusjurandum !

83. Joannes autem sic posuit, quoniam interrogatus ab ancilla Petrus, utrum ex discipulis esset illius hominis, prima voce responderit : *Non sum* (*Joan.* xviii, 17). Non enim erat hominis apostolus, qui erat Christi. Denique et Paulus hominis apostolum se esse negavit, dicens : *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem* (*Galat.* i, 1). Sed ne videretur ambiguum aliquod incarnationis afferre, subjecit : *Qui suscitavit eum a mortuis* (*Ibid.*) ; ut et hominem credas, cum Deum ante credideris. Quod alibi quoque eodem tenore custodit, ubi dicit : *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* ii, 5). Prius utique mediatorem Dei quam hominum **1522** nuncupavit ; non enim sat est utrumque credere, nisi fidei ordo servetur.

84. Concordat igitur ubique responsio ; nam qui dixit : *Nescio hominem*, æquum erat ut interrogatus utrum esset ex discipulis hominis, diceret : *Non sum*. Itaque non Christi discipulum se negavit, sed hominis negavit esse discipulum. Itaque et Petrus et Paulus hominem negaverunt, quem Dei Filium fatebantur. Quod sensit Petrus, et Paulus expressit ; hinc et ille profecit. Error Petri, doctrina justorum est : et titubatio Petri, omnium petra est. Denique super undas titubat, sed dexteram porrigit Christo : in monte cadit, sed levatur a Christo. Titubavit quidem Petrus in mari, [d] sed ambulavit (*Matth.* xiv, 30). Firmior titubatio Petri, quam nostra est firmitudo. Ibi cadit, quo nullus ascendit : ibi nutat, ubi nemo ambulat. Et tamen inter undas licet titubet, non labitur : nutat, non cadit : fluitat, non præcipitatur. Et si cecidit, in monte tamen cecidit : sed felicius ille cecidit quam alii steterunt : felicius cecidit, quem Christus levavit.

85. Iterum autem interrogatum quod ex discipulis ejus esset, Joannes scripsit negasse (*Joan.* xviii, 25). Et bene negavit, quia ex ejus dicebatur esse discipulis, quem hominem in superioribus sunt locuti. [e] Nam et tertio quod cum illo visus esset, negavit, et hoc de superioribus derivatur : Cum illo quem hominem nuncupatis, non fui : sed a Dei Filio non recessi.

86. Lucas quoque scripsit Petrum interrogatum utrum ex illis esset, respondisse prima voce : *Non novi illum*. Et bene dixit. Temerarium quippe erat, ut

[a] In mss. non paucis, nec inferioris notæ, deest *sed Christi*.

[b] *Verius*, secundum hominum judicandi consuetudinem ; alioqui enim æque vera sunt omnia quæ scripserunt evangelistæ.

[c] Mss. nonnulli, *numquid negavit cum Dei fuisse Filium ?*

[d] Omnes edit., *sed ambulavit firmior. Titubatio Petri nostra est firmitudo*. Mss. autem ut in textu.

[e] Rom. edit. cum tribus mss., *Nam quod tertio cum illo se fuisse negavit*.

Digitized by Google

diceret quia noverat eum, quem mens humana non potest comprehendere. *Nemo enim novit Filium, nisi Pater* (*Matth.* XI, 27). Rursus secunda voce, secundum Lucam idem Petrus ait: *Non sum ego.* Maluit videlicet se negare, quam Christum. Aut quia videbatur negare Christi societatem, utique se negavit. Certe cum de homine negat, in Filium peccavit hominis, ut remitteretur ei, non in Spiritum sanctum. Tertio quoque interrogatus, ait: *Nescio quid dicas*, hoc est, sacrilegia vestra nescio.

87. Sed nos excusamus, [a] ipse non excusavit; non enim satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse? Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur; quia postea recordatus est, et tamen flevit. Maluit enim ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando: *Justus enim in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17); et ideo flevit.

88. Quare flevit? Quia culpa obrepsit ei: ego soleo flere, si culpa mihi desit, hoc est, si non me vindicem, si non obtineam quod improbe cupio. **1523** Petrus doluit et flevit; quia erravit ut homo. [b] Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniæ (*Cf. Aug. lib.* I *de Gratia Christi*, *cap.* 45) fletus consulunt, et verecundiæ. Lacrymæ sine horrore culpam loquuntur: lacrymæ crimen sine offensione A verecundiæ confitentur: lacrymæ veniam non postulant, et merentur. Inveni cur tacuerit Petrus, ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum.

89. Bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam. Denique quos Jesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et non flevit; quia non respexerat Dominus. Negavit secundo, non flevit; quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime flevit. Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum. Unde etiam lapsus sanctorum utilis: nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit. Didici cavere alloquia perfidorum. Petrus inter Judæos negavit, Salomon contubernio gentili deceptus erravit B (III *Reg.* XI, 4).

90. Flevit ergo et amarissime Petrus, [c] flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum: et tu si veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus. Si in aliquo [d] fortasse labaris; quia secretorum tuorum assistit testis, respicit ut recorderis et fatearis errorem. Imitare Petrum dicentem alibi tertio (6, *q.* 1, *cap. Imitare Petrum*): *Domine, tu scis quia diligo te* (*Joan.* XXI, 15). Etenim quia tertio negaverat, tertio confitetur: sed negavit in nocte, confitetur in die (*Cf. Aug. lib.* I *de Gratia Christi, cap.* 45).

91. Hæc autem ideo scripta sunt, ut sciamus neminem jactare se debere; nam si Petrus [e] lapsus est, quia dixit: *Etsi alii scandalizati fuerint in te, ego non*

[a] Omnes edit.. *Dominus ipse non excusavit.* At in mss. omittitur *Dominus*, ut *ipse* ad Petrum referatur: quod magis scite congruit cum sequentibus. Cæterum sunt qui Ambrosio nostro, quod Petri peccatum nimis elevare conatus sit, vitio vertant; in quibus reperitur Guill. Estius vir pietate juxta ac doctrina clarus. Sic autem ille: *De negatione*, inquit, *multo commentatur Ambrosius.... et ita loquitur quasi Petrus negando Christum non peccaverit saltem mortaliter. Sed videtur Ambrosius revera peccare in hoc, quod peccatum Petri pro quo ille flevit amare, nimium extenuet.* Fatemur quidem cavendum esse ne dum in excusando eodem peccato operam plus justo anxiam ponimus, Christum mendacem qui illud prædixit: Petrum vero ineptum qui ob illud ipsum amarissime flevit, ostendamus. Verum, pace docti viri dixerimus, qui totam hanc Ambrosii commentationem attentius legerit, nihil ipsi occurret, unde jure queat colligi, Petri peccatum sancto Doctori non nisi veniale visum fuisse. Etenim inter mortalia crimina aliud alio levius est; unde putavit Ambrosius sibi licere, ut honoris causa quidquid ad minuendum tanti apostoli peccatum facere posset, id oratorio modo in medium afferret. Et certe ex aliis Patribus non defuerunt qui Petri defensionem adhuc urgerent ardentius, eum non semel justum etiam post negationem vocare perseverantes. Vide eumdem Estium *Annot. in præcipua ac difficil. S. Script. loca*, in cap. XXVI Matth. vers. 70.

[b] Nihil agunt, qui hoc abutuntur loco, ut pœnitentiæ sacramentalis, de qua hic nullo modo agitur, necessitatem conentur elevare. Etenim per *satisfactionem* nequaquam significari confessionem nostram, aut partem ejus extremam, aperte demonstrant quæ sequuntur. Nam quemadmodum verba, *ablui potest*, referuntur ad *lacrymas ejus lego*; sic ista, *sed quod defendi non potest*, pertinent ad *satisfactionem non* C *lego*: unde manifestum est *satisfactionem* hic aliud non esse, nisi defensionem: quo pacto satisfacere objectis criminibus, idem est atque objecta crimina diluere, seu refellere. Sed nec etiam sequentia, nempe *Lavent* (vel, ut edit. Gill. ac Rom. et ms. Reg., *lavant*) *lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri*, vocalem confessionem saltem secretam excludunt; nihil enim aliud hic ostenditur, nisi eum qui grave crimen perpetraverit a lacrymis ordiri debere conversionem; sic namque tacuisse Petrum, *ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum*, etc. Itaque ad ecclesiasticam temporis sui disciplinam, qua pœnitentes delicta privatim prius deflere jubebantur, quam ad petendam reconciliationem accederent alludit. Oris autem confessionem in Petro disertis verbis non semel agnoscit S. Doctor, cum supra, num. super. inquit: *Maluit enim ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando*; et infra, num. 90: *Si in aliquo fortasse labaris respicit..... ut recorderis et fatearis errorem. Imitare Petrum*, etc. D Afferri possunt et aliæ hujusce loci solutiones quas videre est apud Magist. Sentent. lib. IV, dist. 17, § *Jam secundum*; Rob. Pullum in VI Sentent.; Hug. Vict. lib. II *de Sacram.*, pag. 14, cap. *de Confessione*, etc.; card. Bellarm. *de Pœnit.* lib. III; et, ut alios omittamus, apud D. Dionysium Sammarthanum tractatu Gallice scripto, *de Confess.*, pag. 351, 357 et 567.

[c] *Flevit ut lacrymis*, usque ad *eodem momento*, in mss. bene multis desiderantur; sed cum habeantur in nonnullis, et cunctis edit. nec non pleniorem sensum efficiant, ea non putavimus loco movenda.

[d] Mss. octo non infimæ notæ, *fortasse laboras.* Non male; *laboro* enim non raro sumitur pro eo quod est *de salute periclitor*, ut apud Horat. lib. I, ode 27:

Quanta laboras in Charybdi!

[e] Edit. Rom., *lapsus est, qui dixit.* Aliæ ac mss,

Digitized by Google

*scandalizabor* (*Marc.* XIV, 29), quis alius jure de se præsumat? Denique et David quia dixerat: *Ego dixi in mea abundantia, non movebor in æternum*, eam sibi jactantiam obfuisse profitetur, dicens: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7 *et* 8).

92. Unde te evocem, Petre; ut doceas me quid flens cogitaveris? Unde, inquam, te evocem? De cœlo, ubi jam choro insertus es angelorum: an etiam de tumulo; quia non putas injuriam et ibi esse, unde Dominus resurrexit? Doce nos quid tibi profuerint lacrymæ tuæ. Sed docuisti illico: nam qui lapsus es, antequam fleres, postquam **1524** flevisti, [a] electus es, ut alios regeres, qui te ipse ante non rexeras.

93. Habebat ergo lacrymas Petrus, pio quas fundebat affectu: non habebat proditor fletus quibus culpam ablueret, sed tormenta conscientiæ quibus sacrilegium [b] fateretur; ut dum suo reus judicio damnatur, et spontaneo supplicio facinus expiatur, pietas Domini, qui se ipse nollet ulcisci, et divinitas probaretur, qui conscientiam mentis invisibili potestate interrogaret.

94. *Peccavi*, inquit, *quod tradiderim sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 5). Etsi cassa est pœnitentia proditoris, quia peccavit in Spiritum sanctum; est tamen nonnullus in scelere pudor culpam agnoscere. Et quamvis ille non absolvitur, Judæorum tamen impudentia confutatur: quos cum professio redarguat venditoris, scelerati tamen sibi vindicant jura contractus, et exsortes reatus esse se credunt, dum dicunt: *Quid ad nos? Tu videris* (*Ibid.*). Amentes plane, qui putent solvi se magis auctoris scelere, quam teneri. In pecuniariis causis refuso pretio jus solvitur: hi pretium recipiunt, et sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegii mercedem.

95. Evidenter itaque dum pretium sanguinis a Judæorum gazophylaciis separatur, et ager figuli ea qua venditur Christus, comparatur pecunia (*Ibid.*, 7); dum is locus humandis peregrinorum reliquiis dicatur, et prophetiæ impletur oraculum (*Jerem.* XXXII, 44), et surgentis Ecclesiæ mysterium revelatur. Ager enim secundum divina præcepta mundus hic omnis est (*Matth.* XIII, 38): figulus autem, ille qui nos formavit e limo, de quo habes in veteri Testamento: *Quia finxit Deus hominem de limo terræ* (*Gen.* II, 7), formandi per naturam, reformandi per gra-

A tiam habens pro suo arbitrio potestatem. Nam etsi propriis vitiis corruamus; per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu, secundum Hieremiæ oracula reformamur.

96. Pretium quoque sanguinis est pretium Dominicæ passionis. Ergo pretio sanguinis emitur mundus a Christo; venit enim ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* III, 17): in quo juxta ut opus auctoris, et jus est. Venit ergo ut consepultos per baptismum, et commortuos Christo ad perpetuitatis gratiam reservaret. Sed non passim omnibus ad sepeliendum est locus; nam etsi omnes mundus includat, **1525** non omnes reservat: et si communis habitatio; tamen legitima sepultura est eorum scilicet qui nunc sunt per fidem domestici Dei, sed fue-
B runt in lege peregrini. Qui sunt isti nisi de quibus dicitur: *Memores estote quod aliquando vos gentes, qui eratis in carne alienati a conversatione Israel, et peregrini promissionis Testamentorum* (*Ephes.* II, 11 *et* 12)? Sed hi nunc jam non sunt advenæ atque peregrini; quoniam cives sanctorum esse fidei jure meruerunt [c].

97. Sequitur admirabilis locus, quo subeunda æquanimiter injuriæ moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accusatur Dominus, et tacet (*Matth.* XXVII, 11): et bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem [d] timendo confirmat, sed despicit non refellendo. Quid enim timeret, qui non ambiret salutem? Salus omnium suam prodidit, ut acquireret
C omnium. Sed quid de Deo loquar? Susanna tacuit, et vicit; melior enim causa, quæ non defenditur, et probatur. Et hic Pilatus absolvit: sed absolvit judicio, crucifixit mysterio. Verum hoc speciale Christi: illud humanum, ut apud iniquos judices magis videretur noluisse, quam non potuisse defendi.

98. Cur autem Dominus tacuerit, ipse præmisit, dicens: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si vos interrogavero, non respondebitis mihi* (*Luc.* XXII, 67 *et* 68). Illud tamen præstantissimum, quod maluit regem se probare, quam dicere; ut condemnandi causam habere non possent, qui quod objiciunt, hoc fatentur.

99. (Vers. 8.) Herode autem cupiente aliqua mirabilia ejus videre, ipse tacuit et nihil fecit; quia
D nec illius crudelitas merebatur videre divina, et Dominus jactantiam declinabat. Et fortasse typice in Herode omnes impii significantur: qui si Legi non

omnes... *quia dixit*. Melius; jactantiam enim S. Petri causam fuisse cur in peccatum laberetur, multi ex antiquis scriptoribus agnoscunt.

[a] Eadem Rom. edit. cum uno Vat. cod. et Reg., *erectus es ut alios erigeres, qui.... non erexeras*. Aliæ, ac mss. nostrates hoc tantum inter se differunt, quod ubi plures potioresque mss. habent *electus es*, alii cum edit. scribunt, *erectus es*: duo vero pro *ut alios regeres*, exhibent, *alios regere*.

[b] Verbo *fateretur*, addit Rom. edit. sola *quando projectis argenteis laqueo se suspendit*.

[c] Hic edit. Rom. intrusis, ut solet, compluribus Evangelii versiculis subjungit: *Secundum Matthæum cum accusaretur a principibus sacerdotum, et interrogaretur a Pilato, non respondit ad ullum verbum. Admirabilis*, etc. In sequentibus autem, a numero 99 usque ad 129, occurrunt perpetuæ mutationes, additiones, ac transpositiones. Compone eamdem edit. cum alia vel ms. aliquo et fatebere; nos enim præcipuas tantum subjiciemus.

[d] Omnes edit. et plerique mss., *tacendo confirmat*. Corb. tamen cum aliis aliquot, *timendo confirmat*. Magis concinne, ut intelligas ex sequentibus illis, *Quid enim timeret, qui non ambiret salutem*. Post quas voces Rom. edit. sola, *Salus ipsa se prodit*, pro *Salus omnium*, etc.

Digitized by Google

crediderint et prophetis, mirabilia Christi opera in Evangelio quoque videre non possint.

100. (Vers. 11.) Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur. Et si uterque reum non pronuntiant; alienæ tamen crudelitatis studiis obsequuntur. [a] Lavit quidem manus Pilatus (*Matth.* XXVII, 24), sed facta non diluit; judex enim nec invidiæ cedere debuit, nec timori; ut sanguinem innocentis addiceret. Monebat uxor (*Ibid*, 19): lucebat in nocte gratia: divinitas eminebat; nec sic a sacrilega sententia temperavit.

101. Similiter in hoc typum omnium judicum arbitror esse præmissum, qui damnaturi essent eos quos innoxios æstimarent. Tolerabiliores tamen gentiles esse quam Judæos [b] conjuncta Pilato persona demonstrat: et magis eos divinis ad fidem operibus admoneri. Quales autem illi qui Dominum majestatis crucifixerunt?

1526 102. (Vers. 18.) Nec immerito homicidæ absolutionem petunt, qui flagitabant innocentis exitium. Tales leges iniquitas habet, [c] ut oderit innocentiam, scelus diligat. In quo tamen nominis interpretatio speciem dat figuræ; Barrabas enim patris filius Latine dicitur: illi ergo quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44), vero Dei Filio filium patris sui Antichristum prælaturi esse produntur.

(Vers. 11.) *Et indutum illum veste alba remisit.*

103. Non otiosum quod veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis; quod agnus Dei sine macula, cum gloria peccata mundi susciperet. In typo etiam Herodis, atque Pilati, qui amici ex inimicis facti sunt per Jesum Christum plebis Israel populique gentilis figura servatur, quod per Domini passionem utriusque sit futura concordia: ita tamen ut pius populus nationum capiat verbum Dei, et ad populum Judæorum fidei suæ devotione transmittat; ut illi quoque gloria majestatis suæ corpus vestiant Christi, quem ante despexerant.

104. [d] Chlamidem autem coccineam induitur a militibus, et purpuream tunicam (*Matth.* XXVII, 27): in altera designans martyrum palmas, in altera regiæ potestatis insignia: [e] quod caro ejus fusum toto orbe terrarum sanguinem esset susceptura pro nobis, et passio regnum paritura de nobis.

105. [f] Corona quoque de spinis capiti ejus annexa (*Ibid.*, 29), quid aliud quam divini operis munus ostendit, quod de peccatoribus mundi tamquam sæculi spinis triumphalis gloria Deo quæreretur. [g] Nec flagella vacant, quia flagellatus est ipse, ne nos flagellaremur: *Homo enim in plaga, et sciens ferre infirmitates, pro nobis dolet* (*Esai.* LIII, 3 et 4), a nobis qui Deum antea fugiebamus flagella detorquens: jam patiens Dominus, ut fugitivorum vinculis proprias manus, fugitivorum flagellis suum corpus offerret. [h] Detestabili itaque mentis affectu, honoratum tamen Judæi exitum produnt; nam etsi compungentes coronent, illudentes adorant: etsi corde non credunt, quem periment, confitentur. Illis defuerunt boni operis affectus; Deo tamen suus non defuit honor: qui salutatur ut rex, coronatur ut victor, quasi Deus, et Dominus adoratur.

106. Arundo quoque vel secundum Matthæum comprehenditur manu ejus (*Matth.* XXVII, 29); ut fragilitas humana jam non sicut arundo moveatur a vento, sed operibus Christi [i] corroborata fundetur, et affixo cruci chirographo quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret: vel secundum Marcum caput ejus percutit (*Marc.* XV, 19), ut solidata divinitatis attactu nostra conditio nutare non possit.

1527 107. (Vers. 26.) [j] Sed jam tropæum suum victor attollat. Crux super humeros imponitur ut tropæum, quod sive Simon, sive ipse portaverit; et Christus in homine, et homo portavit in Christo. Nec discordant evangelistarum sententiæ, quando concordat mysterium: et bonus ordo nostri profectus est; ut prius crucis suæ tropæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Non Judæus est qui crucem portat, sed alienigena, atque peregrinus: nec præcedit, sed sequitur, juxta quod scriptum est: *Tolle crucem tuam, et sequere me.* Non enim suam, sed nostram crucem Christus ascendit. Nec mors illa divinitatis fuit, sed quasi hominis; unde et ipse ait: *Deus, Deus meus, respice me; quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)?

108. [k] Pulchre ascensurus crucem regalia vesti-

[a] Eadem edit. Rom., *Tunc secundum Matthæum, lavit Pilatus coram populo manus, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus.*

[b] *Conjuncta Pilato persona*, nimirum illius uxor.

[c] Vict. cod., *ut quod oderit innocentia, scelus diligat.*

[d] Rom. edit., *Inde secundum Matthæum chlamide coccinea induitur a militibus: et secundum Joannem veste purpurea circumdatur.*

[e] Colb. unus, et Reg., *quod caro ejus toto orbe terrarum sanguinem esset fusura.* Clarom., *quod caro ejus passionem esset susceptura.*

[f] Rom. edit., *Denique secundum Matthæum corona de spinis capiti ejus imponitur. Hoc quia aliud*, etc. Post pauca vero ubi omnes edit. et plerique mss., *tamquam sæculi pœnis*, sex mss. habent *tamquam sæculi spinis*: quæ lectio videtur præferenda.

[g] Eadem edit. Rom., *Tunc secundum Joannem Pilatus flagellavit Jesum. Nec flagella mysterio vacant.*

[h] Rom. edit., *Secundum Marcum autem inde milites plectentes coronam spineam, imponunt ejus capiti, et salutant eum dicentes: Ave, rex Judæorum. Et ponentes genua adorabant eum. Quod detestabili licet mentis operentur affectu*, etc.

[i] Rom. edit., *corroborata firmetur; vel secundum Marcum*: reliquis omissis.

[j] Rom. edit., *Secundum Joannem Christus bajulat sibi crucem: secundum Lucam imponitur Simoni. Sed sive Simon, sive ipse portaverit, crux tamen super humeros imponitur; ut tropæum et Christus in homine, et homo portaret in Christo.*

[k] Edit. Rom., *Denique secundum Marcum, milites eum exuerunt purpura, quod nec mysterio vacat. Christus enim ascensurus*, etc.

Digitized by Google

menta deposuit; ut scias quasi hominem passum esse, non quasi Deum regem: etsi utrumque Christus, quasi hominem tamen, non quasi Deum cruci esse suffixum. Sed milites non Judæi sciunt quo tempore, qualia vestimenta Christo conveniant. [a] Judicio quasi victor assistit: ad passionem tamquam reus, humilis venit.

109. Nunc quoniam tropæum jam vidimus, currum suum triumphator ascendat: nec arborum truncis, aut quadrijugis plaustris manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali suspendat captiva de sæculo spolia. Non hic revinctis post tergum brachiis gentes, nec excisarum urbium imagines cernimus, oppidorumque captorum simulacra, aut submissa captorum regum colla miramur, quales humanorum solent species esse triumphorum; nec victoriæ terminos regionis fine distinctos: sed ovantes populos nationum, quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium, reges liberis affectibus adorantes, voluntariis urbes studiis deditas, et in melius reformatas imagines oppidorum, quas non [b] fucus expresserit, sed devotio coloraverit fidei: arma, victoriarumque jura toto orbe currentia, captivum principem mundi, et spiritualia nequitiæ quæ sunt in cœlestibus, obedientia vocis humanæ imperio, subditas dominationes variarumque virtutum species, non sericis, sed moribus emicantes. Fulget castitas, fides splendet, et induta mortis exuviis devotio fortitudinis jam resurgit. Unus Dei triumphus fecit omnes prope jam [c] homines triumphare, crux Domini.

110. [d] Refert ergo considerare qualis ascendit. Nudum video: talis ergo ascendat qui sæculum vincere parat; ut sæculi adjumenta non quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsivit: vicit ille qui tegumenta deposuit. Et talis ascendit quales nos auctore Deo, natura formavit: talis in **1528** paradiso primus homo habitavit, talis ad paradisum homo secundus intravit. Et ut non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus extendit, quo omnia traheret ad se; ut nodo mortis exuta, jugo fidei suspensa, cœlestibus ea quæ prius erant terrena sociaret.

111. (Vers. 38.) Scribitur etiam titulus: solet præcedere pompa victores; at vero currum Domini triumphalem præibat bona pompa resurgentium defunctorum. Solet etiam titulus subjugatarum gentium numerum designare. Sit in illis triumphis ordine quodam digesta miserabilis devictarum, pereuntium contumeliosa captivitas nationum: hic redemptarum gentium vernat gratia: digni tanto triumpho jugales, ut cœlum, terra, maria, inferna a corruptela mutentur ad gratiam.

112. Scribitur autem [e] titulus, et super crucem ponitur, non infra crucem; quia principium super humeros ejus. Principium autem quid est, nisi sempiterna virtus ejus, atque divinitas? Unde et ipse interrogatus quis esset, respondit: *Principium, qui et loquor vobis*. Legamus hunc titulum:

*Jesus*, inquit, *Nazarenus rex Judæorum*.

113. Merito supra crucem titulus; quia non humani corporis, sed divinæ potestatis est regnum quod habet Christus. Merito supra crucem titulus; quia licet in cruce erat Dominus Jesus, super crucem tamen regis majestate radiabat. Vermis in cruce, scarabæus in cruce: et bonus vermis qui hæsit in ligno, bonus scarabæus qui clamavit e ligno. [f] Quid clamavit? *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Clamavit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso*. Clamavit quasi scarabæus: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et bonus scarabæus, qui lutum corporis nostri ante informe ac pigrum virtutum versabat vestigiis: bonus scarabæus, qui de stercore erigit pauperem. Erexit Paulum, qui æstimatus est ut stercora: erexit et Job qui sedebat in stercore. Non mediocris ergo titulus.

114. Ipse autem crucis locus, [g] vel in medio, ut conspicuus omnibus: vel supra Adæ, ut Hebræi disputant, sepulturam. Congruebat quippe ut ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia.

115. [h] Dividuntur vestimenta, aliis aliud sorte defertur; Dei enim spiritus non humana opinione comprehenditur, sed quasi quodam eventu inopinatus illabitur. Et fortasse milites isti quatuor Evangelistarum habebant typum, qui scripserunt titulum, quem omnes legamus. Lego titulum regis Judæorum, cum lego: *Regnum meum* **1529** *non est de hoc*

[a] Eadem edit. Rom., *Judicio enim in purpura quasi victor assistit, ad passionem vero in suis vestimentis quasi reus, humilis venit*.

[b] *Fucus*, proprie quoddam rubei coloris genus est; sed hic laxe sumitur pro colore omni quo pictores utuntur, ut apud Horat. lib. III, ode 5, pro qualibet tinctura qua inficiuntur panni. Cæterum non indiligenter hoc et sequentibus numeris ea percurruntur, quæ olim in triumphis Romani observabant. De quibus multa Sigonius, Rosinus, Laurentius et alii.

[c] Edit., *homines triumphatores*; mss., *homines triumphare*; sed in quibusdam omittuntur sequentes duæ voces, *crux Domini*.

[d] Rom. edit., *Refert vero considerare* (*quia secundum Marcum, crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus*) *qualis crucem ascendat*.

[e] Eadem edit. Rom., *Titulus etiam secundum Joannem, et supra crucem ponitur; ut affixo cruci chirographo, quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret*. Et infra: *Titulus autem erat secundum Joannem: Jesus Nazarenus Rex Judæorum; quem multi Judæorum legerunt. Legamus igitur et nos. Lego titulum regis*, etc.

[f] Edit. Rom., *Pater, dimitte illis; hoc est, ne statuas illis hoc peccatum*.

[g] Ambrosius, quæ sua modestia est, nihil hoc loco definit. Harum autem opinionum posteriorem Maldonatus in cap. XXVII Matthæi, citatis, qui ab illa stabant, antiquis Patribus, opinionem vocat *multorum veterum scriptorum auctoritate nobilem*. Verum ea minus placuit sancto Hieronymo, qui priorem amplexus est in cap. V Ezechielis: et item in cap. V ad Ephesios.

[h] Rom. edit. sola, *Dividentes vero vestimenta ejus miserunt sortes. Quod nec mysterio vacat. Alii enim aliud*, etc. Infra vero post 4 versus, *qui scripserunt Evangelium*.

Digitized by Google

*mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Lego causam Christi super caput ejus scriptam, cum Lego : *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1) ; caput enim Christi Deus est.

116. [a] Isti ergo servabant Jesum et hodie servant; ne cui forte labatur, ne cui [b] de passione descendat, quod petebat populus Judæorum. Mihi plane Christus in passione moriatur, ut post passionem resurgat. [c] Noluit descendere sibi, ut moreretur mihi. Nobis ergo jam Christus servatur : propter nos dividuntur vestimenta ejus. Non possunt singuli habere omnia, et ideo super tunicam sors agitatur; quia non pro hominis voluntate divisio fit Spiritus sancti. Divisiones enim gratiarum sunt, sed operatus est Spiritus, dividens singulis prout vult.

117. Intuere nunc Christi vestimenta divisa. Ubi illa quæram? Quære in Matthæo, invenies penes ipsum solum chlamidem coccineam (*Matth.* XXVII, 28): penes Joannem vestem purpuream (*Joan.* XIX, 2) : penes Marcum purpuram tantum (*Marc.* XV, 17) : penes Lucam vestem albam (*Luc.* XXIII, 11); hac enim sola pro sua fuit portione contentus. Quantos itaque Christus sua veste vestivit? Puto autem quod non quatuor tantum, sed omnes vestivit milites, et omnibus abundavit.[d] Sed revertamur ad evangelistas.

118. Mystice itaque istæ quatuor partes, non partes vestium, sed qualitates mihi videntur esse virtutum. Alius enim de regno sublimius scripsit : alius de hominis institutione diffusius : Lucas nitorem sibi sacerdotalis vestis elegit : Marcus vero verborum textum non desideravit : denique Joannes quasi quasdam intexit sententias, quibus vestiat fidem nostram. Nonne tibi videtur intextum illud : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum, et omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1-3)? At vero Marcus tamquam purpuræ fulgore contentus, sine ulla intextione verborum : *Initium*, inquit *Evangelii Jesu Christi Filii Dei* (*Marc.* I, 1).

119. Ergo vestimenta divisa sunt Christi, vel gesta, vel gratia; quia tunica non potuit dividi, [e] fides scilicet, quoniam non pro portione singulorum, sed pro jure communis est omnium; quod enim non dividitur, singulis manet integrum.

120. Et bene *Desuper texta;* sic enim texitur fides Christi, ut de divinis ad humana descendat; ex eo quod ante sæcula [f] ex Deo natus, posteriori tempore susceptionem carnis assumpserit. Significatur A igitur nobis eo quod non debeat fides scindi, sed solida permanere.

(Vers. 43.) *Amen, amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.*

121. Pulcherrimum [g] affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur, **1530** et uberior est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. Ille enim rogabat ut memor esset sui Dominus, cum venisset in regnum suum : Dominus autem ait illi : *Amen, amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso* (*Matth.* XXVII, 44). Vita est enim esse cum Christo; ideo ubi Christus, ibi vita, ibi regnum. Cito igitur ignoscit Dominus (*Marc.* XV, 32), quia cito ille convertitur.

122. (Vers. 39.) Unde et illud solvi videtur, quia alii duos convicianles inducunt latrones, iste unum B conviciantem, et unum rogantem. Fortasse et iste prius conviciatus est, sed repente conversus est. Nec mirum si converso culpam ignoscebat, qui insultantibus veniam relaxabat. Potuit etiam de uno pluraliter dicere, sicut illud est : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum* (*Psal.* II, 2); solus enim Herodes rex, et princeps Pilatus in apostolorum Actibus conspirasse adversus Christum Petri voce produntur (*Act.* IV, 27). Sic et ad Hebræos habes, in caprinis pellibus ambulabant, secti sunt, et leonum molas obstruxerunt (*Hebr.* XI, 37); cum solus Elias melotidem habuisse, Esaias sectus esse (IV *Reg.* I, 8), Daniel a leonibus intactus mansisse doceatur (*Dan.* VI, 22).

123. (Vers. 40.) Quam exsecrabilis in facto ini- C quitas Judæorum, ut quasi latronem cruciligerent omnium redemptorem! Bonus tamen in mysterio latro, qui insidiatus est diabolo, ut vasa ejus auferret. Mystice autem latrones duo duos populos peccatores significant per baptismum crucifigendos esse cum Christo : quorum dissensio diversitatem pariter credentium signat. Denique unus a sinistris, alter a dextris erat (*Joan.* XIX, 30). Increpatio quoque futurum crucis scandalum etiam circa credentes revelat.

124. [h] Et acetum offerebant Judæi (*Matth.* XXVII, 48). Bene ad consummanda omnia et corruptio sinceritatis hauritur; ut omnia cruci quæ vitiata fuerant, figerentur. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur (*Ibid.*, 34); non quia fel, sed quia D admixtæ vino amaritudines recusantur. Nam amari-

[a] Eadem edit. Rom., *Et secundum Matthæum, sedentes servabant eum, et dicebant : Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. Isti ergo*, etc.

[b] Mss. non pauci, *de passione discedat.*

[c] Ita mss. fere omnes : contra vero cunctæ edit. et ms. Reg., *Noluit descendere, ne descenderet sibi, sed* (Amerb., *sed ut*) *moreretur mihi.* Non satis apposite ad contextum.

[d] Rom. edit., *Accipe et aliud. Istæ quatuor partes*, etc.

[e] Eadem edit., *et ideo secundum Joannem, super illa sors agitatur, quia fides non pro portione*, etc. Infra vero post voces, *desuper texta*, subdit, *in Joanne legitur.*

[f] Sic omnes mss. atque edit., excepta Rom., ubi reponitur, *ex Deo genitus.*

[g] Tres mss., *affectandæ conversationis.* Unus, *affectandæ confessionis.*

[h] Rom. edit., *Inde secundum Matthæum, currens unus spongiam implevit aceto, et dabat ei bibere : quod et bibit. Sic enim habet secundum Joannem : Cum ergo accepisset Jesus acetum. Vinum vero cum felle mixtum non bibit. Sic enim habetur in Matthæo : Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum : et cum gustasset, noluit bibere.*



Digitized by Google

tudines vitæ nostræ pro corporis utique conditione suscepit. Denique ipse ait : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Sed sinceritati non debuit amaritudo misceri; ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura : quæ quoniam immortalitas in vase coacuerat humano, [a] separatur in Christo. Ergo acetum bibitur, hoc est, vitium corruptæ per Adam immortalitatis aboletur in calamo; ut de corpore absorberetur humano. Nos quoque vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum : transfundamus per baptismum, ut crucifigamur in Christo : transfundamus per pœnitentiam, ut ab illo nobis vini sanguinisque cœlestis incorrupta sinceritas refundatur.

125. Denique ubi acetum bibit : Consummata **1531** sunt, inquit, omnia (*Joan.* XIX, 30); eo quod assumptæ mortalitatis impletum esset omne mysterium, et exhaustis omnibus vitiis, immortalitatis sola lætitia remansisset. Et ideo ait :

(Vers. 46.) *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

126. Et bene commendatur spiritus, qui reservatur; quod enim commendatur, utique non amittitur. Bonum ergo pignus est spiritus, bonum depositum. Unde et illic ait : *O Timothee, bonum depositum custodi* (II *Tim.* I, 14). Commendatur enim Patri spiritus; et ideo ait : *Quoniam non derelinques in inferno animam meam* (*Psal.* XV, 10). Vide autem magnum mysterium. Nunc commendat in manibus Patris spiritum suum, nunc in Patris gremio sedet; quia totum alius non capit Christum. Denique : *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 10). Commendatur ergo Patri spiritus. Sed cum sit in superioribus, illuminat et inferna, ut universa redimantur; etenim Christus omnia, et in Christo omnia, licet in singulis Christus operetur (*Coloss.* III, 11). Caro moritur, ut resurgat : spiritus Patri commendatur, ut cœlestia quoque ab iniquitatis vinculo solverentur, et pax fieret in cœlo, quam terrena sequerentur.

(Ibid.) [b] *Et hoc dicto, tradidit spiritum.*

127. Et bene *tradidit*, qui non invitus spiritum emisit. Denique Matthæus ait : *Emisit spiritum* (*Matth.* XXVII, 50); quod enim emittitur, voluntarium est : quod amittitur, necessarium. [c] Propterea addidit : *Magna voce.* In quo vel professio gloriosa usque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis (ergo nec ego erubescam fateri quod Christus non erubuit voce magna profiteri), vel evidens manifestatio contestantis Dei [d] secessionem divinitatis et corporis. Sic enim habes : *Clamavit Jesus voce magna dicens : Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Clamavit homo divinitatis separatione moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita divinitas est.

128. (Vers. 44-47.) Jam quæ sequuntur, ostendunt quia propter impietatem hominum finis sæculi sit futurus. Itaque significatur per Domini passionem occasura præsentia, ut oriantur futura. Tenebræ igitur effusæ sunt oculis perfidorum, ut fidei [e] lumen resurgeret. Sol occidit sacrilegis, vel refugit; ut funesti spectaculum sceleris obumbraret. Petræ scissæ sunt (*Matth.* XXVII, 51), ut per prærupta saxorum ostenderetur futurum, quoniam verbi vis peccatorum dura penetraret; quo facilius ex cavis petrarum illi venatores quos Hieremias prædixit (*Jerem.* XVI, 16), Domino venarentur. Monumentorum autem reseratio (*Matth.* XXVII, 52) quid aliud, nisi claustris mortis effractis, resurrectionem significat mortuorum, quorum in aspectu fides, in processu typus, quod in sanctam prodeundo civitatem, præsentium specie declarabant in illa Hierusalem quæ in cœlo est, futurum perenne diversorium resurgentium? **1532** Etiam velum scinditur, quo vel duorum populorum divisio, vel mysteriorum Synagogæ profanatio declaratur. Scinditur ergo velum vetus; ut Ecclesia nova fidei suæ vela suspendat. Synagogæ velamen aufertur; ut religionis interna mysteria, revelato mentis cernamus obtutu. Denique jam etiam centurio Dei Filium quem crucifixerat, confitetur. O duriora saxis pectora Judæorum! Finduntur petræ, sed horum corda obdurantur. Judex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur : Judæorum tamen immobilis duritia manet orbe concusso.

129. (Vers. 49.) Stabant autem et mulieres hæc videntes : stabat et mater, cum studio pietatis sua pericula posthaberet. Sed et Dominus pendens in cruce, qui sua pericula contemneret, pio matrem commendabat affectu. Quod non otiose Joannes pluribus prosecutus est (*Joan.* XIX, 25); alii enim mundum descripsere concussum, cœlum tenebris obductum, refugisse solem. Addiderunt Matthæus et

[a] Ita mss. plures ac probatiores. Alii vero nonnulli, et ant. edit., *reparatur in Christo... aboletur in calamo* (duo mss., *aboletur et calamo*, quod non displicet) *ut de corpore absolveretur* (Era. et Gill. in marg. *absorberetur*) *humano*. Denique edit. Rom. totum locum præfert istis verbis : *Edulcatur in Christo. Ergo acetum bibitur quod erat arundini impositum, hoc est... absorbetur in calamo, ut de corpore aboleretur humano.*

[b] Rom. edit., *Et hæc dicens exspiravit. Et bene exspiravit.*

[c] Ita mss. At Rom. edit. sola, *propterea præmisit.* Eadem et Gill., *in quo Dei professio.* Utraque demum cum Amerb. et Era. post vocem *peccatis* addunt, *annuntiat :* sed eo hic nihil est opus, cum substantivum *est* facile cogitatione suppleatur.

[d] Itane opinatus est Ambrosius divinitatem contra manifestum Pauli testimonium secessisse a Christi corpore vel anima semel assumptis? Respondent Petrus Lomb. lib. III Sentent., dist. 21, § 1, et S. Th. III p., q. 50, a. 2, ad I, recessisse divinitatem quod ad effectum, id est, protectionem suam subtraxisse; etenim *si non cohibuisset potentiam*, inquit ille, *sed exercuisset, non moreretur Christus.*

[e] Omnes edit., *lumen refulgeret.* Omnes mss., *lumen resurgeret.*

Digitized by Google

Marcus, qui humana [a] atque moralia uberius prosecuti A sunt : *Deus, Deus meus, respice in me* (*Matth.* XXVII, 46) : *quare me dereliquisti* (*Marc.* XV, 34)? ut ad crucem Christi susceptionem pervenisse crederemus conditionis humanæ. Lucas autem competere evidenter asseruit latroni veniam sacerdotali intercessione donatam, et Judæis persequentibus eodem munere indulgentiam postulatam (*Luc.* XXIII, 45).

130. Joannes ergo, qui plenius divina penetravit mysteria, non immerito laboravit, ut quæ Deum generaverat, mansisse eam virginem declaret. Solus ergo me docet, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus appellaverit matrem (*Joan.* XIX, 26), pluris putans quod victor suppliciorum atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia dividebat, quam quod regnum cœleste donabat. Nam B si religiosum est quod latroni venia donatur a Domino, multo religiosius quod mater honoratur a Filio.

131. Nec præposterum judicetur, quod prius latronis absolutionem quam matris appellationem scripsi; qui enim venerat salvos facere peccatores, non absurdum si prius in meis scriptis susceptum munus in redimenda salute peccatoris implevit. Denique ipse ait : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei* (*Matth.* XII, 48)? Quia non venerat vocare justos, sed peccatores. Sed ibi pro loco; hic et in cruce non immemor matris, appellat eam dicens : *Ecce filius tuus;* et Joanni : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 26 *et* 27). Testabatur de cruce Christus, et testamentum ejus signabat Joannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed C vitæ : quod non atramento scribitur, sed Spiritu Dei vivi : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 3).

132. Sed nec Maria minor quam matrem Christi decebat, fugientibus apostolis ante crucem **1533** stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera; quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se et sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Jesus non egebat adjutore ad omnium redemptionem, qui dixit : *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5). Suscepit quidem matris affectum, sed non quæsivit hominis auxilium. Habemus igitur [b] pietatis magistrum : docet lectio D quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reverentia filiorum; ut illæ se offerant in filiorum periculis, illis amplius sollicitudo materna quam suæ mortis mœstitia sit dolori.

133. Quo loco uberrimum testimonium Mariæ virginitatis adhibetur. Neque enim abrogatur uxor marito, cum scriptum sit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6); sed quæ propter mysterium conjugium prætexuit, completis mysteriis jam conjugio non egebat. Aut si moralia sequimur, [c] in mœrore castitas imperatur.

134. Mysticum tamen est quod commendatur Joanni inter cæteros juniori : quod non otiosis auribus debemus accipere. Periculosa est enim mulieribus copula adolescentis, et species juventutis; ne qua fortasse curiosa exempli, incuriosa mysterii, quæ luxuriari in Christo cupiens, Mariæ speciem prætendat, non imitetur affectum, sicut vulgus nunc male audit mulierum, relicto seniore marito, ut juniorem sequantur. Discat ergo Ecclesiæ hic esse mysterium, quæ populo seniori specie ante copulata, non usu, posteaquam peperit Verbum, et in corporibus ac mentibus hominum per fidem crucis et sepulturam Dominici corporis seminavit, ex præcepto Dei societatem populi junioris elegit.

135. [d] Quæro etiam cur ante mortem non inveniamus esse percussum, post mortem inveniamus (*Joan.* XIX, 34)? Nisi forte ut voluntarius exitus ejus magis quam necessarius fuisse doceatur, et ordinem mysticum noverimus; quia non ante altaris sacramenta, quam baptismum : sed baptismum ante, sic poculum. Deinde ut advertamus quia licet corporis ejus fuerit natura mortalis, licet qualitas similis; dissimilis tamen gratia. Nam utique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit : [e] ex illo autem incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim et sanguis exivit (*Ibid.*) : illa quæ diluat, iste qui redimat. Bibamus ergo pretium nostrum, ut bibendo redimamur.

136. (Vers. 50.) Quid sibi etiam vult, quod non apostoli, sed Joseph et Nicodemus [f] Christum sepeliunt? Unus justus et constans, alter in quo dolus non erat (*Joan.* XIX, 38 *et* 39); talis enim Christi est sepultura, quæ fraudem iniquitatemque non habeat. Obstruitur **1534** igitur tergiversandi locus, et domestico Judæi testimonio revincuntur; nam si apostoli

[a] Edit. omnes, et plures mss., *atque mortalia* : tamen alii aliquot, qui et melioris notæ, *atque moralia*. Rursus post pauca ubi Amerb. omniumque propemodum mss. auctoritate reposuimus, *competere evidenter asseruit*, Era., Gill. ac Rom. præferunt, *competenter asseruit* : quæ lectio cur priori anteponatur, nihil videmus.

[b] Edit. Rom. sola, *pietatis magisterium*; cum aliis edit., *Doceat lectio*. Mss. vero fere ad unum, ut in textu. At infra ubi omnes edit. et maximus mss. numerus habent, *sollicitudo materna*, nequaquam displicet lectio duorum Colb., in quibus *solitudo materna*; *solitudo* enim frequenter bonis auctoribus idem est, atque *orbitas*. Cæterum quidquid de Maria et Joanne hoc loco dicitur, prope ad verbum in Ep. ad Eccl. Verc. sub finem reperitur.

[c] *In mœrore*; hinc est quod viduis feminis tempore luctus maritalis quem Theodosius cod. sui tom. III, tit. 8, *de secund. nupt.* duodecim mensium esse voluit, ad secunda vota, ut loquuntur jurisperiti, convolantibus eadem lege pœna irrogatur : quo respexisse Ambrosium probabile est.

[d] Rom. edit., *Denique secundum Joannem : Ad Jesum autem cum venissent.... latus ejus aperuit. Quæro ergo cur*, etc.

[e] Eadem edit. Rom., *de illo vero inquit Joannes : Et continuo exivit sanguis et aqua Ex illo enim incorrupto*, etc.

[f] Rursus eadem Rom. edit., *ut Joannes dicit : Christum sepeliunt? Unus justus et constans, alter qui erat magister in Israel. Talis enim Christi est sepultura, quæ justitiam magisteriumque habeat.*

Digitized by Google

sepelissent, dicerent utique non sepultum, quem A sepultum raptum esse dixerunt.

137. Justus autem Christi corpus operit sindone, innocens ungit unguento (*Joan.* XIX, 40); namque hæc non otiose distincta reperimus; quia justitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat. Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut et ipse sis justus: etsi mortuum credis, operi tamen divinitatis plenitudine suæ. Unge illud myrrha et aloe, ut bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Joseph ille vir justus, et fortasse illud quod Petrus vidit e cœlo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum et ferarum et volucrum, ad similitudinem gentium figurata (*Act.* X, 11). Mystico igitur unguento illo pistico consepelitur Ecclesia, quæ diversitatem populorum fidei suæ communione sociavit. B

138. De hoc Joseph in Joanne solo invenio quod occultus venerit ad Pilatum propter metum Judæorum (*Joan.* XIX, 38). Quomodo justus latebram periculi timore quæsivit? Ego autem puto quod ideo occulte petierit ut corpus impetraret, non ut periculum caveret. Et tamen quid mirum si occultabatur justus, quando occultabantur et apostoli justorum magistri? Veni et tu: vel sero, vel nocte, vel quacumque hora veneris, invenies Jesum ad suscipiendum paratum, nec minorem serius venientibus mercedem pia largitate solventem; nam et qui sexta hora venit, non est mercede fraudatus: et qui undecima, plenitudinem mercedis accepit (*Matth.* XX, 4 *et seq.*). Sed etiam Nicodemus nocte venit (*Joan.* III, 2). Nox erat, quia adhuc non erat resurrectio. Denique resurrexit Christus, et C justus ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12).

139. Hunc Joseph justum Lucas dixit (*Luc.* XXIII, 50), Matthæus divitem (*Matth.* XXVII, 57). Et merito dives hoc loco dicitur, ubi corpus suscepit Christi; suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem. Dives est ergo qui justus est. Justus igitur sindone involvit (*Joan.* XIX, 39): Israelita vero et diversos miscet virtutum odores, et aloes mittit quasi libras centum, hoc est, perfectæ fidei quantitatem. Et ligaverunt corpus Jesu juxta [a] consuetudinem spiritalium Judæorum, non utique nodis perfidiæ, sed fidei ligaturis. Et posuerunt in horto (*Ibid.*, 41), cui frequenter Ecclesia comparatur, quæ diversorum habeat poma meritorum, floresque virtutum. D

140. Nec otiose alius monumentum novum dixit, alius monumentum Joseph (*Ibid. et Matth.* XXVII, 60). Non habebat igitur Christus tumulum suum; etenim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis: victor mortis tumulum suum non habet. Quæ enim communio tumulo et Deo? Denique Ecclesiastes ait de eo [b] qui meditatur in bonis: *Et sepultura non est illi* (*Eccles.* VI, 3). Specialis igitur præter communem **1535** omnium mortem mors Christi est: et ideo non cum aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur; omnia enim in similitudinem hominum habuit incarnatio Domini, [c] sed similitudo erat cum differentia. Natus est ex Virgine, similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis. Curabat ægros, sed imperabat. Aqua Joannes baptizabat, hic spiritu (*Luc.* III, 16). Et mors ergo Christi communis secundum naturam corporis, specialis secundum virtutem.

141. (Vers. 53.) Quis autem est Joseph, cujus in tumulo ponitur? Utique ille justus. Bene ergo Christus [d] monumento creditur justi; ut habeat filius hominis ubi caput suum reclinet, et justitiæ habitatione requiescat. Bene autem novo, secundum litteram quidem, ne alius suscitatus a perfidis diceretur: mystice vere quid possumus intelligere, nisi forte quia legimus: *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psal.* V, 11)? Ergo sepulcrum patens est guttur hominis, in quo perfidia lethalis et mortua verba conduntur, quod per vetustatem et incursionem aliquam bestiarum fatiscit et solvitur. Est ergo e contrario monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritiæ gentilis penetrabili verbo justus excidit, fidei atque doctrinæ operibus perpolitum, ut prætenderet in nationibus virtus Christi.

142. Cui pulcherrime lapis admotus est (*Matth.* XXVII, 60), ne pateret; quicumque enim in se bene humaverit Christum, diligenter custodiat; ne eum perdat, neve perfidiæ sit ingressus. Vides enim quia Petrus et Joannes priores intrare meruerunt. Denique Joannes ipse non antequam crederet, introivit (*Joan.* XX, 6 *et* 8).

143. Et bene in petra excisum dicitur (*Matth.* XXVII, 60), hoc est in fidei firmamento, de qua veri Israelitæ dulcedinem mellis et oleum spiritale suxerunt. Sepelierunt autem Christum justus, et qui Deum vidit; non enim sepeliunt Christum, nisi qui [e] Deum credunt.

144. (Vers. 55.) Denique non omnes possunt sepelire Christum: quamvis religiosæ mulieres a longe stant: sed quia religiosæ, locum diligenter observant; ut unguenta afferant, et superfundant. Sollicitæ tamen et a monumento posteriores recedunt, et ad monumentum priores revertuntur: etsi deest constantia, non deest diligentia. Sexus nutat, devotio calet.

[a] Ita vet. edit. cum mss. omnibus. Rom. vero, *consuetudinem specialem Judæorum.*

[b] LXX interp., Καὶ ψυχὴ αὐτοῦ οὐ πλησθήσεται ἀπὸ τῆς ἀγαθωσύνης, *Et anima ejus non replebitur a bonitate.* Vulgata, *Et anima ejus non utatur bonis substantiæ suæ.*

[c] Mss. complures nec inferioris notæ, *sed similitudo erat cum differentia naturæ. Ex virgine similitudo generationis, dissimilitudo conceptionis;* nonnulli tamen legunt cum edit., *similitudine.... dissimilitudine.* Alii mss. licet pauci, et edit. habent ut in textu.

[d] Omnes edit. et pauci mss., *monumento* (Rom., *in monumento*) *ponitur justi.* Reliqui mss. magno numero, *monumento creditur* (quidam corrupte, *ingreditur*) *justi.*

[e] Rom. edit. post voces, *Deum credunt*, insertis aliquot Evangelii versibus, et resecatis e textu Ambrosii non paucis verbis ita mutavit, *Quamvis mulieres a longe starent.* Sed in lectione omnium et mss. et vet. edit. mutato nihil opus esse per se intelliget quisquis non omnino perfunctorie locum dispiciet.

Digitized by Google

145. Denique resurrectionis tempore præsto sunt, A et [a] cum viri fugarentur, solæ tamen ab angelo non timeant admonentur (*Joan.* II, 1 *et* 2). Petrum evocant studio priores, sed posteriores fiducia. Denique ille sine metu advenit, et constanter qui posterior venerat, primus ingreditur, quasi qui claves regni ut aliis aperiret, acceperat.

146. Terræ motus autem (*Matth.* XXVIII, 2) fidelibus resurrectio est, impiis metus: his, quia pigrum corpus **1536** mortis sopore se commovet: illis, quia tremore corporis et terrena mobilitate turbati, a resurrectionis fide et credulitate desciscunt.

(CAP. XXIV. — Vers. 1-4.) *Mane autem sabbati venerunt valde tempore ad monumentum.*

147. Magna oritur hoc loco plerisque dubitatio; nam etsi non videntur evangelistæ dixisse contraria, B tamen diversa dixerunt. Siquidem hic: *Mane valde tempore;* Marcus, *Valde mane* (*Marc.* XVI, 1); Matthæus, *Vespere sabbati* (*Matth.* XXVIII, 1); Joannes, *Prima sabbati cum adhuc tenebræ essent* (*Joan.* XX, 1), mulieres ad monumentum venisse dixerunt. Deinde hic duos viros, Marcus unum juvenem in albis sedentem (*Marc.* XVI, 5), Matthæus unum angelum (*Matth.* XXVIII, 2), Joannes duos angelos in albis sedentes (*Joan.* XX, 12) visos esse memoraverunt. Postremo quod vix enodabile videatur, Joannes scripsit dictum Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17): Matthæus occurrisse Dominum scripsit Mariæ Magdalenæ, et alteri Mariæ, et illas accessisse, et tenuisse pedes ejus, et adorasse evidentissima descriptione diges- C sit (*Matth.* XXVIII, 9).

148. Quomodo ergo solvendum, nisi quatuor evangelistas de diversis quatuor putes dixisse temporibus; ut et personas alias mulierum, et alias conjicias visiones? Denique aliæ cum unguento prima sabbati veniunt: aliæ sine unguento, vespere sabbati. Istarum nomen exprimitur, illæ de Galilæa secutæ Dominum designantur.

149. Quo loco ne quem spinosæ interpretationis in fine offendat asperitas, ubi suavia forte præsumpta sunt; æstimate jam nos complendi sermonis vela submittere, quoniam ad portum venimus: et navis quæ cursu concito maria transmearit, ubi littori cœperit appropinquare, latentia cautium cursu perstringit infracto. Ergo ne tamquam inerti guberna- D tori in arenis littoris mihi hæreat sermo, [b] tamquam in vada cæca lentandum iter quam præcipitandum arbitror; quo minus rimosa nobis patescat oratio.

150. Primum igitur illud spectandum est, quod scriptum est: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati* (*Matth.* XXVIII, 1), resurrexisse Dominum. Sic enim habes: quia *Vespere sabbati venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus.* Non enim dic sabbati (nam [c] *siluerunt sabbato secundum mandatum*) (*Luc.* XXIII, 56); sed post sabbati diem, nocte utique resurrexit. Denique quæ mane venerunt, licet valde tempore, tamen jam Dominum resurrexisse cognoverunt.

151. Sic igitur temperandum est, ut neque mane Dominica, quæ est prima post sabbatum, neque sabbato resurrectio facta credatur. Nam quomodo triduum compleretur? non ergo vesperascente die, sed noctis vespere resurrexit. **1537** Denique Græcus sero dixit, hoc est, ὀψέ. Sero autem et horam signat in occasu diei, et cujusque rei significat tarditatem; quomodo si dicas: Sero mihi suggestum est, id est, tarde. Sero venit, id est, post præstitutum tempus advenit: et licet mane [d] sequenti die venerit, sero est tamen, ubi agendi tempus emensum est. Est et sero tempus noctis profundum, ut si dicas: Sero ad lucubrandum surrexit, id est, non vespertino tempore, sed profunda nocte surrexit.

152. Unde et mulieres ad monumentum accedendi habent facultatem, jam utique custodibus quiescentibus: et ipsi custodes terrentur amplius, quod usu venit somno excitis. Postremo etiam principes sacerdotum congregati cum senioribus nocte id factum esse confirmant, dicentes custodibus: *Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII, 13). Ex tempore enim quod a custodibus compererunt, argumentum fraudis arripiunt. Nam Joannes mane, cum adhuc tenebræ essent, Mariam Magdalenam ad se et ad Petrum venisse significat, et tamen ignaram factæ resurrectionis inducit (*Joan.* XX, 2); nam utique si advesperascente die, facta esset, statim potuit innotescere.

153. Mane est, et adhuc Petrus nescit, nescit Joannes. Numquid patiebatur Dominus diutius torqueri discipulos [e] suæ mortis incerto, ad quos statim angelus, statim Dominus gestæ rei nuntias mulieres destinavit? Et ut scias nocte factum, mulieres aliæ nesciunt, aliæ sciunt: sciunt quæ observaverunt noctibus et diebus, nesciunt quæ recesserunt. Nescit una Maria Magdalene, secundum Joannem (*Joan.* XX, 15): scit altera Maria Magdalene, secundum Matthæum (*Matth.* XXVIII, 9); nam eadem et ante

[a] Eadem edit. sola, *cum viri fugerent.*

[b] Ita mss. aliquot melioris notæ. Alii, et edit. *tamquam vada cæca legam, lentandum* (Gill. et Rom., *tentandum*, cui Rom. edit. addit, *prius*, forte præstaret, *potius*, quod in lectione nostra subintelligitur) *iter.... patescat oratio.* Era. et seq. edit., *fatiscat oratio;* nimirum eo fortasse quia vir doctus putavit allusum esse ad illud Virgil. ex I Æneid.:

Rimisque fatiscunt.

Sed *patescat* non absurdum est, et in mss. omnibus invenitur. Porro *lentandum*, hic nihil est aliud quam *lente moderandum:* nam apud Virg. idem est atque *inflectendum.*

[c] *Siluerunt*, Scripturæ usu ac more ponitur pro *quieverunt.*

[d] Confixerat edit. Rom. voces *sequenti die :* qua autem causa id fecerit, non satis patet.

[e] Rom. edit., *suæ resurrectionis incertos.* Vet. et plerique mss., *suæ mortis incertos ;* mss. aliquot melioris notæ, *incerto.* Elegantius. Infra vero ubi omnes edit., *statim angelus Domini :* mss. contra fere ad unum, *statim angelus, statim Dominus*, etc. Quod etiam cum evangelica historia belle congruit.

Digitized by Google

scire, et postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenæ, cum illud personæ nomen sit, hoc locorum.

154. Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes Domini tenere : tangere Dominum ista prohibetur. Illa angelum videre meruit, hæc primo quando venit, neminem vidit. Illa discipulis Dominum resurrexisse nuntiavit, ista raptum esse significat. Illa gaudet, hæc plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit, hæc adhuc mortuum quærit. Illa Dominum vidit et credidit, hæc non potuit agnoscere cum videret. Illa fideli adorabat in spiritu, hæc dubio mœstificabatur affectu.

155. Merito nimirum prohibetur tangere Dominum; non enim corporali tactu Christum, sed fide tangimus : *Nondum enim*, inquit, *ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* xx, 17); hoc est, nondum tibi ascendi, quæ viventem cum mortuis quæris : et ideo ad fortiores mittitur, quorum credere [a] discat exemplo, ut illi resurrectionem prædicent.

156. Sicut in principio mulier auctor culpæ fuit, vir exsecutor erroris : ita nune quæ mortem viro prior gustaverat, resurrectionem prior vidit, culpæ ordine, et remedio prior. Et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret : quæ
**1538** culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat, per os mulieris vita reparatur.

157. Sed quia constantia ad prædicandum necessaria, inferior sexus ad exsequendum infirmior, viris evangelizandi mandatur officium. Nam sicut mulierum per Jesum non solum culpa solvitur, sed etiam multiplicatur gratia; ut pluribus suadeat, quæ unum ante deceperat : ita et vir, qui temere ante crediderat, feneratum munus recuperare debuit; ut qui sibi ipse fuerat ad credendum lubricus, fieret aliis ad prædicandum idoneus.

158. Sed advertamus verba mandati : *Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum : Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Quomodo non ascenderas, Domine Jesu? Quemadmodum aberas, qui in manus Patris commendaveras spiritum? Aut quando abesse potes, qui semper in Patre es, cum Patre semper? Denique ipse dixisti : *Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitem in extremo maris, etenim illo manus tua deducet me* (*Psal.* cxxxviii, 8 *et seq.*). Aut quomodo ascendis, qui ubique semper es?

159. Descendisti quidem Filius hominis, nec Patri, cum descenderes, abfuisti : sed descendisti nobis; ut te oculis ac mentibus videremus, ut in te crederemus. Ergo et ascendisti nobis; ut et te sequeremur mentibus, quem oculis videre non possumus.

A Ascendisti apostolis, quibus dixisti : *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* xiv, 9). Denique Joannes ubi te quæreret, scivit. Apud Patrem quæsivit, et reperit, et ideo ait : *Et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* i, 1). Ascendisti et Paulo, qui non contentus solus te sequi, nos quoque docuit quemadmodum te sequamur, et ubi te reperire possimus, dicens : *Si ergo consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite ubi Christus est ad dexteram Dei sedens* (*Col.* iii, 1). Et ne oculorum magis hoc quam animorum putaremus officium, addidit : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Ib.*, 2).

160. Ergo non supra terram, nec in terra, nec secundum carnem te quærere debemus, si volumus invenire; nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum. Denique Stephanus non supra terB ram quæsivit, qui stantem te ad dexteram Dei vidit: Maria autem quia quærebat in terra, tangere non potuit (*Joan.* xxix, 17). Stephanus tetigit, quia quæsivit in cœlo; Stephanus inter Judæos vidit absentem: Maria inter angelos non vidit præsentem. Sed quare non potuerit illa tangere, evangelista ipse nos docuit dicens, quia cum te videret, nesciebat quia tu es ; sic enim habes : *Conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est* (*Ibid.*, 1). Merito tangere non potuit, quæ videre non potuerat; nam qui videt tangit.

161. Itaque quid intersit inter illam et hanc Mariam Scriptura distinguit. Illa occurrit, ut **1539**
Jesum videat, hæc retrorsum convertitur : illa saC lutatur, hæc redarguitur. Denique sic habes : *Dicit ei Jesus : Mulier* (*Joan.* xx, 14). Quæ non credit, mulier est, et adhuc corporei sexus appellatione signatur : nam quæ credit, occurrit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, carens jam nomine sæculi, corporis sexu, lubrico juventutis, multiloquio senectutis. Dicit ergo Jesus : *Mulier, quid ploras* (*Ibid.*, 25)? Quasi dicat : Non lacrymas nudas Deus, sed fidem exigit. Bonæ lacrymæ, si Christum agnoscas. *Quem quæris* (*Ibid.*)? inquit. Molimina enim Dominus sera condemnat. Sed bene addidit : *Quem quæris?* Non quod iste dubitet quem requirat, sed quia illa quem quærat, ignorat; non enim Christum quærit, quem putat raptum. Adest Christus, quemadmodum quæritur? Nescitur ergo qui quæritur, quando non cognoscitur, cum videtur.

D 162. Denique Christum videbat, et hortulanum putabat; sic enim habes : *Illa existimans quia hortulanus esset, dixit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam* (*Ibid.*). Etsi fide incerta, tamen sermone non lubrica: etsi hortulanum putavit, tamen Dei Filium designavit: etsi adhuc non credit, tamen affectat ut credat; ipse enim corpus tulit, [b] qui suscitavit. Ergo veniabilis error mulieris, quæ licet dubitare non debuit Christi corpus per gloriam resurrectionis assumptum; doceri tamen gestit a Christo, ei fidem suam devota promittit; ut et

[a] Corb. et alii quatuor, *cogatur exemplo*. Sed hic verbum *cogatur*, lata significatione accipiendum esset pro *inducatur*.

[b] Mss. aliquot melioris ævi, *qui suscepit;* eo nempe significatu, quo infra dicitur, *corpus per gloriam resurrectionis assumptum.*

Digitized by Google

ipsa illud jam tollat e terris, et ad dexteram Dei quærat.

163. Denique post hæc verba non mulier, sed jam Maria vocatur (*Joan.* xx, 16); aliud est enim commune vulgi nomen, aliud speciale personæ Christum sequentis. Et ad discipulos, licet [a] nondum arbitra plenæ fidei, tamen nuntia destinatur. Prohibetur autem tangere, quia nondum inhabitare in Christo corporaliter plenitudinem divinitatis, sicut Paulus (*Coloss.* II, 9), acceperat; nondum evacuaverat lubricum sæculi, carnis ambiguum: nondum vitam vixerat Christi.[b] Denique stat, non adorat Dominum, nec pedes tenet, sicut illa Maria; in qua utique non tam obsequium corporale, quam plenæ fidei designatur affectus; quod Christum et hominem et Deum credat: Deus est enim qui adoratur, homo est qui tenetur (*Matth.* XXVIII, 9).

164. Non igitur tangi Dominus fastidit a femina, cujus et Maria pedes unxit unguento (*Luc.* VII, 38): nec tactum dedignatur, sed profectum docet; quia non omnes Christum possunt tangere resurgentem, quem tetigerunt in hac vita et corpore commorantem. qui vult Christum tangere, sua membra mortificet, et resurrecturo similis induat viscera misericordiæ, et non ambigat renuntiare terrenis.

165. Quid est igitur: *Noli me tangere* (*Joan.* xx, 17)? Noli [c] manum adhibere majoribus: sed vade ad fratres meos, hoc est, ad perfectiores. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse* **1540** *meus et frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII, 50). Quia resurrectio non facile nisi a perfectioribus capi potest, fundatioribus hujus fidei prærogativa servatur: *Mulieribus autem docere in Ecclesia non permitto, domi viros suos interrogent* (I *Cor.* XIV, 35). Ad eos ergo mittitur, qui domestici sunt: et accepit præscripta mandata (I *Tim.* II, 12).

166. Nec fugit hoc loco sensisse quosdam ideo Christum noluisse tangi, quia nondum [d] receperat typum quem commendaverat Patri, quasi adhuc eum tangere non deberet.

167. *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Bene distinxit, quia mulieri loquebatur; non enim communis nobis natura cum Christo, nisi conditionis humanæ. Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria: illi per naturam, nobis per gratiam: illi Deus unitate mysterii, nobis potestate cœlesti.

168. Dicit aliquis: Quomodo ergo Thomas cum adhuc non crederet, tetigit tamen Christum (*Ibid.*, 27)? Sed ille non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse; et tactu suo debuit me docere, sicut docuit et Paulus: *Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, et hoc mortale induere immortalitatem* (II *Cor.* xv, 53); ut incredulus credat, et cunctator dubitare non possit: facilius enim credimus quod videmus. Habuit autem admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus per invia septa corporibus, inoffensa compage, corpus insertum; et ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu: tangi facilis, difficilis æstimari.

169. (Vers. 37, 39.) Denique conturbati discipuli æstimabant se spiritum videre; et ideo Dominus, [e] ut speciem nobis resurrectionis ostenderet: *Palpate*, inquit, *et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem impervia usu, clausa penetravit. Nam quod tangitur, corpus est: quod palpatur, corpus est: in corpore autem resurgemus: *Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spiritale* (I *Cor.* xv, 44); sed illud subtilius, hoc crassius utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum.

170. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit; quod vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit; ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, tropæa nostræ salutis amplectens: tales illic martyres nobis cicatricis suæ corona monstrabit.

171. Et quoniam sermo huc usque noster evasit, consideremus qua gratia secundum Joannem crediderint apostoli, qui gavisi sunt (*Joan.* xx, 20): secundum **1541** Lucam quasi increduli redarguantur (*Vers.* 25): ibi Spiritum sanctum acceperint, hic sedere in civitate jubeantur, quoadusque induantur virtute ex alto (*Vers.* 49). Et videtur mihi ille quasi apostolus majora et altiora tetigisse, hic sequentia, et humanis proxima: hic historico usus circuitu, ille compendio, quia et de illo dubitari non potest, qui testimonium perhibet de his quibus ipse interfuit (*Joan.* XIX, 35), et verum est testimonium ejus. Ab hoc quoque, qui evangelista esse meruit, vel negligentiæ, vel mendacii suspicionem æquum est propulsari. Et ideo verum utrumque putamus, non sententiarum varietate, nec personarum diversitate distinctum. Nam etsi in primo Lucas eos non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat: et si prima consideremus, contraria sunt: si sequentia,

[a] Era. et seq. edit. cum mss. quibusdam, *nondum arbitra, plenæ tamen nuncia fidei.* Melius Amerb. cum aliis mss. ut in textu, nisi quod Amerb. vocem, *arbitra*, commate distinxit a sequenti.

[b] Omnes edit. ac mss. non pauci, *Denique ista nec adorat.* Alii etiam multi bonæque manus, *Denique stat, non adorat.*

[c] Corb. solus, *manum adhibere minoribus:* cui lectioni maxime favent sequentia, *sed vade .... ad perfectiores.*

[d] Mss. duo, et edit. Era. ac Gill. in marg. nec non Rom. in corpore, *receperat spiritum.* Alii mss. ac vet. edit., *receperat typum:* quod etsi paulo obscurius videatur, potest tamen non incommode explicari, si dicamus per *typum*, seu formam, intelligi perfectam humanitatis glorificationem, quam Christus tum demum recepit, cum ad Patris dexteram ascendit: priusquam vero illam reciperet, eum tangere nequaquam potuit Magdalena; hoc est, Ecclesia gentium, quæ in ea muliere designabatur, in ipsum non credidit. Vide August. Tract. 121 in Joan. num. 3.

[e] Mss. aliquot, *ut speciem bonis*, etc.

Digitized by Google

certum est convenire. Ipsa igitur Scripturæ verba consideremus.

172. ( Vers. 35-37. ) Sic ait Joannes : *Et gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Dicit ergo his iterum : *Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Et cum hoc dixisset, insufflavit his et dixit : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur his; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx, 20, *et seq.*). Lucas autem dicit : *Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, ipse stetit in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti æstimabant se spiritum videre.* Et possent videri hic plures fuisse : sed quia et hic sero resurrectionis die (nam advesperascente jam die [a] qui fuerant ingressi manere cum Domino, ubi ille se repente subduxit, B eadem hora ad discipulos hi duo remeasse produntur, quando Dominus palpandum se obtulit) et secundum Joannem sero die illa, una sabbatorum inducitur apparuisse discipulis, et vulnera obtulisse palpanda (*Joan.* xx, 19); ne quid ambiguitatis afferret, putavimus diligentius requirendum.

173. Videtur enim separatim se istis undecim demonstrasse, sicut se [b] Ammaoni et Cleophæ seorsum jam vespere demonstraverat : et quemadmodum isti duo, ita etiam videntur illi undecim ad confirmandos reliquos convenire potuisse. Denique et conturbati sunt, ut habes secundum Lucam ; et ideo aperuit eis sensum, ut intelligerent ea quæ scripta sunt. Hunc autem latius, illum succinctius scripsisse non dubium est. Quomodo enim soli Cephæ visum dicerent, C si ab omnibus erat visus? Sed sicut ex mulieribus Mariæ, et alii Mariæ Magdalenæ; ita ex viris Petro visus est primo mane. Et Paulus sic ait : *Tradidi enim vobis imprimis, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, et visus est Cephæ* (I *Cor.* xv, 3 *et seq.*). Et ideo Marcus specialiter inducit juvenem mandantem ut Petro et discipulis dicerent mulieres, quia surrexit Dominus(*Marc.* xvi, 5 *et* 7).

1542 174. Petrus ergo vidit solus Dominum; devotio enim parata semper et prompta credebat, et ideo studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Joanne, alibi solus, ubique tamen impiger currit, ubique aut solus, aut primus : non contentus vidisse quæ viderat, repetit intuenda, et quærendi D Domini amore succensus, non satiatur videndo. A Videt eum solus, videt cum undecim, videt cum septuaginta, videt et quando Thomas credidit, videt cum piscaretur : sed non vidisse contentus, impatiens desiderii, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reverentiæ; ubi Dominum vidit in littore, veste se texit, serum æstimans si cum cæteris navigio perveniret. Sic cum in undis Dominus ambularet, super undas maris naturæ suæ oblitus occurrit ( *Matth.* xiv, 28 ) : sic cum a Judæis Dominus teneretur, adversum turbas gladium solus exeruit (*Matth.* xxvi, 51) : sic et nunc cum Dominus stetisset in littore periculoso, compendio religiosum maturavit obsequium (*Joan.* xxi, 4).

175. Non est igitur dubium credidisse Petrum, et credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur quia et tertio interrogatur : *Amas me* (*Ibid.*, 17)? Is enim interrogatur, de quo dubitatur : sed Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in cœlum, amoris sui nobis velut vicarium relinquebat. Sic enim habes : *Simon Joannis, diligis me? Utique tu scis, Domine, quia amo te. Dicit ei Jesus : Pasce agnos meos* (*Ibid.*, 16). Bene conscius sui non ad tempus assumptum, sed jamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit? Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur; major enim omnibus charitas.

176. Illud quoque diligentius intuendum, cur cum Dominus dixerit : *Diligis me?* ille responderit : *Tu scis, Domine, quia amo te.* In quo videtur mihi dilectio habere animi charitatem, amor quemdam æstum conceptum corporis ac mentis ardore, et Petrum opinor non solum animi, sed etiam corporis sui circa Dei cultum signare flagrantiam. Denique tertio Dominus non jam, *Diligis me?* sed, *Amas me?* interrogavit (*Joan.* xxi, 17) : et jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.

177. Et ideo quasi perfecto in omnibus, quem caro jam revocare non posset a gloria passionis, corona decernitur : *Cum esses*, inquit, *junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te præcinget, et ducet quo tu non vis* ( *Ibid.*, 18). Bona senectus, non vitæ longævitate imbecilla ad usum, sed maturitate virtutis...

[a] Rom. edit., *qui fuerant ingressi in castellum cum Domino.*

[b] Petavius in notis ad Epiph. Hær. 23 hæc, observat : *Ambrosius Ammaonem hunc vocat ad Lucæ cap.* xxiv. *Sed deesse apud Ambrosium aliquid suspicor. Nam videtur Ammaoni loci vocabulum fuisse levi depravatione pro Emmaunti. Porro alterius discipuli nomen substituendum.* Verum, pace tanti viri, ea conjectura stare non potest. Non enim hic solum, sed multis aliis locis, ut puta in hac ipsa Expositione ad cap. xvii, in Apol. 2 David, cap. 8, trac. in Symb., serm. in Domin. 6 post Epiph., et alibi, alter ex illis discipulis Ammaon vocitatur. Neque tamen hinc insultandum Ambrosio, quasi pro Christi discipulo castellum acceperit. Etenim cum eumdem illum Orig. Præfat in Evang. Joan. nominet Simeonem, quid vetet quin ibi Ammaonem codicis vitio, ut non nemo existimavit, legerit Ambrosius? Sed potest etiam dici Doctoris nostri (immo forte ipsiusmet Origenis) hanc sententiam fuisse, Ammaonem sive Emmaonem a loco nuncupatum fuisse, non secus ac supra num. 153, Magdalena locorum vocabulum esse dicitur. Et videtur sane hinc firmari posse isthæc opinio, quod Evangelista eorumdem Christi discipulorum in castellum ingressum atque accubitum ita describat, ut putes eos potius repetere proprios lares, quam ad alienos divertere.

Digitized by Google

tutis ad martyrium præparata : quæ lasciviam **1543** A corporalium reprimat voluptatum, nec indulgeat cupiditatibus, dulcia quæque declinet, speciosa non appetat; caro enim concupiscit adversum spiritum, et transversarios tramites gradiendi qua velit diversarum sibi invenit voluptatum (*Galat.* v, 17). Bona vero mentis senectus, quæ non id quod suave corpori, sed quod menti utile putat, elegit : non voluptario corporis [a] rapitur appetitu, sed repugnandi moderamine quasi invita revocatur.

178. Ergo et Petrus etsi paratus erat animo subire martyrium (*Luc.* xxii, 33), tamen ubi periculum advenit, constantiam mentis inflexit; capit enim nos suavitate sui, cœlestis usus muneris. Nam quis martyrium e nobis non eligeret, si libenter mori posset? Ergo et Petrus videtur nolle, sed parat vincere. Et B quid mirum si Petrus nolit, cum Dominus dicat : *Pater, si fieri potest, transfer a me calicem hunc; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* (*Matth.* xxvi, 39)? Denique post tentationem præsumptionis suæ Petrus jam non audet voluntatis perseverantiam polliceri : sed quasi ad solatium sui, consortium quærit alterius.

179. (Vers. 37, 45.) Tot igitur adducti virtutis exemplis Petrum credimus non potuisse dubitare. Joannem quoque credidisse manifestum est (*Joan.* xx, 8), cum Salvatorem videret : qui jam tunc credidit, posteaquam vacuum corporis vidit sepulcrum. Cur ergo Lucas inducit plures fuisse turbatos? Primo omnium, quia paucorum opinionem sententia majoris partis includit : deinde quia etsi Petrus de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, cum vide- C ret quod se Dominus cum corpore in ea quæ vestibulis obseratis, [b] et constructis erant septa parietibus, improvisus infunderet. Lucas ergo historice singula prosecutus est : ille finem spectavit, hic seriem. Nam utique dicendo : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent ea quæ scripta sunt*, etiam ipse discipulos credidisse profitetur.

180. (Vers. 49.) Spiritum autem sanctum vel illis undecim quasi perfectioribus insufflavit, et reliquis postea tribuendum esse promittit (*Joan.* xx, 22) : vel iisdem ibi insufflavit, hic spopondit. Nec videtur esse contrarium, cum divisiones sint gratiarum : *Alii enim datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia curationum in uno Spiritu, alii operatio* D *virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (I *Cor.* xii, 8 *et seq.*). Ergo aliam insufflavit ibi operationem, hic aliam pollicetur; ibi enim remittendorum gratia tributa est peccatorum, quod esse videtur augustius : et ideo insufflatur a Christo, **1544** ut credas Spiritum Christi, et credas de Deo Spiritum; Deus enim solus peccata dimittit. Lucas autem linguarum gratiam describit effusam. Denique ibi habes : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remissa erunt* (*Joan. loco cit.*). At vero in Actibus apostolorum sic habes : *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, quomodo Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* ii, 4).

181. Diversitas autem visionum, frequentiam famulantium significat angelorum (*Matth.* xxviii, 2), juxta quod Dominus ipse promiserat dicens : *Et videbitis angelos descendentes et ascendentes ad Filium hominis* (*Joan.* i, 51). Atque utinam cum Evangelii fine noster quoque sermo claudatur!

182. Cur secundum Matthæum et Marcum mandat discipulis : *Præcedam vos in Galilæam* (*Matth.* xxvi, 32), *ibi me videbitis* (*Marc.* xvi, 7) : secundum Lucam vero et Joannem etiam intra conclave obtulit se videndum (*Vers.* 36)? Et quidem quod se videndum frequenter obtulerit (*Joan.* xx, 19), et plusquam quingentis fratribus, et Petro, et Jacobo, etiam Apostolico probavimus testimonio (I *Cor.* xv, 6). Et Lucas in Actibus apostolorum docuit quod discipulis *manifestaverit se vivere post passionem suam, in multis argumentis apparens his, et disputans de regno Dei* (*Act.* i, 3). Ergo quia sæpius et diversis apparuit, cum in Galilæa quando sit visus, nequaquam præscriptum ac definitum tempus Scriptura designaverit : in Hierusalem quando se obtulerit, et diem et horam expresserit; timidiores intra conclavia revisuntur, fortiores ad montem convenerunt.

183. Denique intra conclave, ostiis clausis, inducit Joannes discipulos congregatos propter metum Judæorum (*Joan.* xx, 19) : quos non undecim Lucas, sed plures scripsit fuisse (*Vers.* 33) : istos autem Matthæus undecim solos in Galilæa convenisse non siluit. Denique sic habes : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt* (*Matth.* xxviii, 16 *et* 17). Quibus docendi et baptizandi tribuit potestatem. Undecim quoque discumbentibus discipulis et Marcus in fine apparuisse scribit (*Marc.* xvi, 7), quando similiter prædicandi his per totum orbem mandat officium.

184. Unde hoc convenientius arbitror, quod Dominus quidem mandaverit discipulis ut in Galilæa se viderent : sed illis metu [c] intra conclave residentibus, primo se obtulisse, postea vero confirmatis animis, undecim illos Galilæam petisse. Vel certe (hoc quoque diligentibus scriptoribus placuisse reperio) nihil obstat si dicamus pauciores intra conclave, in monte complures fuisse.

[a] Non pauci mss., *capitur appetitu, sed repugnanti*, etc.

[b] Edit., *et obstructis erant septa parietibus*; mss., *et constructis erant*, etc.

[c] Edit. *intra conclave visitantur ...... convenerunt*; Amerb., *convenerint*; mss. magno consensu nobiscum faciunt, nisi quod legitur in nonnullis, .....*revisantur, ut fortiores .... convenirent.*

Digitized by Google

# COMMENTARIUS
## IN CANTICA CANTICORUM
# E SCRIPTIS SANCTI AMBROSII
### A GUILLELMO, QUONDAM ABBATE SANCTI THEODERICI, POSTEA MONACHO SIGNIACENSI,
## COLLECTUS.

## LECTORI.

*Nostri quidem consilii fuerat hoc volumine non alia opera exhibere, quam quæ ad veteris novique Testamenti expositionem pertinerent, et quæ constaret ab Ambrosio, si tantum alteram David Apologiam excipias, esse conscripta. Verum cum tractatuum supposititiorum quos ad calcem sequentis voluminis edere constituimus, numerum expendentes, ne idem molis æquo majoris futurum esset, vereremur, huic primo supplementum aliquod putavimus adjiciendum. Cum autem ex legitimis Doctoris nostri lucubrationibus nulla occurreret quæ vel satis cum superiorum argumento congrueret, vel inducendæ inter utrumque volumen æqualitati satis esset; nihil commodius visum est, quam ut commentationem hanc subjiceremus. Ea sane mediæ cujusdam inter vera et notha B. Ambrosii opera conditionis est, nec ab eo prorsus aliena, cum ejusdem verbis constet ac sententiis: nec rursus omnino ipsi propria, cum ab alio fuerit concinnata. Certum quippe est Ambrosium numquam ex proposito scripsisse in Cantica canticorum, sed cum eo libro tantopere ipsum delectatum esse appareret, ut illius illustrandi nullam in variis suis scriptis prætermiserit occasionem, hoc in mentem induxit quibusdam operum Ambrosianorum studiosis, ut illic sparsa atque disjecta colligentes, ex eisdem inter se in centonis morem assutis unum commentarii corpus conficerent. Inde est quod anno 1558 Lovanii prodiit Expositio in Cantica canticorum a Costerio reg. Can. excerpta: cujus diligentiam tametsi prædicet Gillotius, eum tamen omnia commutasse, multa ademisse, plura de suo addidisse testificatur. Decennio post idem Gillotius in calce operum S. Ambrosii cura sua recognitorum aliam Cantici canticorum vulgavit Expositionem quæ ab Ant. Monchiaceno Demochare, doctore Sorbonico, excerpta, et in unum corpus collecta memoratur. Verumtamen veri multo videtur similius eam collectionem a Demochare tantum auctam atque interpolatam fuisse; quandoquidem non modo in collegii Navarrici manuscripto annorum circ. 400, et in codice cœnobii Vindocinensis ante annos 600 exarato eadem licet brevior continetur: sed etiam habetur in exemplari ann. ut minimum 800, et a Floro diacono Lugdunensi, qui circ. an. 855 vivebat, in commentario in Epistolas S. Pauli nondum edito citata reperitur. Hos autem duos codices Petrus Franc. Chifletius penes se, dum in vivis ageret, asservabat. Tertiam porro super eadem materia commentationem numquam antea prælo subjectam damus, quam etsi multis in bibliothecis suppresso auctoris nomine reperiamus manu exaratam, attamen constat ab altero collectam non esse, quam a Guillelmo, prius abbate S. Theoderici, postea Signiacensi monacho. Id quidem ex eo ipso licet intelligere, dum lucubrationes suas in præfatione tractatus* De vita solitaria ad fratres de monte Dei *recensens, ita loquitur:* Excerpsi enim ex libris S. Ambrosii quidquid in eis disseruit super Cantica canticorum, opus grande et inclytum. *Quod sane de Chifletiano commentario intelligi neutiquam potest, cum Guillelmus ille tantum an. circiter 1142 floruerit. Sed argumentum decretorium illud est, quod nempe ejusdem Guillelmi codex autographus, inscripto ipsius nomine, exstet Signiaci; unde nobis apographum R. P. Casimirus Oudin. Can. Ord. Præmonst. e congr. reformata, vir ad bene de omnibus merendum natus, manu propria descripsit. Hujus autem collectionis in memorato Signiacensi codice hic titulus est:* Excerpta de libris beati Ambrosii super Cantica canticorum.

## PROLOGUS.

1545 I. *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1): non hic fœditatis incentiva, sed castitatis celebrantur mysteria; ubi spiritualiter agitur et affectuali quadam contemplatione de nuptiis et conjunctione Christi et Ecclesiæ, increati spiritus et creati, carnis et spiritus. [a] Circumcidamus ergo cor nostrum: nihil vile, nihil corporeum quæramus; vile autem omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil carnale, nihil sæculare, nihil corporeum, nihil leve atque mutabile in his eloquiis constituamus cœlestibus: *Eloquia* enim *Domini eloquia casta*; ut in his cœlestium mysteriorum immaculata et pudica sinceritas
1546 spiritali interpretatione resplendeat. Non adulterina quadam opinione misceamus terrena divinis, et illud inviolabile sacramentum propheticæ visionis aut perennis oraculi, naturæ nostræ æstimatione violemus: sive enim de osculis, sive de talibus, totum decet, quidquid defertur religioni; ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum et observantiam Christi erubescamus: sicut in illa saltatione David ante arcam; non enim illa deliciarum comes fuit atque luxuriæ saltatio, sed quod unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis. Hoc enim nos magisterium non invenimus, sed accepimus; sic instituit ordinem mystici carminis, doctrina cœlestis.

1547 2. [b] *Osculetur me ab osculis oris sui; quia bona ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Unguentum exinanitum est nomen tuum* (*Ibid.*). Totus iste deliciarum locus ludum sonat, plausum excitat, amorem provocat. *Ideo*, inquit, *adolescentulæ dilexerunt te, et attraxerunt te; retro odorem unguentorum tuorum curramus. Induxit me rex in tabernaculum suum* (*Ibid.*, 3). Ab osculis cœpit ut ad tabernaculum perveniret, atque illa impatiens dominici laboris exercitatæque virtu-

[a] In ps. CXVIII, Ser. 12, num. 2.

[b] De Virg. lib. II, cap. 6.

Digitized by Google

tis, agitur ut aperiat manu claustra, in agrum exeat, A in castellis maneat; in principio tamen retro odorem currit unguenti, cum in tabernaculum venerit, unguentum mutatura castellis. Denique quo evadat, vide.

3. *Si murus*, inquit, *est, ædificemus super eum turres argenteas* (*Cant.* VIII, 9). Quæ ludebat osculis, jam turres erigit, ut pretiosis sanctorum turrita fastigiis, non solum hostiles frustretur incursus, verum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum. Etiam in his conjugiis temporalibus nubenti prius plauditur, quam imperatur; ne ante dura offendant imperia, quam blanditiis amor fotus inolescat. Bucula plausus cujusdam sonitum discit amare, cervicis ne recuset jugum; denique prius assuescitur verbo **1548** lasciviæ, quam verbere disciplinæ. Ast ubi colla subdiderit jugo, et habena constringit, et stimulus B urget, et compares trahunt, et jugalis invitat. Sic etiam Virgo nostra debuit prius amore pio cudere; aurea thori cœlestis fulcra mirari, et in ipso vestibulo nuptiarum et postes frondium sertis cernere coronatos, et chori strepentis interius haurire delicias; ne se prius dominico jugo timefacta subduceret, quam vocata inclinaret. Oportet enim ut gradus quosdam profectuum et ordinem noverimus, quid prius, quid consequens esse debeat: nam scire quid facias, et ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis, offendunt enim plerumque præpostera. Itaque quia quot homines, tot sententiæ, si quid defecatum est in sermone nostro, omnes legant: si quid decoctum, maturiores probent: si quid modestum, pectoribus inhæreat, genas pingat: si quid florulentum, ætas florulenta non improbet. Debuimus sponsæ excitare amorem; scriptum est enim: *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 5): debuimus in nuptiis crines sponsæ calamistris quibusdam orationis ornare; scriptum est enim: *Plaude manu, et percute pede* (*Ezech.* XXI, 14): debuimus perpetuos spargere thalamos rosis.

# INCIPIT TEXTUS.

## CAPUT PRIMUM.

**1547** 1.[a] Ante vita quam doctrina quærenda est; vita enim bona et sine doctrina habet gratiam, doctrina sine vita integritatem non habet, *In malevolam etenim animam non cadit sapientia* (*Sap.* I, 4): ideoque ait: *Quærent me mali, et non invenient* (*Prov.* I, 28): quia improbitate excæcatur mentis oculus, et caligante sibi iniquitate mysteria profunda invenire non potest. Primum ergo exercenda est C vitæ militia, corrigendi mores. Cum hæc instituerimus ad cursum debitum, ut sit offensionis correctio, puritatis gratia: tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine et via. Prima igitur sunt moralia, secunda mystica: in illis vita, in his cognitio; ita ut si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit, utrumque astipuletur alteri. Quam institutionem secutus Salomon librum de Proverbiis scripsit, quo moralem locum uberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticum in Canticis canticorum: quamquam si diligenter discutias, et in Proverbiis mystica pleraque reperias, et in Canticis moralium suavitatem. Nam utique mysticum est: *Sapientia ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem, interfecit hostias suas*, etc. (*Pov.* IX, 1). D Hoc quippe in Canticis lucet mysticum quod morale, in quo blanditiarum suavitas et affectus amantis exprimitur.

2. (Vers. 1, 2.) *Osculetur me ab osculo oris sui; quoniam optima ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Constitue ergo Virginem desponsatam multo tempore, et justo ferventem amore, quæ multa præclara opera dilecti, probabilium testium assertione cognoverit, desideriis suspensis dilatam frequenter, jam non ferentem moras, quæ omnia fecisset ut sponsum videret: aliquando votis potitam suis, ad improvisum sponsi adventum gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim quod desiderasset exigere. Ita ergo et sancta Ecclesia quæ in primordiis mundi desponsata in paradiso, præfigurata in diluvio, annuntiata per Legem, vocata per prophetas, cum diu redemptionem hominum, Evangelii decorem, dilecti exspectasset adventum; impatiens moræ, in oscula ruit dicens: *Osculetur me ab osculo oris sui;* et delectata osculis, adjicit: *quoniam optima ubera tua super vinum.*

3. Et ut moralius dicamus, intelligo mihi carnem illam quæ madefacta fuerat in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat fetore, quæ procedebat in filiabus Sion alta cervice et nutibus oculorum, et itinere pedum trahens tunicas, et pedibus suis ludens, crinium cincinnis et compositis vultibus atque redimiculis, et omni affectata decore plus dedecens, eamdem tamen plurimis **1548** edoctam oraculis, quod venturus esset qui serpentis illecebris exclusis, Spiritus sancti infunderet gratiam; ut omnis caro videret salutare Dei, omnis caro ad Deum veniret, marcuisse desiderio: sed metuentem ne ut impatiens, ut lasciva, ut luxuriosa, ut querula, sicut ante fuerat displiceret, quamvis longiore quam ferre jam poterat, morantis adventus Dominici exspectatione quæreretur: non murmurantem tamen nec transgredientem, sed levantem in omni loco puras manus, sine ira et disceptatione, in habitu ornato cum verecundia et sobrietate, ornantem se non in tortis crinibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosa, sed his quæ castitatis et bonæ conversationis decerent gratiam, orare dicentem: *Osculetur me ab osculo oris sui; quoniam optima ubera tua super vinum.* Jam volebat adhærere Christo caro, jam festinabat innubere;

[a] In ps. CXVIII Serm. 1, num. 2.

Digitized by Google

ut esset unus spiritus, et fieret caro Christi quæ erat ante meretricis. *Osculetur*, inquit, *me* : osculatur nos Dei Verbum, quando sensum nostrum spiritus cognitionis illuminat.

4. [a] Igitur vel Ecclesia est jamdiu promisso sibi per prophetas Dominico adventu per tempora multa suspensa, vel anima quæ elevans se a corpore abdicatis luxuria atque deliciis, voluptatibusque carnalibus, exuta quoque sollicitudine sæcularium vanitatum, jamdudum infusionem sibi divinæ præsentiæ et gratiam Verbi salutaris exoptet, commacerari eam quod sero veniat, et affligitur ; ideo quasi vulnerata charitatis, cum moras ejus ferre non possit, conversa ad Patrem, rogare ut mittat sibi Deus Verbum, et causam qua sit ita impatiens declarare dicentem : *Osculetur me ab osculis oris sui.*

5. Non unum osculum quærit, sed plura oscula, ut desiderium suum possit explere ; quæ enim diligit, non est unius osculi parcitate contenta, sed plurima exigit, plura vindicat, et ita se amplius dilecto commendare consuevit. Denique illa in Evangelio sic probata est, *Quia non cessavit*, inquit Dominus, *osculari pedes meos, et ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 46, 47). Ergo et hæc anima oscula Verbi multa desiderat, ut illuminetur divinæ cognitionis lumine ; hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. Osculatur enim nos Deus Verbum, quando cor nostrum et ipsum principale hominis Spiritus divinæ cognitionis illuminat ; quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atque ovans dicit : *Os meum aperui et eduxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131). Osculum est enim quo invicem amantes sibi adhærent, et velut gratiæ interioris suavitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima Dei Verbo, quod sibi spiritus transfunditur osculantis : sicut etiam hi qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.

1549 6. [b] *Osculetur me ab osculis oris sui.* Vis ad Christum aptare? Nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil jucundius. *Osculetur me*, videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta de terra sunt; ideo te sacramentis cœlestibus dignum judicat, et ideo invitat ad cœleste convivium ; ut *Osculetur te ab osculis oris sui.* Tamen propter sequentia, anima tua, vel humana conditio, vel Ecclesia vidit se ab omnibus mundatam esse peccatis, dignam quæ ad altare Dei possit accedere. Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi ? Vidit sacramenta mirabilia, et ait : *Osculetur me ab osculis oris sui ;* hoc est, osculum mihi Christus infigat. Quare ? quia :

7. *Meliora ubera tua super vinum*, hoc est, meliores sensus, meliora tua sacramenta super vinum, super illud vinum quod etsi suavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet : tamen in illo lætitia sæcularis, in te autem jucunditas spiritalis est. Jam tunc ergo Salomon inducebat nuptias vel Christi et Ecclesiæ, vel spiritus et carnis et animæ. [c] Et tamquam despiciens omnes jucunditates et delectationes suas, cœlestibus cupiens inhærere mandatis, ait : quoniam optima præcepta testamentorum tuorum super omnem appetentiam carnis, et sæculi voluptatem ; meminerat enim se in Eva ante sic lapsam, dum voluptatem corporis præfert mandatis cœlestibus. [d] Ostendens itaque non solam speciem Verbi, et vultum quemdam, sed omnia interiora ejus diligere, adjungit ad osculorum gratiam : *Quia bona*, inquit, *ubera tua super vinum, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Illa osculum poposcit, Deus Verbum se ei totus infudit, et nudavit ei ubera sua, hoc est, dogmata sua et interioris sapientiæ disciplinas, et unguentorum suorum dulci odore fragravit: quibus capta dicit uberiorem esse jucunditatem divinæ cognitionis, quam lætitiam omnis corporeæ voluptatis.

8. [e] *Unguentum exinanitum vel oleum effusum nomen tuum;* hoc est, totus immundis impuritatibus diversorum facinorum fetebat hic mundus, nunc spirat ubique suavitas pudicitiæ, unguentum fidei, flos integritatis. [f] Aspirat etiam in Verbo odor gratiæ et remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tamquam exinanito replevit unguento, quia per universos gravis illuvies detersa vitiorum est. [g] Hoc unguentum exinanitum est supra Judæos, et collectum est a gentibus: exinanitum in Judæa, et redoluit in omnibus terris. Hoc unguento uncta est Maria, et Virgo concepit, Virgo peperit bonum odorem Dei Filium : hoc unguentum effusum est super aquas, et sanctificavit aquas : hoc unguento uncti sunt tres pueri, et humorem his flamma roravit; hoc unguento Daniel unctus est, et leonum ora mollivit, feritatemque permulsit. Fluit hoc unguentum quotidie, et numquam deficit. Accipe vas tuum, virgo, et accede, ut possis hoc unguento repleri : accipe unguentum æstimatum trecentis denariis, sed gratis datum, non venditum, ut omnes haberent gratis. Virgo, ungere; noli contristari sicut Judas, quia hoc unguentum effunditur, sed consepeli in te Christum: claude sane vas tuum, ne unguentum effluat : claude integritatis clave, loquendi verecundia, abstinentia gloriandi; hoc quæ habet unguentum, Christum recipit : *Unguentum exinanitum nomen tuum.*

9. (Vers. 2.) [h] *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.* Quæ sunt istæ adolescentulæ, nisi animæ singulorum, quæ deposuerunt istius corporis senectutem, renovatæ per Spiritum sanctum? [i] *Unguentum effusum nomen tuum*, cujus virtute sermonis nihil potest esse præstantius. Nam sicut inclusum in vase aliquo unguentum cohibet odorem suum, qui odor quamdiu vasis illius angustiis coercetur, etsi ad plures non

[a] Lib. de Isaac, cap. 3.
[b] Lib. V de Sacram. cap. 2.
[c] In psal. CXVIII Serm. 1, num. 5.
[d] Lib. de Isaac, cap. 3.
[e] In psal. CXVIII Serm. 1, num. 5.
[f] Lib. de Isaac, cap. 3.
[g] Lib. de Virginitate, cap. 11.
[h] Lib. V de Sacram. cap. 2.
[i] Lib. I de S. Spir. cap. 8.

Digitized by Google

potest pervenire, tamen vim suam servat: cum vero de vase illo quo claudebatur unguentum fuerit effusum, longe lateque diffusum dicitur: ita et Christi nomen ante ejus adventum in Israel populo, quasi in vase aliquo Judæorum mentibus claudebatur: *Notus enim in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* (*Psal.* LXXV, 1). Hoc itaque nomen quod vasa Judæorum angustiis suis coercitum continebant. Magnum quidem et tunc nomen, cum infirmorum atque paucorum hæreret angustiis, sed magnitudinem sui nondum per corda gentium et in fines totius orbis effuderat: **1550** postquam vero per omnem mundum suo illuxit adventu, per omnem utique creaturam divinum illud suum nomen extendit, non repletum accessione aliqua, plenitudo enim nescit augmentum; sed replens vacua, ut esset admirabile nomen ejus in universa terra. Hujus igitur effusio nominis abundantem quamdam exuberantiam gratiarum, bonorumque cœlestium significat ubertatem, ex abundanti enim superfluit quidquid effunditur. [a] *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Bona, inquit, prudentia, sed dulcis misericordia; illam enim pauci assequuntur, hæc ad omnes pervenit: propter hanc, inquit, indulgentiam tuam diligunt te animæ renovatæ spiritu.

10. (Vers. 3.) [b] *Attrahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Osculata jam anima sancta Verbum Dei, modum non capit, nec expletur dicens: Suavis es, Domine, et in jucunditate tua doce me justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 12). Osculata Dei Verbum concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi ut sequi possit: *Unguentum*, inquit, *exinanitum nomen tuum, propterea te diligimus adolescentulæ;* propterea certamus, sed comprehendere non possumus: attrahe nos, ut possimus currere; ut odore unguentorum tuorum accipiamus virtutem sequendi. Festinat etiam interna mysteria videre, ipsam requiem Verbi, ipsam boni illius summi habitationem, et lucem ejus et claritatem in illo sinu ac recessu patrio; festinat audire sermones ejus, et cum audierit super omnem suavitatem accipit.

11. Doceat te propheta qui gustavit, et ait: *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII, 103)! Quid enim aliud desiderat anima, quæ semel Verbi suavitatem gustaverit, quæ semel claritatem ejus viderit? Moyses in monte positus quadraginta diebus Legem accipiens, cibum corporis non requirebat: Elias ad illam festinans requiem, rogabat ut acciperetur anima sua a se: Petrus aspiciens et ipse in monte Dominicæ resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse* (*Matth.* XVII, 4). Quanta igitur illa divinæ substantiæ gloria, quanta Verbi dona, in quæ concupiscunt et angeli prospicere!

12. Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque familiaritatem cum eo esse A debere intelligit, renuntiat sæculo, abducit se a vinculis carnis, et exuit omnibus voluptatum istarum nexibus. Denique Stephanus Jesum videbat, et lapidari non formidabat; immo cum lapidaretur, non pro se, sed pro illis a quibus perimebatur, rogabat. Paulus quoque raptus usque ad tertium cœlum, cum corpore esset vel sine corpore nesciebat, raptus, inquam, in paradisum, usum proprii jam non sentiebat corporis, et audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates descenderet, erubescebat. Itaque sciens quid vidisset in paradiso, vel quid audisset, clamabat dicens: *Quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu* (*Coloss.* II, 20 *et* 21). Volebat enim nos in B figura esse istius mundi, non possessione atque usu, ut ita utamur hoc mundo tamquam non utamur, tamquam prætereuntes, non tamquam residentes; ambulantes tamquam in imagine sæculi, non in cupiditate, ut velocissima disputatione ipsam imaginem hujus mundi transeamus. Denique ipse fide ambulans, non specie, peregrinabatur a corpore, aderat Deo: et cum esset in terris, non in terrenis, sed in cœlestibus conversabatur. Ergo anima nostra quæ Deo vult appropinquare, elevet se a corpore, semper illi summo bono adhæreat, illi bono quod est divinum, quod est semper, et quod erat ab initio, et quod erat apud Deum (I *Joan.* I), hoc est, Dei Verbum: ipsum est illud divinum, *In quo vivimus, et sumus, et movemur* (*Act.* XVII, 28).

C 13. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hunc odorem fragrat anima quæ Christo aperire incipit, ut accipiat primum odorem Dominicæ sepulturæ, et credat, quia caro ejus non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit: sed æterni illius floris et semper virentis odore condita surrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cujus nomen *Unguentum exinanitum* **1551** *est?* Exinanivit se ut spiraret tibi; semper hoc unguentum erat, sed erat apud Patrem, erat in Patre, olebat tantum angelis et archangelis, tamquam intra vas cœli. Aperuit os Pater dicens: *Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium; ut sis in salutem usque ad extremum terræ* (*Esai.* XLIX, 6). Descendit Filius, repleta sunt omnia novo odore Verbi, eructavit cor D Patris Verbum bonum, fragravit Filius, Spiritus sanctus exhalavit, atque per omnium corda diffudit: *Diffusa est enim charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum* (*Rom.* V, 5). Ipse Dei Filius in corpore tamquam in vase odorem primo cohibebat suum, opperiens tempus sicut ait: *Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat dicere sermonem.* Venit hora, aperuit os, exivit unguentum, quando virtus exibat de eo. [c] Et ideo ista festinat ad Verbum, et rogat ut attrahatur, ne forte derelinquatur; quia currit Dei Verbum, et non est alligatum. Denique *Exsultat tamquam gigas ad curren-*

[a] Lib. de Isaac, cap. 3.
[b] Epist. ad Irenæum.
[c] Lib. de Isaac, cap. 3.

Digitized by Google

posita, mortificaverit tamen corpus suum, ne sentire possit illam asperitatem: sicut enim ardorem solis non sentit pellis tabernaculi, eo quod pellis sit animalis mortui; ita hæc mortua peccato, ardorem peccati sentire non poterat: vel quia non frangebatur necessitatibus, vel quia corpus **1554** afflictionis sumus, et mortem Domini Jesu semper in corpore nostro circumferre debemus.

27. (Vers. 5.) [a] *Filii matris meæ pugnaverunt adversum me;* hoc est, impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ decoloraverunt: ideo sol justitiæ mihi non refulsit, quia viduata præsidio devotionem meam et observantiam plenam servare non potui, hoc est enim, *vineam meam non custodivi*, quia spinas et non uvam attuli, id est faciens peccata pro fructibus. Et cum de Verbo loquitur, irradiante sibi verbi splendore, conversa ad ipsum dicit:

28. (Vers. 6.) *Ubi pascis, ubi manes in meridiano?* Recte dicit, *ubi pascis*, quia regale est Dei Verbum: *ubi manes*, quia morale: *in meridiano*, quia mysticum: siquidem meridie Joseph cum fratribus suis in convivio constitutus futurorum mysteria temporum revelabat. Sed etiam David dicit: *Revela ad Dominum vitam tuam et spera in eum, et ipse faciet, et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem* (*Psalm.* XXXVI, 5). Et ipse Paulus circumfulsisse sibi lumen meridie asseruit, quando a persecutione est conversus ad gratiam.

29. Queritur ergo quod derelicta sit, quod destituta sit pauper ex divite; abundabat enim munere gratiarum: sed egere cœpit, ubi divinæ præsentiæ sibi copia denegata est. Et ideo vel quasi mercenaria haberi postulat, quæ ante sibi pretiosioris copulæ gratiam vindicabat.

30. [b] *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi* (*Vers.* 5). Putant aliqui hoc de illis dici qui Synagogam ad legis præcepta constringunt, ut legem custodiat, vineam suam tueatur, quam custodire non potuit. Denique custodiebat ut faceret uvas, fecit autem spinas. Quæ sit igitur vinea, venit David testificare nobis dicens: *Vineam de Ægypto transtulisti, et ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psalm.* LXXIX, 9). Possunt et apostoli esse filii matris ejus, qui vere impugnaverunt Synagogam dicentes: *Ecce convertimur ad gentes:* et nationibus verbum Dei seminare cœperunt. Possunt et prophetæ intelligi qui monendo denuntiandoque ut vineam suam custodiret Synagoga, nihil profecerunt; fecit enim spinas improbitatis, quæ virtutis uberes fructus deferre debuerat: et ideo confitetur quod populum suum custodire non potuit meritoque sero quærit tenere, quem cum teneret, amisit: multo dissimilior ejus quæ dicit: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, et non relinquam eum* (*Cant.* III, 4). Denique illa invitat in hortum suum sponsum; hæc ubi pascat requirens, dicit ad ipsum:

[a] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 13 et seq.
[b] In psal. CXVIII Serm. 2, num. 10.

A 31. *Annuntia mihi quem dilexit anima mea.* Cur *quem dilexit anima mea*, dicis, et non quem diligit? Cur dimisisti quem tenebas? Dilexisti patrum fide, amisisti incredulitate: tenebas charitatis vinculis, amisisti longo fune perfidiæ. Ideo nescis ubi pascat, ubi maneat; nam si scires, non quæreres. Dicis enim: *Ubi pascis, ubi manes in meridie?* Meridiem nosti esse Ecclesiam quæ teneat Christum, et tu eum in noctibus quæris. Dic, inquit, mihi, Christe, responde vel propter id quia ante carus fuisti atque dilectus mihi; etsi ergo tantæ prærogativam charitatis amisi, ut tamen quasi pius, responde mihi, *Ubi pascis, ubi manes?* Reliquisti me, abiisti ad gentes, recessisti longe a me, et illis propior factus es a quibus longe eras. Sed factus es prope, quia sanguine tuo crediderunt. A me recessisti, quia ego crucem non susB cepi ut mundi redemptionem, sed ut noxii damnationem. Qui autem receperunt sicut salutis auctorem, in meridie sunt; illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua sicut meridies. Mihi matutinus eras, cum adhuc crederem, sed non credebam plene, quia non sum inventa in meridie, sicut Joseph cum fratribus suis qui tenebant meridiem: illis meridies factus es, qui pascuntur in divitiis tuis, et in te sperant. Ideo ut dixit David: *Deduces eorum justitiam tamquam lumen, et judicium eorum tamquam meridiem*( *Psalm.* XXXVI, 6).

32. Quæris ergo tamquam aliena quæ proxima eras, tamquam pauper quæ dives fuisti: vis sequi quæ præcedebas, atque utinam vel sequaris quos præcedere debuisti! Mercenaria esse desideras quæ C ante mercenarios colligebas; mercenariæ itaque vox ista dicentis est: *Ne* **1555** *forte fiam circumamicta super greges sodalium tuorum.* Quæ proselytos ex gentibus ante suscipiebas, nunc ipsa in nationibus vis pro proselytis suscipi, et tamquam advena congregari. Respondit Verbum Dei animæ desideranti:

33. (Vers. 7.) [c] *Nisi cognoscas te decora inter mulieres.* Nosce teipsum, homo, tuæ animæ dicitur, nisi cognoveris te formosam in mulieribus. Cognosce te, anima, quia non de terra, non de luto es, quia insufflavit in te Deus, et fecit in animam viventem. Opus es magnificum, Dei inspiratione formatum: *Attende tibi*, ut Lex dicit, id est animæ tuæ: sæcularia te et mundana non teneant, terrestria non D morentur. Ad illum tota intentione festina, ex cujus inspiratione consistis: *Grande*, inquit, *homo, et pretiosum vir misericors: virum fidelem opus est invenire* (*Prov.* XX, 6). Disce, homo, ubi grandis, atque pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum. Ubi namque quidquam tam pretiosum, quam imago est Dei? quæ tibi primo fidem debet infundere, ut in corde tuo refulgeat quædam auctoris effigies; ne qui mentem tuam interrogat, non agnoscat auctorem. An quidquam tam pretiosum, quam humilitas;

[c] In Psal. CXVIII Serm. 10, num. 10.

Digitized by Google

ut naturam corporis animæque perspiciens, altero te subjicias, altero recognoscas. Prona in vitium carnis illecebra misericordiam suadet; quia quod alteri contuleris, tibi solvis: quidquid a te procedit, in te recurrit, et quidquid feceris, tibi solvis: et quidquid profueris, tibi proficit. Vivacis animæ vigor, sensus rationis et capax intellectus atque judicii, ut digna domus tanto habitatore videatur, non amittat suæ prærogativam naturæ. [a] *Nisi cognoscas te, decora inter mulieres.* Quæ quereris quod derelicta sis, nisi te cognoscas, nisi pœniteat te lapsus tui, nisi intentionem devotionis approbes, nisi fides tua et sinceritas augeatur, querela nihil proderit. Aut sic, nisi cognoscas te quia decora es, nisi pulchritudinem naturæ tuæ serves, et corporis te illecebræ non demergant, nec impedimenta detineant, nihil tibi creaturæ melioris nobilitas suffragabitur.

34. Cognosce igitur te et naturæ tuæ decorem', et exi quasi exuta vinculis pedum, et nudo exerta vestigio, ut carnalia integumenta non sentias: vestigium mentis tuæ corporalia vincla non implicent, ut pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt, qui ad regnum cœlorum annuntiandum eliguntur a Domino, de quibus dictum est: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem* (*Esai.* LII, 7). Talis Moyses cui dicitur: *Solve calceamentum pedum tuorum* (*Exod.* III, 5); ut qui vocaturus populum ad Dei regnum procederet, prius carnis abjiciens exuvias, nudo spiritu vestigioque mentis incederet; hoc est ergo quod ait: *Exi tu in calceamentis gregum, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum.*

35. Per greges regnum intelligimus, eo quod potestatis sit gregibus præsidere. Præsidet autem unusquisque sibi quadam potestate regali, si coerceat in se corporis luxus, et servituti redigat carnem suam; ideoque dictum est: *Regnum Dei intra vos est.* Unde pulchre ait ad animam: *Exi*, id est, exi a servitio, exi a carnis imperio atque dominatu, et exi non in carne sed in spiritu, exi ad regimen potestatis. Ideoque addidit: *Pasce hædos tuos*, hoc est, rege ea quæ in sinistra tua sunt; nam si non regantur, facile labuntur. Coerce petulantiam, lasciviam tui corporis et luxuriam irrationabilem, edoma leves motus: pasce eos non in corporeis tabernaculis, sed in tabernaculis pastorum qui regere gregem norunt; sunt enim amabilia tabernacula Israel, sicut nemora obumbrantia super flumen, in quibus anima tamquam in procinctu bellico sita bonam exercet militiam, incursus explorat hostiles.

36. [b] *Nisi noscas te, decora inter mulieres.* Quid est se noscere, nisi ut sciat unusquisque hominem se ad imaginem et similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tamquam bonus agricola debeat aratro quodam et falce sapientiæ; ut vel dura findantur, vel luxuriantia recidantur, qui interiorem sui portionem animi imperio debeat gubernare. Unde etiam in Lege scriptum est: *Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo* (*Deut.* XV, 9): tibi, inquit, attende, non utique **1556** dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo ac menti tuæ, unde omnia consilia, facta, cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nosti. Nosce te ipsum, quod Apollini Pythio assignant gentiles viri, quasi ipse auctor fuerit hujus sententiæ; cum de nostro usurpatum ad sua transferant, et longe anterior Moyses fuerit qui scripsit librum Deuteronomii, quam philosophi qui ista finxerunt.

37. Unde et Salomon oraculum divinum secutus, scripsit in Canticis canticorum: *Nisi scias te, decora inter mulieres*; hoc est, nisi cognoscas te mortalem rationalem, et cito tua peccata fatearis, cito dicas iniquitates tuas ut justificeris, nisi convertaris, et prior accuses delicta tua, venit dies mortis et jam nullum conversionis remedium est; præveniris dum cogitas. Accende facem tuam, priusquam sponsi tibi janua claudatur, qui exspectare diu non solet negligentes. *Nisi scias te*, inquit, *decora inter mulieres*; et dicas: *Fusca sum et decora: fusca sum*, quia peccavi, *decora*, quia diligor, quia genus sum Abrahæ, electum genus, dilectum Deo; nihil tibi proderit patrum gratia: *Potens enim Deus est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9). Et alibi in Evangelio legisti, quia Abrahæ filiam ligavit diabolus nequitiæ suæ vinculis, quam Dominus solvit in die sabbati. Nisi ergo scias te, nihil tibi proderit. Etsi dicas, Abrahæ sum filia quæ non credis, quæ errorem non corrigis; Abraham quidem salvatur, sed te nobilitas generis non juvabit, nisi fides salvaverit. Non te decipiat data patribus repromissio, non suscipio personam hominis, non suscipio prærogativam generis; nisi videro congruentem generi morum nobilitatem, ut fiat justi generis electio.

38. Quod si scias te, et cognoscas quia peccato obnoxia es, exeundum in calcaneis gregum est tibi. Exi ergo nuda pede, et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. Qui sine peccato est, agnos pascit, oves pascit: quæ autem peccato obnoxia est, pascat hædos qui a sinistris sunt; non enim potest esse in dextera pastoris boni. Sequatur magis dicentem Petro: *Veni retro me, Satana* (*Marc.* VIII, 33). Sequendo Petrus meruit in dextera collocari; ideoque ei dicitur: *Pasce agniculos meos* (*Joan.* XXI, 16). Sed quo exeat audi: *Ad tabernacula*, inquit, *pastorum*, hoc est, ad gentes, ad dispersionem. Ideoque dixit: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII, 7); ut repleatur totus orbis terrarum grege Christi, significans tunc fore salvam Synagogam, cum se huic dispersioni et ipsa sociaverit, quæ replevit hunc mundum; tabernacula enim pastorum sunt regna terræ.

[a] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 15.

[b] In psalm. CXVIII, serm. 2, num. 13 et seq.



Digitized by Google

39. (Vers. 8.) [a] *Equæ meæ in curribus Pharaonis* A *assimilavi te, proxima mea.* In quo dum velocium equorum cursui similitudo Ecclesiæ comparari videtur, æstimatur dives ejus gratia. Non igitur unam equam divitis regis intelligas, sed absoluto pro equitatu, ut sæpe diximus, qualis ovis illius est, pro grege ovium. Pharao igitur ut potentissimus rex et prædives habebat equos potentes; unde et Scriptura dicit: *Currus Pharaonis* (*Exod.* XIV, 9), quasi potentissimum genus ad bellorum usum, et subsidium præliandi: denique his curribus Pharao fugientes Hebræos facile comprehendit. Sicut ergo equi juncti facile trahunt currum, et patienter suscipiunt jugum, et portant cum gratia, et jugi illius susceptione mansuescunt: sic et congregatio nationum gentilibus indomita moribus se ante jactabat. B Ubi vero suscepit jugum dicentis: *Tollite jugum meum super vos, quia leve est; et onus meum, quia suave est* (*Matth.* XI, 29 *et* 30); et cœpit sponsa Christi concordia et mansuetudine populorum esse sublimis, et toto circumferri orbe, tamquam currus equis velocibus supra mundum rapta ascendit ad sponsum.

40. Habet enim equos suos Christus, de quibus dicit propheta: *Immisisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas* (*Habac.* III); eo quod gentium populos qui moventur ut aquæ multæ, et excitantur in fluctus aquarum, evangelizando commoverint apostoli, ut assurgentes a terrenis idolorum cæremoniis, in Christum crederent. Et supra ait: *Ascendisti in equos tuos, equitatus tuus sanitas.* O bonorum C equorum duo decajugum mirabile, quibus frena pacis, **1557** habenæ sunt charitatis: constricti inter se concordiæ vinculis, et jugo fidei subjecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei Verbum: cujus flagello fugatæ sunt illecebræ sæculares, exterminatus mundi istius princeps, justorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen! o mirandum mysterium! Rota intra rotam currebat, et non impediebatur, novum Testamentum in veteri Testamento, intra illud currebat per quod annuntiabatur. In quatuor partes ibant, rotæ, et non revertebantur retrorsum; quia spiritus vitæ erat in his, qui currebat in quatuor partes totius mundi: et sine offensione currebat, quia bona D equorum vita quadrabat. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui ascenderat equos.

41. Animarum igitur nostrarum auriga Jesus; qui nos quoque vult ascendere equos nostros, id est, corpora nostra; et vigilare semper ne dicatur nobis: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Psalm.* LXXV, 7). Transeundum est hoc mare impigre, vix transitur a vigilantibus. Si quis autem dormierit, transire non poterit, sed demergitur, ut Ægyptius cujus et anima et corpus interiit. *Equum* enim *et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV, 1), qui non sequebantur legem, sed per sequebantur.

42. *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilavi te.* [b] Virtutis labor quærit victoriam, ut non possit equæ illi quæ Salomonis est comparari, velox ad currendum, habilis ad partum; quoniam fecunditas animæ desideratur et quæritur. Hæc ergo equa pretiosa est, et currus Pharaonis veloces. Sed hoc loco de anima dicendum suscepimus, hujus equæ quæ similis æstimatur huic animæ, hoc est, propheticæ vel apostolicæ virtutis: quod in eorum annumeretur grege, qui fecunditate prædicationis suæ totius orbis terrarum spatia repleverunt. Et quamvis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia. Ideoque laudatur quod cœlesti sibi illuminante præcepto, jam speciosa, jam pulchra sit quæ vultu præferat castitatis decorem, et redimicula cervicis tollat, in qua sunt patientiæ et humilitatis insignia. Atque idcirco sponsam suam collaudans dicebat:

43. (Vers. 9.) [c] *Quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, cervix tua sicut redimicula.* Vultus liberior est, ubi est charitatis conscientia; et portare jugum Christi suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum tuum, et quære Deum, ut invenias. Erige cervicem, redimicula non vincula geris: mutaque animalia redimiculis gaudent, et phalerari sibi magis, quam nodari videntur. *Genæ sicut turturis*, perferant insignia verecundiæ: *Redimicula cervicis* libertatis attollant fiduciam; leve est enim jugum Christi, et ideo cervix eo non premitur, sed levatur.

44. (Vers. 10, 11.) *Similitudines*, inquit, *auri faciemus tibi, ex distinctionibus argenti, quoad usque rex erit in declinatione sua.* Ex iis enim qui ex Lege sunt et prophetis, mediocriter ante crediderant gloriam Domini Jesu, et hæreditas ejus diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est probata. Crebræ enim persecutiones Ecclesiæ justorum nobis titulos, martyrii victorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ira Ecclesia cum utitur, detrimenta non sentit, sed magis fulgor ejus augetur, donec Christus veniat in regnum suum, et reclinet caput suum in Ecclesiæ fide. Qui cum venisset ad oves perditas domus Israel, non habebat ubi caput suum reclinaret: nunc autem jam redolet fides, ideoque dicit Ecclesia: *Nardus mea dedit odorem suum*; et dicit cum præsumptione exspectans retributionem. Fragrat unguentum gratiæ, in quo virgo generavit, et Dominus Jesus sacramentum incarnationis assumpsit.

45. (Vers. 12, 13.) *Colligatio guttæ frater meus mihi, in medio uberum meorum manebit*, sive *commorabitur.* Prius quidem dixerat, quod nardus sua dedisset ei odorem sponsi; et quia per unguentum quo unxerat, odoris ejus fragrantiam recepisset: nunc autem ait: Frater meus mihi guttam redolet, et hanc non diffusam neque ut libet dispersam, sed

[a] In psal. CXVIII serm. 2, num. 32.
[b] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 17.
[c] In psal. CXVIII serm. 3, num. 6 et seq.

Digitized by Google

colligatam et constrictam, quo scilicet odor ipsius suavitatis densior reddatur et vehementior. Et hic, inquit, **1558** cum talis sit, in medio uberum meorum commoratur et commanet, et requiem ac mansionem suam facit in loco pectoris mei. [a] *Colligatio*, inquit, *guttæ consobrinus meus, botrus cypri frater meus mihi, inter media ubera mea requiescet.* Corpus enim suscipiens Dominus Jesus, charitatis se vinculis illigavit, et non solum se membris nostris et passionibus naturalibus, sed etiam cruci junxit; ideoque sicut botrus in Ecclesiæ fide, et morali requiescit gratia.

46. *Nardus cypri consobrinus meus in vineis Engaddi.* Si locum quærimus regionis cujusdam quæ in Judæa est, locus sic dicitur in quo opobalsamum gignitur: si interpretationem, tentatio Latine significatur. In illis vero vineis lignum est, quod si quis compungat, unguentum emittit, hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum, non ita fragrat et redolet, cum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam distillat. Sicut et Christus in illo tentationis ligno crucifixus, illacrymabat populum, ut peccata nostra dilueret, et de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Tunc ergo in ligno compunctus lancea, exivit de eo sanguis et aqua, omni unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens. Et quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat e corpore, unde ait: *Sentio virtutem de me exiisse* (*Luc.* VIII, 46). Inde opobalsamum expressius dicitur, eo quod compunctione ligni balsamum per cavernam punctionis erumpit.

47. Compunctus igitur Jesus, odorem remissionis peccatorum et redemptionis effudit. Nam et constrictus erat, cum Verbum esset homo factus: et pauper factus est, cum dives esset; ut nos illius inopia ditaremur: potens erat, et despiciendum se præbuit, ita ut Herodes sperneret eum et illuderet ei: terram movebat, et hærebat in ligno: cœlum obducebat tenebris, et mundum crucifigebat, et crucifixus erat: inclinabat caput, et exibat Verbum: exinanitus erat, et replebat omnia: descendit Deus, ascendit homo: Verbum caro factum est, ut caro sibi Verbi solium in Dei dextera vindicaret: vulnus erat et fluebat unguentum: scarabæus audiebatur, et Deus agnoscebatur. Respondit et Christus.

48. (Vers. 14.) *Ecce bona es, proxima mea, ecce es bona: oculi tui columbæ.* Quoniam cognoverat Ecclesia mysterium, et pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Jesum prædicabat, meretur audire: *Ecce es bona*, quæ me bonum dicis; *Ecce es bona*, quæ vidisti gloriæ meæ decorem, et ipsa speciosa es et decora. Quid est autem dicere Christum: *Bona es*, vel *decora es*, nisi illud Evangelium: *Constans esto, filia, remissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 22)? Ergo cui Christus peccata donavit, A recte dicit: *Retribue servo tuo, ut vivam, et custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 116). Non habet in retributione quid desperet; quia Dominus Jesus venit mundum salvare, non perdere. Ideo immemor est injuriæ, memor gratiæ, sicut in prophetico libro testificatur ipse dicens: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto et judicemur, dic tu prius iniquitates tuas ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 25 *et* 26). Quicumque ergo dicit iniquitates suas Deo, justificatur: et quicumque justificatur, retributionem non timet, sed exposcit: qui retributionem non timet, vivit.

49. (Vers. 15, 16.) [b] *Ecce*, inquit, *formosus consobrinus meus, et quidem pulcher. Acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nos-* B *tra cupressi.* Laudat sponsi decorem Ecclesia, quem plus unusquisque tacito laudat affectu, et fidus mysteriorum interpres tacendo plus prædicat. Nam qui arcana divulgat, imminuit Christi decorem; ideo nemo mittat margaritas suas porcis, ne conculcari faciat ornamenta pretiosa. Non ergo in tabernaculo loquacis et garruli; quia multiloquio peccatum admittitur: sed in viri serii, qui sit parcus alloquii, nec sermonis intemperans, et verborum sobrietate temulentiam loquacitatis evitans, caput suum Christus reclinat.

50. Et merito opacam significat reclinationem; quia in Ecclesia constitutos virtus obumbrat Altissimi. Hac umbra David protegi postulabat, ne eum C per diem sol ureret, vel luna per noctem (*Psalm.* CXX, 6). Hanc umbram spiritualis ministrat **1559** gratia, torrida sæculi hujus et mundi æstiva fugientibus. Opaca igitur acclinatio Christi et Ecclesiæ, quibus Dei Patris æterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus umbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati si quos adussit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinavit, ut nostra debita susciperet. Si quos culpa lassavit, hos Jesus gremio excipiat suo, et molli foveat amplexu; unde audeo dicere, quod caro Christi acclinatio est Ecclesiæ.

51. *Trabes domorum nostrarum cedri.* Cedri specie, majorum qui justi fuerunt, gloria designatur. *Justus enim ut palma florebit, et sicut cedrus quæ in Libano* D *est, multiplicabitur* (*Psalm.* XCI, 13); sicut enim cedrus non putrescit, ita nec majorum gloria ulla vetustate corrumpitur.

52. *Lacunaria nostra cupressi.* Genus hoc arboris numquam amittit viriditatem suam, hieme juxta atque æstate comam pascit, nec diverso colore mutatur. Solam hanc arborem ventus numquam suo honore despoliat, sola numquam veteri exuitur amictu, aut novo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum, sed vetustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quæ florentibus membris viget, semper justitiæ cæterarumque virtutum culmina pa-

[a] In psal. CXVIII serm. 3, num. 8 et seq.

[b] In psal. CXVIII serm. 4, num. 18 et seq.

Digitized by Google

tienti magnanimitate sustentat; et ideo non defluit, neque deficit; quia nihil in ea rimosum est ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi. Sequitur Ecclesia vel fidelis anima, animam dico, ideo quia nihil tam est homo, quam anima.

## CAPUT SECUNDUM.

1. (Vers. 1, 2.) [a] *Ego flos campi, et lilium convallium, sicut lilium in medio spinarum;* in totam enim terram fides populi credentis exivit, et in spatioso posuit pedes suos Christus; et ideo pulchre ait florem se esse campi. Flos erat etiam Paulus qui dicebat: *Bonus odor Christi sumus Deo* (II *Cor.* II, 15). Et vere flos, qui poterat nova et vetera de sui cordis proferre thesauro. [b] *Ego flos campi.* Et bene flos est Ecclesia quæ fructum annuntiat, hoc est, Dominum Jesum Christum, de quo dictum est Mariæ: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui* (*Luc.* I, 42).

2. Alio quoque sensu florem tibi demonstro carpendum, illum utique qui dixit: *Ego flos campi, et lilium convallium.* Plerique comparationem hanc secundum naturam floris, et usum putant propositi germinis aptiorem; eo quod lilia nullius annui usus cultum requirant, nec sicut erga proventum fructuum cæterorum, ita etiam erga generationem istius floris, sollicitis in orbem redeat labor actus agricolis; quibuslibet enim siccitatibus agri, omne illud quod alitur in florem quadam virtute genitali ex sese, atque in se succi semper virentis animatur; ita ut cum foliorum puberum caulem videas aruisse, floris tamen natura virescat; absconditur enim viriditas, non amittitur. Ast ubi vernis fuerit provocata blanditiis, indumentum germinis, comam floris, liliive resumit ornatus.

3. Illud etiam delectat advertere, quia non in asperitatibus montium incultisque silvarum lilia, sed in hortorum amœnitate generantur. Sunt enim horti quidam diversarum pomiferi virtutum, juxta quod scriptum est: *Hortus conclusus*, etc. (*Cant.* IV, 12), eo quod ubi integritas, ubi castitas, ubi religio, ubi fida silentia secretorum; ibi claritas angelorum est, ibi confessorum violæ, lilia virginum, rosæ martyrum sunt. Bene lilium Christus est, quia ubi martyrum sanguis, ibi Christus qui est flos sublimis, immaculatus, innoxius, in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarebat. Sunt enim spinæ rosarum, quæ sunt tormenta martyrum; non habet spinas inoffensa divinitas, quæ tormenta non sensit.

4. [c] *Tamquam lilium in medio spinarum.* Quod est evidentis indicii spiritalium nequitiarum sentibus virtutem obsideri, unde fructum nemo referat, nisi qui cautus accedat. Sume igitur alas virgo, sed spiritus: ut supervoles vitia, si contingere cupis Christum, *Qui in altis habitat, et humilia respicit* (*Psal.* CXII, 5). Et species ejus sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem terris inserit; principia enim ejus de cœlo, posteriora ejus in terris, 1500 fructus cœlo proximos ediderunt. Scrutare diligentius tam bonum florem, necubi eum in pectoris tui convalle reperias; humilibus enim frequenter inhalatur. Amat generari in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet, invenit: mori potius quam violari parata.

5. [d] Aliter, *Ego flos campi, et lilium convallium, tamquam lilium in medio spinarum.* Ecce alium locum in quo solet Dominus conversari, immo non in uno, sed in pluribus: *Ego*, inquit, *flos campi*, quia patentem simplicitatem puræ mentis frequentat. *Et lilium convallium;* flos enim humilitatis est Christus, non luxuriæ, non voluptatum atque lasciviæ, sed flos simplicitatis, flos humilitatis. [e] Flos odorem suum et succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit; ita et Dominus Jesus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, et illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit, non ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans.

6. (Vers. 3.) [f] *Tamquam lilium in medio spinarum,* nonne inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit; quia contrito corde Deus placatur. Hoc est desertum, filiæ, quod ducit ad regnum, hoc est etiam desertum, quod floret ut lilium, juxta illud quod scriptum est: *Lætare, sterilis, et exsulta, desertum, et floreat ut lilium* (*Esai.* XXXV, 1). In hoc deserto, filiæ, arbor illa bona fructifera quæ bonos fructus facit, incipit brachia factorum suorum diffundere, verticem divinitatis attollere, juxta quam nostræ ligna silvæ frutescant; quia sicut arbor mali inter ligna silvæ, ita frater meus in medio filiorum; ut videns hoc Ecclesia, et fidei nostræ jam læta successu, dicat: *In umbra ejus concupivi et sedi, et fructus ejus dulcis in faucibus meis.*

7. (Vers. 3, 4.) [g] Nota quod sæpe in hoc Canticorum libro Salomon triplicem illam sapientiam evidenter expressit, moralem scilicet, naturalem, et mysticam, sicut in Proverbiis dixerat; ut tripliciter sibi scriberet, qui sapientiam ejus vellet audire. Ait ergo in Canticis sponsa de sponso: *Ecce pulcher es, consobrinus meus, ecce pulcher es et decorus; acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cupressi* (*Cant.* I, 15 *et* 16). Possumus hoc de moralibus accipere; ubi enim requiescit Christus et Ecclesia, nisi in operibus suæ plebis? Denique ubi impudicitia, ubi superbia, ubi iniquitas erat, ibi ait Dominus Jesus: *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20). De naturalibus

[a] In psal. CXVIII serm. 5, num. 7.
[b] Lib. VII in Luc., ad cap. XII.
[c] Lib. I de Virg., cap. 7, num. 43, et cap. 8, num. 44.
[d] Lib. de Virginitate, cap. 9, num. 51.
[e] Lib. II de Spir. sancto, cap. 5, num. 39.
[f] Lib. de Virginitate, cap. 9, num. 51, 52.
[g] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 27.

Digitized by Google

autem quid accipiamus? *In umbra*, inquit, *ejus concupivi et sedi*, *et fructus ejus dulcis in faucibus meis;* qui enim terrena supergreditur, et cui mundana moriuntur (quoniam crucifigitur ei mundus, et ipse mundo) omnia quæ sunt sub sole, refugit et contemnit. De mysticis quoque ait: *Introducite me in domum vini*, *constituite in me charitatem.* Etenim sicut vineam suam vitis, ita Dominus Jesus populum suum quasi vitis æterna quibusdam brachiis charitatis amplectitur.

8. Considera singula; in moralibus flos est inter spinas lilium, sicut ipse ait: *Ego flos campi*, *et lilium convallium* (*Sup.*, *v.* 1). In moralibus ergo flos est, sicut in naturalibus sol justitiæ, qui oriens et resurgens illuminat, occidens obumbrat. Cave ne tibi occidat, quia scriptum est: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). In mysticis B charitas est, quia plenitudo legis est Christus. Et ideo Ecclesia quæ diligit Christum, vulnerata est charitate.

9. [a] Pulchre etiam lilium dicitur Ecclesia; sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorum. Pulcherrime etiam dictum est: *Lilium convallium;* quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum, hoc est, inter Judæos et hæreticos, hoc est inter sollicitudines hujus sæculi, quæ mentem hominis animumque compungunt. Possumus etiam aliter accipere, quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conventus Ecclesia Dei refulget.

10. Refert etiam considerare, quod hoc lilium splendore circumfusum sit, intus autem quod habet, C rubeum sit, boni et ipsum odoris; eo quod caro Christi velut morali divinitatis claritudine circumsepta, cœlestis habuerit protectionem gratiæ. Denique in posterioribus ait: *Fraternus meus candidus*, *et rubeus* (*Cant.* v, 10): candidus claritate **1561** divina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritoque et ipsum quod est rubrum, bene olet, quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinaverunt: sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt.

11. Accepit hunc odorem Dominus Jesus fragrantis Ecclesiæ suæ, et ait: *Ecce proxima mea bona.* Et Ecclesia dicit ad Christum: *Ecce es bonus fraternus meus*, *ecce es bonus*, *tamquam malum in lignis silvæ.* Pulcherrima collatio! Quid enim pulchrius aptiusque D dici queat, quam ut sponsum arbori mali comparet? Hujusmodi enim pomum odorem gratum habet, ut cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Et Christus affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati gravem detersit fetorem, et unguentum potus vitalis effudit.

12. *Tamquam malum*, inquit, *in lignis silvæ*, *ita consobrinus meus in medio filiorum;* eo quod super A prophetas et apostolos, intima corda hominum, verborum suavitate mulcebat. Sed non solum odor, verum etiam cibus suavis in malo est: ergo cibus suavis est Christus.

13. *In umbra ejus concupivi*, *et sedi;* legem enim acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat viam: in lege itaque requiescens, in umbra Christi requiescebat. Bona umbra, quæ nos ab iniquitatis sole defendit! Cui autem dubium quod lex Dei umbra sit Christi? Quid est lex diei festi, neomeniæ, sabbatorum, nisi umbra futurorum? Qui dies secundum legem Moysi: Ut videam sex dies, et iterum septimum diem, et sic perpetua sæcula? Quis mensis secundum legem Moysi, ut sciens mensem, sciam primam mensis neomeniam, et vere sancta in neomeniis offerenda? Quis secundum legem Moysi annus, sex illis diebus constans de quibus ait: *Sex annis serviet Hebræus*, *et septimo anno liberabitur* (*Deut.* xv, 12); ut inveniantur sex anni quibus aliquis operatur terram, septimo autem anno remittit illam proselytis, et pauperibus, et bestiis terræ? Quis septimus annus, quo concedantur omnia debita Hebræis?

14. In hac umbra requiescebat Patrum fides, prophetarum sancta devotio. Dic ergo congregatio religiosa vel sancta anima: *In umbra ejus concupivi*, *et sedi.* Umbra est jubilæus annus: quis enim ejus mystica videt, ut facie ad faciem cognoscat quæ anno quingentesimo complenda Lege præscripta sunt? Umbra sunt dies festi secundum Legem a primo mense decima die mensis, usque ad quartam decimam, et inde usque ad vigesimam primam mensis. Quæ umbra est celebritas illa inter primum et septimum mensem in tempore illo anonymo? Umbra est sanctificata libertas in sabbato. Umbra est dies festus septimi mensis neomeniæ, et memoriale tubarum, septimi mensis dies decimus, dies propitiationis. Vides quia monas et decas, duo festi dies. Item quintus decimus dies, dies Tabernaculorum per octo dies: in umbra hæc omnia. In umbra prima dies vocata, et octava dies vocata in umbra, quæ scenopægiis præscripta secundum Legem.

15. Constitue mihi aliquos ex circumcisione credentes, in Lege doctos, observantiæ sollicitæ viros, et nunc Evangelii agnitione illuminatos, spiritali saginatos gratia, dicit in his Ecclesia quæ videt Christum, quæ sponsum recipit, quæ cibo ejus pascitur: *In umbra ejus concupivi*, *et sedi*, *et fructus ejus dulcis in faucibus meis.* Quis fructus ejus dulcis, nisi prædicatio Dominicæ passionis? ut ipse ait: *Ecce hæreditas Domini*, *filii merces fructus ventris* (*Psal.* CXXVI, 3). Quis enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quam remissio peccatorum?

16. [b] *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Est spirituale manna, hoc est, pluvia spiritalis sapientiæ, quæ ingeniosis et quærentibus de cœlo infunditur,

[a] In psal. CXVIII serm. 5, num. 7 et seq.

[b] Epistola ad Irenæum, in cap. XVI Exodi.

Digitized by Google

et irrorat montes piorum, et obdulcat fauces eorum : A qui igitur intellexerit infusionem divinæ sapientiæ, delectatur nec alium cibum quærit, nec in solo pane vivit, sed in omni verbo Dei. Qui curiosior fuerit, quærit quid sit illud quod melle dulcius sit; respondet illi minister Dei : Hic est panis quem dedit vobis Dominus manducare. Quid sit iste panis, audi : *Verbum*, inquit, *quod ordinavit Deus*. **1562** Hæc ergo ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam sapientis, et illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, et mulcens tamquam favo quodam, ita diversarum virtutum suavitate, et sermone sapientiæ. *Favi enim mellis sermones sunt boni*, sicut scriptum est in Proverbiis. Ergo ubi gustavit fructum suavitatis, impatiens ad perfectiora festinat, dicens :

17. (Vers. 4-7.) [a] *Introducite me in domum vini*, B *constituite in me dilectionem, confirmate me in unguentis, stipate me in malis; quia vulneratæ dilectionis ego sum. Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me. Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri, si suscitaveritis et resuscitaveritis dilectionem, usquequo voluerit.* Merito quærit eum, merito desiderat; quia bene omnia in hoc cursu atque itinere disposuit imperator noster. Primum omnium fidei fundamento tabernaculum hoc confirmandum putavit. Deinde si qua est nobis aspera atque arida et prærupta mansio, Imperator tamen iste turbata discernit, arida irrigat, deserta fecundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster et amara temperat, et sollicita mitigat; dura dissolvit et invalida confirmat. C

18. Sicubi vult requiescere rex terræ exercitum suum, non ignobilem vicum non commeatibus indigentem, non arenosa et nuda gignentium : sed urbem ædificiis nobilem, refectam et uberem copiarum, aut agrum amœnum, aut virentem pascuis, aut nemorosa et campestria stativis opportuna decernit. Ergo si reges terræ norunt commoda providere sequentibus se, quanto magis Deus qui bonus est, novit quemadmodum profutura disponat diligentibus se? Ac primum si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui præcurrant agmini, sed hoc imperatores isti injuriosum sibi arbitrantur : Deus autem præibat, cum Hebræi facerent iter, denique in columna nubis loquebatur ad eos. Et ut scias quia præibat, *Deus*, inquit, *præibat illos : interdiu* D *quidem in columna nubis ostendens illis viam; noctu autem in columna ignis, et non deficiebat columna nubis interdiu* (*Exod.* XIII, 21 *et* 22). Hanc præcedentem nobis columnam sequens Ecclesia, non deficientem ne ipsa deficeret, umbra ejus refrigerabatur; et ideo dicit : *In umbra ejus concupivi, et sedi, et dulcis ejus fructus in faucibus meis* (*Sup.*, v. 3); quia a Domino pascebatur, et deducta in locum pascuorum et aquam refectionis.

19. *Introducite me in domum vini*. De copiis præparatis, quærit progredi ad aliam mansionem in qua mysteriorum gratiam et lætitiæ capiat suavitatem. Hinc quoque promovens verum iter, ait : *Ordinate in me dilectionem*. Bona stativa, ubi plenitudo est charitatis. [b] Charitas non potest esse sine fide; tres enim velut vades sunt Ecclesiæ, spes, fides, charitas, cum spes præcesserit, fides fundata fuerit, ordinatur charitas, Ecclesia copulatur.

20. [c] *Confirmate me*, inquit, *in unguentis, stipate me in malis*. Habes alias mansiones, ad quas Ecclesia eum delectatione succedit. Istæ mansiones sunt crucis Christi et sepulturæ, in quibus vulnerata est Ecclesia, sed vulnere charitatis; vulnus enim est quod Christus excepit, sed unguentum est quod effudit. Pomum est quod pependit, hoc pomum gustavit Ecclesia, et ait : *Et fructus ejus dulcis in faucibus meis*. Et ut scias quia pomum est Dominus, legisti supra : *Tamquam malum in lignis silvæ, ita consobrinus meus*. Nos quoque vulnus fatemur, cum prædicamus Christum crucifixum, sed bonus odor sumus Deo; quia crux Christi Judæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei atque sapientia est. Hoc vulnere Ecclesia vulneratur, cum Salvatoris sui prædicat mortem, sed hoc vulnus est charitatis. Denique qui non credit, negat : qui diligit, confitetur. Manichæus negat, Christianus fatetur; et ideo scriptum est : *Utiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (*Prov.* XXVII, 6). Pulchre ergo dicit Ecclesia : *Quia vulnerata charitatis ego sum*.

21. Nudemus membra nostra bono vulneri, nudemus sagittæ electæ : sagitta hæc Christus est qui dicit : *Posuit me sicut sagittam electam* (*Esai.* XLIX, 2); bonum est ergo hac vulnerari sagitta, non mediocris mansionis iste processus, non omnes possunt dicere, quia vulnerati sunt dilectione. **1563** Dicebant apostoli, cum pro Christo lapidarentur et Christum prædicarent : dicebat Paulus cum ter virgis cæderetur, et die ac nocte Christum adorandum gentibus disputaret : dicunt hoc martyres, qui vulnerantur pro Christo; et quia vulnerari pro ejus meruerunt nomine, plus diligunt. Ad hanc ergo veniens mansionem Ecclesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios suos offerat, ut excipiat vulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiens, pietatis fructus gustavit ipsa, et hortari cæteros cœpit, dicens : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*. Et addidit Ecclesia dicere :

22. [d] *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me*. Et istæ mansiones sunt via regali incedentis Ecclesiæ; *Multæ enim sunt mansiones apud Patrem meum* (*Joan.* XIV, 2). Testificatur Dominus Jesus : *Et ecce venio, et accerso vos* (*Ibid.*). Bona mansio sapientiæ, et sive in læva ejus, sive in dextera, bona mansio; quia via regalis est. Ideoque

[a] In psal. CXVIII serm. 5, num. 13 et seq.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 9, num. 55.
[c] In psal. CXVIII serm. 5, num. 16.
[d] In psal. CXVIII serm. 5, num. 19.

Digitized by Google

sapientes nuntii dicunt : *Via regali ibimus, non divertemus in dextera, neque in sinistra, quoadusque transeamus terminos tuos* (*Num.* xx, 17). Hoc dixerunt missi a Moyse nuntii ad regem Edom, hoc est terrenum; quia terrena omnia sive in dextera, sive in sinistra, mala sunt. Mala mansio insipientia, mala mansio intemperantia; et ideo pertransit has mansiones Hebræus : non divertit ad eas, sed pertransit; ut perveniat ad sinistram sapientiæ et dexteram, et in ipsis maneat, ubi divitiæ simplicitatis, ubi gloria, ubi longitudo vitæ est. *Longitudo* enim *vitæ in dextera ejus*, ut ait Salomon : *In sinistra autem ejus divitiæ et gloria* (*Prov.* III, 16) : in dextera vita est, in sinistra requies. Utinam super sinistram ejus requiescam, nec quæram cervicalia! *Væ* enim *his qui assuunt cervicalia*, Ezechiel dicit (*Ezech.* XIII, 18). Has mansiones præparat Ecclesiæ suæ bonus ductor, et per vias sapientiæ dirigit iter ejus. Denique laudat sapiens vias ejus : *Viæ ejus viæ bonæ, et omnes semitæ ejus in pace* (*Prov.* III, 17).

23. [a] *Læva ejus sub caput meum, et dextera illius complectetur me.* Hæc loquitur sponsa de Christo, anima de Verbo Dei : Christus autem idem est Verbum Dei atque sapientia. Beata ergo anima quam complectitur sapientia. Magna est sapientiæ manus, magna dextera, totam complectitur animam; tota enim munita est, quæ desponsata Verbo Dei est. Plenitudo enim sapientiæ, timere Deum : quæ ergo Deum timet anima, pleno se munit ipsa præsidio. Mittit sapientia lævam suam sub collum ejus, dexteram autem in complexum ejus. Utrumque quidem brachium ejus ad utilia extenditur; habent tamen propria sua singulæ manus sapientiæ : *In dextera longitudo vitæ* est, *in sinistra autem divitiæ et gloria.* Bonis utique manus utroque dotata est dotibus; in eo tamen habent varietatem sui muneris, quod et præsentia et futura tempora comprehendunt; ut læva præsentium remuneratrix, dextera futurorum sit.

24. Possumus hoc etiam de prophetia sancti patriarchæ Israel cognoscere, nam cum dexteram suam posuisset super Ephræm, sinistram autem super Manassen, et convertere eas Joseph ætatis consideratione voluisset; ut dexteram patris super caput Manasse senioris filii collocaret, noluit, et dixit : *Scio, fili, et hic erit in populum, et hic exaltabitur, sed frater junior major erit illo* (*Genes.* XLVIII, 19). In quo major ? in eo utique quia benedictione prælatus est, dicentibus posteris Ephræm : *Faciat vos Deus sicut fecit Ephræm et Manassen* (*Ibid.*, 20) : vel quia semen ejus multitudo gentium, quæ in hoc sæculo laborem elegit, credens in Dominum Jesum, ut consolationem habeat futurorum. Manasse autem semen est populus oblivionis, qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in hoc sæculo est, daturus in reliquum pœnas graves; quia Deum suum et Dominum denegavit.

25. Hoc eo diximus, ut probaremus ea esse potiora quæ futura sunt. Denique læva sapientiæ sub sponsæ capite est, dextera autem superior, quæ totam complectitur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis præsentis, quo anima innixa requiescit. Habet ubi reclinet caput suum, quia læva sapientiæ divitiæ sunt et gloria. Per id tempus hæc mulcent, et ex parte solatio sunt, et ideo; *Filius hominis non habebat ubi caput* 1564 *suum reclinaret* (*Matth.* VIII, 20); *quia cum dives esset, pauper factus est* (II *Cor.* VIII, 9). Nec gloriam aliquam istius sæculi requirebat; quia venerat non ut in portione, sed ut universo humano generi subveniret, dicens : *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato* (*Joan.* VII, 23); hoc est totum, non ut facultatum collatione ditaret, non ut honorum insignibus, non ut gloriæ sæcularis cumularet augmento; hæc enim non habent beatitudinis et gratiæ plenitudinem : sed totum, hoc est, quod longitudinem vitæ complecteretur æternæ. Neque enim communis vitæ similis vita in dextera est sapientiæ, sed longitudo vitæ est, ut qui accipit vitam a sapientia, non exiguitatem vitæ, sed perpetuitatem et æternitatis longitudinem adipiscatur.

26. Bonus amictus æternitas vitæ. [b] Itaque sponsa malorum granatorum, hoc est, diversorum et innumerabilium fructuum, et præcipue fidei odoribus, gratiæ, sapientiæ et gloriæ, vitæque æternæ subnixa divitiis quæ sunt circa sinistram et dexteram sponsi, per animas sanctas laudantium congregationum plausibus excitat Christum, dicens :

27. [c] *Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, in virtutibus et fortitudinibus agri, si suscitaveritis, et resuscitaveritis dilectionem usquequo voluerit.* Ager ille quem benedixit Dominus, non iste terrenus aut horridus silvis, aut confragosus torrentibus, aut inutilis vitibus, aut infecunda glarea saxosus, aut hiulcus, et aridus siccitate, aut sanguine madidus, aut sentibus incultus et spinis, sed ille ager de quo Dominus ait : *Et species agri mecum est* (*Psalm.* XLIX, 19). In hoc agro uva illa reperitur quæ expressa sanguinem fudit, et mundum diluit : in hoc agro est ficus illa sub qua sancti requiescent, spiritalis gratiæ suavitate recreati : in hoc agro est oliva illa fructifera, dominicæ fluens pacis unguentum : in hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus uno fidei munimine tegunt, et quodam fovent charitatis amplexu.

28. [d] Quia igitur sapientia et honesta claritas ita perfecta sunt, si habeant charitatem (plenitudo enim legis (*Rom.* XIII, 10) est charitas) suscitari et resuscitari vult charitatem, suscitari in veteri Testamento, resuscitari in novo. Charitas Deus est, ut legimus, charitas Christus est (I *Joan.* IV, 8). Suscitatur *tamquam leo, et catulus leonis; ut Judas ascendat ex germine* (*Gen.* XLIX, 9) : resuscitatur ut

[a] In psal. CXVIII serm. 14, num. 31 et seq.
[b] In psal. CXVIII serm. 19, num. 26.
[c] Lib. II de Jacob et vita beata, cap. 4, num. 3.
[d] In psal. CXVIII serm. 5, num. 20.

Digitized by Google

dormiens, ut recumbens; quia non humana, sed sua et Patris majestate suscitatus est a mortuis. Unde ait Scriptura : *Quis suscitabit illum?* Non enim poterat illum aut angelus aut Potestas suscitare aliena, cum ipse alios suscitaret. Ergo cum hic dicit : *Si suscitaveritis et resuscitaveritis dilectionem, usquequo voluerit;* de iis dicit, qui resurrectionem ejus congrue possunt prædicare, ut audientibus ardorem fidei et devotionis accendant : vel suscitatur Christus in his qui primum accedunt, resuscitatur in his qui postquam accesserint, dormierunt. Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis.

29. [a] Hanc itaque charitatem suscitat et resuscitat, donec vocem ejus accipiat, et præsentiam ejus accersat : quia quæsitus non solum venit, sed etiam saliens venit. Sed jam sponsus aderat, ut probaret illud quod adhuc loquentibus nobis dicit : *Adsum.* [b] Adest, quia suscitatus a filiabus Judææ, quasi resuscitatus a filiabus Hierusalem. Audit Ecclesia sonum vocis ejus et dicit :

30. (Vers. 8.) *Vox consobrini mei, ecce hic advenit saliens super montes, transiliens super colles.* Manipularis est hic liber multas habens personas nobiles, velut manipulus triumphalis, multosque actus significans, quos intelligere magis quam expressos tenere possumus. Nam quasi advenientem sponsum audierit cum aliquibus pariter viantibus colloquentem, dicit sponsa : *Vox consobrini mei.* Dum loquitur cum filiabus Hierusalem, et rogat ut excitent, et resuscitent sponsum; subito tamquam de longinquo missæ vocis sonum sentiens, dicit : *Vox consobrini mei*, annuntians quem nuntiari sibi ante quærebat. Quem cupiebat ab aliis suscitari, sua prece resuscitatum, a Patre venire jam credens, læta dicit : *Vox consobrini mei.* Bene addidit, *consobrini mei;* ut non aliæ, sed consobrina sola sibi ejus vindicaret adventum.

**1565** 31. *Ecce*, inquit, *iste advenit*, adhuc ego eum quæro, et ille jam venit : adhuc ego suffragia capto ut veniat, et ille jam proximus est : ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitatis puto, et ad me plus ipsa charitas festinat : ego dixi, veni; salit ille et transilit : ego rogo eum venire cum gratia, iste gratiarum operatur augmenta; et dum venit, incrementa gratiæ secum vehit, et veniendo acquirit, quia studet etiam ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, ut ascendat ad sponsam; sponsæ enim thalamus tribunal est Christi. Salit super Adam, transilit super Synagogam; salit super Gentes, transilit super Judæos.

32. Videamus salientem Salit de cœlo in Virginem, de utero in præsepe, de Jordane in crucem, de cruce in tumulum, in cœlum de sepulcro. Proba mihi David salientem, proba currentem; tu enim dixisti : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus; et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 6 *et* 7). Et nunc salit, et nunc currit, de corde Patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentem, de Septentrione super Meridiem. Iste est qui ascendit super Occasum, ipse super cœlos cœlorum ad Orientem, ipse ascendit super montes, ipse super colles.

33. Utinam ego miser dicam, dicat anima mea : *Ecce iste advenit*, et advenit non super terrena, non super valles, sed advenit : *Saliens super montes*; Deus enim Deus montium est, non vallium : ubi ergo salit, super montes salit. Si sis mons, salit super te, salit super Isaiam, salit super Hieremiam, salit super Petrum, Joannem, Jacobum. *Montes in circuitu ejus* (*Psalm.* CXXIV, 2) : si non potes esse mons et non prævales, esto vel collis, ut super te Christus ascendat : et si transilit, ut te transitus ejus custodiat.

34. Diximus de Christo et Ecclesia, dicamus de anima et Verbo. Anima justi sponsa est Verbi, hæc si desideret, si cupiat, si oret et oret assidue, et oret sine ulla disceptatione, et tota intendat in Verbum : subito vocem sibi videtur ejus audire quem non videt, et in timore sensus odorem divinitatis ejus agnoscit, quod patiuntur plerumque qui bene credunt. Replentur subito nares animæ spiritali gratia, et sentit sibi præsentiæ ejus flatum aspirare quem quærit, et dicit : Ecce iste ipse est quem requiro, ipse quem desidero.

35. Nonne cum aliquid de Scripturis cogitamus, et explanationem ejus invenire non possumus; dum dubitamus, dum quærimus, subito nobis quasi super montes, id est, altissima dogmata videtur, ascendere. Deinde quasi super colles apparens nobis, illuminat mentem, ut infundat sensibus, quod invenire posse difficile videbatur : ergo quasi ex absente fit præsens Verbum in cordibus nostris. Et rursus cum aliquid nobis subobscurum est, tamquam subducitur Verbum, et tamquam absentis adventum desideramus; et iterum apparet, ostendit se nobis tamquam præsens sit nobis in iis quæ requirimus cognoscendis.

36. Salit ergo in uniuscujusque corde frequenter, transilit et exit et revertitur : si sequaris, si requiras, si tibi fidelium grata disputatione doctorum Verbum quod exierat atque transierat, postules resuscitari. Sicut illa quæ quæsivit et invenit, quæ dixit : *Frater meus transivit, anima mea exivit in verbo ejus* (*Cant.* V, 6). Ergo etsi super montes salit, sequere : etsi super colles, sequere. Reperiuntur enim in montibus et in collibus venatores Domini, qui investigant eos qui capiuntur ad vitam; sic enim dixit per Hieremiam Deus : *Ecce mitto multos piscatores et multos venatores, et venabuntur eos super omnem montem et super omnem collem* (*Jerem.* XVI, 16). Ibi ergo populus Dei quæratur et inveniatur in Petri et in Pauli doctrina, gratia, disciplina; ut non in convalle sint, ubi fletus, sed in montibus a quibus unumquemque Christus illuminat, et cum Petrum legimus, Christus illuminat : et cum Paulum legimus, Christus illuminat. Curavit Paulus, Christus illuminavit; quoniam invocato Domini Jesu nomine, resurrexit, cujus sa-

[a] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 31.

[b] In psal. CXVIII serm. 6, num. 5-13.

Digitized by Google

**natus est munere.** Suscitavit mortuam Petrus, A Christus **illuminavit**; et ideo ait: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5).

37. **Nos igitur** qui montes esse non possumus, **stemus** **1566** in montibus vel in collibus; ut cum **miserit piscatores** suos Dominus et venatores, **ut venentur eos** qui supra omnem montem sunt, **vel super omnem** collem, id est, in legis et pro**phetarum præceptis**; et novi et veteris Testa**menti cognitione** omnem habentes conversationem, **inveniant nos** paratos, et velut bonas colligant spi**cas, opportuno** missi messores tempore; quia si quis **extra montem** aut collem fuerit repertus, colligi **velut bona** spica non poterit ab his, qui ut compa**rationis faciamus** alterius mentionem, triticum a pa**leis separare** mittentur. Plurimarum igitur opera- B **tionum solertes** ministros Dominus habet, iidem **piscatores**, iidem etiam venatores sunt, atque mes**sores. Si in** tempore messis quo diriguntur isti me**tere, maturus** exspectes, salientem in montibus po**teris intueri**, et videbis Dominum Jesum similem ca**preolo aut** hinnulo cervorum super montes Bethel. **Salit enim** super Ecclesiam quæ est domus panis, **eo quod** fidelium corda confirmet; unde et sponsa **de eo dicit**:

38. (Vers. 9.) *Similis est consobrinus meus capreæ aut hinnulo cervorum, super montes Bethel*; salit enim super Ecclesiam, quæ est domus Dei, eo quod fidelium corda confirmet. Merito sicut capreola, quia capra in altis pascitur. Dorcas dicitur a videndo, dorcadion enim visus acutioris est. Quid hoc C aptius Christo, qui Patrem vidit quem nemo vidit: aut si quis vidit in Christo, ipse filius revelavit? Merito *sicut hinnulus cervorum*, hinnulus quasi filius, cui paternæ inoleverit vis naturæ; ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant, venena non lædant. Denique eductus de latibulis suis serpens qui educebatur ex homine, dicebat: *Quid venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29). Spectemus ergo salientem hunc hinniculum, ut non possimus timere serpentem.

39. [a] *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per retia.* Venit ergo et primo post parietem est, ut inimicitias animæ et corporis solvat, sublato pariete qui impedimentum concordiæ videbatur afferre. Deinde prospicit per D fenestras: quæ sint fenestræ, audi Prophetam dicentem: *Fenestræ apertæ sunt e cœlo* (*Esai.* XXIV, 18). Prophetas itaque significat, per quos Dominus genus respexit humanum, priusquam in terras ipse descenderet. Et hodie si qua eum anima multum requirat, multum merebitur misericordiæ; quoniam qui multum requirit, multum debetur ei. Si qua ergo anima eum studiosius quærat, longe audit vocem ejus: et quamvis ab aliis requirat, præ ipsis a quibus quærit, audit vocem ejus. Videt eum salientem ad se venire, id est, properantem atque currentem et transilientem eos, qui infirmo corde virtutem ejus capere non possunt: deinde prospicientem per ænigmata prophetarum, legendo eos, et tenendo eorum sermones; videt enim prospicientem, sed quasi per fenestram, non quasi adhuc præsentem. Videt eminentem super retia. Quid est hoc? Nisi forte quia illa retia nobis sunt, non illi retia sunt, eo quod illa anima adhuc intra sensibilia et mundana sit, quæ mentem hominis capere et quodam sinu proprio consueverunt involvere.

40. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per retia.* [b] Viderat enim Ecclesia vel anima justi salientem sicut hinniculum super montes, et repente primum aspiciens post parietem domus suæ, prospicientem per fenestras, eminentem per retia, exsultat et gaudet, quia etiam ipsa amatur a Sponso. Qui tamquam et ipse vulneratur charitatis decore, dilectæ cum primum abesset, ad oscula rogatus adfuerit (rogatur enim cum dicitur (*Cant.* I, 1): *Osculetur me ab osculis oris sui*), deinde preces blanditiasque sponsæ non spreverit, dilecta sibi ubera præbentis; atque in interiora domus eam benignus induxerit: deinde tamquam lascivienti ludens amore, quia vellet pertentare sensus amantis, sæpe egressus ut quæreretur a Sponsa, sæpe regressus ut invitaretur ad oscula, astiterit post parietem, prospexerit per fenestras, eminens super retia; ut non totus abesset, nec quasi totus intraret, et ipse ad se sponsam vocaret; ut veniendi ad se invicem fierent gratiora commercia, amoremque mutuis adolerent sermonibus.

**1567** 41. (Vers. 10.) *Exsurge*, inquit, *veni, proxima mea, formosa mea, columba mea*; et tu si habeas fundatum parietem, non illum medium qui domus unius separet membra, sed ædificatum supra fundamentum apostolorum et prophetarum, ut compaginata ejus structura crescat in templum, nec disterminet ejus interna, sed muniat. Si habeas ergo in te ædificationem Dei, et ad Orientem pateant semper fenestræ tuæ, venit Verbum, *Stat post parietem tuum* (*Cant.* II, 9); *oculi enim Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16); *prospicit per fenestras tuas* (*Cant.* II, 9).

42. Quæ sunt fenestræ istæ? Legimus fenestras de quibus dicit Hieremias: *Intravit mors per fenestras* (*Jerem.* IX, 21), per quas intravit avaritia, intravit libido. Oculus tuus fenestra est. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, intravit mors per oculum tuum: si videris possessionem viduæ, vel thesauros minoris, et tuas excitaveris cupiditates, *Intravit mors per fenestram.* Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat et vita: si decorem puellæ aspiciens sacræ, venereris Dominum Jesum, quod in teneros annos venerit ætas senectutis, vita immaculata, et ipse filiam tuam offeras; ut pio consecretur velamine: si possessionem minoris non tamquam sollicitus invasor aspicias, sed quasi parens sedulus religioso tuearis

[a] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 32, 33.

[b] In psal. CXVIII serm. 6, num. 18-26.

affectu : per has fenestras prospicit Christus, ut vocet sponsam.

43. *Eminens super retia :* bene *eminens* ; quia solus est quem retia non involverint peccatorum. Omnes intra retia eramus, immo adhuc intra retia sumus ; quia nemo sine peccato nisi solus Jesus, quem non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater, etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus : mittens eum non in peccato in quo erant omnes homines, sed in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro, secundum illud quia hæreditario erat damnata maledicto, peccatum erat illecebra et ministra peccati. Venit Dominus Jesus, et in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit : facta sunt membra nostra jam non arma libidinis, sed arma virtutis ; namque ubi erant incentiva libidinis, ibi nunc sunt domicilia castitatis. Hic ergo venit ad laqueos, sed voluntarius : venit ad retia, sed securus. Plena erant omnia retibus, referta laqueis, audi dicentem : *In via hac quam ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi* (*Psal.* CXLI, 4). Et in libro sapientiæ Sirach moneris ut cognoscas quia in medio laqueorum ambulas (*Eccli.* IX, 20). Quot vitia, tot retia : quot peccata, tot laquei.

44. Hæreditarii jam te nexus tenebant, venit ad laqueos Jesus, ut Adam solveret : venit liberare quod perierat. Omnes retibus tenebamur, nullus alium eruere poterat, cum se ipsum non posset eruere. Talis ergo necessarius fuit, quem vincula generationis humanæ delictis obnoxia non tenerent, non cepisset avaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Jesus, qui cum hujus carnis se circumdedisset vinculis, captus non erat, non erat alligatus : sed dirumpens ea atque dissolvens, ad se magis vocavit Ecclesiam, *Prospiciens per laqueos, eminens super retia ;* ut et ipsa disceret vinculis non teneri. Denique eo usque non longe a vinculis fuit, ut pro nobis subiret et mortem, sed tamen non servus mortis effectus, sed liber inter mortuos ; liber enim erat qui solvendæ mortis potestatem habebat. Denique ipse te doceat qui ait : *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Audiamus itaque quid dicat :

45. (Vers. 11-13.) *Exsurge, veni proxima mea ;* hoc est, surge a mortuis, exsurge a vinculis, quibus circumdata tenebaris. Exsurge, quia ego resurrexi tibi : solve vincula iniquitatis, quia ego jam solvi tibi : veni, quia jam retia soluta sunt, Virgo peperit, puer natus ex virgine est, nihil debet muliebri hæreditati, quasi filius mulieris non tenetur : cerne medium parietem maceriæ jam solutum, qui interiorum affectuum concordiam dividebat, et in diversum excitabat dissensiones corporalium passionum. Veni ergo secura, cupio videre faciem tuam, et audire vocem tuam : veni, ut jam me per retia non videas, sed facie ad faciem vultibus amatoris dilecta potiaris.

46. Et hic ista ethice decursa sint. Mystica autem illa si possimus, vel linea intueamur extrema. Sedebat intra domum Sponsa devota Domino, intra parietem Legis et **1568** prophetarum, spiritalium lapidum exædificatione fundatum, qui claudebat atque vallabat domum regiam, plenam jucunditatis atque lætitiæ. Mirabatur thesauros regios, et intuebatur sollicite, cupiens sapientiam quæ has sibi divitias demonstraret, adsciscere. In secreto erat, sed secreti ipsius interpretem requirebat. Venit Dominus Jesus saliens super montes. Nobis sero videbatur venire, sed ille properabat. Saliebat denique et transiliebat, ut Judæorum corporalia et saxosa dogmata transiliret. Astitit post parietem domus quæ erat in veteri Testamento, prospiciens per Legis fenestram, et prophetarum cavernas.

47. Nondum erant domus illius aperta vestibula, nondum claves sapientiæ portarum claustra patefecerant, quibus Legis claudebantur interna ; de superiore tamen, hoc est, spiritali parte prospectans Ecclesiam vocat, ut per Legem et prophetas, Evangelii vertice sublimis assurgens, retia Judaicæ interpretationis, et nodos intrepido calcet vestigio. Ideoque *Proxima* vocatur, ut adhæreat Christo, mundana non quærat : ideo *Formosa*, ut speciosos evangelizantium pedes perferat : ideo *Columba*, ut spiritalia petat, terrestria derelinquat.

48. *Ecce*, inquit, *hiems præteriit, imber abiit, discessit sibi, flores visi sunt in terra, tempus secandi advenit*. Ante adventum Christi hiems erat : venit Christus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum : passus est Christus, et omnia cœperunt novæ gratiæ fecundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, et nubila terris orta flagitiis æstiva jam puræ conscientiæ serenitate laxantur. Ideo non evadunt quorum fuga in hieme fit ; quia non sequuntur Domini passionem, non tollunt crucem suam, et Christum sequuntur.

49. Imber impedit flores : at nunc flores videntur in terra. Boni flores apostoli, qui diversorum scriptorum suorum atque operum fuderunt odorem. *Tempus secandi advenit*, quando matura in horreis frumenta conduntur ; et qui metit, mercedem accipit. *Vox turturis audita est*, quia invenit sibi nidum ; Ecclesia enim domus est castitatis. *Ficus* quæ propter infecunditatem jubebatur excidi, *fructus ferre jam cœpit*. Vinea translata ex Ægypto, jam non maceriis destructa depositis, incursatur a bestiis ; nec informis sentibus, sed odora jam floribus.

50. [a] *Exsurge*, inquit, *veni, proxima mea, formosa mea, columba mea, perfecta mea ; proxima* utique fidei desiderio, *formosa* decore virtutis, *columba* gratia spirituali ; *pennæ enim columbæ deargentatæ* æternam illam significant potestatem, et columbæ volatus Spiritus sancti præsentiam declaravit. Vocat igitur ad se eam Christus ut veniat, quoniam spiritualibus jam pretiis dotata veniebat. *Quia ecce*, inquit, *hiems præteriit, imber abiit, disces-*

[a] Ex Apologia David postrema, cap. 8, num. 43, 44.

Digitized by Google

*sit sibi, flores visi sunt in terra.* Videte quemadmo- A dum sancta invitetur Ecclesia. *Hiems*, inquit, *discessit sibi*, ne hiemem nuda formidet, hiemem non temporis, sed infirmitatis, quæ agrum animæ fecundum omni flore dispoliat. Est enim hiems non terreni solis, est hiems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi vanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat, et mentem gravat, quando interior caligat aspectus. Et ideo ait Dominus: *Videte ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato* (*Matth.* xxiv, 20); bonum enim ut tunc dies judicii vel mortis adveniat, cum viget animi blanda temperies, cum cœleste mysterium serena luce resplendet, cum cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testatur in Evangelio Ammaon et Cleophas dicentes: *Nonne* B *cor nostrum ardens erat in nobis in via, cum aperuisset in nobis Scripturas* (*Luc.* xxiv, 32). Viget autem animus, quando etiam flos videtur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit: *Ego flos campi et lilium convallium* (*Supra, vers.* 1): de quo et in Esaia scriptum est: *Exiet virga de radice Jesse, et virga ex radice ascendet, et flos ex virga exiet* (*Esai.* xi, 1). Radix utique familia Judæorum est, virga Maria, flos Mariæ Christus: qui quando nostra resplendet in terra, et in agro animæ redolet, vel in Ecclesia sua vernat, nec frigus possumus timere, nec pluviam vereri, sed exspectare judicii diem. Et ideo Ecclesia ut hunc florem videret, omni studio festinabat, sicut ipsa in posterioribus **1569** testatur dicens: *In cubili noctibus quæsivi quem di-* C *ligit anima mea* (*Cant.* iii, 1).

50. [a] *Ficus protulit grossos suos.* Apta Synagogæ arboris istius comparatio est, quia sicut arbor ista foliis redundans fluentibus, spem possessoris sui cassa speratorum proventuum exspectatione destituit: ita etiam in Synagoga, dum doctores ejus operibus infecundi, verbis tantum velut foliis redundantibus gloriantur, inanis umbra Legis exsuperat; spes autem falsi exspectata proventus, populi vota credentis illudit.

51. Est etiam in natura arboris quo magis credas Synagogæ speciem comparatione hujus expressam. Etenim si diligenter inquiras, discretam ab usu arborum cæterarum consuetudinem naturæ hujus invenies; namque aliæ florem ferunt antequam fruc- D tum, pomaque ventura prænuntio sui flore designant: hæc sola ab initio poma germinat pro floribus: in aliis flos decutitur et poma nascuntur; in hac poma decidunt, ut poma succedant. Ergo priora illa cassa fructuum, vice floris emergunt: ita præcoci quodam nascendi usu, quæ ordinem naturæ nesciunt, beneficium naturæ servare non possunt. Etenim qua se medio trudere de cortice gemma consuevit, ea minutissima quæque hujus generis poma prorumpunt: de quibus legimus in Canticis canticorum: *Ficus protulit grossos suos.* Itaque cæteris albentibus primo vere virgultis, sola ficus proprio nescit flore canescere; eo forte quod nullus sit istis maturior usus in pomis. Namque succedentibus aliis quæ quasi degenerantia despuuntur, et arenti infirma radice, renovatis quibus sit succus utilior, exuuntur. Manent tamen aliqua perrara, nec decidunt, quibus hic proventus arriserit, ut de medio duarum virgarum claviculo brevi erumpente promergant, quo geminis tecta præsidiis, tamquam naturæ parentis gremio, succi fotu plenioris inolescant. Ea clementioris auræ provocata temperie: et prolixioribus adulta temporibus, ubi silvestrem animum succi prioris exuerint, specie cæteris et maturitatis gratia præferuntur.

52. Specta nunc cultus et animos Judæorum, qui quasi primi fructus male feracis Synagogæ, quasi labentis similitudine corruerunt, ut mansura supra ævum nostri generis poma succederent. Etenim primus Synagogæ populus, quasi radice operum infirmus arenti, ubertatem sapientiæ naturalis haurire non potuit. Et ideo velut inutilis decidit fructus, ut quasi ex iisdem claviculis arboris fructuosæ, de pinguedine religionis antiquæ novus Ecclesiæ populus emergeret. Ergo ille qui erat, esse desivit, ut iste inciperet qui non erat: primi tamen ex Israel, quos naturæ validioris ramus extulerat, sub umbra Legis et crucis, in utriusque sinu succo gemino colorati, grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum cæteris præstiterunt, quibus dicitur: *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* xix, 28).

53. [b] *Vineæ florentes dederunt odorem suum* (*Sup.*, *v.* 5). Bene per vineam Ecclesia designatur; ut enim vitis maritatur arboribus, ita corpus animæ, anima quoque corpori conjungitur: ut vinea dum ligatur, erigitur, et recisa non minuitur, sed augetur; ita plebs sancta dum ligatur, exuitur: dum humiliatur, attollitur: dum reciditur, coronatur. Quin etiam ut tener surculus, veteri abscissus ab arbore, in alterius fetu radicis inseritur: ita populus hic sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in novo illo crucis signo tamquam gremio piæ parentis fotus inolescit: Spiritusque sanctus in hoc carcereum corpus infusus, velut in altas demissus terrarum scrobes, aquæ salutaris irriguo diluit quidquid est fetidum, membrorumque nostrorum habitus in cœlestem erigit disciplinam.

54. Hanc vineam diligens agricola fodere, rigare, contendere consuevit, eruderatisque terrenæ molis aggeribus, opera corporis nostri nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, stipare agrum solitus, ne sentibus gemma lædatur, ne luxuriet umbra foliorum, verborumque infructuosa jactantia virtutibus obumbrando, maturitatem naturalis indolis impediat.

[a] Lib. vii, in Lucam, ad cap. xiii.

[b] Lib. ix in Luc., ad cap. xx.

Digitized by Google

55. (Vers. 14.) [a] *Et veni*, inquit, *columba mea, in tegimento petræ, juxta præmunitionem;* hoc est, veni juxta Evangelium: propugnacula fidei tuæ, gesta sunt Christi: muri tui subsidia, **1570** verba sunt Domini: passio Dominici corporis, tua virtus est.

56. *Ostende mihi faciem tuam, et insinua vocem tuam; quia vox tua suavis est, et facies tua decora.* Suavis est vox tua; *quia ore fit confessio ad salutem:* et decora facies; quia quæ non erubescit auctorem, non confunditur redemptore. Ostendit ergo faciem suam, signaculum crucis præferens: et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens. Integimento enim corporis Christi, quo redemptus est a peccato, munimentum gratiæ spiritalis invenit; ut salutaria sibi et sentiat et loquatur. Suavis ergo vox, quæ in divinis testimoniis loquebatur: *Decora facies*, quæ in conspectu regum non confundebatur.

57. [b] *Exsurge*, inquit, *veni, proxima mea;* id est, exsurge a delectationibus mundi, exsurge a terrenis, et veni ad me, quæ adhuc laboras, et onerata es, quæ sollicita es quæ sunt mundi: veni supra mundum, veni ad me, quia ego vici mundum: veni prope me, jam pulchra æternæ vitæ decore, jam columba, id est, mitis atque mansueta, jam tota plena gratiæ spiritalis. Jure ergo jam retia timere non debet, cum is vocet ad se animam, qui tentamentis et retibus mundi non potuit capi. Nam cum homines in medio laqueorum ambulemus, per appetentiam escæ retibus simul et laqueis obnoxii sumus. Ille in corpore positus retia non timebat, sed eminebat super retia, id est, supra tentamenta mundi et corporis passiones; immo et alios eminere faciebat.

58. Exsurge, veni, proxima mea, noli timere retia, jam præteriit hiems. Venit pascha, venit indulgentia, venit remissio peccatorum, cessavit tentatio, imber abiit, procella abiit et quassatio. Ante adventum Christi hiems erat, post adventum Christi flores sunt, unde ait: *Flores visi sunt in terra.* Ubi ante spinæ, ibi nunc flores; *Tempus*, inquit, *secandi advenit.* Ubi ante desertum, ibi messis est. *Vox turturis audita est in terra nostra:* bene addidit propheta *nostra*, quasi admirans, quod ubi ante impudicitia, ibi castitas. *Ficus protulit grossos suos.* Quæ quasi infructuosa jubebatur abscindi, hæc fructus afferre jam cœpit. Sed quid dubitas, quia grossos dixit? Priores discutit, ut posteriores meliores afferat: sicut Synagogæ fructus abjicitur, renovatur autem Ecclesiæ.

59. Et quamvis plena tranquillitas sit, et adoleverint mysteria, iterum tamen dicit: *Exsurge secura in tegimento petræ*, id est, tuta præsidio passionis meæ et fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra et oleum de firma petra. Hoc integimento animæ piorum indutæ, jam nudæ non sunt, et hæc illis est præmunitio. Ideoque et huic animæ ait: *Et veni, tu columba mea, in tegimento petræ juxta præmunitionem: ostende mihi faciem tuam, et insinua vocem tuam.* Hortatur ad confidentiam, ut non erubescat crucem Christi, nec ejus signaculum. Hortatur ad confessionem, vult omnes insidias dimoveri; ut bonus fidei odor spiret, ut dies fulgeat, ut adversæ noctis umbra non noceat; quoniam qui juxta Christum est, dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12). Est et umbra sæcularium quæ præterit, et dies cœlestium Christus, qui sanctis suis lucet.

60. (Vers. 15.) [c] *Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, ut vineæ nostræ floreant.* Scriptura eum hominem dicit, qui est ad imaginenf et similitudinem Dei: peccantem autem non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem feminis, aut vulpeculam, aut jumentum vocare consuevit. De quorum uno ait Dominus: *Ite, dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32), hoc est, de Herode. Et alibi cum se fraudulenter interrogari adverteret, dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, ubi requiescant* (*Matth.* VIII, 20); eo quod fraudulenter in terrestrium passionum quibusdam latibulis demorentur.

61. Unde etiam Samson binas vulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligavit faces, et dimisit eas per messes Allophylorum (*Judic.* XV): per hanc figuram significans quod improbi ac fraudulenti homines, et maxime hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum: sed exitus impeditos, aut litigiosa principia, finem vero fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque et trecentas vulpes dimisit, eo quod perfidi crucis quidem prædicatione se commendare desiderant: sed mysterium ejus tenere non possunt, qui hac **1571** prædicatione composita, et falsa atque simulata, urere magis fructus conantur alienos: cum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fecundet.

62. Meritoque scriptum est: *Prendite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, ut vineæ nostræ floreant.* Quo ostenditur quod vel Dominus Jesus vel Ecclesia fraudulentorum dolos vineis suis exterminandos esse præcipiat; ne pusillulis vineis noceant, quia adultis jam vitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum.

63. (Vers. 16.) [d] *Frater meus mihi, et ego illi.* Vox ista est virginis; nam immaculatum corpus a virili permixtione servare, et palmam castimoniæ, limoso in corpore usque ad angelorum conversationem, custodia integritatis evehere, utilitas privata, laus est publica. Quam rarus in terris, qui hoc potest dicere, quam alienus a vitiis, quam segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat cum sæculo commune, dicens: *Dilectus meus mihi et ego illi, in medio uberum meorum commorabitur.* [e] Scilicet nihil

[a] In psal. CXVIII serm. 6, num. 33.
[b] Lib. de Isaac, cap. 4, num. 34 et seq.
[c] In psal. CXVIII serm. 11, num. 29.
[d] In psal. CXVIII serm. 16.
[e] In psal. CXVIII serm. 8, num. 3 et seq.

Digitized by Google

mundi hujus sibi vindicet, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effeminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non macerct invidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura sollicitet: verus minister altaris, Deo natus, non sibi; Levi enim, ut habet interpretatio, significat: Ipse mihi assumptus; significat: Et ipse meus; significat et tantum: Assumptus; significat: Et assumptus mihi.

64. Ipse idem, et mihi Levi et Deo est. Quomodo idem et mihi sacerdos et Deo est. Et mihi advocatus et Domini deprecator est: pro me offerens sacrificium, et idem se offerens Domino. Denique et alibi Levi interpretatione dicitur, *Pro me;* etenim si a me nominetur Levi, Levi pro me est: si pro me offerat, pro me est: si pro me interveniat, pro me est: sin B autem vocetur a Domino, ipse mihi dicitur: hoc est, non alii tributarius, non decimarius, non de possessione munificus. Ipse mihi, hoc est, tamquam abundans pro suis omnibus. Non ab hoc decimas quæro, non fructus, non dona, non munera; ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo. Non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus sensus. Assumptus a me, vel assumptus mihi, non potest hoc sine divina esse gratia. Sicut enim possessio non potest mea esse, nisi emero eam: sic non potest esse Levi, nisi fuerit assumptus a Domino, cum enim assumptus fuerit, recte dicitur, ipse meus. Denique cum Moysi dictum esset, ut populo Judæorum per tribus singulas divideret incolatus, et distribueret singulis tribubus portionem: tribum Leviticam excepit Deus dicens filiis Levi: *Non erit ei portio, neque sors in medio fratrum suorum; quia Dominus Deus pars eorum est* (*Deut.* x, 9): et alibi: *Ego Dominus portio eorum* (*Num.* XVIII, 20).

65. Negatur his terrena divisio, ut ipsi dum sæcularem sibi non vindicant portionem, fiant cœlestis possessio: vel hoc solum noverint possidere, hoc est, fidei et devotionis obsequium, multo ditiores quam qui possessionum suarum spatia ampla diffundunt. Quantumlibet enim fines suos extendant, et terra deficit, et mare includit insanas cupiditates, et pendunt tributa majora quam fructus sunt. At vero iste nihil possidens, nulli nisi Deo militat, supra terram ejus est portio, non cum terra deficit, non D mari clauditur. Cujus portio Deus est, totius possessor est naturæ. Pro agris igitur ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui numquam possit perire. Pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Domini, et templum Dei, quo nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Aut quid deest huic viro qui potest dicere: *Non contingat mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 4)?

66. Non potest in hoc princeps mundi hujus sibi A consortium vindicare, in quo nihil suum invenit. Ideoque Dominus qui venit docere, ut fieret nobis Deus portio, ait: *Venit enim hujus mundi princeps, et in me invenit nihil* (*Joan.* XIV, 30). Meritoque imitatores sui esse volens, ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam* (*Matth.* x, 9). Unde Petrus ostendens in Deo portionem sibi esse, non in sæculo, ait: *Argentum et aurum non habeo, sed quod habeo,* **1572** *hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula* (*Act.* III, 6); hoc est, hæc est portio mea, portio mea Christus est: *In nomine igitur Christi Jesu surge, et ambula* (*Ibid*). Hoc est, in portione mea dives sum, in portione mea potens sum. Merito tales præsumo fructus istius portionis, ut salus et vita donetur; quia hoc est istius patrimonium portionis quam elegi mihi: *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

67. *Qui pascitur inter lilia.* Lilium castitatem significat. Scit itaque bonus pastor, ubi pascat gregem suum, quæ pabula ovibus suis expediant. [a] Quæ sunt pascua nostra, hoc est, fidelium, nisi Christus? In cujus pascuis se locatum Propheta lætatus est, dicens: *In loco pascuæ, ibi me collocavit* (*Psal.* XXII, 2); ibi enim nos pascit et reficit. Bona pascua, sacramenta divina sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua, libri sunt Scripturarum cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recrea- C mur ac reficimur; cum ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona etiam Christi pascua montes convallium; nam et in his pascit Christus sicut capreolus aut hinnulus cervorum, hoc est, in splendoribus sanctorum.

68. (Vers. 17.) [b] *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Zachæus in arborem sycomori ascendit, ut Christum videret: nobis quoque expandit manus suas Jesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento? Quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus a malignitate sæculi et corporis ardore defendit? An nescimus, quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum advenit. Quale erat in principio, quale erat apud Deum: *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II, 7). Venit in nube levi, et cum esset virtus Altissimi, obumbravit Mariæ; ut transfiguraret corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori gloriæ suæ. Sicut ille ergo formam mutavit, cum ex Virgine nasceretur: ita et nobis sermones Dei transfigurari videntur, cum leguntur in Evangelio, cum species eorum videtur in Scripturis quasi per speculum; quia tota veritas hic non potest comprehendi, cum autem venerit quod perfectum est, non jam per discussionem, non per speciem ut transfigurati, sed integra atque expressa veritate resplendent.

[a] In psal. CXVIII serm. 14, num. 2.

[b] In psal. CXVIII serm. 3.

Digitized by Google

*Avete.* Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

15. Tenetur ergo Jesus, et delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Denique delectavit eum et illa mulier, quæ tetigit eum, et curata est a sanguinis fluxu, de qua dixit : *Tetigit me aliquis; nam sentio virtutem de me exisse* (*Luc.* VIII, 46). Tange ergo, et fide tene eum, et constringe fideliter pedes ejus; ut virtus de eo exeat, ut sanet animam tuam. Et si dicat : *Noli me tangere*; tu tene. *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, dixit (*Joan.* XX, 17). Semel dixit: *Noli me tangere*, quando resurrexit : aut forte illi dixit, quæ putabat furto esse sublatum, et non virtute propria resuscitatum. Denique in alio libro habes, quia tenentibus pedes et adorantibus dixit : *Nolite timere* (*Matth.* XXVIII, 10).

16. Tene ergo et tu, anima, sicut tenebat et Maria, et dic : *Tenui eum, et non dimittam* : cui dicebant ambæ, tenemus te. Vade ad patrem, sed non derelinquas me, ne iterum labar; et cum Maria non errante, sed arborem vitæ tenente, tecum rape tuis pedibus inhærentem. Tecum ascendam, noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fundat, ne iterum queat femineum mordere vestigium, ut supplantet Adam. Dicat ergo anima tua : *Teneo te, et inducam te in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me* (*Cant.* III, 4); ut cognoscam mysteria tua, ut hauriam sacramenta tua.

17. [a] *Tenui eum, nec relinquam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum ejus quæ me concepit.* Quæ est domus matris meæ et cubiculum ejus, nisi internum tuæ secretumque naturæ? Hanc domum serva, hujus domus mundato penetralia, ut cum immaculata domus fuerit, nec ullius adulterinæ conscientiæ sordibus inquinata, spiritalis domus in sacerdotium sanctum lapide angulari coagmentata consurgat, et Spiritus sanctus habitet in ea. Quæ sic Christum requirit, quæ sic Christum obsecrat, non relinquitur ab eo : immo etiam frequenter revisitur.

18. [b] Vel domus matris, fortasse domus est, in qua præfulget moralium disciplina : secretum autem illud est, in quo sunt altiora mysteria, in quibus divinæ gratiæ mella redolent. An non omni melle dulcior peccatorum remissio? Nonne omni flore gratior resurrectio mortuorum? [c] Suscipe igitur Evam, non jam ficulneæ foliis coopertam, sed sancto amictum Spiritu, et nova gratia gloriosam; quia jam non tamquam nudata absconditur, sed tamquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrit, quia vestit eam gratia : sed nec Adam primo nudus erat, quando eum innocentia vestiebat. Videntes itaque eam filiæ Hierusalem Christo inhærentem, et adhuc ascendentem cum eo (dignatur enim quærentibus frequenter occurrere, et condescendere, ut eos elevet) dicunt :

19. (Vers. 6.) [d] *Quæ est hæc quæ ascendit a deserto?* Sis sicut illa anima, quæ Christi in se charitatem excitat, quam mirantur ascendentem virtutes cælorum; quod sine offensione **1576** ascendat, et in hoc mundo ascendat cum lætitia et jucunditate, sicut vitis propago, et sicut fumus se ad superna subrigens fragrans odorem resurrectionis piæ, et suavitatem fidei, sicut habes scriptum : *Quæ est hæc quæ ascendit a deserto, sicut vitis propago, fumo incensi odorificata, myrrha et thure ab omnibus pulveribus unguentarii.* Pulchre subtilitatem ejus expressit, pulveris comparatione, et unguenti commemoratione; quia in Exodo subtile legimus, et ex multis compositum thymiama, illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, ut dirigatur in conspectu Domini, sicut et David dicit : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (*Psalm.* CXL, 2).

20. [e] *Quæ est ista quæ ascendit a deserto?* Desertus hic terræ locus et incultus videtur, sentibus et spinis nostrorum obsitus delictorum. Mirantur videlicet quomodo anima quæ ante in inferno relinquebatur inhæreat Dei Verbo, et ascenderit sicut vitis propago, in superiora subrigens se, velut fumus natus ex igne, atque alta petens, tum præterea bonis odoribus fragret. Odor autem ille orationis piæ redolet suavitatem, quæ dirigitur *sicut incensum in conspectu Domini* (*Psal.* CXL, 2). Et in Apocalypsi legimus, quod *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum* (*Apoc.* VIII, 4), quæ incensa referuntur per angelorum suorum orationes, scilicet super altare illud aureum quod est ante sedem Dei. Et tamquam suave piæ precationis fragrat unguentum; quia de æternorum et invisibilium, non de corporalium petitione compositum est : præcipue tamen myrrham redolet et thus, eo quod peccato mortuus sit, et Deo vivat. Unde et in posterioribus : *Ibo*, inquit, *mihi ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Sequitur :

21. (Vers. 7.) [f] *En sexaginta potentes in circuitu propaginis ejus, strictis armati ensibus, et eruditi præliaribus disciplinis.* Qui sunt isti fortes et eruditi præliaribus disciplinis, adverte. Fortis et ecclesiastici est viri non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere et tamquam explorare de specula quadam mentis, et obviare cogitatione provida rebus profuturis; ne forte dicat postea : Ideo in ista incidi, quia non arbitrabar posse evenire. Denique nisi explorentur adversa, cito occupant. Ut in bello improvisus hostis vix sustinetur, et si imparatos inveniat, facile opprimit : ita animum mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa est animi excellentia, ut primum animus tuus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde quod verum et honestum est, videat : *Beati enim mundo corde, quia ipsi etiam Deum videbunt* : atque id quod honestum est, solum bonum judicet. Deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet.

[a] Lib. de Virginitate, cap. 13, num. 78.
[b] In psal. CXVIII serm. 17.
[c] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 43, in fin.
[d] Epist. 63, ad Irenæum, num. 4 et seq.
[e] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 44.
[f] Lib. I *De Officiis*, cap. 38, num. 189.

Digitized by Google

22. Neque vero id quisquam facile facit: quid enim tam difficile quam dispicere tamquam ex arce aliqua sapientiæ, opes aliaque omnia, quæ plerisque videntur magna et præcelsa? Deinde ut judicium tuum stabili ratione confirmes, et quæ judicaveris levia, tamquam nihil profutura contemnas? Deinde ut si quid acciderit adversi, idque grave et acerbum putetur, ita feras, ut nihil præter naturam accidisse putes, cum legeris: Nudus sum natus, nudus exibo: quæ Dominus dedit, Dominus et abstulit (*Job.* I, 21); et utique et filios amiserat et facultates: servesque in omnibus personam sapientis et justi, sicut ille servavit, qui ait: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Ibid.*). Et infra, *Sicut una insipientium mulierum locuta es: si bona suscepimus de manu Domini, quæ mala sunt non sustinebimus* (*Ibid.*, 2)?

23. [a] Non est igitur mediocris nec discreta a cæteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat; sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, et judicia custodiat, et quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) ave dicat, pecuniam negligat, avaritiam fugiat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effeminet; nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Frequenter pulsis hostibus, inclinata in fugam adversariorum acie, dum exuviis cæsorum capitur præliator, inter ipsos quos stravit, miserandus occubuit: et triumphis suis dejectæ legiones dum **1577** spoliis occupantur, hostem in se revocarunt, qui fugerat.

24. Fortitudo igitur tam immanem pestem repellat et proterat, nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu; quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia, tamquam virtutis venena. Iracundiam velut quibusdam propulset armis, quæ tollit consilium, et tamquam ægritudinem vitet. Gloriæ quoque caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem usurpata. Emolliri enim adulatione non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur. Horum fortium castra Jacob videns in spiritu, *Castra*, inquit, *Dei sunt hæc* (*Gen.* XXXII, 2).

25. [b] Quid autem sunt sexaginta? Scimus hebdomadam veteris, ogdoaden autem novi esse Testamenti, scilicet quando Christus resurrexit, et dies omnibus novæ salutis illuxit: quo die se fulgor plenæ atque perfectæ circumcisionis humanis pectoribus infudit. Septem autem et octo, quindecim faciunt. Isti ergo sunt septem et octo, id est, quindecim, quibus conduxit Osee meretricem, quam conducendam Dominus ei præceperat. Hebdomada itaque et octava significant duorum Testamentorum consummationem, et fidei plenitudinem: quindenarius vero numerus quater ductus, qui sunt sexaginta, Evangelii perfectionem.

26. [c] Quæ est autem propago in cujus circuitu potentes isti sunt? *Nephthalim*, inquit, *vitis remissa, porrigens in germine decorem*. Sarmentum vitis aliud amputatur quod videtur inutile, ne cassa vitis sarmentorum exsultatione luxuriet, et aliud paulisper reciditur et remittitur, ut fructum afferat, cujus decus in generatione porrigitur; quia dum ad superna se subrigit, vitem amplectitur, et ad verticem ascendens, jugi quædam colla vitium pretiosi palmitis vestit monili. Est et ille decorus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundat. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod hærentem palmitem viti significat spiritali, cujus nos sarmentum sumus, et fructum afferre possumus, si maneamus in vite; sin autem, præcidimur. Sanctus patriarcha Nephthalim erat palmes abundans, unde et Moyses dicit: *Nephthalim satietas accipientium, replebitur benedictione a Domino: mare et Africum possidebit* (*Deut.* XXXIII, 23); exponens hoc quod Jacob dixerat, quid sit *vitis remissa*, hoc est, per fidei gratiam vinculis mortis exutus: in quo significatur populus Dei ad libertatem fidei et ubertatem vocatus gratiæ, toto orbe diffusus, qui jugum Christi bono fructu vestiat, et ligna veræ illius vitis, hoc est, mysteria Dominicæ crucis ambiat, nec timeat confessionis ejus periculum: sed magis etiam in persecutionibus positus, Christi nomine glorietur.

27. [d] Tenent autem fortes isti gladios in manibus, quos pro Christi nomine non refutent, vel quibus corporalia a spiritualibus, umbram a veritate distinguant. *Vivus est enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus; compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis: et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, sed omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 12 *et* 13). Est enim verbum Dei gladius bis acutus. Sunt et alii duo gladii in Ecclesia de quibus dicitur: *Domine, ecce duo gladii hic*, ecclesiasticæ scilicet potestatis et mundanæ, quibus falsa repugnat misericordia.

28. [e] Est justa misericordia: sed est etiam injusta misericordia. Denique in Lege scriptum est de quodam: *Non misereberis illius* (*Deut.* XIX, 13). Et in libris Regnorum legis quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia divina servari (I *Reg.* XV, 9). Ut si quis latronem filiis deprecantibus motus, et lacrymis conjugis ejus inflexus, absolvendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus: nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, vincula dis-

[a] Ibid., cap. 39, num. 202.
[b] Ep. ad Horontianum.
[c] Lib. de Benedict. patriarch. cap. 10, num. 41.
[d] Lib. X in Luc., ad cap. 22.
[e] In psal. CXVIII, serm. 8, num. 25 et seq.



Digitized by Google

solvit, laxat exsilium; cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est, accusatorem et reum pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si non esset ab accusatore convictus, non id **1578** quod justitiæ est, judex sequatur; sed dum miseretur rei, damnet probantem : aut dum accusatori favet qui probare non possit, abdicat innoxium. Non potest igitur hæc dici justa misericordia.

29. In ipsa Ecclesia ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ, ne quis a consortio communionis abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus : alias autem gladius quod suum est, exsequatur.

30. (Vers. 9, 10.) [a] *Lectum fecit sibi Salomon rex ex lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, acclinatorium aureum, ascensum ejus purpureum, dorsum ejus gemmis stratum.* Quis est iste lectus, nisi corporis nostri species? Namque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur, in auro ignis, aqua in argento, terra per lignum; ex quibus corpus humanum quatuor constat elementis, in quo nostra recubat anima, si non aspero montium, non humi arido expers quietis exsistat; sed sublimis a vitiis ligno fulta requiescat. Unde et David dicit : *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus* (*Psal.* XL, 4); nam lectus doloris esse qui potest, cum dolere non possit, qui non habet sensum? Corpus autem doloris, sicut corpus est mortis : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis ejus* (*Rom.* VII, 24)?

31. Et quoniam versiculum induximus, in quo Dominici corporis fecimus mentionem, ne quem forte perturbet legentem, quod Dominus corpus suscepit doloris, recordetur quia Lazari mortem et doluit et flevit, et in passione est vulneratus, atque ex vulnere sanguis et aqua exivit, spiritumque exhalavit (*Joan.* XI, 35). Aqua ad lavacrum, sanguis ad potum, spiritus ad resurrectionem. Unus enim est Christus nobis spes, fides, charitas : spes in resurrectione, fides in lavacro, charitas in sacramento. Tamen ut corpus suscepit doloris, ita etiam stratum in infirmitate versavit; quia convertit in commodum carnis humanæ : nam passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Et tamen mœrere pro sæculo, gaudere debetis in Domino : tristes ad pœnitentiam, alacres ad gratiam, licet et flere cum flentibus, et gaudere cum gaudentibus oportere gentium Doctor salutari præceptione præscripserit (*Rom.* XII, 15).

A 32. [b] ***Media charitate constravit, propter filias Hierusalem.*** Quæ sunt istæ filiæ? Non debet esse occultum, quod superiores videantur qui ante generati sunt, infirmiores qui postea. Comparantur enim utero mulieris partus sæculi hujus; quoniam fortiores sunt qui in virtute juventutis nati sunt, infirmiores qui tempore senectutis. Defecit enim multitudine generationis hoc sæculum sicut vulva generantis, et tamquam senescens creatura robur juventutis suæ, velut marcenti jam virium suarum vigore deposuit. Istæ ergo sunt filiæ Hierusalem, id est, teneriores et infirmiores animæ : istis se exhibet ut luceat imago ejus in confessione earum, luceat in dilectione, luceat in operibus; et si fieri potest, tota ejus species exprimatur in ipsis.

B 33. [c] Hæ igitur filiæ Hierusalem sponsam ascendentem, et non resistentem videntes, et meritorum ejus odoribus delectatæ, agnoscentes quoque Salomonis illius esse pacifici sponsam, etiam comitatu sedulo persequuntur usque ad lectum Salomonis : eo quod ei vera in Christo requies debeatur. Lectus enim sanctorum Christus est, in quo universorum fessa sæcularibus præliis corda requiescunt. In hoc lecto requievit Isaac, et benedixit filium juniorem, dicens : *Major serviet minori :* in hoc lecto recubans Jacob, benedixit duodecim patriarchas : in hoc lecto recubans archisynagogi filia, surrexit a morte : in hoc lecto jacens unicus viduæ defunctus filius, mortis vincula Christi voce vocatus dissolvit. Perducta igitur sponsa usque ad sponsi requiem, nuptiale canunt carmen, dicentes filiabus Hierusalem :
C

34. (Vers. 11.) *Egredimini et videte in rege Salomone coronam, qua coronavit eum mater ejus, in die sponsalium ejus.* Canunt epithalamium, et vocant cæteras potestates cœlorum vel **1579** animas, ut videant charitatem, quam circa filias Hierusalem habet Christus. Unde et meruit coronari a matre quasi filius charitatis, sicut Paulus ostendit dicens : *Quia Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii charitatis suæ* (*Coloss.* I, 13). Charitatis itaque filius et ipse charitas est : non ex accidentibus habens charitatem, sed habens eam substantia sua, sicut regnum de quo dicit : *Ego in hoc natus sum* (*Joan.* XVIII, 47).

35. Ideoque dicit, *Egredimini*, id est, exite de
D sollicitudinibus et cogitationibus sæculi : exite de angustiis corporalibus : exite de vanitatibus mundi, et videte quam rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem : quam gloriosus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, et animas sibi junxit. Hæc magni est corona certaminis, hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis ejus et passio. Quis enim plus potuit dare, qui sibi etiam non pepercit, et pro nobis in mortem animam suam posuit?

36. [d] Quæ autem corona gloriæ nisi Ecclesia quæ

[a] Lib. III de Virg., cap. 5, num. 21.
[b] Lib. de bono mortis, c. 10.

[c] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 45.
[d] In ps. CXVIII, serm. 15, num. 11.

caput suum Christum coronat? Quæ jucunditas universæ terræ, nisi domus populi Christiani, aula sanctorum, de quibus scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5)? Ergo quia corona gloriæ est Ecclesia, ideo dicitur : *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem, in corona qua coronavit eum mater ejus, in die sponsalium ejus, et in die jucunditatis cordis ejus.*

37. Ad animas dicitur ut e gurgustiis et claustris exeant corporalibus, extra corporis cogitationes exeant, egrediantur a cupiditatibus, et a curis, et a cæteris carnis istius et affectus lubrici passionibus : supra mundum ascendant, de hoc mundo exeant, Christo occurrant, paratæ adsint facibus ardentibus relucentes, quasi angeli Christi hæc loquuntur : Non potestis videre claritatem ejus, gloriam ejus, nisi egrediamini humanæ fragilitatis curas, filiæ Hierusalem. Quasi dicant : *Quid viventem inter mortuos quæritis* (*Luc.* XXIV, 5)? Non intra hunc mundum quæritur Christus, qui supra mundum suos esse voluit discipulos.

38. Quæ est corona qua coronatur Christus, nisi corona gloriæ ? Joseph coronam habuit castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum Ecclesia coronavit. In hac corona omnes coronæ sunt; quia gloria non portio unius coronæ, sed præmium omnium coronarum est.

## CAPUT QUARTUM.

1. (Vers. 1.) Jam vero conversus Sponsus in laudem sponsæ dicit : *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! oculi tui sicut columbæ, extra taciturnitatem.* Pulchra in prædicatione, pulchra in conversatione. [a] *Oculi quoque ejus*, inquit, *sicut columbæ.* Oculi sunt viri, videlicet spiritalibus ornati sensibus qui ad videnda mysteria sint acuti, et parati ad penetranda Scripturæ secreta divinæ, rationabili lacte fulgentes, in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus pura et immaculata simplicitas. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte postea memoravit.

2. Jam cætera dentes et genas, et sicut coccineum resticulum labia sponsæ intelligimus animæ esse virtutes doctorumque diversitates : qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrent, vel prædicatione Dominicæ crucis, sicut Verbi quadam linea, alligent audientem : vel modestia verecundi, et juventutis flore gratissimi. Etsi a tactu pudore revocentur, redoleat tamen in his odor Christi : et sicut in genas, quasi a capite sacerdotali descendat unguentum, sic et in his eluceat pulchritudo doctrinæ.

3. [b] *Oculi tui sicut columbæ extra taciturnitatem tuam ;* quod et spiritualiter videat, et noverit tempus tacendi esse et tempus loquendi; ut in tempore sermonem suum proferat, ne importunitate loquendi peccatum possit incurrere.

4. *Oculi tui sicut columbæ.* Hic columbæ, id est, Ecclesiæ simplicitas revelatur et gratia. Vide itaque simplicitatem oculi, qui enim justum videt et gaudet etiam ipse vult justus esse : pulchrum est enim ut eo in aliis delectetur, **1580** quod vult ipse in se servare, si possit : est enim insitum bonis, ut castum pudicus, prudentem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalem, virtutes suas in aliis amet. Plerisque etiam justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia. Nam si tanta vis in naturalibus est, ut animal visum prosit ictericis, ita ut mortui quoque corpus ejus animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui hujusmodi inciderint passionem, dubitare possumus quod justi sanet aspectus, cujus sunt oculi sicut columbæ, simplices et pudici ? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare hominem possit momento exiguo, quo videtur : homo justus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil conferet ? Quam pulchrum igitur ut videaris et prosis !

5. [c] Bonum ergo vir justus. Propterea denique apostolus Paulus ascendit Hierosolymam, ut justos videret : et cum Petro mansit diebus quindecim, ut ex ejus aliquid cohabitatione proficeret (*Gal.* I, 18). Propterea ipse Paulus et Barnabas cum Hierosolymam ingrederentur, magnifice excipiebantur ab Ecclesia, et apostolis, et majoribus natu : cum autem abire vellent, ne discederent rogabantur, et ut postea de Paulo legimus, quod cum lacrymis deducebatur. Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere, iis qui fideliter eum videre desiderant?

6. Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentum, cum videtur, ita improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentem, avaritiam liberalitas, impietatem fides. De hoc quoque parile vilis animantis sumamus exemplum. Nam sicut prodesse diximus mutum animal cum videtur, ita obesse percipimus lupum, si aliquem videndo prævenerit; vocem enim feruntur amittere, quos prius lupus viderit. Basiliscus quoque (hic est noxius serpens) si quodcumque viderit prior animal, fertur occidere : et allegatur statim necari, qui potuerit a serpente hujusmodi prævideri. Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alterum alter prior viderit, possit occidere : non est virtus in oculis justi, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides; ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur : et ille cui intendit Dominus Jesus, sta-

[a] Ibidem ubi supra, num. 13.
[b] In ps. CXVIII, serm. 16, num. 20.
[c] In psal. CXVIII, serm. 10, num. 23.

Digitized by Google

tim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret (*Matth.* A ix, 22)?

7. Sed qui videt justum, debet scire quid videat. Non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu: sed intus videt. Non, inquam, illum videt, nisi ejus viderit mentem, nisi ejus sermonem intenderit, nisi sensum illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu ejus potuerit assumere. Tunc igitur lætabitur cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo et nos sicubi justum audimus, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audivit in domo pharisæi discumbere Dominum Jesum, et ingressa est, et ejus pedes perfudit unguento (*Luc.* vii, 37 *et* 38). Illius imitatores simus, quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest: quod intus est, sanat. Sane et in eo qui foris est, illum qui intus est, frequenter aspicimus: ut si viderimus pauperem, illum ad cujus similitudinem factus est, honoremus in paupere, de quo ait: *Dedistis mihi manducare, quia quod uni eorum dedistis, mihi dedistis* (*Matth.* xxv, 35 *et* 40).

8. *Capillamentum tuum ut grex tonsarum, quæ revelatæ sunt a monte Galaad.* Ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est: *Oculi enim sapientis in capite ejus* (*Eccl.* ii). Profunda igitur doctorum prudentia, quæ potest ea quæ obscura sunt revelare, et alta aperire sensuum.

9. (Vers. 2.) [a] *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt a lavacro, quæ omnes geminos creant, et infecunda non est in eis.* Quod specie de capris dicitur, mystice de Ecclesiæ grege sentiendum. Nec vilia tibi videantur ista animalia, vides quod in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque ubi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum: ubi aliis periculum, ibi gregis illius alimentum, ibi cibus
1581 dulcior, ibi fructus electior. Speculantur a pastoribus suis, dumosa de rupe pendentes, ubi luporum incursus esse non possunt, ibi fecundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet uberi lacte distentas, super teneram sobolem materna pietate sollicitas. Ideo elegit eas Spiritus sanctus, quibus coitum venerabilis Ecclesiæ compararet.

10. Et ut mystice audias, capillamentum Verbi est altitudo, et eminentia quædam justarum animarum; quoniam sensus sapientis in capite ejus. In altitudine enim cogitationis humanæ certum est esse sapientiam. Et quemadmodum tondentur capræ, ut superflua deponant: ita etiam tonsarum animarum gregem, hoc est, multarum animarum virtutes habet sancta Ecclesia, in quo grege nihil possis insensibile reperire, nihil superfluum; quoniam fides sapientes fecit, spiritalis autem gratia ab omni superfluorum labe mundavit.

11. Merito igitur revelatæ sunt animæ justorum, et revelatæ a monte Galaad, hoc est, a transmigratione testimonii, eo quod a Synagoga ad Ecclesiæ testimonium cœleste migravit. In hoc itaque monte nascitur thymiama, resina, et cæteri odores quos negotiatores illi Ismaelitæ, ut habes in libro primo Testamenti veteris, deferebant (*Gen.* xxxvii, 25). Itaque sicut capræ bonis refectæ cibis, et solis calore vernantes, lavantur in flumine, et exsultantes mundæ surgunt de flumine: ita animæ justorum ascendunt ab spiritali lavacro.

12. Istæ sunt vere qui geminos creant, in quibus B non est infecunditas aliqua virtutum, sterilitas nulla meritorum. Bene geminos creant, quia congeminant sensus suos; unde habes in Proverbiis scriptum: *Et tu scribe hæc tibi tripliciter, in consilium, et in cognitionem* (*Prov.* xxii, 20). Triplicem præmisit scriptionem, et duo subdidit, consilium et cognitionem. Sed cognitio gemina est, una incorporalium, altera corporalium; unde etiam in posterioribus habes: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Vers.* 5).

13. Diximus de fecunditate, dicamus de dentibus. Nam et navigantes plerique, et properantes itinere terreno, ubi viderint speciosum aliquem locum, delectationis gratia demorantur, pascunt oculos ani- C mumque allevant. Nec mora ulla putatur commeandi, sed gratia. Ita et nobis pulcherrimos dentes justarum animarum considerare cordi est; docuit enim Scriptura pulcherrimos dentes esse justorum dicens secundum litteram quidem de patriarcha *Juda*, spiritualiter autem de Christo; *Hilares oculi ejus a vino, et dentes sicut lac* (*Genes.* xlix, 12). *In quo non* utique carnis humanæ officia, sed divinæ gratiæ munera prædicavit. Docet igitur exemplum, dentes non esse prætereundos, ubi de oculis disseruimus.

14. Qui sunt igitur justarum dentes *animarum* nisi qui informem ac durum accipientes cibum, vel frigidum plerumque, vel supra modum *calentem* nunc comminuunt, nunc fovent, nunc temperant, prout qualitas fuerit alimentorum? Dura commi- D nuunt, ne asperitas litteræ in veteri Testamento et sæcularis intellectus rigor, nisi fuerit spiritali *dente* resolutus, vitalia ipsa interclusis librorum salutarium commeatibus, et gulam quamdam animæ incuriosa edacitate suffocet. Par est igitur ut dividas primum, si solida tibi videtur esca quæ sumitur, et distinguas eam; atque emollitam sine noxa aliqua animæ in omnia ejus membra naturali divisione transfundas; ut vitalem succum omne ejus corpus epuletur, nihil cadaverosum, nihil mortuum ore tuo sumas, ne dicatur: *Sepulcrum patens est guttur eorum* (*Psalm.* xiii, 3). Sed vivum haurias verbum,

[a] In ps. cxviii, serm. 16, num. 23 et seq.

Digitized by Google

ut in tuæ mentis visceribus possit operari. Hi dentes super lac candidiores; quia dentes justorum.

15. Denique cum omnes in Moyse baptizati in nube et in mari patres nostri fuerint, non otiose tamen scriptum est: *Quia omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (I *Cor.* x, 3 *et* 4); ut istis sanctorum dentibus major quidam fulgor accederet, quos post transitum maris rubri, myrrhæ fontis amaritudine per ligni gratiam temperata (*Exodi* xv, 25), cognoscemus esse mundatos: deinde duodecim fontium potu, postremo petræ spiritalem undam vomentis irriguo; *Petra erat enim Christus* (I *Cor.* x, 3 *et* 4). **1582** Ideo et manna manducaverunt (*Num.* xx, 11), ut toties abluti manducarent panem, ut scriptum est, angelorum (*Psalm.* LXXVII, 25). Nunc quoque in Evangelii mysteriis recognoscis baptizatos, licet toto corpore, postea tamen esca spiritali potuque mundari; ille enim est verus dentium fulgor, ubi bene consciæ mentis resonat canora confessio. Ille mundus oculus, quem peccatorum gravium trabes nulla depresserit, quem purgamentorum levium festuca nulla turbaverit.

16. [a] *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, quæ omnes geminos creant, et infecunda non est in eis.* Non mediocris ista laudatio, primum apta comparatione tonsarum; capras enim et in altis pasci sine periculo novimus, et in præruptis securas cibum sumere, deinde cum tondentur, deonerari superfluis. Harum gregi comparatur Ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quæ per lavacrum superflua peccata deponant, quæ mysticam fidem et moralem gratiam deferant Christo, quæ crucem Domini Jesu loquantur. In his formosa est Ecclesia, unde ad eam Deus Verbum dicit: *Ecce formosa es, proxima mea: ecce es formosa; oculi tui sicut columbæ. Tota formosa es, proxima mea, et reprehensio non est in te;* quia culpa demersa est. *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano, et pertransibis a principio fidei;* eo quod renuntians mundo, transierit sæculum, pertransierit ad Christum.

17. (Vers. 3.) [b] *Sicut resticula coccinea labia tua.* In cocco enim species ignis, et crucis Dominicæ sanguis irrutilat. Coccinea labia Domini, quæ passionem propriam loquebatur. Denique in Exodo coccum pro igne collocatum est (*Exod.* xxv, 4). Non enim ex cocco mundus, sed ex quatuor constat elementis. Sed in cocco figura ignis expressa est, cujus vapor nisi cœlum atque aerem, maria terrasque penetraret, omnia tamquam effetis viribus solverentur. Per resticulam igitur vinculum persuasionis agnoscimus, per coccum vel cupiditatis ardorem qui scintillat in animis audientium, vel indicium passionis.

18. (Vers. 4.) *Sicut turris David cervix tua, quæ ædificata est in Thalphioth, mille clypei pendent in ea, omnia jacula potentium.* Erecta enim ad Deum cervix, et jugo Christi habilis, quæ nulla in terras illecebrarum inflexione curvetur; sicut Christi regalis est turris, cui jugum suum Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam David ille manu fortis, et supra murorum ædificavit excelsa; ut subsidio pariter et decori sit: subsidio, quia hostem prævidet et expellit: decori, quia non solum inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio vel decori, si habeat in se verbi dogmata velut quædam phalerarum monilia: habeat etiam jacula potentium prophetarum, quæ adversus omnem extollentem se altitudinem, lacertis quibusdam fidei diriguntur.

19. Noli igitur in pulverem mortis deducere animam tuam, cui etiam Dominus naturalem altitudinem tribuit et vigorem, quo se excitet et assurgat. Unde etiam de hac conjunctione animæ et corporis dictum opportune accipitur, eo quod in naturali vitæ nostræ mysterio, connexa anima corpori velut humi repiet, et pavimento adhæreat, partim propter hoc terrenum habitaculum, partim quia corpus istud de terra est. Et regionis igitur diversorium, et materia ipsa corporis nostri huic concurrit sententiæ. Ideoque pulchre Apostolus de mortis hujus corpore liberari cupit; quia carcere quodam claudimur, et in quodam luxuriæ gurgustio siti tenebris involvimur delictorum.

20. Ergo secundum voluntatem Dei ambulemus, ut adhærere dicamur Deo. Nam secundum corporis appetentiam qui vivit, caro est: qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est, ut dicamur caro; sicut et illi qui in diluvio perierunt, de quibus dictum est: *Quia caro sunt* (*Genes.* VI, 3). Sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, et hoc appellari mereatur nomine; sicut appellata est familia patriarchæ Jacob, et generationis ejus sancta posteritas; sic enim scriptum est: *Hi filii Balæ quam dedit Laban Rachel filiæ suæ: peperit hæc Jacob animas septem.* Et ibidem: *Omnes autem animæ quæ intraverunt cum Jacob in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus ejus, præter uxores filiorum, sexaginta sex* (*Genes.* XLVI, 25 *et* 26). Et in principio Exodi legimus: *Erant autem omnes animæ de Jacob, quinque et septuaginta* (*Exod.* I, 5).

**1583** 21. Ergo illi qui habitabant cum Joseph, et de Ægypto exierunt, animæ sunt: qui autem cum essent angeli Dei, hoc est vitæ probitate angelorum imitantes gratiam (*Qui enim* (*Matth.* XXII, 30) *non ducunt uxores, et qui non nubunt, erunt sicut angeli Dei in cœlo*); qui ergo cum angeli viderentur, capti sunt decore femineo, hi caro sunt, sicut Dominus Deus dixit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, propter quod caro sunt* (*Genes.* VI, 3). Et merito exspertes libidinis, angelis comparantur, caro enim non sunt, quia non sunt in carne, sed in spiritu: quales erant illi qui doctorem Apostolum sequebantur, quibus ait: *Vos autem non*

[a] Lib. de Mysteriis, cap. 7, num. 38.

[b] In psal. CXVIII, serm. 18, num. 21 *et seq.*

Digitized by Google

*estis in carne, sed in Spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Qui autem corporea feminarum capiuntur libidine, caro sunt : atque utinam caro tantum, et non etiam equi adhinnientes ! *Quia*, inquit, *in uxorem proximi sui adhinniebant* (*Jerem.* v, 8).

22. (Vers. 7.) [a] *Tota es formosa, proxima mea, et reprehensio non est in te.* Pulchritudinem vero quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur a rege, probatur a judice, dedicatur Domino, consecratur Deo. Semper sponsa, semper innupta ; ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino : *Tota es formosa, proxima mea, et reprehensio non est in te.*

23. (Vers. 8.) *Veni huc a Libano, veni huc a Libano : transibis et pertransibis a principio fidei, a capite Sanir et Hermon, a latibulis leonum, a montibus pardorum.* Quibus indiciis ostenditur perfecta et irreprehensibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata divinis, inter occursus et latibula spiritalium bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis Dei, meruisse dilectum, cujus ubera plena lætitiæ ; Vinum enim lætificat cor hominis.

24. [b] *Et odor*, inquit, *vestimentorum tuorum, sicut odor Libani. Veni a Libano, sponsa, veni a Libano : transibis et pertransibis a principio fidei :* transibis in sæculum certatura, pertransibis ad Christum triumphatura de sæculo. Audisti quia te a leonum et pardorum, id est, a spiritalium nequitiarum incursionibus separavit : audisti quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum.

25. [c] *Ades huc a Libano, sponsa, ades huc a Libano : transibis, et pertransibis a principio fidei, a capite Sanir, et Hermoniim, a speluncis leonum, a montibus pardorum ;* hoc est, egredere de corpore, et totam te exue. Non potes enim mihi adesse, nisi ante peregrineris a corpore ; quoniam qui in carne sunt, peregrinantur a Dei regno. *Ades*, inquit, *ades*. Bene repetivit, quia sive præsens, sive absens, adesse et placere Domino Deo tuo debes : adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es; mihi enim omnes præsentes sunt, quorum fides mecum est. Adest mihi qui exiit de sæculo : adest mihi qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum : adest mihi qui abfuerit sibi : ille mecum est, qui intra se non est; quoniam qui in carne est, non est in spiritu : ille mecum est, qui ex seipso egreditur : ille juxta me est qui extra se fuerit : ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam suam ; et ideo, *Ades, ades, sponsa ; transibis et pertransibis a principio fidei.* Transit et pertransit cæteros, quæ ad Christum pervenit ; transit fidei merito, et operum claritate, quæ lucet sicut Sanir et Hermon, hoc est, via lucernæ : transit devictis tentationibus sæculi, et superatis A nequitiis spiritalibus, legitimi petens coronam certaminis.

26. (Vers. 9.) [d] *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Oculi enim mentis isti sunt oculi, scilicet interioris hominis, non hi oculi qui ministerio funguntur obtutus. Est enim oculus et mentis et carnis, sed ille cæcus est oculus qui non videt quæ divina sunt, qui frustra mente carnis inflatus est. Est et alius oculus sensus Christi, quo Ecclesia videt Christum, sicut ipse dicit ad Sponsam : *Corde nos cepisti ab uno oculorum tuorum.* Merito uno oculo videtur Christus, quia non videtur oculo carnali, aut quia duos oculos habens Ecclesia, moralem et mysticum, fidei oculo plus videt Christum ; B mysticus enim oculus acutior est, moralis dulcior.

27. Et fortasse isti oculi sunt, quibus Paulus videbat æterna, ubi cœpit temporalia non videre. Denique qui Christum non videbat, priusquam oculos amitteret, vidit **1584** eum posteaquam amisit visum oculorum ; vidit enim qui dixit : *Quis es, Domine* (*Act.* IX, 5)? Videbat utique Christum, quem etiam Dominum fatebatur. Et infra, *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Non ergo videbat eum, cujus exspectabat imperium? Quibus igitur oculis videre Paulus plus cœpit, nisi iis quos nobis ipse monstravit, dicens : *Orabo spiritu, orabo et mente* (I *Cor.* XIV, 15)? Denique ut scias quia vidit orando : *Factum est*, inquit, *revertente me in Hierusalem, cum orarem in* C *templo, pavorem habui, vidi illum dicentem mihi : Festina, exi citius de Hierusalem ; non enim recipient testimonium tuum de me* (*Act.* XXII, 17 *et* 18).

28. [e] Isti ergo oculi in verbum Dei deficiunt, et dicunt : *Quando consolaberis me?* Istis oculis prophetæ dicebantur videntes, quia per revelationem ea quæ erant abscondita, mente cernebant. Sed quia oculus mentis et oculus carnis unus oculus sunt, et tunc homo consolatione fulcitur, cum caro et mens diversa non cupiunt, sed unum desiderant, et unum requirunt ; ideo intenti ad eum qui ait : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Isti quoque oculi unum esse se confitentur ; quia uno atque eodem desiderio officioque funguntur.

29. (Vers. 10.) [f] *Pulchriora sunt ubera tua vino,* D *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Et infra : *Odor vestimentorum tuorum sicut Libani.* Vide quem nobis tribuas, virgo, processum ! Primus enim odor tuus super omnia aromata, quæ in Salvatoris missa sunt sepultura, et mortuos corporis motus membrorumque redolet obiisse delicias. Secundus odor tuus, sicut odor Libani, Dominici corporis integritatem, virgineæ florem castitatis exhalat. Favum itaque mellis tua opera componant. Odor etiam vestimentorum est odor actuum nostro-

[a] Lib. I, de Virgin., cap. 7, num. 37 et seq.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 12, num. 69.
[c] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 47.

[d] In psal. CXVIII, serm. 11, num. 7, 8.
[e] Ibid., num. 10.
[f] Lib. I de Virg., cap. 7, num. 39.

Digitized by Google

rum. [a] Admove igitur manus naribus tuis, et odorem actuum tuorum indefessa ac pervigili alacritate mentis explora. Mulcebit te odor dexteræ tuæ, et flagrantiam resurrectionis tua membra redolebunt, myrrham digiti tui sudabunt, hoc est, veræ fidei gratiam spiritalia gesta flagrabunt. Capis ergo, virgo, ex interiore tuo corpore voluptatem, et ipsa tibi dulcis, ipsa tibi suavis es, ipsa tibi (quod peccantibus sæpe contingit) non incipis displicere.

30. (Vers. 11.) [b] *Favus distillans, labia tua, sponsa.* Favum itaque mellis tua opera componant; digna enim virginitas quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens : rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque virgini est sermo divinus; quia sicut ros Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura, partus virginis est fetus labiorum, exspers amaritudinis, fertilis suavitatis : in commune labor, communis est fructus. Quam te velim filiam imitatricem esse hujus apiculæ, cujus cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu, filia; verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum; ut et puritatem habeant, et plena gravitatis sint. Meritorum quoque tuorum tibi æterna posteritas tuo ore pariatur, nec soli tibi, sed etiam pluribus congreges quid scis enim quando a te tua anima reposcatur; ne receptacula horreorum frumentis coacervata dimittens, nec vitæ tuæ usui futura nec meritis, rapiaris eo, quo thesaurum tuum ferre non possis. Dives igitur esto, sed pauperi, ut naturæ participes tuæ, participes sint etiam facultatum.

31. *Favus distillans labia tua sponsa.* Quis sit favus, doce nos, Salomon. Tu enim dixisti : *Favus mellis sermones boni* (*Prov.* XVI, 24). Et vere bonus favus, quem manducat Ecclesia, multorum prophetarum velut apum spirituali ubertate congesta mella redolentem. Hoc est mel de quo ait : *Manducavi panem meum cum melle meo* (*Cant.* V, 1). Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus vel ruinis, lapsæ animæ membra refoventur. *Favum distillant labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua;* os enim justi distillat sapientiam : de ore justi suavitatis et misericordiæ mella procedunt : in ore justi nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. Audit Ecclesia verba justi, audit plebs Dei verba sapientis, delectatur alloquii suavitate, moralis disputationis jucunditate mulcetur, dicens : *Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel et favum ori meo* (*Psalm.* CXVIII, 103)! Quia mel apum ad horam delectat, sed cito sapor ejus **1585** evanescit, et plerumque viscera vitiosa læduntur : verborum autem moralium etsi pungunt mella, non lædunt.

32. Cognosce tamen cui illa credantur; scriptum est enim : *In aurem insipientis nihil dicas; ne quando* A *irrideat prudentes sermones tuos* (*Prov.* XXIII, 9). Evomet enim et rejiciet sermonem tuum stultus, qui ejus sentire non potest suavitatem. Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? Quomodo *mel et lac sub lingua tua,* cum dolum lingua tua componat; ut aliud pectore concipias, aliud forensi sermone prætendas, ut decipias incautum? Cum tibi Petrus apostolus dicat, ut deponas omnem malitiam, et fucum simulationis abjicias, dicens : *Sicut dudum geniti infantes, rationabiles et sine dolo, lac concupiscite* (I *Pet.* II, 2). Ostendens enim nobis quid sit mel et lac habere sub lingua, docet ut non maledicere maledicentibus, sed benedictionem referre noverimus : nesciamus odisse nisi viam iniquitatis, ut facere quod exsecramur, B reluctanti caveamus affectu.

33. (Vers. 12.) [c] *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ,* etc. Eo quod in hortis ejusmodi impressam signaculis imaginem Dei, sinceri fontis unda resplendeat, nec volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet; ut in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Hic est odor quem Jacob patriarcha flagravit, quando meruit audire : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* (*Genes.* XXVII, 27). Nam licet plenus omnibus fere fructibus patriarchæ sancti fuerit ager, ille tamen fruges ma- C jori virtutis labore generavit, hic flores. Accingere itaque, virgo, et si vis hujusmodi tibi ut hortus aspiret, propheticis eum claude præceptis : *Pone custodiam ori tuo, et ostium circumstantiæ labiis tuis* (*Psal.* CXL, 3).

34. [d] *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum fructu pomorum Cypri.* Laudatur Sponsa eo quod hortus sit, habens in se odorem agri illius pleni, de quo dicit Isaac : *Odor filii mei, tamquam odor agri pleni* (*Genes.* XXVII, 27). Bona ergo anima flagrat odores justitiæ. Et fortasse ager est patriarcha, hortus est anima inferioris alicujus, quasi agri portio : et *Hortus conclusus,* ne incursetur a bestiis : et *Fons signatus,* quæ integritate signa- D culi, perseverantiaque fidei propria peccata diluerit. Nam qui de Ecclesia acceperit; habet quod ad virginitatis gratiam referat; eo quod in paradiso delectationis posita sine labore fructus capiat spiritales, ut ei patriarcharum animæ rurali quodam animæ suæ labore fructus suos conferant, quo ista capere possit perpetuam suavitatem : quæ merito fons signatus dicitur, eo quod imago in illa Dei invisibilis exprimatur.

35 [e] *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Omnes doctores congruunt

[a] Lib. de Virginitate, cap. 12, num. 73.
[b] Lib. I de Virg., cap. 8, num. 40.
[c] Lib. I de Virgin., cap. 8, num. 45.
[d] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 48.
[e] Epist. ad Sabinum.

Digitized by Google

in paradiso, et lignum vitæ radicatum et lignum A scientiæ, quo discernat bonum et malum: cæteraque ligna plena vigoris, plena vivificationis, spirantia et rationabilia. Ex quibus colligitur paradisum ipsum terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quo animatur et vivificatur anima virtutibus et infusione Spiritus sancti. Denique Salomon in spiritu paradisum in homine esse evidenter declaravit. Et quia mysteria exprimit vel animæ et Verbi, vel Christi et Ecclesiæ; ideo ait de virgine anima vel Ecclesia, quam volebat virginem castam assignare Christo: *Paradisus clausus, soror mea sponsa, paradisus clausus, fons signatus.* Paradisus Græce, Latine hortus dicitur. Denique Susanna in paradiso erat, et sic legitur latine: et Adam in paradiso erat, et sic legimus. Ergo non te moveat B quod alii codices latini hortum habent, alii paradisum. Ibi ergo est casta uxor, ubi et virgo. Licet virgo excepta habeat claustra sua et signacula, sed utraque in paradiso; ut adversum æstus corporis et carnis flagrantiam refrigeretur virtutum umbraculis.

36. Ergo paradisus in principali nostro est, silvescens plurimarum opinionum plantariis, in quo principaliter lignum vitæ constituit Deus, id est, pietatis radicem. Ea est enim vitæ nostræ substantia, si Domino et Deo nostro **1586** debitos cultus deferamus. Constituit etiam scientiæ boni et mali seminarium; homo enim solus in cæteris animantibus terrenis, habet scientiam boni et mali. Alia quoque illic plantaria diversa, quorum fructus virtutes sunt. C Sed quia scientiæ capax hominis affectus cognitus est a Deo, quod citius ad astutiam inclinaretur, quam ad summum prudentiæ; neque eum judicem qui fines certos in anima nostra constituit, operis sui qualitas latere poterat: eliminare voluit astutiam de paradiso, quasi providus auctor nostræ salutis, et vitæ studium et disciplinam pietatis infundere. Ideoque præcepit homini, ab omni ligno quod est in paradiso gustandum, de ligno autem scientiæ boni et mali non esse gustandum. Sed quia creatura omnis passioni obnoxia est, ideo delectatio sicut serpentino illapsu humanis irrepsit affectibus.

37. Itaque non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudine; prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus ince- D dens, aut ullis elevata cruribus: sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Ei terra cibus est sicut serpenti, quoniam escam nescit cœlestem; corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, et tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosus, helluo internecat, abligurito perimit. Quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas! Nunc intelligo qua causa Dominus Deus insufflavit in faciem hominis; ibi enim sensus omnes, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore; ut sensus nostros adversus delectationem fortiores faceret. Hæc ergo nobis sicut serpens astutiam infudit; non enim delectatio, sed labor et diuturna meditatio cum Dei gratia dat perfectam prudentiam. Tamen quia serpentis fraudibus involuta est humani generis hæreditas, in eo astutiam serpentis sequamur, ut caput nostrum non projiciamus in pericula, sed præ cæteris integrum custodiamus; caput autem nostrum Christus est. Hoc maneat incolume, ut serpentis venena nobis non possint nocere: bona enim est sapientia cum hæreditate, id est, cum fide; quoniam est hæreditas credentium in Domino.

38. Quod si primus homo, qui cum Deo loquebatur in paradiso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata et creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali cæterorumque concreta sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiæ hæreditatis: quanto facilius postea, lubrica ad peccandum via, majus advexit humano generi præcipitium, cum deterior tolerabiliori per vices generationis successerit! Etenim si magnetes lapis tantam naturæ vim habet, ut ferrum ad se trahat, et transfundat se in illius speciem; ita ut plerisque experiri volentibus, cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admoverint, omnes pari teneat modo: deinde si ei annulo cui adhæserit lapis, alium admoveas annulum, et rursum per ordinem singulis substituas; licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores remissiore: quanto magis humani generis conditio atque natura, ex puriore statu in deteriorem lapsa est, quanto nequiorem attigit! Nam si per eas species imminuitur natura, quæ non sunt culpæ capaces: quanto magis per animos atque artus labe pollutos scelerum, virtus ejus hebetatur! Unde quia vincente malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui faceret bonitatem, non erat usque ad unum. Venit ergo Dominus, qui reformaret naturæ gratiam, immo augeret; ut ubi superabundavit peccatum, superabundaret gratia.

39. Ergo liquet quia auctor hominis Deus, et quod unus Deus, non multi dii, sed unus qui mundum operatus est, et unum, non multos mundos, ut dicunt philosophi. Primum ergo mundum creavit, deinde habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret: nam si hodie quocumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat: quanto magis ille primus homo, totius mundi erat incola, et ut Græce dicitur, cosmopolites, Dei recens **1587** confabulator, assiduus civis sanctorum! complantatus virtutibus, præpositus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mundum suam possessionem putabat, quem Dominus tuebatur ut opus suum, neque ut bonus parens atque auctor deserebat. Denique eousque creatum fovit, ut abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum passione filii sui unigeniti resuscitaret. Est ergo hominis au-

Digitized by Google

ctor Deus, et diligit opus suum operator bonus, nec dereliquit bonus pater, quem etiam sicut dives paterfamilias censu propriæ hæreditatis redemit.

40. Caveamus ergo ne hominem istum, id est νοῦν, mulier illa, id est, passio sensuum nostrorum delectatione et ipsa decepta atque illusa effeminet, et circumscriptum in leges suas et sententiam trahat. Fugiamus delectationem sicut serpentem, multas artes habet et maxime in homine. Nam alia animantia cibi aviditate capiuntur; homo quando plures sensus oculorum auriumque habet, tanto majora pericula. [a] Itaque cave ne vigor mentis tuæ, coitu quodam corporeæ voluptatis inflexus emolliatur, atque in ejus omnes amplexus resolvatur, et fontem ejus aperiat, qui debet esse clausus et septus intentionis studio et consideratione rationis : *Hortus enim clausus, fons signatus.* Namque resoluto mentis sensu, se corporales delectationes effundunt perniciosæ nimis, et in appetentiam plenam gravis periculi profluentes; quas si mentis vividæ considerata mansisset custodia, refrenasset.

41. (Vers. 3, 4.)[b] *Emissiones*, inquit, *tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructu, Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, mirrha et aloe cum omnibus primis unguentis.* Laudantur munera animæ quæ missa sunt a Sponso, quibus dotata veniebat (Deo autem piæ animæ boni odores sunt), myrrha, aloe, crocus et alia, quibus spirat hortorum gratia, et peccatorum fetor aboletur. Itaque tanto secura præconio, conquiescere aquilonem gravem ventum petit, ne flores discutiat : spirare austrum, hoc est, velut hyemem præterire, et mollioris flatus vernare temperiem. Invitat Sponsum in hortum suum, descendit sponsus, et fructuum ejus diversitate delectatus, lætatur quod invenerit fortiorem cibum, invenerit etiam dulciorem. Est enim velut panis quidam Verbi et mel, alius vehementior, alius suasorius sermo. Est et fides alia ferventior, ut vinum ; alia lucidior, ut succus est lactis. Hunc cibum Christus epulatur in nobis, hoc poculum bibit, et ejus potus ebrietate nos provocat, ut ad meliora et optima ab inferioribus faciamus excessum.

42. Audiens hæc anima hausit mysteriorum ebrietatem cœlestium, et velut soporata a vino, et quasi in excessu vel stupore posita, dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Tum Verbi præsentis lumine percussa, excitatur a Verbo. Quartus autem hic processus est animæ. Primum etenim charitatis impatiens, et Verbi moras non ferens, rogabat ut oscula mereretur, et meruit desideratum videre. Secundo introducta in cubiculum regis, cum mutua misceret alloquia, in umbra ejus requievit, et subito ei Verbum medio sermone discessit; quærenti tamen non diu abfuit, sed saliens supra montes et transiliens super colles advenit. Nec multo post quasi A capreolus aut cervorum hinniculus dum affatur dilectam, exsilivit et reliquit. Tertio cum in cubili et noctibus, in civitate et foro, in plateis quæsitum non reperit, et aliquando orationibus suis gratia quærentem revocavit, adeo etiam ut propius vocaretur a sponso. Quarto ipsa jam dormiens ab ipso excitatur, quamvis corde vigilaret; ut continuo vocem pulsantis audiret : sed moram passa, dum surgit (quia velocitatem Verbi non potuit comprehendere), dum aperit ostium, transivit Verbum, et ipsa exivit in Verbo ejus : et per vulnera requisitum, sed vulnera charitatis, vix tandem invenit, et tenuit, ut postea non amitteret. Ad summam hæc compendioso sermone perstrinxi, nunc discutiamus singula.

43. (Vers. 15.) [c] *Fons hortorum, puteus aquarum* B *viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Habes hæc in Salomone, quia Proverbia ejus moralia, Ecclesiastes naturalis, in quo quasi vanitates istius despicit mundi : mystica sunt ejus Cantica **1588** Canticorum. Habes et in propheta : *Seminate vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis* (*Ose.* x, 12); hoc est enim lumen cognitionis, habere charitatis perfectionem. Ideoque dictum est : *Ne timeas* (*Joan.* xii, 15); charitas enim timorem excludit foras.

44. Ut cognoscamus autem quia Salomon ita hos interpretatus est tres puteos, quos fodit Jacob; ut ad moralem doctrinam et naturalem referret et mysticam, in singulis libris suis, quos de moralibus et naturalibus vel mysticis scripsit, posuit hos puteos. C Nam et in Proverbiis, cum declinandam speciem diceret sæcularis illecebræ, ait : *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus, et superfluant tibi aquæ de tuo fonte* (*Prov.* v, 15). Et infra : *Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et jucundare cum uxore quæ ab adolescentia tua* (*Ibid.*, 18); eo quod adversus tentamenta mundi remedium nobis vera sapientia sit. Moralis quoque doctrina quæ imaginem mundanæ voluptatis meretriciis quibusdam illitam fucis irriguo suo diluat, et fluento sui fontis abstergat.

45. De naturalibus quoque habes in Ecclesiaste ipsum : *Feci mihi piscinas aquarum ad irrigandum ex his saltum germinantem* (*Eccles.* ii, 6). Neque te moveat quod pro puteo piscinas posuit, quia et Moyses puteum latitudinis dixit; eo quod a sollicitudine omni D et angustiis solvitur, qui mundum hunc pia mente transcenderit. Non immerito ergo piscinas habet Ecclesiastes, qui vidit nullam abundantiam esse sub sole : sed si quis abundare velit, in Christo abundet.

46. De mysticis et puteus superest nobis, quem etiam ipsum reperimus in Canticis Canticorum, dicente Scriptura : *Fons hortorum, puteus aquæ vivæ, et impetu descendens a Libano.* Etenim si mysteriorum altitudinem persequaris, puteus tibi videtur tamquam in profundo sita mystica esse sapientia : si vero haurire velis affluentiam charitatis, quæ major et ube-

[a] Lib. de Isaac, cap. 1, num. 2.
[b] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 48, 49; et cap. 6, num. 50.
[c] Lib. de Isaac, c. 4, num. 23 et seq.

rior est, quam fides et spes, tunc tibi fons est. Exuberat enim charitas, ut et haurire eam cominus, et rigare ejus affluentia hortum tuum possis, spiritalibus fructibus redundantem. Et quia ipse puteus latitudinis est, qui charitatem habet; ideo dixit, quia ubi charitas est, ibi impetus magnus descendit a Libano.

47. Ne quid autem moveat, quod et puteum, et fontem eumdem dixit; etiam Evangelium te instruat, in quo scriptum est: *Quia venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo* (*Joan.* IV, 5 *et* 6). Erat autem ibi fons Jacob: *Et fatigatus*, inquit, *sedebat sic super puteum*. Unde ad mysticam doctrinam hunc referri puteum etiam ibi cognoscimus, quia ibi Samaritana illa, id est, custos (custos autem cœlestium præceptorum) hausit de puteo illo divina mysteria, B cognoscens quia Deus spiritus est, et non in loco adoratur, sed in spiritu: et quia Messias venit, qui Christus est. Quibus auditis mulier illa quæ speciem Ecclesiæ gerit, Legis sacramenta cognovit et credidit.

48. [a] *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, et impetus descendens a Libano*. Hos impetus Ecclesia deduxit a Libano, hoc impetu diluuntur peccata, hoc impetu puri fontis Spiritus sancti adfuit a Libano Sponsa, et a principio fidei transivit sæculum, et pertransivit ad regnum. Aliis fons est, aliis puteus pro captu nostro gratia spiritalis: aliis hortus clausus, fons signatus, aliis hortorum fons, qui in Ecclesiæ dote numeratur: aliis impetus descendens a Libano, et magnus impetus qui numquam deficit. Non C enim deficiunt de petra ubera, neque nix a Libano, neque aqua quæ fertur valido vento virgini Hierusalem.

49. Descendit impetus a Libano, quando collectis in unum apostolis et pluribus credentibus, factus est subito de cœlo sonus, tamquam vi magna spiritus ferretur, et repleti sunt omnes Spiritu sancto diversitates donante linguarum (*Act.* II, 1, 3). Bonus impetus qui lædere nesciat, norit implere. Si quis igitur hunc impetum supervenientis e cœlo gratiæ vult mereri, descendat etiam ipse oculis in decursus aquarum. Qui hunc primum impetum fuderit, illum merebitur. Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quæ lacrymis in Evangelio rigavit Domini pedes (*Luc.* VII, 38), et ideo fidei suæ pretio emit D animæ suæ et corpori sanitatem, jam non sanguinis proflua, sed gratiæ spiritalis.

**1589.** 50. Descendit ergo David propheta, ideo de peccato gratiam retulit. Descendit in aquarum ductus, hoc est, replevit eos, et decurrentium aquarum lacrymis suis fluenta cumulavit, aut inanes et vacuos ductus solis replevit fletibus. Aut quod elocutionis moralis quosdam sensus ostendit, descendit in aquarum ductus, transivit eos. Et possemus dicere, transcendit eos, et supergressus est: sed minuitur vis A eloquii, quo vis major affluentiæ descendentis, quam ascendentis exprimitur. Vide, rogo, quid de usu verba habeant, impetum suum sermo propheticus non amittat, licet usus ipse scriptorum sensui servire, majore decore consueverit.

51. [b] *Puteus aquarum viventium;* puteus enim si nihil haurias, inerti otio et degeneri situ facile corrumpitur: exercitatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita et acervus divitiarum, cumulo arenosus, speciosus est usu, otio autem inutilis habetur. Derivato igitur aliquid de puteo hoc: *Ignem enim ardentem restinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis* (*Eccli.* III, 33). Aqua autem stativa cito vermes facit: non stet thesaurus tuus, ne ignis tuus stet. Stabit in te, nisi eum operibus tuæ miserationis averteris.

52. [c] (Vers. 16.) *Exsurge, aquilo, et veni, auster, aspira hortum meum, et perfluant aromata mea*. Audisti, Christi sponsa, quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum; audisti quia vestimentorum tuorum aromata, hoc est, bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit. Audisti, quia hortus es clausus, suavium pomiferarum refertus frugibus. Pete igitur ut aspiret tibi Spiritus sanctus, aspiret supra cubile tuum, atque odorem piæ mentis, et gratiæ spiritalis accumulet. Excita Spiritum sanctum dicens: *Exsurge, aquilo, et veni, auster; aspira hortum meum, et perfluant aromata mea. Descendat fraternus meus in hortum suum, et manducet fructum pomiferarum suarum*. Hortus Verbi animæ vernantis affectus est, et in pomiferis virtutis est fructus. Venit ergo, et sive manduces, sive bibas, si Christum invocas, adest dicens: *Venite, manducate panes meos, et bibite vinum meum* (*Prov.* IX, 5).

53. [d] *Exsurge*, inquit, *aquilo, et veni, auster; aspira hortum meum, et perfluant aromata mea*. Ex omnibus enim partibus mundi odor sacræ religionis adolevit, quo dilectæ virginis membra fragrarunt. Unde et Ecclesia altitudinem servans mysteriorum cœlestium, rejicit a se graviores venti procellas, et invitat vernantis gratiæ suavitatem; et sciens quod ortus suus Christo displicere non possit, advocat Sponsum suum: *Exsurge*, inquit, *aquilo, et veni, auster*. [e] Plerique hæc ita accipiunt, quasi projiciatur aquilo, et invitetur auster. Quod si ita accipiunt, exturbatur ab Ecclesia perfidiæ glacialis asperitas, ne fiat fuga nostra hyeme vel sabbato, et invitatur australis verna temperies.

54. Aut certe: *Exsurge, aquilo*, hoc est, *surge, qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* V, 14). Populus nationum qui diu ante dormisti, evigila aliquando, et illucescet tibi Christus. Postremo omnes invitantur ad Ecclesiam, et Synagogæ populus et gentilium: sed prius Synagogæ, quia priores ex Judæis apostoli

[a] Psal. CXVIII, Serm. 17, num. 31 et seq.
[b] Lib. de Nabuthe, c. 12.
[c] Lib. de Virginitate, cap. 10, num. 54
[d] Lib. I de Virg., cap. 8, num. 47.
[e] In Psal. CXVIII, serm. 12, num. 24.

Digitized by Google

rediderunt et per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Vide ergo venientem solem nostrum ad ustrum, postea gyrantem ad aquilonem. *Hierusalem, Ierusalem:* venit utique ad eam, quam etiam vocare ignatus est: sed hæc Hierusalem terrena est, quæ ccidit prophetas, hoc est, Synagoga Judæorum: *uoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, sicut galna pullos suos, et noluisti? Ecce relinquetur domus estra deserta* (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Gyravit igitur d gentes: gyrando autem gyravit Spiritus Dei, et in yros suos conversus est, ut fieret Deus omnia in mnibus.

## CAPUT QUINTUM.

1. (Vers. 1.) [a] *Veniat dilectus meus in hortum neum, et comedat fructum pomorum suorum.* Hinc hortum illum sibi Plato composuit, quem Jovis hortum libi, alibi hortum mentis appellavit; Jovem enim et Deum et mentem dixit. In hunc introivisse animam, quam Venerem nuncupat, ut se abundantia et divitiis horti repleret, in quo repletus potu jaceret, potu qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit; eo quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia **1590** diversarum virtutum, floresque sermonum. Quis autem ignorat quod ex paradiso illo quem legimus in Genesi habere lignum vitæ et lignum scientiæ boni et mali (*Gen.* II, 8), et ligna cætera, abundantiam virtutum putaverit transferendam, et in hortum mentis esse plantandam?

2. Quem in Canticis Canticorum hortum animæ significat, vel ipsam animam; sic enim scriptum est: *Hortus clausus sponsa, soror mea, hortus clausus, fons signatus.* Et infra ait anima: *Exsurge, aquilo, et veni, auster; perfla hortum meum, et defluant unguenta tua, descendat frater meus in hortum suum* (*Cant.* IV, 12 *et* 15). Quanto hoc pulchrius, quod anima ornata virtutum floribus, hortus sit; vel habeat in se paradisum germinantem, in quem hortum invitat Verbum Dei descendere; ut anima illa Verbi imbre cœlestis, et ejus copiis irrigata fructificet! Verbum autem Dei pascitur animæ virtutibus, quoties animam obedientem sibi et opimam invenerit: et carpit fructus ejus, et his delectatur. Cum autem descenderit in eam Dei Verbum, defluunt ex ea salubrium unguenta verborum, et diversarum flagrant longe lateque redolentia gratiarum spiramina. Unde ait Sponsus (Sponsus autem animæ Deus Verbum est, cui anima legitimo quodam connubii fœdere copulatur):

3. (Vers. 2.) *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa; vindemiavi myrrham meam cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, proximi mei, et bibite et inebriamini, fratres mei. Ego dormio, et cor meum vigilat.* Cognoscamus quos fructus vel cibos epuletur Deus, vel quibus delectetur. Delectatur eo, si quis A mortificet peccatum suum, oblitteret culpam suam, sepeliat atque abolefaciat iniquitates suas; myrrha enim est sepultura mortuorum, mortua autem peccata sunt, quæ vitæ suavitatem habere non possunt. Perfunduntur autem divini sermonis unguentis, et fortiori cibo verbi velut pane, et suaviori sermone velut melle curantur quædam vulnera delictorum. Sermones autem cibos esse docet et alibi Salomon, dicens: *Favi mellis sermones boni* (*Prov.* XVI, 24). In illo ergo horto sermones boni sunt, alius qui culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat insolentiam, et velut sepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus suis renuntiat.

4. Est etiam sermo fortior, qui confirmat cor hoB minis validioribus Scripturæ cœlestis alimentis. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Est enim sermo suasorius dulcis ut mel, et tamen peccatoris conscientiam in ipsa suavitate compungens. Est etiam ferventioris spiritus sermo, qui inebriat sicut vinum, et cor hominis lætificat. Est denique lacteus sermo, purus et candidus. Hos cibos dulcium utiliumque sermonum epulandos Sponsus proximis suis dicit: *Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini, fratres mei.* Proximi autem sunt qui eum sequuntur, et ejus nuptiis intersunt. Quo cibo et potu (bibit enim unusquisque (*Prov.* V, 15) aquam de suis vasis, et de puteorum suorum fontibus) repleta anima, atque inebriata, sæculo dormiebat, vigilabat Deo. Et ideo sicut posteriora docent, aperiri sibi Deus Verbum ejus januam postulabat, ut eam suo repleret inC gressu.

5. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex vino et melle prophetico, hinc somnus ille translatus est, hinc vita illa perpetua quam deos suos dixit epulari, quia Christus vita est. Ideoque talium sermonum seminibus, animæ ejus repletus est venter, atque ipsa exivit in Verbo: quæ autem exit anima a servitio isto, et elevat se a corpore, Verbum sequitur. Aliter, ut superius (*Sup.*, *cap.* 4) aliquantulum repetamus: [b] *Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Quo significat signatum debere apud te manere mysterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio castitatis: ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos.

D 6. Bona debet ergo fidei tuæ esse custodia, ut intemerata vitæ ac silentii integritas perseveret. Unde et Ecclesia altitudinem servans mysteriorum cœlestium, rejicit a se graviores venti procellas, et invitat vernantis gratiæ suavitatem. Et sciens quod hortus suus Christo displicere non possit, advocat ipsum sponsum dicens: *Exsurge, aquilo, et veni, auster: perfla hortum meum, et fluant unguenta mea* (*Cant.* IV, 10): **1591** *descendat frater meus in hortum suum, et edat fructum pomiferarum suarum* (*Cant.* V, 1); bonas enim arbores et fructiferas habet, radicesque

[a] Lib. de Bono mortis, c. 5, num. 19.

[b] Lib. de Mysteriis, cap. 9, num. 55.

Digitized by Google

suas quas tinxerat in sacri fontis irriguo, et in bonos fructus novæ fecunditatis germine pullulaverint; ut non jam prophetica cædantur securi, sed evangelica ubertate fecundentur. Denique fertilitate earum Dominus delectatus respondet :

7. *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa : vindemiavi myrrham cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo : bibi potum meum cum lacte meo.* Quare panem et vinum dixerim, fideles intelligunt. Illud autem non dubium, quod nobis ipse manducat et bibit, sicut in nobis legisti, quia in carcere esse se dixit (*Matth.* xxv, 36). Unde et Ecclesia videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens : *Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini, fratres mei.* Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam Spiritus sanctus expressit, dicens : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo* (*Psalm.* xxxiii, 9). In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi : non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde et Apostolus de typo ejus ait : *Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, et potum spiritalem biberunt* (I *Cor.* x, 3). Corpus enim Dei corpus est spiritale, corpus Christi corpus est divini spiritus; quia spiritus est Christus, ut legimus : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (*Thren.* iv, 20). Et in Petri epistola habemus : *Christus pro nobis mortuus est* (I *Pet.* ii, 21). Denique cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste lætificat cor hominis, ut propheta memoravit (*Psal.* ciii, 25).

8. [a] *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus;* ne facile aperiat os suum, nec vulgari resignet alloquio; neque enim de ipsis divinis decet, nisi verbo Dei interpellata respondeas. Quid tibi cum cæteris? Soli Christo loquere, soli fabulare Christo. Si enim ut mulieres taceant in Ecclesia scriptum est (I *Cor.* xiv, 34) : quanto magis non decet patere virginis januam, non decet viduæ patere fores! Cito insidiator pudoris obrepit, cito verbum excipit, quod revocare desideres. Si Evæ clausa fuisset janua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset interrogata serpenti. Introivit mors per fenestram, hoc est, per Evæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo si ubi non oportet, loquaris. Clausæ sint igitur labiorum tuorum fores, et obseratum maneat vocis vestibulum, tunc fortasse reserandum, cum audieris Dei vocem, cum audieris Dei verbum. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi baptismatis aspirabit gratia, ut ab elementis mundi commoriare cum Christo, et cum Christo resurgas. *Quid adhuc,* inquit, *velut viventes, de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt ad corruptionem ipso usu* (*Coloss.* ii, 20 *et seq.*).

9. [b] *Descendat frater meus in hortum suum, ut com*A*medat fructum pomiferarum suarum.* Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus es in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit Dominus Jesus, et dignatione cœlesti respondit Ecclesiæ suæ : *Descendi,* inquit, *in hortum meum, vindemiavi myrrham cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo.*

10. Edite, inquit, fratres mei, et inebriamini : *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis* (*Psalm.* lxxix, 9). Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineam, et agnoscetis vindemiam. *Vineam,* inquit, *ex Ægypto transtulisti,* hoc est, populum Dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia : quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. *Vindemiavi myrrham cum* B *unguentis meis,* hoc est, in odorem quem accepistis.

11. Manducavi panem meum cum melle meo. Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit. *Bibi vinum meum cum lacte meo,* vides hujusmodi esse lætitiam, quæ nullius peccati sordibus polluatur? Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu. Unde et Apostolus ait : *Nolite inebriari vino..... sed implemini Spiritu sancto* (*Ephes.* v, 18). Vino enim qui inebriatur, vacillat et titubat : spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est, et ideo præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur.

**1592** 12. [c] *Edite,* inquit, *amici mei, et bibite, et inebriamini.* Bona ebrietas quæ ad meliora atque ju- C cunda facit quemdam mentis excessum, ut immemor sollicitudinum animus noster, vino jucunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas; denique *poculum inebrians quam præclarum* (*Psalm.* xxii, 5)! Et alibi habes : *Rivos ejus inebria, multiplica generationes ejus* (*Psalm.* lxiv, 11); eo quod ebrietas terræ cum infusa fuerit imbre cœlesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueverit. Itaque ubi Verbum quod sicut pluvia descendit de cœlo, venas terræ nostræ, id est, animæ ac mentis inebriavit prædicatione divina, excitantur virtutum studia diversarum, fructusque fidei, et castæ devotionis adolescit, meritoque ei dicitur : *Visitasti terram, et inebriasti eam* (*Psalm.* lxiv, 10). Susceptione etenim corporis visitavit, ut sanaret infirmos : inebriavit gratia spiritali, ut anxios D jucunditate mulceret.

13. [d] *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Est sanctorum somnus etiam operarius, secundum quod scriptum est : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Et secundum quod Jacob sanctus divina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non viderat; de cœlo ad terras aerem prævium sanctis, respicientem Dominum, et pollicentem terræ ejus possessionem. Itaque brevi somno dormiens, impetravit quod magno labore postea acquisivit, hæreditas enim ejus est somnus sanctorum, feriatus ab omnibus corporis voluptati-

[a] Lib. de Virginitate, cap. 13, num. 80.
[b] Lib. v de Sacram., c. 3, num. 14.
[c] In psalm. cxviii, serm. 8, num.
[d] Epist. ad Anysium, num. 34.

Digitized by Google

is, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem enti invehens, placiditatem animæ; ut tamquam luta nexu corporis se ablevet, et Christo adhæreat. ic est somnus vitæ sanctorum.

14. [a] *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi, soror ea.* Et si dormias', et si modo devotionem animæ iæ noverit Christus, venit, et pulsat ejus januam, t dicit: *Aperi mihi, soror mea.* Bene *soror*, quia uptiæ spiritales sunt Verbi atque animæ; neque nim animæ norunt conjugiorum fœdera, et usus coulæ corporalis, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. *Aperi*, inquit, *mihi*, sed extraneis claude. Claude sæculo, claude mundo. Neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras; quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, ut non videatur lumen veræ gloriæ. B *Aperi ergo mihi*, noli coarctari, sed dilata te, et adimplebo te. Et quia decurso orbe terrarum, plus molestiarum et offensionis reperi, nec facile habui ubi requiescerem; ideo tu aperi, ut in te filius hominis reclinet caput, cui non est requies nisi super humilem et mansuetum.

15. [b] *Aperi mihi, soror mea, surge, proxima mea, columba mea, perfecta mea.* Charitate proxima, columba simplicitate, virtute perfecta. *Quia caput meum plenum est rore;* sicut enim ros cœli nocturnas amovet siccitates, ita ros Domini nostri Jesu Christi nocturnis et sæcularibus tenebris æternæ vitæ stillavit humorem. Hoc est caput quod æstu mundi nescivit arescere, unde ait: *Quia si in humido hæc faciunt, in arido quid facient* (*Luc.* XXIII, 31)? Hoc igitur ca- C put rorat aliis, sibi abundat. Et bene abundat caput Christi; quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus hauritur suis, aut diutina deficit largitate. In hoc caput ferrum non ascendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ. Nunc specta, et vide ros ille qualis sit, scilicet non vulgaris humoris.

16. *Cincinni autem mei guttarum noctis.* Noli, proxima mea, accipere cincinnos corporalium capillorum: non illa ornamenta, sed crimina sunt: lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum non ascendit, quos nemo præcidit: qui non calamistris compositi aut arte digesti, sed multiplici crispantes virtutum nitentium gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazaræus D cincinnos habeat, quos quamdiu Samson habuit intactos, numquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, et meritum virtutis amisit (*Jud.* XVI, 17).

17. (Vers. 3.) Audita igitur voce Verbi, quam exueras tunicam nocte, ne quæsieris quemadmodum induas eam; ostenditur enim, et frequenter offertur per nequitiam spiritalem quemadmodum, inquam, induas eam, obliviscaris et nescias; quasi jam Dominus assistat, exsors corporalium vinculorum turbata A consurgas, internam orationibus præpares mentem, dum surgis; ut ex humilibus ad superna contendas, et studeas fores tui cordis aperire. Dum 1593 manus tuas tendis ad Christum, fidelem tua gesta spirabunt odorem.

18. [c] *Aperi mihi, soror mea.* Nonne cum aliquem de primariis viris desideras convenire, primo ad ejus domum appropinquas: postea quæris informari atque instrui, ut cognoscas mentem patris familias: deinde ut ejus domum ingrediaris, imploras, ne quis te abjiciat et excludat. Pulsa ergo et tu regiam illam cœlestem, pulsa non manu corporis, sed quadam orationis tuæ dextera. Non sola manus corporis pulsat, pulsat et vox; scriptum est enim: *Vox fratris mei pulsat ad januam.* Pulsamus et digito. Denique et Thomas digito meruit januam resurrectionis aperire: et tibi dicit Jesus: *Infer digitum tuum huc, et mitte in manus meas et latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27). Pulsa ergo digito, si non potes tota manu, pulsa januam. Christus est janua qui ait: *Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X, 9).

19. Cum hanc igitur januam pulsaveris, vide quomodo ingrediaris; ne forte etiam ingressus, extra conspectum regis sis. Multi ingrediuntur palatia, et non statim regem istum terræ vident, sed frequenter observant, ut aliquando videre mereantur. Nec præsumunt videndi copiam, sed jussu repræsentantur, et precem fundunt; ut cum benevolentia suscipiantur, caventes primos sui sermonis ingressus; ne quid titubet, ne quid offendat: quanto magis rogandus est Deus, ut ostium misericordiæ suæ nostra ingrediatur oratio!

20. [d] *Vox fratris mei pulsat ad januam.* Januam quoque tuam disce, o sponsa Christi, temporibus obserare nocturnis; ne facile quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, cum pulsat. Janua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur nisi ante pulsarit Dei Verbum. *Vox fratris mei pulsat ad januam.* Audi pulsantem, audi introire cupientem.

21. [e] (Vers. 2.) *Aperi mihi, soror mea, sponsa, columba mea, perfecta mea; quia caput meum plenum est rore, et crines mei guttis noctis.* Considera quando maxime pulsat januam tuam Deus Verbum, cum repletum est caput ejus rore nocturno. In tribulatione enim et tentationibus positos visitare dignatur; ne quis forte succumbat victus ærumnis. Repletur ergo caput ejus rore vel guttis, quando corpus ejus laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cum venerit Sponsus, recedat exclusus. Si enim dormias, et cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset: si cor tuum vigilet, pulsat, et aperiri sibi januam poscit.

22. Habemus ergo animæ nostræ januam, habemus et portas de quibus dictum est: *Tollite portas*

[a] Lib. de Isaac, cap. 5, num. 51.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 12, num. 70 et seq.
[c] In psal. CXVIII, serm. 22, num. 12, med.
[d] Lib. de Virginitate cap. 13, num. 80.
[e] In ps. CXVIII, serm. 12, num. 14.

Digitized by Google

*principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 7). Est ergo et cœlum in his in quibus sunt portæ æternales. Si has fidei tuæ portas velis attollere, intrabit ad te Rex gloriæ, triumphum portans propriæ passionis. Habet enim justitia portas, nam etiam de his legimus scriptum, dicente Domino Jesu per prophetam suum : *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII, 19). Et infra ait propheta David : *Lauda, Hierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion; quoniam confortavit seras portarum tuarum* (*Psal.* CXLVII, 12).

23. Est ergo anima quæ habet januam, est quæ habet portas. Ad hanc januam venit Christus, et pulsat : pulsat et portas. Aperi ergo illi, vult introire, vult Sponsam invenire vigilantem. Noli ergo bono amatori facere moras, cito recedit : et tu somno corporis tui videris exclusisse pulsantem. Excludis enim, cum desidiosus es, cum piger, cum somnolentus. His repagulis Christus excluditur : si castus et si sobrius sis, cave ne negligens sis. Majorem Christo facit injuriam, qui advenientem repellit.

24. [a] *Aperi mihi, soror mea, proxima mea :* pulsat ad januam etiam quando tu dormis : si tamen vel excitatus evigiles, vel vocatus januam tui pectoris aperias, introibit. Quod si fugias lectionem propheticam, si domi non legas, in Ecclesia audire nolis, nonne sicut ille qui averso connivet obtutu, ne videat quod possit videre, claudit oculos ne aspiciat, cui potestas videndi est : aut sicut in furore plerique injecere manus oculis suis; ita et tu primo averteris conniventi magis dissimulatione, quam refragatione prærupta. Nam cum ad Ecclesiam venis et te Christianum **1594** esse asseris, sanus videris, aperis oculos quibus possis videre : sed dum audire dissimulas quæ leguntur, claudis ne videas tibi, et si aliis videre videaris. Injicis etiam quasdam perfidiæ et intemperantiæ manus oculis animæ tuæ, et cæcitatem infers cordi tuo (quod est gravius) voluntariam ; ut videns non videas, audiens non audias.

25. Putas te solum esse cum fornicaris, et non recordaris, quia oculi Domini vident orbem terrarum? Non audis dicentem : *Ecce venit hora ut dispergamini unusquisque in sua, et me solum relinquatis: sed non sum solus; quia Pater mecum est* (*Joan.* XVI, 32). Adest ergo Pater, adest et Filius Dei, adsunt ministri, adsunt Cherubim et Seraphim, qui dicunt. *Sanctus, sanctus, sanctus, plena est terra majestatis tuæ* (*Esai.* VI). Plenus est enim mundus virtutum, quia plenus est nequitiarum : plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis.

26. (Vers. 3.) [b] *Exui tunicam meam, quomodo induam illam?* Etenim in hac sæculi nocte prius tibi corporalis vitæ amictus est exuendus ; exuit enim se carnem Dominus, ut pro te de dominationibus et potestatibus mundi hujus triumpharet. *Quomodo induam illam?* Vide, anima Deo devota, quid dicat. Sic se actus corporis, et terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo etiamsi velit, rursus induere possit. *Quomodo induam illam?* Hoc est qua verecundia, quo pudore, qua postremo memoria? Consuetudo enim boni, usum veteris pravitatis amisit.

27. [c] Audiens anima, *Aperi mihi*, caput roris plenum habens, hoc est, tentationibus sæcularibus, subito turbata, et quasi surrectura quæ surgere jubebatur, ait cum aloem redoleret et myrrham insigne sepulturæ : *Exui tunicam meam, quomodo induam illam : lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Veretur enim ne iterum in tentationes resurgat, ne iterum in culpam redeat atque peccatum, et egressus suos virtutumque profectus terrenis incipiat vestigiis inquinare.

28. Certe hoc modo etiam perfectionem virtutis suæ indicat, quæ tantam Christi meruerit charitatem; ut ad eam veniat, et pulset januam ejus, et veniat cum Patre, et cœnet cum eadem anima, et ipsa cum eo, sicut in Apocalypsi dixit Joannes apostolus (*Apoc.* III, 20). Etenim cum in superioribus audisset : *Adhuc a Libano ;* et cum adverteret in carne se Christo adesse non posse, sed tunc adesse si adesset in spiritu, conformans se ad ejus voluntatem, ut esset et ipsa conformis imagini Christi ; jam non sentit carnis exuvias, jam quasi spiritus exuens se corporis conjunctione, jam quasi oblita, et quæ si velit, copulæ illius meminisse non possit, ait : *Exui tunicam meam, quomodo induam eam?* Exui enim tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam et Eva post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam passionum : *Quomodo induam illam?* Non requirit ut induat : sed ita significat abjectam, ut jam indumento sibi esse non posset.

29. (Vers. 3.) *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hoc est, vestigia mea lavi, dum egrederer, ac me elevarem de corporis contubernio, de illa connexione et familiaritate carnalis amplexus : quomodo inquinabo ea, ut in corporis claustrum, et illum tenebrosum passionum ejus carcerem revertar? Sic passiones sepelimus, si crucem hujus corporis non resolvamus ; si chirographum peccati quod deletum est, in cruce Christi non rescribamus, si veteris hominis amictum quem exuimus, non induamus. Scriptum est enim in Canticis: *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Mortificata igitur sunt corporis membra, cur ejus pullulant vitia? Ideo non prævaluit lex, quia carnem non mortificavit : ideo quasi umbra præteriit, quia non decoloravit : ideoque obumbravit nos a sole justitiæ, quia coacervavit crimina.

30. [d] Aliquando nudam esse, virtutis indicium est, quia scriptum est : *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Quam igitur tunicam exuerit, et non invenerit quem-

[a] In psal. CXVIII, serm. 1, num. 11 et 12.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 10, num. 55.
[c] Lib. de Isaac, cap. 6, num. 52.
[d] Apol. 2 David. cap. 9, num. 45 in fin. et 46.

Digitized by Google

lmodum induat eam, de Scripturis si possumus, A velemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt upiditatum quædam intexta velamina; et ideo in- rdum melius est nudum esse corpore, quam corde elatum. Unde etiam Paulus nos admonet, **1595** xspoliari multo melius esse quam supervestiri, di- ens alibi: *Exspoliantes vos veterem hominem cum ctibus suis, induite novum qui renovatur in agnitio- em, secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Ergo uæ exspoliata est, et pedes lotos habet, nescit quem- dmodum inquinari non possit; obliviscitur enim er gratiam, quod hauserat per naturam.

31. [a] *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Didicisti in Evangelio, quod pedes lavare fidei my- terium, humilitatis insigne sit, juxta quod scriptum st: *Si ego lavi pedes vestros Dominus et magister,* B *quanto magis vos debetis alter alterius pedes lavare* (*Joan.* XIII, 14)! Sed hoc ad humilitatem pertinet. Quantum vero ad mysterium, pedes debet lavare suos, qui vult partem habere cum Christo: *Si enim non lavero,* inquit, *tibi pedes, non habebis partem me- cum* (*Ibid.* 8). Cum hoc Petro dicitur, quid de nobis censetur? Qui lavit igitur pedes, non necesse habet iterum lavare; et ideo caveat ne inquinet eos.

32. Et bene sancta Ecclesia dicit: *Lavi pedes meos;* non dicit, quomodo iterum lavabo eos, sed *quomodo iterum inquinabo eos?* Quasi oblita ma- culæ veteris, oblita contagii, admonet quomodo in ministerio corporali spirituale debeamus actuum nostrorum diluere vestigium. Itaque pedes cum se- mel laveris æterni fontis irriguo, et mysterii munda- C veris sacramento, cave iterum corporeæ cupiditatis illuviem, ne lutulenti actus terrenis sordibus inqui- nentur. Isti sunt pedes quos David lavit in spiritu, qui te docet quemadmodum eos inquinare non pos- sis, dicens: *Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Hierusalem* (*Psal.* CXXI, 2). Utique hic non corporis, sed animi intellige pedes; quomodo enim terre- nus homo in cœlo haberet corporis pedes? Hierusa- lem, sicut Paulus te docuit, in cœlo est: et idem te docuit quemadmodum in cœlo stare possis, cum dicit: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Conversatio morum, conversatio factorum, conversatio fidei.

33. [b] *Feci judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me.* Ubi justitia, ibi misericordia. Mi- D sericordia a peccato liberat. Quomodo ergo peccato- ribus trador? Simile est illud in Canticis: *Exui tu- nicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Exui tunicam peccatoris, velamenque terreni; cur quasi peccator atque ter- renus adjudicor? Lavi pedes meos, ne qua pec- cati sors posset adhærere vestigio; cur das in me delinquentibus potestatem?

34. [c] Hieremias in suis Threnis ait: *Defecit ini- quitas tua, filia Sion, non adjiciet te expellere adhuc: visitavit iniquitates tuas, filia Edom, revelavit super peccata tua* (*Thren.* IV, 21). Advertis quoniam ini- quitas non potuit sine Dei visitatione deficere, nec plena esse correctio, nisi per gratiam Domini Sal- vatoris? Quomodo autem deficiat iniquitas, audi di- centem Ecclesiam: *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Veteris igitur hominis vestimentum vitiis erro- ris intextum, in lavacri regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere; studio enim correc- tionis inoleverat oblivio peccatorum. Tanta vis con- summatæ emendationis est, ut in quamdam pueritiæ redeat spiritalis ætatem, quæ vias erroris ignoret; crimen etiamsi velit, non possit admittere; quia de- sueverit usus nosse peccandi.

35. (Vers. 4.) [d] *Frater meus misit manum suam de prospectu, et venter meus conturbatus est super eum. Exsurrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distilla- verunt myrrham, digiti mei myrrha pleni.* Primum ergo tamquam a prospectu mittit manum suam, quando Deus ex operibus æstimatur, unde ait: *Si mihi non creditis, operibus credite* (*Joan.* X, 38). Deinde augetur amor, et intimis visceribus concep- tus inolescit. Inde intelligibili utero, in quo est re- ceptaculum Verbi, seminibus ejus infusis, plenitu- dinem ejus corporaliter inhabitantem haurire anima nostra desiderat; non enim turbatur uterus femina- rum, nisi quæ fuerint alvo graves. Surgit igitur ani- ma ut aperiat Dei Verbo, sed dum se expandit atque aperit, ut opera mundi istius Verbi receptione mor- tificet, sicut ille qui ait: *Mortificationem Domini Jesu in corpore nostro circumferimus* (II *Cor.* IV, 10). Ergo dum aperit, transit Sponsus; vult enim semper quæri, frequentius inveniri. Et si clausam invenerit januam, pulsat; et si per moram **1596** fuerit ex- clusus, recedit; sed cito redit, et iterum pulsat, ut vel postea Sponsam suam inveniat præparatam.

36. Potest quidem et sic accipi, *Frater meus transivit:* sicut legimus quod penetravit dilectæ in- tima medullarum, quemadmodum ad Mariam dictum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc.* II, 35). Denique addidit Sponsa, animam suam exisse in verbo ejus, quod fit quando anima peregrinatur a corpore, et Deo præsens est. Audiens hæc Sponsus misit operationem suam Verbum, tamquam per ca- vernam, non adhuc facie ad faciem: misit tamquam manum, *Et venter,* inquit, *meus conturbatus est super eum.* Quisquis sic vivit, potest dicere:

37. [e] *Frater meus misit manum suam per prospe- ctum, et venter meus conturbatus est ad illum: surrexi aperire fratri meo.* Bonum est ut ad adventum Domini interiora turbentur. Si ad angeli adventum Maria turbata est, quanto magis ad Christi nos turbamur

[a] Lib. de Virginitate, cap. 10, num. 57.
[b] In psal. CXVIII, serm. 16, num. 14 in fine.
[c] In psal. CXVIII, serm. 22, num. 4.
[d] In psal. CXVIII, serm. 12, num. 16.
[e] Lib. de Virginitate, cap. 11, num. 60.

Digitized by Google

adventum! Influentibus quippe divinis, corporeus peregrinatur affectus, et usus ille exterioris hominis exolescit. Et tu turbare, tu festina. Festinantes illi agnum manducare præcipiuntur. Surge, aperi, ad januam Christus est, vestibula domus tuæ pulsat: si aperueris, introibit, et introibit cum Patre. Nec solum cum ingressus fuerit, mercedem relinquit: sed etiam priusquam ingrediatur, mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quærit ubi Christus est, adhuc solvit vinculum carnis et corporis claustrum, adhuc Christus foris pulsat.

38. [a] Quæ est fenestra nostra, nisi per quam opera Christi videmus, oculus scilicet animi et mentis obtutus? Et ideo, virgo, per fenestram tuam Christus introeat, Christus manum suam mittat: per fenestram tibi Verbi veniat, non corporis amor. Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei Verbum, vide quemadmodum fenestras tuas præpares, vide quemadmodum ab omni pulvere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeant, nihil adulterinum fenestræ virginis. Procul stibium et cæteras affectati nugas decoris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium clausura est, quibus non suspendenda onera, non figenda vulnera, sed unus ornatus est, audire quod prosit.

39. (Vers. 6.) [b] *Aperui*, inquit, *fratri meo; frater meus transivit.* Quomodo transivit, id est, mentis interna penetravit, sicut dictum est Mariæ: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vivum enim Dei verbum, sicut gladius acutus, penetrans corporalium repagula cogitationum', cordis interna rimatur. In cubili ergo tuo et nocturno in tempore constituta, semper meditare Christum, et ejus adventum omnibus sperato momentis. Si tardare tibi videtur, exsurge. Tardare videtur, cum diu dormis: tardare videtur, cum ab oratione vacas: tardare videtur, cum vocem non excitas psalmis. Primitias vigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo immola.

40. (Vers. 5.) [c] *Surrexi ego aperire fratri meo; manus meæ distillaverunt myrrham, digiti mei myrrha pleni sunt super manus clausuræ.* Quid hoc significet, consideremus. Primum operibus suis videtur, ut dixi, Deus verbum tamquam per cavernam, non plene atque perfecte: deinde augetur amor et conceptus adolescit, atque ex seminibus ejus quæ quodam utero intelligibili susceperit anima, totam plenitudinem divinitatis ejus habitantem in eo corporaliter, ut legimus, videre desiderat. Surrexit ut propius illud Dei Verbum videret, et in hoc ipso processus ejus significatur, quod surrexit per vigorem atque virtutem; præsentia enim Verbi hausit animæ virtutem, sicut præsentia Mariæ cum utero gravis esset, erudivit Joannem in utero constitutum: adeo ut exsiliret ex utero et exsultaret, Domini præsentiam recognoscens.

A 41. Surrexit aperire, et opera ejus et facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima, quæ Verbum est receptura, ut moriatur mundo, et consepeliatur in Christo; sic enim Christus invenitur, et tale sibi quærit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est, manus et digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos velut eminentia factorum nostrorum opera 1597 possumus æstimare. Itaque velut e complexu suo cum jam extenderet intelligibiles manus suas et digitos, ut comprehenderet Verbum, transisse sibi illud, non tamen adhuc pertransisse anima pia dicit. Et hunc processum habet, quando transit et pertransit animam Verbum Dei, quia scriptum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multo-* B *rum cordium cogitationes* (*Luc.* II, 35). Hinc adhuc transitur, non pertransitur; ut in Maria in posterioribus forte pertransitur, ubi tamquam signaculum ponitur in medio ejus Dominus Jesus.

42. Denique statim alius profectus Verbi pertranseuntis, quia exivit anima in Verbo ejus; hoc est, Verbum ejus secuta exivit de corpore, elevans se de ejus habitaculo, et peregrinam se faciens ei, ut adesset Deo, et esset civis sanctorum. Simul enim et carnis domestici et Dei esse non possumus. Ergo in hoc loco exire significatur, ut dixi, anima, quando abducit se a corporis voluptatibus. Denique scriptum est: *Exi de Babylone, fugiens a Chaldæis* (*Esai.* XLVIII, 20). Non utique ut regiones Babylonis Hebræus fugiat, sed mores, ut prophetico admonetur C alloquio: siquidem sint qui in Babylone sunt Hebræi, et de Babylone exisse moribus doceant. Nam et illi de quibus dicit propheta, quod *sedebant super flumina Babylonis* (*Ps.* CXXXVI, 1), sedebant quidem in regione Babylonis, sed in ejus non erant vitiis et confusione. Nam quomodo erant in illa confusione vitiorum, qui flebant gerentes pœnitentiam, quod de arca devotionis ac fidei, et virtutis paternæ meritis excidissent? Quæ autem in verbo exit anima, Verbum requirit; unde et ista dum quæreret, incidit in custodes qui circumeunt civitatem.

(Vers. 7.) [d] *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me, et tulerunt pallium meum a me custodes murorum.* Bene quidem quasi sponsa veniebat cum pallio, quo ob- D nuberet caput suum, cum sponsus occurreret; sicut Rebecca, quæ cognito quod Isaac sibi veniret obvius, descendit de camelo, et pallio se operuit: ita et hæc anima, nuptialis vestis præmittebat insignia, ne forte rejiceretur quasi vestem non habens nuptialem; vel ut caput velaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, ut amplius probaretur; exercentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes si verum decorem nudæ virtutis afferret, vel quia sine integumento quis in illam cœlestem civitatem debeat introire, nulla deferens secum ope-

[a] Lib. de Virginitate, cap. 13, num. 78.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 11, num. 67, et paulo inferius.
[c] Lib. de Isaac, cap. 6, num. 53.
[d] Ubi supra consequenter.

rimenta fucorum. Sunt etiam qui requirant, ne qua A anima exuvias secum vehat carnalis illecebræ, et concupiscentiam corporalem. Nudatur pallio, cum ejus conscientia manifestatur. Sed est quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentem : *Venit enim princeps hujus mundi, et in me invenit nihil* (*Joan.* XIV, 30) ; quia certe in illo solo nihil invenit, qui peccatum non fecit.

44. Beata et illa est in qua non gravia aut multa invenit, sed invenit in ea amictum fidei et sapientiæ disciplinam. Itaque sine dispendio sui (quia et si volet quis, non potest auferre veram sapientiam) etsi adversarius obstrepat ; ubi tamen vera innoxiæ conversationis elucet integritas, transivit custodes, et filiabus illius cœlestis civitatis admixta, Verbum requirit ; et quærendo ejus in se excitat charitatem, B et ubi Verbum quærat, agnoscit. [a] Non injuria tantummodo est non invenisse quem quæras, sed etiam plerumque ubi non oportet, quæsisse vulnus est : quæsisse in domibus virorum qui sibi falso nomen doctorum assumunt, quæsisse procacius quam verecundius. Ergo caveamus exemplo illius, ne nos custodes inveniant qui circumeunt civitatem.

45. *Invenerunt*, inquit, *me custodes qui circumeunt civitatem : percusserunt et vulneraverunt me, et tulerunt pallium meum a me custodes murorum.* Non in se, filiæ, sed in nobis vulneratur Ecclesia. Caveamus igitur ne lapsus noster, vulnus Ecclesiæ fiat, ne quis a nobis pallium auferat, hoc est, amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur : *Qui enim mollioribus vestibus in-* C *duuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI, 8). Nobis autem pallium dedit Christus, quo apostolos suos et corpus suum ipse vestivit, quod denique jubet te dare, si quis a te tunicam petit, ut dimittas ei et pallium (*Matth.* V, 40) ; id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, et quasi amictu prudentiæ **1598** tuæ eum qui ante nudus fuerat, circumvestias.

46. Ibi igitur, filiæ, Christum quæramus, ubi quærit Ecclesia, in montibus boni odoris, qui excelsorum sublimitate factorum, suavem vitæ odorem pro meritorum verticibus exhalant. [b] Ea quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis, voce querula, gressu lubrica, facilis aditu, vilis aspectu. Terrenum tibi Apostolus consortium negat, et ultra naturæ propemodum terminos, alis ad cœlum docet spiritalibus evolandum. D *Quæ sursum sunt*, inquit, *sapite, non quæ super terram* (*Colos.* III, 2). Sed quia hoc impossibile erat in hoc corporis velut claustro reclusis, et quia defunctis corporibus, anima fertur ad superiora revolare, alligata dum vivimus, quadam nostræ lege naturæ, ideo addidit : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Ibid.*, 3). Si abscondita est cum Christo in Deo, non appareat mundo, Christus enim mortuus est mundo, vivit Deo. Vide nunc quemadmodum desiderari amet Christus, con-fabulationes non amet. Aperuit virgo illa suas fores Dei Verbo : sed *transivit*, inquit, *et exivit anima mea in verbo ejus* (*Vers.* 6). Exivit a mundo, exivit a sæculo, remansit in Christo. *Quæsivi*, inquit, *eum et non inveni eum.* Amat enim Christus diu requiri.

47. Invenerunt illam custodes murorum. Fortasse sunt et alii custodes, quos magis intelligere debeamus. Est enim civitas quæ portas murorum clausas non habet, de qua dictum est : *Et portæ ejus non claudentur per diem* (*Apoc.* XXI, 25) ; nox enim non erit amplius in ea, afferent gloriam et honorem gentes in illam. Illa est ergo civitas Hierusalem quæ in cœlo est, intra quam jam quasi perfecta et immaculata servaris ; non enim intrat in eam omne commune. Communis castitas non est, communis pudicitia non est, quæ in libro vitæ scribitur.

48. Si igitur invenimus civitatem, ingrediamur in eam, videamus lumen ejus, videamus muros, videamus fundamenta muralia, videamus etiam custodes murorum. Sed quomodo ingrediamur in eam ? In hac civitate vita est, et una est via quæ ducit ad vitam. Via ergo Christus est, ergo Christum sequamur. Sed ipsa in cœlo est civitas ; quomodo igitur ascendamus ad cœlum ? Docet Evangelista, qui dicit : *Et eduxit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo* (*Apoc.* 21, 10). Ascendamus ergo spiritu, quia caro ascendere ad eam non potest. Ascendamus nos interim in cœlum, ut ad nos postea de cœlo illa descendat, in qua lumen est simile lapidis pretiosissimi, ut lapidis jaspidis et crystalli habet murum magnum et altum.

49. Didicisti lumen, didicisti murum ; disce portas, disce custodes. *Habet*, inquit, *portas duodecim, et in portis angelos duodecim, in quibus duodecim tribuum filiorum Israel superscripta sunt nomina* (*Ibid.*, 12). In portis patriarcharum nomina continentur, in muro apostolorum ; fundamenta enim civitatis, apostoli, et lapis angularis est Christus, in quo omnis structura consurgit. Deus extra, Deus intus, Deus ubique est : *Habet enim*, inquit, *civitas majestatem Dei* (*Ibid.*, 11). Ergo et vos, sanctæ virgines, et quicumque justi estis, et immaculatam animæ geritis castitatem, cives sanctorum estis et domestici Dei. Sed tunc nobilitatem istam patriæ possidebitis, si Christum intra civitatis istius septa quæratis, ingressi per fidem actusque pretiosos, patriarcharum clarificati lumine, fundati super apostolos, versantes inter angelos.

50. Quomodo igitur isti custodes angeli sunt, qui castæ animæ pallium tollunt ? Aliud pallium virginum est, aliud adolescentulæ circumforaneæ. Illa quæ in foro Christum requirit, pallium etiam quod habebat, amisit. Prudentia enim non in foro, non in plateis, sed in Ecclesia possidetur. Et fortasse ut cum ipsis quoque veniamus in gratiam, atque omnium misericordem Deum esse doceamus ; quia et

[a] Lib. de Virginitate, c. 10, n. 47.

[b] Lib. de Virginitate, cap. 13 et 14, num. 83-92.



Digitized by Google

illi Christum aliquando reperiunt, si tamen jugiter A quærant, pallium hoc amictus est corporis. Ergo qui quæsivit Christum in cubili, si tamen sic quæsivit, sicut ille qui dixit : *Sic memor fui tui super stratum meum* (*Ps.* LXII, 7) ; si quæsivit in noctibus, juxta quod scriptum est : *In noctibus extollite manus vestras in sancta* (*Ps.* CXXXIII, 2) : si quæsivit in civitate, in foro et in plateis, in civitate Dei nostri : in foro fortasse, **1599** in quo judex ille divini juris sedet, in plateis unde collecti sunt qui ad cœnam Dominicam convenerunt ; potest custodientibus civitatem Dei angelis, dum diu quærit, occurrere. Quin etiam ex cœlesti custodum natura, cœlestem intelligere possumus civitatem, cœleste forum justitiæ sempiternæ, non viles plateas, sed fortasse in quibus superfluere fons ille consuevit, de quo scriptum B est : *Superfluant tibi aquæ de tuo fonte, et in plateis tuis diffundantur tuæ aquæ* (*Prov.* v, 16). Qui sic ergo Christum requirit, ad angelos pervenit.

51. Sed si bonis ad angelos meritis pervenitur : cur qui pervenerit, vulneratur ? Est et gladius bonus, cujus gladii bonum vulnus. Vulnerat Dei verbum, sed non ulcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis ; ideoque dixit : *Vulneratæ charitatis ego sum* (*Cant.* II, 5). Quæ perfecta est, vulnerata charitate est. Bona sunt igitur Verbi vulnera, bona sunt amantis vulnera : *Utiliora enim vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici* (*Prov.* XXVII, 6). Vulneratæ charitatis Rebecca est, quæ relictis parentibus, migravit ad sponsum. Vulneratæ charitatis Rachel, quæ zelavit sororem, amavit maritum; C sorori enim quod abundaret filiis, ipsa sterilis adhuc invidebat, quia typum gerebat Ecclesiæ, cui dicitur : *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis* (*Esai.* 54, 1).

52. Invenerunt ergo custodes et vulneraverunt eam, et tulerunt ei pallium, hoc est, actus corporalis involucrum sustulerunt, ut nuda mentis simplicitas quæreret Christum ; quia nemo potest amictu vestitus philosophiæ, in habitu scilicet sapientiæ sæcularis Christum videre. Et bene tollitur ei amictus philosophiæ, ne quis eam per philosophiam deprædetur. Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat, ut Deum visura, mundo corde gradiatur : *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Denique ubi D mundavit cor, Verbum reperit, Deum vidit. Quære ergo illum, virgo, immo quæramus omnes ; anima enim sexum non habet. Sed ideo fortasse femineum nomen accepit, quod eam violentior æstus corporis agit : ipsa autem impetum carnis et amoris sui molli quadam et blanda ratione demulcet. Ergo orationibus et obsecrationibus Deum invitare debemus, ut quasi bonus auster afflare dignetur, Verbique nobis auram cœlestis aspiret : quæ fructiferas arbores non turbare vento gravi, sed leni spiramine flatuque molli consuevit agitare.

[a] In ps. CXVIII, serm. 14.

53. [a] *Tulerunt mihi pallium meum.* Bonus amictus æternitas vitæ, hoc pallium Sponsæ voluerunt auferre custodes murorum, quo primus homo fuerat exutus ; sed anima Deo devota quæsitum diu tenendo, et non dimittendo dilectum, pretioso charitatis divinæ se vestivit involucro. Beati ergo qui tali pallio vestiuntur, et amictum ejusmodi legis observatione meruerunt ; quia non sunt legis obliti, sed quæ erant legis operati sunt.

54. (Vers. 8.) [b] *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo.* Quis est autem hic animæ languor ? Morale historiæ veteris facit nos meminisse debere, quæ est de sancto Moyse qui rogavit Deum ut se demonstraret ei, et facie ad faciem eum videret. Noverat utique sanctus vates Domini, quod invisibilem Deum facie ad faciem videre non posset. Sed devotio sancta mensuram supergreditur, et putavit Deo etiam hoc esse possibile, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum comprehendi. Non reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atque inexplebilis, quod Dominum suum velut manu tenere, et obtutu oculorum videre cupiebat. Sciebat enim ad imaginem et similitudinem Dei factum esse hominem; quando enim electus a Domino Deo ad populum liberandum, repletus est spiritu sapientiæ, viderat angelum illum, et faciem ejus in gloria, denique fulgente ejus lumine pavefactus est, et vidit rubum uri et non exuri. Visu cœpit fulgorem, quem miratus accessit ; cupiditate et gratia provocatus, ut diligentius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaque si tantum accepit ardorem, tantam subiit cupiditatem, cum angelum vidisset in flamma ignis de rubo, ut licet pavore apprehensus considerare non auderet, considerare tamen vellet : quanto magis vultum Domini corporaliter videre desiderabat, dicens intra se : Vultum illum plenum lucis, **1600** plenum gratiæ, plenum virtutis, plenum divinitatis, quem esse dicam ? Non possum plus dicere vel sentire de Deo ; cum enim consummaverit homo, tunc incipit ; et cum finierit, tunc aporiabitur, ut scriptum est, quia *incomprehensibilis est Dei æterna majestas* (*Eccles.* XVIII, 6).

55. Irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis servi ; quia ultra naturam suam devotione progressus de Domini angelis æstimabat, quantum de Domini vultu plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere. Noverat in ipso homine aliam post mortem futuram gloriam, aliam claritatem : *Sicut enim stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum; quæ et si seminatur in corruptione, surget tamen in incorruptione, surget in gloria, surget in virtute, surget corpus spiritale* (I *Cor.* XV, 41-44). Qui ergo hæc scire poterat, merito præsumebat ut vultum Domini videre cuperet, cum esset obita corporis morte visurus. Talem certe etiam formam ceperat, talem Dominus jam probabat, ut non distaret ab angelis cœlestis minister et exsecutor oraculi. Et ideo

[b] In psal. CXVIII, serm. 8, num. 17.

Digitized by Google

cum sciret, *Quia angeli pusillorum quotidie vident faciem Patris qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10), putavit quod jam eam videre posset et deberet, tamquam oblitus corporis, et carne deposita; sicut ille qui in corpore adhuc positus, cum raperetur in paradisum, ultra in corpore, sive extra corpus raptus esset ad tertium cœlum se nescire dixit (II *Cor.* XII, 3). Sancti enim etiam cum gerunt corpus, non sunt tamen in carne, sed in spiritu; quoniam qui in cupiditate et conversatione carnali sunt, Deo placere non possunt. Sancti autem conversatione in carne non sunt, sed in cœlo.

56. Ex his ergo Sponsæ languentis comprehendamus affectum. Videre Dei vultum quasi innocens, velut quodam vultu conscientiæ desiderabat, aperire ei faciem mentis internæ, et cognosci plenius gestiebat. Amor impatiens, diu noctuque meretricias fores pulsans, si diutius potiendi desideria differuntur, ipsa deficit exspectatione, dum sperat: in quo utique non finis amoris, sed incrementum est. [a] Et quidquid est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, et quasi ipsam deponit animam qui desiderat; si tamen spes proprior assurgat, dat vires spes proxima; si autem absentia sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat, quæ concupivit, animæ suæ patitur defectionem. Itaque quanto longius est illud quod desideratur, tanto magis deficit qui desiderat. Id ergo deficere est, in id unumquemque totis studiis migrare, quod diligat; illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod receperit diligendum, in id quadam animæ defectione transfunditur. Ut si mater filii exspectet præsentiam, quemadmodum exspectabat Tobiæ uxor filium peregrinantem; deficiens a desiderio, et in angustiis constituta, et tamquam resoluta videbatur (*Tob.* X, 3 *et seq.*). Quid enim aliud nisi defectum quemdam ejus verba significant? Sed quo magis lassatur affectus, eo amplius amor crescit; et quo diutius abest qui desiderat, eo exspectantis desideria majore quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur et augetur.

57. Itaque sancta anima nescit aliud desiderare quam Sponsum, qui est Christus Jesus: illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fovet, illi se aperit et effundit, et hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Itaque quanto majore desiderio excitata fuerit anima, cupiens adhærere Deo salutari suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Concupiscebat, desiderabat, deficiebat, toto dissolvebatur affectu, ut totus illius fieret quem desiderabat, sicut etiam David ipse dicit: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio, in deficiendo ex me spiritum meum* (*Ps.* CXLI, 3 *et* 4). Defecit enim ejus spiritus; immo ab eo defecit spiritus, qui seipsum negat, ut adhæreat Christo. [b] Itaque quasi amoris impatiens, circumcursabat, et quærebat ubique Dei Verbum, quia vulnerata, quia nuda; et quærebat adminiculum alicujus a quo Christus rogaretur ut veniret. Vide æstuantem, vide desiderantem: *Adjuro*, inquit, *vos, filiæ Hierusalem*, etc.; deinde filiabus cœlestis illius civitatis admixta, Verbum requirit, et quærendo, et speciem ejus contemplando, ejus in se excitat charitatem.

1601 58. (Vers. 10.) [c] *Frater*, inquit, *meus candidus et rubeus, electus ex millibus*. Decet enim, virgo, ut plene noveris quem diligis, atque omne in eo et ingenitæ divinitatis et assumptæ mysterium incorporationis agnoscas. Candidus ergo est merito, quia patris splendor: rubeus, quia partus est virginis. Color in eo fulget et rutilat utriusque naturæ. Memento tamen antiquiora in eo divinitatis insignia, quam corporis sacramenta; quia non cœpit a Virgine, sed qui erat venit in Virginem.

59. [d] *Frater meus candidus et rubeus*. Candidus claritate æterna, rubeus specie coloris humani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritoque et ipsum quod est rubeum, bene olet; quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinaverunt: sancti venerantes, pietatis odore flagrarunt.

60. [e] *Electus ex millibus. Decem millia,* inquit Jacob, *Ephræm et millia Manasse*; id est, et Judæorum et gentium dominetur, et ex utroque populo acquirat sibi Ecclesiæ plenitudinem. Ideoque dexteram suam super Ephræm posuit sanctus Jacob; eo quod legis, dicente Ecclesia in Canticis canticorum: *Frater meus candidus et rubeus, electus ex decem millibus*. Denique etiam David juvenculæ Mariæ auctorem ex cujus successione Christus est natus per Virginis partum, in decem millibus prædicabant: Saul autem in millibus, cum reverentiæ gratiam circa regem magis præponere debuissent.

61. (Vers. 11.) [f] *Caput ejus aurum Cephas*. Quod significat stabilem eminentemque sapientiam. Corpus Christi Ecclesia est, hujus caput ut aurum, quia sapientia pretiosa sanctorum est, hoc est, viri justi atque prudentes.

62. *Crines ejus ut abietes, nigræ sicut corax*. De hoc alibi dixit, *Capillamentum tuum, ut grex tonsarum*. Ideo capillamentum, quia virtus omnium sensuum in capite est: *Oculi* enim *sapientis in capite ejus* (*Eccle.* II, 14). Profunda igitur doctorum prudentia, quæ potest ea quæ obscura sunt revelare, et alta aperire sensuum. Et hujusmodi disputatores crines Ecclesiæ sunt, sicut pulli corvorum quibus Dominus escam dat: sicut dedit sancto Jacob, et eum

[a] In ps. CXVIII, serm. 11, num. 3 et inferius passim.
[b] Apol. David II, cap. 9. num. 47.
[c] Lib. I de Virg., cap. 8, num. 47.
[d] In psal. CXVIII, serm. 5 num. 8.
[e] Lib. de Benedict. patriarch. cap. 11, num. 56.
[f] In psal. CXVIII, serm. 15, num. 12 et 13.

Digitized by Google

pavit a juventute sua. Hos altos ac profundos ubertate A doctrinæ pascit Dominus cœlestibus sacramentis.

63. (Vers. 12.) *Oculi* quoque *ejus sicut columbæ.* Oculi sunt viri videlicet spiritualibus ornati sensibus, qui ad videnda mysteria sunt acuti, et parati ad penetranda Scripturæ secreta divinæ, rationali lacte fulgentes, in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus immaculata sinceritas. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memoravit, dicens :

64. [a] *Oculi ejus sicut columbæ super abundantiam aquarum, lotæ in lacte, sedentis super plenitudinem.* Baptizat in lacte Dominus, id est, in sinceritate. Et isti sunt qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt, et puram fidem deferunt, ut immaculatam induant gratiam. Ideo candida Sponsa ascendit ad B Christum, quia in lacte baptizata est; ideo mirantur eam virtutes, dicentes : *Quæ est hæc quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 7)? Ante paululum dicebat, *Nigra sum* (*Cant.* I, ): nunc dealbata cernitur, et ascendit ad cœlum, et innixa Dei Verbo, alta jam penetrat.

65. Nec immerito illic aquarum abundantia, ubi Christus, unde mens humana repleri cupiat. Has sitit aquas cervus, quas cum biberit, sitire non possit. Has aquas sitivit Propheta cum dixit: *Sitivit in te anima mea* (*Psalm.* XLI, 3). Sedet ergo Christus super abundantiam aquarum, et super plenitudinem, et ideo qui baptizat in aqua dicit: *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan* I, 16). Unde et oculus suppliciorum non alienus est ab Ecclesia; quia etsi baptizabat Joannes in Enon, baptizabat juxta Sa- C lim, ubi erat aquarum abundantia. et duodecim fontes, et septuaginta palmarum arbores. Hos fontes habet Ecclesia, hoc est, in veteri Testamento duodecim patriarchas, in novo duodecim apostolos; ideoque dictum est : *In Ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israel* (*Psalm.* LXVII, 27). His fontibus ante perfunditur, quicumque mysteria sacrosancta consequitur; isti enim fontes ex æterno fonte manantes, toto orbe fluxerunt. Ubi isti fontes, ibi ascensio animarum. Denique Salim interpretati sunt, ipsum ascendentem; ille enim vere ascendit, qui propria peccata deponit. Hoc igitur **1602** verbo purificatoriæ sanctificationis usus exprimitur.

66. (Vers. 13.) [b] *Genæ ejus sicut phialæ aromatis, gignentes unguentaria.* Jam genas et cætera intelli- D gimus animæ esse virtutes, doctorumque diversitates: qui vel spiritalem menti alimoniam dispensatione sedula subministrent, vel prædicatione crucis Dominicæ sicut Verbi quadam linea alligent audientem, vel modestia verecundi et juventutis flore gratissimi. Etsi a tactu pudore revocentur, redoleat tamen in his odor Christi : et sicut in genis quasi de capite sacerdotali descendit unguentum, sic et in his eluceat pulchritudo doctrinæ.

67. [c] *Labia ejus distillantia myrrham plenam.* Per myrrham enim passionis unguentum et resurrectionis gratia declaratur, quæ redivivum vitæ odorem suscitatis mortuorum visceribus infundit. Clausæ sint igitur labiorum fores tuorum, et obseratum maneat vocis vestibulum, tunc fortasse reserandum, cum audieris Verbum Dei. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi baptismatis aspirabit gratia; ut ab elementis mundi commoriare, et cum Christo resurgas.

68. [d] *Labia ejus distillantia myrrham plenam.* Nos autem otiosos nos putamus, si verbo tantummodo studere videamur : et pluris æstimamus eos qui operantur, quam eos qui studium cognoscendæ veritatis exercent; dicunt enim plerique: Ecce homo et opera ejus : quasi qui verbo studeat, non operatur; cum magis opus istud quam cætera sint. Si enim opus justitia est, si opus temperantia, si opus fortitudo : utique opus est etiam sapientia; istæ enim quatuor principales virtutes habentur. Nam si operatur Christus secundum quod justitia est, utique operatur secundum quod Verbum est. Et operabatur cum esset in principio apud Patrem. Denique per ipsum omnia facta sunt, ut scias operatorem omnium esse, et opus nostrum esse Christum Jesum. Etenim secundum quod Verbum est, Verbum inquirentibus, grande opus Verbum est. Unde cum Martha festinaret circa ministerium, Maria autem Verbum Domini audiret, ea quæ audiebat ei quæ ministrabat meruit anteferri; dicenti enim Marthæ : *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet;* respondens dixit Dominus : *Martha, Martha, Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur illi* (*Luc.* VII, 40-42). Ita Verbum cognoscere majus opus esse quam ministrare, divinæ auctoritate sententiæ definitur.

69. Sed fortasse dicat aliquis dictum esse ab Apostolo : *Non in sermone esse regnum Dei, sed in virtute* (I *Cor.* IV, 20). Scriptum non nego, sed in quo sermone, cognosco; nempe quem inflatus effuderit, qui audientibus sermo prodesse non possit, qui sine ostensione sit spiritus atque virtutis. Hunc sermonem Paulus non dignatur cognoscere; vult enim magis virtutem sermonis commendare. Denique volebat talem suum esse Apostolus sermonem, qui in infirmitate veniebat, ut alios faceret fortiores : in timore et tremore, ut timentes nihil metuerent, nisi Dominum Jesum; trementes, pacem ejus tranquillitatemque servarent. Audi ergo qualem Apostolus sermonem habebat : *Et sermo,* inquit, *meus, et prædicatio mea non in persuasione humanæ sapientiæ verborum, sed in ostensione spiritus et virtutis* (II *Cor.* II, 4); quia fides non in forensi sermone sapientiæ, sed in ostensione spiritus, sed in Dei virtute firmatur.

70. Ergo in sermone sanctorum virtus est, in sermone autem forensi isto et philosophico vanitas mundi. Virtutem autem esse in sermone sanctorum,

[a] In psal. CXVIII, serm. 16, num. 21.
[b] In psal. CXVIII, serm. 15, num. 14.
[c] In psal. CXVIII, serm. 18, num. 22.
[d] In psal. CXVIII, serm. 11, num. 11.

Digitized by Google

etiam iste propheta te edoceat, qui ait: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* (*Psal.* LXVII, 12); hoc est, ut multa possint virtute Evangelium prædicare. Probatum est ergo quod in Evangelii prædicatione sit virtus, prædicatio autem Evangelii sermo sanctorum est; ita dubium non residet quin in sermone sancto sit virtus. Et hæc myrrha distillans ex labiis Sponsi, scilicet per quam vitia mortificantur.

71. (Vers. 14.) [a] *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Vide quæ manus fecerint hominem, et quem hominem fecerint! Illum utique *Quem secundum Christum induimus, exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum qui renovatur ad agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum: ubi non est servus, et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (*Coloss.*, III, 9-11). Christum ergo induimus, sicut et alibi dictum est: *Christum induistis* (*Galat.* III, 27). Accepimus Spiritum sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit; **1603** sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere. Ideo ait Propheta: *Tu finxisti me et posuisti super me manum tuam* (*Psal.* CXXXVIII, 5): finxit per lutum, posuit manum per gratiam spiritalem; licet plerique hunc psalmum ex persona dictum Salvatoris accipiant. Audi quia manus Domini etiam spiritus dicitur, clamat Job: *Spiritus divinus qui fecit me* (*Job.* XXXIII, 4). Istæ sunt ergo manus quæ hominem paraverunt, Christus et Spiritus.

72. Ergo Dominus Jesus et corporis auctor est nostri, qui primum fecit hominem ad imaginem; et postea de luto finxit, et voluit salvare quod fecerat, salvare quod plasmaverat, ut totum hominem salvum faceret. Istæ sunt manus Dei tornatiles, id est, perfectæ: aureæ propter sapientiam qui est Christus, plenæ hyacinthis propter Spiritum sanctum, et plenitudinem charismatum ejus.

73. (Vers. 14.) [b] *Venter ejus eburneus, distinctus saphiris.* Apostolus, *Et si*, inquit, *crucifixus est ex infirmitate;* ecce venter, id est, carnis infirmitas: *Vivit tamen ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4); ecce distinctio saphiri. Saphirus enim eo quod cœli sereni speciem gerat, quæ sunt divinitatis opera significat. Ebur autem propter castitatem et nitorem et perpetuitatem, carnem illam significat Salvatoris, de qua idem Apostolus dicit: *Quia etsi Christum secundum carnem novimus, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16).

74. (Vers. 15.) [c] *Crura illius columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas.* Significant columnas esse Ecclesiæ Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. Nam sicut Petrus, Jacobus, Joannes et Barnabas columnæ esse videbantur Ecclesiæ, sic et quicumque vicerit hoc sæculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit: *Ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV, 4). Ita et basis aurea timor plenus disciplinæ, quia initium sapientiæ est. In timore ergo sapientium apostolica prædicatio tamquam super basim auream columna firmatur Christi. Igitur eloquio et apostolico sermoni tribunal est timor justi, et basis aurea plena prudentiæ: simulacrum autem bonum tamquam effigies veritatis, sermo sanctorum.

75. Et vide tamquam basim auream esse sanctorum timorem. Lege Esaiam: vide quantis subjecerit timorem, ut faceret irreprehensibilem et bonum timorem: *Spiritus*, inquit, *sapientiæ et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris Domini* (*Esai.* XI, 2); quantis timorem subjecit, ut haberet quod sequi possit! Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tolle timori Domini ista, et est irrationabilis et insipiens timor, unus ex illis: *Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5); quibus afflictus esset et Paulus, nisi habuisset Dominum consolantem.

76. (Vers. 15.) *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* In altis habitat, et humilia respicit, quia species ejus sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem terris inserit; principium enim ejus e cœlo, posteriora ejus in terris fructus cœlo proximos ediderunt. [d] Genus hoc arboris numquam amittit viriditatem suam, hyeme juxta ac æstate comam pascit, nec diverso colore mutatur: solam hanc arborem ventus suo numquam honore despoliat: sola numquam veteri exuitur amictu, aut novo flore vestitur. Sic apostolica quoque gratia nescit defectum, et perpetua venustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quæ florentibus membris viget, semper justitiæ cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat; et ideo non defluit neque deficit, quia nihil in ea ruinosum est ac remissum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio sermonis ex ea possit effundi.

77. (Vers. 16.) *Guttur illius suavissimum, et totus desiderium. Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum* (*Psal.* XVIII, 10 *et* 11). [e] Quod severum in aliis, in Christo dulce est, in Christo suave est; quia ipse suavis est: *Denique gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Dulcia judicia confitenti, quia ipse dicit: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto, et judicemur. Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (*Esai.* XLIII, 25 *et* 26). Dulcia judicia agenti pœnitentiam, quia ipse dixit: *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente, quam in nonaginta et novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Si dulcia sunt igitur judicia Domini, suavitatis **1604** fructus percipere elaboremus. Vis scire quam dulcia judicia Domini? *Qui credit in ipso, non judicatur* (*Joan.* III, 18). Dulcia ergo judicia credentibus: qui autem

[a] In psal. CXVIII, serm. 10, num. 17.
[b] Lib. de Incarnatione Domini.
[c] In ps. CXVIII, serm. 5, num. 38.
[d] In ps. CXVIII, serm. 4, num. 21.
[e] In ps. CXVIII, serm. 5, num. 43.

Digitized by Google

non credunt, non Christi judicio damnati sunt, qui venit non ut judicet mundum, sed ut salvet et redimat; sed impietatis suæ subiere judicium, qui in remissionem peccatorum credere noluerunt. Non enim possunt ad ejus pertinere beneficium, quem cognoscere refutarunt. Ergo qui non crediderunt in eum, judicio ejus videntur indigni. Judicium enim ejus quid sit, agnosce, dicente ipso: *Hoc autem judicium est, qua lux venit in hunc mundum* (*Ibid.* 19). Dulce ergo, quod lux est, dulce judicium, quod præcedit misericordia; sic enim scriptum est, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Dulce etiam guttur et suavissimum, unde hæc misericordia præcedit et hoc judicium.

78. (Vers. 16.) *Et totus desiderabilis.* [a] *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Homo quippe erat secundum carnem, sed ultra hominem, secundum divinam operationem. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur: sed ultra hominem, cum emundaret. Et cum Lazarum fleret mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat, cum mortuum vinctis jubet pedibus exire. Homo videbatur, cum penderet in cruce: sed supra hominem cum reseratis tumulis, mortuos resuscitaret. Nec sibi adblandiatur virus Apollinaris, quod ita legitur: *Et specie inventus ut homo* (*Philip.* II, 7); non enim negatus est homo Jesus, cum alibi ipse Paulus de eo dicat: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5); sed confirmatus est. Id enim est usus et moris Scripturæ sic significare, sicut et in Evangelio legimus: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I). Sicut ergo quasi unigenitus dicitur, et non abnuitur unigenitus Dei Filius; ita et homo dicitur, et perfectio fuisse in eo hominis non negatur.

79. Cum esset igitur in forma servi, humiliatus usque ad mortem, erat tamen in Dei gloria. Quid ei igitur obfuit servitus? Servus autem factus legitur, quia legitur factus ex Virgine, et creatus in carne; omnis enim creatura servit, dicente propheta: *Quia universa serviunt tibi.* Hæc est Christi gloria, quia servitutem suscepit in corpore suo, ut libertatem omnibus redderet: peccata nostra portavit, ut mundi peccatum tolleret: servus, peccatum, maledictum factus est, ut tu peccati servus esse desisteres, te divinæ sententiæ maledicto absolveret. Ille ergo maledictum suscepit tuum: *Maledictus* enim *omnis qui pendet in ligno:* ille maledictum in cruce factus est, ut tu benedictus esses in Dei regno: ille dehonestatus et depretiatus est, nec aliquid æstimatus: ille dicebat, *In vacuum laboravi;* per quem meruit Paulus dicere, *Non in vacuum laboravi* (*Philip.* II, 16); ut boni operis fructum, et evangelicæ prædicationis gloriam suis conferret servulis, per quam universi sarcina laboris absolverentur.

80. (Vers. 17.) [b] *Talis est dilectus meus, et amicus meus, filiæ Hierusalem.* Sic Ecclesia vel anima A sancta filiabus cœlestis illius civitatis admixta Verbum requirit, et quærendo illius in se excitat charitatem: illis vero requirentibus et dicentibus: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* Quo declinavit dilectus tuus, ut quæramus eum tecum?

## CAPUT SEXTUM.

1. (Vers. 1.) [c] *Dilectus,* inquit, *meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Ubi Verbum quærat, agnoscit: quod inter orationes sanctorum moretur, et quod ipsis inhæreat, novit, et quod Ecclesiam suam vel animas justorum suorum inter lilia pascat, intelligit. Hoc mysterium tibi in Evangelio demonstravit, cum in sabbato duceret per seminata discipulos. B Moyses per desertum duxit populum Judæorum, Christus per seminata ducit, Christus per lilia ducit; quia per passionem ejus desertum floret ut lilium. Sequamur ergo, ut in die sabbati illius magni, in quo requies magna est, fructus colligamus. Nec verearis ne Pharisæi accusent seminata colligentes: etsi illi accusant, Christus excusat, et similes facit quas vult animas se sequentes David illius, qui supra Legem panem propositionis manducabat, novæ gratiæ sacramenta prophetica jam tum mente concipiens.

2. (Vers. 2.) *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter* **1605** *lilia.* [d] Facilis vox et communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim qui potest dicere: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* Quid est dicere: Tuus sum? ille enim dicit qui adC hæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non novit, ille hac voce utitur, qui potest dicere Domino: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV, 8). Numquid hac voce utitur avidus pecuniæ, honoris, potestatis? Multis non est satis Deum scire, et quidem pluribus. Tanti populi, tantæ nationes, tanti divites paupertatem putant Domino servire; et qui supra omnes est, illis exiguus et angustus est: illis non est satis Dei Filius, in quo sunt omnia. Denique ille dives in Evangelio cui dictum est: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX, 21); Deum sibi non sufficere judicavit. Denique et contristatus est, quasi quod pluris esset, relinquere juberetur, quod minus esset, eligere. Ille ergo dicit: Tuus sum, qui potest dicere: *Ecce nos reliquimus* D *omnia, et secuti sumus te* (*Ibid.*, 27).

3. Apostolorum vox ista est, nec omnium tamen apostolorum; nam et Judas apostolus fuit, et in convivio Christi inter apostolos recumbebat. Dicebat et ipse: Tuus sum; sed voce, non corde. Venit et introivit in eum Satanas, et cœpit dicere: Non est tuus, Jesus, sed meus est. Denique ea quæ mea sunt, cogitat, quæ mea sunt in pectore suo volvit: tecum epulatur, et mecum pascitur: a te panem accepit, a me pecuniam: tecum bibit, et mihi tuum sanguinem vendit: tuus est apostolus, et meus mercenarius. Non potest dicere sæcularis: Tuus sum; plures

[a] Epist. 46, ad Sabinum, num. 7.
[b] Lib. de Isaac cap. 6, num. 56.
[c] Ibid. ubi supra.
[d] In ps. CXVIII, serm. 12, num. 37.

Digitized by Google

enim dominos habet. Venit libido, et dicit: Meus es; A quia ea quæ sunt corporis, concupiscis: in illius adolescentulæ amore te mihi vendidisti: in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia, et dicit: Argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est: possessio quam tenes, juris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, et dicit: Meus es; unius diei convivium, pretium tuæ vitæ est: ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus. Et quod pejus est, caro emptus es pretio, vilior cibo es tuo: pretiosior est unius diei mensa tua, quam totius temporis vita: inter calices te redemi, inter epulas acquisivi. Venit ambitio, et dicit tibi: Plane meus es. Nescis quod ideo imperare aliis te feci, ut mihi ipse servires? Nescis quod ideo potestatem in te contuli, B ut meæ te subjicerem potestati? An ignoras ipsi Domino salvatori dictum esse ab hujus mundi principe, cum ei ostendisset omnia regna mundi: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9)? Ante ergo ipse subjicitur, qui alios vult habere subjectos. Veniunt omnia vitia, et singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quam vile mancipium est! Quomodo ergo tu qui hujusmodi es, potes Christo dicere: Tuus sum? Respondebit tibi ille: *Non quicumque dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21): non quicumque dicit mihi: Tuus sum, meus est.

4. Meus plane es, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non C neget, aut certe si pro me seipsum sibi abneget. Nolo habere servulum plurimis dominis servientem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat verbo: Tuus sum; et operibus neget, et factis se diabolo adjudicet et obstringat? Non est meus quem libido succendit, quia mea est castitas: non est meus quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est: non est meus, quem aura mobilitatis inquietat, quia tranquillitas mea est. Non est meus vini crapula temulentus, illuvie ambitionis impurus, gloriæ sæcularis cupidus, ebrius in periculum, qui non potest sobriæ moderationis servare vestigium. Pax sum ego, litigare non novi: ut quid mihi eum de quo veniat diabolus et dicat: Meus est; nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio: nomen sibi tuum D vindicat, et meum munus. Non est ergo Christi, nisi qui est alienus a crimine: non est Christi, nisi qui potest semper se Christi servulum demonstrare.

5. [a] *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Videtur inter dilecta dilecti dicere: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Quædam enim in exstasi amoris sui occulta fidei intellexerat mysteria, quæ nec ipsis filiabus Hierusalem propalanda censebat. *Mysterium* 1606 *regis bonum est abscondere*; peccat enim Deo, qui commissa sibi mysteria putaverit indignis esse vulganda. Periculum itaque est non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est, vel adulationis, vel avaritiæ, vel jactantiæ, vel loquacitatis incautæ; quia dum adulari vult aliquis, ei cui loquitur, effundit mysterium: nonnulli etiam studio lucri, mercedem proditionis sequuntur, ut tegenda silentio vendant loquendo: alii ut plura noscere videantur, et scientiam suam jactitent, aperiunt quod celare deberent: plerique dum sine judicio loquuntur, verbum emittunt quod revocare non possunt. Ideo vir laudatur serius, et non otiosus. Erat homo abscondens sermones suos, ut apostolus Paulus, qui novit quid loquatur singulis, et quando quid loqui debeat.

6. (Vers. 3.) *Beneplacita es, soror mea, speciosa sicut Hierusalem, admiratio sicut ordinata.* Veritas amoris ex sui perpetuitate probatur. [b] Laudatur itaque Sponsa a Sponso, quod tam bene et constanter requisierit eum. Ideoque jam non solum *soror* dicitur, sed etiam *beneplacita* nominatur, quasi ei complacita; quia complacuit Patri: et, *speciosa sicut Hierusalem, admiratio sicut ordinata*; quod civitatis æternæ universa habeat mysteria: et admirationi sit omnibus videntibus eam; quia plena ut æquitas, atque perfecta est: et fulgorem de Verbi lumine mutuata, dum id semper intendit, sit etiam terribilis ordine quodam ad summum provecta virtutum.

7. [c] *Pulchra es*, inquit, *amica mea, suavis et decora*, etc. Et vera pulchra, quæ intendit in illum de quo dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Unde et nos intendamus quantum possumus animum in illo, et in illo simus. Illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum; ut fiat illuminatione ejus et fulgore speciosa anima nostra, et mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate, et specie nemoris vel collis umbrosi omnem inæqualitatem ægrescentis obtutus repellunt, et quadam salubri specie pupillæ ipsæ atque orbes colorari videntur: quanto magis hic mentis oculus, cum illud summum intuetur bonum, et in eo versatur, atque eo pascitur, splendescit atque enitet. [d] *Pulchra ut Hierusalem.* Non caduci itaque ista est corporis pulchritudo, vel morbo peritura vel senio, sed nullis obnoxia casibus, opinioni bonorum numquam moritura meritorum; quoniam non humanis jam, sed cœlestibus, quorum vitam vivit in terris, digna est comparari. Ideoque Sponsus Sponsæ jam quasi perfectæ, dicit:

8. (Vers. 4.) [e] *Averte oculos tuos a me, quia me avolare fecerunt.* Noli contra me intendere devotione nimia ac fide. Possibilitatem naturæ et conditionis propriæ supergressa es, quia lucem inaccessibilem e regione intueri est grave. *Averte*, inquit, *oculos tuos a me*; eo quod plenitudinem divinitatis ejus, et splendorem veri luminis sustinere non possit.

[a] In psal. CXVIII, serm. 2.
[b] Lib. de Isaac, c. 7, num. 57.
[c] Epist. ad Irenæum.
[d] Lib. I de Virg., cap. 8, num. 47.
[e] Lib. de Isaac, c. 7, num. 57.

Digitized by Google

9. Possumus tamen et sic accipere: *Averte oculos tuos a me*; etsi tu perfecta es, aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ. Elevas enim me videndo: ego autem ideo descendi, ut omnes elevem. Etsi surrexi, et habeo Patris sedem, tamen orphanos non relinquam vos, paterno quasi præsidio destitutos, sed præsentia mea vos confirmabo. Habes in Evangelio hoc scriptum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi* (*Matth.* xxviii, 20). Averte ergo oculos a me, quia me elevas. Quanto enim quis ad Dominum intendit, tanto amplius Dominum elevat, et ipse elevatur. Unde et ille ait: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me* (*Psalm.* xxix, 1). Sanctus enim exaltat Dominum, peccator humiliat. Vult ergo avertere illam oculos, ne eam considerans, quod jam ad superiora sequi possit, B elevetur et cæteras animas derelinquat. Ideo et in Evangelio non omnibus discipulis, sed perfectioribus suam gloriam demonstravit (*Matth.* xvii, 1). Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram aperire velit audientibus, quemadmodum etsi ipse potens in sermone sit et scientia; condescendat tamen ad eorum inscitiam, qui non intelligunt, et simplici et planiore atque usitato sermone utatur, ut possit intelligi. Si quis igitur inter audientes vivacior sensu sit, qui facile sequi possit, elevat eum atque excutit. Hunc videns doctor revocat, ut patiatur magis doctorem humilioribus **1607** et planioribus immorari; quo et cæteri sequi possint.

10 (Vers. 5-7.) [a] Laudatur etiam Sponsa quod fidelis, quod verbo potens, quod fructibus fecunda diversis, C quod una sit columba, habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ facit utraque unum: et quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque naturæ. Quid enim tam diversum, quam ignis et aqua, aer et terra, ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta omnis simplex, quæ imitatur dicentem: *Ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* xvii, 21); hæc enim est consummatio atque perfectio, unde et addidit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus: et ego in his, et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Ibid.*, 23). Hæc est ergo una columba atque perfecta, quæ simplex atque spiritualis, neque hujus turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ, intus timores sunt. Denique hoc verbo D unitatis concordiam et pacem significari Scriptura nos docet, dicens: *Multitudo autem credentium habebat cor unum et animam unam, et non erat separatio in eis ulla* (*Act.* iv, 32).

11. Nec otiose fecunditatis laudatur anima, non solum quod sit fecunda virtutibus, sed etiam quod nihil habeat in se mali; illud enim decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum; quod autem indecorum, hoc malum. Speciosa fecunditas est bonorum operum, contraria ergo speciositati sterilitas; quoniam qui privatur specie vel decore, in eo est omne malum: quod autem malum, hoc sterile et infecundum. Cujus rei quod evidentius indicium, quam terra est? Terra enim quæ bona est, fertilis atque fecunda: quæ autem mala, ea jejuna atque sterilis; quæ vero fertilis, hæc et decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cum seges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum uvarum serta dependent, aut baccis onusta olea curvescit, vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia vestiuntur?

12. Omnium enim bonorum auctor est Deus: et quæ sunt ejus, profecto omnia bona sunt, et nusquam illic malum; et si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quæ in Deo non manet, ipsa sibi auctor malorum est, itaque peccat: *Anima autem quæ peccat, ipsa morietur*; aureis enim vinculis soluta virtutum, prona fertur præcipitio, et labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla adversa corporis prælia expugnant. Hæc anima sicut passer laqueo contrito, evolat. Escæ enim malorum sunt voluptates corporeæ: his quisquis intendit, laqueo innectit animam suam. Qui autem ab escis ejus temperat, et de tenebris ejus exit, ejus anima fulget ut diluculum, de qua dicitur:

13. (Vers. 9.) *Quænam est hæc prospiciens tamquam diluculum, pulchra sicut luna?* Prospicit enim tamquam de domo libera, nec dicit: *Tenebræ cooperiunt me, et parietes circumdant me, et quis scit si videt Altissimus* (*Eccli.* xxiii, 26)? Sed ipsa magis lucem expetit tamquam in superioribus domus suæ, id est, corporis sui: et supra mundum posita, divina intuetur et ad æterna se elevat, ut Deo adsit; jam lumen suorum operum sicut luna orbem suum toto orbe circumferens.

14. (Vers. 10.) *In hortum nucis descendi, videre in nativitate torrentis, et inspicere si floruisset vinea, et germinassent mala punica.* [b] Invitatur denique Dei Verbum in hortum nucis, in quo fructus propheticæ lectionis, et sacerdotalis est gratia, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Unde etiam virga Aaron nucea floruit, non jam natura sua, sed virtute secreta. Descendat ergo in hortum, ut vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cœleste reperiat, suavitatem nostri mellis epuletur.

15. [c] Dum enim laudatur a Sponso, verecunde refugiens coram laudari; deinde sponsi amore revocata, ait: *In hortum nucis descendi videre in nativitate torrentis.* Ubi enim est Ecclesia, nisi ubi virga et gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, ut in amaritudinibus et in tentationibus probetur. Per nucem amaritudines intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est: *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Psalm.* cxxiii, 5). Itaque descendit in locum amaritudinis, ubi floret

[a] Lib. de Isaac, cap. 7, num. 59, 60 et 61.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 16, num. 98.

[c] Lib. de Isaac, c. 8, num. 64.

Digitized by Google

ritis et malorum granatorum specie diversus et multiplex fructus, qui velut uno tegmine totius corporis fide et charitate munitur. A

**1608** 16. In illa ergo amaritudine non cognovit se anima, *Corruptibile enim corpus gravat animam, et terrenum habitaculum cito inclinatur* (*Sap.* IX). Se autem cognoscere semper debet. Sed tentatus est Petrus, et non se cognovit et Petrus; nam si cognovisset, non negasset auctorem. Sed cognovit eum Christus. Denique cognovit, quia et respexit; cognoscit enim Dominus qui sunt ejus: et tamquam suum misericordiæ suæ frenis ut bonus rector, revocavit a lapsu: rector ergo noster Christus est. Unde et sequitur:

17. (Vers. 11.) [a] *Posuit me currus Aminadab*: eo quod anima conjungatur corpori, et velut quidam equorum frementium currus, rectorem sui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naason fuit, sicut in Numeris legimus (*Num.* I, 7), qui erat princeps populi Juda, cujus figura refertur ad Christum, qui verus populi princeps animam justi velut currum agitator ascendens, Verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in præceps et abrupta rapiatur. Sunt enim ejus velut quatuor equi quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, timor: quibus furentibus cum cœperit agi, nequaquam seipsam cognoscit. Corruptibile enim corpus animam gravat, et tamquam irrationabilium animalium currus invitam rapit, volventibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones Verbi virtute mitescant. B

18. Hæc Verbi tamquam boni agitatoris est providentia, ne illi animæ quæ in se non est morti obnoxia, corpus mortale conjunctum, agitationem sui faciat esse difficilem. Primo igitur hos veloces corporis motus domitet, et nexu rationis infrenet: deinde caveat ne dispari motu se velut equi implicent; ut bonum aut improbus decoloret, aut tardus impediat, aut turbidus inquietet. Fremit enim equus malitiæ, seseque jactando currum lædit, gravat jugalem. Hunc bonus auriga demulcet, et in campum veritatis emittit, fraudis declinat anfractus. Tutus ad superiora cursus est, periculosus ad inferiora descensus. Inde quasi bene emeriti qui portaverunt jugum Verbi, usque ad Domini præsepe ducuntur, in quo non fenum est esca, sed panis qui descendit de cœlo. Hujus currus rotæ sunt, de quibus dixit Propheta: *Et spiritus vitæ erat in rotis* (*Ezech.* I, 20); eo quod currus animæ teres atque rotundus sine ulla offensione volvatur. C

19. [b] *Posuit me currus Aminadab*. Anima ergo currus, quæ bonum rectorem sustinet. Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos. Boni equi virtutes animæ: mali equi, passiones corporis sunt. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia: mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit, aut timor: et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi volant, et a terris ad superiora se subrigunt, animamque elevant; maxime si jugum habeant suave et onus leve dicentis: *Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 29). D

20. Ipse rector est, qui novit equos proprios gubernare, ut æqualis omnium cursus sit: velociores prudentia tardat, justitia admonet flagello proprio segniores; temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit. Novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Itaque licet intelligibili spectaculo videre unamquamque animam cum summo certamine ad cœlum rapi, festinantes equos qui priores præveniant ad bravium Christi, quorum prius imponatur palma cervicibus. Isti sunt equi subjecti fidei jugo, astricti vinculo charitatis, justitiæ frenis, retinaculis sobrietatis.

21. Pulchre ergo ait: *Posuit me currus Aminadab*, hoc est, pater populi: ipse autem qui pater populi, idem pater Naason, id est, serpentum. Jam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute universorum, et intelligas illam animam esse pacificam, cui Pater Deus præsul sit, Christus agitator; quia scriptum est et hoc nomen in nostris: *Pater, pater, agitator Israel* (IV *Reg.* XI, 12). Hic ergo agitator dicit:

22. (Vers. 12.) *Convertere, Sunamitis, convertere.* Bene et quasi agitator dicit, et quasi ad currum dicit: *Convertere, Sunamitis*, hoc est, pacifica; quæ enim pacifica est anima, cito se convertit et corrigit, etiamsi ante peccavit: et magis eam **1609** Christus ascendit, et regere dignatur, cui dicitur: *Ascende in equos tuos, et equitatus tuus sanitas*. Et alibi: *Misisti equos tuos Tharsis* (*Habac.* III, 8). Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus: ascendit Verbum Dei animas pias. Cum fuerit anima nostra pacifica, ut dicatur ei: *Convertere; convertere Sunamitis*, quod pacificam significat: tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, hoc est, imaginem Dei, ut sit ad imaginem; quoniam *Qualis cœlestis, tales et cœlestes, et oportet nos portare imaginem cœlestis* (I *Cor.* XV, 48), id est, pacem. Atque ut sciamus verum esse, habes in eisdem Canticis, in ultimo jam perfectæ animæ dici, quod et mihi dicat Dominus Jesus: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut signaculum in brachium tuum* (*Cant.* VIII, 6); ut luceat pax in corde meo, et in operibus meis Christus, formetur in me sapientia, et justitia, et redemptio.

## CAPUT SEPTIMUM.

1. (Vers. 1.) [c] *Quam speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab! Moduli femorum tuorum similes torquibus, opere artificis.* Non est dubium gressus hic quoque Ecclesiæ, vel animæ profectus significari. *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Esai.* LII, 7)! Utique speciosos dicit evangelicæ prædicationis et disputationis progressus, ut alibi dicitur: *Transgredere flumina* (*Esai.* XLVII, 2), hoc est, fluenta et lubrica istius mundi transcurre stabili

[a] Lib. de Virginitate, cap. 15, num. 94.
[b] Lib. de Isaac, c. 8, num. 65.

[c] In psal. CXVIII, serm. 17, num. 14 et seq.

mentis incessu. Quod de animæ incessu dici David A evidenter ostendit, afferens quod torrentem iniquitatum anima sua transiret ( *Psal.* CXVIII, 5 ).

2. Sed quid sibi vult quod ait, in calceamentis speciosos esse gressus Ecclesiæ? Legimus dictum ad Moysen : *Solve calceamentum pedum tuorum* ( *Exodi* III, 5) : quo videtur admonitus, ne corporalibus vinculis teneretur astrictus. Ergo speciosam in Canticis significat animæ pulchritudinem, quæ carne tanquam calceamento utitur, et in ipso calceamento impedimentum non patitur, sed incessus decore præcellit. Calceat ergo se anima ecclesiasticam gratiam, ut cursum vitæ hujus et transitum cum decore prætereat. Quod fit si calceamentum suum non inquinet luto corporali, non in vitiorum mergat voragine : si castiget carnem suam, ne moretur ad cursum, et arvi- B næ pinguis pondere prægravetur. Bonum calceamentum animæ pudicitia est, bonus gressus est in vestigio castitatis. Sapientia autem amictus est animæ, unde scriptum est : *Honora eam, et amplectetur te* ( *Prov.* IV, 8). Utamur ergo corpore tanquam calceamento ad inferioris opera virtutis : ad ministerium, non præceptum : ad obsequium, non delectationem : ad obedientiam, non dissensionem; et in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat.

3. Ideo ad Moysen dictum est : *Solve calceamentum* ( *Exodi* III, 5). Dictum est et ad Jesum Nave ( *Josue* V, 16 ). De Christo autem dictum non est, sed magis scriptum est, dicente Baptista : *Post me venit vir, cujus non sum dignus calceamenta portare* ( *Matth.* III, C 11); quia illi bene admonentur, ut solvant calceamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem non solum calceamentum non solvit, sed etiam calceamenta aliorum absolvit; quia non solum corpus suum a peccatis immune servavit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum.

4. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, et in calceamentis omni abluta delicto. Et fortasse quando sapientiam inter perfectos loquitur, speciosa est in superioribus membris : quando autem etiam inferioris gradus aut doctrinæ homines Verbum sequuntur, fidei seriem non obliviscuntur, sacerdotis præcepta custodiunt, speciosa est in calceamentis. Plerumque clerus erravit, sacerdos mutavit sententiam, divites cum sæculi istius terreno rege sense- D runt, populus fidem propriam reservavit.

5. Unde etiam de Domino Jesu bene possumus dicere, quia et in his quæ corporalia sunt, speciosos gressus Verbum habeat, cum de moralibus disputatur. Et apostoli ideo fortasse nudis mittuntur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed eluceat. Itaque Ecclesia filia Aminadab, hoc est, voluntarii vel beneplaciti; quia voluntarius eam vel beneplacitus congregavit, et in calceamentis speciosa est. Meritoque additum est :

1610 6. *Moduli femorum tuorum similes torquibus, opere manuum artificis;* ut posteritatis Ecclesiæ ornamenta canerentur. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, juxta illud : *Accingere gladium tuum super femur, potentissime* ( *Psal.* XLIV, 4 ) : quo significatur quod Filius Dei cum semetipsum exinanisset, Verbi accinctus divinitatem, et generationem calceatus humanam, prodiret ex Virgine omnibus daturus salutem. Moduli autem dicuntur ornamenta pretiosa, quæ suspendi matronarum cervicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesiæ significatur, ut ornamentis pretiosissimis comparatus sit, et torquibus triumphantium; hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Unde et Symmachus Epitrachelia dixit, hoc est, quæ sint circa collum. Sive ergo generatio Christi ex Virgine, sive Ecclesiæ propagatio, specie quidem tamquam manu artificis torquibus adornatis, veræ autem virtutis insignis spiritualibus cervices fidelium adornavit. Denique tota ista descriptio membrorum Ecclesiæ plena decoris et laudis est. Nam et :

7. (Vers. 2.) *Umbilicus ejus tamquam crater tornatilis* prædicatur, mixto non deficiens; eo quod in omni doctrina tornatus, plenitudine cognitionis, et potu non deficit spiritali. Et venter ejus non solum acervo tritici, id est, cibis fortioribus cœlestis mysterii saginetur, verum etiam tamquam liliis quibusdam moralium suavitate repleatur. Unde et ipsa tamquam bene merita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est : *Et ornatus capitis sui sicut purpura.* Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendentes, sed etiam potestate; quia reges facit, et meliores reges quibus regnum dat æternum.

8. [a] *Umbilicus tuus ut crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Umbilicus animæ ac venter subtilis est illius quæ ascendit ad Christum; ideoque laudatur voce Sponsi dicentis : *Umbilicus tuus ut crater tornatilis, non deficiens mixto; venter tuus acervus tritici muniti inter lilia.* Est enim in omni doctrina tornatus, et potus spiritalis non deficiens plenitudine, et cœlestium secretorum cognitione. Venter quoque animæ mysticus, sicut umbilicus, quo ventre non solum fortem cibum sumit quo corda firmantur, sed etiam suave ac florulentum quo delectantur.

9. (Vers. 4.) [b] *Oculi tui stagna in Hesebon, in portis filiæ multorum, Nares tuæ sicut turris Libani.* Stagna in Hesebon quid est, nisi in cogitationibus rationabilibus abundantia, quæ est in portis Ecclesiæ, cui merito defertur multitudo doctrinæ? Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas est et effectus, cujus nares odor est sacrificiorum, floribus omnibus præstans.

10. [c] *Nasus tuus sicut turris Libani* : præcelsa supra modum, et ideo prospicit faciem Damasci, gentilem scilicet populum odorans, et fidem ejus cujus gratia delictorum suorum detergeret fetorem. Fa-

[a] Epist. ad Irenæum.
[b] In ps. CXVIII, serm. 16.

[c] In psal. CXVIII, serm. 5, num. 34.

Digitized by Google

cies igitur Damasci fides est gentium, nullo obumbrata amictu, nullo adoperta vestitu, nuda ac libera, cœlo magis intenta quam terris. Hanc speculantur et prospiciunt nares Ecclesiæ, quod suave est in ea et odorum aspirationis et gratiæ colligentes.

11. Et bene, *Nares ejus sicut turris Libani*; quia in sacrificiis odor suavis Ecclesiæ est, in quibus est boni odoris hostia remissio peccatorum. Sume igitur has nares, o homo, ut a graveolentibus florulenta secernas, et tunc vivificabit te Dominus. Cum enim adverterit quid de ipso petis, ut avertat oculos mentis tuæ a vanitate, cooperatur animæ tuæ, ut si specie aliqua capitur, aut duritia aut infirmitate non flectitur, flectat eam jugo Verbi, et habenis suis regat, ut voluntate Dei abducatur a vitiis, et vitæ odorem capiat æternæ.

12. (Vers. 8.) [a] *Ascendam in palmam, et apprehendam sublimitatem ejus.* Unde cognosce quia et istam ascendit, et perduxit eam ad locum palmæ, quando et dicit ad eam: *Quam pulchra et suavis facta es, charitas, in deliciis tuis! Statura tua similis facta est palmæ* (*Cant.* VII, 6). Et ipsa ait: *Dixi, ascendam ad palmam.* Sed etiam ipsa charitas palma est, ipsa est enim plenitudo victoriæ; plenitudo enim Legis charitas est. Curramus ergo ut comprehendamus, curramus ut vincamus: qui vicit, ascendit in palmam, et manducat fructus ejus: qui vicit, jam non currit, sed sedet, sicut **1611** scriptum est: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in sede mea, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in sede ipsius* (*Apoc.* III, 21). Hinc philosophi currilia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmam pervenire potuerunt; quoniam suavitatem Verbi et altitudinem, illorum animæ nescierunt. *Ascendam*, inquit, *in palmam* vincendo sæculum; ut teneam Verbi altitudinem, quam cognovit hæc anima, in qua erat Verbi conversio; sic enim ait:

13. (Vers. 10.) *Ego fratri meo, et super me conversio ejus.* Hunc sensum tertio repetivit diverse in Canticis canticorum. In principio ait: *Frater meus mihi, et ego ei: qui pascitur in liliis usque dum aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* II, 16). Deinde ait: *Ego fratri meo, et frater meus mihi, qui pascitur inter lilia* (*Cant.* VI, 2). In fine ait: *Ego fratri meo, et super me conversio ejus.* Primum ad institutionem animæ; ideo et præmisit: *Frater meus mihi;* illo enim demonstrante se etiam adhærendi Deo sumpsit affectum. Quod sequitur secundum profectum: tertium secundum perfectionem. In primo quasi in institutione adhuc umbras videt anima, necdum Verbi appropinquantis revelatione commotas; et ideo adhuc ei dies Evangelii non refulgebat: in secundo sine umbrarum confusione odores pios carpit: in tertio jam perfecta requiem in se Verbo ministrat; ut convertatur super eam, et caput suum reclinet atque requiescat; et invitat ad agrum suum dicens:

A 14. (Vers. 11.) *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis.* Supra ad hortum invitabat; hic ad agrum habentem non solum florum gratiam, sed etiam triticum et hordeum, hoc est, solidarum firmamentum virtutum, ut fructus ejus aspiciat. *Requiescamus*, inquit, *in castellis*, ad quæ Adam cum de paradiso ejectus esset, fuerat relegatus: in his requiescebat, sed terram operabatur.

15. Qua autem ratione exire eum in agrum velit, intellectus manifestus est; ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes. Nam et si ista anima nova et vetera servavit, tamen sunt adhuc velut agni, qui lactis succo nutriendi sunt. Ergo quasi perfecta, non pro se, sed B pro aliis intervenit; ut de sinu patris exeat, ut procedat foras tamquam sponsus de thalamo suo; egrediens currat viam, ut infirmos lucretur; non in illo secreto patris solio, et in illa luce immoretur, quo invalidi equi conscendere non queunt; sed ut assumatur et inducatur in domum Sponsæ atque secretum. Sit foris sibi, ut nobis intus: sit medium nostrum, etsi non videatur a nobis. Unde ait: *Quis dabit te, frater, lactantem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te* (*Cant.* VIII, 1). Bona anima, quæ foris est, ut Verbum intus sit: illa extra corpus, ut Verbum habitet in nobis.

16. *Assumam te*, inquit, *et inducam te* (*Ibid.*, 2). Recte assumitur, et inducitur Verbum Dei; quia C pulsat animam, ut aperiatur sibi ostium: et nisi apertum sibi ostium invenerit, non intrat. Si quis autem aperuerit januam, intrat et cœnat. Sic Sponsa Verbum assumit, ut assumendo doceatur. Unde non immerito ascendit ad hanc, ad superiores mansiones, et semper processum accipit virtutis.

17. [b] *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineis, videamus si floruit vitis.* Multi agri fructus habent; sed ille melior est, qui et fructibus redundat et floribus. Est ergo Ecclesiæ ager diversis fecundus copiis. Hic cernas germina virginitatis flore vernantia; illic tamquam in campis silvæ, viduitatem gravitate pollentem; alibi tamquam uberem frugem Ecclesiæ, segetem conjugii replentem mundi horrea, ac veluti D maritatæ vineæ fetibus torcularia Domini Jesu redundantia, in quibus fidelis conjugii fructus exuberat.

18. [c] Sponsa desiderii sui copiam adepta, loquitur ad Sponsum: *Veni, frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus ad vineas.* Advertis quemadmodum Sponsa Verbum invitet Dei, ut veniat in terras et tollat peccata mundi. Ager hic erat ante desertus, sentibus nostrorum squalidus delictorum, horridus spinis. Castellum erat in quo religatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exsilio. Illo ergo ducit Ecclesia Christum,

[a] Lib. de Isaac, cap. 8, num. 67 et seq.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 6, num. 34.
[c] In psal. CXVIII, serm. 19, num. 23 et seq.

Digitized by Google

ut Adam liberet. Deinde exsulibus absolutis, cœpit mundi istius ager idoneos habere cultores : et qui erat ante jejunus, factus est vitis æternæ **1612** plantatione fecundus. Nec sic tamen spiritalibus læta palmitibus evagatur, sed ad has vineas vocat Christum, ubi psallentes sint et orantes, ubi noctibus ac diebus fructus innoxius perseveret.

19. (Vers. 12.) *Ibi*, inquit, *dabo ubera mea, ibi mandragoræ dederunt odorem*. Plerique discernunt quemdam inter mandragoras sexum ; ut et mares et feminas putent esse, sed feminas gravis odoris. Significat ergo gentes, quæ ante fetebant, cum essent infirmiores evirata quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpisse, postquam in adventum Domini crediderunt. Legimus etiam quod mandragoras acceperit sancta Rachel a sorore sua Lia, ut concederet ei illa nocte dormire cum sancto Jacob. Mandragoras Ruben primogenitus attulerat matri suæ Liæ, quæ lippientibus oculis, Synagogæ figuram accepit; quia Christi gratiam videre non potuit, hebetato debilis mentis obtutu. Quo declaratur quod fructus quos ante Synagoga a primogenito Dei Filio susceperat, Ecclesiæ concessit. Sed quia illius noctis petito concubitu concepit et genuit Lia suæ posteritatis hæredem, implevit mysterium; quoniam credentibus apostolis, reliquiæ Judæorum per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, unde ait Ecclesia :

20. (Vers. 13.) *Nova et vetera, frater meus, servavi tibi. Quis dabit te fratrem lactantem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te, et quidem non spernent me. Assumam te et inducam in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me, ibi docebis me.* Habens ergo informationem novarum et veterum Scripturarum, nec despicabilem se sentiens, non solum orationibus in secreto cordis Verbum tenet, verum etiam psallentis chori vocibus, velut quibusdam cum gratiæ osculis osculatur.

21. [a] *Nova et vetera, frater meus, servavi tibi ;* hoc est dicere, teneo omnia mandata novi et veteris Testamenti. Sola hoc dicere Ecclesia potest : non dicit alia congregatio, non dicit Synagoga, nec secundum litteram nova tenens ; nec secundum spiritum vetera. Non dicit hæresis Manichæa, *Vetera servavi tibi*, quæ prophetas non suscipit. Merito dealbata dicitur, quæ utriusque fulget gratia Testamenti.

22. *Adjuravi vos, filiæ Hierusalem, quod suscitetis et resuscitetis dilectionem usquequo voluerit.* Adhuc quærit suscitantem, et suscitari eam sibi poscit a filiabus Hierusalem, quarum gratia, hoc est, animarum fidelium Sponsum in amorem sui uberiorem desiderat provocari. Dicunt itaque virtutes illæ, quæ portas custodiunt cœli.

## CAPUT OCTAVUM.

1. (Vers. 5.) [b] *Quæ est quæ hæc ascendit candida, innitens super fratrem suum?* Quomodo ea quæ posuit caput suum super lævam sapientiæ, ut aperiret manum pauperi ad subveniendum inopi; partitis aut derelictis sibi, non invasis atque direptis divitiis uteretur, quæ gloriæ cupida bonis etiam operibus acquisivit, non inani sæcularis jactantia ambivit dignitatis, hoc est enim caput suum, et quoddam sensuum principale supra manum sapientiæ constituere. Ea, inquam, anima meritis ascendit albentibus, ex isto vitæ hujus ut plerique habent deserto, ad illum florentem semper locum jucunditatis æternæ.

2. Istæ sunt virtutes, quæ et in Esaiæ libro dicunt *Quis est iste qui advenit de Edom, rubor vestimentorum ex Bosor, sic speciosus in stola (Esai.* LXIII, 1). Istæ, inquam, sunt quæ mirantur ex isto confragoso scopulosoque deserto aliquam ascendere animam posse, sine magnorum labe vitiorum ; et ideo gratulantur repertam, quæ vestimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento insipientiæ sæcularis, sed magis sapientiæ spiritalis et gratiæ candore mundarit. Admirantur filiæ Hierusalem, sanctæ animæ patriarcharum et prophetarum, veterumque justorum, vel cœlestes potentiæ dicentes : [c] *Quæ est ista quæ ascendit dealbata innitens super fratrem suum*? Hoc est, talibus solemnitatibus fulget Ecclesia, et quæ ante per diem fusca erat, jam splendet in noctibus, et relucet. Ipse quoque Dominus tanto munere psallentium delectatus ait :

3. (Vers. 6.) *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut sigillum super brachium tuum ; quia valida est ut mors charitas, durus* **1613** *sicut inferi, zelus tuus. Alæ ejus, alæ ignis, et flammæ. Aqua multa excludere non poterit charitatem, et flumina non obruent eam.* Qui vidit tantam devotionem Ecclesia, idoneos putat esse jam populos, qui in corde nostro et in brachio signaculum ejus portare possimus. Ipsum enim Pater signavit Deus, et qui testimonium ejus accepit, signavit quia Deus verax est; et ideo operantes cibum permanentem in vitam æternam, signati sunt ad imaginem et similitudinem Christi, qui est imago invisibilis Dei. Sicut ergo Deus verax est; et tu signa in tuo sensu et opere veritatem ; ut os tuum non loquatur mendacium, manus tuæ non operentur opera hominum, quæ sunt fallacis istius mundi : sed illa quæ Dei sunt, ut pauperibus largiantur, debiles sublevent, mortuos honorent tumulis sepulturæ. His operibus charitas quæritur, ut nemo possit a Christo vel periculo mortis avelli; unde ille ait : *Quis nos separabit a Christo ? Tribulatio, an angustia, an persecutio* (*Rom.* VIII, 35) ? Et infra : *Confido enim quia neque mors, neque vita, neque angeli* (*Ibid.*).

4. Ea specie etiam zelus durus est charitatis, et alæ ejus alæ ignis. Habet alas sicut columba, sunt enim pennæ columbæ deargentatæ, quibus evolat qui diligit, dicens: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8). Sed alæ charitatis alæ sunt ignis, quibus dilectionis inflammat ardo-

[a] In psal. CXVIII, serm. 22, num. 33.
[b] In psal. CXVIII, serm. 14, num. 34.
[c] In psal. CXVIII, serm. 19, num. 27 et seq.

Digitized by Google

rem. Hoc vapore fecit Dominus ferventes Angelos A suos spiritus, et ministros suos ignem urentem, sed non exurentem. Legimus et alam templi, supra quam diabolus tentans, fecit ascendere Salvatorem, quæ erat in templi culmine (*Matth.* IV, 5). Sunt ergo fastigia pietatis, sunt culmina charitatis, quæ vaporem gratiæ pectoribus humanis adolere consueverunt; ut multa aqua exstinguere atque excludere non queat charitatem, et flumina eam sæcularium tempestatum nulla concludant. Diximus quia charitas excludit timorem, non diximus quod excludit omnem perturbationem; etenim qui Deum diligit, profunda est ei confirmatæ mentis tranquillitas.

5. (Vers. 7.) [a] *Aquæ*, inquit, *multæ non poterunt excludere charitatem, et flumina non inundabunt ipsum.* Multa aqua diversarum est passionum, et flumina sæcularium cupiditatum corporalibus motibus incitata, quæ tamen murum charitatis subvertere non possunt. Ideoque charitate fundatus dicit: *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Psal.* CXXIII, 5). Numquid aqua maris excludere Moysis potuit charitatem? Et ut secundum litteram tibi psalmorum series suffragetur, nempe diligens Deum, tutum sibi credidit iter esse per maria: qui autem non dilexerunt Deum, hi demersi fluctibus, dignum sacrilegii sui exitum pertulerunt.

6. (Vers. 5.) [b] *Quæ est hæc quæ ascendit, innitens super fratrem suum?* Superius dixerunt, *Quænam est hæc prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna, electa ut sol?* Hic plus quod adjiceretur, inventum est, eo quod Verbo Dei innixa ascenderat; perfectiores enim supra Christum recumbunt, sicut et Joannes in Christi pectore recumbebat. Ita ergo et hæc vel incumbebat in Christum, vel supra ipsum se reclinabat: aut certe quoniam de nuptiis loquimur, jam quasi tradita in Christi dextera, in thalamum ducebatur Sponso. Et quia jam copula charitatis est, blanditur ei sponsus, et dicit:

7. *Sub arbore malo elevavi te, illic parturivit te mater tua, illic parturivit te quæ peperit te.* Bona anima quæ requiescit sub arbore fructuosa, et maxime boni odoris. Nam si Nathanael bonus, in quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est; utique bona anima, quæ sub arbore mali elevata est a Sponso suo. Plus est enim elevari, quam videri: plus etiam a sponso elevari. Nam etsi Nathanael videbatur sub arbore, tamen anima ejus sponsa non erat; quia occulte veniebat ad Christum, quia verebatur Judæos. Non erat speciosa sicut luna, electa ut sol, quæ erat in umbra; quia quæ sponsa per diem nubit, publice confitetur. Ideo ista sub arbore mali, illa sub ficu; quia hæc confessionis suæ odorem diffundebat longius, illa habebat puritatis innocentiæ suavitatem, flagrantiam spiritus non habebat.

8. *Illic*, inquit, *parturivit te mater tua, illic parturivit te quæ peperit te;* ibi enim nascimur, ibi renascimur. Parturiuntur autem in quibus imago Christi formatur, unde **1614** et Paulus ait: *Filioli quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Galat.* IV, 19). Parturivit enim qui in utero accipit spiritum salutis, et aliis infundit. Unde quoniam jam formatus in hac erat Christus, ait:

9. (Vers. 6.) *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum.* Signaculum Christi in fronte est, signaculum in corde: in fronte, ut semper confiteamur: in corde, ut semper diligamus: signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis; ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus: ipse B oculus noster, ut per illum videamus Patrem: ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem: ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus. Ipse quoque est signaculum nostrum, quod est charitatis et perfectionis insigne; quia diligens pater signavit Filium, sicut legimus: *Quem Pater signavit Deus* (*Joan.* VI, 27). Charitas itaque nostra Christus. Bona charitas, quando obtulit se morti pro dilectis: bona charitas quæ peccatum remisit.

10. Et ideo anima nostra induat charitatem, et charitatem ejusmodi quæ sit valida ut mors; quia sicut mors finis peccatorum est, ita et charitas; quoniam qui diligit Dominum, peccare desinit: *Charitas* enim *non cogitat malum, neque gaudet super* C *iniquitate, sed omnia sustinet* (I *Cor.* XIII, 5). Nam qui quæ sua sunt non quærit, quomodo aliena quæret? Est et mors illa valida per lavacrum, per quod peccatum omne sepelitur, et culpa dimittitur. Talis erat charitas quam deferebat Evangelica illa mulier, de qua Dominus ait: *Remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Est et illa mors sanctorum martyrum valida, quæ culpam abolet superiorem; et ideo valida, cujus non impar est charitas, quæ adæquatur martyrum passioni, ut auferat meritum delictorum.

11. Zelus quoque ut inferi, quoniam qui Dei zelum habet, pro Christo nec suis parcit. Itaque et mortem habet charitas, et zelum habet charitas, et alas ignis habet charitas. Denique Christus diligens D Moysen, in igne ei apparuit. Et Hieremias habens in se donum divinæ charitatis, dicebat: *Et erat ignis inflammans in ossibus meis, et dissolutus sum undique, et ferre non possum* (*Jerem.* XX, 9). Bona igitur charitas alas habens ignis ardentis, quæ volitat per pectora et corda sanctorum, et exurit quidquid materiale et terrenum est: quidquid vero sincerum est, probat; et quod contigerit, suo igne meliorat.

12. Hunc ignem in terram misit Dominus Jesus, et refulsit fides, accensa est devotio, illuminata est charitas, justitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas

[a] In psalm. CXVIII, serm. 21.

[b] Lib. de Isaac, c. 8, num. 72 et seq.

Digitized by Google

dicens : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)? Alæ igitur ignis in flamma, Scripturæ sunt divinæ. Denique aperiebat Scripturas, et ignis exibat, atque audientium corda penetrabat. Et veræ alæ ignis, quia : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psalm.* XI, 7). Cum Paulus quoque assumeretur a Christo, vidit circumfulsisse super se lucem, et super eos qui simul erant, cecidit a pavore, et probatior resurrexit. Denique apostolus factus est, qui persecutor advenerat. Spiritus quoque sanctus descendit, et replevit totam domum in qua erant plurimi sedentes, et visæ sunt dispertitæ linguæ tanquam ignis. Bonæ alæ, alæ charitatis, vere alæ quæ volitabant per ora apostolorum : et alæ ignis, quia purgatum sermonem loquebantur.

13. His alis evolavit Enoch, raptus ad cœlum; his alis evolavit Elias, curru igneo et equis igneis ad superna translatus. His alis Dominus Deus per columnam ignis ducebat patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando sumpsit carbones ignis de altari, et tetigit os prophetæ, et iniquitates ejus abstulit, et peccata purgavit. Harum alarum igne purgati sunt filii Levi, et baptizabantur populi nationum, sicut testificatur Joannes, dicens de Domino Jesu : *Ipse vos baptizabit in spiritu et igne* (*Matth.* III, 11). Merito uri renes suos volebat et cor suum David, quia alas igneas charitatis sciebat non esse metuendas. Merito Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et ut plenius cognoscamus **1615** quia alas habet perfecta charitas, audisti dudum dicentem : *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas* (*Matth.* XXIII, 27).

14. Sumamus igitur has alas, quæ sicut flammæ ad superiora dirigunt. Exuat unusquisque animam suam involucris sordidioribus, et quasi aurum igne approbet detersam luto. Sic enim purgatur anima, velut aurum optimum. Pulchritudo autem animæ sincera virtus et decor, verior cognitio supernorum ; ut videat illud bonum ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo. Eo igitur vivit, atque intellectum accipit. Vitæ enim fons est summum illud bonum, cujus in nobis accenditur desiderium, cui appropinquare et misceri voluptas est : quod ei qui non videt, desiderio est : et ei qui videt, vita est; ideoque universa alia despicit, hoc uno mulcetur, et delectatur. Hoc est quod subministrat universam substantiam : ipsum autem manens in semetipso, dat aliis; nihil autem in se ex aliis suscipit, de quo Propheta ait : *Dixi Domino : Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2).

15. *Alæ ejus, alæ ignis.* [a] Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad paradisum redire desiderant; non enim otiose scriptum est quod, ejec-

A tis Adam et Eva de paradisi sede, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem. Omnes oportet transire per flammas, sive ille Joannes evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum : *Si eum volo manere, quid ad te? Tu me sequere* (*Joan.* XXI, 22). De morte ejus aliqui dubitaverunt, de transitu per ignem dubitare non possumus; quia in paradiso est, nec separatur a Christo. Sive ille sit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulavit, oportet dicere : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psalm.* LXV, 12). Sed Joanni cito versabitur gladius igneus; quia non invenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas. Si quid in eo vitii humani fuit, charitas divina decoxit : *Alæ enim ejus*
B *sicut alæ ignis*. Qui hic habuerit charitatis ignem, illic ignem gladii timere non poterit. Ipsi Petro qui toties mortem suam pro Christo obtulit, dicit : Transi, recumbe. Sed ille dicit : *Igne nos examinasti, sicut ipse examinavit argentum.*

16. *Alæ ejus, alæ ignis.* [b] Ergo quia volandi nobis data est copia, excitet unusquisque in se gratiam Dei, ac posteriora obliviscens, priora appetens, ad destinata contendat. Procul a militiæ honoribus, procul ab æstibus mundi; ne quod fabulæ ferunt æstu solis cera resoluta Icareos volatus penna relabente destituat. Nam licet gravitas dictorum oleis poetico tamen sale declarare voluerunt prudentiæ maturitati tutos esse volatus per cœlum; juventutis vero levitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, re-
C fluentibus pennis, et per oblivia veritatis meritorum compage resoluta, majore pernicie in terram relabi.

17. Haud facilis volatus omnibus, difficilis etiam discordantibus in terris animalibus vitæ cursæ humanæ est. At si tibi actus nostri ordo conveniat, videbit et in nobis propheta rotam illam unam super terram, conjunctam animalibus quatuor. Videbit ergo rursus Ezechiel, videt enim adhuc et viget et vigebit (*Ezech.* I, 15 *et* 16) : videbit, inquam, rotam in medio rotæ, super terram sine offensione labentem. Rota enim super terram, vita est corporis ad animæ aptata virtutem, et ad evangelicum cohærens cursu formata præceptum. Rota autem in medio rotæ, velut vita intra vitam, quod sanctorum sibi
D vita non dissonet; sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit et sequentis : vel hoc in hac vita corporis vitæ volvatur usus æternæ. Cum ista congruerint, tunc divina vox resultet, tunc super similitudinem throni similitudo sicut species hominis apparebit. Hic homo Verbum est, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) : hic homo nostrorum est agitator animalium, nostrorum rector est morum, qui pro nostrorum ratione meritorum, aut currum plerumque, aut montem ascendit, aut navim.

18. *Pone me* [c] *ut signaculum in cor tuum, ut sigil-*

[a] In psalm. CXVIII, serm. 20, num. 12.
[b] Lib. de Virginitate, cap. 18, num. 116 et seq.

[c] In psalm. CXVIII, serm. 22, num. 34 et seq.

Digitized by Google

*lum in brachium tuum, quæ nova et vetera servasti* A *mihi.* Signaculum meum es, ad imaginem meam es et similitudinem. Fulget in te imago justitiæ, imago sapientiæ, imago virtutis. Et quia imago Dei in corde tuo est, sit et in operibus tuis: sit effigies Evangelii in tuis factis, ut in tuis moribus mea præcepta custodias. Effigies Evangelii erit in te, **1616** si percutienti maxillam, alteram præbeas, si diligas inimicum tuum, si crucem tuam tollas, et me sequaris. Ideo crucem ego pro te portavi; ne tu propter me portare dubitares. Audierunt hoc filiæ Hierusalem, quod jam Dominus Deus Ecclesiam sibi copulabat: et quia considerantes magnitudinem Verbi, impares se tantis nuptiis æstimabant; ne forte tantæ copulæ pondus sustinere non possent, excusant dicentes:

19. (Vers. 8.) *Soror nostra parvula, et ubera non habet.* Sic enim qui volunt differre nuptias, excusare consuerunt, ut prætendant immaturæ ætatis infirmitatem, et astruant quod ubera non habeant, quæ nubilis significant tempus ætatis. Hoc solet symbolum commune omnibus virginibus esse nupturis; ut cum ubera cœperint eminere, tunc conjunctioni habiles judicentur. Turbatæ igitur, quod studio dilectionis urgeat nuptias Sponsus, dicunt:

20. *Quid faciemus sorori nostræ, in die qua loquetur in ea,* vel ut Symmachus, *qua loquetur ei?* Hoc est, in sponsalium celebritate solet fieri collocutio, et confirmatio nuptiarum. Quid ergo faciemus, dicunt turbatæ, quia urget conjunctio spiritalis? A tantis nuptiis excusare non possunt; nemo enim C est qui copulam vel animæ et spiritus, vel Christi et Ecclesiæ non beatam putet. Sed quia plenitudo Verbi vel Spiritus sancti vibrat et fulget, et nihil est quod illis possit æquari; ideo differre desiderant, ut illa dilatione vel anima, vel Ecclesia possit esse perfectior. Dicunt ergo:

21. (Vers. 9.) *Si murus est, ædificemus super eum receptacula argentea: et si janua est, sculpamus super eam tabulas cedrinas.* Murus est anima sancti. Habet et Ecclesia muros suos, quæ jam perfectior dicit: *Ego civitas munita* (*Esai.* XXVII, 3). Hic est murus, qui habet duodecim portas apostolicas, per quas populo nationum patet ingressus in Ecclesiam. Sed murus quamvis ambitum totius urbis includat, tunc tamen est munitior, cum receptacula habuerit præ- D parata, in quibus propugnatores urbis tutum spectandi ac tuendi possint habere subsidium. Sed quia rationalis hæc civitas est, et omnis spes ejus in Dei Verbo est, non ferrea, sed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis cœlestibus magis quam corporeis voluptatibus hostiles impetus repulsare consueta.

22. Eo muro præsidio, eo splendore fulgens, habilior Christi copulæ judicatur. Et quia janua Christus est, qui ait: *Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* x, 9); et ecclesia janua nuncupatur, quia per ipsam patet populis aditus ad salutem. Sed ne hæreticorum corrumpatur tineis aut vermibus, dicunt filiæ Hierusalem, vel angeli, vel animæ justorum: *Ædificemus super eam tabulas cedrinas,* hoc est, fidei sublimis bonum odorem. Est enim suavis hujus materiæ odor, quam non vermis, non tinea corrumpat. Ideo hujus materiæ usus eligitur tectorum fastigiis elevandis formandisque litterarum elementis, quibus ætas puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, levis ad onus, suavis ad odorem, utilis ad instrumentum scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æternæ. Sed quemadmodum Sponsam suam diligens Christus urgebat ad copulæ spiritalis solemnita- B tem; ita et Ecclesia Verbi decore jam capta, festinabat ad nuptias. Ideoque morarum et dilationis impatiens, quas filiæ Hierusalem innectere gestiebant, dicit:

23. (Vers. 10.) *Ego murus, et ubera mea turres.* Hoc est, nolite dubitare utrum murus sim; illæ enim dixerant: *Si murus est;* ego, inquit, murus sum, et non parva ubera habeo, sed ut turres ubera mea sunt. Quomodo dicitis, quia non habeo ubera? Sensus habeo ut turres sapientiæ, in quibus est abundantia, sicut scriptum est: *Et abundantia in turribus tuis* (*Psalm.* CXXI, 7). His uberibus, id est, sensibus, habilem se tantis nuptiis æstimabat. Sed filiæ Hierusalem adhuc non poterant æstimare, quia sensuum ejus abundantiam non videbant. Et addidit:

24. (Vers. 11.) *Ego eram in oculis ejus tanquam inveniens pacem;* hoc est, deliberatis de meis sensibus, cum pacem Dei invenerim, quæ exsuperat omnem mentem, et custodit corda et sensus in Christo Jesu. Talis, inquit, eram in oculis sponsi, qualis quæ habet pacem; scriptum est enim: *Qui recte quærunt pacem, gaudebunt.*

**1617** 25. (Vers. 12.) [a] *Ego,* inquit, *civitas munita, ego civitas obsessa* (*Esai.* XXVII, 3). His munitur muris, his obsessa defenditur. Et vere murus anima, quæ prætenditur in castris. Unde et ipsa ait in Canticis: *Ego murus, et ubera mea sicut turres* (Vers. 10). Bonus murus quem pinxit Dominus, sicut ipse ait: *In manibus meis pinxi muros tuos, et in conspectu meo es semper* (*Esai.* XLIX, 16). Bona anima quæ habet speculatorem Deum, et in manibus ejus est; sicut anima prophetica, quæ in manus Dei commendatur ut spiritus (*Psal.* XXX, 6), et quæ in conspectu Dei est: *Oculi enim Domini super justos;* sicut et ipse ait: *Ego eram in oculis ejus tanquam inveniens pacem.* Bonas turres habet, quæ habet et de intelligibilibus verbum, et de moralibus disciplinam. [b] Festinantibus igitur dilecto atque dilecta, celebrata conjunctio spiritalis est, mutuo expetita consensu. Ideoque tamquam nuptiale canens carmen, exsultavit Spiritus in propheta dicens:

[a] Lib. de Bono mortis, c. 5, num. 18.
[b] In psal. CXVIII, serm. 22, num. 40, in fin., 41 et seq.

Digitized by Google

26. (Vers. 11.) *Vinea facta est Salomoni in Beelamon, dedit vineam suam iis qui servant.* Clamat ergo Spiritus, Plantata est congregatio populorum, sed vitis æternæ radice fundata, et spiritalia sub jugum Verbi corde mansueto corda subjecit. Plantata autem est in multitudine nationum. Hoc enim intelligendum *Beelamon*, Symmachus, Aquila, aliæque translationes græco sermone docuerunt. Repudiata est vetus copula quæ fructum afferre non poterat, data est vinea novis fidelibusque cultoribus, qui non solum facere fructum possent, sed etiam custodire. Una igitur ovis erravit, sed revocata totius spatia orbis implevit. Unam ovem error abduxerat, sed multitudinem populorum Domini gratia congregavit. Erravit homo, sed in Ecclesia jam murus est et murus validus. Erravit Adam, murus est David, qui mandata Dei oblitus non est. Custodita igitur et vallata hæc vinea munimine spiritali, mille fructus dat Christo, ducentos autem fructus custodibus; ideoque ait Ecclesia:

27. (Vers. 12.) *Vitis mea in conspectu meo mille Salomoni, et ducenti servantibus fructum.* Perfectio et plenitudo Christi est portio parvulorum. Habes hoc mysterium in Genesi, ubi quinque partes Benjamin fratri juniori tribuit Joseph, singulas reliquis fratribus (*Gen.* XLIII, 34). Domino igitur quinque sensuum portio et prærogativa defertur, quam illi utique tribuit ipse quem diligit, sicut dilexit et Paulum, cui dedit ad gentes evocandas sapientiæ principatum. [a] Facessat hic sacris virginibus metus, quibus tanta præsidia tribuit primum Ecclesia, quæ teneræ prolis sollicita successu, ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium excrescit uberibus: donec, soluto obsidionis hostilis incursu, pacem validæ juventuti maternæ præsidio virtutis acquirat. Unde et Propheta ait: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psalm.* CXXI, 7).

28. (Vers. 13.) [b] *Qui sedes in hortis, amici intendentes voci tuæ, vocem tuam insinua mihi.* Ideoque hæc anima habens gratiam suorum uberum, ingreditur in hortos, et inveniens illic Sponsum sedentem et disputantem cum amicis, ait: *Qui sedes in hortis, vocem tuam insinua mihi:* mihi, inquit, non amicis.

29. [c] *Qui sedes in hortis, amici intendentes voci tuæ, vocem tuam insinua mihi.* Delectabatur enim quod in hortis Christus sedebat, et in hortis positi amici intendebant voci ejus: sed quia amici illi de cœlestibus erant, Archangeli vel Dominationes et Throni (homines enim expulsi de paradiso fuerant propter inobedientiam cœlestium mandatorum, atque ideo adhuc Ecclesia vocem ejus audire non poterat, quam cupiebat audire), ideo ait: *Vocem tuam insinua mihi.* Unde et nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suavitatem, ut disputantem cum angelis Dominum Jesum audire... simus. Sed quia futurum erat, ut cum ad plenitudinem Ecclesia pervenisset, persecutionibus tentaretur; ideo cum Verbi gratia delectaretur subito cernit insidias persecutorum: et quæ... Sponso quam sibi timeret, aut quia a persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait:

30. (Vers. 14.) *Fuge, frater meus, et similis esto capreolæ aut hinnulo cervorum, super montes aromatum.* Propter infirmos fugit, qui tentamenta... ferre non possent. Ideo scriptum est, ut de civitatibus ad civitates fugiamus: et si nos in hac civitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam. Propter infirmos igitur, ut diximus, fugiat persequentes... fugiat ab infirmis, et transeat ad montes aromatum qui pro martyrio odorem possit beatæ resurrectionis

**1618** afferre. Montes aromatum sancti sunt... eos confugit Christus; quia *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1). Ad eos igitur confugit, qui sunt ejus stabilia fundamenta. In nobis fugit, illis fida statione subsistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere: *Bonus odor Christi sumus Deo* (II *Cor.* II, 15). Mons aromatum Da... cujus orationis odor ascendebat ad Dominum... ideo dicebat: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2).

31. Symmachus tamen et Aquila interpretati... quod Christus dicit ad Ecclesiam: *Quæ sedes in hortis*; hoc est, jam in hortis sedes, superno digna es paradiso; et ideo *Vocem tuam insinua mihi, cui amici intendunt:* ego quoque eam audire desidero. Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam in hortis captus est Christus.

32. [d] *Fuge, frater meus, et similis efficere cervo aut hinnulo cervi, in montes aromatum.* Serpentinis... invisus colubris, et effugitans canum, atque his reptantibus infestus serpentibus, nescit habitare... in sublimitate virtutum, nescit commorari nisi... bus Ecclesiæ filiabus, quæ possunt dicere: *Christi enim bonus odor sumus Deo* (II *Cor.* II, 15)... quibusdam odor mortis in mortem, in iis qui pereunt: quibusdam odor vitæ in vitam, in iis utique qui odorem resurrectionis Dominicæ vivida... sperant. Isti sunt aromatum montes, qui Domini corpus Jesu acceperunt, et in linteis cum aromatibus ligaverunt. Quicumque enim crediderunt, quia Jesus mortuus est, et sepultus est, et resurrexit, in excelsum veræ cacumen fidei virtutum fastigiis extulerunt. Ubi ergo Christus quæritur, in pectore prudentis scilicet sacerdotis?

33. [e] *Fuge, frater meus.* Hortatur ut fugiat Sponsus, quia jam sequi poterit ipsa terrena fugientem. Dicit ut similis sit damulæ quæ evadit de retibus; vult enim et ipsa fugere, et evolare supra mundum. [f] Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illic patria

[a] Lib. I de Virg., cap. 8, num. 49.
[b] Lib. de Bono mort., c. 5, num. 18.
[c] In psal. CXVIII serm. 22, num. 43 et seq.
[d] Lib. de Virginitate, cap. 9, num. 49.
[e] Lib. de Bono mort., c. 5, num. 18.
[f] Lib. de Isaac., c. 8, num. 78, sub fin., et num. seq.

Digitized by Google

·bis, et pater a quo creati sumus, ubi est Hierusa- A m civitas quæ est mater omnium. Sed quæ est fu- ı? Non utique pedum, qui sunt corporis; isti enim ıocumque currunt, in terra currunt, et de solo ad ›lum transeunt. Nec navibus fugiamus aut curri- ıs, aut equis qui obligantur et cadunt; sed fugia- ıus animo et oculis, aut pedibus interioribus as- ıescamus oculos nostros videre quæ dilucida et lara sunt, spectare vultum continentiæ et tempe- antiæ, omnesque virtutes; in quibus nihil scabrum, ıihil obscurum et tortuosum sit: et seipsum spectet ıuis et conscientiam suam, illum oculum mundet; ıe quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non lebet dissonare ab eo qui videt; quoniam confor- nes nos Deus imaginis voluit esse Filii sui.

34. Cognitum igitur nobis est illud bonum, nec B longe est ab unoquoque nostrum: *In ipso enim vivimus, adsumus, et movemur; ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII, 28), ut Apostolus gentiles voluit monere. Ipsum est enim bonum quod quærimus, et solum bonum; nemo enim bonus, nisi solus Deus. Hic est oculus, qui magnum illum et verum decorem intuetnr. Solem nisi sanus et valens oculus non aspicit, nec bonum potest videre nisi anima bona: fiat ergo bonus, qui vult videre Dominum, et quod est bonum. Hujus boni similes simus, et secundum id operemur quæ bona sunt. Hoc est bonum quod supra omnem operationem est, supra omnem mentem atque intellectum, ipsum est quod semper manet, dans vivere et esse omnibus; quia fons est omnium vitæ Christus, de quo propheta ait: *In umbra ejus vivemus.* Nunc enim *vita nostra abscondita in Christo est: cum autem apparuerit Christus vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria.*

35. Ergo non timeamus mortem; quoniam requies est corporis, animæ autem vel libertas vel absolutio. Nec vereamur eum qui potest carnem interficere, animam autem non potest; quia non timemus eum qui potest vestimentum auferre, non timemus eum qui potest nostra furari, nos autem non potest. Nos igitur animæ simus, si volumus esse Hebræi de iis qui sunt socii Jacob, id est, imitatores ejus. Nos animæ simus, nostra autem membra vestimenta sunt: servanda sunt quidem vestimenta ne scindantur, ne inveterascant: sed ille magis qui his utitur, servare se debet et custodire.

# APPENDIX
## AD PRIOREM TOMUM BENEDICTINIANÆ EDITIONIS.

## MONITUM EDITORIS.

*Si quis præfationem a Benedictinis posteriori suæ editionis tomo præmissam perlegerit, statim compertum habebit doctissimos viros non unius generis opera consulto omisisse Ambrosii quidem nomine, sed immerito, ut ipsis visum est, inscripta. Nos vero, quibus ante omnia cordi est uniuscujusque Patris editionem recudere omnibus numeris absolutam, quidquid operum vel dubiorum, vel etiam citra controversiam apocryphorum, atque a Benedictinis aut repudiatorum, aut ne memoratorum quidem, expiscari licuerit, lectori exhibere destinamus, ea solummodo prætermissuri quæ, Patribus a nostro Ambrosio diversis juxta sanioris criticæ regulas ascripta, inter illorum opera reperiuntur.*

*Et hæc quidem nobis aggredientibus mens primum fuerat quæcumque recensioni Benedictinianæ superaddidissemus ad calcem Operum in unum corpus coadunare: postea vero, materiarum copia quadruplex volumen exigente, necessitas supervenit nostrorum* Addendorum *partem priori editionis Benedictinianæ tomo subjungere, posteriori vero quod superesset reservare, ne scilicet nimia molis inæqualitate volumina discreparent. His igitur perpensis, libros* de Bello Judaico *hic edi curavimus, quos S. Ambrosio Benedictini quidem abjudicant, ascribit autem Schœnemannus, juxta* nuperas Mazochii et Gallandi vindicias.

# SANCTI AMBROSII
## MEDIOLANENSIS EPISCOPI
# DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ
## LIBRI QUINQUE.

## PROLOGUS.

Quatuor libros Regnorum quos Scriptura complexa est sacra, et jam ipse stylo brevi prosecutus usque ad captivitatem Judæorum murique excidium et Babylonis triumphos, historiæ in morem



Digitized by Google

composui, Machabæorum quoque res gestas propheticus sermo paucis absolvit: reliquorum, usque ad incendium templi et manubias Titi Cæsaris, relator egregius historico stylo Josephus, utinam tam religioni et veritati attentus, quam rerum indagini et sermonum sobrietati. Consortem se enim perfidiæ Judæorum in ipso etiam sermone exhibuit, quem de eorum supplicio manifestavit; et quorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliquit. Deploravit flebiliter ærumnam, sed ipsius causam ærumnæ non agnovit. Unde nobis curæ fuit, non ingenii ope fretis, sed fidei intentione in historiam Judæorum ultra Scripturæ seriem sacræ paulisper introrsum pergere, ut tamquam in spinis rosam quærentes, inter sæva impiorum facinora quæ digno impietatis pretio soluta sunt, eruamus aliqua vel de reverentia sacræ legis, vel de sanctæ religionis constitutionisque miraculo; quæ magis, licet hæredibus, vel in adversis ostentui fuerint, vel honore in prosperis. Simul (quod est indicium domesticæ improbitatis) liqueat universis, quod ipsi sibi propriæ cladis auctores fuere. Primum, quod alia curantes, Romanos in se converterint, et ad cognitionem regni sui invitaverint, quibus ignorari satius fuit. Rogaverunt amicitiam, fidem non servaturi. Pacem violaverunt virtute impares. Postremo bellum intulerunt, quibus spes omnis in mœnibus, non in viribus erat, cum sit maxime omnium miserabile claudi obsidione: quæ etiam si bene procedit, sæpius augere quam minuere pericula solet. At ne quis vacuum fide et superfluum putet nos suscepisse negotium; ideo per principes ductum Hebræorum genus omne consideremus, ut liquido clareat utrum a femoribus [a] Judæ, nusquam generationis ejus successio claudicaverit: an vero offenderit in principum serie, sed manserit in eo, *cui reposita manebant omnia: ipse erat spes gentium* (*Gen.*, XLIX, 10) Hinc ergo sumam exordium.

## CAPUT PRIMUM.

Bello Parthico, quod inter Machabæos duces gentemque Medorum diuturnum ac frequens variaque victoria fuit, incentivum principium dedit sacrilegii dolor, quia rex Antiochus cui nomen Illustris, Antiochi regis filius, ubi Ægyptum quoque suo imperio adjunxit, in superbiam elatus, quod ei incerta bellorum prosperavissent, ritus Hebræorum negligi, ministeria quoque eorum profanari jusserat: idque postulantibus plerisque Judæorum, statuere ausus. Quod factum Matathias sacerdos perpeti nequivit: nec solum ipse temperavit a sacrilegio regalique edicto non obtemperavit, verum etiam immolantem simulacris hostias de popularibus suis nactus, gladio transverberavit. Et congregata manu, atque Asidæis in societatem adscitis, ipse cum filiis suis temerantes usum patrium et justitias legis, alios necavit, plerosque expulit, bellique sabbato adoriendi auctor fuit, ne simili arte ipsi quoque deciperentur, sicut jam plerique eorum dum sabbato bellum suscipere detrectant, irruentibus in sese hostibus inulti occubuere. Potentiam prosperi actus dederunt, et perseverandi in viro usque ad extremum vitæ studium defensionis et pietatis vigor. Sed cum sibi supremum diem adesse intelligeret, vocatis civibus, atque assistentibus liberis hortatus est, ut tuerentur patriam, templique religionem: ducemque his Judam Machabæum curæ atque sollicitudinis suæ successorem reliquit. Qui bello strenuus, consilio bonus, et præ cæteris fide promptus, quam frequenter innumeras hostium copias parva manu fuderit, prosequi non est præsentis negotii. Quod tamen brevi colligere datur. Sæpe prosperis usus successibus, expectavit in se magnam hostium multitudinem: qua circumfusus undique dum cedere pudori existimat, refugientibus sociis in prælium ruit. Cæsisque qui adversus ierat, a latere circumventus, sed non inultus propriam mortem, occiditur. Huic successit Jonathas, non minus virtutis similitudine par, quam naturæ germanitate. Qui post multa in bellicis rebus opera, in rebus sacris officia quæ circa templi purificationem spectata ac probata sunt, [b] prætentu pacis dolum amicitiæ fide intra urbem hostium clausus, nec longo post intervallo necatus est. Joannes etiam senior natu frater, et Eleazar junior cæteris pro religione mortem non recusarunt. Post hos rei summam Simon recepit, ad quam non rudis, sed jam probatus fraternæ societatis triumphis appropinquavit. Utinam et ipse tam perspicax ad fraudes cavendas quam manu validus bellandique artibus satis spectatus. Etenim cum virtutis ope Romanorum ducibus regibusque gentium amicitiam fœderavisset, Ptolemæi dolo, generi sui, rogatus ad convivium, inter mensas et pocula cum duobus filiis qui aderant, circumventus atque exutus armis impie neci traditur. Sane prævenit insidias Joannes ortus ex Simone, cui nomen Hyrcanus, et properavit ad vicinæ urbis mœnia, ubi a populo propter egregia patris merita, odio quoque hostilis sceleris, exspectabatur. Vix denique urbem ingressus est, et jam Ptolemæus aderat. Sed cum per aliam portam ingredi vellet, repulsus, multitudini cedendum existimavit. Assumpsit illico Jonathas paterni sacerdotii munus, et ad cultum rerum divinarum profectus, statim pietatis obsequia cæteramque servandæ necessitudinis exsequebatur, matrem cupiens fratresque periculo auferre. Congressuque superior factus justæ passionis affectu superabatur, quo minus castro potiretur in quo clausi detinebantur. Nam Ptolemæus ubi se urgeri videbat, matrem ejus atque germanos in muris locabat præcipitandos illico, nisi Jonathas bello quod inferebat, desisteret. Vincebatur juvenis pietatis metu qui vincebat fortitudinis assumptionem, et iracundiam excitatam in hostem revocabat suorum misericordia. Mater tamen parata ad tormenta tendebat manus,

[a] Editi *senioribus*. mendose. Restituta lectio firmatur ex *Gen*, XLIX, 10. GALLAND.

[b] Al. *Prætentata*. BARR.

Digitized by Google

obsecrans non salutis auxilium, sed ultionis solatium. Verebatur enim ne filius plus matri metueret, quam paternæ vindictæ impenderet: sibi mortem illam loco immortalitatis futuram, qua maritus vindicaretur, et gener impius pro scelere immani pœnam exsolveret. Sed juvenis plus intra se ipsum, quam in hostem præliabatur. Nam quoties patrem cogitabat, accendebatur. Rursum cum matre verberari atque ad necem aptari videret, moliebatur: revocabat impetum, referebat gradum, quia retrahebat passio. Inter obsidionis moras feriatus ex lege, supervenit annus qui erat septimus. Cessit pietas religioni, soluta obsidio est: sed eo magis Ptolemæi excitata immanitas, ut quorum objectu pœnam evaserat, eos jugulari juberet. Qui continuo se ultioni exemit, ad Zenonem cui nomen Cotilæ Philadelphiæ regem confugiens, ut ejus ope sese tueretur. Nec Antiochus quievit, qui Simoni patri Jonathæ ludibrio suos fuisse exercitus indignabatur: cupiensque adhuc assurgentes Jonathæ primitias exstinguere, cum magna veniens manu Hierosolymam, Hyrcanum obsedit. Repulit Hyrcanus auro, quem ferro nequibat, reseratoque (ut Joseph auctor est) David sepulcro, tria millia auri talenta eruit. Ex quibus trecenta annumeravit Antiocho, ut obsidionem relinqueret, ut pretio emptus abiret. Atque ut facti invidiam levaret, fertur ea pecunia Hyrcanus instituisse primus xenodochia, quibus adventum susciperet pauperum peregrinorum. Aucupatus etiam Antiochi necessitatem, qua Medis bellum inferebat, ultus dispendium est: plurimasque urbes Syriæ sibi adjunxit. Samariam quoque ubi postea Sebastia condita est, circumdedit munitionibus, cujus expugnationem Aristobulo et Antigono filiis suis mandavit. Quorum obsidio lenta usque ad diram famem et tetra alimenta humanorum cadaverum clausos coegit. Qua impulsi necessitate, opem ab Antiocho (cui nomen Aspondius) petendam arbitrati, ferentem adjumenta ærumnæ societati implicavere. Victus enim a fratribus prælio, fuga sese eripuit nece. Samaritani autem repetita obsidione, captaque et eversa urbe, servitio dati. Quo rerum secundarum processu excitati Aristobulus atque Antigonus impetum non refrigerabant, sed adjungere sibi finitimos bello coactos haudquaquam dissimulandum arbitrabantur; donec invidia oborta, bellum immane exarsit, conspirantibus locorum incolis, et coacta valida manu. Quæ tamen victa profundam in reliquum tranquillitatem Joanni exhibuit, et sibi otium. Hyrcanus trigesimo et primo anno longæ quietis gratia functus, diem clausit extremum quinque liberis superstitibus, quod a plerisque beatitudini datur: moderator egregius, et pulchre sobrius, qui nihil umquam vel fortuitis eventibus dereliquerit, in quo actus ejus obfuscaretur: uxori summæ rei commisit negotia, ipsam consultius ratus rebus publicis moderaturam, filios præscientia quadam animi tenens non diuturnos fore: nec eum fefellit opinio. Siquidem Aristobulus, cui inter fratres ætas provectior, minus promptior,

A principatum sacerdotii ad regni potentiam vertit, et diadema primus imponere sibi usurpavit: post quadringentos septuaginta quinque annos, triumque curricula mensium, ex quo de Babylone remeans Israel servitio exutus, in suam terram sese recepit. Superbe itaque nec partem ponere cæteris contentus fratribus solum Antigonum honoris specie quem videbatur diligere, mulcebat. Matrem (quia potestatis exsortem, et judicio viri fraudatam se expostulaverat) alligavit vinculis, et usque eo processit immanitatis parricidali spiritu ferox, ut et ipsam et fratres suos simili modo vinctos arcta custodia detineret, quo prope usque ad mortem suprema fame compellerentur, ni maturius Aristobulus scelesti parricidii merita solvisset: ac primum in ipsum

B Antigonum ferus animus exasperatur, et de amore in odia convertitur, ut eum ante omnes necaret quem solum sibi consortem imperii pollicebatur: adeo apud improbos affectus vilis, ut cito pravis suggestionibus extorqueatur.

## CAPUT II.

Dignum igitur ut crudelitatis ejus seriem non prætereamus, quo judicium Joannis etiam post mortem probetur, qui summam publicæ rei seniori committendam filio haudquaquam existimavit, quem tanto declinaturum furore a pietatis lege et norma justitiæ prævidebat. Haud scio, morum ne ejus contuitu, an insita gratia sacerdotum principibus, ut his aliqua quæ futura erant, etiam minus dignis

C infunderentur. Facinus miserabile fuisse, qui fratribus inviderent amorem naturæ: inde mali prima oborta est labes: invidiæ commenta consecuta hujusmodi sunt.

## CAPUT III.

Composuerant primo alia, quibus fidem Aristobulus non detulit, et obtrectationem mollivit charitatis gratia, invidiæ tribuens delationis amaritudinem. Ideo falsa veris admiscuere, ut ex his quæ ad speciem veri assumpserant, renitentem circumvenirent.

## CAPUT IV.

Scenopegia Judæorum interim in terris ex lege celebrabatur, dies videlicet festus et plenus reve-

D rentiæ, quo sacrificium solemne deferebatur. Eo die clarus militiæ gestis Antigonus domum revertitur, et accidit ut fratrem adveniens inæqualem offenderet; illico ad templum, ecquid enim præferret religioni? ut erat succinctus ornatu bellico, et circumfusus comitatu pari tendit: multus ibi pro fratris salute Domini precator, et inde ad fratrem sedulus properat. Hinc calumnia componitur ex acerbo felle, et acerbiore paratur exitu.

## CAPUT V.

Continuo enim regem adeunt improbissimi homines, invidiam excitant, quod pompam armatorum celebratiorem, quam privatis mos est, direxit, ostentui vulgo futuram, ne quis conatibus ejus ob-

Digitized by Google

viare auderet. Tanto apparatu non aliud nisi necem regis, et usurpandi imperii potentiam affectatam. Haud difficile æger animus invalido fessus corpore impulsus est, ut credibile duceret, quod pro vero asserebatur : maxime cum dies sacratus religioni, mendacii suspicionem excluderet, pompa excitaret invidiam, infirmitas metum adderet, armatorumque cohors fidem patrandi sceleris impleret. Itaque prius quam sibi probaretur tentamentum aliquod flagitii parricidalis, stipatores suos cum armis jubet in hypogeo locari obscuro, qui advenientem Antigonum [a] dolo necarent, nec exspectarent imperium regis, sed ipsi exstinguerent. Sane mandato per nuntios præmisso, ut inermis veniret, eis indicii qualitatem nupta Aristobulo in adversum mutavit, ut per illos conjuratos sibi insinuari faceret, Antigono fratrem ejus delectatum esse armorum decore, quibus proxime accinctus affuerat, sed præ ægritudine intentius non considerasse : nunc petere omnem illum ornatum bellicum quem sibi composuit, ad fratrem [b] deferat : gratum hoc regi futurum, si armatus adesset. Antigonus dolum non prævidit : dicto paruit eo studiosius, quo magis placere regi pariter et fratri desiderabat : decumbebat Aristobulus in castro, cui nomen primo Baris, postea Antonia fuit, videlicet ab Antonio triumviro donatione et appellatione cum urbis dignitate. Eo postquam Antigonus appropinquavit, atque accessit ad illum obscurum transitum, conspicientes armatum venisse regii stipatores, adorsi repente juvenem, præcepto satisfaciunt, atque imprudentem opprimunt. Is locus Stratonis turris appellabatur, quo deceptum vocabulo Judam qui erat Essenus genere, opinio est frequens : quem sive probitate vitæ suæ, sive mystica observatione, sæpe quæ futura erant annuntiasse, historia vetus prodidit.

## CAPUT VI.

Is, ut accepimus, cum vidisset Antigonum prætereuntem, ut fratrem reviseret, dicit ad eos qui numero discipulorum ejus annectebantur : Papæ! nunc mihi bonum est mori, quando mihi mortua veritas est : vivit Antigonus, quem necesse est hodie interfici, locus autem ejus neci decretus Stratonis turris, qui sexcentis hinc stadiis abest : hora jam diei quarta est. Tempore itaque excluditur prædestinatæ mortis fides. Hæc ubi dixit, intentius ipse secum conferre cœpit, quomodo eum fefellisset opinio. Nec multo post indicium defertur interfectum esse Antigonum in hypogeo ad Stratonis turrim, qui locus simili vocabulo æque ut ille qui erat in maritimis Cæsareæ, nuncupari solebat. Quo facinore patrato, Aristobulus secum ipse reputans, quid sceleris admiserit, in morbum ipse incidit. Erat in oculis parricidium, perturbatio in animo, nec alibi ullum intervallum dissimulationi dabat. Defigebatur in imis visceribus dolor : invidia in miserationem versa est, quo innocentem peremisset contra jus germanitatis : tanti sceleris immanitas mentem exulcerabat : non somnus oculis, non quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore, coquebatur ægra præcordia, ac duræ sollicitudines sauciabant invalidos artus, et crebro gemitu pulsabant alta imis suspiria.

## CAPUT VII.

Itaque immoderata mœstitudine eo prorupit morbi vis, ut [c] evulsis visceribus, sanguinem vomitu oris rejiceret : quem puer aulicus, regiis usibus præbens ministerium, foras extulit, atque imprudens facti, quod casu potius quam industria gerebatur, ad eum locum pervenit, in quo Antigonus fuerat exstinctus; illic supra rorantes adhuc fraterni sanguinis maculas, percussoris sanguinem effudit. Clamor subito factus et gemitus intuentium, eo quod profunda quadam dispositione Domini libatus peremptí scelestissimi parricidæ sanguis videretur. Somno excitus causam quæsivit : cum sileretur, eliciunt studio quærendi et metu indignationis. Cujus accepto indicio, suffusos oculos lacrymis, et quantum erat in eo virtutis, ingemiscens : Haud, inquit, rependitur meritis meis congrua vicissitudo : neque enim Dei oculum tam impii machinator sceleris præterire poteram. Matura flagitii ultio subest, et jam digno convenior parricidii mei pretio. Vale corpus : quousque animam fratri matrique condemnatam detines? Quid per partes eis libo meum sanguinem? in me omnis (si qua est pietas) contorqueat manus spiculum, ac me omnes filii germanique ultores pietatis gladio transfigant. Mactetur hostia parricidalis, atque immoletur violatæ necessitudini totum simul caro noxia sanguinem evomat. Non viscerum meorum cruciatibus et lenta tabe dæmonium exsaturetur, quod me in tam nefarios ausus sævi facinoris impegit. His dictis, finem imperii et vitæ dedit. Vix anno functus potestate regia, propter quam parricidium non effugerat.

## CAPUT VIII.

Solvit illico mulier, atque exuit vinculis fratres defuncti : regem constituit Alexandrum, cui et procera ætas, et moderatio suffragari æstimabatur. Qui ut regnum adeptus est, fratrem quem adverterat regni competitorem, statim interemit. Reliquum, qui supererat ex fratribus, vitæ ac saluti potius quam regno intentum, reservavit, vacuum negotiorum : continuoque (ut se habet inquietudo morum) bello pacem mutavit. Congressuque habito adversus Lathyrum Ptolemæum, plurimos quidem hostium interfecit, sed ad Lathyrum victoria defluxit. Cui tamen victoriæ fructum ademit Cleopatra mater coacta in Ægyptum concedere, ut mortem sibi imminentem evaderet. Ejus absentiam aucupatus Alexander, dum regni ejus partes invadere cœpit, etiam Theodorum in se convertit, quoniam

[a] *Diloricarent* rectius legitur : quo verbo utitur auctor ipse hujusce libri cap. 25 et lib. IV. Barr.

[b] *Conferat*. Id.

[c] *Convulsis*. Id.

Digitized by Google

potissima quæque de ejus possessionibus sibi associaverat. Improviso itaque impetu Theodorus regias opes occupavit, decem millia quoque Judæorum prælio fudit, sed super plagam non fractus Alexander plura adhuc de hostium partibus suo imperio adjunxit, captarumque urbium populos servitio subegit. Hos bellandi successus domestica seditio interpolavit, et orta de conviviis usque ad bellum contentio processit. Familiari peste hujusmodi Judæorum viris, ut de epulari Judo sese in arma excitent, ac nisi peregrina auxilia regi præsto fuissent, seditio prævaluerat. Sed adventitia manu, ægre licet, compressa est tamen, octo millibus ferme Hebræorum interemptis; inde in Arabiam iter direxit, ac nonnullæ ejus urbes subactæ: tributa quoque Moabitis et Galaaditis jure victoriæ ascripta. Unde regressus in Amathunta, Theodoro B tantis ejus successibus stupefacto, vacuum defensoribus castellum inveniens, sine mora expugnavit. Non usquequaque tamen otiosus Obedias rex Arabum fuit, nec inulta diu regni sui passus dispendia. Nam insidiis opportune locatis omnem exercitum ejus delevit, conclusum vallis, profundo et multo camelorum agmine attritum. Evasit tamen Alexander, et fugiens de prælio, Hierosolymitanæ urbis receptacula petit, invisus suis quoniam recruduerant odia ærumnæ ejus occasione, quia tantæ potentiæ metu premebantur. Nec silentio tegebatur animorum discordia, [a] aut verbis tantummodo exercebatur, prælio non uno, sed plurimis decertatum. Quibus exstincta fere quinquaginta Judæorum millia quos Alexander interemit, suis, quam hostibus perniciosior, et majore C victor detrimento, quoniam regni sui vires vincendo attriverat. Unde ne ipse quidem jam suis victoriis delectabatur, aversusque a prælio, arte tractabat sibi subditos, ut jam non armis premeret, sed verbis urgeret, ac solis sermonibus offensionum genera dissolveret. Nihil proficiebat ad colligendam sibi gratiam, quoniam fictis facinora præponderabant, atque ipsa repentina conversio ad pœnitentiam morumque inæqualitas sæva passim suspecta habebatur.

## CAPUT X.

Denique cum simulata ejus placiditate se circumveniri arbitrarentur, Demetrium regem sibi auxilio futurum adversus Alexandrum in bellum excitaverunt. Pugna in manibus, nec comperendinata, quamvis uni adversum duos exercitus numero inferiore D certandum foret. Mille enim comitatus equitibus, et sex millibus peditum, quos mercede sibi associaverat, decem millia quoque Judæorum sibi conspirantium in bellum accersens juxta urbem Sichimam occurrit hostibus, quibus tria millia equitum erant, et peditum quadraginta millia. Tentatoque utrimque agmine, ubi neque Demetrius pecunia conductos desciscere a fide vidit, neque Alexander de Judæis aliquos quibus se Demetrius adjunxerat, deposuisse erga se odia cognovit, armis decernen-

A dum existimaverunt. Superior bello Demetrius factus, plurimo tamen suorum sanguine. Namque ab his qui e diverso mercede conducti venerant, egregie bellatum, ut ita usque ad mortem virtute ac fide decertaverint. Destitutum itaque sese Alexander videns, cæsis suorum catervis in montes concessit. Sed præter utriusque spem ad alterum eorum species victoriæ pervenit, fructus alteri partus: quia et Demetrius nudatus est discessu Hebræorum, qui eumdem ad societatem rogaverant, et Alexandro ex ipsis sex millia sese adjunxerant, more quodam humani ingenii astipulantibus ad misericordiam rebus adversis. Cessit itaque Demetrius ei, quem bello vicerat: videns illum affluentibus paulatim Hebræis jam pugnæ idoneum, seseque cum paucis relictum. Cujus victoria libertate assuetis [b] damnationis metum movebat. Redit Alexandro sævitia cum securitate, regnumque in suos, et usus belli reformatur. Quærenti ab his quidnam faciens, animos sibi plebis conciliaret, responsum est: si moreretur. Vix enim fore cum mortuo, tam gravia perpessi, ut in gratiam reverterentur, ut odia adversus defunctum deponerent. Quibus excitatus, rebellandique assuetudine, multis necatis reliquos coegit in urbem, cui nomen Besemelel. Cujus expugnatio acerbiorem solito pestem invexit, tam sævo crudelitatis processu, ut ex eo numero octingentos in media civitate crucifigeret. Quorum in conspectu conjuges eorum filiosque jugulari præcepit.

## CAPUT XI.

Hæc spectabat accumbens in medio concubinarum lætus inter escas et pocula, sed magis sanguine quam vino inebriatus: hoc solo facto amplius populum quàm bello deterruit: ita ut proxima nocte Judæorum octo millia ultra Judæam discederent, quibus fugæ finis mors Alexandri foret: tantique horror mali quietem regno attulit. Sed ubi a domesticis feriatum præliis exorta est ei causa inquietudinis, Antiochi adversum Arabes expeditio, quam sibi terribilem et periculo futuram arbitrabatur. Hic est Antiochus, qui etiam Dionysius appellatur, Demetrii frater a Seleuco ultimus, cui transitum negare cupiens Alexander, inter urbem Antipatridem et Joppes littora foveis ingentibus ductis, muroque altissimo, turribus quoque e ligno impositis, elusit operam magno suorum labore, nullo hostis impedimento. Siquidem negotio facili repletæ foveæ, turresque exustæ, ipse quoque Alexander fuga sibi consuluit, eo tutior, quia nequaquam tanti [c] existimatus, ut eum victor principis loco persequi deberet. Nam secundis partibus reservatum, ut itineris obstructi injuriam acceptam ulcisceretur. Rectum autem in Arabas iter direxit, quorum rex in loca prælio opportuna sese contulerat. Deinde subito converso equitatu, maxima vi ac multitudine effusas, ac sine ordine ruentes hostium turmas invasere. Certatum acri-

[a] Al. *ante haud*. BARR.
[b] *Dominationis*. ID.

[c] Al. *æstimatus*. Et mox, *principe loco*. ID.

Digitized by Google

ter, quoad Antiochus restitit (renitebatur enim) quamvis exercitus ejus quasi more pecorum obtruncaretur. Ubi vero et ipse cecidit (nam præ cæteris sese offerre solebat periculis), adversi omnes, quorum maxima pars incerto fugæ dispersa exstinguitur, reliquis in vicum cui Annana nomen, coactis, atque alimentorum inopia consumptis, vix paucissimi ex his tantæ cladi superfuere.

## CAPUT XII.

Hoc successu Aretas etiam a Damascenis ad regnandum expetitus, ut Cœles, Syriæque imperitaret, quo Ptolemæum excluderent, quem maxime infestis odiis persequebantur, nec Judæam immunem reliquit incursionis, de qua victor, licet superato Alexandro, secundum utriusque tamen partis conventum discessit, ac revertitur in sua. Alexander autem Pellam evertit, et Gerassem petiit iterum de Theodori possessionibus aliquas sibi adjungere parans, eamque sibi bello vindicavit. Inde in Syriam progressus, Gaulanem et Seleuciam et Gamalam evertit ultus superioris belli contumeliam, ipsas quoque Antiochi munitiones diruit. Quibus ex locis iter in Judæam convertit, ac præter spem cum gaudio totius gentis suscipitur pro mirabili successu rerum gestarum: ubi parta bellandi quies exordium tribuit ægritudinis, atque aliquantulum quartanis febrium vicibus affectus, levato paulisper incommodo, dum negotia repetit militaria, nec modum servat, animo validior quam corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis viresque absumpsit, atque ita mortuus est. Viginti itaque et sex annis vario rerum eventu adversum innumeros bellorum tumultus regnum tenuit, et duobus liberis superstitibus, decessit, quos impares regni existimans gubernaculo, summam rem uxoris propriæ delegavit sollicitudini, quoniam eam acceptiorem populo cognovit; atque ob hoc apud universos invenisse gratiam, quod etiam ipsa ab immanitate viri semper alienam se faciendam existimaverit, ut non solum refugeret flagitiorum consortia, sed etiam resistendo ejus iniquitatibus, totius in se plebis benevolentiam converteret. Nec improvida viri sententia fuit: nam regnandi jus mulier inoffense exercuit, sine ullo feminei sexus impedimento, acquisivit moderandi gratiam sacræ legis observatione. Nam dum attentior circa templum cura exerceretur, et dimissa ministeria fraudis succrevit imperii vigor, nec tamen affectu infracta materno regni cupido. Siquidem ex duobus liberis electus unus ad [a] spem regnandi non potestatem, Hyrcanus vocabulo natu senior, ingenio remissior, Aristobulum vero acriorem animo expertem potestatis, emolliebat privati humilitate. Assuerunt se Pharisæi mulieri, genus hominum secundum legis doctrinam exercitatum, secundum qualitatem affectus callidum, avidum negotiorum, pecuniæ appetens, qui captantes elatam mulierculam, secun-A dum scientiam juris divini extollendo suam fecerat, ut pleraque etiam regni negotia ipsis committeret, adhiberent quos vellent: quos vellent excluderent atque aulico exuerent ministerio. Quid plura? ita se insinuavere, ut commodorum omnium fructus ad eos pervenirent: sumptus et molestiæ mulierem solam afficiebant. Nec mediocris mulieri spiritus, ut maxima quæque auderet, atque supra feminei sexus conditionem prælia disponeret. Siquidem et præstantissimam de suis manum paravit, et peregrini exercitus copias coegit ingentes, ut non solum domi tuta ad omnem regnandi securitatem foret, verum etiam exteris potentibus esset formidabilis. Ea tamen reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtemperabat. Erat Diogenes in regno ejus, qui de potentissimis Alexandri amicis familiaritati ejus adB hæserat: eum adorsi obtruncavere, memorantes ipsius consilio octingentos illos in medio urbis ab Alexandro cruci suffixos; in cæteros quoque facinoris auctores [b] quosque, ut pergeret ultio, mandatum. Necabantur itaque, quos Pharisæi præcipiebant, non quos societas sceleris involverat. Quo metu perterriti plerique quibus hujusmodi pericula intendebantur, et maxime præstantiores opibus aut dignitatibus, ad Aristobulo intercessionem imploravere, ut matrem ab exsecutione præcepti severioris, ad meliora deflecteret. Ille sibi gratiam parare cupiens, non detrectavit. Mulier, ægre licet, oranti tamen filio concessit, ut contuitu honorum quos gesserant, qui in hujusmodi invidiam arcessebantur, supremæ mortis C sententia mitigaretur, atque eos tantum quos obnoxios suspectaret, et [c] patrandi flagitii incentores foris se urbe egredi juberet. Qui accepta vitæ securitate per agros dilapsi sunt.

## CAPUT XIII.

Eodem tempore causa accidit, ut Damascum juva-tus dirigeretur, quoniam Ptolemæus frequentibus incursionibus incolas memoratæ urbis terrebat; cujus negotii necessitas occupavit de exercitu Alexandriæ validam manum. Cleopatram quoque Tigranes qui Armeniis imperitabat, in urbe cui nomen Ptolemais, obsidione clauserat, quem muneribus Alexandra mulcebat, ut a se averteretur. Quem Lucullus facta irruptione in terras Armeniorum infectis rebus redire coegit, consultius ducentem sua tutari, D quam aliena adjungere. Tantis itaque negotiis intenta Alexandra, in morbum incidit. Quam occasionem rapuit Aristobulus ad suas artes; et congregata manu, conspirantibus secum quos fervor naturæ prærupta quæque audendum cupienti adjunxerat, thesauros occupat, eorumque copiis invitavit ad militiam voluntarios ac pretio componit, ut in omnia quæ vellet fidem præstarent, atque infulas regis induit. Turbatus animo Hyrcanus, matrem lacrymis conveniebat. At illa spirans ferocia, filios et uxorem Aristobuli in castrum reclusit, cui nomen primo Ba-

[a] *Speciem*, ut infra cap. 42. Barr.
[b] Vacat hæc dictio in ms. Id.

[c] *Patrati*. Id.

Digitized by Google

ris, postea Antonia appellatum, de quo supra memoravimus. Cœpta Alexandræ celeri ejus obitu destituuntur. In hæreditatem omnem Hyrcanus successit, qui vivente adhuc matre dignitatem induerat sacerdotii. Aristobulus virtute et sapientia præstabat: res usque ad contentionem atque congressionem deducta: ubi consertum, plerique relicto Hyrcano, illum alterum bello meliorem secuti. Hyrcanus comitantibus secum qui bello reliqui fuerant, confugit in Antoniam, repertisque filiis et uxore Aristobuli, per obsides salutem invenit, quia ne quid asperum in suos fieret, Aristobulus pacto consuluit. [a] Conventum fratrum hujusmodi fuit ut regno Hyrcanus cederet, atque ad Aristobuli jus omne imperii transiret, nec tamen Hyrcanum inhonorum relinqueret, sed regni exsortem honore alio fungi sineret, quem ipse impertivisset. Transactio hujusmodi etiam religione templi sacrata, assensionem utriusque tenuit voluntariam: inde cum gratia discessum est, ac se invicem salutantes, Aristobulus in aulam regiam sese recepit, Hyrcanus æquanimiter in domum Aristobuli concessit.

## CAPUT XIV.

Sed fuere, quos metus ac rerum mutatio incesserat, qui se studuisse adversus Aristobulum recordarentur, et præ cæteris Antipater: is erat Idumæus genere, [b] moribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ, et ideo prævalidæ potentiæ, arte mira factus ad contemnendam pecuniam propter conciliandam gratiam. Qui Hyrcanum consiliis suis perterritum, quod nullam salutis suæ spem tutam haberet, qui imperio decessisset nisi transfugio sibi consuleret, ubi ad suas artes inclinavit, insinuat Aretæ regi, fovendum auxilio virum qui circumventus foret ut regno cederet; decorum hoc fore regi, si arbiter fieret imperii restituendi; multoque pulchrius, si circumscripto, cui primitiva regni competerent, dolo sublata reformari juberet: illum versutum et callidum, et ideo suspectum vicinis: hunc mitem et quietum, qui pro summo beneficio acciperet, quidquid sibi ab externo tribueretur, cui frater etiam regnandi jus ademisset. Præparatam itaque Aretæ regis gratiam Hyrcano annuntians, fugiendi spem detulit, et viam demonstravit, ut secum peteret Petram in finibus Arabiæ sitam, quo in loco regem adirent: qui precibus Antipatri donisque inflexus, plurimam bellatorum manum Hyrcano adjunxit, ut regno restitueretur. Erant fere peditum equitumque quinquaginta millia, a quibus prima pulsus congressione, Aristobulus Hierosolymam confugit, ibique intutus adversus tantam hostium multitudinem; quæ clausum expugnavisset, nisi Scaurus ductor Romani exercitus alterius belli occasione quod adversus Tigranem gerebatur, solvisset obsidionem, missus a Pompeio, cui recepti Mithridatis ultio gravis, bellique in socerum transferendi propositum exarsit; qua causa Syriam infestari per Scaurum præceperat, cum ipse Tigranem atque Armeniam urgeret. Scauro itaque advenienti Damascum quam Metellus et Lollius funditus everterant, occurrere fratrum legati, sibi quique Romanæ opis auxilium implorantes; et quamvis inferioribus esset viribus Aristobulus, præponderavit tamen pecuniæ oblatione. Venditur summa prælialis certaminis talentis trecentis, et justitia postulati pretio pensatur. Qua pecunia sibi annumerata, denuntiat Scaurus Hyrcano regique Arabiæ discedere ab obsidione, aut si permanerent, scirent sibi adversum Pompeium et Romanos bello certandum. Eo terrore obsidio soluta: Aretas Philadelphiam petit, Scaurus Damascum revertitur. Aristobulus autem vixdum idoneus propulsando periculo manum colligit, hostem insequitur, et ad [c] Paparionem (id vocabulum loco) sex millia hostium, simul et fratrem Antipatri fallionem prælio fudit; Hyrcani atque Antipatri spes lapsa est, quibus fiducia omnis in Arabiæ viribus erat.

## CAPUT XV.

Sed ubi magnus Pompeius adire Syriam cœpit, et Damascum advenit, a Romanis quorum auxiliis infracti, de manibus victoriam amisere, opem postulant, Pompeiumque adeunt, tamquam justi arbitrum, et minime avarum pecuniæ. Allegationibus itaque non muneribus (ut ante) niti cœpere: quoniam integer animus adversus corruptelam pecuniæ, laqueis avaritiæ non capiebatur, et gratuito odisse poterat fraterno insidiatum honori: et ideo his eum adorsi querelis, quibus et Aristobulo fieret invidia, quod indignus aliena invaserit, et Hyrcano conciliaretur, cui vel merito vitæ, vel ætatis suffragio regnandi jus competeret, astipulante præsertim matris auctoritate, quæ et judicium eligendi habuit et jus conferendi. Nec Aristobulus diu abfuit, quamvis nihil in magno pectore, quod suis artibus conduceret, intueretur: præsumebat tamen de Scauri redemptione, seseque ejus jactabat societate. Venit itaque regio ornatu præditus, et prope majore quam solebat stipatus ambitu, ut qui de justitia dissideret, acquiescendi præjudicium excluderet, spem obediendi negaret: sed diutius tolerare Romani consulis sublimitatem nequivit, cui mos erat regni exorti regibus imperitare. Itaque ubi ad urbem ventum est, cui nomen Diopolis, alio concessit, Romanæ dignitatis supercilium dedignatus regni tumore. Qua secessione Aristobuli, est non mediocris datus offensioni locus, usque adeo commoto consule, ut statim arma Romanorum in Judæam converterentur; conjunctis Syriæ etiam plerisque auxiliaribus: quem ubi comperit Aristobulus ad urbem Scythopolim atque inde Coreas appropinquare, unde erat Judææ exordium possessionis, confugit in Alexandrium castrum munitum admodum, et in monte altissimo situm. Quo cognito, jubet eum Pompeius descendere: at

[a] Vetus codex, *conventus*. BARR.
[b] *Majoribus*. ID.

[c] *Papyrenem*, Joseph. cap. 5, lib. 1, *de Bell. Jud.* ID.

Digitized by Google

ille tamquam herili præcepto obedire indecorum existimans, periculum potius subeundum, quam obtemperandum imperio animi immodicus arbitrabatur. Sed referta populis Romana castra desuper spectans, simul a suis monitus, non lacessendos; quorum in nomen ac potestatem totus prope orbis terrarum concesserat, descendit, pluribusque usus quibus regnum sibi jure delatum astruere contenderat, vel generis debitum necessitudine, vel exercitus judicio, qui secutus sit validiorem, deseruerit ignavum: vel eventu prælii, vel pacti conventione ad munitionem revertitur. Rursus cum Hyrcanus consulem adiisset, vocatus ad judicium Aristobulus, se se repræsentavit. Sed cum adhuc comperendinari cognitionem videret, in castellum regressus est. Medius enim inter spem et timorem putabat, quod imperiis ejus obediendo ad sui gratiam Pompeium inflecteret. Sed ne vi adigeretur iterum imperio cedere, in Alexandriam sese recipiebat. Nec præteriit Magnum regis versutia; jubet eum discedere munitionibus: idque facturum, datis in singulos custodes munitionum litteris, sese astringeret. Jussis quidem paruit, quæ non audebat refellere: protinus tamen Hierosolymitanis mœnibus sese abdidit, et bellum adversum Romanos parare cœpit. Pompeius quoque fugientem insequi, urgere clausum, neque parandis belli usibus tempus ullum dare. Direxit Magni intentionem de Mithridate nuntius, quod morte bellum finiisset. Urbs Hierico in finitimis suis Pompeium tenebat, cum rei memoratæ indicia venirent: locus prope urbem, in quo balsamum gignitur, virgultisque innascitur, quæ lapidibus incidunt pueri agricolarum, perque eas incisiones distillat humor lacrymis pulchre rorantibus. Inde vir militiæ vetus compositis ordinibus, ad vesperum castra movit, et primo diluculo Hierosolymitanis mœnibus astitit, atque improvisus armatas acies infundit.

## CAPUT XVI.

Obstupefactus Aristobulus dispositionis specie, virorum robore, militum alacritate, sponte occurrit, veniam precatur, pecuniam, urbem, seque offerens. Verbisque in mollibus suppliciter inflexis mitigaverat indignationem Consulis: sed irrita precatione, quia effectus deerat promissionis, non solum negatis pecuniis, sed etiam urbe excluso Gabinio qui oblatam petitum venerat, bellum incubuit. Namque Magnus adhibitis custodibus Aristobulo, urbis mœnia speculari cœpit, atque explorare diligentius, quibus in locis tentaret irruptionem. Sed cum et valida murorum circumspectaret, quod expugnari nequirent, et templum in urbe haud inferioribus circumdatum munitionibus, et ut geminum esset ingressus periculum et a defensoribus templi, et ab his qui murorum propugnacula tuerentur, [a] hæsit animo dubius, sententiæque incertus per aliquantulum temporis, cum subito intra urbem orta seditio vole[...] Hyrcani sociis urbe recipere Pompeium, renite[...] Aristobuli propugnatoribus; illi portas aperire [...] isti obserare, bellumque inferre, ne regem erip[...] Sed pluribus quos terror potentiæ Romanæ [...] rat, cessere inferiores, atque in templum sese recep[...] soluto ponte qui transitu pervio urbem ac temp[...] medius conjunxerat. Receptus itaque in urbe[...] exercitus Romanus, et suis manibus Judæi aper[...] portas, non multo post urbis ac templi expugna[...] bus futuris. Completumque est illud David[...] *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, p[...] *runt templum sanctum tuum* (*Psal.* LXXVIII, 1). S[...] itaque tradidere regalia sua, cessere aulicis. P[...] claro inter suos viro et militiæ stipendiis exerc[...] id negotii commissum est, ut manu valida aula[...] giam cæteraque urbis tuenda existimaret: quo[...] eo sollicite curatum, quasi ad ea defendenda p[...] quam occupanda Romanorum exercitum duc[...] Ad templi autem irruptionem, quoniam perti[...] resistebatur, Judæos Magnus paravit socios vide[...] Hyrcani, ut si fieri posset, aliena Romani my[...] non profanarent: simul ut suis manibus Judæi [...] replerent, impio ministerio et turpi obsequio se[...] runt manus eorum in cophino, mentes in sacril[...] (*Psal.* LXXX, 7): sed nihil proficiebat congestio, c[...] reniterentur e muris Aristobuli fautores, et des[...] afferrent impedimentum: irritaque Pompeio [...] sent exordia, nisi [b] incurrentibus sacris relig[...] diebus, quibus ab omni vacare opere Judæos [...] observatio foret, imminere suos aggerendis te[...] rum tumulis imperavisset: sola enim consuet[...] manus usurpatione in consuetudinem versa, e[...] sabbato, si tamen inferatur prælium, et salute[...] tremum petatur periculum, decernendum sibi [...] Judæi existimant: reliqua certamina religioni [...] cunt. Jam vallum excreverat, jam machinæ ad[...] repugnabant regii murorum altitudine feroci[...] nec intermixti præliis propiore Magni accessu [...] nabantur. Stupebat Pompeius acres virorum [...] mos, muri decorem ac magnitudinem, et nusqu[...] remissa officia sacerdotum in medio belli fur[...] tamquam profunda pax esset nihil deerat sacrific[...] rum solemnitati, imbellatorum inter jacula m[...] que cæsorum fundebatur sanguis hostiarum. Victim[...] altaribus imponebatur, ante aram positi feriebant[...] Tertius jam mensis anceps adhuc certamen [c] te[...] bat. Primus Silla ortus Cornelio, Faustus et duo centu[...] riones, quorum uni nomen Furio, alteri erat Fabi[...] dejecta terra murorum, templum irrupere, singul[...] sequentibus sese catervis, et circumdantes undiq[...] templi interiora, quoscumque repererant, gladi[...] transverberabant, cædebantur fugientes, repugna[...] tes alii obtruncabantur. Nullus parcendi modus, nec tamen ea sævitia bellantium, obsequia [d] vatum

[a] Gronovius *Monob.* pag. 67, restituit: *Hæsit animi dubio, sententiæque incerto aliquantum temporis.* GALLAND.

[b] *Intercurrentibus.* BARR.

[c] *Habebat . . . . turre murorum.* ID.

[d] *Vatum*, id est sacerdotum, ut ex contextu liquet. Quem quidem locum pluribus illustrat Mazochius t. c. in *Comment. ad marm. Neap. eccl. kalendar.* vol. III, pag. 771. GALLAND.

Digitized by Google

impedita. Nudatis gladiis imminebat hostis : illi A tamen sine ulla perturbatione soliti vicem muneris exsequebantur. Nullum intermissum est officii genus. Quidquid ad purificationis solemnitatem, quidquid ad cultus sacri observantiam spectare poterat, impletum est. Tanta erat cura ministerii: atque utinam pro veritate devotionis et fidei fuisset! Majora quoque a suis orta pericula, [a] quam sibi ab Hæbræis invicem inferebantur, atque intus pugna vehementior, et a seditiosis propius et anceps periculum : a fronte externus hostis, a tergo lateribusque domesticus.

## CAPUT XVII.

Itaque conclusi undique, alii se præcipitabant, alii patriæ incendiis exurebantur. Sacerdotes tamen usque ad ultimum in suo munere perseverabant, hortantes se invicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis quam salutis præsidium : recte secum B agi, si pietati impenderent, quod deberetur necessitati, pulcherrimumque, si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autem juvaret evadere, et superstitem vivere religioni? præclarum potius opus muneri commori pio. Quod si quis periculi metu, deserat, sacrilegium est : si quis impleat, sacrificium et piæ passionis victoria. Infulati itaque sacerdotes inter suas hostias immolabantur, et amicti sacerdotalibus stolis inter cadavera cæsorum humi jacebant. Fusa illic Judæorum duodecim millia, Romanorum pauci exstincti, plures vulnerati sunt. Nihil tamen gravius in illa miseria ingemuerunt Judæi, quam quod illa abscondita ante sanctificationum mysteria, retecta gentibus ac manifestata sunt. Denique Pompeius curarum istiusmodi declinans superflua dum triumpho potius C ambusta ambiret, sequentibus sese suorum plurimis vidit tabernaculum, secundum quod soli principi sacerdotum solemni accessu patebat, atque intus inspexit lucernam, et mensam, et [b] thymiamata, et tabulas Testamenti, superque eas Cherubim, et multitudinem aromatum dispersam, et sacræ pecuniæ talenta duo millia : in quibus cum plurimum auri esset, integer tamen ab omni cupiditate, vel ipsa, vel si qua sacrorum vasorum inventa sunt, intacta servari præcepit : et sequenti post excidium die [c] Theocorus jussit mundari templi interiora, ac celebrari assueta sacrificia. Hyrcano quoque principatum sacerdotii dedit prompta ejus opera usus in obsidionis necessitate : nam etsi infidus suis, Romanis tamen fidelis, ut sua patria expugnaretur. Sed puto nemi- D nem dici fidelem posse, qui suis fuerit invidus. Non perfunctorie itaque in ipso prælio juvit hostes suorum, vel quod extramurani populi multitudinem annitentem Aristobulo retraxit ab ejus societate : ad omnia tamen quibus vel præveniendi Aristobuli, ducendique ejus auctoritate, vel conficiendo celeriter bello Pompeius egregius imperator fuit. Præclarum hoc addidit, ut in victoria modum teneret : denique benignitate sibi magis quam terrore, quos viceral associavit, auctores tantummodo belli securi percussit. Tributum quoque victis imposuit, statuit ducem, Judææ fines determinavit. Suis ergo finibus circumscripta Judæa est: reformavit etiam Gadaram quam Judæi everterant, rogatus a Demetrio qui patriæ suæ hujusmodi gratiam a patrono poposcerat : et in hac causa et in plurimis apud Magnum supra libertorum modum usque ad invidiam excellens ; Aristobulum autem cum filiis et socero ejus captivos statuit secum Romam deducere : sed unus ex sobole regia in itinere elapsus custodibus, domum revertitur : ei nomen Alexander, ætas fratre provectior et sorores duæ. Antigonus autem ævo junior cum feminei sexus germanitate ad urbem deducitur, Pompeiusque Ciliciam, deinde Romam petiit.

## CAPUT XVIII.

At in Syria Scaurus qui ducis officio præerat receptis urbibus, quas Judæi invaserant in mediterraneis, Scythopoli, Ippone, Pella, Samaria, Jamnia, Mirisa, Azoto, Arethusa : maritimis quoque, Gaza, Joppe, Dora et ea quæ Stratonis turris olim vocabatur, postea autem Cæsarea nuncupata sub imperio Herodis, qui et ornatum addidit et nomen mutavit, adversum Arabas bellum moliebatur, Judæam inter Euphratem et Ægyptum : Syriam quoque suis reformatam finibus, judicio coercens prædandique cupidine; quod potius reor, quam proferendi imperii gratia : summam regni Arabiæ Petram invadere volens, difficultate quidem locorum impeditus, irrumpere nequivit; plura tamen vel propinqua urbi vel longe posita devastavit, quibus in locis exercitum ejus morantem fames incesserat; ac pene incidisset facinus miserabile, nisi per Antipatrum laborantibus Romanis Hyrcanus alimoniam ministrasset; idemque de consilio Scauri Aretam monuisset solvere bellum pecunia. Denique trecentis talentis Arabs hoste se exuit, Scaurum redemit : hoc regressionis ejus pretium fuit : quæ res Hyrcano fidem cum Romanis firmavit, societatem et profunda pace securitatem fovebat; quod in locis hostilibus exercitui Romano, opera ejus ex indigentia gravi, frumenti satietas facta, auxiliumque præsto fuit.

## CAPUT XIX.

Sed ubi Alexander e vinculis Magni elapsus, primum occulte, et per aliquantum tempus manum sibi idoneam congregans, deinde palam percursare cœpit Judæam : exagitari Hyrcanus, et rebus suis diffidere : Romanos cura urgere, ne bellum glisceret : quin etiam murum præparare Hierosolymis constituerat quem Magnus destruxerat; ac prope aggressus fuerat opus, nisi Gabinius qui Scauro successit, curatis

[a] Al. *quæ sibi*. BARR.

[b] Al *thymiamateria*. Auctor infra lib. v, cap. 9 : *Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna*. Quæ quidem lectio huc quoque revocanda videtur. Nihil enim hic facit *thymiama*, hoc est suffitus, ubi post lucernam et mensam, altare aureum suffimentorum, scilicet θυμιατήριον, memorandum supererat. Cæterum *thymiaterium* potius quam *thymiamaterium* scribi debuisset. Vid. Mazoch. l. c. pag. 794. GALLAND.

[c] Forte *Neocorus*. ID.

Digitized by Google

strenue cæteris quibus terrorem sui nominis sparserat, occurrendum Alexandri tentamentis æstimavisset. Nec Alexander refugiendum arbitratus, sed decernere prælio ausus cum decem millibus peditum, mille et quingentis equitibus etiam castella reparavit, Alexandrium, Hyrcanium, Macheruntam receptaculo sibi (si res poposcisset) futura, vel hostibus impedimento, quoniam et Arabia non satis fida Romanis proxima erat. Gabinius, quo citius occurreret, M. Antonium cum parte exercitus præmisit, ut iter hostium impediretur, donec ipse cum toto agmine advenlaret. Antipater cum electis adveniens, et Malichus et Pitholaus diversis Judæorum subnixi catervis, cum Antonio vires junxere, quos ubi confertos Alexander vidit (nam jam et Gabinius aderat) flexit consilium, ut retrorsum cederet. Sed cum jam non longe essent ab Hierosolymis, coactus manum conserere, victus aufugit, necatis ferme tribus millibus suorum, cæteris captis aut dilapsis; vix Alexandro pauci superfuere, potius ad fugæ societatem, quam ad rebellandi audaciam. Denique pacem a Gabinio petens, etiam castella, ne quid suspectum haberent, Romanis tradidit. Eo bello egregie Antonii virtus emicuit, quamvis præclarum ubique documentum suæ dederit fortitudinis. Gabinius in quinque conventus Judæam divisit, ut potestatem minueret, ex qua oriebatur potior rerum insolentia. Hyrcano pro mansuetudine ingenii ejus sacerdotii honor mansit: totius autem regionis ejus conventus non uni, sed in commune Hierosolymitanis a Gabinio cura impertita: itemque cæteri conventus simili modo attributi, per Gadaram et Amathuntem et Hierico, Sefforitanosque, urbes scilicet potiores divisi quo et singulorum potentiæ nihil relinqueretur, et functio regionum non vacillaret, quæ publicam exspectaret sollicitudinem. Quod et a Romanis ad revelandum rebellionis metum, et Judæis ad deponendam invidiam cum gratia susceptum: quoniam non sub rege, sed sub optimatibus degeret Hebræorum genus, ad reipublicæ Romanæ similitudinem; in qua non unus imperitaret, sed per vices optimi quique quibus sortito magistratus cesserat, administrabant: regni quidem exsortes, sed regum arbitri, consultum provide adversum inquietudinem gentis æstimabatur.

## CAPUT XX.

Sed Aristobuli fuga reditusque in Judæam plerisque plurimum turbarum excitaverat, refluentibus ad eum quos veteris amicitiæ gratia sollicitaverat aut res ultimæ, quibus remedium ex discordia publica quærebatur: ima summis miscere cupientibus, atque aliæ spes lapsæ forent. Regressus igitur Aristobulus munitiones ædificare, Alexandriam reparare cœperat: quo comperto, Gabinius Sisinnio et Antonio, Servilioque cum parte exercitus directis, cœptum opus impedivit: desertis enim munitionibus Aristobulus se bello paravit, et quia majore numero quam usu agmen trahebat, deoneravit armis populi multitudinem, et sola octo millia armatorum coegit, adjun-

A cto quoque Pitholao, qui voluntarius ex Hierosolymis cum viris mille advenerat: deinde orto prælio (imminebant Romani ejus cervicibus), aliquamdiu quidem strenue pugnatum, tamen prævaluit virtus Romana: cæsa Judæorum quinque millia. Aristobulus cum mille viris irrupit aciem, et in castelli Macheruntis munimenta sese recepit: duo millia alio dilapsa, adorsi tamen castellani Romani, per biduum ferme dilati: quoniam de ultimo periculo Aristobulus totis viribus decernebat. Sed nequaquam diutius sustinere potuit: captus cum filio Antigono, quem pariter fugiens de vinculis secum abduxerat, ad Gabinium missi, et ab eo Romam directi sunt. Senatus Aristobulo in custodiam detruso, filios ejus ad Bithyniam dimisit, quod Gabinium ferunt epistolis insinuas-

B se: id Aristobuli conjugi promissum, remunerandæ sedulitatis ejus gratia, ob traditas sibi munitiones.

## CAPUT XXI.

His ita in Judæa gestis, Gabinius audendum aliquid ratus, in Parthos expeditionem paravit: sed susper[illegible] partium Ptolemæi regis revocaverunt profectus. Nam ab Euphrate in Ægyptum Gabinius iter convertit, usus necessariis ad omnia ministeriis Antipatri et Hyrcani (sed Hyrcani per Antipatrum), qui pecunia, frumento, armis, auxiliis quoque exercitum juvaret, ac maxime congressiones circa Pelusium, ignaris locorum et totius belli generis Judæis omnia procurantibus, Gabinium facile deterruissent. Sed rursus morante exercitu, Alexander Aristobuli filius

C Syriam sese alteram, velut in vacuam provinciam immergere moliebatur, nisi rumoribus excitus Gabinius reditum maturavisset, præmissoque Antipatro, revocasset plurimos Judæorum ab Alexandri societate: quorum multitudine fretus, parabat omnes quos in regione offenderat, Romanos exsilio dare: de[illegible]que dilapsis licet Judæorum plerisque per Antipatri conventionem, audaciam tamen non deposuerat, præliumque adorsus in triginta millibus virorum, verum circa Itabirium montem, fusis decem millibus, aufugit; reliquorum dispersione bellum confectum. Gabinius compositis ad arbitrium Antipatri reipublicæ Hierosolymitanæ negotiis, inde profectus, Nabathæos prælio subegit: Mithridatemque et Tigranem fugientes de Perside occulte dimisit: palam tamen

D militibus intimavit, fuga lapsos. Successit Gabinio Crassus, et profecturus ad Parthicum bellum, omne quod erat Hierosolymis aurum in templo, abstulit: et præterea duo millia talenta detrahi jussit, quæ Pompeius intacta reliquerat: nec longum lætatus: ubi transmisit Euphratem, exercitum amisit, et ipse exstinctus est. Eo successu Parthi lætiores, transeundum in Syriam crediderunt, quos strenue insidiis excepit Cassius, et commissæ sibi provinciæ finibus repulit, non sine gravi detrimento hostium: cum effuse venientes, quod neminem sibi obsistere ausurum arbitrarentur, locis præventos angustioribus occupavisset. Denique, fusis suorum pluribus, bellum deseruere. Cassius repulso hoste securus provinciæ

Digitized by Google

Judæam irruit, et Tarichæis deletis, triginta illia Judæorum in servitutem vendidit. Pitholaum noque suspectum doli, quo partes Aristobuli fulret, jugulari jussit. Neque expers consilii ejus ntipater fuit, ut æmulum potentiæ quam maxime xcluderet.

## CAPUT XXII.

Is Antipater cognovit uxorem cui nomen Cypris, plendidissimo inter Arabiæ feminas loco ortam, tque ex ea suscepit liberos quatuor sexus virilis et nam feminam. Viris hujusmodi vocabula : primus hraselus, sequens Herodes vocatus, tertius Josippus, uartus Pheroras, et Salome filia. Eaque causa vir gregie factus ad emerendam muneribus atque amiitia societatem potentium, gratiam præ cæteris sibi egis Arabum conciliaverat, quia de locis Arabiæ xoris acceptæ prætendebat necessitudinem. Denique dversus Aristobulum decernere prælio parans, filios uos prædicto Arabum regi quasi mutuæ charitatis ignora direxit. Quos ille quasi depositum inviolabile usceptos, eo cultu quo liberos domi habuit, et postea epetitos patri reddidit. Sed cum Aristobulus bello uperatus, in vinculis haberetur; Alexander filius jus cum secundum conventiones pacis, quibus eum Cassius ad Euphratem rediturus devinxerat, prælio vacaret; cum confinia Persidis haud ullo suspecta Parthorum transitu infestarentur, et blandæ tranquillitatis species in Orientis partibus humanas levaret sollicitudines; Cæsar transalpinis regionibus Galliarum, Italiæ sese infundens, Pompeium Senatumque ultra Jonium mare expulit. Italia exclusus, Æmathiam Magnus petit, eoque diversis ex locis Romana jussit agmina sequi, quod ibi bellum pararet. Quibus intentus gerendis Aristobulus quem Romæ vinctum reliquerat, cum Cæsar qui inter urbem Romam atque Pompeium medius erat, quoniam de Flaminia in Appiam compendiariis tramitibus Magnum sequebatur, ut vel ipsum exciperet, vel interciperet ejus exercitum, vinculis levatum, tributis etiam militaribus numeris in Syriam direxit, ut Judæam sibi adjungeret, Pompeiumque a tergo urgeret. Sed in exordio tentamentorum, ubi ad locum pervenit, veneno interemptus, imperfectum negotium reliquit. Opinio mortis ejus Pompeii fautoribus ascribebatur : ita lusæ sunt dispositiones Cæsaris, et destitutæ Aristobuli cupiditates, nova quadam mutationum varietate; ut tutior fuerit exsul inter hostes et in vinculis captivus, quam inter suos civis, dominus in cubiculo, rex in convivio. Quo comperto, Pompeius, quod Aristobulus [a] in Judæa recidiva sibi bella reparare tentaverat, etiam filium ejus Alexandrum jugulari jussit, suspectum nimis ob partes Cæsarianas. Scipio Gnei mandatis obediens pro tribunali statuit reum, ut species judicii prætenderetur, accusatoribus quoque adhibitis, atque in eum, qui Ro-

A manam rempublicam armis inquietasset, sententia prolata uti pro juris potius auctoritate quam pro exsecutione præcepti, more quo duces hostium convicti rebellionis, securi percussus existimaretur.

## CAPUT XXIII.

Cognita utriusque nece, Ptolemæus qui susceperat Aristobuli germanos et uxorem Alexandri, Philippionem filium suum in urbem Ascalonem direxit, memoratos fratres accersiturum : ille adveniens suscepit Antigonum atque ejus sorores, ut ad patrem deduceret : usu et consuetudine amoris igniculus obrepsit adolescenti, ignoscendo profecto, si scirent tyranni ignoscere; atque alteram de sororibus accepit sibi in conjugii societatem. Non tulit hoc Ptolemæus pater, sed occiso filio, nurum propalam sibi junxit : morum egregius censor, qui

B inexoratam in filio damnaret conjunctionem ut ipse se parricidio et incesto contaminaret. Pompeio interfecto, qui dum arma Cæsaris fugit, spadoni Ægyptio caput suum amputandum præbuit, conversa res : præbuit tamen ea patientia caput, qua tantorum populorum aliquoties victorem decebat, ut in illa victi sorte exsulisque conditione conspiciens rerum humanarum ludibrium et varietatem, gladio cervicem offert, ab eo cui regnum dederat, pro gratia mortem recepturus. Post cujus necem mutatio facta, plerisque ex familiaribus Magni amicitiam Cæsaris expetentibus, præcipueque Antipatro incredibilem in modum prædito, ad omnes, quorum affectaret

C amicitiam. Omnibus enim necessariæ opes, et maxime in præliorum apparatibus, ubi ex inimicis atque adversariis sæpenumero chariores efficiuntur. Etenim quia Ptolemæus Ægypti rex fidem læserat, ab ipso Cæsare bellis gravissimis premebatur.

## CAPUT XXIV.

Pergamenus Mithridates cum omni manu quam secum deduxerat, Pelusiacis repulsus obstaculis, in urbe Ascalone resederat. Desperatoque transitu, et conatu irrito, nec jam se committere bello audebat, locis iniquioribus et impar viribus. Cui Antipater Arabas primum in auxilium adscivit, deinde tria millia Judæorum valida manu et munita armis secum perduxit. Commovit etiam Syriæ potentes in adjumentum ipsius, et Ptolemæum qui habitabat in

D Libano, et Jamblichum, et Ptolemæum alterum. Quorum freti societate, etiam alii populi ad bellum accensi sunt. Quibus adjunctis viribus fretus Mithridates, Pelusium accessit, et cum transitu prohiberetur, obsidionem adortus est. Quo loci Antipater præclarum militiæ documentum dedit : siquidem resistentibus oppidanis, cum summa vi belli utrimque decerneretur, primus cum suis dirupta murorum parte in qua ipse præliabatur, urbem irrupit, eamque cepit. Nec tamen hic finis laboris adjumen-

[a] Ita quoque auctor infra lib. III, cap. ult., *recidiva prælia resuscitare* : Maronem scilicet imitatus, cui *Æn.* X, et alibi, *recidiva* sunt *renascentia*. Tertullianus item sic passim loqui amat, v. c. *de Resurr. carnis* cap. 18 : *Scripturæ*, inquit, *recidivatum* (id est resurrectionem) *carnis pollicentur*. MAZOCH.

Digitized by Google

tique; sed etiam, cum introrsum exercitus pergeret, et circa eam quæ appellatur Oniæ regio, Judæi-Ægyptii vellent resistere quo intercluderent iter, rursus Antipater, non solum removit prælium, sed etiam ad exercitum juvandum, quæ necessaria forent usui humanitatis, ab ipsis qui arma contra paraverant, ministrari effecit. Unde Memphitæ quoque animos a prælio revocaverunt, et se Mithridatis societati volentes dedidere. Qui prætergressus suspectiora, cum reliquis Ægyptiis conserendum ratus, liberioribus quidem locis, sed validioribus viris, regionis ipsius cujus incolatus Judæorum exercitus appellabatur, strenue decertavit; adeo ut prærupto sese periculo daret, ac pene exstinctus foret, nisi Antipater videns totum in quo Mithridates erat, dextrum cornu a cohorte urgeri, ex alia quoque parte includi flumine, nec ullum effugium viris, irruisset a cornu sinistro super eos qui Mithridatem cedentem persequebantur; quos eo usque insectatus est, donec omnis hostium populus exstingueretur. Eo prælio octoginta solos Antipater viros de suis amisit, super octingentos Mithridates, ita ut ipse præter spem evaserit: atque hæc uno momento clades secuta. Antipater multis vulneribus corpore exceptis, egregium virtutis suæ testimonium apud Cæsarem invenit: Mithridate præsertim non solum suæ absolutionis interprete, sed etiam fortitudinis prædicatore: quibus rebus egregie Cæsar delectatus, in honorem Antipatrum, ut oportebat, inter amicos recepit. Deinde, ubi ea quæ Ægypto forent constituenda disposuit, atque in Syriam processit, Romanæ eum reipublicæ honoribus affecit: talentum quoque contulit, cæteraque ut probato sibi viro gratiæ suæ pignora impertivit. Hyrcano etiam summum sacerdotium de sententia Antipatri volens firmavit.

## CAPUT XXV.

Antigonus quoque in Syria Cæsari occurrit, et quem vel patris deflere ærumnam convenerat, veneno per amicos Pompeii interfecti, vel supplicium germani quem Scipio summa crudelitate, tanquam reum securi percusserat, invidiæ magis quam doloris partes exsequebatur, ut Hyrcanum et Antipatrum incubare alienis, quæ sibi et fratribus suis per scelus erepta forent, questu gravissimo coacervaret extorrem se factum habitationis paternæ: terram in qua sit natus, negari sibi: tamen suas injurias tolerabiliores videri; multo acerbiores illas quibus tota gens populi Judæorum ab Hyrcano et Antipatro afficeretur. Eosque de bene gestis in Ægypto rebus vindicare gratiam, cum illud Mithridatis juvandi munus, non ex insita in Cæsarem benevolentia, sedulitas ulla detulerit, sed ex Pompeianæ conscientia societatis formido extorserit, ut esset offensionis obtentus. Adversus ea Antipater, non verborum referens vicem, sed rerum assertionem, scidit vestem: et nudus vestimentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, offerens oculis circumstantium spectatæ indicia virtutis: En, inquit, malevolentiæ meæ in Cæsarem testimonia: de... reum, quæ tamquam animi lumina micant. ... cicatrices tibi, Cæsar, voluntatis internæ ... tribuo. Hæc ego fidei meæ depono pignora, ... scriptos cordi apices gero. Si civibus nos ... hostes interrogentur, pro quo vulnera illa ... perim. Quid in me aliud, nisi fidem quam ... ferrem, persequebantur? At objectat mihi ... gratiam: fateor, Cæsar, me non hominum, ... mini Romano amicum fuisse, idque studuisse ... gie, ut vestræ reipublicæ mea officia impend... Militavi itaque non uni, sed omnibus: fuer... charus Pompeius, sed ante mihi ille cœpit ... esse, quam Cæsari esset inimicus. Tuus ille ... erat, et tu socer illius. Cum esset in partibus ... juvi, ut imperatorem Romanum; non tamen ... illo quæ pro te, excepi vulnera. Tibi impendi ... mortis, et ictus telorum excepi hostilium. ... mirum autem, si captivus vulnerum decus ... et fugitivus quid sit fides, ignorat? Quid autem ... petuus hostis objiciat mihi, nisi vestram am... Mirum sane videtur, quod accusatum quemq... Romanos adeat Antigonus, quos bello solet ... sere, atque apud eos exutum se imperio qu... cujus usum ac negotium, non ad sui potentiam ... ad insigne domesticum, sed ad lacessenda arm... mana, et ulciscenda patris germanique exitia ... deraverit. Ingratus salutis tribunal Romanum ... timeat, sed etiam audeat ultro incessere, cum ... istic rebellionis suæ consortem pœnas luisse. ... Antipater finem dicendi fecit, Cæsar pro... dignum magis sacerdotio Hyrcanum videri ... patro autem detulit potestatis electionem. ... eumdem arbitrum honoris et moderatorem ... atque in eo qui honorem daret, ponens me... honoris, astute satis et verecunde decus tulit et ... crementum potentiæ. Totius enim Judææ procur... factus est Antipater: sane poposcit, ut muros ... dææ qui bello diruti fuerant, ædificaret. Tantum ... negotium datæ fidei securus, et postulavit et ... travit. Eaque, ut moris erat Romanis imperatori... arbitrio Cæsaris in Capitolio scripta sunt, quæ ... signia honoris Antipatro conferenda Cæsar ... mavisset, ut suæ justitiæ, et meritorum viri, ... ritatis quoque cognitioni indicia exstarent. Pro... cutus autem Cæsarem Antipater ex Syria, ... Judæam flexit iter. Et primo, quem Pompeius ... struxerat murum, in veterem statum reformavit. Deinde tumultus repressit, conveniens singulos ... fectu parentis, nunc mollioribus monitis, nunc ... nis; ut quæ pacis essent potius quam belli, ... quenda arbitrarentur, neve exasperarent animum ... regis. Qui si inoffensus maneret, civem præstare ... si commoveretur, tyrannum exhiberet; et si mitis ... esset natura Hyrcanus, caverent tamen ne eum con... tumelia exacerbarent: sibi quoque studium esse, ... ut in medium consuleret, pro sollicitudine pia non ... pro potestate. Sed si navare aliqua tentarent, vin... dicandi animum sibi non defuturum, Romanorum ...

amicitiam potius, quam dominationem experi-.ur. Cui enim dubium foret ex amicis in arma pturos, si eum cui regnum ipsi firmaverant, novissent regno exutum? Simul quia lenitudine ɔnii tardiorem Hyrcanum noverat ad exsequen- publicorum munerum necessitates, filiis suis dendam tuendæ regionis curam putavit, quod impar tantæ moli imperioque esset. Phaselum jue seniorem ex liberis præsulem Hierosolymis lucem militiæ constituit. Herodem quoque mi-em natu atque admodum adolescentem pari ho-e Galilææ præfecit. Qui ubi potestatem adeptus , natura acrior ad obeunda negotia, statim in-iio suo materiam invenit.

CAPUT XXVI.

Laborabat enim Syria Ezechiæ latronis incursio-ius. Quibus ille prædatoriæ manui princeps totam estabat provinciam, atque omnibus locis infensus it. Quem correptum jugulari jussit, multosque edonum interemit: quod ei magnam virtutis glo-m peperit, ut haberet apud Syros gratiam. Unde urbibus ac vicis canentium vocibus celebrabatur, asi pacem et quietem publicam multa post tempora formavisset. Excitabat hic sermo secundo plebis more æmulationem piam laudis fraternæ, ut Pha-lus juniorem natu, quem adæquaret mentis be-gnitate, allectis in primorum locum benevolentia æstantioribus, qui severa temperarent gratia. nde et maximus honor Antipatro, quasi parenti ublico, deferebatur: ipse tamen nihil de benevo-ntia ac fide mutavit, qua observare Hyrcanum so-tus erat. Sed difficile est in prosperis invidia carere. enique primum tacitus Hyrcanus ad juvenum lau-es vellicabatur; vehementius tamen eum, quæ ræclare gesta in Herodis operibus ferebantur, xasperabant, quem ultra leges Judæorum et privati nodum progressum videbat, ut omnem sibi cum ratre ac patre vindicaret potentiam, regemque exue-ent omni honore, cui nihil præter nomen resedis-set, quod vacuum potestatis inanem speciem præ-erret. Denique inconsulto eo plurimos neci datos sine mandatis regalibus interfectos, quos lex patrum perire non sineret; unde oportere Herodem in cau-sam vocari plerique aiebant, ut rationem daret, qua gratia violaverit legem, quæ inauditos vetaret exitio dari: debere assurgere Hyrcanum, vel hinc expe-riri, utrum regem an privatum sese Herodes gerat. Qui vocatus in judicium nisi adesset, manifestum fore, quo tanta ejus insolentia aspiravisset. His atque hujusmodi regiorum satellitum sermonibus Hyrcanus per invidiam paulatim accendebatur, qui propriorem ignaviæ pudorem increpitabant, quod regalium negotiorum jure decesserit, transfusa in Antipatrum et filios ejus potestate, quos dominos constituerit licentia sibi regnandi imminuta. Quibus excitus, statuit Herodem judicio suo non defore purgaturum, quæ adversum leges usurpata objecta-rentur. Herodes tametsi in judicium se vocatum in-dignaretur, tamen vel patris monitis, vel consilio

A placidiore adventabat, præoccupatis Galilææ muni-tionibus: sed tamen neque invidioso agmine, ut bellum minari videretur, nec iterum in tuto præsidio, ut salutem proderet: fultus quoque Sexti Cæsaris erat aspirante sibi gratia; qui metuens ne quid ju-veni insidiarum irrogaretur, præscripserat Hyrcano mandatis severioribus, ut a judicii gravioris periculo temperandum putaret. Unde magis absolutionem judicii Sexto detulit quam voluntati; quamvis Hyr-canus, etsi insimulantibus cesserat, ut eum in cau-sam vocaret, volens tum absolverit, quoniam servare hero quam persequi malebat. Sed ille juvenili ca-lore injuriam dolens, absolutionis ingratus, perrexit ad Sextum proposito studio, ut si iterum vocaretur, non obediret, deditque obtrectantibus insimulandi

B locum: quamvis Hyrcanus non assurgeret ad ultio-nem, cum videret superiorem: recordatione tamen injuriæ (quæ tractando alitur) excitus Herodes, con-gregato exercitu pergebat Hierosolymam, ut solve-ret omnem Hyrcani potestatem, ac pene effecerat, nisi a fratre infractus et patre, impetus ejus conse-nuisset, rogantibus, ut insurrexisse satis putaret, et minitatione vindictæ modum poneret; abstineret tamen ab imperatoris exitio, sub quo non mediocrem assecutus foret gratiam, ut tantam potestatem adi-piscerentur: læsum quidem videri, quod in judicium vocatus sit; sed rursus affectum gratia, quod abso-lutus: durum nimis, si injuriam prosequatur, et pro salute ingratus sit: dubium deinde ancipitem-que bellorum eventum: gravem quoque invidiæ

C sarcinam, cum imperatori suo arma inferat, et ei qui paterno affectu eum foverit, sæpius juverit, num-quam læserit, nisi cum malis consiliariis usus, um-bram ei excitaverit iniquitatis, qua se lusum arbi-traretur.

CAPUT XXVII.

His et talibus fregere juvenilem impetum, bel-lumque intestinum a Judæa remotum, sed Romano-rum interventione transfusum atque in eos versum. Siquidem a Cæcilio Basso Sextus Cæsar dolo in-teremptus est: et postea Julius Cæsar triennio et septem mensibus potestate functus perpetua, quia privati habitum supergressus fuerat, in senatu gra-ves pœnas dedit, Cassio Brutoque auctoribus. Unde congregatis urbibus, cum ultum iri filius Julius

D adoptivus patris exitium, adjuncto sibi Antonio de-stinavisset, quia maximam belli partem, missis auxi-liis, Herodes juvisse æstimaretur, totius Syriæ eidem regendæ commissa est sollicitudo. Quæ res Antipa-tro causa lethalis exitii fuit.

CAPUT XXVIII.

Timens enim Malachus Antipatri potentiam quæ virtute Herodis cumulabatur, corrupto uno de re-galibus ministris, Antipatro venenum paravit. Quo potato, post convivium statim moritur Antipater, impigro in cæteris ingenio, et maxime quærendo stabiliendoque Hyrcani imperio vir strenuus. Tulit graviter Herodes obitum patris, commotoque exer-citu, ultorem pollicebatur; sed fraterno consilio

Digitized by Google

revocatus, ne bello intestino Judæa inter Herodem et Malachum vexaretur, parato ad repugnandum et maxime dissimulante Malacho, quod necis Antipatri conscius foret; in aliud genus ultionis facile traductus est, ut satisfactione accepta quod nulla fraude Malachi Antipater obiisset, Hyrcanum ac Malachum Herodes ad cœnam vocaret, et de sententia Cassii, qui etiam suis id negotii mandaverat ad obeundam ultionem directis: parati centuriones præpositique Romani exercitus, venientibus Hyrcano simul ac Malacho occurrere in littore, atque evaginatis gladiis utrumque eorum circumstetere. Solum tamen Malachum multis vulneribus confossum ac laniatum supremo exitio trucidaverunt. Consternatus eo terrore Hyrcanus, sensum amisit, atque omni solutus vigore mentis et corporis corruit. Paulisper tamen ubi sese recepit, interrogato Herode, quis præcepisset Malachum occidi, ubi cognovit ex præpositis, Cassii Romani imperatoris jussu necatum, illico respondit: Cassius ergo et mihi, et patriæ meæ saluti fuit, qui utriusque insidiatorem peremit. Sed hoc sive præ metu dixerit, sive ita senserit Hyrcanus, haud liquido patet, neque nostro definiri potest judicio. Insurrexerat Elichus, qui fraterna necessitudine Malachi mortem cuperet ulcisci: sed quia Herodem lacessere non audebat, fratrem ipsius Phaselum lacessendum arbitrabatur. Quo cognito, Herodes movere se cupiens, retentus est corporis infirmitate. Elichus interea munitiones quasdam et præcipue Massadam impositis præsidiis occupaverat. Sed ubi Herodi refusus salutis vigor est, recepta omnia, ipsumque Elichum munitione Massadæ Herodes obsecrantem dimisit. Interpellaverat ejus potentiam Antigonus Aristobuli, adminiculante sibi Ptolemæo socero, quos Herodes prælio fudit, et ejecto Antigono, Hierosolymam victor revertitur. Magna gratia etiam recentis triumphi, et præcipue novæ conjunctionis. Nam primo Dosis ei conjux adhæserat, ex qua Antipatrum suscepit filium; postea Mariamnem Alexandro Aristobuli filio genitam, secundis sibi nuptiis copulaverat, Hyrcano proximam, atque ob ea regali præditam nobilitate. Nec tamen invidiam evasit, quod regnum præreptum ire Hyrcano affectaverat. Nam ubi bello Macedonico Cæsar atque Antonius Cassium Brutumque oppressere, victoresque alter in Italiam regredi maturavit, alter in Syriam properandum credidit; legationibus plurimis affluentibus convenere ad Antonium Judæorum quique potiores, atque in Bithyniam processere, accusantes Herodem fratremque ejus Phaselum, eo quod ipsi violenter invasere rerum omnium potestatem, nomen solum Hyrcano ad speciem honoris dereliquissent. Sed præsentia Herodis prævaluit et gratia, qui non mediocri pecunia, sed et muneribus opimis Antonii animum sibi devinxerat. Unde ne sermone quidem ullo perstrictus ab Antonio, evacuavit invidiam adversum se directæ legationis. Iterum centum fere viri Judæorum Antiochiam ad usque, non minore spiritu accusatum profecti, apud Daphnen offendere Antonium, jam totum Cleopatræ amori deditum, atque ejus libidini deservientem, illic arguere cœperunt intolerabilem fratrum potestatem. Messala contra refellebat assistentem Hyrcano insolentiam gentis redarguebat, quæ factione [illegible] eorum excitata suos detrectaret, alienos quæreret Hyrcanique injuriam prætexeret; cum Hyrcano quod civibus esset accommodum, præoptaret. Cognitis itaque allegationibus partium, interrogat Hyrcanum Antonius, quos aptiores esse arbitraretur. Cujus affectu secundum Herodem ac fratrem ejus conveniente, cum voluntati suæ responsa congruerent, delectatus admodum, quod erat fratribus paternæ hospitalitatis copulatus necessitudine, quia eum cum Gabinio advenientem in Judæam gratissime satis Antipater hospitio recepit, multis percoluit officiis; Herodem et Phaselum tetrarchas ordinavit, totiusque Judeæ procurationem [illegible] præcepit. Hinc quoque multiplicatus est numerus conquerentium: nam etsi alios legatorum [illegible] receperat, alios affecerat contumelia; illi tamen postea legati ad Antonium in urbe Tyro degentem facta Hierosolymis seditione pergere præcepit, [illegible] luntati civium non defuerunt. Et quamvis gravis esset in reclamantes vindicatam, rursus tamen [illegible] strepere ausi sunt: missus ab Antonio Tyriorum præses, qui corriperet insolentiæ reos, cum [illegible] ipse quam etiam Herodes atque Hyrcanus quærerent ne ibi gravissima supplicia, patriæque perturbationes et causas bellorum gigneret. Ubi nihil [illegible] tum, sed irrationabili contentione misceri [illegible] cœpere, direxit Antonius armatos: a quibus [illegible] cæsi, alii graviter saucii; ab Hyrcano tamen [illegible] pulturæ mortui, aut medicinæ, qui potuerant [illegible] dere, gratiam adepti, geminæ humanitatis [illegible] nem dedere, qua ejus in cives benevolentia manifestaretur. Cæteri quoque qui effugerant, ita [illegible] exagitando exasperaverant Antonium, ut etiam eos quos vinctos tenebat, suprema supplicia mandaverit.

## CAPUT XXIX.

Cesserat acerbitati insolentia, sed decurso [illegible] biennii effuderat se Syriæ Parthorum exercitus, Pacoro regis filio et Barzafarmane Persarum satrapa barbarum agmen ductantibus. Quibus stimulator accessit Lysanias Ptolemæi filius, defuncto patre, cui cognomentum Menneo fuit: exutus jam potestate per memoratum satrapam, sollicitavit Pacorum promissis mille argenti talentis, et quingentis mulieribus, ut Antigono regnum daret, Hyrcano solveret sacerdotium. Pacorus ministro regio partem equitatus dedit (quoniam ipse rebellionibus intra Syriam detinebatur), ut in Judæam transiret, atque Antigono rem gereret et studium ejus juvaret: sed hoc quoque parum processerat, nisi confligentibus adversum se Judæis, Herode ac Phaselo, et contra Antigono, ducibus de sententia Antigoni propo-

tum foret, ut Pacorum conciliatorem pacis reciperent. Quod Phaselus ingenii facilitate, obnitente Herode, probatum in tempore, mox sibi perniciosum expertus, cognovit natura barbaros esse infideles: nam missus ad Barzafarmanem, quasi pacis exsecutorem et cum Hyrcano profectus occurrit satrapæ, astute satis velanti insidias specie benignitatis. Denique profecturis munera dabat, et quemadmodum circumvenirentur dispositionibus suis constituebat. Prosequebantur eos custodiæ magis causa, quam socii periculorum. Deferebantur nuntii, quod mille talentis Parthus redemptus foret ad exitium memoratorum. Ofellius quoque fugam suadebat, quod a Saramalla Syrorum ditissimo factionem eis paratam cognoverat. Sed nec sic quidem adductus est Phaselus, relicto Hyrcano, sibi consulere; verum adorsus est satrapam gravioribus contumeliis, quod pretio fidem proderet, plurisque pecuniam quam æquitatem duceret; amplius pro salute sese daret, quam Antigonus pro regno annumeraret. Sed Persa fidem quam prodiderat, perjurio conciliare sibi nixus et suspicionem omnem depellere, haud multo post dolum patravit. Nam eo profecto ad Pacorum, quibus id negotii dederant, Phaselum et Hyrcanum corripiunt exsecrationibus, quando aliud jam facere nequibant, ultum iri cupientes barbarorum perjuria et perfidiam proditionis. Nec minus [a] Nini minister missus in Judæam dolis prætenderat, ut caperet Herodem: sed illum jamdudum suspectantem insidias barbarorum gravis ad cavendum cura exercebat, seque intra munitiones tenebat. Nec simulatis a Pacoro mandatis quibus de Phaselo ejusque insolentia fratrem conveniret, muros egredi et alloquiis hostium sese committendum putavit. Cognitoque fratrem et Hyrcanum teneri, nocte in Idumæam suos præmisit, atque ipse cum servulis insequentes barbaros fudit. Multisque cæsis, in Massadam sese properato gradu contulit: graviores tamen Parthis expertus Judæos qui fugienti incubuerant, et suos quidem intra munitiones composuit, ultus sese de insequentibus. Ipse autem relictis præsidiis quæ matri et fratribus junioribus præsidio forent, in Arabiam Petræam contendit. Infudere se Persæ Hierosolymis, irruentes in fugientium domos: versa omnia in rapinas, bellum, tumultus: eorum injuria processit, ut regnum Antigono traderetur; Phaselus quoque et Hyrcanus in potestatem ejus ad subeunda quæ libitum foret, consignarentur. Ille autem tenere sese diutius nequivit, sed continuo in Hyrcanum facto impetu, aures ejus dentibus suis abscidit, ne quando ulla rerum conversione recursus ei pateret ad sacerdotium: summum enim sacerdotem immutilatum esse oportet, nec licere per legem liquet, ut mutilato corpore quisquam summo fungatur munere sacerdotii. Phaselus adscitæ sibi mortis celeritate contumeliam prævertit, illiso capite saxis quæ forte occurrerant, dedignatus servari ad ludi-

A bria, vel jussu alieno mori qui posset vinctis licet manibus et ferro negato exitum vitæ invenire. Fuit tamen etiam alius de eo sermo hujusmodi, quod saucio Antigonus medicum adhibuerit, quo venena vulneri tanquam medicamentum infunderentur. Quilibet exitus horum, principium habuit spiritus ferocioris. Addidisse allegatur in ultimis suis, cum jam exhalaret spiritum, cognito quod Herodes viveret, et fuga paratas insidias evaserit, cum gratia sese obire: quia superstitem relinqueret qui sibi ultionem inferret. Herodes autem properavit in Arabiam, sperans se accepturum pecuniam, qua sola barbaricam inclinari posse crederet avaritiam, ut fratris redimeret captivitatem: ac si vel Arabem paternæ immemorem dilectionis, vel referendis muneribus
B tenaciorem offenderet, æs mutuum posceret pretium redemptionis, pro quo oppigneraret redimendum filium, quem ad hos usus septennem puerum secum deduxerat. Sed præventum est piæ studium germanitatis morte Phaseli, et in vacuum Herodes tam sedulo fraterni studia muneris exsequebatur. Prius tamen quam de morte fratris cognosceret, Bocchum Arabiæ regem alienum reperit, quem amicum credebat: nam is fidem cum tempore mutavit, et jam appropinquantem Arabiæ finibus Herodem vetuit intrare: composito quod sibi Parthorum nuntiis insinuatum foret, ne profugum suum in regnum Arabiæ recipiendum putaret, bellique gravissimi causam sibi gigneret. Quibus offensus Herodes, continuo retulit, quæ justæ commotionis dolor
C prompserat, atque inde in Ægyptum convertit. Mox tamen Bocchum pœnituit violatæ gratiæ, missisque per quos revocaretur Herodes, prævertit. Cui ingresso regiones quas Rhinocorii inhabitabant, et de fratris interitu, et de Hyrcani captivitate qui sub vinculis in Parthienem deductus est, veris indiciis manifestatum, tantumque mœroris assumptum, quantum depositum sollicitudinum, ut pro bello fugam pararet. Denique Alexandriam summo studio contendit, atque ibi cum honore a Cleopatra susceptus, quod tanti nominis virum ducem militiæ suis expetendum partibus arbitraretur. Unde posthabitis reginæ petitionibus, Romam navigavit, minores procellas hiemis ratus perturbationesque Italiæ compertas, quam quos in Cleopatræ mobilitate gra-
D viores omnibus naufragiis fluctus perhorrescebat; denique inexspectatis ventorum flatibus profectus, circa Pamphiliam periculum incidit, sed evasit tamen; et mutato navigio, Brundusium prius, atque inde Romam pervenit. Ibi paternæ amicitiæ prærogativa adiit Antonium, deploratisque suis et domesticarum ærumnis necessitudinum, quibus in obsidione positis Romam precatum venerat. Antonium flexit, assumpta ex tanta rerum conversione misericordia, quia rex dudum potentissimus, et qui Romanæ reipublicæ sæpius tulerat opem, repente ut naufragus, et rerum omnium egens, auxiliique inops suis in

[a] Al. *vini*: nam Nini nomen apud Josephum non legitur. BARR.

Digitized by Google

rima Antonio amicisque ejus dona dedit; nec tamen redimere ab Antonio potuit securitatem sui. Jam enim Antonius Cleopatræ amori defeneratus inserviebat: atque addictus, ejus libidini famulabatur, sed vincere non poterat femineas aviditates, et maxime exercitatæ mulieris in cædibus propinquorum, quibus exstinctis, possessionem eorum quasi spolium suis junxerat: eadem avaritia simul et crudelitate, si quos de Syria locupletiores fama acceperat, interficiebat: atque addicto jam ad suas libidines Antonio, regnum quoque Judææ et Arabiæ exstinctis utrique genti imperitantibus, avaritiæ suæ adjungi posse arbitrabatur. Sed quamvis libidine ebrius, somno gravis, in hac tamen parte resipuit Antonius, ut tales viros et potentissimos reges, pro imperio petulantissimæ mulieris exstinguere detrectaret. Tamen ne immunes dimitteret, amicos eorum perculit; possessionis maximam partem ademit, eamque præcipue quæ balsamum gigneret: urbesque omnes intra Eleutherum amnem sitas, Tyrio tamen et Sidone exceptis, Cleopatræ cupiditati adjudicavit. Quæ tali mercede a viro delinita, usque ad Euphratem prosecuta proficiscentem in Parthos Antonium, per Judæam revertit, ubi donis muneribusque maximis conciliare sibi reginæ animum Herodes non prætermisit. Cui secundæ res superbiam augebant, ut muliebris impotentia supra modum sese extolleret. Siquidem non multo post ei Parthorum rex Artabazes, Tigranis potentissimi regis filius dono est datus. Quem Antonius captivum tenens, cui omni præda et spoliis Persicis triumpho debitum, quasi vile mancipium mulieri addixit: ut quo illustrior fuerat victoria, eo turpior esset largitio, quæ regem tanto ludibrio dehonestaret. Nec tamen diutius potitus secundis, qui uti illis nesciebat, insolentia muliebri Augustum in se excitavit. Itaque bellum Actiacum magnis utrinque parabatur motibus. Promptissime rex cum Antonio gestiebat bellum subire, quia et Judæa ab hostili tumultu vacabat, et Hyrcaniam a sorore Antigoni diu retentam receperat. Sed in hoc quoque Herodes beatissimus, cui invisum est periculis alienis sese miscere. Volens itaque Cleopatra alienare animum ejus a regibus atque avertere, suadet viro, ut bellum adversus Arabas gereret Herodes: quo si superior esset, Arabia reginæ cederet: si inferior, dominatus Cleopatræ in Judæam extenderetur. Uter vicisset, alterum solveret. Quod consilium non ex dispositione, sed ex usu in Herodem inclinavit: qui simul, ut prælium adorsus est, validior equitatu avertit hostem; in exitu multitudine hostium superatur, et numero circumvenitur. Congregatis in Canatha viribus adversariorum, adversum quos densare aciem volens, elatis suorum animis successu priorum, eaque causa in hostem irrumpentibus destituitur, et maxime fraude Athenionis, quem Cleopatra ducem adjunxerat, non ut adjuvaret Herodem, sed ut in ipsa desereret necessitate. Denique destitutum exercitum ejus in locis saxosis atque inviis adorti Arabes, gravi cæde sternunt funduntque, et fugatosque ad refugia secuti exitio dedere: adfuit Herodes serius quidem quam necessitas expostulabat; et tamen ultus ærumnam, posterioribus præliis Arabas afflixit, ut unam illam victoriam suam sæpius deplorarent. Accidit etiam motu terræ grandi animorum defectio, quo pecorum plurimum, hominum quoque triginta fere millia consumpta sunt. Militaris tamen omnis manus, eo quod sub dio habitabat, incolumis perseveravit. Hinc quoque erecti animi hostium, ut arbitrarentur quod desertam Judæam facilius invaderent, et perculsos talibus prodigiis affligerent. Unde eos Herodes ad defensionem sui erigendos putavit, et maxime quia legatos eos in Arabiam miserat, necatos dolo comperit habebat. Hoc ergo trepidantes sermone adorsus est: Cum tot secundis nostrorum præliis, fractæ res hostium usque ad ipsorum fuerint confessionem, qui vesano dolore perciti, quasi victi legatos nostros peremerunt; mirum mihi videtur, quod tantum vos irrationabilis in tantum perculerit, ut forte elementorum motis jam virtutum successibus præratis: nulla congressio fuit, qua non statim Arabes cesserint, atque in fugam conversi, cedendum existimaverint: et ut se habent [a] furta belli, fraudibusque insidiis remedia captaverint; non ut ipsi vincerent, sed ut nostram differrent victoriam. Proinde quibus cum confidere oporteret, exagitatio successit, quasi formidabilis belli, quia terra tremuit, cui soli innocui fuerint quia prælia gererent. Aut si considerare velimus quibus offecerit, Arabes potius æstimabimus, quos in bellum reduxit, ne se fugiendo subtraherent fortioribus. Video enim illos non armis aut viribus fretos, sed pecoris nostri dispendio in aciem remeasse. Fragilis autem spes, quæ non ex propriæ virtutis fiducia, sed ex aliena pendet miseria: cum in terris nihil tam mutabile, quam vel secundæ res vel adversæ. Exiguis enim momentis status rerum humanarum novantur. Nec prosperitas diuturna, nec ærumna est pertinax. Itaque nec miserum esse nec contra, perpetuum est; sed alternæ frequenter, et in iisdem variæ vices rerum. Denique ex nobis exemplum capessere licet. Conflictu superiore potiores fuimus, sed in processu prælii sors mutata, ut vinceremur ab his quos viceramus. Ergo et nobis sperare suppetit, quod vincantur a nobis qui nos vicerant. Incauta enim semper nimia præsumptio, et sui negligens. Timor autem prospicere futuris admonet, et diligentiam docet. In prosperis audacia obrepit, et inconsulta temeritas nescit consilium ducis exspectare. Denique contra sententiam meam progredientibus, vobis Athenionis nequitia nocendi locum reperit. Nunc mihi trepidatio vestra vadatur prærogativam victoriam. Erigite igitur animos, et veterem Judæorum magnanimitatem

[a] Malim quidem *fata belli*. GALLAND.

attollite. Nec vos insensibilium commotiones perterreant, nec terrarum motus alterius ærumnæ judices arbitramini. Habent suam noxam passiones elementorum : nec aliud timeatis, quam quod in ipsis offensibus est. Non enim signa periculorum sunt in terræ motu atque animantium lue, sed ipsa pericula. Nihil est quod timeamus, quasi gravia perpessuri qui pertulimus gravissima. Propitius jam potest esse, qui vindicavit : et mitior, quam si non vindicasset. Quid servatur post terræ motum ac pestilentiam, nisi misericordia? Quia solvimus duplicia peccata. Et tamen nos, quod bello utile sit, integrum habemus. Pestilentia enim extra bellum positos abstulit : nostra autem victoria id hostibus ademit, quod bello idoneum legerant. Deinde nobis pecus mortuum, illis consilium, qui legatos quos misimus, contra jus fasque jugulandos putaverunt. Prævaricati sunt legem omnium hominum, ipsorum etiam barbarorum : quoniam apud ipsos quoque qui nesciunt humanitatem, inviolabiles legati habentur : dum vindicta cœlestis reformidatur, et tanti sceleris ultor Deus timetur. Hoc ergo admiserunt adversarii nostri, quod nec humanæ nec divinæ leges inultum relinquunt. Egrediamur ergo, non pro finibus aut spoliis, sed pro divina injuria præliaturi. Incitet nos ad bellum, non conjugii aut prolis charitas, sed præsumpta protectio Dei. Non arbitria nostra, sed divini juris præcepta exsequimur sacra, ut pro his vindictam reposcamus, quos inviolabiles esse oportere religio jubet. Inter arma hostilia legatio sola pacis sequestra est : exuit hostem qui legatione fungitur, quorum nunc sanguis clamat ad Deum et vindictam reposcit. Festinemus igitur ad prælium, dum ultorem habemus Deum cæsorum vindicem. Illi pro nobis melius præliantur, et circumfusi angelorum legionibus, in acie prætendunt. Talibus hortatus milites, in hostem ruit, omnem occasionem belli requirens. Erant Arabes præstantiores numero, sed animis infirmiores ; unde congressione habita, ceciderunt fere eorum quinque millia. Reliqui sese in munitionem recipientes, aquæ inopia fatigabantur, ut legatione missa pacem pretio deposcerent. Sed cum se protrahi viderent, et sitis amplius aquis deficientibus accenderetur, egredientes plerique sese offerebant hostibus, voluntario ferro quam siti præoptantes perire. Quos vinctos servabat Herodes, ne quid esset insidiarum. Itaque quinque diebus quatuor ferme millia recepta sunt : aliis ad bellum prodeuntibus, iterum ad septem millia virorum cæsa. Qua plaga humiliati Arabes a rege, quanto virtute inferiores, tanto consilio præstantiores : quem adversarium habebant, quasi defensorem, et auxiliatorem sibi ipsum expetiverunt.

## CAPUT XXXIII.

Sed major victorem sollicitudo perculit, ut qui sibi alios subjecerat, non jam de finibus, sed de toto regno periculum imminens perhorresceret, victo Antonio quem fida sibi amicitia copularat. Denique Augustus Cæsar Actiaci triumphator certaminis, necdum superatum Antonium arbitrabatur, cum Herodes superesset victoriæ. Anxius itaque rex, cum Rhodum accessisse Cæsarem vero indicio comperisset, navigavit ad eum, ne fama terrenum iter ejus præverteret. Adveniensque deposito diademate, sese obtulit privato habitu, sed mente regia. Denique nihil veritati subtrahens, constantiam tenuit, auctoritatem reservavit. Ego, inquit, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, utpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo : idque armis probassem, si Cleopatra non invidisset, et Arabes non impedissent. Ea necessitate arma adversum te non tuli : non quasi amici desertor, aut prælii pavidus, sed quasi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen sibi non sensit Antonius, quod et adjumenta exercitus et frumenti innumerabiles copias absens miserim. Sed et tu, Cæsar, me non ingratum beneficiis ejus judicavisses, si Actiaco bello interfuissem. Vide quam nihil subtraham. Plus metuo apud te ingratus in hostem tuum, quam in te hostis videri. Judicium mihi tuum gravius quam bellum est, apud quem non virtutum merita, sed vitia periclitantur. Unde et ego malo apud te de fide, quam de perfidia causas dicere. Vide, Cæsar, quam integrum Antonium non deseruerim, victum non refugi. Vicisti, Cæsar, Antonium legionibus tuis maximis, vicisti consiliis tuis, vicisti imperii Romani viribus, quod dereliquit et quod negavit : et vere victus est virtutibus tuis, sed magis moribus suis. Vicit eum Cleopatra uxor, vicit eum Ægyptius amor, vicit eum Conopœa luxuries. Victus est, quia maluit cum Cleopatra vinci, quam sine ea vincere : vicit eum mulier infestior suis quam adversariis. Suaseram mortem mulieris, si vellet sibi consulere : promiseram auxilia, quibus repararem afflictum : promiseram vires, quibus fugacem tuerer, me ipsum belli consortem obtuleram : sed mentem ejus obstrinxerant Cleopatræ cupiditates : victus est, quia audire me noluit : victus sum et ego cum Antonio, minore tamen flagitio : quia illum Cleopatra vicit, me Antonius. Ille barbaram, ego amicum non dereliqui. Cum illo posui diadema, sed ad te venire timens amici fidelis gratia, sequestravi regni insignia, sed non abjeci virtutis conscientiam : ut voles judica. Ego tamen quavis sorte judicii tui referam mecum, quod cujusmodi fuerim amicus æstimabitur.

## CAPUT XXXIV.

Respondit ad ea Cæsar : Salve, inquit, et nunc magis regno tuo utere, quia non invidemus virtutibus, sed delectamur. Dignus enim es pluribus imperare, qui sic tueris amicitiam : et ut in adversis positum non abneges, et amicum tibi confiteri non erubescas. Sed adorere felicioribus adhærere et conservare fidem in prosperis : jam in adversis, satis probasti. Vicerit te Antonius, sed non ego victum putabam, quem amicitia parem fecit victoribus. Propterea expeteris a nobis, quia nullus te belli eventus mutavit : quandoquidem non tu

Digitized by Google

Antonium deseruisti, sed te Antonius, qui Cleopatræ magis quam tibi credidit. Insipientia illius te nobis acquisivit: quia perniciosissimam sibi elegit, fidelem repudiavit. Nec mirum, si Cleopatræ Antonius victus adhæreat, a qua victor captus est. Quid miraris, si te desistere fecit Cleopatra Antonium, cum a me dissociaverit atque ex consorte imperii hostem fecerit? Ergo et quia tu nobiscum repudiatus es, et ideo nobiscum regna. Nec hoc quidem beneficio vacat, quod dum nos bellis occupamur civilibus, tu indomitam Arabum gentem subjecisti, quia Judæorum hostes pro nostris ducimus. Nobis enim arma inferunt, qui vos lacessunt. Nobis ergo militasti, cum tibi vinceres: et ideo te remunerabimus, ut regnum tuum confirmetur nostro munere. Interim nihil imminuisse non parva gratia est: adoriemur in reliquum, ut non requiras Antonium. Neque enim dignum est, ut quem bello vicimus, non vincamus benevolentia. Cum hæc dixisset Cæsar imposuit diadema capiti ejus, sedulitatem adjungens muneri. Qua dignatione Cæsaris invitatus Alexander, ex amicis Antonii virum cui Cæsar maxime indignaretur, volens abducere offensioni, multa deplorabat prece: sed indignatio nimia nullum veniæ locum reliquit. Proficiscentibus inde in Ægyptum, prosecutus Cæsaris iter suppeditatis omnibus, quæ vel ipsi vel exercitui usui forent, maxima sui gratia imperatoris sibi studia conciliavit Herodes: præcipue quia in locis aridioribus usque Pelusium, regali provisione aquarum affluentia subministrata: quibus officiis tantum sui amorem infundit omnibus, ut plus videretur meruisse quam accepisse. Minor quoque regni potestas, quam humanitatis largitas æstimaretur. Unde Cæsar ex sententia rebus intra Ægyptum gestis, Antonio et Cleopatra defunctis, non solum quæ adempta erant Herodi reddidit; verum etiam præter illa quæ Cleopatra averterat, Gadarum, Joppen, Samariam quoque ei concessit. Maritimas quoque urbes, Gazam, Arithedanam, Joppen, turrim Stratonis simul donavit: quadringentos quoque stipatores ex Gallia quibus septa incedebat Cleopatra, ad custodiam corporis regi concessit, multaque alia. Sed his omnibus rex pluris habebat, quia a Cæsare super omnes, infra Agrippam tamen, diligebatur; ab Agrippa, infra Cæsarem.

## CAPUT XXXV.

Quintodecimo itaque sui regni anno, ut beatitudini suæ responderet et gratiæ, tanto rerum secundarum successu levatus, ad pietatem intendit: et ut se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, templum ornavit: omnemque illum circa templum loci ambitum circumvallavit muro, geminatisque spatiis inclusit immenso ædificandi sumptu et exquisito decore. Indicio erant magnæ circa sacrarium porticus, quas ex-

A struxit ex fundamentis: nec minor tuendi quam ex[illegible]nandi intentio. Siquidem castrum Aquiloni subjacens communivit, quod appellavit [a] Antonii gratiam, [illegible]lo inferius superiorum palatiorum. Addidit etiam in ipsa arce regiæ domus gemina habitacula, maxi[illegible] ambitus et mirabilis pulchritudinis, quorum gratiæ nihil conferendum arbitreris. Unum eorum Cæsarium, alterum Agrippium nuncupabatur, ut in suis ædibus tantorum amicorum diuturna memoria celebraretur. Urbem quoque Sebasten non solum re[illegible] ædificavit, sed etiam replevit inhabitantibus. Ac ne singula persequar, haud ullum facile præteriit locum vetustarum urbium, quem non renovaret labentem, aut additis quæ deesse videbantur, ædificiis ornaret. Liberalitates quoque suas usque ad quinquennalia

B diffundens certamina: unde illud hominum genus effusis divitiis locupletavit. Templum etiam Cæsari de marmore albo condidit ad fontes Jordanis, adeo immemor factus religionis, ut homini templum sacraret, usumque gentium in Judæam induceret. Loco nomen Panium est: ubi mons altitudinis excelsæ vertice summo in sublime porrigitur, cujus in latere umbrosum aperitur antrum, per quod graveolentis præcipitii profundum sævam exhalat mephitim. In[illegible]tus aquarum congregatio, et sine ullo motu mul[illegible] vis inerat, ut æstimatio profundæ altitudinis non comprehenderetur. Foris autem circa ipsius antri radices fontes scaturiunt: unde ortum illic Jordanis plerique æstimavere: nobis tamen, quid veritas habeat, in posterioribus aperiendum videtur. Erat in

C maritimis civitas, quæ Stratonis turris appellabatur, jam fessa bellis frequentibus, et vetustate ipsa inclinata in ruinam: opportunitate tamen et gratia loci præeminens, quam renovavit lapide albo, et variis ornavit ædificiis, atque in ea magnanimitatis suæ virtutem et elegantiam operis expressit. Inter duas enim maritimas urbes, Doram atque Joppen sita in medio: utraque ex parte perstringitur importuoso littore, ut omnes quicumque ex Ægypto Phœnicen prætermeare desiderant, in salo fluctuent, quia frequenter illic mare ventis excitatur, et maxime Lybico spiramine, cujus etiam moderatiore flatu fluctus attollitur: denique illisus præcurrentibus saxis, et fracto repercussus impetu, efferum mare cadendo exasperat. Itaque rex nullum impensis statuens modum, magnanimitate vicit naturam, portumque ma-

D jorem Pyreo constituit; atque in eo penetrata rupium vastitate, stationes tutas composuit. Mensus quoque spatium quod magnitudini portus conveniret, saxa ingentia in mare jecit, quibus inesset plerisque altitudo pedum quinquaginta, aliis etiam excelsior. Distinxit ipsum maximis turribus portum, quarum unam Drusion vocavit, ut Drusi nomen, qui de Cæsaris majoribus fuit, insignibus sui operis intexeret. Gradus etiam breviores locis interposuit frequentioribus, per quos sine gravi labore navigia

[a] Legendum videtur, *Antonii castrum:* vel si mavis, *Antonium* sive *Antoninum castrum Antonii gratia.* Barr.

Digitized by Google

subducerentur. Tribus etiam colossis ingentibus totum portus illius gratiam venustavit. Iterum templum Cæsaris editiori fundavit loco, et templi medio colossum constituit Augusti nomine, velut simulacrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulacro Olympii Jovis aut Junonis Argivæ. Nescias pulchritudinem in tantis difficultatibus, an validitatem operis; ac munimentum in tanto decore præstare amplius putes, quandoquidem insolubile maneat opus, et mari et vetustati: Accessit itaque in eo opere multiplex gratia. Nam et urbs maxima accrevit provinciæ, et portus navigantibus, et honor Cæsari, cujus ex nomine Cæsarea in hoc tempore vocatur.

## CAPUT XXXVI.

Hanc regis potentiam prosperis affluentem successibus unius mulieris expetita societas inclinavit; mœstisque infregit doloribus, ex quo adversum jus fasque conjugium dignitate potius generis quam charitate, usu quodam regio metiendum existimavit. Habebat autem in consortium, Dosidem nomine, Hierosolymitanam feminam privato sibi ante sociatam, quæ gratior eo esse debuerat, quo fuerat felix marito, cum qua regale fuerat adeptus fastigium. Verum immemor gratiæ projicit Dosidem, sociat Mariamnem Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem, in perturbationem incidit, qua sibi domus propria non conveniret, cui diversarum provinciarum multiplex obtemperaret populus: ac ne oculi novæ nuptæ odio novercali domi posito, eo quem Dosis generaverat, offenderentur, ejectus non solum paternis ædibus, sed tota quoque urbe Antipater (id enim juveni nomen) infaustis nuptiis locum fecit, quas pater unici filii exsilio concelebravit, vixque festorum dierum solemnitatibus arcessebatur. Videns mulier morigerari sibi maritum, etiam pietatis convicio in superbiam conversa, addita est etiam causa, qua jure ejus animus inflammaretur: quia Hyrcanum avum suum, viri sui insidiis noverat exstinctum, falso suspectum propter regni cupiditatem: ipse est, de quo supra memoravimus, quem Barzafarmanes qui Persis imperitabat, cum occupasset Syriam, captivum abduxerat, atque in Parthia primo retentum, postea Judæis postulantibus qui supra Euphratem inhabitabant, miseratus sortem inclinatam permiserat: atque utinam ut concessus fuerat deprecantibus, ita etiam credidisset monentibus, ne mora ingenii humani propinquorum cum potentia sollicitaret, ut ad Herodem transitum faceret, eam illi periculo futuram, quod nullos magis regni cupido servandi, quam proximos exagitaret, atque a propinquis caveret. Verum ille tædio peregrinationis et suorum desiderio transivit Euphratem, in Judæam revertitur. Quod altius in pectus Herodis, quam quisquam ratus erat, descendit, non quo ille regnum affectaverit, sed quia viro

A regii generis, et diu exercitati privilegio potestatis incertum, an ab eo abstinere se posset, æstimabatur. Laqueus igitur mortis Hyrcano, conjugium neptis fuit, cujus gratia properavit ad Herodem: nescius, tutius ne apud hostem captivos degere, quam apud regem propinquos. Nulla itaque vel levi regnandi suspicione, hoc solo interemptus est, quod ei competere regnum videbatur. Diligebat interea Mariamnem impenso amore, nec offensam volebat; cumulaverat mulier gratiam numerosiori partu. Nam quinque ei generaverat filios, sed ex tribus maribus junior Romæ obierat, dum litteris imbuitur liberalibus. Reliqui duo ultra privatorum modum regio cultu celebrabantur. Suffragio erat juvenibus matris nobilitas, et suus ortus in regno, quod imperante

B jam patre geniti forent, sed amor maxime Mariamnes, quo rex magis magisque quotidie accendebatur: ut cum ipsi nulla vicissitudo amoris a conjuge rependeretur, caveret tamen, ne in aliquo mulieris animum mœstificaret. Æqua lance odium mulieris et amor viri adversum se certabant. Justius tamen Mariamnem amantem se virum oderat, quam Herodes Mariamnem amabat non amantem. Suppetebat mulieri odium de flagitio, fiducia de amore: quia altero dolore nepotis adversabatur, altero per obsequium amantis extollebatur. Et ideo ne a convicio quidem objiciendorum criminum temperavit, quod avum sibi Hyrcanum et fratrem Jonatham per scelus eripuisset, cum alter prosocer, alter affinis: ille [a] propter senectutis infirmitatem servari debue-

C rit, hic saltem propter ætatem adolescentulam: facimus indignum, cui septem et decem annorum adolescenti summum commiserat sacerdotium, huic continuo honorem contulit, et mortem intulit: nulla alia causa, ut accepimus, nisi quod sacerdotali amictu indutus, ubi accessit primum ad altaria sacrato et celebri die, subito populus illacrymavit: quod suspectum adeo Herodi fuit, ut præ gaudio crederet populum illacrymasse, atque adeo erga Ephebum prodidisse affectum suum, lacrymas illas voti indices, studium populi sui periculosum, qui intimis visceribus significaverit, quod studium erga cultum adolescentis haberet, et nobilem illum regium nepotem impotentis mulieris filium fratrem reginæ protervioris quæ regem virum dedignaretur, pro-

D rupturum ad imperandum, nisi maturius sublatus e medio foret, cui forma, cui decoris gratia suppeteret, ut jure præferendus omnibus æstimaretur. Proposuit itaque adolescentem occidere: exagitabat eum mater adolescentis, quæ et ad investigandum acrior, et ad ulciscendum vehementior, nihil occultum, nihilque inultum patiebatur, eoque revocare sese ac reprimere deliberabat. Rursus exagitabat eum cumulatior in dies erga adolescentem amor universorum et regni periculum. Unde prærupto furore excitatus, statuit quovis modo sibi consulere.

[a] In editione prima Ascensiana legimus *propter senectutis infirmum*, pro quo male postea *infirmitatem* substituerunt. Maroch. l. c. pag. 826.

Digitized by Google

## CAPUT XXXVII.

Mittitur adolescens nocturnis temporibus ad urbem Hierico, atque ibi solitus delectari studio natandi; a plurimis quasi in ludum coeuntibus dum sine modo mergitur, in piscina necatur. Id tacitum soror non tulit, sed affectu germanitatis per convicium prodidit, atque objectavit marito, jussu ejus sibi fratrem ereptum. Destitutam se omnibus, funestam sibi domum conjugis, qui primo sibi avum ademerit, postea germanum interemerit, miseram se exitio suis fuisse: imprecari dira viro, socrui et regis sorori; commune omnium flagitium: ultorem Deum poscere, ne tantum facinus impunitum relinqueretur. Ferebat ista Herodes quasi amore captus et nutibus deditus: sed furebat ira muliebris, et ferre non poterat maledicta exsecrantis et indignantis arrogantiam maxime, quia victus vernaculo ejus Herodes insurgere adversus neglectam nequibat, et ideo quo magis excitari quasi amans posset, scena adulterii contexitur, atque in mulierem istiusmodi crimen componitur, quod imaginem suam Antonio in Ægyptum destinavisset. Quantæ istud intemperantiæ fuisset, ut absenti et prompto in libidines viro, tum præterea potenti qui potestate pro jure uteretur, formam venalem offerret ut pulchritudine illiceretur, novæ auctionis commercio se mulierem potuisse, vi ne amoris an odio mariti, cujus periculum pro mercede adulterii postulavisset? Hoc itaque commento mulierum, apud Herodem Mariamne quo magis amabatur, eo gravius appetebatur, nec tamen insimulatio ipsa, quamvis indignantium feminarum, aliena veri penitus fuit: matrem enim Alexandram furentem, quod alius filio suo Aristobulo in sacerdotio præferebatur (hoc enim nomine Jonathum filium suum quod avum sibi regem fuisse in memoriam reduceret, appellari malebat) ab Antonio per Musurgam quemdam litterarum sequestrum petiisse filio suo sacerdotium, fides vero propior erat. Deinde adveniente in Judæam Gellio Antonii amico, cognitum adolescentem miraculo fuisse propter excellentissimi decoris gratiam. Non minus etiam Mariamnem, cujus quo dignitas clarior, eo fama illustrior, et forte compertam more quodam ingenii humani, quo viri quoque eo se interioribus amicis cariores cupiant declarare, si præsentibus quoque necessitudinibus suis in se hospitalitatis societatem indulgeant: ibi quoque Alexandræ datam cum Sosio colloquendi copiam licet liberiori viduæ, alia quoque cognoscendi hospitis deesse copia non potuerit, cum præsertim hujusmodi et causas et personas requireret. Deinde collato utrimque consilio id se dedisse sententiæ, ut utriusque imagines Antonio dirigerentur. Perstrictum illum splendore imaginum, et Sosii præcipue testimonio (qui nihil tale se umquam vidisse in terris asseveraret, et gratiam illis non hominum, sed divinam inesse lenocinantem: ut excitaret viri minime sobrias cupiditates) scri-

A psisse Herodi, ut Aristobulum ad se sine mora mitteret: de Mariamne quod [a] sibi conjuncta foret, intermisisse. Non quo cooperire libidines suas, vel his quæ nuptæ essent apud maritos soleret, cum periculo usus foret, flagitium sine pudore; sed Cleopatræ caveret indignationem, quæ utrumque quidem sexus rivali offenderetur, sed amplius sociatam viro mulierem deprehendisset; quia se cum super omnes excellere mulieres arbitrabatur. Perlectis itaque litteris, Herodem excusavisse, quod seditione populi et perturbatione totius gentis avellere a suis nobilem non posset adolescentem, atque ut satisfaceret Alexandræ, spopondisse Aristobulo sacerdotium: sed cum moras fieri promissis videret et arte se ludi putaret; Alexandram paravisse

B fugam, ac ipso apparatu fugæ cognito per Saloconsilio revocatam esse cum filio. His motum Herodem dissimulasse ad tempus injuriam, et accelerasse Aristobulo sacerdotii collationem, ut honoris specie paratæ necis invidiam velaret: qua peracta, animus, quasi fulmine ictus, exagitatus est, sive affectati adulterii afflicto a suis crimine, quod Antonium promptum ad libidines, et invelatus, quod plurimum poterat inflammantem in omne amatorium cupiditates. Cleopatræ quoque insatiabilem rivalitatis præcipue dolorem atque latentem, quæ plurimos virorum, quos seniores uxorum reprimendam intemperantiam compertum interemisset, imminere sibi periculum non amittendæ conjugis, sed etiam subeundæ mortis

C horrescebat. Proposuit itaque ipse contendere in Ægyptum, ut Antonium vel Cleopatram quam maxime metuebat, deflecteret. Evocatum alii M. Antonii litteris eo tetendisse, ut necati adolescentis causas præstaret. Profecturus tamen suo Josippo cui Salome germana regis in conjugio convenerat, secreto aperit, suspectam sibi propter conjugalis formæ appetentiam, quam suique decoris specie prodidisse mulier argueretur; quasi affini negotii committere, ut si ipse ab Antonio exstinctus foret, Mariamnem necaret, ne adulterii flagitii superesset. Josippus haudquaquam, ut arbitror, studio proditionis, sed quo mulieris erga virum sopiret querelas, quibus se afflictam diceret odiis viri, mandatum exprimit, atque ad affectum

D amantis interpretatur quod ne mortuus quidem pateretur Herodes sejungi se ab uxoris societate. Sed mulier longe aliter quam Josippus æstimaverat, argumentum traxit implicatæ adhuc in se crudelitatis, cujus exercendæ post mortem quoque suam persecutionem affini proprio mandavisset; infestum illum sibi injuria, qui suspiciones suas non argumento aliquo veritatis examinaret, sed præreptæ mortis exitio urgeret; nullum odiis finem fore, qui ultra ipsum vitæ ac salutis defectum extenderentur. Sed Josippus domestici mali immemor, dum alienam conjugem ultro reconciliare expetit, suæ conjugis

[a] Herodi scilicet. Barr.

Digitized by Google

adversum se inflammavit suspiciones: quæ et colloquia viri proprii cum Mariamne, morasque in aula regia haud perfunctorie ferendas arbitrabatur. Denique ubi frater revertitur, insimulationes non distulit, injuriam addens suam regalibus contumeliis, quod sibi quoque Mariamne ademisset maritum: sed Herodes præstrictus licet, tamen haudquaquam gravius primo commotus est, nec infensum se uxori præbuit, cum etiam vi amoris infractus, quadam die mulieri jurare cœpit, quod tanto eam diligeret affectu, ut numquam alterius mulieris flagraverit cupiditate: ita omnes ex animo abjecerit, ut uxori fidem servaret. At illa: Satis, inquit, amorem erga me tuum mandatis quæ Josippo dederas, declarasti præcipiens ut me occideret. Quomodo potest amare, qui occidere potest? Amens illico rex ubi audivit secretum suum proditum, cogitare cœpit numquam proditurum fuisse Josippum, nisi captus amore mulieris mercedem proditionis stupro quæsisset, manifestatum quod diu latebat, in aperto crimen indubia corruptione: non frustra excitatam sororem, quæ domesticam injuriam præ ceteris deprehendisset. Itaque indignatione nimia furens animique impos exsilivit de lectulo, fugiens corruptelæ turpis contagia, nec furentem capiebat aula: audivit sororem vociferantem, continuoque rapiens tempus ad argumentum insimulandi et occasionem nocendi, confirmavit indignantis suspiciones: impulsus itaque dolore injuriæ insimulatione germanæ, jubet occidi utrumque; nec multo post secuta est factorum pœnitentia: et ubi ira cecidit, amor successit, et passio resuscitata est, tantusque incanduit fervor cupiditatis, ut defunctam non crederet, atque in excessu mentis positus, quasi viventem alloqueretur. Et sicut ad eam quæ viveret pueros dirigebat, rogans, ut depositis simultatibus, ad sese veniret, et redderet se conjugali gratiæ. Vix denique multo edoctus intervallo temporis obiisse credidit, quam pro amore tamquam immortalis feminam decoris mori non potuisse arbitrabatur. Tantus erat affectus erga defunctam. Denique efferus, postea atque in multorum necem præsentium odio fertur exasperatus, nec solum morbo animi laborasse, sed etiam gravi corporis ægritudine, quam ex pestilentia quoque aeris contractam aiebant. Nam tractus cœli corruptior plurimis pestem creavit. Unde consultis medicinæ peritis, silvarum secretis sese abdit, et refuso paulatim vigore, venatibus salubritatem corporis pariter ac mentis [a] salubritatem recepit.

## CAPUT XXXVIII.

Hoc quoque addebat miraculis suis quibus defunctæ suspiciebat gratiam, fuisse se injusti pœnas flagitii, et elementorum ægritudine expiatum interitum tanti decoris; excidio mundi, populorum lue unius mortem, sorte tamen impari vindicatam, cum fructus terra abnueret, fames augeret pestilentiam. Hunc Mariamne exitum tulit, sobrie viro pudica, sed insolens formæ conscientia. Cui magnanimitas superfluebat, sedulitas deerat, ut blanditias dedignaretur mariti, secura quod nihil ab eo qui supra modum diligeret, exitii perpeti posset: nec solum ad præsens ultionem reperit, sed etiam in reliquum hæreditaria odia transmisit. Cui successere filii materni doloris exsecutores pio erga matrem quidem affectu, sed erga patrem impio: cum utrique parentum pari munere jus naturæ solvendum foret. Nec inexercitatos dolor reperit: nam diu Romæ eruditi Latinis juxta et Græcis litteris, astutiam non mediocrem assumpserant, et absentes [b] compererant necem matris, plerisque in odium patris impulsoribus asperabantur. Regressis quoque ne conspectus quidem paterni reverentia sedulitatem infuderat; crescebat cum ætate malitia. Accessit etiam ex conjugii societate præsumptio, quod alteri Salome filia neptis Herodis, alteri Archelao genita qui Cappadociæ regnum tenebat, in jus copulæ nuptialis convenerant, et nobilitas conjunctionis odiorum dederat auctoritatem. Offendebatur igitur Herodes, vel tacito filiorum ingenio excitatiore, quam paterna pietas pati posset, quæ etiam vultu frequenter læditur. Addebantur et stimuli ab his qui ab insidiis filiorum cavendum, quasi solliciti crebro denuntiabant, asserentes, quod ultrices materni exitii armarent manus. Quibus perterritus Herodes Antipatrum Dosidis filium præferre fratribus, atque ad sui gratiam uberiore [c] effectu cœpit lacessere. Ardere majoribus odiis aula regia, et certamine fratrum concuti: dum illi indignantur, quod privatæ mulieris filius sibi in regno ortis præferebatur: ille versutus adulandi, quo se inferiorem materno latere cernebat, eo studiosius commendare sese patri, appetere germanos compositis insimulationibus non quiescebat, donec ipse per se ac per alios quos sibi adjunxerat, excluderet ipsos ab affectu paterno. Denique regnandi his spem omnem ademit, ita ut publice condito testamento, solus imperii successor designaretur, missusque ad Cæsarem Romam præter insigne diadematis omni ornatu cultuque regio fulciebatur. Inde in Judæam regressus, aucta erga se Cæsaris plurimorumque illustrium virorum gratia, exigui prope temporis intervallo tantum prævaluit, ut etiam matrem conjugio patris [d] adderet: geminisque armis, adulandi arte et simulandi versutia, ita germanos urgere apud patrem cœpit, ut patri filius necem pararet. Denique furens animi Romam petit attracto secum Alexandro, quem reum magici adversum se criminis ante Cæsarem statuit. Ille data sibi copia deplorandæ calamitatis, ærumnarumque omnium, cum videret sibi suppetere tanti judicis auctoritatem, qui nec ab

[a] Ms. *sobrietatem*. BARR.

[b] Ms. *comperta nece matris, plerosque in odium patris se impulsuros arbitrabantur: regressis quoque ne conspectus quidem paterni reverentiam sedulitatem-que infuderant*. ID.

[c] *Affectu*. ID.

[d] *Redderet*. ID.

Herode traduci per gratiam posset, nec ab Antipatro circumveniri, nihil prætereundum ratus, flagitia patris quadam perstrinxit modestia, ut nec urgere tamquam accusator videretur, nec occulta esse sineret, cum plurimum causam juvaret, si se ob necis maternæ dolorem paternis peti odiis demonstravisset. In talibus enim judiciis nihil magis liberos gravat, quam naturæ pietas et pietatis auctoritas: quæ si aliquanto traducuntur flagitio, præjudicium minuitur, prærogativa excluditur. Ubi vero ad objecta patris ventum, validis refellens assertionibus, alienum sceleris primo fratrem demonstravit, qui suorum esset consors periculorum, quem innoxium in crimen vocari ingemiscebat. Adstipulabatur puræ conscientiæ agendi jus et dicendi peritia, nihil sibi ac fratri relictum honoris, sublata omnia per scelus germani, patrisque facilitatem. Amarissime deplorabat necem sibi irrogari, quam pater eo usque expetit, ut crimen adjiciat, flagitium adjungat. Quibus dictis coegit in lacrymas universos, atque eo sortem deduxit judicii, ut Cæsari accusatio non probaretur, pater reconciliationem amplecteretur. Id gratum admodum et præcellentissimum Romano principi, non solum regi inclyto regnum donasse, sed etiam liberos reddidisse. Itaque justo definitum examine, ut sic paterni juris reverentia inviolata maneret, et tuta filiorum innocentia; patri, ut decebat, obtemperarent liberi. Ipse inoffensum naturæ affectum [a] cohiberet filiis; cui vellet tamen, regnum relinqueret. Redit ex urbe Roma cum patre Alexander, judicio magis, quam suspicione absolutus. Vacare enim mentem Herodis ab odio filiorum Antipater non patiebatur: ipse enim erat odiorum materia: premebat tamen studium suum contuitu reconciliationis, ne appetitæ germanitatis scenam proderet, insidias manifestaret. Ubi ventum est in Ciliciam, et navigantes in [b] Eleusiam applicaverunt, suscepit eos Archelaus opimo convivio, gratias agens Alexandri generi sui causa, quod exemptum periculo reconciliatione etiam dignum æstimasset. Ipse etiam litteris per suos directis, amicos rogaverat, ut genero defensionis adjumento forent, et discedenti obtulit xxx talenta hospitalitatis munere, ac Zephyrium adusque regem perduxit. Regressus domum rex continuo populum advocat, apud quem hoc modo disseruit.

## CAPUT XXXIX.

Modo causa mihi, Hebræi cives, et utilis et fructuosa fuit Romam petendi, profecto ut de filiis meis Cæsar judicaret: ne solus ego qui irascebar, cognoscerem, perrexi ad Cæsarem: ut qui regnum reddiderat, de successore meo pronuntiaret. Adjecit beneficiis suis, ut quod difficile erat, prope amissos filios patri repræsentaret; fratribus quod supra regnum est, concordiam redderet. Redeo igitur ditior quam profectus sum: didici esse melior pater, quia didicerunt

A filii mei esse meliores liberi, Cæsaris benefi[cio]. Statuit enim, ut ex meo arbitrio penderet filior[um] successio, ne prærogativa successionis superbi[am] gigneret. Ipse mihi successorem darem, quem el[e]gissem: eum scilicet qui meruisset: eum, qui p[a]trem amplius honoravisset. Imitabor Cæsarem; i[lle] enim absolvendo juniores filios meos, seniori fi[lio] pares fecit. Itaque simul tres liberos hodie re[ges] constituo: illi ætas, istis nobilitas astipulatur: n[ec] numerus moveat: magnitudo regni et pluribus abu[n]dat. Arbiter primo sententiæ meæ Deus: de[inde] etiam vos accedite: quos Cæsar conjunxit, const[ituit] pater, vos honore congruo prosequimini, ut ne[c] immoderatus neque infimus honor sit: aliud infla[t], aliud exasperat. Quod cuique portionis suæ mer[ito]

B suppetit, impartiatur. Non enim tantum quis delec[tat] eum quem supra mensuram honorat, quantum læ[dit] eum cui debitum negat. Et plerumque uterque e[o]r[um] offenditur, ubi prælationis adulatio est. Sum ce[teris] omnibus pater. Honor filiorum haud dubie pat[ri] [c] gloria est. Si tamen supra modum quis liberos m[eos] excolat, reus est mihi etiam pro liberis meis, qu[ia] auctor prolapsionis est: Nimius enim cultus ...sumptus est. Numquid invideo liberis meis? Ab[sit]: sed malo eos minus cum gratia posse, quam p[lu]rimum cum seditione. Quod enim superbiæ vel r[api]næ est, cito labitur: quod gratiæ, diu tenetur. ... curæ erit mihi, ut sponsores concordiæ adjung[am] liberis meis parentes amicosque, quorum horta[tu] mutuæ dilectionis affectum induant. Nam cum ...

C sermo malus facile mentem audientis inficiat, ... maxime assidua colloquia, et diuturnus usus pest[em] animis infundere solent, quo contagio quodam ... in mores cohabitantium cito transeat: etsi tranqui[lli]tas morum sit, tamen ut stagnum mite licet, ve[ntis] exagitantibus assurgere in æstus valet: ita bona n[a]tura improbis monitoribus fluctuat. Arbitror itaque quod in me unusquisque spem sui potissimam debe[t] recondere; non enim quod accedit liberis meis, mi[hi] deperit. Plus unusquisque tribunorum vel militu[m] revereri debet patrem imperatorum. Ego, ego su[m], qui mercedem universis rependam, pro his etia[m] quæ filiis meis detuleritis. Si recta advertero stud[ia], factis remunerabor; malevolentia pretium refer[et] suum, ut apud eum quoque quem putaverit adula[n]-

D dum, fructu excidat. Vos autem boni filii, considerate primum naturæ religionem, cujus gratia et bestias ligat, quæ etiam feras cogit in amorem necessitudinis: manet inter indomitas pecudes mutuus amor, et periculis propriis redimunt suos belluæ. Reveremini etiam Cæsarem, qui vos ex inimicis amicos fecerit. Tertio me ipsum, qui rogare malo, cum possim jubere: manete fratres, nolite [d] exurere quod generati estis. Do vobis vestem et cultum imperialem: sed pretiosius est, quod suadeo, vestri amoris interne-

[a] Id est, simul, communiter exhiberet, ut equidem existimo. Galland.

[b] Rufinus Josephi interpres, *Eleusam*. Barr.

[c] Vet. cod. *gratia :* hoc est, patris permissione, ut Filii tantum honorentur, quantum pater permittat. Gal.

[d] Forte *exuere :* id est, oblivisci. Galland.

Digitized by Google

tum signaculum. Si pietas maneat, regnum delectat: si desit gratia, vile imperium est et plerumque noxium. Ergo dum vos experiar, habebitis interim non regnum, sed regni honorem. Si patrem dilexeritis, jus sequetur: mei tamen amorem in vobis probate: omnibus quibus delectare regnum solet, ut principes potiemini. Onera imperii et moles negotiorum me solum, et si nolim, manebunt. Et ideo vobis prodest mea velle: quia ego quæ vestra sunt, et volo et mea arbitror. His dictis osculatus est filios, ut eos uno osculo charitatis invicem sibi necteret. Quo facto conventum dimisit.

## CAPUT XL.

Discessere plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis: sed cum fratribus revertit dissensio eoque gravior, quod dignitas potior, cui amplius invideretur, et nocendi suppeteret major potestas. Dolebant filii Mariamnes æquatum sibi privatæ filium mulieris qui regni nesciret prosapiam. Contra Antipater distinctam sibi [a] a fratribus regni spem dedignabatur; et invidebat germanis, quibus posteriora pro primis vix reservarentur. Sed hic sese tegebat et velabat, odio prætendens gratiam, illis consilium omne in sermone obvium, etiam non quærentibus. Promptior lingua et secretorum prodiga, quidquid locuti forent apud Alexandrum, continuo apud Antipatrum erat: multa etiam quæ non dixerant, simulabantur. Pleraque internuntius cum incremento adjiciebat. Architectus omnium quibus appeterentur fratres, Antipater erat, cujus vita nihil aliud erat, nisi quoddam versutiarum conciliabulum, scena improbitatis, argumentum scelerum, flagitiorum [b] ministerium. Subjiciebat judices, subornabat testes, simulabat defensionem, quasi in theatro personam fratris circumferens, ut leviora excuteret objecta, gravioribus cederet, quo magis patrem falleret, et vehementius in fratres moveret; maximeque acerbabat arte invidiam paternæ necis paratæ, ut regnum eriperetur, quia regibus metus periculi suspectior: sed ne sine repulsore minus verisimilia regi viderentur, ipse primo tentabat refellere, deinde constringi se manifestis rerum indiciis volebat videri, ut perorata utrinque causa, quasi nihil judicio defuisset amplius, pater tamquam in convictos filios excitaretur: nulla enim res majorem fidem assertis dabat, quam quod Antipater fratrum defensor æstimabatur. Hac fraude plurimorum captabat gratiam, ipsius quoque patris in se mentem inclinabat. Quidquid quotidie fratribus minuebatur, de affectu paterno in ipsum transfundebatur. Abducebat amicos regios, parentesque et præcipue fratrem regis germanum Pheroram, et Salomen ejus sororem alienos a nepotibus fecerat, ut non modo eos non defenderent, sed etiam appeterent atque odissent. Accedebat odiorum materia uxor Alexandri Glaphyra, quæ muliebriter satis præsentium insolens extollere sese [c] occeperat fastu superbo: eo quod omnibus præemineret prosapiæ claritudine. Itaque quasi dominam se omnibus qui in aula erant regia, præferebat, patrem avumque [d] regem sibi, et præcipue Darium Hydaspen materni generis apicem solita jactare contumeliisque ignobilitatis afficere Salomen regis sororem, vel Dosidem conjugem: quod illis dolori, sibi odio foret. Cæteras quoque feminas similiter exasperare, quæ regi propter decorem magis quam propter nobilitatem generis copulabantur. Plurimis enim Herodes præter regium morem, etiam Judæorum usu quasi quadam erroris licentia delectabatur, qui figuras majorum vitiis suis obtentui ducunt. Gravabatur ergo Alexander uxoris insolentia: Aristobulus quoque iisdem quibus Glaphyra sermonibus uxorem incessebat: dejecti illam status, nec conferendam regiæ proli: imparem Glaphyræ sibique esse opprobrio, quod frater regalis generis conjugio potiretur, ipse privatæ uxoris contubernio degenerasset, demens, qui conturbaret convicio proprias [e] necessitates. Quibus perstricta contumeliis uxor Aristobuli, ad matrem cum lacrymis omnia perferebat. Salome autem comperta per filiam regi Herodi annuntiabat: at ille monere filios quam perdere commodius ratus, vocatos partim imperatorie terruit, partim affectu paterno hortatus est, ut fratrem amarent, neve ut hostes dissiderent, veniam tribuens superioribus, denuntians correctionem futuris. At illi compositis sese insimulationibus peti pluribus deplorantes, orare simul et polliceri operibus ipsis, in reliquum propriæ fidem defensioni daturos: tantummodo factum pater exspectaret, ne temere auditis crederet: non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus suppeditaret. His et talibus emollito patre, quamvis eo tempore imminentem depulerint metum, mœstitiam tamen coacervarunt, quod urgeri sese a Pherora et Salome videbant: quorum alter patruus, altera soror patris, quibus defensioni esse debuerant, insidiabantur: accedebat enim formido gravis, quod plurimum poterant apud patrem. Nam accepto diademate, prope universam regni potentiam cum fratre suo Herodes participaverat, nec mediocres utrique contulerat opes, et maxime Pheroræ. Denique his annua talenta centum recondebat, præter eam regionem, quæ ultra Euphratem sita, redituum copias multiplicabat. Tetrarches quoque petitu Herodis a Cæsare fuerat constitutus, donatus etiam regalis conjugis necessitudine, quia sororem regiæ conjugis in connubii sui sortem adsciverat. Post cujus obitum desponsata sibi seniore regis filia in gratiam successerat generi, nisi amore captus ancillulæ, regalis puellæ copulam declinavisset. Qua exasperatus Herodes contumelia, ei [f] filium tradidit, qui postea

[a] *Ac fratribus.* Barr.
[b] *Mysterium.* Id.
[c] *Cæperat.* Id.
[d] Cod. Vet., *reges.* Id.
[e] *Necessitudines.* Id.
[f] *Filiam.* Joseph. *de Bell.* lib. I, cap. 17; *Antiq.* lib. XVI, cap. 11. Barr.

Digitized by Google

Parthico bello occidit. Insimulatum tamen apud se A Pheroram, quod venenis appetivisset fratris salutem. Qua suspicione ne vivente quidem caruerat uxore: plurimorum primo, et ad postremum amicorum ejus quæstione exercita, vacuum ejus cujus arguebatur facinoris inventum volens absolvit: dans etiam fugæ veniam, quod rapta quam diligebat ancilla, [a] depositionis initæ, ut ad Parthos confugeret, similiarium suorum confessionibus modum detegebat. Respiraverat aliquantulum Alexander, dum Pheroras accusatus incessitur, et ipse incessit Salomen, [b] quod spopondisset nuptias suas Obodæ Sylæo, qui erat regis Arabiæ procurator, Herodi inimicissimus. Sed remisso utrimque crimine tempestas domus in Alexandrum incubuit, atque ipsum gravi periculo involvit B : furebat enim sæva pestis, et procella totius aulæ Antipater. Omnibusque modis et [c] conventu etiam propinquorum ingravans fratrem, ita ut turbato mentis sobriæ statu, instare sibi Alexandrum cum gladio pater magnis vocibus protestaretur. Venerat in medium scena hujusmodi, quod eunuchos tres, quorum unus pocula regi ministrare solitus foret, alius fercula cœnæ inferre, tertius torum observare regium, nec umquam discedere, cum se Herodes lectulo composuisset, donis uberioribus illexisset Alexander ad sui gratiam et turpis flagitii societatem. Quo prodito, suppliciis adacti spadones, obscenæ ludibria libidinis manifestarunt, promissa etiam amatoria tegere nequeuntes, quibus sermonibus sollicitati hujus modi forent, et qua stupri mercede retexuerunt, ut involutum dedecore parrici- C dium crederetur, inesse sibi juventæ gratiam, formæ decorem, robur ætatis, contra invalidum Herodem, et jam senecta gravem, qui capillum inficeret ne ætatem proderet, a quo cum vellet regnandi jus in se transfunderet, præmiaque polliceri ingentia: et ideo eos in juvene spem suam constituere oportere, non in decrepito sene cui ipsa natura finem acceleraret. Quæ graviter quidem Herodem movebant: sed illud præ cæteris, quod conspirare ei militarem manum ducesque exercitus, et centuriones spadonum indicio compertum haberet: denique ita exagitatus est, ut nullum sævitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes suspectos haberet. Velociores erant pœnæ quam interrogationes flagitiorum, D et judicium præveniebat eorum exitus. Rapiebantur passim ad supplicium, quos aliqua incessebat suspicio. Fervebant calumniæ; multi volentes regi placere, deferebant reos: sed illico etiam ipsi qui alios detulerant, deferebantur, et cum reis suis ducebantur ad locum pœnæ. Ita efferaverat Herodes in universos, [d] ubi si aliquis eorum superesset, suspectus foret. Aliter rex non putans se esse securum, nisi deficeret genus humanum. Insimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus superbus, immitis reis, pavidus ad omnia, ut crebro sedes mutaret, noctes sine somno duceret. Qui omnibus exasperatus repente Alexandrum alligatum vinculis sepsit custodiis, et amicos ejus in quæstiones vocavit. Qui negabant, inter supplicia moriebantur. Rursus tacentes, quia nihil quod esset suspicionibus consentaneum confitebantur, usque ad mortem supremam exulcerati. [e] Tamen aliqui vi tormentorum et pœnarum victi acerbitate, propositum adolescentibus asserebant, ut venationi intentum occiderent patrem, et ad urbem Romam sine mora pergerent ut effugii pœna eluderetur. Quod etsi nullo argumento fulciebatur, tamen ad solatium studii ferocis derivabat pater, volens vinculorum filii causas justas habere. Considerans itaque Alexander obseratas aures patris ad omnem sui defensionem, nec ullo modo rem posse deduci, ut de innocentia sua præsumeret, qui tantis calumniarum molibus appeteretur; simili arte nequissimis delatoribus occurrendum putavit, ut fraudulentos et calumniæ machinatores dolis circumveniret, atque in calumniam reos vocaret, quorum se calumniis urgeri credidit. Scripsit igitur quatuor libellos, quibus commentum sceleris quo paternam salutem appetierit, confiteretur, atque insidiarum hujusmodi conscios plerosque eorum a quibus ipse appeteretur, exposuit: atque iisdem inscripsit libris, *præcipue* Pheroram et Salomen: quod ea quoque intempesta nocte [f] rupto adolescentis in quo habitaret, *cubiculo*, illexerit invitum, et reluctanti extorserit ut incestum patraret. Transmisit ad regem libellos, velut indices flagitiorum suorum, quibus potentissimos quosque involverat regis comites atque amicos. In tempore illo Archelaus in Judæam properato advenit: ut si quid posset, genero ac filiæ opis auxiliique ferret. Sed prævidens apud infestissimum patrem obstructos sibi aditus, legitimæ defensionis arte commotionem ejus repressit. Nam simul ut aulam ingressus regiam est, magna voce cum jam audiretur et videretur ab Herode, velut furens animi vociferari cœpit: Vivit ne adhuc ille veneficus gener meus, et carpit hanc lucem? Ubi quæso est? Ubi parricidale illud reperiam caput, ut manibus [g] excerpam meis? Parricidio perire debet, qui parricidium voluit implere. Quid facturus est socero, qui non pepercit patri? Quis demonstrabit eum? Eviscerabo primo scelestum, adjiciam filiam bono sponso: etsi sceleris non fuit conscia, non est tamen aliena contagii quæ parricidæ conjugio potiebatur. Non agnosco filiam meam, quæ artes non deprehendit mariti, quæ se non talem exhibuit socero nurum, ut subjectum filium patri redderet. Ego illam non ad sceleris ministerium junxi, sed ad consortium matrimonii;

[a] *Dispositionis*. BARR.

[b] Restituo ex Josepho: *quod spopondisset nuptias suas Sylæo, qui erat Obodæ regis Arabiæ procurator*. BARR.

[c] Ms. *concentu*. ID.

[d] Leg. *ut si*. ID.

[e] *Tandem* rescribendum existimarim. GALLAND.

[f] *Irrupto*. BARR.

[g] *Discerpam*. ID.

Digitized by Google

ut cohæredem gratiæ præstarem, non criminis adjutricem. Te miror, Herodes, si adhuc vivit Alexander ille insidiator patris. Putabam justas illum jam pœnas dedisse, quem deferri non oportebat. Quid enim diutius servaretur confessor, aut parricida talis? Sed fortasse hoc quoque divinæ fuerit providentiæ, ut amborum parentum judicio condemnaretur, qui in te læsit utriusque pietatem. Non me negabo ultorem, qui me ultionis exactæ prædicatorem parabam; sed ne filiam excipio, quam infaustis nuptiis ipse despondi, te sponsorem secutus: non enim ego illam mariti moribus, sed fidei tuæ tradidi. Reddat causas, quod vadem suum dissimulavit, maritum suum dilexit. De utroque nunc vobis judicium est: si firmus exsecutor tanti doloris es, accingere pater, sequestra pietatem: non optandum quidem officium patribus, sed non dissimulandum. Si te pietas mollit, inflectit natura, mutemus vices, ut ego in tuo filio, tu in meo pignore ministerii mutui simus executores. Hujusmodi orationem circumfremens traduxit Herodem, atque a furore animi paulatim intentionem ejus emollivit, ut quasi compatienti atque unanimo sese crederet, et daret ei libellos legendos, quos Alexander composuerat. At ille singula quæque advertens, ubi intellexit magis dolore congesta, quam fide suffulta, profundo consilio minuere paulatim invidiam tentamenti parricidalis, atque objectorum causas in eos qui descripti fuerant, et maxime in Pheroram cœpit transfundere. Itaque ubi advertit regem a sua sententia non abhorrere: Considerandum, inquit, ne forte adolescens magis tantorum improborum insidiis appetitus apud te sit, quam tu ab adolescente. Quid enim causæ erat, ut tuam appeteret vitam, cui regni honorem concesseras, regnandi jus reservabas et spem successionis? Quid enim appeteret, quod habebat? aut quemadmodum tantis muneribus ingratus foret? Quidve aliud ageret in tua nece, nisi ut suum affectaret periculum? quod te vivo metuere non posset, defuncto timeret, ab his utique a quibus etiam sub patre positus, propriæ salutis excidium perhorresceret. Patet ista ætas fallaciæ, facile decipitur, et fraudulentorum insidiis circumvenitur, vix resistit dolis ætas senilis: plerumque tamen et senum prudentia circumscribentium versutiis insidiis irretitur. Ergo si maturior usus sæpe labefactatus est; quid mirum, si ætas immaturior adesse non potuit sibi, cum insidiantium catervis perurgeretur? Illos igitur perturbatores regiæ domus esse, illos incitatores adolescentium, seminatores discordiarum, qui in desperationem salutis deduxerint adolescentem, ut stomacho magis indulserit, et ultioni potius quam absolutioni intenderit, aliquid etiam impartierit commotioni. Quibus paulatim inflecti Herodes cœperat, et mollire indignationem circa Alexandrum. At vero in Pheroram commoveri vehementius, quod illis quatuor libellis ipse omnium flagitiorum minister, et totius scenæ architector exponebatur. Qui videns regem Archelao mentem inclinavisse suam, atque in eum præ cæteris præponderare gratiam interioris amicitiæ, ad ipsum se contulit, obsecrans ut animum sibi regis conciliatum redderet. Verum ille innexum plurimis scelerum vinculis, quibus evidenter regi parasse insidias convinceretur, atque appetisse adolescentem, nullam habere veniæ spem aiebat, nisi deposita inficiandi versutia, quæ objecta sibi fuerant, confiteri germano sui amanti, atque ab eodem poscere sibi indulgentiam non dubitavisset: hujusmodi sese actioni, quibus posset studiis, non defuturum. Mutata itaque veste, suffusis lacrymis, specie miserabili fratris inhærens vestigiis, orare veniam, improbitatem fateri, omnia de quibus argueretur, non abnuere, sed recognoscere dementiam sibi causam fuisse tantæ prolapsionis, quo nimius in eo furor amore sibi dilectæ mulieris exæstuasset. Statuo itaque Pherora suorum flagitiorum accersitore pariter ac teste; tamquam pro mercede compositi, quod in usus suos caderet argumenti: Herodem Archelaus deprecabatur, ut naturæ contemplatione molliret iram, fratrique ignosceret, supra vindictam constituens jus naturæ. Nec mirum, si in maximis regnis, tamquam in magnis corporibus [a] sæpe aliqua membra ferveant, quæ non incidenda, sed mollioribus sint curanda medicamentis. Sibi quoque multo graviores compositas a germano insidias, sed remisisse se necessitudini quod debebatur dolori; ut quo magis pœnam levaret ingrati, eo amplius causam gravaret. Cum hæc atque hujusmodi alia subtexeret, mitigavit quidem Herodem, ut germano remitteret, sed ipse tamquam inexorabilis genero manebat. Denique minitabatur, quod divelleret ab eo filiam, tantisque fremebat indignationis suæ motibus, ut ipse Herodes satis expiatum filii adversum se facinus arbitraretur, ultoremque suarum injuriarum rogaret, atque ipse pro reo suo apud socerum interveniret, quo de integro renovaret nuptias. Perseverabat Archelaus, cui vellet Herodes alii nurum suam jungeret, præter Alexandrum: cujus etiam causa uxor traduceretur, atque ea arte multo amplius impellebat Herodem, ut ille sibi filium redditum putaret, si conjugium ejus non solveretur: quod ille uxorem impense diligeret, ex qua etiam filios suscepisset, dulces avo, gratos parentibus; hoc munus restituti sibi filii fore, quia non mediocri ex parte bona uxor viri sui reprimeret errores, aut compensaret officiis invidiam flagitiorum. Quæ si ab eo divelleretur, nullum remedium viro futurum, quin præceps in omne rueret nefas. Molliores enim fieri solere scelerum præsumptiones, quæ domesticis affectibus revocarentur. Vix tandem Archelaus inflexus, reconciliatur ipsi genero, atque eidem reconciliat patrem. Hoc consilio eripuit nerum neci, ut pro mercede acciperet ejus absolutionem, dum condemnare se potius simulat, quam

[a] In vet. cod., *sæpe aliqua pars ferveat*. Barr.

Digitized by Google

intervenire. Pro quo si intercedendum putasset, haud dubie nihil impetrasset. Addidit oportere eum Romam pergere purgatum ab his, quæ pater in eo suspectaverat, quoniam omnia ipse scripsisset Cæsari. Quod æque compositum reor, ut hoc genere Alexander cum se purgasset, Cæsari commendaretur, atque Antipatri paratæ fratribus insidiæ patescerent.

## CAPUT XLI.

Hoc consilio soluta factio et conversio facta in lætitiam, instauratur convivium in indicium initæ reconciliationis, cujus [a] auctores Archelaus septuaginta talenta, et sedile aureum gemmis insignitum : electi quoque eunuchi regali conferuntur magnificentia, et concubina (cui [b] Panichis nomen erat) dono datur, atque accipitur. Similiter et propinqui monitu regis, clarissimis donis Archelaum munerabantur, nec quisquam familiarium ejus exsors muneris fuit : quibus omnibus Herodes pro uniuscujusque meritis plurima impartiebat. Prosecutus est etiam cum potentibus suis usque ad urbem Syriæ splendidissimam, Antiochiam nomine, in regnum suum regredientem. Evaserat Alexander, nisi se immersisset in Judæam vir Archelai artibus longe exercitatior, Lacon genere, Eurycles nomine, nimie cupidus opum, earumque pro negotio contemptor, ubi majora potiundi spes refulgebat. Denique non contentus Laconicis facultatibus, in effusiones regias animum intenderat, venandique artifex Herodem [c] antiquis opimis adorsus muneribus, remunerationi amplissimæ locum paravit ; longeque uberiora quam obtulerat, adeptus, tamen non satiabatur, nisi cruentis atque impiis factionibus gratiam sibi regis emercaretur. Itaque more quodam usuque Græcis familiari regem adulando, prædicandisque omnibus ejus, non solum quæ laudis aliena, sed etiam involuta vitiis forent, in intimam ejus amicitiam brevi pervenit, ut inter primos secretorum arbitros eligeretur : adstipulante etiam patriæ prærogativa, quod Spartiatas Judæi cognato sibi genere copulatos, pro fratribus habent. Is ubi regiæ domus vitia cognovit, suspectum animum patris, fratrumque inter se odia, novis artibus carum se omnibus simulans, quasi fidus singulis habebatur ; sed pro ingenio regis aut munerum merito sua studia formabat, ut adjunctior esset Antipatro ; Alexandrum dolis atque insidiis circumveniret, familiari specie utrumque exasperans : illum prærogativa ætatis regno debitum, istum materni generis præditum nobilitate, jure superiorem : neque cum vilissimæ corruptelæ pignore æquale illi consortium. Quibus captus Alexander, utpote adolescentior, qui delectaretur his quæ dicerentur sibi, non perpenderet illa, quæ rursus de se apud Antipatrum componerentur, effudit sese mercenario Antipatri et proditori suo, aperuitque mentem lubrico ingenio affectuque incauto, patrem sibi auctorem malorum conquerens, qui matrem sibi eripuerit, regnum decoloraverit, quod sibi ab avo, veterisque prosapiæ infulis debitum cupiat avertere ; fraudari legitimos jure successionis, præferri spurium stupri mercede ; sed non diu quietura judicia Dei, ut qui uxorem innocentem necaverat, non etiam ipse propere parato per conjugem imperio defraudaretur. Quæ sine mora Lacon ad Antipatrum deferebat, circumvento etiam Aristobulo, ut ejusdem querimoniæ laqueis innecteretur, et pretio coacervata regi insinuabat, dicens ; silentio se premere nequivisse tam immane facinus, et pro hospitii munere gratiam se lucis repræsentare, quam ereptum ire filii pergerent, quos nisi ipse simulatione consilii fidelioris revocavisset, jam dudum Alexandri gladio interfectum patrem, regnumque indignis hæredibus vacuefactum. Neque Alexandro religioni esse parricidalem atrocitatem, qui maximi sceleris loco duceret, quod adhuc avi matrisque necem inultam haberet. Conveniri se ac perurgeri peremptorum querelis, ut tam atrox flagitium ulcisceretur. Deberi sibi inferias interfectorum exigi, successionemque eorum non oportere contaminari, ut ab eo qui majores eorum occiderat regnum adipisceretur ; renovaturum se judicia Cæsaris, non simili ut ante, reverentia, sed ut Cæsar ipse cognosceret omnia secreta regis, quæsitas sanguine opes, provinciam labefactatam ; [d] reperturum se ab inferis avum, matrisque acerbissimam necem demonstraturum, ut successor alienus in regnum regium subrogaretur. Excitaverat regem Eurycles ; Antipater tamen parvi æstimans unius suggestionem, alios quoque accusatores fratribus subornabat, qui dicerent cum ducibus quondam equestris exercitus Jocundo et Tyranno sermonem initum, compositas regi insidias dolore [e] decessionis ; in cervicibus periculum, nisi mature caveret. Denique non distulit Herodes, illicoque raptos severe interrogat ; sed nihil illi, de quibus arguebantur, confessi reperiuntur. Et quia impune tam gravia simulabantur apud eum, qui criminum se vindicem profiteretur et negligentem calumniarum ; non deerant, qui hujusmodi insidias machinarentur, quas acceptiores fore patri crederent. Nam et epistola prolata est, quasi ad castelli præpositum ab Alexandro et Aristobulo data, ut occiso rege, confugiendi sibi potestatem faceret, donec armis adversum se insectantes munirent, cæterisque subsidiis defensionem pararent. Excruciatur castelli præpositus, et nihil fatetur. Nihilominus tamen haud ullis affectati sceleris indiciis exstantibus, quasi rei Alexander et Aristobulus dantur custodiæ. Eurycles quinquaginta donatus talentis auctor salutis ac vitæ

[a] Vet. cod., *auctori Archelao*. Barr.
[b] Cod. vet., *Panuchis*. Josephus *Pannichis* ; et per y scribi debet, cum veniat a dictione Græca quæ pernoctationem significat. Id.
[c] Deest hæc dictio in ms. In quibusdam passim legitur *Archelaus* pro *Antipater*. Id.
[d] *Repetiturum*. Barr.
[e] Cod. vet. adscriptum habuit *successionis*. Id.

Digitized by Google

habetur. Dignum est, nec eum silere, qui Euryclis tempore in Judæam transmissus erat fidissimus amicorum Alexandri, quem rex quasi conscium tentamentorum illius interrogandum putavit: utrum ne congruerent, quæ Spartiates de adolescentibus nuntiavisset. Verum ille nihil se de illis quidquam ejusmodi cognovisse, sacramento interposito fidem fecit: sed adolescentibus nihil profuit. A se quæstionem depulit, ne minueret delationis invidiam, et evacuaret Euryclis fraudulentiam, si severius interrogatus negaret. Quasi indignus igitur cui crederetur, ab Herode excluditur. Bonus enim pater accusari filios libenter audiebat, non sinebat defendi: delectabatur, cum appeterentur; offendebatur, si purgarentur. Denique [a] Spartes ditatus regalibus præmiis, ubi tamen Achaiam attigit, calumniarum pretium luit. Salome cum purgare sese nequiret, quod Sylæo Arabi pepegisset nuptias, ubi generi secretum prodidit, monentis ut consuleret sibi quo fratris commotionem evaderet, eo quod spe futuræ conjunctionis consilia regis Arabis annuntiare suspecta accerseretur, delicti gratiam meruit, et omnem sævitiæ regalis in adolescentes procellam intorsit, quo ultimò atque inevitabili naufragio demersi pœnas dederunt. Vinciuntur itaque, et quod ipsis erat durius vinculis, a se fratres separantur; missisque Volumnio militiæ magistro, atque Olympio ex amicis regiis viro arguuntur apud Cæsarem: at ille offensus licet, quia filiorum supplicia pater posceret, negandum tamen patri non arbitratus potestatem, in liberos suos dedit licentiam, sed consilium adjunxit: asserens melius consulturum, si proximorum regis eorumque qui præessent provinciis, concilium congregaretur, et judicio communi procederet interrogatio: utrum ne aliquæ patri insidiæ paratæ a filiis forent; et si convincerentur intentati parricidii, ferirentur; sin vero fugæ aut levioris culpæ arguerentur, esset vindicta moderatior. Hac permissa sibi Herodes parricidii potestate, sed judicii conditione etiam moderationis admonitus, ad urbem illico Berithon properat, quam judicio celebrando Cæsar præscripserat. Conveniunt præsules provinciarum secundum scripta ad se data a principe Romano Cæsare. Saturninus legatique considunt, inter quos et procurator Volumnius: deinde cognati amicique regis, Salome etiam et Pheroras, et Syriæ primores. Archelaus solus excipitur [b] ex Cappadocia, suspectæ in generum arcessitus gratiæ, cum accusatores adolescentium insidiatoresque judicium repræsentarent. Sed quæ judicii species, ubi rei adesse sibi non permittebantur, et absentes accusabantur? Advertebat enim Herodes, quoniam si tantummodo viderentur, prona hominum conditione ad misericordiam illico absolverentur: maxime ubi naturalis esset gratiæ prærogativa. Deinde si ulla copia defensionis Alexandro permitteretur, quo objecta facile dissolveret. Itaque relegatis illis in vicum Sidoniorum, quasi in præsentes accusatio dirigebatur. Objiciebantur a patre insidiæ sibi paratæ; nulla probatio deferebatur, nulla indicia tentamentorum; hærebat accusator, quem nullus redarguebat. [c] Destitutos undique congregabat invidiam contumeliarum, injuriarum genera, quæ graviora morte ab his qui considerant æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat, quod a patre arguebatur, a rege imperabatur. Præjudicabat pietatis species, terrebat jus potestatis, interrogabat sententias securus victoriæ, nescius quod in ejusmodi judicio ærumnosior esset qui vinceret, quam illi qui tam acerbe addicerentur. Saturninus condemnat adolescentes, quia aliud non licebat. Sed moderatur sententiam, cavendum asserens, ne peremptis duobus ex tribus fratribus, tertio fratri ascriberetur mors duorum. Timide quidem; sed causam locutus est, quod ille esset fratribus auctor periculi. Secuti sunt eum pauci ex pluribus. Volumnius autem funesta immurmurat, et post eum omnes [d] volente rege, tali auctore pensantes mortis sententiam, diverso quidem affectu, sed pari sorte expromunt, quibus hoc aut adulatio extorserat aut odium infuderat, ut aut regis affectaretur gratia, aut parricidæ crudelitas graviore pœna afficeretur, qui in victoria sua tam amarum de se triumphum reportavisset. Nemo tamen quasi factum horruit, et quasi commotus pronuntiavit. Scenæ enim species erat, non judicii disciplina condemnare absentes, condemnare sine teste, sine indice, solo naturæ privilegio, quod ad salutem magis quam ad periculum derivari soleret. Stupebat omnis Syria atque omnis Judæa, et attonitis mentibus tantæ tragœdiæ finis exspectabatur. Quamvis etiam nota esset Herodis crudelitas, nemo tamen credere poterat, quod usque ad parricidium perseveraret. At in illo effera vis animi nec mari, nec terra cohibebatur. Itaque tamquam usu triumphantium, ut per diversa filios traheret, Tyrum urbem inclytam petit, inde in Cæsaream transmittit, navigio spectaculum miserum parricidii circumferens, donec color ullus acerbissimæ necis filiis inveniretur. Movebatur omnis exercitus, sed metu indignationem premebat. Erat in exercitu regio veteris militiæ vir Tyro nomine, filium habens conjunctum Alexandro, indulgentissimus pater, atque ob ea pignori carus, quoniam popularis quædam pietatis est gratia, et maxime in suos illex dilectionis. Circa adolescentes quoque filios regis studio propensior,

[a] *Spartiates*. Barr.

[b] *Rex Cappadociæ*. Id.

[c] Al. *destitutis*, aut si mavis *in destitutos*, minus offensionis haberet oratio. Id.

[d] Ms. *volentiam regis*. Barr. — Gronovius, *Monobib.* pag. 115, ex membranis suis optime restituit *volentia regi*. Iterum infra cap. 44: *credidit itaque magis volentia*. Nimirum *Excidii* auctor Ambrosius eadem phrasi utitur in epist. 24, ad Valentinianum, n. 1: *Satis enim* inquit, *claruit eo ipso quod aliquot dies retentus sum intra Gallias, me* VOLENTIA MAXIMO *non recepisse*, etc. Quod quidem et Sallustio et Tacito debet Ambrosius: quorum ille *Volentia plebi facere* dixit: alter *Plebi volentia fuere*; et alibi, *Muciano volentia rescripsere*. Mazoch.

quod ab his suus filius diligeretur. Qui supra modum concepta indignatione, turbatus animi vociferari cœpit : opprimi justitiam, veritatem excludi, aboleri religionem, confundi jura necessitudinum, naturæ gratiam, superfluere iniquitates. Ad postremum in os ipsius regis progrediens, ingerebat miserum esse illum, qui adversum filios suos credendum improbissimis arbitraretur : Pheroram et Salomen consilii arbitros regis. Quam iidem ab his referri posse, qui se condemnatos capitis a rege frequentissime recognoscebant, aut quid eos aliud agere, nisi consulere vindictæ ut destitutus idoneis successoribus ad unum inclinaret, cæteris infirmiorem ? Qui facile subduceretur, quod ipse regius exercitus odio persecuturus esset eum, cui mors soluta esset fratrum duorum. Neminem esse quem non innoxiæ ætatis tangeret misericordia. Plerosque autem ducum indignationem suam non jam premere, sed divulgare. Quorum vocabula locutus, finem dicendi fecit. Quibus illico cum Tyrone correptis, Tryphon ex ministris aulæ regiæ, cui tondendi ars atque usus suppeditaret, subito quadam animi vanitate indicium sui facit compositum a Tyrone asserens, sibique persuasum, ut cum ex more barbam Herodi raderet, novaculam gutturi ejus imprimeret, quo perageret necem : idque ei maximo emolumento fore, quod de muneribus Alexandri polliceretur. Statuitur Tyro cum filio; exercetur deinde simul quæstio. Negantibus illis, isto nihil amplius deferente, cum deesset manifesta rerum fides, nullum suppeteret argumentum, nullum indicium documentorum, Tyro jubetur vehementioribus tormentis excruciari. Tunc miseratus filius supplicia patris, spondet aperturum se omnia, si patris salus sibi condonaretur, atque a rege promissa venia suggerit, quod impulsus ab Alexandro, pater necem regi parasset. Idque plerique ad tempus compositum rati, ut tali pignoris indicio Tyroni consuleretur : alii pro vero edictum loquebantur. Sed Herodes dubia pro certis adjudicavit, tanquam metuens, ne parricidii sibi facultas periret. Convocato itaque populo, et congregatis ducibus, de insidiis deprehensis motu gravissimo promit querelam, atque in mortem eorum plebem excitat : ibique Tyro cum filio pariter atque tonsore, saxis ac fustibus interficiuntur.

## CAPUT XLII.

Alexander quoque et Aristobulus missi ad urbem Sebasten quæ non longe aberat ab urbe Cæsarea, strangulantur imperio patris. Hunc finem habuere filii Mariamnes, quorum interitu non longum lætatus, successionem sibi remotis illis Antipater haud dubie blandiebatur : sed in eum totius gentis mox non leve odium exarsit, quia apud omnes patebat ejus factione fratres occubuisse. Successit etiam non mediocris timor consideranti, quam multiplex in dies adolesceret interfectorum prosapia, cum Alexander ex Glaphyra genitos sibi Tigranem et Alexandrum filios dereliquisset, Aristobulo ex Beronice Salomes A filia, Herodes et Agrippa atque Aristobulus superstites manerent : Herodias quoque et Mariamne, filiæ, quas sexus non impediret, et regni cupido exagitaret. Queis rebus perterritus Antipater, in fraude ac versutia spem constituere, et donis et muneribus singulos sibi magis magisque oppignerare, etiam amicos et domesticos Cæsaris illicere ad sui gratiam pretio tentabat. Sed contra illi etiam, qui domi erant, in adversum sedebant. Nam rex paulatim processu temporis erga nepotes suos Alexandro et Aristobulo genitos molliebatur, et facti pœnitentiam prætendebat, cum eorum quorum parentes occiderat, misereretur. Denique congregatis amicis et proximis suis, quadam die lacrymis suffusus ora, dixit ad eos : Video mihi ætatem procedere, et sine lacrymis aspicere non possum B parvulos hos infelicium germina patrum, quibus ego sum auctor doloris, ne pejore eos derelinquam conditione, quam parentes abstuli : sed illos mihi quædam eripuit ærumna; hos mihi magis magisque commendat natura et misericordia : altera, quia nepotes; altera, quia destituti parentibus sunt. Erraverunt in patrem filii, quid fecerunt avo nepotes ? Satis infelix pater fui; avus esse debeo sollicitior. Tentabo post me consulere nepotibus, utinam et in filiis mihi consuluissem ; verum in illos communis hostis atque inimici obrepserit fraudulentia. Cavendum est quoque, ne hos illorum involvant pericula, atque uno vulnere simul filios amiserim, et nepotes [a] perdiderim. Provideamus his defensores, quibus ademimus : desponsabo itaque seniori ex filiis C Alexandri tuam, mi Pherora, filiam, et te ei constituam patrem : tuo autem, Antipater, filio Aristobuli filiam, ut hoc modo fias pupillæ pater. Germanam quoque ejus accipiet Herodes meus, ex Mariamne Hyrcani susceptus, filiam : hæc, inquit, est mea sententia, ut invicem sibi coeunte copula jungantur posteritatis meæ successiones; quo nemo suspectus alteri sit, et ipse tranquillioribus oculis videam nepotes meos, quam vidi eorum parentes. Quibus dictis, junxit memoratorum dexteras, et osculatus singulos, illacrymavit. Quod Antipater, lætantibus aliis, ita graviter accepit, ut statim dolorem suum etiam vultu proderet, haud mediocri constrictus sollicitudine, quod Alexandri filiis Archelai regis et Pheroræ qui tetrarchiam tenebat, suffragia suppetere cerneret, D cæteris validiora. Advertebat odia sui crescere, nepotibus autem adstipulari misericordiam. Nec poterat Aristobuli filiam recipere domo, ne sceleris indicium diuturnis ejus aspectibus offenderetur. Adire non audebat patrem, ne ad omnes mobilem suspiciones exagitaret, si complacitarum fœdera nuptiarum solvenda existimaret. Subtiliter tamen præsumpsit orare, ut consuleret ei pater, ne adversus duorum potentium opes regis et tetrarchæ nudo regni nomine invalidus exponeretur. Foveret certe honorem, quem confœderandum filio judicaret, ne species regni ad eum, potestas ad illos perveniret.

[a] *Perculerim.* Barr.

Digitized by Google

Neque vero solos Alexandri atque Aristobuli filios A suspectos habebat, sed omnes obstare sibi arbitrabatur: quicumque ex diversis Herodis conjugibus competere vel taciti videbantur regni successionem, quorum frequens numerus erat. Novem etenim mulieres regali conjugio potiebantur: ex his duæ tantum sine liberis erant; cæteris soboles suppetebant. Antipater Dosidem attollebat parentem, Herodes Mariamnem, Antipas et Archelaus Malthacis erant filii Samaritanæ, et filia Olympias, quæ Josippo jure connubii sociabatur. Cleopatra quoque Hierosolymitana Herodem et Philippum genuerat Herodi: Pallas Phaselum. Erant quoque etiam aliæ regi filiæ, Roxane et Salome; quarum uni Phædra erat mater, Helphis alteri. Supererant etiam Alexandri et Aristobuli germanæ sorores, quas Mariamne ex Herode B susceperat; sicut supra memoravimus. Multiplicem itaque generationem Herodis metuens Antipater, ægre licet atque in primis tentamentis multum rege commoto, quod destitutis paterno auxilio nepotibus invideret dispositas copularum societates: ad postremum [a] tantum effecit, ut sibi Aristobuli filia, atque ex ipso genitus Pheroræ parentis sui filiæ conjungeretur: tantum adulatione prævaluit, ut pactas nuptias solveret. Contra autem Salome, cum vellet Sylæo nubere, ne suffragio quidem [b] Lyviæ quæ uxor erat Cæsaris, potuit de fratre impetrare; sed invita Alexandro cuidam ex amicis regis in nuptias convenit. Subversis itaque dispositionibus regis, Antipater quasi is qui ut voluerat sibi consuluisset, exsultabat animo, et superabat omnes versutia. C Odium tamen nullo modo comprimere poterat, sed accendebat, quoniam affectabat terrore sibi munimentum parare. Conjunxerat autem sibi cooperarium factionum suarum Pheroram patris germanum, quem Herodes non multo post recusantem, ab uxore propria divellit; cui ob injurias quas ea mulier Dosidi conjugi ejus intulerat, infestior habebatur, domoque expulit. Pheroras autem amplexatus injuriam, in partes suas concessit, quibus ut tetrarcha præsidebat: ea sane mentis intentione, ut ad Herodem viventem numquam reverteretur. Denique nec tunc quidem, cum eum ægritudine gravi affectum comperisset, et frequenter orantem, ut ad sese veniret, quod ei quædam quasi moriturus committenda arbitraretur, visitandum existimaverit. D Qua perculsus licet injuria, rex ubi præter spem incommodum depulit, tamen fraterno affectu venit ad eum, ubi ægrum comperit, et sedulo compatiebatur, et defunctum Hierosolymam transtulit, et magno fletu celebrique pompa funus curavit. Nec tamen his indiciis sedulæ charitatis conceptam exclusit opinionem, quod eum frater veneno appetisset: ita erat etiam in suos crudelis; nec difficilis fides rerum, quod potuerit fratrem occidere, qui filios interemisset.

## CAPUT XLIII.

Hunc itaque unus de interfectoribus Alexandri et Aristobuli improbitatis suæ finem invenit, a quo exordium sumens, in Antipatrum pœna transivit sceleris auctorem. Namque libertorum querelis qui patronum suum veneno interfectum assererent, stimulatus Herodes, dum sollicitius quærit, cognito quia ab uxore de succis Arabiæ accepisset Pheroras poculum quod amatorium putaretur, idque venenum fuisse, quod Sylæi studio traditum, et illico in pestem conversum, in plurimorum quæstionem tetendit. Unde quædam inter tormenta de ancillulis exclamavit, ut Deus omnipotens in matrem Antipatri omnia supplicia transferret, universorum arbitram flagitiorum; per ipsam occultos conventus Antipatri ac Pheroræ diu noctuque exercitas potationes usque ad temulentiam, ut a convivio regis recipientibus sese, totis noctibus biberetur. Quod non otiosum nec conjurationis vacuum tentamentorum, remotis præsertim servulis et ministris jure suspectabatur, magnumque vinculum connexionis et conspirationis indicium tam diuturnæ moræ, quæ regibus suspectior in solitudinis secreto et poctis silentio. Ibi compositum, ut Antipater Romam peteret, Pheroras [c] in Petram pergeret: quod frequenter inter se conferre soliti prodebantur, eo quod post Alexandrum et Aristobulum, in ipsorum necem sese Herodes conversurus foret; miseros se qui putassent, quod Herodes in illis parricidales cogitationes odisset, qui regni hæredes persequebatur; sublatos esse non potestatis æmulos, sed consortes miseriarum, in se periculum [d] omnium et odia transisse, ne mulierum quidem parciturum sexui, qui dilectæ sibi Mariamnæ, atque ex ea [e] genitis non pepercisset. Nullum sibi aliud remedium, nisi ut longius aliquo secederent: quo tantæ bestiæ furori vel fuga eximerentur. Adjiciebantur crebræ apud matrem Antipatri conquestiones deplorantis, ardere se invidia regalis successionis, eum sævitia regni super ipsum præcipue incubuerit: ut jam sustinere non queat, ultimis [f] deditus obsequiis, et postremis urgeri periculis. Nec solum regnandi jus sibi perisse, sed vivendi quoque curricula convoluta temporum. Ætatem sibi maturiorem, incanuisse jam verticem; contra autem juvenescere patrem, frustra sperari ejus hæreditatem, qui fortasse etiam superstes hæredi tamdiu reservaretur. Quod autem emolumentum successionis sibi futurum longævo hæredi, cui tam multiplex Alexandri atque Aristobuli soboles, velut quædam hydra renatis quæ amputata fuerant, capitibus regerminaret? Ex testamento patris etiam jam jus commune ereptum, ut data spe regnandi, cujus ad tempus vicarius foret, non aliquem ex suis filiis in suum imperium sustinere: sed Herodi Mariamnes filio

[a] *Tamen*. Barr.
[b] *Liviæ*. Id.
[c] Vet. cod., *in Peræam*, rectius, nam Josephus trans flumen Peræam scribit lib. III de Bell., cap. 2, et ipsemet Auctor infra, lib. II, cap. 9. Id.
[d] *Periculum omne*. Id.
[e] *Genitis*. Id.
[f] *Debitum*. Et mox, *curricula evoluta*. Id.

Digitized by Google

necesse haberet regnum refundere [a]. Itaque non ad fructum sibi regni spem datam, sed ad periculum, ut esset decessori suspectus, successori gravis. Postremo ipsum regem longa senectute vividum et intentum cædibus suorum, sui esse testamenti executorem : ut nemo superesset qui posset succedere, ferri odio gravi in filios, nec in fratrem minore, qui sibi [b] dederat centum talenta, nec cum patruo suo sermonem haberet. Et respondente Pherora : In quo enim eum læsimus? Num etiam ipse successor sum? retulisse Antipatrum, nonnullas habere eum causas offensionis. Utinam amissis omnibus, liceret offensioni se ipsum componere : feram esse bestiam, quæ ne mortibus quidem satiaretur, nec posset perpeti ullam inter propinquos charitatem manere! Atque utinam amissis omnibus liceret, ut nudi eum tantummodo viventes evaderemus, sed impossibile. Ideoque sibi occulta ad tempus colloquia. Necessarium autem fore tempus, quo uterentur virili mentis vigore, et consilii vivacitate, dexteræ quoque vindicis ministerio. Hæc a mancipiis in supplicio positis respondebantur, et mancipio credebat Herodes, maxime quia de centum talentis soli Antipatro dixerat, nec ullus sermonis ejus adfuerat interpres. Succensus itaque indignatione, rapit ad supplicium plerosque et innoxios, ne quis de obnoxiis relinqueretur. Accersitur ad supplicia Antipater Samaritanus, eo quod esset Antipatri procurator, et diversis excruciatur modis. Prodit quæstio, missum ex Ægypto venenum per Antiphili quemdam conturbernalem, idque ab illo datum Theudioni amico Antipatri, per ipsum Pheroræ redditum, cui regis filius Antipater exsecutionem commiserat, ut dum ipse in urbe Roma degeret, pater ejus Herodes exstingueretur. Quo tempore nulla de absente [c] paratæ necis suspicio foret : sed Pheroras cum in tempore venenum acceptum uxori propriæ commendavisset, recurrit altera in uxorem Pheroræ veneni invidia : jubet illico rex Pheroræ uxorem venenum deferre. Egreditur mulier quasi perlatura quod petebatur, et sese de fastigio præcipitat ædificiorum, quo gemini pondus criminis evitaret, atque obitu præveniret indicium rei et quæstionis acerbitatem. Sed quia maturabatur Antipatro feralis ultio parricidii, non supra verticem capitis ruit, quo casu facile exstingueretur, sed in aliam partem corporis decidit, ut mors protelaretur : consopita erat tamen atque attonita mulier, quia ex alto ceciderat loco. Jubet eam paulisper recreari Herodes donec ad se rediret; spondet veniam, si simpliciter aperiret gestorum ordinem : non de nihilo esse, quod sese præcipitaverit, sed magni criminis consciam, compendium supplicii quæsisse; impunita sibi omnia flagitia confitenti fore : at inficianti acervanda supplicia, ipsam quoque sepulturam negandam. At illa ubi se resumpsit paululum : Et cui, inquit, adhuc ego secretorum servabo [d] silentia, Pherora, mortuo? Illi enim debui fidem tacendi, pro quo supplicia non recusarem, si necessaria forent. Sed ille nunc liber a cruciatibus, et si [e] veniabilis erroris correctio est, liber a culpa. Quid igitur involvere veritatem mendaciis [f] cogitem, ut Antipatro morem geram? Parcam ergo illi, non parcam mihi? Egregiam ergo mercedem debemus viro, qui nos omnes sceleribus suis in hæc supplicia deduxit. Audi rex, Deo præsule, qui solus mihi veritatis arbiter est : proposui enim nihil fallere : audi inquam, sed prius repete, quemadmodum assederis lacrymans germano periclitanti, ut impleveris omnia circa Pheroram munia [g] pia germanitatis: quibus ille inflexus, ubi discessisti, continuo me ad sese vocavit, et ait : Non exiguum ego mulier a fratris affectu et studio deerravi, qui sic oderam amantem mei, et volebam occidere tam impatientem doloris in periculis meis : ferre ille non potest fortuitum, quod ego urgebam indebitum : circumventus sum fateor Antipatri dolis, sed [h] cogitationis ejus ego pretium fero : tu quod habes ab eo venenum relictum, mihi cito perfer, et sub meis oculis effunde, ut vel ad inferos non feram animum parricidalem : pœnituisse correctionis sit, quod criminosum est præparavisse : Cito, inquam, mulier, ut vel mortem præveniam, quoniam culpam nequivi. Tum ego detuli venenum, et in conspectu ejus exinanivi, parum tamen ex eo reservavi mihi, quæ te metuerem, ut esset remedium si proderetur paratum ad hos usus venenum. His dictis pyxidem cum eo quod resederat veneni, protulit : subjicitur quæstioni mater Antiphili et [i] fratres ipsius. Confitentur ex Ægypto Antiphilum detulisse pyxidem plenam veneno, quod ille accepisset a fratre qui Alexandriæ commoraretur sub medicinæ professore. Deprehenditur etiam Mariamnes filia pontificis insidiarum conscia, quæ pararentur marito, idque fratribus ejus inter supplicia confitentibus manifestatur. Unde Herodes junior maternæ audaciæ *pretium* luit, quem in regni successionem Antipatro substitutum idem [j] quem subrogaverat pater, *de testamento* delendum putavit. Et hic quidem non mediocris error Herodis senioris, ut ulterius *flagitio* deprehenso, alter mulctaretur. Sed etiam Herodis junioris non injusta mulctatio : nam divinitus *præcautum* videtur, ut licet nondum facti sui merito, tamen ob pretium futuræ improbitatis regno abdicaretur. Nam quis eum regem perpeti potuisset, qui tetrarcha tam insolens fuit, ut tolerari nequiret? Adjicitur etiam aliud veneficii genus, quod Bathillus

[a] *Substitueret.* Barr.
[b] *Dederit.* Id.
[c] *Patratæ.* Id.
[d] *Silentium.* Id.
[e] Pro *venia digni*, ut *venialis* apud Macrobium. Id.
[f] *Cogit? an ut Antipatro morem geram?* Id.
[g] *Piæ germanitatis.* Id.
[h] Vet. cod., *contagionis.* Mox vero, *pretium feram.* Id.
[i] *Frater* rectius ex vet. codice, et Josepho lib. I de Bell. cap. 19. Id.
[j] *Qui.* Id.

Digitized by Google

Antipatri libertus Pheroræ et ejus uxori detulit, compositum ex succis serpentum, et veneno aspidum, ut si primum non convaluisset ad mortem Herodis, secundo uterentur.

## CAPUT XLIV.

Reperiuntur etiam litteræ adversus Archelaum et Philippum fratres compositæ : hi regis erant filii, qui Romæ instituebantur, quos Antipater ea vel maxime causa appetebat, quod videbat non mediocri præditos sapientia, super quos rex patrium animum reclinabat. Denique evocaverat eos litteris, ut maturius domum regrederentur. Obstare itaque eos suis utilitatibus Antipater arbitrabatur, atque incumbere suis artibus, ut spe adolescentium simulata, omnia factionis suæ studia obumbrarentur. Componit itaque epistolas nomine virorum potentium, quos Romæ [a] positos in suam amicitiam illexerat : aliis quoque pretio extortum, ut scriberent, quod adolescentes infestis patrem odiis urgerent, et nimio questu mortem Alexandri et Aristobuli deplorarent. Et cum hujusmodi epistolas clandestinis artibus per aulicos sceleris sui ministros, patri ingereret, eadem versutia, qua supra simulabat fratrum intercessorem, ut prætento pietatis patrocinio, impietatis subtexeret parricidium. Quibus omnibus in medium deductis cum quæstionibus, patris vita, epistolis, mors fratrum appetita evidentissime panderetur : [b] consilium diffinitur, de auctore supplicium sumendum, qui posteriora prodidisset calumnia, quod germanos suos non quasi parricidas, sed quasi legitimæ successionis æmulos persequeretur : non quo patrem defenderet, sed ne consortem regni haberet. Interea cum septem mensium curricula inter documenta flagitiorum, et reditum Antipatri concluderentur, nulla innotuere Antipatro indicia rerum gestarum, tanta circa eum universorum odia fervebant. Incertus igitur omnium, scribit ex urbe Roma continuo se adfore, summoque se honore dimissum a Cæsare : quibus litteris lectis, rescribit Herodes maturato eum contendere oportere, securum affectus paterni, cui non solum nihil imminutum per absentiam foret, verum etiam tanta accederet gratia, ut ejus contuitu matris offensa minueretur. Nam iterum domo eam deprehensam in artes filii consentire, consortio exutam regiæ liberalitatis compendiis eliminaverat, cui se remissurum indignationem scriptorum specie manifestaret, metuens ne comperta matris expulsione, suspiciones suas Antipater ad cavendum exsuscitaret. Adveniens itaque, Tarenti primum de Pheroræ obitu cognovit, ibique luctum magnum exercuit, quod a quibusdam pietatis affectui datum, eo quod patrui mortem impatienter doleret. Ille autem ministrum ausi parricidalis sibi sublatum ingemiscebat, nec solum non processisse sceleris apparatum, verum etiam venenum se dedisse terrori erat, ne [c] quomodo ad cognitionem Regis perveniret, et ille scenam criminis publicaret. Transit itaque in portum Cæsareæ haudquaquam vacuus gravioris curæ ac sollicitudinis, cum [d] ei etiam mater non mediocre præjudicium condemnatæ sobolis daret. Sed urgentibus amicis, qui patriæ cupiditate postponenda omnia quæ Antipatro conducerent, arbitrarentur : [e] denique exspectato ejus ingenio, quo vel aversum patrem a sui gratia facile consiliis suis flectere solitus erat, hortantibus ut sese patri et prædestinato sibi regno ocius repræsentaret, quod nemo auderet eo præsente contra niti : sed occasio absentiæ ejus sola arserit, ut averti posse ab eo regis animus æstimaretur. Et ideo præveniendum mature, ne demorando magis aut desiderantem offenderet, aut suspectum exacerbaret, cum diffidentiam sui proderet. Credidit itaque magis [f] volentia quam necessaria suadentibus. Verum ubi portum ingressus est, neque quemquam sibi obvium circumspectavit, et quasi pestem aliquam sensit suam præsentiam declinari, in summa locorum frequentia maximam solitudinem, cum occurrere nemo auderet : metuentibus aliis, aliis adversantibus, etenim id temporis et odia quo minus se tegerent, auctoritatem acceperant, reputare secum scelera sua cœpit, et conscientiæ stimulis exagitari, nullum fugæ locum neque evadendi subsidium sibi relictum : circumventum se velut quibusdam retibus et captum teneri : fiduciam omnem assumpsit ex impudentia, ut dissimulatis omnibus improvisum se patri offerret, in amplexum rueret, pietatis officia prætenderet. Verum ille extensis manibus ingerentem sese repellens et reclinans caput ne parricidæ osculo contingeretur, exclamavit et hoc esse amentiæ parricidalis, ut amplexum petas, cui invisum te recognoscis, ut horrore tui afficias patrem, et contactu noxii corporis vivendi suavitatem extorqueas. Ne igitur contigeris, ne attaminaveris, quem scelere petisti. Purga certe prius si potes, deprehensa dilue : judicium non refugiam, nec audientiam tibi negari patiar, nec mihi ipse assumam cognitionem, nec argumentandi tibi occasionem relinquam. Opportune adest Varus, apud quem defensionem tui præpara. Nec differendi locus : crastina die, quamvis dolis et fraudibus præditus, habes purgandi tui copiam. At ille obstupefactus tantæ commotionis pavore, nil est ausus referre, nec potuit : sed egressus foras fluctuabat animo, quod nihil omnino ex his quæ gesta erant et prodita apud patrem compererat. Advenientes autem ad eum postea mater et uxor aperuerunt omnia. Quibus cognitis,

[a] *Positus.* Barr.
[b] *Concilio.* Et mox *posteriore.* Id.
[c] *Quoque modo.* Id.
[d] *Ejecta et.* Id.
[e] *Deinde experto.* Et paulo post *arriserit* pro *arserit.* Id.

[f] Sic rectissime Gronovii membranæ. At editio prima cum sequentibus *volenda*, quod margo editionum mutat in *violentia*, ut sit a recto *violens.* Sed nullus hic violentiæ locus. Mazoch. Vid. in hanc vocem superius annotata ad caput 41. Galland.



Digitized by Google

sese colligere præparare animo cœpit, quibus modis criminationi occurreret, confessionem extenuaret. Sequenti die congregantur omnes regis propinqui et amici Antipatri : intersunt examini universi : qui diversa de Antipatro prodiderant indaci præcipiuntur. Leguntur etiam epistolæ matris Antipatri, in quibus illa ad filium scripserat, ut cognosceret proditam patri suorum scenam flagitiorum : nequaquam eum debere adesse, nisi a Cæsare aliqua manus accerseretur, cujus se præsidio circumvallaret, neque se judicio committeret, qui tantorum confessionibus appetebatur, sed armis muniret. His ad superiora additis, ingressus Antipater, et sese ad vestigia dejiciens patris obsecrat, ne se prædamnatum haberet; confidere se, si deferatur audientia, vacuum criminis fore, si pater vellet : jubet pater silere, atque eum istiusmodi sermone prævenit : Quod nulli justo veniabilis nequitia Antipatri possit videri satis certum est, sed eo magis gravari me apud te, Vare, arbitror. Vereor enim, ne etiam me oderis, qui parricidas generavi filios, quibus non posset etiam parcere pater : licet hoc quoque miserandus magis sim ita, quod et tales amavi. Sed de illis taceo quos ipse exasperavi, et justas adversus hunc allegationes eorum respui. Nullas enim hi adversum me habuerunt causas doloris, nisi quod his Antipater præferebatur, et consortii regalis prærogativam acceperat, qui natus [a] regno non erat : putabam tamen quod majorem natu minoribus ad tutelam adsciscerem. Sed hostem induxi qui invideret nobilioribus, excitaret puerulos, infirmos circumveniret, incautos proderet. Lapsos non nego, sed eos excusari potius, quam urgeri oportuit. Antipater hic mihi et illos abstulit, hic mihi et illos fieri insidiatores compulit. Dolui, fateor, quod ii quibus regni spem dederam, quibus successionem reservaveram, adversum me improba machinarentur : sed nunc non patrem, sed Antipatrum oderant. Perierunt itaque ad dolorem patri, Antipatro ad fructum. Quæris, Vare, quis eos occiderit? Cognosce cui mors eorum profecerit. [b] Vacua est domus novercæ filio, patuit aula uni ad succedendum, quæ multos successores habebat. Nec expletus est morte fratrum cruentus animus et mens impia. Postquam non habuit fratres quos odisset, patrem persequebatur. Reputo mecum, qui huic munimentum hæreditatis paravi : visus sum et [c] ipse diu vivere decessionem fastidienti : docui quid vellet, cui successionis competitores ademeram : morantem non passus est : nec exspectavit regnum, nisi ut parricidio adipisceretur. Reddidit mihi vicem, quia projectum collegeram, et prætuleram nobilioribus. Cui enim tantum ex illis, quantum huic contuli? Cui ipse vivens potestate cesseram, testamento aperto hæredem designaveram, quod solet esse periculosum regibus, ut aliquis se successurum noverit. Quinquaginta in fructibus talenta concessi, trecenta Romam proficiscenti dedi : commendavi Cæsari quasi solum filium : nihil mihi reservavi, quod deberem parricidam timere : sed hoc eum magis ad parricidium armavit, quod se meis beneficiis superiorem videret. Quid tantum sceleris commiserunt fratres ejus, quos ad mortem coegit? Aut quæ istiusmodi adversum illos indicia detecta, qualia istius deprehenduntur? Sed interrumpere atque obstrepere audet parricida et dolis tentat veritatem involvere? Caveas, Vare, admoneo, caveas simulatas ejus lacrymas, et gemitus arte compositos, nec ullo expressos dolore. Hic est qui mihi pietatis affectum abstulit, cum a ficto metu cavendum admoneret Alexandrum, cum illo mentes plurimorum convenire, asserens non temere committendam universis præsentiam meam. Simulabat se circumspectare omnia, usque ad lectum deducere, discutere atque examinare singulos. Hic erat somni dispensator et minister securitatis, in quo ego solatium constituebam, atque ejus officiis levabam de interfectis dolorem : arbitrabar quod et illos mihi redderet, mœrorem auferret, pietatem obtenderet. Hic erat protector meus, cui credebam corporis senilis custodiam. Quomodo vivam nescio, quomodo tantum insidiatorem evaserim, quibus me circumvenerat deliniamentis, quibus fraudibus vinctum tenebat, ut soli huic me crederem, quem solum caveri oportuit. Incredibile mihi est quod evasi, nec vivere mihi videor, sed somnium puto. Quis enim crederet, aut illum tam ingratum futurum, cui in me potestatem omnem commiseram, aut me posse evadere, si Antipater nollet? Tutiorem tamen gratia me factum putabam. Sed quæ (malum!) infelicitas, me, aut adversum me eos faciat insurgere, quos plus dilexerim! Deploro ærumnam domus meæ, Vare, defleo solitudinem, ingemisco vim tanti doloris. Sed tamen tanta est acerbitas sceleris parricidalis, ut neminem mihi patiar evadere, quicumque sitierit sanguinem meum, etiamsi in omnes filios meos affectati parricidii indicia promantur. Cum hæc diceret, indignatione pariter ac dolore intercepta vox est loquentis. Continuo Antipater elevans caput, velut ictus enim et saucius vulnere jacebat ante pedes patris, nec assurgere audebat, exclamans, ait : Tu, quidem pater, ut iratus accusas, sed mihi nulla major defensio, quam testimonium accusationis tuæ, quia semper fui custos tuæ salutis. Defensionem igitur pro me voto accusantis adhibuisti. Quomodo enim parricida ego, quem ipse tuum protectorem fateris? Aut quomodo circumspectus atque astutus, quem commentatorem arguis parricidii? cum extremæ insipientiæ sit cogitasse, quod et apud homines exsecrabile sit, et apud Deum inultum esse non possit. Vel fratrum exemplo doceri potui, nullum tanti sceleris effugium fore, quod scelus istiusmodi nec latebram inveniat nec pœnam evadat, quandoquidem et illi pro tanta in

[a] *In regno*. Barb.
[b] *Vacuata*. Id.

[c] *Ipsi.... decessorem*. Id.

Digitized by Google

te malevolentia pœnas dederunt : at illos invidia quædam (ut dicis) impulerit ad parricidium, quod me sibi præferri videbant, quibus materni generis nobilitas animos dabat, ut regnum quasi ex materna successione sibi debitum vindicarent, et quibus a te ereptum reposcerent. Quid tale ego, qui nescivi regnum nisi de te sperare, tuum judicium quærere, tibi soli placere? Quid autem erat, quod me adversum tuam salutem audere aliquid impelleret? An regni cupido? sed regnabam : an odii suspicio? sed diligebar : an injuriæ dolor? sed præferebar. Si illos sola formido prælationis meæ armaverit ad parricidium, ego absolvar : quia nesciunt prælati parricidium cogitare, [a] sed odisse. Nisi forte aliquis ex te me metus compulit. Verum ego, ut mihi vox tua testis est, nihil sciebam nisi pro te timere. Quid enim mihi timerem, qui minister eram tuæ securitatis, et dispensator quietis? An vero inopia pecuniæ et egestas coegit, quæ solet indigentibus suadere latrocinium? Sed dederas, quod non solum in præsens, sed etiam in omne tempus abundaret, et divitem Romam miseras, ut regum reges pronuntiarent imperii apud se principatum esse, non divitiarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem, et intimum Cæsaris tibi cepi, et a Sylæo ingenti [b] impulsus pecunia, ut te impugnaret, ita commutavi, ut fieret tuus defensor, et sollicitatoris sui proditor. Per quem pater alii insidiatores tuæ salutis detecti sunt? Quomodo ergo parricida ego, qui custodem tui corporis Corinthum latentem deprehendi? insidiantem removi? ad confessiones negantes deduxi? Potui parricidium non cogitare, et parricidii fructum habere, si tacuissem. Sed mihi si bestiarum immanitas, si atrocium ferarum inesset furor, tamen tantis beneficiis tuis mansuescere potui, ut nullam opem nisi in tuæ salutis subsidio constituerem, ut pro omnibus tibi vel solam charitatem referrem, te meo corpore protegerem, te intimis, si fieri posset, visceribus includerem : prætuleras nobilioribus filiis materna stirpe minus nobilem, matrem quoque regni exsulem in regnum vocaveras, nec jam successorem me imperii, sed quasi consortem habebas. O miser ego, cui tantum liberalitas tua bonorum effuderat, ut invidia succederet! O stultissimus ego, qui te, pater, reliqui! si datus est invidiæ locus, et potestas insidiantibus. Namque dum ego pro tua salute diu demoror, meam prodidi : et tamen nihil habeo, quod mihi ascribam. Tu me, pater, abire jussisti, tibi ego peregrinabar, pater, ne tuam senectutem Sylæus circumveniret, ne te viventem regno exueret, nec apud Cæsarem tuam salutem appeteret. Testis est mihi Roma pietatis, Cæsar quoque præsul orbis terrarum, et censor universorum atque arbiter mei pectoris, qui me amantem patris appellare solitus erat. Testificare Cæsar, quid ego de patre apud te loquebar, apud

A quem solum nocere potuissem. Testificare, inquam, mihi, qui de aliis pronuntiaveras. Nec dissimulandum parricidium, sed inquirendum putasti. O si mihi aspiraret præsentia tua! sed absens es, et longe positus, et ego sine te a patre dijudicor. Ades tamen, et in litteris tuis præsens es : tua scripta offero, quæ solent parricidæ timere. Tuam epistolam porto, quam solent promere, qui cupiunt parricidium non latere. Suscipe, pater, litteras Cæsaris, ipse te instruat, qui dudum vindicavit. Suscipe Cæsaris scripta, argumentis omnibus validiora. Quibus usus es dudum ad ultionem, utere nunc ad salutem. Hos ergo apices defero innocentiæ meæ testes : illa dextera numquam te fefellit; illa dextera Cæsaris diadema tibi imposuit, non ademit : illa manus Cæ-

B saris regnum tibi, quod abjeceras, repræsentavit. Potuit me prius Cæsar odisse, si fratrem [c] similem deprehendisset : sed cognovit et pronuntiavit interpretem, qui nisi Romæ fuissem, Sylæus vicerat. Illi ego hodie adjudicor, illi pœnas miser pendo. Memento, pater, quia non voluntarius navigavi. Videbam mihi jam parari foveas insidiatorum : malui tamen me potius, pater, quam te periclitari. Nec tamen exhorresco salutis periculum, sed apud te, pater, doleo, me quasi tuum hostem periclitari. Periclitor tamen, si apud te et Cæsaris testimonia periclitantur. His ergo utor indiciis meæ defensionis : Cæsarem non appello, quasi audiendus, sed imploro, quasi absolvendus. Quod si judicium exercendum existimas, ecce, mi pater, ad te veni post Cæsarem, ad te festi-

C navi a Cæsare. Utinam quidem nusquam a te abiissem. Sed tu me, pater, nesciens periculis objecisti jubens pergere. Præsto sum, pater, nec perfunctorie de levioribus testibus requirendam pro salute tua veritatem æstimo. Non præjudicent, qui possunt timere tormenta, nec qui possunt contemnere. *Omnis homo mendax*, dixit Scriptura (*Psal.* cxv, 11). Ego defero incorruptibilia elementorum testimonia. Venio ad te per maria et per terras nusquam aliquid passus. Parricida debui non evadere, si reus essem. Absolvat me, pater, apud te cœlum quod non fulminavit, mare quod non demersit, terra quæ non absorbuit : per hæc ad te tutus venio, pater : quæ non solent evadere, etiam qui non sunt patrum genitalium parricidæ. Datham et Abirom hiatus vora-

D vit terræ, nec tamen genitalem appetierant patrem. Absalon fugientem arboris suæ ramis terra suspendit, ne ad patrem perveniret, ad quem si pervenisset, evaserat. Ego ad te veni, et adhuc periclitor. David parricidam suum, quia servare non potuit, vindicavit : ego de inimicis et calumniatoribus vindicari non expeto, ut eos ad tormenta vocem : lucrentur illi pœnam calumniæ. Unum rogo, pater, ne alienis credas tormentis : de memetipso adversum me require supplicia. Suspende reum tuum, in viscera mea pergat interrogatio veritatis, in corpus

[a] *Nec od.* Barr.
[b] *Ambitum.* Id.

[c] *Fratrum.* Id.

Digitized by Google

meum atque in interiora penetralia descendant fidiculæ quæstionum, profluat sanguis, qui solet parricidium clamare, ferantur ignes in artus noxios. Quid dubitas, pater? si parcis, innocentem pronuntias: si a cruciatu temperas, absolvis crimine. Non est parricida, qui simplici morte dignus putatur. Aut si ut filio parcis, et ex te genitis membris compateris; non sunt membra tua, quæ sunt ministeria crudelitatis. Hæc ubi locutus est, magno fletu et gemitu lamentabili finem dicendi fecit, ululatuque maximo Varum et omnes ad miserationem inflexit: solus Herodes nullis movebatur lacrymis, atque ipse a fletu temperavit intractabilis ad veniam, quæstioni imminens, vindictam expetens.

## CAPUT XLV.

Successit orationi Antipatri Nicolaus regis mandato, qui astute ejus responderet versutiis et inflexos a miseratione abduceret, referendo in Antipatrum fraternæ invidiam necis, allegando quod si quos moveret misericordia, illorum misereri deceret, qui ejus perempti fraudibus, ultionem requirerent. Si unum absolverent, omnis domus regia in periculum deduceretur, germani, affines; parentes, ipse rex, cujus saluti non pepercisset. Itaque conversus ad oratorum versutias, velut [a] (narratione miserationis) epilogo quodam excitabat ab inferis peremptorum animas, qui miserabili questu replerent subsellia, insontes se oppetisse, subornatis [b] gravibus testibus, compositis epistolis, fraudulentis sermonibus circumventum patrem, credidisse filio, quem non putaret de fratribus posse mentiri. [c] Offert nunc supplicia sua qui fratrum tormentis non credidisset, quos onustos vinculis obligaverit, ne cognitioni interessent, in absentes latam sententiam, cum longe positi essent necatos, ne eorum pater misereretur. Nullum itaque reliquum futurum si iste evaderet, doctus venena parricidalia suorum visceribus infundere, mutare mentes hominum, qui etiam Pheroram semper amantissimum fratris, Herodis in necem ejus parricidio funesto exsuscitaverit. Ad hæc, cum plurima alia excitandæ commotionis gratia Nicolaus addidisset, ubi sermonem absolvit, interrogatus a Varo est Antipater, si respondere vellet. Nihil aliud retulit, nisi (Deus mihi testis est) quia nihil læsi. Tum Varus venenum proferri, atque id dari jussit uni de his, qui jam rei mortis adjudicati essent. Quo epotato, statim mortuus est. De quo relatum ad Cæsarem est, et in vincula Antipater imperio patris inducitur: nec tamen ab insidiis vacuus erat. Nam tum maxime Salomes periculum dolis tentabat directis epistolis, quas Salomes nomine Antipater composuerat, plenis in regem contumeliarum atque ad Acmen ancillam Juliæ quæ uxor Cæsaris erat, per Antiphili servulum perferri jusserat, quas Acmes sibi redditas regi transmitteret: ac pene in mulieris perniciem fraus convaluerat, ni reperta esset epistola Acmes ad Antipatrum, quæ dolum prodidit, scripta in hunc modum: Sicut voluisti, patri tuo scripsi, et epistolas illas direxi: nec dubito regem in periculum sororis insurrecturum. Tu vicem restitue optato effectu potitus. His litteris deprehensis, rex in suspicionem deductus, quod etiam Alexander pari arte compositis a fratre esset appetitus epistolis, et nimia commotione exasperatus, ægritudinem gravem contraxit. Quo se videns urgeri periculo, Antipam unum ex filiis hæredem imperii [d] scripsit, prælatum Archelao et Philippo senioribus liberis, quoniam ipsos quoque Antipater dolis atque fallaciis suspectos patri fecerat. Cæsari legavit mille talenta, donis muneribusque additis. In uxorem et filios, libertos atque amicos quinquaginta contulit: nec Salomen sororem munerum suorum expertem reliquit. Procedebat in deterius ægritudo atque accessu temporis [e] exasperabatur, quam imbecilla senectus suis incommoditatibus acerbabat quotidie. Siquidem non minus septuagenario gravatum annis corpus, crebro quoque mœrore animi afflictum gerebat, tot parricidiis [f] convulneratus, quæ aut deprehendisse in filiis extremæ miseriæ erat, aut intulisse. Immedicabilis tamen ægritudinis fervor, quod superstes Antipater metuebatur. Contemptus quoque in dies vilior, quod imagines Cæsaris atque animalium similitudines contra legem templo appositæ detrahebantur, auctoribus maxime Juda atque Matthia juventutis doctoribus, qui [g] cognitis et conspirantibus sibi venisse tempus aiebant, quo violatæ legis injuria vindicaretur: Dare pœnas sacrilegum, qui putaret fas esse quidquid potestati liceret: nec religione inclinatum, sed elatum superbia in penetralibus templi faciendi quod vellet, libidinem pro jure exercuisset. Et quamvis divina ultio mortem ei accelerarct: tamen pulchrum videri, si etiam [h] templi sacrati libertatem suam, in defendendis paterni ritus observationibus approbarent: nec periculi metu quemquam revocari oportere, cum etiam mori pro lege patria insigne immortalitatis sit: primique adorsi auream aquilam supra fastigium portæ affixam detrahere comprehensi, atque ad regem perducti: cum interrogarentur, cui obedire cupientes, tantum facinus adorsi forent, responderunt legi paternæ. Iterum quærenti, quo freti lætiores adessent, cum ad mortis vocarentur periculum, responderunt: Pietatis et devotionis præmiis, quorum remuneratio pro ritu patrio mortem expetentibus persolveretur. Nec diutius ferre potuit responsionis constantiam, sed indignatione su-

[a] Hæ parenthesi inclusæ dictiones abundant. BARR.

[b] *Gravatos.* ID.

[c] *Offerre nunc eum supplicia sua.* ID.

[d] Vet. cod., *testamento scripsit.* ID.

[e] *Asperabatur.* ID.

[f] Sic princeps editio. Al. *convulceratus.* Al. *vulneratus.* Idem auctor Ambrosius epist. 43 ad Horont., n. 5: *Omnes spiritales nequitias.... convulnerabat.* MAZOCH.

[g] *Cognatis.* BARR.

[h] Leg. *templo sacrati.* ID.

Digitized by Google

per ægritudinem facta, ut infirmitatem vinceret, in conventum populi processit, ibique tamquam sacrilegii reos ad plebem deferens accusare cœpit, quod majora de factis talibus suspectarentur. Quæ etiam si non probarentur, tamen cuncti sibi quisque metuentes, auctorum qui comprehensi forent, luenda supplicia deprecabantur. Nec pergendum in cæteros, ne quæstio plures atque alienos et innoxios perturbaret: rogatus itaque in præsentes sententiam tulit, ut vivi exurerentur: unde incommoditas aucta, et gravioris ægritudinis vis, diversis totum corpus ejus passionibus depascebatur. Febris erat vehemens, prurigo intolerabilis, continui ac sine ulla intermissione interiorum dolores viscerum, collo medius vexabatur, hydrope gravabantur vestigia, abscondita corporis scatebant vermibus, [a] sparsim totius corporis, anhelitus gravis et suspiria perniciosa: res indicio erat, quod injusti parricidii et sacrilegæ damnationis pœna reposceretur. Non cedebat tamen animo, et vivendi cupiditate passionibus reluctabatur. Petit trans Jordanem calores aquæ calidæ, sed nihil profuerunt. Asphaltites lacus, plerisque medicabilis, sine ullo profectu ægrum tenebat. Ubi dum oleo plurimo foveretur, laxato resolutus corpore, morientium specie oculos invertit, et vox defecerat, nec sensus manebat: sed [b] exercitatus strepitu conclamantium resumpsit, et ad sua regredi cupiens, ubi ad regionem loci qui appellabatur Hiericho, advenit, atro felle exagitatus, et ipsi quodammodo morti minitans immane facinus excogitavit, quo velut inferiæ sibi populi mitterentur. Namque ex omni Judæa congregari jamdudum præcipiens quosque nobiliores, ut ex singulis vicis in unum convenirent: ubi imperio obtemperatum est, claudi eos intra hippodromum jussit, et accersita Salome atque ejus [c] Alexa viro, legatum sanguinis mandavit, asserens lætitiæ populis gentis Judææ suam mortem futuram; et ideo commentum se, quo præclarissime suum epitaphium celebraretur, deposcere a suis, ut cum ultimum exhalasset spiritum, eos statim omnes qui clausi tenebantur, necari juberent: ita neminem futurum in universa Judæa atque in omni domo, cui mors ejus esset illacrymabilis, cum universis [d] domesticis luctus hæreditatem dereliquisset; qui dum suorum deplorant necem, justa regi viderentur persolvere, atque ita publicorum lætitia votum domesticis doloribus impediretur. Ac ne forte scelesta imperia mandata executio destitueret, quinquagenas drachmas jussit militibus dari, ut tali sceleris imposita mercede, ferale ministerium milites non recusarent: compensaturi exsecutionis horrorem remunerationis emolumento. Cedebat prope jam tantæ incommoditatis gratia suppliciis, sed exspectabat funesta responsa legationis, quæ retulit de Acme supplicium sumptum ad Herodis querelam: Antipatrum quoque convictum parricidii morti adjudicatum, tamen repulso patria et regno, pater fugæ potestatem tribuere, si vellet, Cæsar juberet, sententiam sceleri ferens, consilium pietati relinquens. Solverat natura parricidii necessitatem: nam recreatus paulisper, permissa sibi puniendi, ut vellet potestate, dum de genere necis tractat, distentus doloribus [e] propere diem mortis pervenire desideraverat. Poposcit itaque malum, pariterque gladium, ut eo pomum solitus incidere refectionis aliquid assumeret, et paulisper sese attollens cubitoque adnixus, levavit dexteram, cupiens sese ferire, sed occurrit Achiabus, et impedivit ictum, luctuque tota concrepuit domus, ut obiisse Herodes foris æstimaretur. Exsultavit Antipater ad sonum planctus, et a custodibus adhibitis postulavit, ut vinculis resolveretur: sed præpositus ei muneri non solum abnuit quod rogabatur, sed etiam regi annuntiavit. Exclamans ille insultari adhuc sibi viventi, percussores direxit, qui Antipatrum interficerent, cæsumque sepelire jussit in Hyrcania, atque iterum mutavit testamentum, regemque Archelaum instituit seniorem ex fratribus: Antipæ tetrarchiam reliquit. Quinque itaque diebus Antipatro superstes defecit: triginta et septem annis ex quo a Romanis imperitare jussus est, regno potitus: ex quo autem Antigonum sustulit regni æmulum, annos triginta quatuor imperio exegit: utinam tam domestico usu, quam publicis lætus successibus. Namque ita foris secundæ ei res aspiraverunt, ut privatus in regnum adsciscerctur, eoque per multa usus annorum curricula, quod difficile salvo potestatis usu decederet, relinquens liberis imperii successionem, quam ipse a suis non acceperat. Sed intra domum infelicissimus, quam acerbo suorum sanguine et luctu replevit; nec tamen exsecutionem invenit ultimæ crudelitatis, hoc uno Salome oblitterante criminum suorum ludibria superiora, quod eos quos percuti rex jusserat omnes dimisit, dicens regem præcepti feralis postea pœnituisse: revocatisque mandatis superioribus, præcepisse, ut ad sua omnes dimitterentur.

## CAPUT XLVI.

Dein postea facta in amphitheatro militum et reliqui populi congregatione, de obitu regis judicium factum: processit Ptolemæus, qui regis amicitiæ inter fidelissimos quosque usque in extremum adhæserat, et annulum deferens quem defuncti digito detraxit, collaudat regem, et populum admonet tranquillitatis, aperitque ei epistolam, qua precatus fidelissimos sibi milites hortabatur, ut successori suo benevolentiam exhiberent et gratiam. Et apertis etiam tabulis testamentum recitatur: Philippus Traconitidis regionis et finitimorum locorum hæres nuncupatus: tetrarches, Antipas; rex, Archelaus, ità tamen ut ad Cæsarem deferri annulum suum, atque

[a] *Spasmi*. BARR.
[b] An *excitatus?* GALLAND.
[c] *Alexandro*. BARR.
[d] *Domestici*. ID.
[e] Al. *propriæ*. Et mox *prævenire*. ID.

Digitized by Google

ei arbitrium et firmamentum omnium dispositionum suarum reservarent. Ac tum demum ratum esset testamentum suum, si Cæsar probasset : reliqua secundum priora sua testamenta custodiri præcipit. Continuo acclamatio facta militum Archelao plaudentium : circumvallabatur illico stipatorum ambitu ; promittunt benevolentiam, spondent fidem. Post hæc competenter atque magnifice funus curatum, omni ambitu regalium divitiarum præmisso ad pompæ funebris celebritatem : lectus erat auro totus et gemmis insignitus, stratum refulgens murice, corpus adopertum purpurea diploide, quam internectebat fibula lapidibus pretiosis coruscans, diadema adhærebat vertici, supraque corona aurea, sceptrum in dextera, ut viventem putares. Præibat agmen Thracicum; Germanique et Galli sti- A patores regii militarem servabant ordinem, pari modo succincti armis, ac si in bellum prodirent, [a] sed ora mœstitia plena, et dolentibus similes prosequebantur. Reliqua manus prosequebatur ornatu solito, et cultu assueto comitantibus pariter ducibus et centurionibus. Quingenti etiam servorum et libertorum regiæ domus aspergebant aromata, ut suavi odore tota fragraret via ; lectum filii regis, et propinquorum vis maxima circumfundebat. Sepultus est in Herodio (ut ipse mandavit) quod aberat ducentis stadiis ab eo loco, in quo finem vitæ invenit : magno obsequio per tantum spatii deductus universorum, sed non omnium pari affectu : metus enim officium, non votum extorserat ; dolor intra se saltem liberam habebat sententiam. Hunc finem B habuit Herodes.

[a] *Sed ora mœsti ac dolentibus similes.* Barr.

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT PRIMUM.

Sepulto Herode, libera, ut in defunctos solent, judicia populi depromebantur : gravem fuisse illum et intolerabilem, injusta imperia in cives exercuisse, tyrannum non regem suorum, parricidam domesticum, expilatorem publicum, nemini quidquam dereliquisse, tributis exhausta omnia, locupletatos alienigenas, Judæos exinanitos, quia templo hostem induxerit, [a] sacrata omnia sacrilegio contaminarit : beatos illos qui defecissent, cum tormenta viventibus non deessent : plura malorum Judæam post depulsam captivitatem in paucis annis sub Herodis imperio pertulisse, quam in ipsa captivitate sub hoste barbaro sustinuerit : cum sibi Babyloniorum reges imperitarent ; sub illis tolerabiliora exsilia, quam sub Herode domesticum domicilium : ab illis ad sua remissos, ab hoc fugatos : immitiorem Dario, Artaxerxe superbiorem, Medis rapaciorem. Sperasse finem malorum, ut sibi exire liceret exsilio, si diem clauderet : sed accessisse ad servitutis miseriam Archelaum spontaneum successorem, qui et Herodem referret, et nova adderet : miserum hoc in regnis esse, quod dominus eligeretur : miserius quod invitis imponeretur. Solatium servitutis videri, si ipsi sibi dominum eligant, eo quod fiat benignior, si deferatur imperium : superbior, si usurpetur. Longe itaque Archelaum Herode intolerabiliorem futurum, cum iste assumpserit regnum, ille acceperit. Ea non solum crebro in Judæa conferebantur, verum etiam Romæ : [b] assistente Archelao, perorantibus accusatoribus, in os objecta apud Cæsarem Senatumque, ubi de regno Archelai confirmando abrogandoque diu decertatum. Denique cum in templo Apollinis, quod Cæsar condiderat multisque ornatibus venustarat, locus esset cognitioni datus, Salomes filius Antipater, illa quæ supra diximus, et multa alia dicendi validus prosequebatur : mirari se, quod Archelaus quasi petendum a Cæsare regnum prætenderet, cum usurpatione temeraria jam dudum intra Judæam inconsulto Cæsare regem exercuisset. Quid enim sella aurea, allatumque diadema, nisi regni forent insignia ? Quo spiritu præsumpserit sedere super thronum regium : de sublimi solio salu- C lare plebem circumfusam, stipantibus [c] armis militaribus, more quodam et usu imperatorum promi diadema, quod Cæsaris judicio reservari oportuerat, non solum pro potestate Romani imperii, sed etiam pro jure testamenti? Herodem enim nec prærip re potuisse Cæsari vel Senatui, quod ipse vel a Senatu accepisset, et superiore testamento expressisse satis propriæ judicium voluntatis, quo [d] Antipam succedere sibi in regnum sensu integro ac perpenso consilio declaraverit, et postremo omnia Cæsaris judicio reservasse : quamvis soluto jam corpore, anxius supremo periculo, nec ullius jam sensus aut consilii capax, dictaverit non quod arbitrabatur, sed quod ingerebatur. Præceptorem igitur imperii de seipso D pronuntiasse, quod non mereretur tuo, Cæsar, judicio in regnum substitui. Nam si meritorum suorum conscius foret, petere potius quam [e] usurpare maturavisset. Non petendo autem, sed usurpando, quæ in petitione consisterent etiam in pecuniariis negotiis (nedum divitiarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem et intimum Cæsaris tibi cepi, et a Sylæo ingenti ambitus pecunia, ut impugnarent) præjudicare solere, ut præposteri litigatores cadant

[a] *Sancta*, sive *sacra*. Barr.
[b] *Assistenti Arch.* Id.
[c] *Numeris*. . . . *poni*. Id.
[d] Alii codd. *Antipatrum*. Id.
[e] *Eripere.* Quæ vero parenthesi mox interclusa vides, non habentur in ms. Id.

Digitized by Google

causa : hic vero non pecuniarum quæstum in crimen A vocari, sed imperii Romani violatum jus, reverentiam despectam, spretam potestatem, indignum æstimantem Romanæ curiæ senatum, qui soleret regnum dare atque eripere, et cum Cæsare vetustam conferendi imperii servare prærogativam. Quid facturum esse, cum legitime regnare cœpisset, qui ante regnum insolentissimus necasset plurimos, qui opem fessis rebus et tributorum allevamentum poposcerant : remedium postulantibus bellum irrogatum, interfecta novem millia Judæorum in ipsa venerabili apud suos Paschæ celebritate, pro pecudibus homines immolatos, sacratorum qui ad templi festa convenerant, sanguinem fusum, spectaculum miserabile : si quis cæsorum stragem recenseat, Babylonicos revertisse arbitraretur? quanto crudelius a B cive commissa, quæ in hoste barbaro plena immanis sævitiæ atque impietatis æstimarentur? Hanc sportulam civibus datam, hoc sacrificium Archelaum regni sui primordia commendavisse. Deberi misereri Cæsarem senatumque reliquiarum Judææ, quæ quondam liberis fulta populis servitutem optaret, si modo tolerabilem liceret perpeti sub rege [a] justo, longe illum abesse a jure imperitandi. Siquidem apud Judæos nulli regnum competere, nisi ei qui esset ex generatione Judæ, sicut lex diceret. At vero istum Idumæum genere, quem nulla prosapiæ regalis origo contingeret, irrepsisse in honorem indebitum. Siquidem cum Antipater sibi atque Archelao fuerit avus, præstans divitiis, cæterisque artibus potens, et maxime Romanorum C amicitia, Cæsarique seniori bello probatus, cum posset sibi regnum adsciscere, numquam tamen affectaverit; quin etiam defendere aliis maluerit quam sibi parare, meritoque illum habitum ut parentem optimum, qui Judæam in libertatem vindicaverit vulneribus suis, nec in servitutem deduxerit. Herodem Antonii testimonio qui paternus sibi hospes fuisset, in regnum aspiravisse : ex illo Judæorum res imminutas, egisse ut hostem, non ut rectorem. Cum igitur ipse etiam adulter regni fuerit, quomodo potuisse ab eo legitimum regem creari? non deprecari tamen, quominus sub regno sint, sed poscere sub Romano agere, cujus sibi gratiam jam inde a Machabæis partam [b] tantum per usurpationem regni postea degeneraverunt, ut multo inferiores D sint his, adversum quos Romanam petierunt societatem. Denique orare sese, ut eadem conditione Judæa qua Syria præsidiale judicium a vobis adipiscatur, quo devotionis nostræ detur experimentum, utrum qui seditiosi ac rebelles vocamur, possimus moderatis judicibus obtemperare. Adversus ea Nicolaus pro Archelao respondens, inquietissimam nationem insolentiæ suæ asseruit pœnas dedisse : ne hinc potissimum Archelaus invidia inexcusabilis criminis accerseretur, si per seditionem pacem turbarent, atque a Romanorum societate animis atque armis discederent : de testamenti autem prælatione quis dubitaret, cum et posterius præferri soleat superioribus, et hoc multo validius cæteris videri debeat, in quo Cæsari confirmandi regalis judicii servata sit prærogativa, quo cumulata potius quam imminuta Romani nominis reverentia sit, si et a vobis, Cæsar, non præripiatur regibus, quod privatis licet, ut eorum valeant testamenta, et quem potissimum sibi cupiant succedere, ultimo scribant stylo, atque ab illis iterum ea vobis honorificentia [c] reservetur, ut confirmatio judicii a vobis petatur, et is succedat quem pater elegerit, vos probaveritis. Quando igitur magis sapuit Herodes, cum tibi, Cæsar, servaverit prærogativam, an quando præteriit? Ubi Antipas substituitur, Cæsar præteritur. Ubi Archelaus subrogatur, Cæsar adsciscitur : sine firmamento nulla res stabilis. Divino itaque judicio ubi justitia deerat, vel simulationi, vel voluntati firmamentum defuit. Ubi autem æquitas examini suppetebat, robur quæsitum, ut judicium confirmaretur. Considera igitur, utrum fecerit injuriam qui te elegit, aut si rescindi debeat, quod te arbitro sanciendum reliquit rerum omnium domino : cui jure etiam reges cedunt potestate. Qui enim scivit, quem eligeret ad confirmandum, scivit utique quem eligeret ad imperandum, nec in successore falli potuit, qui non est falsus in confirmatore. Nam qui arbitrum constituit te, cognovit itaque talem successorem sibi constituendum, qui tibi quem constitueres non displiceret. Auditis partibus Cæsar sententiam distulit : deinde collato cum Senatu consilio Archelaum genti præposuit, ut fungeretur rectoris munere, non regni honore. Spopondit tamen et regnum daturum, si se ita gereret, ut probaretur. Jam enim tentamenta dissensionis Israelitici populi nuntiabantur. Tetrarchas duos constituit Herodis filios, Philippum et Antipam, qui cum Archelao de regno certaverat : Herodis sorori cui nomen Salome, [d] delegatum servavit, etiam alia ipse adjunxit. Duabus quoque filiabus Herodis mille talenta quæ sibi relicta erant, dispertienda arbitratus : addidit etiam alia sexcenta millia, et ea Pherora liberis sociari censuit.

## CAPUT II.

Interea quidam ex juvenibus simulans se Alexandrum, et propter misericordiam ab his quibus necandi munus ab Herode patre mandatum foret, subrogatis aliis in locum suum, cum fratre suo Aristobulo dimissum, Miletum petiit, et inde Romam, quo difficilius apud incognitos cognosceretur. Ubi facile Judæos ad rerum novitatem promptissimos excitaverat : nisi comperto eo, Cæsar ad se eum perduci ocius per Celadum quemdam, qui Alexandrum plene noverat, præcepisset. Celadus ubi juvenem vidit, similitudine deceptus hæsitavit. Sed reli-

[a] *Injusto.* Barr.
[b] Al. *tamen.* Id.

[c] *Servetur.* Et paulo post *servavit* pro *servaverit.* Id.
[d] *Legatum.* Id.

Digitized by Google

qua perspiciens indicia non convenire, quæsivit ubi esset Aristobulus: at ille in Cypro insula degere asseruit, caventem insidias, eo quod conjuncti inter se fratres facilius exstinguerentur. Deinde ad Cæsarem deductus, aperuit illico impunitate promissa, fretum se specie similitudinis, quod esset Alexander simulasse, ut innumerabilia munera ibi quasi regis filius a Judæis consequeretur. Cæsar dolum risit, sed et ipsum immunem dimitti jubet, et eos qui ultra privatum modum quasi regis filio detulerant; satis mulctatos esse pronuntiavit, quod superfluis sumptibus infinita dispendia toleravissent. Archelaus autem profectus in Judæam propter obscenitatem morum et insolentiam accusatus apud Cæsarem, cognita inter partes causa, Viennam relegatur, opesque ejus thesauris Cæsaris associatæ: hoc merito pretium luit, qui nec a fratris sui germani conjuge suas compresserat cupiditates. Nam ubi Alexander obiit, patris imperio neci traditus, Glaphyra uxor ejus Archelao rege Cappadocum genita, quemadmodum supra memoravimus, Libyes regi [a] Tibæ secundis est copulata nuptiis. Quo defuncto, revertitur ad patrem: illic eam contemplatus Archelaus, quod fratrem mariti, filiorum patruum, haud quaquam pie refugiendum arbitraretur, ita deperire cœpit, ut uxorem dejiceret Mariamnem, et Glaphyram in locum illius substitueret. Non multo post ubi mulier in Judæam rediit, vidit in somniis Alexandrum, et complecti desideravit. At ille indignanti similis, a complexu refugus, visus est dicere: Hæc est, Glaphyra, promissi fides? Ita amores erga te servasti meos, quorum memorem te esse oportuit? Sed esto, adolescentula secundas nuptias non refugeras, etiam ne tertias, etiam ne fratrem mariti appetere debueras? Ita te mea delectavit injuria ut in meam domum tertio nupta conjugi remeare non erubesceres? Sed mihi curæ, ne diutius maneat contumelia mea, contagioque tua: nec longum lætabitur fraterni incestus matrimonii. Exsurrexit mulier, et familiaribus narravit somnium, atque ipsa biduo post defuncta, fidem fecit, quod hujusmodi conjugia, nec vivorum legibus [b] punita sunt, nec mortuorum voluntatibus.

## CAPUT III.

Ipse quoque Archelaus vidit in somniis spicas novem, plenas et magnas a bobus vorari. Cui quærenti, respondit interpres: Novem spicis novem annos signari, quibus potestate usus sit maxima et amplissima. Nono itaque anno imperii sui mutationem eidem fore, eo quod boves qui arva aratro soleant intervertere, mutationem signent laboriosam, quæ devoret atque absorbeat merita superiora. His itaque cognitis, quinto die venit a Cæsare, qui eum ad judicium Romam deduceret. In quo condemnatus et actus in exsilium, etiam morte implevit somnium suum. Principatus gentis qui ad Archelaum pertinebat, conversus est in nomen provinciæ; quo nomine Romani, cum in jus suum vincendo redigerent procul positas regiones, provincias appellaverunt. Manserunt tamen tetrarchæ, ut erant Philippus et Herodes mutato vocabulo, quia Antipas prius nuncupabatur. Nam Salome moriens, loca quæ tenuerat, et potestatem suæ gentis [c] Libyæ uxori Cæsaris dereliquerat. Is status erat Judææ, quando Cæsar defunctus est: relinquens Tiberium privignum suum Libyæ uxoris filium ex superiore genitum conjuge successorem Romani imperii: cujus in honorem Tiberiadem Herodes condidit. Philippus quoque Libyam urbem matris ejus vocabulo nuncupandam putavit. Et quia propositum nobis est aperire causas, quibus populus Judæorum a Romano imperio desciverit, sibique exitium acceleraverit, Pilatum provinciæ præsidem initium ruinæ dedisse res indicat: quandoquidem Cæsaris imagines Hierosolymitanis ædibus inferri primus omnium non dubitaverit. Quo motus populus cum resisteret, atque ille recipiendas imagines censeret, plurimos in mortem coegit. Dum hæc in Judæa geruntur, Agrippa Aristobuli filius Romam advenit, cupiens adversus Herodem tetrarcham apud Tiberium judicio contendere: sed despectus a Tiberio cum Romæ degeret, plurimos sibi adscivit ad amicitiam: et maxime Germanici filium Caium, quem sive paterni nominis gratia amabilem populo, seu regii generis propinquitate proximum imperio ratus, an quodam præsagio studiosius excolebat, quam vel ætatis, vel honoris ejus ratio patiebatur; ita ut quodam die manus elevans deprecaretur, ut maturius Tiberio mortuo, Caium videret imperatorem. Quo prodito per Eutychum libertum suum, Agrippa jussu Tiberii in vincula ducitur, et gravibus modis excruciatur, non ante dimissus, quam Tiberius diem clauderet. Cujus tempora fœda ludibriis [d] caprarumque secessus, ignavia intolerabilis: nullum tamen efficacis virum operis in necem ejus excitaverunt, recentis, ut arbitror, Romani imperii reverentia, sive terrore sævissimæ crudelitatis, quia plerumque asperitas quo gravior, eo tutior est.

## CAPUT IV.

Eo imperitante, famosum ludibrium Paulinæ spectatissimi generis feminæ Romæ percelebratum est. Quæ cum egregiam castitatis famam apud omnes haberet, esset etiam præstantissimi decoris et eminentis gratiæ, tentata Mundi equestris militiæ ducis interpellationibus, nec inflexa, vitio nimiæ superstitionis patuit errori: Mundus namque subornatis Isidis sacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandato perferrent, quod eam ad templum invitaret, delectatum se ejus sedulitate et pudicitia: no-

[a] Vet. cod. *Tobæ.* Josephus lib. II *de Bell.* cap. 6, *Jubæ regi Libyæ;* et lib. XVII *Antiq.* cap. 18, *Jubæ regi Mauritaniæ.* BARR.
[b] *Impunita.* ID.
[c] Intelligit matrem Tiberii, *Liviam.* ID.
[d] Ita editi. At *Capuanoque secessu* legendum videtur. GALLAND.

Digitized by Google

ctem posceret, habere se, quod eidem secreto vellet committere. Quod illa accipiens læta ad maritum detulit, deum suis adesse votis, ab eo suam posci præsentiam, negare se non posse obedientiam. Itaque et ex sua et ex mariti sententia pergit ad templum Isidis, noctem exigit, remotisque procul arbitris, quasi sacri cognitionem mysterii perceptura, sese stratis composuit suis, æstimans, quod ad eam deus suus in somniis veniret, et per visionem sese ei demonstraret. Verum ubi aliquid noctis processit, quo facilius mulier plena [a] somnii deciperetur, Mundus assumpto vultu Anubis habituque advenit, vestimenta allevat, in oscula ruit. Expergefactæ mulieri Anubem se esse dicit, vultum Anubis prætendit : illa deum credidit, beatam se esse asserit, quod eam dignatus sit visitare deus suus. Amplexum petenti non negat : refert tamen, utrum deus possit homini misceri. Ille promit exempla, quod et Jovem summum deorum Alcmena susceperit, et Leda ejusdem concubitu potita, et plurimæ aliæ quæ ediderint deos partu, de se quoque ex illa deum esse generandum persuadet : mulieri concubitu miscetur, redit ad maritum lætior dicens, quod mixta deo sit mulier, et ejus promisso deum esset generatura. Fit ingens in stupro mulieris et mariti gaudium. Postea occurrit Mundus, et ait mulieri : Beata Paulina concubinatu dei : magnus deus Anubis, cujus tu accepisti mysteria. Sed disce te sicut diis, ita et hominibus non negare, quibus dii tribuunt, quod tu negaveras, quia nec formas suas dare nobis, nec nomina dedignantur. Ecce ad sacra sua deus Anubis vocavit et Mundum, ut tibi jungeret. Quid tibi profuit duritia tua, nisi ut te viginti millium quæ obtuleram, defraudares compendio? Imitare deos indulgentiores, qui nobis sine pretio tribuunt, quod ab te magno pretio impetrari nequitum est. Quod si te humana offendunt vocabula, Anubem me vocari placuit, et nominis hujus gratia affectum juvit. Hoc perstricta sermone mulier, illusam se intellexit, et dolens injuriam pudicitiæ confessa est fraudem marito. Ille nihil habens quod uxori indignaretur, cui ipse cubandi in templo potestatem permiserat, et conscius conjugalis castimoniæ, principi querelam detulit. Qui motus potentis viri contumelia, atque atrocis flagitii commento, sacerdotes e templo rapit, quæstioni subjicit, confessos necat, simulacrum Isidis Tiberi demergit, Mundo fugiendi potestas concessa, eo quod vi amoris et formæ superatus gratia, levioribus commissorum suorum pretiis mulctatus æstimaretur.

## CAPUT V.

Quod igitur ludibrium imperitante Tiberio acciderit, non putavi prætereundum, ut ex eo deformitas colligatur imperatoris. Sicut enim boni principis vita, probitatis quædam præscriptio, et per universos vivendi forma est : ita imperatoris colluvio, lex flagitiorum est. Ab eo missus Pilatus est in Judæam vir improbus; atque in exiguo ponens mendacium, circumvenit Samaritanos, ut montem cui nomen Gadir, peterent : erat enim illis sacratus, eo quod vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens, populum prævenit equitatu, pedestrique exercitu stravit, afflictoque crimine, quod a Romanis discedere, et conciliabulum sibi quærere præparassent. Quid enim non auderet, qui etiam Christum Dominum ad salutem humani generis advenientem, multis et divinis operibus profundentem in homines misericordiæ suæ gratiam, nihilque aliud docentem, nisi quod primum Deo, deinde imperatoribus faceret populos obedientes, cruci suffixerit? Demensque, qui minister esset sacrilegi furoris, ut interficeret auctorem salutis. Ex illo itaque Judæorum res proditæ, ex illo exitium genti, temploque maturatum excidium. Nam si Herodes qui Joannem neci tradidit, perfidiæ et crudelitatis suæ pretium luit, dejectus regno atque exsilio datus : quanto magis præcipitibus furiis actum intelligi datur eum, qui Christum occiderit? Quæ causa autem fuerit mortis Joannis, breviter expediam. Philippum et Herodem qui prius Antipas dictus est germanos fuisse supra ostendimus. Uxorem Philippi Herodiadem, quam Herodes illicito ac nefando sibi sociavit jure matrimonii. Non tulit hoc Joannes, et ait illi : *Non tibi licet uxorem habere fratris tui* (*Matth.* VI,18). Tum ille commotus, in carcerem detrusit Joannem. Nec multo post necavit virum justum, et constantem divinæ Legis executorem. Non solum enim quasi prædicator Evangelii, fraterni cubilis incestum reprehendebat, verum etiam quasi Legis executor, prævaricatorem Legis condemnavit, qui fratris uxorem viventis eripuerat, præsertim habentem semen de germano ipsius. Hinc excitata Judæorum fere omnium in Herodem odia et pœna accelerata : cujus auctor Herodias videns Agrippam plurimum prævaluisse apud Cæsarem, compulit eum Romam pergere, quo sibi imperatoris gratiam conciliaret, objectans desidiæ contumeliam, quod fugitans labores, dum moratur domi, indignos sibi pateretur anteferri. Nam cum Agrippa ex privato rex factus sit; quanto magis ipsi jamdudum tetrarchæ, quo regnum conferat, Cæsarem non dubitaturum? Itaque mulieris opprobria nequaquam sustinens, Romam profectus, dum Caii amicitiam petit, ab Agrippa accusatus, etiam tetrarchiam amisit, quam a Julio Augusto acceperat; et fugitans in Hispaniam una cum uxore Herodiade mœrore animi consumptus est. Mortuo quoque Tiberio, Caius successit, qui dominum se et deum videri atque appellari volens, causas dedit Judæis gravissimæ seditionis, ac nisi properato fine imperium clausisset, Judæorum genti finem fecerat maturiorem. Non solum enim ab illicitis non revocabat suos, verum etiam missis in Judæam, ultima supplicia minitabatur, nisi omnia

[a] *Somni.* BARR.

adversum jus et fas religionis armis patrarent. Plurimum enim potuit imperio Agrippa : sed dum vellet muro ambire maximo Hierosolymam, ut Romanis fieret inexpugnabilis (prævidebat enim imminentem ruinam), morte præventus, opus imperfectum reliquit. Nec minorem potentiam exercuit imperitante Claudio : quia ipsius quoque primitiis interfuit, cum Caio perempto, ipse a militibus assumptus, in imperium resistente sibi Senatu, regni tædio Agrippam legatum direxit : quo interprete promissa moderatoris imperii fines, diffinita gratia, pax convenit : in locum Agrippæ patris Agrippa filius ejus a Claudio Cæsare rex subrogatus est.

## CAPUT VI.

Ipse quoque Claudius exactis tribus et decem annis cum deficeret, Neronem Romano imperio principem dedit : captatus uxoris Agrippinæ persuasionibus, quæ tantum fraudibus valuit, ut filium imperatoris Britannicum designatum successorem ipso jure naturæ, principatus exsortem redderet. Cujus artis mox pœnituit eam : quia dum ex se genito consuluit principi, suum negavit, ignara, quod elatus imperio, nec matrem agnosceret, atque in exitium ejus beneficii mercedem inverteret : idem tamen Octaviam Claudii filiam conjugii loco tenebat : præpostero ordine gener filio prælatus : quia mala reipublicæ præponderabant, cui debebatur parricida, sacrilegus, incestus : ut in eo crimina, non ulla bonæ artis merita regnarent. Tali imperatore seu morum ejus intuitu atque ignaviæ contemptu, sive quia Judæis ob gravia sacrilegia, averso præsidio Dei summi ultimum excidium præparabatur, erupit in seditiones graves, latrocinia, [a] dissensiones, eorum insolentia, quos per viginti annos Eleazarus princeps latronum gravissime depopulatus : aliquando tamen captus a Felice qui Judææ præerat, et Romam directus, graves pœnas dedit. Nec sic quidem gravi cæsorum numero infractus est populus Judæam inhabitantium ; sed in ipsis Hierosolymis aliud latronum pullulavit genus, qui vocabantur sicarii, non jam secretis abditi, nec tenebris nocturnis insidiantes, sine aliquo præsidio commeantibus, sed luce diei atque in medio urbis et turbæ stipamine percutiebant quoscumque propius accesserant : breves manu gladios gerentes, conferto populo permixti, ubi adhærentem fixerant, cadebat imprudens cæco vulnere, ut querelam mors præveniret : funus in promptu, sed percussor latebat : et si quis commotus fuisset alieno vulnere, propior suo factus erat cæsorum portio. Ita vel periculi metu, vel dissimulatione facinoris, sicarius non deprehendebatur : tanta erat insidiantium velocitas, et celandi ars. Occiditur sacerdos Jonathas : addebantur multi quotidie, graviorque metus viventium, quam ærumna interfectorum. Quasi ad pugnam, sic quotidie unusquisque progrediebatur : graviore tamen conditione, quia hostis prævidetur, sicarius delitescebat, mors in oculis, in animis timor. Nemo se regressurum credebat, nec amicis fides deferebatur, dum sicarius metueretur. Quo plerique perterriti insontes quidem a flagitio latrocinandi, vel sicariorum contubernio, etsi manu innoxii, consilio tamen infirmiores desertum petiere. Sed dum sibi consulunt, terrorem fecerunt discessiones ; ex quo belli adversus Romanos suspicio primo, deinde invidia exarsit : quo metu provinciæ rector misso equitatu et pedestri agmine, maximam multitudinis stragem edidit.

## CAPUT VII.

Ægyptius quoque pseudopropheta adveniens, et magicis imbutus artibus dum jactat se prophetico spiritu cœlestia annuntiare oracula, triginta fere millia Judæorum associavit sibi, eosque ad montem Oliveti congregans, frequenti irruptione penetrabat Hierosolymam ; ita ut etiam Romanas incursaret custodias, quæ ne quid a populo moveretur, Hierosolymas prætendebant. Ubi etiam hæc compressa est insolentia, quasi in ægro corpore alia pars gravius inflammabatur. Plurimi enim palam discedendum a Romanis, libertatem servitio præferendam vociferabantur, progressisque in agros quibus alimonia deerat, vi expetebatur.

## CAPUT VIII.

Postremo in urbe Cæsarea gravis inter Judæos et gentiles seditio incessit, vindicantibus sibi Judæis urbis totius quasi ab Herode Judæo conditæ possessionem, renitentibus gentilibus, quod conditor quidem Judæus fuerit, sed Cæsaris eam nomine declaraverit. Denique et templum intra eam struxerit, et statuas apposuerit, eoque videri gentilibus usibus magis eam mancipatam. Harum contentionum seditio in manus vertitur : quia neque primi Judæorum suos seditioni deditos comprimere poterant, et gentiles opprobrio ducebant, si Judæis sibi cedendum arbitrarentur : itaque excitaverunt Felicem, ut dum utriusque partis gestit comprimere multitudinem non acquiescentem, præsertim armis, quando aliter nequibat, consuleretur. Cui successit Festus, qui latronibus plurimis comprehensis, haud exiguos ultimo exitio dedit. Albinus quoque eadem a Romanis potestate sibi credita, nullum nequitiæ genus prætermisit, rapinarum improbus prædo, ut qui non dedisset pecuniam, in vincula raperetur, quamvis innoxius : qui dedisset, etiam reus absolveretur : avaritia gignebat superbiam, ut pauperioribus se tyrannum præberet, mancipium ditioribus : [b] idem tamen etsi prætergressus nequitiam superiorum ; ita a successore Floro, quasi deses ac lentus in flagitiis, longo sed proximo intervallo præteritus ac derelictus, ut comparatione deterioris integer æstimaretur. Et qui primo questi fuerunt ut afflicti, postea Festum quasi bonum judicem desiderabant. Hic enim singulos exuerat, Florus urbes diripiebat, inquinatissimus in obscenitatibus ; in sævitia crudelissimus, armis omnia conturbans, et

[a] Vet. cod. *Discessiones*. BARR.

[b] *Ita tamen ut supergressus*. ID.

Digitized by Google

prælia de præliis serens, qui nec obsecratus ignosceret, nec exsaturatus parceret: in conspectu Berenices, quæ soror Agrippæ regis, ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum desæviebat: nec obsecranti deferendum arbitratus, cum inservientem religioni nudis pedibus adstantem cerneret, et orantem fastidio haberet: unde ad Agrippam regem et ipsa scripsit, et populus Judæorum direxit precatum auxilia libertati. Cui egredienti ex Ægypto occurrerunt plerique ultra sexaginta stadia Hierosolymitanæ urbis obviam progredientes et circumducto per urbem, cum fidem querelarum probaret, insistere cœperunt, ut legatos ad Neronem mitterent. Verum ille dolorem, ut civium, et ipse miseratus, tentamenta tamen belli adversum Romanos alta prudentia cernens moveri, ne et sibi invidia, populoque ultimum gigneretur periculum, coacto in unum populo, in loco qui templo proximus et ponte divisus, Xystus appellabatur, hujusmodi orationem habuit.

## CAPUT IX.

Etsi plerisque improvidus consulendi moderandique impatiens, dolor gravibus aliquos faciat inæstuare querimoniis: tamen ubi consilium sumitur, sequestratur affectus doloris. Nam si promptos ad ulciscendas injurias et ad inferendum Romano bellum imperio, universos ex hoc populo comperissem, ac non melioris partis et tranquillioris sententiæ, quod pacis est præoptare et quod quietis præferre, nec ad vos venire ausus forem, nec consilium dare. Superfluum est enim suadere quid fieri oporteat, cum audientium assensus in deteriora sit. Sed quia aliis inexpertus bellicorum usus malorum, aliis perfunctoria spes libertatis prædulcis ad expetendum, sed plerumque gravis ad adipiscendum: multis enim dum libertas petitur, servitus accumulatur, et frequenter totum eripitur, quibus vel nomen libertatis remanserat; alios quibus præsentia utilitate sui displicent, rerum novitas invitat, ac si turbentur negotia, lucrum putatur: ideo vobiscum consilium conferendum putavi, ne aut prudentiorum sobrietas præripiatur insolentiorum audacia: aut qui recte sapere nesciunt, nostro saltem admoniti sermone cognoscant, acquiescendum esse consultioribus. Silentium igitur deferendum censeo, ut et nos quæ conducere vobis arbitramur aperiamus, et vestrum nemo perturbetur, si aliqua præter suam voluntatem audiat. Nemo enim poterit æstimare, quale sit quod dicitur, nisi audierit prius, cujus ipse futurus arbiter sit: probet ne an respuat, frustra conturbatur, ne audiat: licet enim et post consolationem unicuique sentire, quod sentit: et si discessio placet etiam post sobrios monitus, servare inconsultæ voluntatis sententiam. Sed dicet aliquis. Cur frustra audiri velint, si non acquiescant qui audiunt? Quia si nolint acquiescere cum audierint, A portio mihi concionis, non omnis populus periclitabitur: si autem audire nolint, etiam cum pars audiri conturbat universo populo [a] eripiatur audiendi profectus. Itaque apud eos mihi orietur sermo, qui audire voluerint, si vel ex parte aliqua mihi silentium deferatur: intercipietur enim sermo omnis et quasi totus desidet, si concionalis fragoris, et inquieti strepitus examinetur impedimento. Duo sunt itaque, quibus primo respondendum arbitror: quæ in maximo sunt querelarum pondere: quod plerique vociferantur de injuriis præsidum: et quod plerique periisse sibi libertatem gemunt. Quarum propositionum separanda mihi complexio videtur. Si enim præsides improbi, quid opus est libertatem attollere? ne videamini non eorum merito, sed B servitutis fastidio accusare præsides, quasi dominationis ministros. Aut si intolerabilis servitus, superflua ergo de præsidibus querimonia. Nam etsi in illis moderatior sit, nihilominus tamen turpis servitus est. Consideremus ergo, ne in utroque eorum non perfunctoria bellorum materia sit: quid enim ineptius, quam de injuriis queri, et bellum subtexere, ac periculis mutare contumelias? Dum judicem refugias, hostem inducas: cum judex iniquus plerumque juris interpres sit, hostis autem etiam justus semper sit appetitor salutis. Temperari ergo, non exasperari judicem decet; hostem caveri, ne alterum acerbes, alterum arcessas: cum et ille delinimento mitior fiat, et iste declinari debeat, ne possit nocere. Cavendum igitur de judici- C bus, ne major querela quam injuria sit. Gravior quoque objectionum invidia, quam commissorum pretia. Sæpe etenim qui primo verecundius deliquerint, accusati insolentiores sunt, et qui occulte ante furati sunt, postea palam latrocinantur. Nihil itaque tam exasperat fervorem vulneris, quam ferendi impatientia. Denique impensius in ipsis agrestibus feris arctissima vincula, si se excitent, imprimuntur: si quiescant, relaxantur: gravis quoque febrium vis tolerando minuitur, inquietudine augetur. Quod si norint sibi consulere agrestia, ut naturæ obliviscantur, quo dolorem allevent: quanto magis in hominibus frequens id docuit usus, quod eorum qui læsi sunt [b] toleranda, lædentibus fuerit verecunda, ut sine accusatore correxerint, quod ac- D cusati non emendassent. Sed esto, fuerit intolerabilis Romanorum judicum insolentia; quid igitur tolerabilius, universos, an unum perpeti? Quæ autem justitia, cum unus læserit, bellum inferre omnibus? Numquid omnes Romani injuriæ auctores? Numquid ipse Cæsar? aut studiose electus est improbus, qui ad vos mitteretur: sed neque speculari possunt [c] transmarina, oculosque ad orientem et occidentem intendere, ut illic videant, quæ hic geruntur: neque audire facile quod etsi sollicitudo exigat, longinquitas negat probationum difficultatem.

[a] *Eripitur:* et mox *noluerint.* Barr.
[b] *Tolerantia.... verecundia.* Id.

[c] *Trans maria.* Id.

Unius igitur culpa dissidium pariet orbis Romani, cum etiam sine querelis vestris propera correctio sit, nulla accusationis invidia, itineris nullo labore. Annuis enim vicibus Romani magistratus mutantur. Quo fit, ut nec insolens diu maneat, et moderatior cito succedat. Nihil igitur oberit quievisse, cum remedium deferatur etiam quiescentibus. Causas belli autem intexere perniciosum; quia dura belli adversum omnes conditio, adversum Romanos ultima. Quos si fugere velis, cum superare nequeas, orbis terrarum tibi derelinquendus est. Sed libertatis cupiditatem prætenditis? Sera ista deliberatio; prius certandum fuit, ne amitteretis libertatem quam ut amissam reposceretis. Durus servitutis usus, et ideo a principio non fuit subeunda, aut suscepta æquanimiter ferenda. Tunc decuit restitisse, cum ad servitium vocaremini. Illa justior pugna: qui autem semel se dederit in servitutem, etsi postea subtrahere se velit, non ille tamquam amator libertatis asseritur, sed tamquam servus contumax adjudicatur. Ubi erat ista libertatis defensio, cum Pompeius vestris ingrueret regionibus: urbem dominus intraret, ubi erant arma pro libertate? Cur deposita sunt a patribus nostris? Et certe illi fortiores nobis fuere, vigebant animis, abundabant subsidiis, cupiebant repugnare: sed exiguam Romani exercitus non sustinuere portionem: victi sunt, sed reservati agnoverunt jugum servitutis, ne tolerarent pœnam captivitatis. Quid recusatis hæredes, quod debetis jure successionis? Astringunt vos negotia patrum: quomodo obedientiam refugitis, tanto inferiores obedientibus? aut quid vobis reliqui erit, qui in vos Cæsarem et omnem virtutem Romanam movetis? Quomodo potestis sustinere eos, qui de omnibus triumpharunt, atque ab omnibus sibi militantibus nunc adjuvantur? Et Athenienses quidem pro libertate totius Græciæ incendio patriam tradiderunt, exsilio mutantes domos, ne sibi Xerxes dominaretur, quem in terris navigantem, in fluctibus gradientem, cum eum nec maria caperent, nec terra sustineret, quod Europæ totius spatia transitus ejus itineris includeret, angustioribus terrarum finibus, quam exercitus commeatu: ita persecuti sunt fugientem, ut vix una nave fugitans, auxiliique indigens, se subtraheret captivitati: verum ipsi illi viri qui totam fregerunt Asiam, propter exiguam Salaminam et imperitantem fluctibus Xerxem subigentem maria, in eo ipso quod sibi subjectum putabat, elemento, gloriosissime debellatum fugarunt: nunc Romanis serviunt, et principes totius Græciæ Italorum imperiis obtemperant: atque illæ Athenæ, quæ leges aliis dabant, nunc alienis legibus famulantur. Lacedæmonii quoque post Thermopylas et

A Leonidæ defuncti triumphos, post Agesilaum servatorem Asiæ, nunc amant dominos suos. Macedonia quoque atque Africa, quæ per [a] suos validissimos duces totius orbis imperium in sua jura et possessiones transfuderant, translatam a se potentiam non indignantur, tantaque rerum mutatione contentæ, optant propitios dominos, quos ad servitutem petebant. Nec Philippi divitiis Macedones, nec Alexandri excitantur triumphis, quos duces omnium prudentissimos, non immerito invictos arbitrabantur, quia alter se [b] contra Græciam tenuit, alter fugiens arma Romana, usque ad regna Caspia et extrema subactæ Persidis atque Indorum secreta victor pervenit: magni nomen obtinuit, quia maximos omnium non lacessivit. Quem licet immatura

B mors triumpho Romanorum subtraxerit, servit tamen et ipse in posteris suis, quibus orientis spolia, non ad fulcrum dominationis quæsita, sed ad pretium servitutis, ut nobilitas famulantium ad victoris opes perveniret. Magna virtus Alexandri. Quid tamen mirum? Ille usque ad oceanum victoriam extendit, Romani ultra oceanum. Testis est [c] Britannia extra orbem posita, sed Romanorum virtute in orbem redacta. Quos ætas superior ignorat, didicit Romanorum victoria. Serviunt et ipsi, qui, quid esset servitus, ignorabant: soli sibi nati, et semper sibi liberi [d] quia a superiorum potentia, interfuso oceano secreti metuere non poterant, quos nesciebant. Plus itaque fuit transisse ad Britannos, quam triumphasse de Britannis. Quid enim facerent, clementis jam Romanorum imperio subjectis?

C Docuit illos oceanus servitutis patientiam, postquam transfretantibus et [e] ipsi Romanorum navigiis, insuetam sibi servitutem agnoverant. Nam de Annibale quid retexam, qui tot regionum victor Romanis et ipse militavit triumphis, quibus Alpes aperuit, viam stravit, urbes subegit, quæ victoribus acquirerentur? Et qui frequenter superiorem, spem tamen victoriæ victis numquam interclusit, semel victus reparare se nequivit. Cessit sponte victoribus, quos [f] victor non sustinebat; abjectisque armis victricibus, ad Prusiam sese contulit regem: ex duce mercenarius, ex triumphatore fugitivus. Veniamus ad Galliarum incolas, populos natura feroces, et naturalibus muris ferociores, quos non

D cæmenta parietum, sed juga Alpium ab ortu solis tuentur, ab occasu oceanus includit, a meridie prærupta Pyrenæi, a septentrione Rheni fluenta, immanesque Germani insuperabiles, et inaccessibiles reddidisse se claustrorum beneficiis æstimabantur: Romanis tamen supra nubes viantibus, et ultra columnas Herculis imperium propagantibus, nihil invium fuit: tanta [g] felicitate hostis, et qui latebat

[a] *Duos.* Paulo post in vet. cod. deest vox *dominos.* Barr.

[b] *Intra Græciam.* Id.

[c] Huic geminus locus exstat infra lib. v, cap. 15: *Quid adtexam Britannias interfuso mari a toto orbe divisas, et a Romanis in orbem terrarum redactas?* Nimirum Virgilium imitatur auctor, cujus illud est:

..... toto divisos orbe Britannos.

Mazoch.

[d] *Qui.* Barr.

[e] *Ipse* (oceanus) *agnoverat.* Id.

[f] *Victos.* Id.

[g] *Facilitate.* Id.

Digitized by Google

repertus, et qui resistebat, victus est: quorum improviso adventu consedisse montes Germania credidit, Rhenum exaruisse, qui magnitudine corporum et contemptu mortis cæteris validiores, qui retinaculum ante suum Rhenum putabant, nunc salutis defensionem. Itaque jam non [a] copiis Germanorum replentur, sed Romanorum liburnis, quæ pererrantes tot usque ad mare bicornis amnis fluenta (quondam liberas gentes servitio premunt, ut quæ sibi ante totius orbis imperium præsumpserant, nunc servitutis propriæ mercedem exsolvant. Quid Illyriis erutum venis terrarum suarum aurum profuit, quibus non abundavit ad liberalis præmium? Quanto pretiosius Romanorum ferrum, cui servit aurum Pannoniorum? Dat itaque Pannonias auri tributum, et opes suas ad Romanum ærarium volens transfert, ut sit B tutior in servitute. Nec incolam suum auro turbida Pactoli unda extulit in superbiam: servit libenter, quibus servire imperia videt: nec miratur Indus gemmam suam, aut Seres lanam suam. Ad usum dominorum exercentur illa, non [b] pretio mercium, sed functionum munia. Persarum superba [c] audimus imperia: sed eorum quoque obsides vidimus, et eum ipsi imperent pluribus nationibus, tamen offerunt liberos suos, et nobilitatem suam. Servire Romanis gaudent pro fide pacis, simul ut serviendo discant suis imperare: offerunt vestes, monilia, elephantos quoque Romanis, unum tributum reges imponere. Attexamus Ægyptum abundantem opibus suis, nec indigentem pluviæ cœlestis, quæ sibi ipsa imbres generat, et pluviarum ubertates creat. Denique cum sit ferventior omnibus regionibus, sola non queritur de siccitate, et quod nulli alii loco suppetit, alit irriguo suas messes. Navigatur in arenis, navigatur per sata, ubi pluvia nescitur. Cujus tamen nova gratia et naturalis fecunditas Romanis militat, ut quatuor mensibus dominos alat. Quid ipsam urbem loquar cognomine regis fortissimi, quæ septa fluminis muro, nescit obsidionem? quod universorum amnium maximus, diffuso per spatia terrarum alveo, et obsidionis submoveat impedimenta, et in vehendis quæ necessaria sunt ad usum [d] rerum ministret? Quæ magis poterat ad rebellandum quam Ægyptus excitari, quæ decies septingenta et quinquaginta millia hominum, præter Alexandriæ incolas populos Romanis fascibus numerat ascriptos? Et cum habeat tantam multitudinem, mavult tamen Romani imperii tributis se exercere, quam suis militare stipendiis. Non transiliam Cyrenenses Lacedæmoniorum genus, qui quondam cum Carthaginiensibus de finibus atque imperio certarunt, finem certaminis mortem offerentes.

A Qua oblatione victi, sed ulti tamen injuriam fratribus [e] Philineis victoriam concessere: nec Syrtes præteribo terribiles, etiam solo auditu, quod omnia ad se trahant, et appropinquantia vadoso mari hæreant, tertiam partem orbis totius ab Atlantico mari et columnis Herculis usque ad mare Rubrum, atque Æthiopas definiri rerum periti asseruere. Quis tot gentium populos numero recenseat, quibus fulta Carthago Scipionis dextram non tulit, maluitque Romam duabus anni partibus adversum se pascere, quam aliorum opibus nixa adversum Romanos rebellare? Creta quoque centum urbibus nobilis, uberrima præferens regna, circumfusa undique mari et fluctibus tamquam mœnibus solita hostem repellere, unum consularem veretur, et plurimi populi sex fascium virgulis metu inclinantur. Asia, Pontus, Eniochi, Scythæ Nomades, Taurici Scythæ, Mæotiaque regna, Bosphoranique omnes Romano imperio subjiciuntur, et illud ante innavigabile pelagus, quadraginta naves ad pacem exercent. Nam de Armenia quid dicam, quæ non solum limitis sui servat quietem, verum etiam portarum intenta custodiæ diligenter explorat, ne pacem turbaturus aliquis irrepat. Omnes ergo Romanis servire gestiunt: vos soli dedignamini bis esse subjecti, quibus subjiciuntur universi? Quibus freti armis? quo superbi milite? ubi est stolus navium vestrarum, qui obsideat freta, percurrat maria Romanorum? In ipsorum enim nomen elementa etiam transierunt, in quos etiam transivit orbis terrarum, C qui Romano imperio clauditur et definitur: denique a plerisque orbis Romanus appellatur. Nam si verum quæramus, ut supra diximus, terra ipsa infra Romanum imperium est, supra quam progressa Romana virtus ultra oceanum, alterum sibi orbem quæsivit, et in Britannia sibi remota a confinio terrarum novam invenit possessionem. Denique quibus jus non solum civitatis Romanæ, sed etiam ipsius prope humanæ conversationis negatur, illo diriguntur, ut illic habitent, quasi mundi exsules. Cessit oceanus finibus suis, novit Romanus interiora ejus petere secreta: cum ipsis vobis erit bellum, adversum quos nec natura suum jus possidet. Euphrates ille inaccessibilis ante, nisi suis incolis, ex utraque jam ripa Romanus est, et sub imperio Romano totum significat esse orientem. Ister in septentrionalibus D partibus inter sævas et innumeras profluens gentes, obsides suscipit, hostes coercet. Meridiana plaga quousque habitabilis esse potest, arat Romanis, atque ipsis messem suam colligit in occasu quodam ultima terrarum Gaditana ora, novos suscipit hospites, qui Romano imperio tributa sua deferant. Ha-

[a] Cor. Gualt. legendum putat *caupulis:* quod genus navigii excavatum fuisse Germanis in usu, scribunt Tacitus et Marcellinus. Barr.

[b] Malo utrumque auferendi casu ab auctore scriptum, *Non pretio mercium, sed functionum munio.* Vox *functionum* passim in utroque codice pensitationes tributorum notat. Porro *munio* dictum, ut *altario* et ejusmodi plura, quibus ætas sequior delectabatur. Et certe singulare *munium* ab vet. Glossis agnoscitur, tamquam *functionis* synonymum: utrumque enim redditur λειτουργία, vox ad tributorum illationes pertinens. Mazoch.

[c] *Audivimus.* Barr.

[d] *Remedia.* Id.

[e] *Pheleniis.* Id.

Digitized by Google

bet et ipsa quo dirigat merces suas: ubi ante solum naufragium putabat, ibi nunc mutuatur commercium. Cum igitur Romanorum omnia sint, unde vobis adversum Romanos præsidia quæretis? Ex qua vobis inhabitabili parte socios postulabitis? Quicumque enim in orbe terrarum sunt, Romani omnes sunt. An ultra Euphratem ad Adiabenos dirigetis legationem? sed nec ipsis vacat sua relinquere, nec Parthus sinit petitam sibi pacem interpellari, ne ipse in finitimis reus sit rebellionis. Ne [a] illud bellum simile putetis, ac si adversum Arabas et Ægyptios vobis gerenda prælia sint; alia Romana arma, aliæ opes ex toto quæsitæ orbe: nec Hierosolymitana vobis blandiantur præsidia mororum; validiorem Romani murum oceani ruperunt: sed de religionis auxilio præsumitis, cum orbem jam Romanum Jesu discipuli repleverint? Aut sine nutu Dei putamus illam crescere religionem, urbemque Romam supra omnes religiones proferre imperium suum. [b] Hæc nostra nos jam dudum religio deseruit, quia nos deseruimus fidem, et frequenter interdicta mandatis cœlestibus repetivimus. Unde in nos venit Ægyptius? quemadmodum captivi facti sumus Assyriorum? Nonne Scriptura dixit hæc eventura? Nonne scriptum est profananda omnia templi sacramenta? quæ jam sæpius profanata vim suam atque omnem divinorum mysteriorum gratiam non repræsentant: Contaminatum est templum humano sanguine, repleta sunt pulvinaria cadaveribus, perfusæ aræ Romano cruore, pugnatum est sabbato: prævaricatio facta est, dum templum non sua observatione et feriarum solemnitate, sed cruento defenditur prælio. Et hoc utique iterum fiet. Ergo quomodo possumus tamquam adversum hostes et religioni adversarios divinum auxilium mereri, cum ipsi prævaricationem inferamus nostræ religioni? Quod igitur remedium, cum et humanæ opes non suffragentur, nec divina opituletur gratia? Alterum horum aliquos invitare solet ad bellum; vobis utrumque deest. Quid ergo superest, nisi manifestum excidium? quod non declinatis dum cavere licet, nihil aliud nisi vos ipsi vestram patriam concremabitis, templumque exuretis, conjuges quoque et liberos dabitis neci, quibus auctores eritis supremæ amissionis: cum malorum omnium incrementum inconsolabile sit, nostræ culpæ ascribi quæ sustinemus. Accedit huc quod aliarum urbium bella, suorum incolarum excidiis determinantur: vestra rebellio totius erit excidium [c] religionis, quæ toto diffusa orbe, populos ubique disseminabit, et in omnibus urbibus nostri portio est. Vestro igitur prælio Judæi omnes implicabuntur, nec erit ulla regio nostri expers cruoris. Aut si tales sunt Romani, ut Judæos non persequantur, nec bello lacessiti: quam injustum est bellum his inferri, quorum humanitatem speratis. Bonum est, charissimi, bonum est, dum adhuc in portu navis est, prævidere tempestatem futuram, nec imminentibus quemquam sese objectare periculis, ne cum in altum processeris, jam naufragium non possis cavere. Et plerumque quidem repentina exsurgit procella, et bellum excipitur, etiamsi non inferatur: sed interest lacessere hostem an excipere? Magis parcit non lacessitus, et necessitas excusat insolentiam: ubi vero in præruptum quisquam sese immergit periculum, oneratur etiam opprobrio. Non is hostis est, quem fuga possitis vitare. Quocumque ibitis, sequetur periculum; immo ubique hostem reperietis. Omnes enim amici Romanorum sunt; et quicumque præter Romanorum amicitiam est, hostis universorum est. Subeat vos patriæ amor: si non pignorum vestrorum, non conjugum vos contemplatio revocat, revocet templi contuitus sacratissimi: parcite saltem religioni: parcite sacratissimis sacerdotibus, quibus jam non parcunt Romani, neque ipsi templo, quos pepercisse pœnitet: quoniam jam dudum volunt omnes gentes nostram exstinguere religionem, cui Pompeius tamen cum exstinguere posset, pepercit. Ego nihil prætermisi, omnia monui, quæ ad vestram spectant salutem: hoc vobis suadeo, quod mihi eligo: vos considerate, quid vobis et mihi utile sit: opto vobis et mihi pacem esse cum populo Romano: si recusatis, ipsi meam vobis eripitis societatem: aut communis erit gratia, aut sine me periculum. Hæc dicens, illacrymavit, Berenice quoque soror ejus: nam et ipsa erat in Xysti superioribus, et multum eos Agrippa suis lacrymis inflexerat, ita ut dicerent Judæi: Non Romanis [d] bellamus; sed Floro qui bello digna commisit, bellum inferendum arbitramur. Respondit Agrippa: sed hoc est Romanum bellum inferre: facta vestra Romanorum injuriam petunt. Non Floro, sed Romanis: non Floro, sed Cæsari tributum negatur: non Flori, sed Romanorum miles in castro est, quod appellatur Antonia, a quo dirutis divisisque porticibus templum separastis, ut custodia sequestraretur. Restituite statutum [e] superiorum: tributum quod Cæsari debetur, Cæsari solvatur; ne Florus hoc referat, non se a vobis, sed Cæsaris imperium repudiatum. Acquieverat populus his dictis, ita ut cum Agrippa in templum ascenderent, porticus ut fuerant inciperent ædificare, tributum cogerent. Denique brevi missis in hujusmodi [f] muniis industriis exsecutoribus, congregata sunt talenta quadraginta, quæ deerant tributariæ solutioni. Compressus fuerat omnis belli tumultus: sed adjungere his Agrippa volens, ut Floro obtemperarent, donec ei a Cæsare successor veniret, ita plebem exasperavit, ut ne ab ejus quidem contumelia temperaretur, sed extrusum

[a] *Istud.* BARB.
[b] *Næ.* ID.
[c] Al. *regionis.* ID.
[d] *Rebellamus.* ID.
[e] *Superiorem.* ID.
[f] *Munus.* ID. — Recole sis quæ superius, col. 2049, ad *functionum munia* ex Mazochio annotavimus. GALLAND.

Digitized by Google

urbe nonnullis jactis lapidibus, incertum an percusserint. Qua motus injuria rex, auctores eorum comprehensos ad Florum direxit. Ipse autem in regnum suum concessit.

## CAPUT X.

Eo discedente concitatores belli compositis insidiis, Massada castellum occupaverunt, necatisque Romanorum custodibus suos constituere. Eleazarus quoque principis sacerdotum filius prætuptæ vir audaciæ suasit, ne cujus alienigenæ donum vel sacrificium reciperetur : quæ turba belli adversum Romanos fuit, universosque in tumultum excitavit. Videntes itaque potissimi quique, quod ea res [a] præsumptæ causa foret dissensionis, agebant cum populo, non solum Cæsari bellum irrogari, sed violari etiam instituta religionis, templique imminui reverentiam: argui et condemnari patrum traditiones, qui ex muneribus alienigenarum templum ornaverint, cui multo amplius accesserit divitiarum ex collatione gentium, donisque diversarum et innumerabilium nationum : oblitterari sancta majorum, sacros ritus [b] novari. Quid futurum de his quæ ante collata sunt, si simili modo conferri in posterum dona gentium prohibeantur ? Aut si solis Romanis sit interdictum quod omnibus liceat, quod incentivum belli futurum? Postremum, impium, si apud Judæos tantum nec sacrificare, nec inferre munera alienis permitteretur. Considerare eos oportere, quia Cæsaris pax solveretur; quem hujusmodi motum offensione, haud dubie facturum, ut eriperet Judæis omnem usum sacrificiorum ; [c] ut nec pro se sacrificarent, qui sacrificium Cæsaris refutavissent, præveniendum mature. Nam talia consulta si ad Florum, atque inde haud dubie ad Cæsarem pervenirent, Judæorum genti pestem [d] factura : simul hæc astruere sacerdotum testimoniis desiderantes, interrogabant, si umquam a majoribus esset sacrificiis gentilium renuntiatum : id quominus liqueret, obstrepebant ad seditionem parati : nec ministri quidem altaris audebant sese tantæ discordantium inserere contentioni : unum remedium superesse visum est, ut Florus atque Agrippa rex cum militari manu adessent, ut saltem metu desisterent, qui consilio nequaquam revocarentur. Sed Florus, qui augeri vellet seditionem, ne ullus Judæis esset veniæ locus ([e] qui nisi involuti bello forent, urgendi rapinas ejus, et graviora commissa facultas omnis exstingueretur), passus est crescere belli furorem, nihilque legatis responsi reddidit. Agrippa vero [f] quam maxime ambiebat Sceli et Antipæ Custobarique propinquorum suorum legationem, in commune bonum, ut et Judæos Romanis servaret, et Judæis religionem, patriæ templum, urbem civibus, sibique imperii decus, regni tranquillitatem, misit tria millia equitum Da-

A rio et Philippo turmarum ducibus, ut auxilio freti, bonorum consultores partium promptius aniterentur. Hinc fiducia bonis orta, improbis indignatio, bellum adolevit. Cum hos causa justior, quæ nihil tamen armorum conflictus juvaret; illos furor et multitudinis numerus accenderet, divisæ acies præliatorum. Principes sacerdotum et vulgi portio quæ pacem optabant, cum regiis equitibus partem civitatis superiorem occupavere : illi alii in inferioribus siti, templum et propinqua loca sacris sibi vindicabant. Primo lapidibus et saxis et jactu telorum utrimque bellum lacessunt, decernunt sagittis. Postea ut sese forte obtulit præliandi necessitas, consertæ manus : peritia usuque regii præstabant, volentes arcere accessu belli excitatores, ne templum inta-
B minarent : contra Eleazaro cum suis, etiam superiorem urbem quæ vocabatur Sion, invadere studium erat : septem diebus sine intermissione aliqua bellatum est. Octavus solemnitatis dies, quo ligna omnes altaribus solebant imponere, ne quando ignis deficeret, quem oportebat inexstinguibilem perseverare, furorem addidit, ut omnes a templo ministri excluderentur. Audacius solito sicariis sese proripientibus cessere regii, nec in superioribus partibus consistere ausi : incensæ ædes Agrippe et Berenices, direptum omne instrumentum regium : ignis circumferebatur, ut chirographa debitorum, quæ recondita in tabulariis erant [g] publicis exurerentur. Quo feneratoribus suis inopes insolentius insurgerent, omni nexu sese absolutos arbitrati, incende-
C bant urbem manibus suis, exurebantur nervi civitatis, expugnatum est castrum cui nomen Antonia, cæsi omnes custodes reperti, incensum postea. Massadam quoque proripiens sese Manaimus, Judæ Galilæi filius, acer et peritus sophista, et turbandis rebus exercitatus, armorum invasit officinas, et induit armis inermes. Regressusque in Hierosolymam, stipatoribus tamquam regio more comitantibus, immane quantum insoleverat, ut supergrediens usum privatum, nec ab illicitis quidem quæ liberi populi ferre non possent, temperandum arbitraretur : insurgentibus in eum pluribus, qui fultum regali indumento, tyrannum et dominum incubuisse libertati civium increpitarent, graves pœnas dedit, ut afflictus prius cruciatibus immoreretur, nec tamen dissi-
D dium remotum. Nam multo gravior motus insurrexit. Denique Metilius cum Romanis militibus oravit, ut discedere liceret : dataque fide et interpositis sacramentis, ubi juxta pactum arma deposuere, cum sine metu abirent, ab Eleazaro et sociis factionis multi obtruncantur : non resistendum adversus vim, nec precandum rati, sed tantummodo violatam fidem et perjurium perfidorum vociferantes. Omnes itaque interfecti : Metilius ipse præfectus militum rogando

[a] *Prætuptæ*. Barr.

[b] Cod. vet. *negari*. Id.

[c] Ita ex editione Ascensiana supplevit hunc locum Mazochius. Al. edit., *ut nec pro se sacrificium Cæsaris refutavissent*. Galland.

[d] *Futuram*. Barr.

[e] Vet. cod., *quibus si involuti bello forent, arguendi rapinas*, etc. Id.

[f] Aliquid deesse videtur, legendum fortasse : *Agrippa vero* QUI *quam maxime amb*. . . . *misit*, etc. Galland.

[g] *Publice*. Barr.

A et obsecrando, simul pollicens usque ad circumcisionem quoque se Judæum futurum, solus reservatur.

## CAPUT XI.

Ardebat omnis Judæa : Syria quoque provincia omnis in bellum [a] excitata. Denique Cæsarienses quoscumque habebant Judæos interfecerunt : quo dolore excitati, plurimas Syriæ urbes Judæi adorsi debellaverunt : nusquam jus, nusquam religio : nobilior erat, qui plura diripuerat, quasi præmia congerens fortitudinis. Erat spectaculum miserabile, cum inhumata corpora passim jacerent in urbibus; pueris commixti senes, mulieres quoque nec propter verecundiam spectantium munimentis quibus pudenda tegerentur, relictis : omnia fœda et plena specie miserabili, quæ cum tetrum horrorem excederent gravis ac nefariæ crudelitatis, graviora tamen B adhuc sibi invicem minitabantur. Erat immane latrocinium inter Judæos ac Syros, cum spes nulla salutis esset, nisi ut invicem se prævenirent. Quæ enim civitas, quæ non Judæos simul et Syros permixtos haberet? Dies in sanguine, noctes in formidine transigebantur : nec odiis, nec avaritiæ modus ullus. Nam præter sectarum et cultus diversitatem, quæ in malum publicum eruperat, ut e diverso se perditos vellent; avaritia habendi et rapiendi cupido ita animum invaserat, ut nulli, quem prædæ studio deputassent neci, parcendum æstimarent. Quid de minore numero cæsorum loquar? Nam præter Antiochenos, et Sidonios et Apamenos, difficile quisquam populus, inhabitantes secum Judæos non persecutus est. [b] Cerassem autem et volentes egredi, C usque ad fines proprios prosecuti sunt, ut sine ulla fraude abirent. Alexandriæ vero orta inter gentiles et Judæos contentione, dum Hebræi vindictam reposcerent, ac raptis fascibus congregatum in amphitheatro populum gentilium minitarentur exurere, alia curantem Alexandrum Tiberium præfectum loci in se convertere, ac primo quidem concordiam publicam reformare pacificis tentabat sermonibus. Ubi vero irrideri ab his quæ sedulo moneret, advertit, nec ullo alio modo tolli posse tantam seditionem, invadendi eos militibus potestatem dedit; qui circumfusos adorsi, maximam per totam urbem stragem fecere : cum alios resistentes, fugientes alios, alios in domibus suis latitantes necarent, neque ulla D subjaceret, vel parvulorum misericordia, vel reverentia senum, vel mulierum verecundia. Cæsa itaque Judæorum quinquaginta fere millia : natabant plateæ sanguine, repleta erant omnia cadaveribus, crepitabant flammæ sævo per urbem incendio, quæ Judæorum domibus [c] invectæ (*Matth.* XIV, 4), vicina simul depascebant. Inflexus tamen Alexander, tandem milites abstinere, et receptui canere jubet : vulgi tamen ira semel progressa in potestatem necandi, nequaquam mitigabatur.

## CAPUT XII.

Luebant enim scelerum suorum supplicia, qui postquam Dominum Jesum crucifixerunt divinorum arbitrum, postea etiam discipulos ejus persequebantur. Plerique tamen Judæorum, et Gentilium plurimi crediderunt in eum, cum præceptis moralibus operibusque ultra humanam potestatem profluentibus invitarentur : quibus ne mors quidem ejus vel fidei, vel gratiæ finem imposuit, immo etiam cumulavit devotionem. Intulerunt itaque parricidales manus, atque auctorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxere : reluctantem cœperunt perurgere judicem : in quo tamen non excusabatur Pilatus, sed Judæorum amentia coacervabatur; quia nec ille adjudicare debuit, quem reum minime deprehenderat; B nec isti sacrilegium parricidio geminare, ut ab his, qui ad redimendos et sanandos eos sese obtulerat, obtruncaretur : de quo ipsi Judæi quoque testantur, dicente [d] Josepho historiarum scriptore, quod *fuerit illo in tempore vir sapiens*, si *tamen oportet*, inquit, *virum dici*, *mirabilium patratorem operum*: *qui apparuerit discipulis suis post triduum mortis suæ vivens iterum, secundum prophetarum scripta : qui et hæc et alia innumerabilia* [e] *de eo plena miraculis prophetaverunt : ex quo cœpit congregatio Christianorum* : et in omne hominum penetravit genus; nec ulla natio Romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur. Si nobis non credunt Judæi, vel suis credant : hoc dixit Josephus, quem ipsi maximum putant : et tamen ita in eo ipso C quod verum locutus est, ita mente devius fuit, ut nec sermonibus suis crederet, sed locutus est propter historiæ suæ fidem, quia fallere nefas putabat : non credidit propter duritiam cordis et perfidiæ intentionem : non tamen veritati [f] præjudicabat, quod non credidit, sed plus addidit testimonio, quod nec incredulus et invitus negavit. In quo Christi Jesu claruit potentia æterna, quod eum etiam principes synagogæ quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et vere quasi Deus sine exceptione personarum, aut ulla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiavit : sed non eos templi injuria commovit, sed quia in flagitiis ab eo et sacrilegiis corripiebantur, hinc ira exarsit, ut interficerent eum quem nulla habuissent tempora. D Nam cum alii precando meruerint facere, quæ fecerunt; hic in potestate habebat, ut omnia quæ fieri vellet, imperaret. Occisus erat ante mortem Jesu, Baptista Joannes vir sanctus, qui nunquam in [g] sæculis salutis veritatem posuerat. Denique ad omnia quæ plena justitiæ docebat, quibus ad cultum Dei invitabat Judæos, etiam baptismum propter purificationem animæ et corporis instituerat. Cujus causa necis, libertas, quod perpeti nequivit ab Herode fraterni violata connubii jura , [h] germanoque ab-

[a] *Excita.* Barr.
[b] *Gerasseni.* Id.
[c] *Injectæ.* Id.
[d] *Antiquit.*, lib. XVIII, cap. 3, num. 3. Id.

[e] Cod. vet., *Deo pleni miracula prophet.* Id.
[f] *Præjudicat.* Id.
[g] *Secundis.* Id.
[h] *Germani.* Id.

Digitized by Google

ductam conjugem. Nam cum idem Herodes Romam A pergeret, hospitii causa fratris ingressus domum cui erat uxor Herodias, Aristobuli filia, regis Agrippæ soror, ausus est eam naturæ immemor sollicitare, ut relicto fratre, sibi nuberet : cum de urbe Roma revertisset ex consensu mulieris inita incesti pactio est. Cujus indicium rei, pervenit ad Aretæ regis filiam, in conjugio adhuc Herodis manentem. Ea rivalem indignata redeunti marito insinuavit, ut ad Macherunta oppidum dirigeretur : quod erat in confinio Petræi regis et Herodis : ille qui nihil suspicaretur, simul quia omnem jam circa eamdem imminuerat affectum, quo facilius Herodiadi pactionis fidem præstaret, si ablegaret conjugem, acquievit ejus suggestioni. At illa, ubi patrio regno appropinquavit, cognita patri Aretæ prodidit, qui per insidias omnem B exercitum Herodis bello lacessitum delevit, proditione facta per eos qui ex Philippi tetrarchæ populo, Herodi sese associaverant. Unde Herodes Cæsari querelam detulit : sed vindictam imperatam a Cæsare indignatio Dei sustulit. Nam in ipso apparatu belli, Cæsaris mors nuntiata, idque a Judæis æstimatum comperimus et creditum (auctore Josepho adversum se idoneo) quod non fraude hominum, sed Dei commotione Herodes exercitum amiserit et juste quidem propter vindictam Joannis Baptistæ viri justi qui dixerat ei : *Non licet tibi fratris uxorem habere* (*Marc.* VI, 18). Sed ita hæc contexinius, quasi vel in suis Judæi legitima custodierint, apud quos interierat summi jus sacerdotii, aut avaritia interceptum, aut potiorum insolentia, qui licere quod vellent, jus pu- C tabant. Namque a principio Aaron summus sacerdos fuit, qui ad filios suos ex voluntate Dei unctione legitima transmisit sacerdotii prærogativam, a quibus per ordinem successionis constituti sunt, principatum sacerdotii gerentes. Unde patrio more convaluit neminem fieri principem sacerdotum, nisi qui esset ex sanguine Aaron : cui primo jus istiusmodi delatum est sacerdotii. Alterius autem generis viro, nec regi quidem, liceret succedere. Denique Ozias, quia usurpavit sacerdotii munus, perfusus lepra, a temploque ejectus, reliquam ætatem sine imperio exegit : et certe rex optimus fuit, sed usurpare ei non licuit officium religionis.

## CAPUT XIII.

Fuerunt itaque ex quo egressi sunt ex Ægypto patres, usque ad ædificationem templi quod Salomon condidit, principes sacerdotum XIII qui fiunt anni [a] ducenti et duodecim, quoniam primo qui erat princeps sacerdotum usque ad mortem perseverabat, nec quisquam in locum viventium substituebatur. Postea etiam a viventibus subrogabantur. Ergo isti tredecim per successionem adepti sunt sacerdotium; quibus temporibus et aristocratia fuit et monarchia, Judicum et Regum potestas. Rursus a Salomone usque ad tempora captivitatis, quando in Syriam populus demigravit, urbe capta temploque exusto, fuerunt sacerdotum principes XVIII per annos quadringentos et sexaginta et menses sex, et dies decem; LXX autem annis [b] post in captivitate fuit populus. Postea Cyrus cum dimitteret populum patrum de regione Assyriorum, et templi ædificandi potestatem daret, etiam sacerdotum principem Josedech qui simul abductus erat, redire permisit, ut ritus veteris solemnitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur. Ipse igitur et posteri ejus quindecim numero viri, a reditu populi usque ad Antiochum Eupatorem officio functi sunt per ordinem successionis, et principatum sacerdotii repræsentarunt annis CCCCXIV. Primus Antiochus quem supra memoravimus, et dux ejus Lysias, occiso Onia sacerdotum principe, in locum ejus substituerunt Alchimum in sacerdotium. Qui licet fuerit de Aaron genere, non tamen fuit de ipsa domo. Unde Ananias frater Oniæ pergens in Ægyptum, petiit a Ptolemæo Philometore, et Cleopatra conjuge Philometoris, qui ritus observationis ad Hierosolymitanæ solemnitatis similitudinem, in Alexandrinæ urbis cultibus inseruerat, ut illic princeps sacerdotum subrogaretur, eo quod Alchimus legitimam non haberet sacerdotii successionem; atque idem tamen exacto triennio defunctus, nec successorem habere meruit, qui abrogaverat legitimæ successionis solemnitatem. Fuit itaque septem annis civitas sine principe sacerdotii. Usque ad hoc tempus [c] regressio patrum de terris Assyriorum democratiam tenuit, eo quod per regum iniquitates in captivitatem sese esse deductum Judæorum populus recognosceret. Asamonæi postea nacti potestatem populo præsidendi, Jonatham sacerdotum principem constituere, qui per septem annos functus suscepto munere, per insidias Triphonis finem vitæ invenit, in cujus locum Simon frater germanus tamquam jure hæreditario, per electionem tamen successit, quem generi insidiis inter epulas exstinctum accepimus; a quo ad filium ejus Hyrcanum, quem fuga periculo exemerat, prærogativa sacerdotii demigravit. Hyrcano autem Aristobulus, qui etiam regnum memorato adjunxit muneri, ut utriusque esset particeps, et Aristobulo Alexander substitutus est : Penes Alexandrum et regnum et sacerdotium, usque ad diem vitæ ejus mansit supremum, per septem scilicet D et viginti annos, sed plerumque dubio statu : nam et anceps inter ipsum et Demetrium victoria fuit, et odium immane a civibus. Idem moriens Alexander, qui periculosam filiis suis cerneret odiorum suorum hæreditatem, Alexandram conjugem suam exercitam usu imperii, et communium assuetudine consiliorum, gratiorem tamen populo quod et adversum viri sævitiam periclitantibus frequenter præsidio fuerit, et conjugi temperamento, regali præesse voluit gubernaculo : arbitram simul statuens, cuinam potissimum filiorum summum sacerdotium committeretur. Illa Hyrcanum patri substituit in sacerdotium,

[a] Ms. *sexcenti* XII, ut et Eusebius in Chron. BARB.

[b] Deest hæc particula in ms. ID.

[c] *Regressionis*. ID.

vel propter majoris ætatis prærogativam, vel quod lenlore quam frater ingenio, nullas super regni negotiis matri videretur molestias excitaturus. Aristobulo nihil publicorum commisit officiorum. Sed ille etiam vivente matre, ægritudinis tamen ejus occasione in remotis et munitioribus locis regem agebat: quo offensa mater, et Hyrcani querelis anxia, vim morbi aluit, nec ultra [a] novem annos imperii progressa, omnium hæredem Hyrcanum reliquit : non quod servaturum præsumeret, sed ne indignum juvaret, aut usurpatoris insolentiam judicio prosperiore accenderet : verum Alexandræ mors etiam Hyrcano sacerdotium regnumque ademit. Nam bello victus, ad munitiora sese contulit, retentisque conjuge et filiis Aristobuli quos in castro invenerat, amplexatus est mutare conditionem, ut ad Aristobulum potestas omnis transiret, et sacerdotium : ipse privatus in domum Aristobuli concederet. Nec tamen diu contentus fuit aulam regiam privatis mutasse ædibus. Nam excitatus ab Antipatro, primo in Arabiam contendit, velut [b] contestatus pacti iniquitatem. Deinde ubi infirmum sibi adversum Romanos quos in sui societatem per Scaurum Aristobulus illexerat, Arabi Regis auxilium advertit, Pompeio venienti querimoniam detulit, qui eludentem Aristobulum, anno jam tertio imperitantem bello perculit, auctoritate cepit, atque ante victoriam custodiæ dedit; superatoque ejus populo et capta urbe, captivum ipsum cum filiis Romam dirigi præcipiens, Hyrcano sacerdotii dignitatem refudit, atque eum [c] præsidem civibus, absque diademate tamen regnique infulis, statuit. Largus quidem honoris, sed consultor quietis, ne fraternæ insolentiæ spiritu pax turbaretur. Ita Aristobulus captus licet, Hyrcanum tamen regno exuit; qui quatuor et viginti annos postea majore usu quam nomine in potestate exegit : nec tamen is finis vitæ Hyrcano, qui potestatis fuit. Nam reliquum tempus dedecori cessit, ut supra memoravimus : si quidem superatus prælio, Parthis Euphratem transgredientibus, captus, et Antigono et Aristobuli filio in potestatem datus, truncatisque auribus, nec sic quidem ærumnæ miserabilis implevit acerbitatem. Nam post illam in Parthiam quoque abductus exsul, debilis, senex, ludibrium de se barbaris præbuit ; et cognito postea, quod Herodes imperitaret, cujus conjugio Mariamne neptis sua potiebatur, in Judæam revertitur. Ubi primo summa honoris specie susceptus, quod insidiarum velamen obtenderetur, haud multo post afflicto crimine quod potestatem vellet repetere, interemptus est. Nactus igitur Herodes regnum, quod a Romanis pro oppugnatæ vel proditæ patriæ mercede acceperat, in locum Antigoni qui triennio et tribus mensibus tenuerat imperium, substituit successores in sacerdotium, non Asamonæi generis quos clarioris fuisse prosapiæ accepimus, sed ignobiles quosque, quos aut libido aut casus dedisset : tamen

A fatigatis Alexandræ precibus socrus, vel insimulationibus territus, Jonathan conjugis suæ fratrem septem decemque annos agentem sacerdotem creavit, quem mox ipse exitio dedit, suspectum imperii, quod circa eum ingentem populi totius gratiam in dies videret adolescere. Posthabito itaque Ananelo, quem jam ex ignobilibus ante Jonatham in sacerdotium subrogaverat, reliquos per ordinem hujusmodi elegit, de quibus nihil suspectum haberet. Nam quod in affine perpeti non potuerat, quemadmodum non caveret in alienis similia ? In hujusmodi ordinationibus Archelaus secutus paternæ speciem consuetudinis, angustioris animi tenuit sententiam : more quodam insito mortalibus, ut apud eos minus suspecta sit ignavia hebetiorum, quam gratia bonorum; cum B infirmus animus insolentior sit in rebus secundis, prudentior autem noverit vicem referre beneficiis. Igitur a regno Herodis, usque ad [d] Romanum imperium, quod Archelao dejecto, Judæam reliquis provinciis associaverat, atque inde usque ad templi excidium et triumphum Titi fuerunt sacerdotum principes viginti et octo, per annos centum et septuaginta. Sane apud plerosque eorum dignitatis sola functio, penes paucos etiam jus potestatis fuit. Liquet igitur in sacerdotium principibus non perseverasse legitimi generis successionem : quia non omnes ex Aaron neque filiis ejus, qui in ejus subrogati locum, formam præscriptæ successionis cæteris dereliquere. Itaque cum avaritia aut perfidia suorum corrupta essent majorum instituta, violata jura religionis, convulsa C æquitatis præsidia; non immerito eos divina deseruit opitulatio, eoque tamquam in vacuum populum omni injuriarum genere processum, ut seditionibus domesticis in seipsos manus verterent : latrociniis gravibus afflictarentur, et teterrimos sortirentur judices, ut improbis nequiores succederent : denique Albinus deterrimus habebatur superiorum ; sed Floro successore, is inter bonos relatus, qui facem belli extulit, præliumque inter Judæos et Romanos accendit; quæ causa supremo templi et urbis excidio fuit.

## CAPUT XIV.

Namque Cestius, ubi ardere Judæos comperit belli furore, qui summam militiæ regendam in partibus Syriæ a Romanis susceperat, duodecimo anno imperii Neronis movit arma, ut militum Romanorum qui- D bus erat custodia commissa coercendæ insolentiæ et pacis tuendæ, necem ulcisceretur. Congregatisque etiam sociorum auxiliis, Judæam ingressus, urbem cui nomen Zabulon, dilapsis metu incolis, plenam divitiarum quas ad superiora montium confugientes domini secum auferre nequiverant, diripi ab exercitu passus. Admiratus quoque publicorum operum pulchritudinem, incendi jussit : et quasi hoc parum ad vindictam foret, Joppen præmisso exercitu, ne quis fuga sese exitio subduceret, terra marique irrumpentibus qui destinati fuerant, occupavit, necatis-

[a] *Quatuordecim*. Id.
[b] *Contestaturus*. Id.
[c] *Præsidere*. Id.
[d] *Romanorum*. Barr.

Digitized by Google

que octo millibus virorum, et quadringentis ferme amplius, ubi præda rapinæ cessit, exusta civitas est. Vicina quoque Cæsareæ depopulatus, diripuit inventa, vicos incendit. Cujus fregit impetum Sephoris, egredientibus cunctis obviam Cestio, civium favore et gratia delinitus, immunem cladis urbem reliquit. Fervebat in his locis congregatio latronum, sed adveniente exercitu, in montes concesserant. Qui conferentem signa Gallum præpositum duodecimi ordinis adorsi fortiter exagitaverunt, ut ducentos ferme Romanorum occiderent. Verum ubi superiora locorum occupavere, neque peditem cominus potuerunt latrones pati, et fugientes ab equitibus facile circumventi necantur. Cæsi itaque supra duo millia, pauci fugati, qui in arduis montium potuerunt latere. Et omni a latrocinio regione purgata, Gallus in Cæsaream revertitur. Cestius cum omni manu Antipatridem perrexit, quibus non mediocrem Judæi coacervarunt multitudinem. Sed prius quam consererent manum, per diversa dilapsi, regionem et vicos direptioni et igni dereliquerunt. Lidda quoque vacua incolarum reperta, et incensa Gabaon quæ ab Hierosolymis quinquaginta stadiis aberat, ubi Romanum exercitum accepit in conspectu posita, armavit Judæos. Qui posthabita sabbati celebritate (quod veteri cultu et solemni observatione initiabant) tanto impetu in Romanos prosiluere, ut omnem exercitum averterent, nisi equites subvenissent peditibus laborantibus. Cæsi Romanorum quingenti et quindecim viri, sed omnes graviter periclitati : de Judæis autem duo et viginti bello amissi. Quo loco emicuit virtus Monobazi et Cedei; qui cognito, quod a Judæis in Romanas acies insurgeretur, a fronte aggressi, repulere plerosque, et coegerunt in urbem redire.

## CAPUT XV.

Simon quoque ascendentes Romanos propinquæ urbis impedimentis exuit. Unde et Cestius in regione sese triduo tenuit. Qua mora circumfusi hostes, et in superioribus siti, ingressus speculabatur universos, ne quis impune irrumperet. Quod considerans, [a] non sine multa clade utriusque partis tentari nequire, misit suos rex Agrippa Lorcyum et Phœbam, qui dicerent populo, veniabile, quidquid ab eis esset adversum Romanos flagitii commissum, si modo in reliquum positis armis, sibi consulerent : æstimans, quod vel universis suadendum crederet ut prælio renuntiarent, vel partem cæteris avellendam. At contra seditiosi, metu ne eorum alterum procederet, legatos adorsi Phœbam interfecere : Lorcyus autem excepto vulnere, vix evadere potuit. Videns Cestius hujusmodi in urbe contentiones, quibus alii in legatos insurgerent, alii Romanos urbe suscipiendos suaderent, irrumpere conatus, usque Hierosolymam resistentes repulit : et ipse ad tertium stadium memoratæ urbis cum exercitu appropinquavit, atque illic exegit triduum. Quarto die impetu facto, ingressus Bethesdam illico incendit, et Cenopolim. Qui [b] conscendens ad superiora urbis, refugientibus in interiora seditiosis, si irrumpendum in urbem putasset, haud dubie omne bellum esset solutum. Denique plerosque Ananus Jonathæ filius collocaverat, ut invitarent Romanos vocibus suis, quasi portas reseraturi. Sed dum Cestius vel revocatur a Prisco, vel plerisque centurionibus qui corrupti a Floro, bellum adolescere cupiebant, vel parum credit, Ananus cum suis muro dejicitur. Quibus ad sua refugientibus, locum eorum seditiosi occupavere : Romanique quinque diebus tentantes diversos aditus, cum impossibilem sibi cernerent irruptionem, electis validioribus quibusque et sagittariis, a septemtrionali latere templum petebant : Judæi quoque non feriabantur præliantes fortiter, et repulsis crebro hostibus elatiores. Ad postremum [c] tamen multitudine sagittarum vulnerati alii, alii percussi et territi, cessere : Romanis murum suffodere, et portam incendere templi adorsis. Magna seditiosos formido incesserat, et quædam mentium consternatio : denique plurimi quasi continuo perituræ urbis excidio se subtrahebant fuga; nec consistere ausi, dederant populo confidentiam, ut discedentibus eis quorum circumvallatus fuerat multitudine, tamquam jam liber, et quadam exutus improborum obsidione circa portas sese infunderet; quibus apertis Cestium reciperet, quasi non oppugnatum urbem, sed defensum venisset : sed ipsum quoque Cestium subito quidem invasit stupor, ut nec desperationem improborum, nec studium plebis intueretur. Qui si paulisper cœptis incubuisset, bellum depulerat, urbem ceperat. Sed adversa (quantum intelligi datur) Judæis voluntas Dei, imminentem belli exitum comperendinavit, donec complures ac pene universos Judaicæ gentis ruina involveret. Exspectabatur (ut reor) ut omne nefas scelerum enormitasque cresceret, et impietatis incremento supremorum adæquaret mensuram flagitiorum. Quid fuit illud, quod cum perurgere debuerat Cestius, subito exercitum revocavit, solvitque obsidionem? Quia repentina contra exspectatum commutatione rerum, fracti animi bonorum, et erecti latronum sumpsere fiduciam; atque a fuga ad insequendum regressi, invadunt posteriora agminis, multosque illic confuse ruentes equitum et peditum obtruncavere. Et jam inclinaverat dies : unde metuens Cestius noctis propinquitatem et tenebrarum caliginem, quibus amplius fiderent gnari locorum, quo incertos regionis undique urgerent, vallum ante urbem constituit, sequentique die cum hostem relinqueret, in sese armavit, ut discessionis ejus causam metum arbitrarentur. Circumfusi itaque [d] latrones a lateribus, a tergo, postremos cædere; incedentem jaculis exercitum infestare, in confertos missa telorum vis haud facile

[a] Hæc vox non habetur in ms. Id.
[b] *Contendens*. Id.
[c] Hanc vocem non agnoscit ms. Bam.
[d] Hæc item vox desideratur in ms. Id.

frustrari. Si quis referire audebat, patere vulneri; si quis convertere sese ad infestantem, a suis relinqui, ab hoste claudi. Munitior enim semper est, qui sequitur, quam qui præcedit : quia hic pectus tegit, ille hosti terga sua detegit. Vehementer igitur Romani urgebantur, tamquam obsessi qui obsessum venerant : nec jam sustinere, aut perpeti poterant, armorum pondere ipsi graves, hostibus velocioribus, quos neque consequi facile erat, et metus summus, ne acies interrumperetur : iniqua ergo certaminis conditione nocere hosti nequibant, cum ipsi graviter afficerentur. Hærebat Cestius consilii incertus, cum per totum iter suos conteri videret : etiam plerisque afflictis militiæ primoribus, substitit biduo, quasi fessos reparaturus. Sed cum magis, ac magis augeri numerum hostium cerneret, et omnia in circuitu referta adversariis, sibique officere quod moraretur, eo quod plures congregarentur; tertio die compendium quærens transitus facilioris, impedimenta agminis [a] admoveri præcepit : cæsa jumenta, pleraque vehicula comminuta, aliaque hujusmodi quæ oneri magis quam usui in periculis erant, consumpta aut præcipitata, ut obsidionum instrumenta aut genera telorum, quibus rebus amplius conterrebantur, ne adversum se hostem suis subsidiis armarent. Quod ubi animadvertere Judæi, fugam potius a Romanis quam bellum parari, occupavere itineris angustiora, diffusioribus locis minus instare, prohibere a fronte, a lateribus coarctare, urgere a tergo, cogere in præcipitium, in quod undique conclusi aut lapsi dejiciebantur : plerique obtexere cœlum jaculis, operire agmen sagittis, numquam remisso officio, sed sola adversariorum pernicie. Jam nec ipsi pedites subsistere poterant; equitibus vero majus periculum, qui per prærupta saxorum ac lubrica labentibus equis devolvebantur, nec ordinem servare poterant angusto impediti tramite. Ex altera parte rupes, ex altera præcipitia et fugæ locum et defensionis negabant. Judæi contra spe victoriæ amplius accendebantur, imminebant fessis, instabant hærentibus, insultabant desperantibus, et prope omnes Romani exercitus delessent copias, nisi nox subvenisset : cujus tenebris bellum impeditum, quam Romani in proximo loco (cui Bethoron nomen) egerunt : ita ut Judæi circumfusi undique specularentur locorum exitus, ne Romani dilaberentur. Cestius aperto itinere diffidens, dolo fugam tentavit. Quadraginta itaque elegit viros, quibus evadendi desperatio contemptum mortis infuderat : eos constituit in munitionibus præcepto, ut tota nocte cum strepitu maximo officia prætendentium vallo circumsonarent, ne Judæis proficiscentis exercitus apparatus, aliquibus solitis indiciis manifestaretur : quibus sese ipsi quicumque turbantur, prodere solent : silentio autem egrederentur universi, nihil suspectantibus Judæis; qui solemnes custodiarum strepitus audirent, ex quibus omnes in loco manere Romanos arbitrarentur : hac fraude eduxit exercitum Cestius : et jam confecerat stadia triginta, usus paucorum in rebus dubiis fide, qui perituri gratias præstare sociis pericula sua, quam perdere malebant. Et quidem nox dolum texerat, sed dies prodidit. Nam ubi luce diffusa res apertæ sunt, et omnis locus in quo habitaverant Romani, vacuus apparuit; impetu facto Judæi in eos primum quorum simulatis officiis decepti fuerant, irruunt, levique negotio deletis quadraginta viris, exercitum sequuntur, qui et nocte plurimum spatii confecerant, et per diem properantius iter urgebant, ne noctis jam periculis involverentur. Plena erat via impedimentorum, quæ fugientes Romani derelinquebant, ne injusto quisquam sub fasce remoraretur : passim jacebant vasa, utensilia, vel etiam bello necessaria, arcubalistæ, arietes, cæteraque instrumenta in excisionem urbis adducta, quæ sequentes Judæi prætoribant, ne essent moræ : revertentes colligebant, ut his adversum eos uterentur, [b] quorum socii dimisissent. Secuti enim usque ad urbem Antipatridem, postea quam prætergressum omnem offendere exercitum Romanum, et comprehendendi spes lapsa; retorquent vestigium, captantesque spolia cæsorum, cum triumpho et hymnis Hierosolymam regrediuntur. Quibus tantum lætitiæ cesserat, ut paucis suorum amissis, quinque millia peditum de exercitu Romano et trecenti equites exstinguerentur. Quod gestum est XII anno Imperii Neronis, ut supra memoravimus.

## CAPUT XVI.

Sed non omnium Judæorum illa exsultatio erat. Nam fuere, qui se post illam non pugnam Cestii, sed ærumnam quasi de supremo periculo navigii mergentis eripere gestirent, atque enatare de civitatis naufragio, ac præ cæteris Custobarus et Saulus frater cum Philippo principe militiæ regis Agrippæ : hi fugientes ad Cestium sese contulere, petentes ut ad Neronem in Achaiam dirigerentur. Quod Cestius volens accepit, nec postulata abnuit, ut per ipsos Cæsar edoceretur, causam belli Florum fuisse; sibi vim maxime necessitatis bello incubuisse, ut inopinata conspirantium multitudine exercitus circumveniretur : quem magis consilio ducis ereptum periculo, quam implicatum linqueret. Tentasse Cestium excitata in Florum odia sedare, sed nequivisse. Itaque incidisse bellum, non intulisse. Hæc enim mandata erant, ut commotione omni Cæsaris in Florum excitata, minui circa se speraret Cæsaris offensionem, quam male gestæ rei conscientia pertimescebat. Ita autem plerique perterriti sunt Romani clade exercitus, ut Damasceni metuentes suspectæ societatis contagia, propter habitationis consortium interficerent Judæos in gymnasio congregatos qui secum urbem incolebant : quod illi vel suspicione

[a] *Moveri.* ID.

[b] *Qui ea divisissent.* ID.

Digitized by Google

vel dolo jam dudum procuraverant, ut a gentilibus cœtibus segregarentur, ne quid per noctem novarent, vel ut exsilio soli paterent. Summo sane mysterio silentii, ut ne ad uxores quidem suas conatus istiusmodi tractus mearet. Quoniam ipsæ quoque ex parte maxima Judæorum cultibus admiscebantur.

CAPUT XVII.

Angusto itaque in loco omnes adorsi, peremerunt Judæorum decem millia. Quod facile fuit, ut præventi ab armatis inermes perirent. Et quidem ejus immanitatis exemplum recens, Scythopoli etiam in majus processerat, quo incitatos Damascenos reor. Nam cum Judæi finitima quæque popularentur, venerunt Scythopolim, atque illic inhabitantes Judæos tentare adorsi, adversarios experti sunt, quos sibi fidos arbitrabantur, quoniam more ingenii humani, [a] præponderatur apud eos salutis cura, necessitudini: secundis igitur constituentes tribule collegium, præferunt inhabitantium societatem, tribulibus cladem minantur. Quod suspectum gentilibus, quia promptioribus studiis odiorum in suos exsecutio prætendebatur: ne simulationis specie dolus adornaretur, atque urbem incautioribus accolis noctu adorirentur, prostratisque omnibus gentibus, apud Judæos sibi gratiam reconciliarent: ac per hoc si vellent fidem suam etiam circa gentiles probare, cum omni generatione sua urbe excederent, vicinumque peterent nemus. Quo facto, per biduum quieverunt Scythopolitæ, ut portio Judæorum suspicionem deponeret, indueret securitatem. Tertia nocte cum jam præsumpta [b] fides gentilibus removisset sollicitudinem, incautis et dormientibus vis illata, decemque et tribus millibus hominum necatis: quæcumque etiam habuerunt, direpta sunt.

CAPUT XVIII.

Expositionem exigit Simonis acerba passio, visu et auditu miseranda, sed novitate rei memorabilis. Is erat in populo Judæorum, Saule haud ignobili genitus patre, animi audacia præditus, et corporis fortitudine. Quarum utramque in exitium tribulium suorum exercuit, qui plurimos ex populo adventitio Judæorum crebro incursu peremit: ac si forte conspirati adessent, solus sustentaret aciem, et conglobatus solitus avertere, totius erat nodus ac mora belli: et plerumque desperatis rebus conversio. [c] Exhibuerant jam civibus adversum suos Scythopolitani incolatus militiam: sed non diutius cognato debita sanguini defuit vindicta. Namque ubi fracta fides, et Scythopolitæ circumventi, qui ex composito se ad nemus contulerant, instare bello atque ingruere cœperunt. Etiam filios ac parentes Simonis deleta multitudine cæterorum, eminus licet missilibus ac telis petebant. Videns Simon innumerabilem multitudinem facili negotio superiorem, ut diutius tolerari nequiret, gladium extraxit, atque in hostem conversus clamabat dicens: Digna Scythopolitæ factis recipio meis, qui cognatorum [d] necem, quam vobis impenderem benevolentia testificatus sum, et fratrum sanguinem vobis obsidem dedi gratiæ, quibus justius perfidia tribueretur. Nunc dum alienigenis fidem defero, in domesticos amisi: prodidi etiam liberos, parentesque, quos a vobis tamen [e] necari oportebat, si mercedem sceleris æstimaretis. Moriar igitur, si iratus omnibus, nulli amicus, qui circumvenerim meos et propriis manibus ultionem de me prius expetam: peremi socios religionis, et fidei consortes: recognosco sceleris mei debita. Solvam tanto dignum sacrilegio parricidium, ut ea sit et pro flagitio pœna, et ad virtutem gloria: ne quis se jactet alius [f] meo vulnere, in me ipsum postea convertetur dextra mea: ut videatur furoris esse quod morior, non imbecillitatis: ne quis insultet cadenti, [g] sit vindex parricidii clementia, parricidium sacrilegii. Hæc locutus, convertit obtutum in liberos parentesque; et indignantibus oculis, cum jam misericordia mixta iræ succederet, abreptum e medio patrem gladio transverberat: post eum mater attrahitur, ne esset qui pro nepotibus interveniret. Offert se per ordinem volens uxor, ne tanto dejecta conjuge superviveret. Occurrunt filii, ne degeneres tanto patre in ipsa morte judicarentur. Festinabat ipse ictu celeri hostem prævenire. Omni itaque perempta familia, stetit in medio funerum suorum. Et tanquam [h] triumphans domesticis passionibus, quod neminem suorum alieno gladio vidit perire, elevavit dexteram, ut omnes viderent, ac formidabilem cunctis subjiciens sibi mortem, proprio victor sese transfixit mucrone. Memorabilis juvenis ob egregiam fortitudinem corporis, et animi magnitudinem: sed quia fidem alienigenis potius quam suis detulit, tali dignus exitu fuit.

[a] *Præponderat.* Barr.
[b] Al. *fides gratiæ removisset custodiæ sollic.* Id.
[c] *Exhibebat.* Id.
[d] *Nece ..... benevolentiam.* Et mox *fraternum sang.* Id.
[e] *Necari non oportebat.* Id.
[f] *Meorum vuln.* Id.
[g] Al. *sit index parricidii dementia.* Id.
[h] *Triumphatis.* Id.

# LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Ea postquam Neroni nuntiata sunt in Achaiæ partibus sito, qui tragicorum carminum meditatione contenderat, ut de pluribus scenicam coronam referret: nescias, quo magis turpis, utrum quod in scenam imperator prodiret, an quod scenam suis flagitiis impleret, qui turparet Orestem canendo, et parricidio repræsentaret, gravis cum invasit metus.

Digitized by Google

Non illa ludorum similia, sed bellorum suprema A pertimescentem, ut aliquando a theatralium voluptatum obscenitate, et parricidalis amentiæ furore resipisceret, atque ad curas reipublicæ conversus, intra se fremeret et desæviret, quod incuria ducis potius, quam virtute adversariorum tantam cladem respublica Romana acceperit. Tentabat quidem simulare audaciam, sed redarguebat timor, et quasi speciem magnanimitatis prætexere, ut supra ærumnam negotiorum mentem haberet. Sed distringebatur animi sollicitudine, quem demendæ ignominiæ belloque conficiendo legeret ducem. Urgebant Judæam ultimæ labis futura excidia, ut Nero regalem personam indueret, et providi consultoris voce, salubrem exprimeret sententiam. Vespasianum solum esse cui summa militiæ orientis in partibus jure committeretur, B virum ab adolescentia militiæ triumphalis inveteratum stipendiis, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu, et ferocia genuinæ temeritatis in bellum relapsas, pace diuturna composuerat. Britanniam quoque inter undas [a] adhuc latentem Romano imperio armis acquisiverat: cujus triumphatæ opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. Itaque quarum gentium bella non viderant, subjugatarum tropæa celebraverant. Sub hoc duce (iterum dico) Nero terribilis erat, Nero metuendus, potens foris, tutus domi: æquatis inter se Vespasiani fide ac fortitudine. Quantus iste vir, cujus armis vitia Neronis apud exteras gentes abscondebantur, ut ludibrium rerum humanarum, et ejuratæ impuritatis opprobrium, triumphis quoque illustraretur! C Cum præliandum itaque in ultimis Romani orbis esset confiniis, Vespasianus ex omnibus eligebatur. Cum bellum depositum foret, Vespasianus præ cæteris sociabatur, ne vel publicus superesset hostis, vel domesticus obreperet insidiator. Dignus qui stipendiis militis regnum præveniret. Docebat fidem, præferebat virtutem. Invitus misit hunc Nero, qui sibi auferebat præsidium: sed arctabatur futuris scelerum suorum pœnis, ut se tanto dissociatum comitatu ducis, inermem relinqueret. Numquam profecto Galba aspirandi ad imperium studia usurpasset, nisi Vespasianum absentem comperisset. Sed procuravit hoc Deus, ut in Syriam dirigeretur vir, qui et Judæorum insolentiam supremo gentis excidio captivitatisque dedecore labefactaret, et Neronem D auxilio destitueret: licet nullius virtus statutis afferre possit cœlestibus impedimentum. Demens [b] tamen Nero cum Judæorum bello afflictam Romani exercitus validam manum cognovisset, adversus Christianos insurrexit, ut ei debitus finis appropinquaret.

## CAPUT II.

Erant tunc temporis Romæ Petrus et Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum Neronem [c] adversum fecerant, captum Magi Simonis delinimentis, qui sibi animum ejus conciliaverat. Cui adjumentum victoriæ, subjectiones gentium, vitæ longævitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam præsulem suæ salutis vitæque custodem arbitrabatur. Sed ubi Petrus ejus vanitates et flagitia detexit, et species illum rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere demonstravit; ludibrio habitus, et digno est consumptus mœrore. Et quamvis in aliis terrarum partibus Petri esset expertus potentiam: tamen præveniens Romam, ausus est jactare, quod mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum universorum dolore. Admonuere plerique experiendum, utrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla [d] facti hujusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium: perrectum est ad Petrum. Fuere, qui etiam Simonem accersendum putarent: uterque adfuerunt. Ait Petrus: Simoni qui se de sua jactaret potentia, priores sese partes dare: ut si posset, mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum ut Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon, qui putaret apud urbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit: ut si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui MAGNAM POTENTIAM (sic enim appellabatur) lacessendo injurias irrogavisset; sin vero prævaluisset Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquievit Petrus; adorsus est Simon, accessit ad lectulum defuncti: incantare atque immurmurare dira carmina ut cœpit, visus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod jam viveret, quod loqueretur cum Simone. Ira et indignatio in Petrum, quod ausus esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, et dixit: Si vivit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur: phantasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput movisse. Denique separetur, inquit, Simon a lectulo; et tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon a lectulo: manet sine specie motus alicujus, qui mortuus erat. Astitit Petrus longius, et intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: [e]

[a] Hanc vocem non habet ms. Id.

[b] Hæc et sequentia pluribus edisseruit Mazochius v. c. in comment. ad *marmor. Neapol. Kalendar.* vol. III, pag. 854.

[c] Scribendum *aversum*: quod et elegantius et magis Ambrosianum est. Nihil tamen muto, maxime cum Abdias *adversum* in suo Exjosippi exemplari legisse videatur, ut qui in sua *Historia* cap. 16 sic immutaverit: *Nero per Magum Simonem adversari cœpit Apostolis.* Id. *l. c. pag.* 855.

[d] Puto excidisse ex hoc vocabulo sibilum, et FACTIS, non *facti* ab Ambrosio scriptum fuisse, is enim casus cum ea locutione jungitur. Id. *l. c. p.* 859.

[e] Formula est eadem, atque illa qua idem Petrus utitur *Act.* IX, 34: *Ænea, sanat* (ἰᾶταί) *te Dominus Jesus Christus: surge et sterne tibi.* Ex quo Actorum loco videtur hic quoque Ambrosius *sanat* scripsisse, non deprecativo modo *sanet*. Accedit, quod nisi jam

Digitized by Google

Adolescens, surge ; sanet te Dominus Jesus. Et A statim surrexit adolescens, et locutus est, et ambulavit, et cibum sumpsit, et dedit eum Petrus matri suæ. Qui cum rogaretur, ut ab eo non discederet, ait : Non derelinquetur ab eo qui eum fecit resurgere, cujus nos servi sumus. Secura esto mater de filio, non verearis, habet custodem suum. Et cum populus in Simonem insurgeret, ut lapidaretur, ait Petrus : Satis est ad pœnam ejus, quod cognoscit suas artes nihil valere : vivat, et Christi regnum crescere videat vel invitus. Torquebatur Magus Apostoli gloria. Collegit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumque se dicit a Galilæis : relicturum se urbem, quam tueri soleret. Diem statuit : pollicetur volatum, quo supernis sedibus inveheretur : cui, quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe dejiciens, volare cœpit. Mirari populus et venerari ; plerique dicentes Dei esse potentiam, [a] non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait : Jesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste qui crediturus est, decipiatur. Decidat, Domine; sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscat. Et statim in voce Petri, implicatis remigiis alarum quas sumpserat, corruit, nec exanimatus est; sed fracto debilitatoque crure, Aritiam concessit, atque ibi mortuus est. [b] Quo comperto : deceptum se Nero et destitutum : dolens tanti casum amici, sublatumque sibi virum utilem et necessarium reipublicæ indignatus, quærere cœpit causas quibus Petrum occideret. Et jam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus et Paulus. Denique dato, ut comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus ut sese alio conferret. Resistebat ille dicens, nequaquam se facturum, ut tamquam metu mortis territus cederet : bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset ; non mortem illam, sed immortalitatem futuram ; tamquam indignum, ut ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre : deberi sibi secundum Domini vocem, ut et ipse in passione sua Christo gloriam atque honorem daret. Hæc et alia Petrus obtexere : sed plebs lacrymis querens, ne se relinqueret, et fluctuantem inter procellas gentilium destitueret : victus fletibus Petrus, cessit : promisit se urbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, et [c] celebrata oratione proficisci solus cœpit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, et adorans eum, dixit : Domine, quo vadis? Dicit ei Christus : Iterum venio B crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis : non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut [d] gloriæ celebritate. Et conversus, in urbem redit ; captusque a persecutoribus, cruci adjudicatus, poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, ut passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, ut Christus prædixerat, vel quia persecutor non invitus indulget pœnarum incrementa ; et ipse et Paulus, alter cruce, alter gladio necati sunt.

## CAPUT III.

Sed ut ad propositum redeamus : turbatus gravi nuntio Nero, rebus in Judæa minus prospere gestis, C Vespasianum expertum belli virum, omni militiæ quæ in Syria erat, præfecit. Ille propere, neque differendi tempus dabatur, misso Alexandriam filio Tito, ut inde militum qui prætendebant partem aliquam duceret, ipse transmisso Hellespontiaco freto pedes in Syriam contendit. Interea Judæi rebus elati secundis, principes militiæ bello legunt. Distri-

Christus sanitatem repræsentasset, non erat cur Petrus imperaret *surge*. Sed et Abdias quum diserte indicativo modo *sanat* scripserit, id certo argumento est, ab eo non aliter in suo Exjosippi codice fuisse repertum. Mazoch. *l. c. pag.* 861.

[a] Sic editi vulgo. Tamen Gualtherus in annotatis reperisse alicubi se testatur, *Non hominem :* quæ meo judicio præstantissima lectio est uniceque vera. Nam quum Simon hoc credulis persuaderet se *Dei potentiam* seu virtutem esse, ut constat ex *Act.* VIII, 10, hinc merito populus volantem videns, *Dei esse potentiam*, *Non hominem* acclamabat. Ergo tota hæc periodus sic castigari ac distingui debet, nisi me ratio fugit ; *Mirari populus et venerari : plerique dicentes* (eum) *Dei esse potentiam, non hominem, qui cum corpore volitaret*. ID. *l. c. pag.* 863.

[b] Hunc locum sic interpungit Mazochius l. c. pag. 465, ejusque interpunctionem confirmat Abdias, qui sic textum Exjosippi interdum immutat, ut tamen quid in suo codice invenerit, satis præ se ferat. Aliter vulgo editi. Cæterum idem vir eruditus ex Gualthero, qui legebat in vetere codice, *tanti casu amici*, locum integrum ita restituendum existimat : *Quo comperto : deceptum se Nero et destitutum dolens tanti casu amici : sublatumque . . . . indignatus ; quærere cœpit*, etc. GALLAND

[c] Prorsus non est dubitandum, quin apud Ambrosium hic *celebrare orationem* sit Missæ sacrificium peragere. In Actis S. Pionii martyris apud Ruinartium sect. 5 : *Facta ergo* ORATIONE *solemni cum die sabbato* SANCTUM PANEM *et aquam degustarissent*, Pionius cum sociis captus narratur. In synodi Laodicenæ can. 13, ex interpretatione Dionysii : *Presbyteri ruris, episcopo præsente, vel presbyteri urbis ipsius, offerre non possunt, neque panem sanctificatum dare* (hoc ultimum, Græce est, οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι ἐν ΕΥΧΗ, *nec panem dare* in ORATIONE ) *calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, et* (εἰς εὐχὴν) *ad* D *dandam orationem vocentur, soli dare debebunt*, Zonaras ad hunc canonem illud ἐν εὐχῇ interpretatur ἐν ἱερουγίας καιρῷ, *tempore sacrificii*. Hinc in libris Græcorum liturgicis Μυστικὴ εὐχή, *Mystica oratio*, est quod nos *Missam* dicimus. Balsamon ad Nysseni epistolam ad Letojum, illud, μυστικῆς ἐπιτελουμένης εὐχῆς, de panis et calicis consecratione explicat, cui secreta oratio a sacerdote præmittitur, ut panis et calix sanctificetur. MAZOCH. *l. c. pag.* 993.

[d] Quid *gloriæ celebritatem* hic vocet Ambrosius, plane non intelligerem, nisi primi martyris Stephani (cui Filius hominis stans a dextris virtutis Dei, hoc est in gloria sanctorum, se conspiciendum ultimo in agone præbuit) et aliorum pugilum quibus aliquid ἰσοδυναμοῦν haud raro contigit, exemplis id quidnam esset, docerer. ID. *l. c. pag.* 867.

Digitized by Google

buunt loca, quibus quisque præesset, quæ munia singuli, quos ordines, quid muneris exsequerentur: Josephum [a] Cutione genitum, et Ananum principem sacerdotum, Hierosolymitanæ urbis negotiis, et præcipue instaurandis muris præficiunt. Ardebat Eleazarus Simonis aliquid sibi publicorum committi munerum. Et licet omnem prædam, quam de Romano exercitu ceperant, sub potestatem suam redegisset, ditem præsertim atque opimam avaritia Cestii, atque immodicis rapinis coacervatam: tamen parandæ magis sibi potentiæ intentum, quam communi usui pronum arbitrati, declinandum æstimavere. Sed paulatim ambiendo singulos, dando et largiendo effecit, ut rerum omnium summa ejus arbitrio committeretur. Idumæam quoque Jesus unus de sacerdotibus et Eleazarus sacerdotis filius militiæ præpositi, tuendam receperunt. Principi tamen totius Idumææ Nigro de summis rebus prærogativam omnem reservantes, Josepho Simonis Hiericho obvenit, Manasse [b] Petræa regio commissa, trans Euphratem sita; cui ab eo indi nomen, quod Euphrates ad eam partem pergentibus transmittitur. Joannes Essæus, alius quoque Joannes Ananiæ filius, cæterique adversis attributi partibus, quas sua tuerentur sollicitudine. Itaque singuli commissa sibi munia non deserere, instruere muros, manum legere bellatoriam: ex quibus Josephus in Galilæam descendens, munire castella, instaurare propugnacula, validissimos quosque et bello promptissimos adsciscere sibi impigre curabat: prohibere latrocinia, prætendere quotidie in castris, militem Romanæ militiæ more exercitare, dividere, ordines distribuere, centuriones plurimos præficere, quo facilius disciplina ab omnibus exigeretur: ne quisquam lateret, quicumque propria munia dereliquisset. Instituebat etiam, ut agnoscerent institutiones tubarum et repressiones, sequerentur ordinem, aciem dirigerent, clypeos intexerent, ut murali vice, si forte magna hostium vis ingrueret, sese adversum incursantes defensarent, subvenire laborantibus, fessis compati, pericula aliorum in se transfundere: nec solum belli artes ad instar Romanæ docere militiæ, sed etiam ante bellum, qui amplius bellantes juvarent denuntiare, ut miles cibum sibi et arma portaret, vallo et fossa sese muniret, castrisque ponendis præveniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere assuesceret, lucrum proprium putaret, si nihil dispendii ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim distet ab hostibus, si ipse hostili modo auferat? nisi quod gravius est, sua quam aliena incessere, et socios, quam adversarios spoliare. Plurimum valere in bello bonam conscientiam, eo quod amplius de divino auxilio præsumeret, qui se nulli affinem crimini recognosceret. Sed his rebus citius sibi apud improbos expertus est nocuisse invidiam, quam apud bonos profuisse gratiam. Nam cum ad sexaginta millia peditum, paucissimos equitum congregavisset: eos vero qui

A bella mercede tractarent ad quatuor millia viros, sexcentos quoque electos custodes sui corporis, tanta a Judæis pertulit ut plus ante bellum a suis, quam in ipso bello a Romanis pericula perhorresceret. Omitto quid seditionis excitatum: quia latrocinio erepta reddere his qui amiserant, suspectabatur: ac maxime Agrippæ et Berenicæ, quibus redhibenda juste forent, ne regem facerent infestiorem. Et tamen ille, quo populi molliret impetum, ad constructionem potius murorum, quam ad dominorum indemnitatem servatam pecuniam: omniaque, ille aiebat, quæ erepta Ptolemæo forent, qui regium aurum, vestes, cæteraque munera portavisset, æstimare debere Taricheatas: apud eos enim res gerebatur, utrum id instaurationi suorum murorum servandum putaB rent, an diripiendum latronibus depromeretur. Indignum certe videri, ut eo pœnam exciperet, quia melius consuluisset. Itaque conversus illis in sui gratiam invidiam simul et periculum evasit. Iterum cum gratiam regis Agrippæ Tiberias societatemque deposceret, proripiens se Josephus de memorata urbe, Taricheatarum clausit portas, ne quis nuntius ad urbem Tiberiadem pergeret, et deesse Josepho auxilia militaria significaret. Ipse autem congregavit de lacu navigia piscatoria quæ in tempore potuit investigare, et Tiberiadem remigiis petiit. Sed ubi ad eum locum venit, in quo conspicua quidem in urbe positis foret species navigiorum, deprehendi tamen nequiret utrum essent vacua præliatorum: jussit ea dispergi per totum spatium lacus, ut major C numerus æstimaretur: ne quisquam vacua potius, quam referta bellatoribus æstimaret. Quo territi, quod adversus tantam multitudinem infirmos sese arbitrarentur, projecerunt arma, portisque reseratis, effuderunt se supplices Josepho, qui veluti dux agminis militaris propius accesserat. Quæsitum, qua tandem vesania discessionem animis induissent, quibus auctoribus impulsi sese adversariis traditurі forent; et simul occurrentes sibi jubebat gubernatoribus ut Taricheas deducerent, atque illic [c] trecentos ferme curiales, plerosque in vincula de plebe rapit. Clytum quoque ejus facinoris accersitum principem, manibus amputatis pœnas luere jubet; atque illo rogante, ut una saltem sibi manus relinqueretur, præcepit Josephus, ut ipse sibi quam vel-D let, demeret. Tum ille arripiens dextra gladium, lævam abscidit. Ita recepta Tiberias est. Sed etiam Sephoris tentata discessione, Josephi tamen vivacitate inter Judæorum urbes socias attinebatur. Tranquillioribus enim consiliis sua defendere, quam aliena incursare malebat.

## CAPUT IV.

At vero Petates Niger, et Babylonius Syllas, et Joannes Essæus omne quod erat in Judæa pubis validæ congregantes, Ascalonem petunt, amplam quidem et muris subnixam validis urbem, sed opis subsidiique indigam, quæ septingentis viginti stadiis

[a] Vet. cod., *Gurione*. Josephus, *Gorionis filius*. Barr.

[b] Cod. vet., *Peræa*. Id.

[c] Cod. vet., *sexcentos*. Id.

ab Hierosolymitana urbe discernebatur, et odiis ingentibus. Propterea Judæi inimicam sibi urbem diruere cupientes, collecta manu involavere. Præerat urbi Antonius minore numero Romani exercitus, quam quo resisti posse Judæis æstimaretur. Sed vir acrioris ingenii, et ex æquo prudens bellator, diffusos et numero magis quam virtute fidentes eductis equitibus, transire ad urbem sinit: deinde in cursu progressos, fatigat sequentes, confertos dissipat, turbatos fugat, totoque campo insectatur palantes; alii versa vice urgentur ad muros, interclusa fugæ copia, alii diversa petunt, sed circumventi ab equitibus obtruncantur. Multi supra se ruunt, et se invicem impetu suo sternunt; itaque usque ad vesperum cæsi, amisere ex suis decem millia virorum, Joanne et Sylla ducibus pariter exstinctis. Pauci autem Romanorum eo vulnerati prælio: nec tamen repressa est Judæorum temeritas, sed incanduit: nam dolor audaciam accendit, et labes ulciscendi cupidinem. Armantur itaque majore longe furore, nec dum sauciorum sanatis vulneribus, et congregatis pluribus quam vice priore, irruunt: sed eos dispositis insidiis exceptos, prius quam in manus venirent, clausit circumfuso equitatu Antonius, et circumventos præcepit sterni: cæsa iterum novem millia, reliqui fugati. Niger ipse elapsus in munimentum se contulit. Turris erat septa undique valido saxo, quam Romani, quia excidere non poterant, appositis ignibus circumdedere. Ea incensa in spelæum quodam de turre transgressus, hostem latuit, ignem evasit: Romanisque securis, quod ipse simul incendio consumptus foret, post tertium diem quærentibus suis corpus ejus ad sepulturam, vivens et vigens redditur. Atque ita cum magno gaudio Judæis servatus, ab hoste repræsentatur.

## CAPUT V.

Vespasianus interea superato Hellesponto, Bithyniam Ciliciamque transmittens, ubi Syriam attigit, legiones cæterasque militares copias quas in ea reperit, Antiochiam deduxit. Urbs ea Syriæ sine retractatione prima: ideoque metropolis habetur: condita ab his qui Alexandro Magno bellanti adhæsere, conditoris sui nuncupata vocabulo. Situs urbis porrectus in immensam longitudinem: in alto angustior, quia prærupto montis a læva arctatur, ut extendi ulterius metandæ urbis spatia nequiverint. Necessitas locum signavit, quia per occulta et devia irrumpentibus Parthis, mons celsior latibulum daret, ex quo se inopinato adventu et promptiore impetu in imparatam Syriam effunderent: nisi civitas monti velut claustrum objaceret, exitusque obstrueret advenientibus: ut si quis barbarorum ascenderet, statim e medio urbis sinu prospectaretur. Denique cum ludi scenici in ea celebrarentur urbe, ferunt quemdam auctorem mimorum elevatis oculis in montem, Persas vidisse advenientes, et dixisse continuo: Aut somnium video, aut magnum periculum: Ecce Persæ. Ita mons ubi præeminet, ut nec theatri altitudo ad prospiciendum montem impedimento sit. Fluvius eam medius intersecat, qui a solis ortu oriens, non longe ab urbe in mare conditur: quem de originis suæ tractu Orientem veteres appellavere, ut vulgo putetur locis nomen dedisse, cum inde acceperit. Cujus fluentis ipso impetu frigidioribus, et zephyris assiduo per ea locorum spirantibus, tota civitas momentis prope omnibus refrigeratur, ut Orientis in partibus Orientem abscondat. Intus dulces aquæ; foris finitimum nemus intextum cupressis crebris, fontes aquis uberes, Daphnem vocant, quod numquam deponat viriditatem: frequens et lætior populus, ut pleraque Orientis, facetiorque prope omnibus, sed propitior lasciviæ. Urbs tertio loco ante ex omnibus quæ in orbe Romano sunt civitatibus æstimata, nunc quarto postquam Constantinopolis excrevit civitas Byzantiorum, Persarum quondam caput, nunc repulsorum: prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis. De situ urbis satis dictum puto. Neque enim in describendis ejus ædificiis immorandum videtur, cujus a tergo cum orientem dixerim, satis liquet a læva ad meridiem jacere, a fronte Europam occurrere, in dextra septentrionales gentes degere, Caspiaque regna haberi, quæ ante promptissima ad incursandam Syriam erant. Sed postquam Alexander Magnus Caspiam portam Tauri montis prærupto imposuit, atque omne interioribus gentibus interclusit iter, memoratam urbem quietam reddidit, nisi forte motus Persicos suspectantem. In ea urbe Agrippa rex cum omni virtute sua exspectabat Vespasianum advenientem, nec diutius eo morante, comitatui adhæsit: conjuncto itinere Ptolemaidem petere cœperunt. Ad eam urbem occurrere inhabitantes Sephorim, pacem cum Cesentio Gallo jam dudum initam, firmari a Vespasiano petentes. Quorum laudata prudentia, quod saluti propriæ consuluerint non lacessendo Romanos, atque accepta fide, et in amicitiam recepit eos, et additis peditum equestribusque auxiliis, fovit securitate, ne forte destitutionis commoti dolore, insurgerent in eos belli excitatores: cum velut claustrum quoddam Judææ, Sephoritanis sese Romano imperio offerentibus resolveretur, ut in eam pervium iter hosti pateret, quæ ad custodiam totius gentis opportuno quodam in hostem objectu occurreret. Erat enim præter opinionem loci munitioris urbs Galilææ maxima: quæ res admonuit, ut cum duæ sint Galilææ, una superior, altera inferior, connexæ et conjunctæ sibi, alteram ab altera distinguamus. Sed prius de utraque dicendum.

## CAPUT VI.

Utrique Galilææ Syria et Phœnice adhærent, disterminantque eam a solis occasu Ptolemais territorii sui finibus, et mons Carmelus, qui erat ante Galilæis, nunc vero Tyriorum finibus associatus, cui connectitur Gabaa civitas quæ quondam Judæis causa gravis exitii fuit: ab oriente eam Hyppenæ et Gadara suis finibus resecant. Eadem autem et Gaulanitidi regioni et regno Agrippæ confinia præscripta veteri ævo fuere: a meridiano latere Scythopolis et Samaria suis utraque excipiuntur regionibus, nec ultra fluenta

Digitized by Google

Jordanis patiuntur extendi. Septentrionalis ejus a A dextro latere Tyrus claudit, omnisque regio Tyriorum, cujus objectu Galilææ spatia definiuntur. Ipsæ autem inter sese hoc distinguuntur modo, ut quæ inferior Galilæa dicitur, ab urbe Tiberiade usque ad urbem cui nomen Zabulon, supra maritima Ptolemaidis extenta longitudine diffundatur; latitudo autem ejus a vico Zaloth qui est in campo maximo, usque ad Bersabem haud dubie deducitur. Unde etiam superiori Galilææ aperitur exordium, quoad vici Bathatæ fines attingat. Ipso autem vico etiam Tyriæ terræ fines determinantur: longitudinis quoque ejus initium vicus est Thalla, finis est Rothala Jordani finitimus. Hinc intelligi datur, quantum se porrigant spatia Galilææ superioris, cujus initium Jordanis est vel ejus confinia. Hac igitur suæ magnitudinis B æstimatione utraque Galilæa distinguitur. Terra autem pinguis, herbosa, diverso culturæ genere nitens, distincta arboribus, ut quemvis alliciat ad sui gratiam, et fugitantem labores ad studia culturæ invitet atque excitet. Denique nulla illic vel exigua terræ portio vacat: frequentatur plerisque inhabitantibus: crebræ urbes, vici frequentes, multitudo hominum innumerabilis, ut exiguus vicus in suo tractu habeat [a] viginti millia inhabitantium. Circumfusis quoque nationibus alienigenis utraque Galilæa circumdatur, et ideo genus hominum bellicosum, a prima ætate exercitum præliaribus tentamentis, abundans numero, audacia promptum, atque ad omnes belli artes paratum. Præstat tamen magnitudine Petræa regio, quæ unde vocabulum acceperit, supra C diximus. Major hæc; sed utilior Galilæa, quia tota exercetur, nec ulla pars ejus fructibus infecunda est: sed universa terra ejus opima et ferax. Petræa autem diffusior, sed ex majore parte deserta ac rigida, quæ mansuescere arando nesciat, nec asperiores facilis succos domare. Sed rursus portio ejus mollis ad cultum, fertilis ad usum, grata ad aspectum, mitis ad exercitium, insitivis utilis pomis, omnia ferens, ut campos ejus distinctæ in fronte prætexant arbores, in medio venustent: et plerumque a nimio sole vel frigore defendant sata: maximeque olea vestitus ager, aut vitibus intextus, aut palmis insignitus. Inenarrabile quanto decori sit, cum vento impulsi palmarum ordines concrepant, et suaviores solito funduntur dactylorum odores. Nec mirum si omnis illic D gratia viriditatis est, ubi amœnis fluviorum meatibus, ex superiore decurrentium jugo montium, superfusus ager rigatur, et niveis fontibus scatens possideatur cum invidia, desideretur cum gratia. Longitudo ejus a Macherunte usque ad Pellam, id est, a latere meridiano usque in septentrionem. Latitudo autem a Philadelphia usque ad flumen Jordanem, hoc est [b] ab ortu solis usque Arabiæ protexitur. In occasum autem urbe ad Jordanem [c] flumine extendi manifestatur: Samaritana quoque regio inter Judæam atque Galilæam media jacet, incipiens a vico cui nomen Elas, deficiens in terra Acrabathenorum natura consimili, nec [d] ullo modo differens a Judæa. Utraque enim montosa atque campestris est, pro locorum diversitate; neque tota campis diffunditur, neque in locis omnibus montium rupibus scinditur; sed utriusque qualitatis habet gratiam, ad exercitium culturæ solubilis terra et mollior, eoque frumentis utilis, et prope circa fertilitatem soli nulli secunda, maturitate certe fructuum prior omnibus. Nam cum adhuc alibi seruntur frumenta, isthic metuntur. Species quoque atque ipsa frumenti natura, haud usquam præstantior habetur. Aqua dulcis, decora ad speciem, suavis ad potum, ut secundum elementorum gratiam æstimaverint Judæi eam promissam patribus terram fluentem lac et mel, cum spoponderit illis resurrectionis prærogativam. Et utrumque quidem divina pietas contulerat, si fidem servassent: sed infidelibus animis utrumque ereptum: hic jugo captivitatis, illic vinculo peccati. Nemorosa regio, et ideo dives pecoris, et abundans lactis. Denique nusquam sic lacte distenta pecus ubera gerit. Poma silvestria vel insitiva super omnium regionum copias. Referta autem utraque vel Judæa vel Samaria hominum multitudine, ut mihi videantur hinc illud interpretati Judæi quod scriptum est, quia nulla erit in his locis sterilis et infecunda, cum hoc lex de meritorum fecunditate præscripserit, et virtutum fertilitate. Principium Samariæ de Arabiæ finibus a vico cui nomen Jordani, finis ad aquilonem vico Borceo; latitudo autem Judææ a fluvio Jordane usque Joppen. Incipit enim a fontibus Jordanis, et a monte Libano, et usque ad Tiberiadis lacum dilatatur. A vico quoque Aritha initium longitudinis ejus, quæ usque ad vicum extenditur Juliadem, in quo Judæorum pariter et Tyriorum communis habitatio. In medio autem Judææ civitas Hierosolyma, quasi umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit, nuncupatur: abundans regio mediterraneis copiis, nec fraudata maritimis, quia prætendit usque ad Ptolemaidem, et totum illud mare prætexit littoribus suis. Multæ urbes, sed inter omnes Hierosolyma eminet: ita ut quasi caput in corpore non obumbret sua membra, sed regat, atque eis tuitioni sit et pulchritudini. De Judæa itaque et finitimis regionibus, opportuno licet compendio, ea quæ significanda fuerant, non prætermisimus.

## CAPUT VII.

Sephoritani [e] quoque et tributa et subsidia militaria, regiones finitimas incursabant, auctoritatem latrocinandi liberam, sibi belli specie vindicantes, quod imperio Romano a Judæis inferebatur. Unde Josephus acceptæ acerbitatis injuriam ulcisci gestiens, irruere in urbem Sephorim, sociato sibi plurimorum numero contendit, ut eos aut revocaret in societatem

[a] Cod. vet., *quindecim*. Sic et Joseph. l. 1, c. 2. BARR.

[b] Cod. vet., *ab ortu solis usque Arabiam prætexitur*. BARR.

[c] An *flumen*? Sed nihil muto. GALLAND.

[d] Barrensis editio non habet *modo*: fortasse rectius. GALLAND.

[e] Cod. vet., *Sephoritanis contributa subsidia militaria regionis finitimæ incursabant*. BARR.

Digitized by Google

Judææ, aut resistentes supremo (si posset) excidio labefactaret. Sed utriusque conatus effectu excidit : quia nec dissuadere potuit Romanæ conjunctionis electionem, nec urbem evertere, quam ipse talibus munimentis firmaverat, ut a Romanis quoque longe præstantioribus expugnari nequiret. Cecinit itaque classicum, tentata irruptione sine ullo profectu, atque in totam regionem bellum excitavit. Vastabant omnia, die noctuque exurentes ædificia, diripientes patrimonia, perimentes quoscumque bello habiles comprehendissent, infirmos servituti subjicientes. Repleta erat Galilæa omnis incendio, sanguine, latrocinio, nullius immunis miseriæ, et [a] deformi rerum omnium specie, cum si quid igni aut neci superfuisset, captivitati reservaretur. Cujus [b] mali illa quæ paulo ante acerbiora æstimata sunt, præferebantur.

## CAPUT VIII.

Hæc prælusio quædam belli facta, ante quam Titus veniret : qui simul atque ex Achaja Alexandriam transmisit, perductis militibus secundum mandatum patris, ad urbem occurrit Ptolemaidem, ibique connexis ordinibus quinto et decimo, addito etiam quintodecimo, qui erant præcellentissimi, congregatoque vel Romano, vel sociorum exercitu, atrox et memorabile bellum cœperunt. Nam ubi primis initiis placido duci prospere gestis, secunda in adversum cessere, profectus infensior Vespasianus cum filio de Ptolemaidis finibus, in Galilæam sese immersit : Cognitoque quod pacem abnuerent, quibus obtulerat condemnandæ [c] dissensionis copiam, si sibi consulendum putarent, Gadaram funditus evertit, vacuam bellatoribus offendens, quod omnes validiores, diffidentes infirmioribus munimentis, ad munitiora sese contulerant. Repertis itaque non pepercit, sed omnes necari jussit, nulla ætatis contemplatione, nulla infirmitatis misericordia, quod non tam jure belli, quam Cestianæ pugnæ dolore, et effusis in Judæos odiis exsequebatur. Denique non solum urbem, sed etiam vicos et municipia exuri præcepit. Nec injusta erat commotio : quia post tantam insolentiam emendandi erroris facultatem dederat, nec obtemperatum. Transierat ex ea urbe Josephus in Tiberiadem, prius quam Romanus exercitus appropinquaret : sed plus formidinis ex fuga, quam fiduciæ ex præsentia : hoc ipso enim territi sunt, quod bello adversus Romanos gerendo imparem se Josephus arbitrabatur. Neque vero aliunde præsumpsit, nisi forte Judæi studia belli deponerent. Ea erat illi [d] prior sententia ; si bellum eligerent, malle se subeundo periculo fidem civibus, quam declinando præstare proditorem. Nihil enim magis cavere, quam ne commissum ipsum sibi honorem militiæ turparet. Itaque scripsit ad urbem Hierosolymam bellum incubuisse, propereque rescriberent pacem an prælium mallent : consulendum mature. Hæc strictim significavit, nihil propense in alteram partem, ne aut bellator meticulosus, aut pertinax rebellio judicaretur.

## CAPUT IX.

Rursus de urbe Tiberiade Jotapatam petit, sive quod munitior cæteris esset, et propterea in eamdem plurimi se contulissent bello promptiores : sive quod eo Vespasianus plerosque ex suis direxerat qui munirent iter, quod per montes difficile saxosumque, asperum peditibus, equitibus autem invium atque insuperabile foret. Denique diebus quatuor, ne angustiæ officerent, reserata sunt viarum strata : compositum iter, quo facilius omnis exercitus transmitteretur. Quinto die transivit eo Josephus, dejectosque Judæorum animos erexit. Vespasiano quoque ubi factum indicium eo Josephum commeasse, incentivum celerandi itineris accessit, quod conficiendi belli compendium putaret, si dux et populus bello promptior interciperetur. Advenit itaque cum exercitu : et primo die curandis cibo militibus, ne ex itinere fatigatos cura belli incesseret, tempus dedit. Sequenti die duplici acie vallavit urbem, et tertio equestri ordine. Quod videntes Judæi inclusos se, et obsessos undique, nec ullum [e] refugii locum, ipsa desperatione audaciam sumpsere. Nulla enim res promptiorem bello militem reddit, quam necessitas præliandi, et præruptum periculum. Urgebat Vespasianus jaculis, urgebat sagittis, missilibus quoque plurimi Judæorum ultra muros progressi, destinata feriendi arte vulnerabantur : manebant tamen impavidi. Tentabat omnia virtus Romana ; et maxime ubi infirmiora adverterat murorum subsidia, illic majore incumbebat manu : Pudor hos, illos armabat spes ultima, ferro sibi aperire viam salutis desiderantes. Gravia tolerabant Judæi, nec minora referebant tentamenta audaciæ. Peritia a Romanis cum virtute, furor a Judæis cum temeritate certabat. Fessis itaque tota die illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus, nox prælium solvit. Sequenti quoque die et tertio quartoque consimiliter, et quinto præliatum acriter ; sed ut solet fieri in talibus præliis, plura vulnera quam neces inferebantur, licet sæpe et excursus a Judæis et a Romanis tentarentur eruptiones : quos in iram accendebat pudor, eo quod victores Annibalis et Antiochi omniumque gentium, Judaicis præliis immorabantur. Tanta erat Romanæ virtutis [f] constantia, ut non cito vincere pars victi æstimaretur : sed adversus naturam magis erant illis, quam in hostem certamina. Nam civitas præruptis undique prope erat interclusa rupibus, non vallo et fossa, ut aliæ urbes, sed profundis erat circumvallata præcipitiis, quæ nec visus hominum comprehenderet, nec usus investigaret, et horror [g] sollicitius intuentem magis magisque involveret : tantum ab aquilone in mon-

[a] *Deformis*. Id.
[b] *Malis*. Id.
[c] *Discessionis*. Id.
[d] *Potior*. Mox *videri* pro *præstare*. Barr.
[e] *Effugii*. Id.
[f] *Conscientia*. Id.
[g] *Sollicitus*. Id.

Digitized by Google

tis defectu unus ad urbem accessus, arduo tamen ascensu patebat. Quem Josephus muro interclusit, propugnatoribus sepsit, ut inter murum inferiorem et urbem superiorem periculosa [a] eruptio fieret obsidentibus, et intuenti esset inæstimabilis cognitio superiorum. Civitas enim ipsa in montis supercilio sita, in circuitu finitimorum montium velut quodam naturali vallo circumdabatur septo genitali abscondita, ut nemo prius illic urbem esse intelligat, quam in urbem ipsam fuerit ingressus.

## CAPUT X.

Vespasianus cum vincere naturam nequiret, eam sibi ipse in adjumentum accersivit, ut obsidione diuturna per inopiam cibi et potus cogeret obsessos ad deditionem : sed frumenti copia, multo ante congesta, propulsabat periculum famis. Aquæ erat difficultas maxima, quia neque ullus in urbe fons, et solemnis siccitas raris per ea locorum imbribus bibendi subsidium attenuaverat. Ductus omnes aquarum obstruxerat, ne in urbem mearent. Augebat inopia aviditatem, repugnabat natura. Commentum Josephus detulit, ut infusæ vestes muro suspenderentur, quo paulatim rotantibus aquis, crederetur illis non deesse ad potum, quod abundaret ad lavacrum vestimentorum.

## CAPUT XI.

Dejectus eo Vespasianus, rursus ad expugnandam urbem accenditur, atque omnem exercitum circa congregat : machinis murum quatit, pulsat aries. Nomen hoc species dedit, eo quod validæ ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, et quod ut frons arietis prætenditur, quæ obductis laminis turgescit, et prominet : e medio ejus quasi cornu procedit ferri solidioris. Magnitudo arboris in modum mali navalis, quam non ventorum procella, non velorum sinus flectant. Ea suspensa funibus ad superiora atque robusta arborum nexis, multorum manu valide in murum impellebatur. Deinde retrorsum ducta, atque in staterae modum sustentata retinaculis, majore impetu destinabatur, ut crebris ictibus fatigatum muri latus cederet, cavatumque vi [b] rupturis fenestram daret, qua Romanis hostibus via in interiora urbis pateret. Primo igitur ictu murus concussus est, contremuitque omnis. Clamor illico universorum, quasi expugnata urbe trepidantium, ne repercussus murus fatisceret. Sed Josephus saccos paleis repletos, in eum dimitti locum præcepit, in quem aries a Romanis intorquebatur, ut laxo saccorum sinu lusa plaga omnis arietis emolliretur. Illisa enim solidis solida nocent, solutioribus evacuantur. Denique facilius solidiora mollioribus cedunt, quam molliora solidioribus. Nam et aquæ alluvione scopuli solvuntur, nec ruina rupis ullum est damnum aquarum; et jactis in freta molibus, aqua suos usus reservat; sed petra inter undas reservare suos nescit. Arenam

A quoque marmoris ruina non frangit, et marmor arenæ ruina comminuitur. Retulerunt tamen etiam Romani, quo commenta refellerent Judæorum, contra falces ligantes, quibus demissos inciderent saccos, quod vacuatis paleis evitare arietis ictum nequirent. Reparato itaque impulsu machinæ, cum se Judæi urgeri viderent, unus ex his Eleazarus, ingentis magnitudinis saxum elevans, de muro super arietem elisit tanta vi, ut comminueret caput machinamenti. Exsiliens quoque in medium hostium, rapuit illud, atque in murum ferebat intrepidus in conspectu adversariorum, et patens vulneri. Denique jaculis quinque figitur, sed nequaquam conversus ad vulnera, quomodo ipse saxi ruina hostem involveret, intendebat. Ascendit itaque murum, et victor doloris stetit conspicuus tantæ præsumptionis, ac super arietem se saxumque dejecit, et cum eo corruit. Victus quidem morte, sed victor machinamenti, cum [c] in se solus discesserit patriæ; in machinamenti autem comminutione, totam urbem ab excidio servaverit. Netyras quoque et Philippus in medium se jecere agmen, ut averterent, quos [d] petierant. Josephus autem ignibus actis, ut machinamenta omnia exureret, brevi consumpsit plurima, sed consumpta reparabantur.

## CAPUT XII.

Instabat Vespasianus, urgebat ita, ut in talo feriretur jaculo sagittæ. Turbati sunt Romani, cum sanguinem ducis fluere cernerent. Exagitatus filius, cucurrit ad patrem. Sed ille supra vim vulneris virtutem gerens animi, prohibet trepidare filium, magisque in prælium accendit milites, ut injuriam ducis ulciscerentur. Ipse signifer revocabat exercitum, et ad muros cogebat. Ipse in bellum cæteros adhortabatur, alii sagittis, alii telis, alii balistis hostem urgebant. Tanta autem erat hujus tormenti vis, quo saxa in hostem jaciebantur, ut percussus unus ex sociis Joseph qui prope adstaret, comminuto capite rueret, et occipitium ejus usque [e] ad tertium stadium excuteretur : mulier quoque alvo gravis percussa uterum, supra dimidium stadii de intima sede secreti genitalis, excuteret infantem. Ad postremum cum victor jam muro Romanus miles succederet, et in ipso aditu utrimque valida manu decertaretur : sicut erant conserti, oleo ferventi Josephus perfundi Romanos jubet, quod facile a vertice ad ima defluebat vestigia. Nec minor incendio flammæ candentis, olei fervor omnes artus depascebatur. Succedebant tamen alii, plerisque etiam sudor profluus olei vim refrigerabat. Et quamvis hujusmodi olei natura sit, ut cito calescat, et serius conceptum deponat calorem; tamen victoriæ studio abscondebant injuriam. Ardebant animis, ut nullum corporis sentirent incendium, nec tanti æstimabant pœnæ ferventis dolorem, quanti dispendium gloriæ, si

[a] *Irruptio.* Id.
[b] *Irrupturis.* Id.
[c] Forte legendum, *ipse solus decesserit.* Barr.
[d] *Poterant.* Id.
[e] *Ultra.* Mox *utero.* Id.

tamquam exsortes triumphorum desisterent bello, qui duces fuerant periculorum. Vel sanguine itaque suo restinguere incendium olei certabant.

CAPUT XIII.

Hac mora obsidionis, etiam Japhæ urbis quæ vicina erat, populus insoleverat, quod diu decernebatur. Unde motus Vespasianus, Trajanum qui præerat ordini quinto decimo, ductoris officio, direxit cum mille equitibus, et duobus millibus virorum militiæ pedestris. Qui sine retractatione profectus, vir acer et bellandi artibus præditus, convenientem studiis suis eventum belli reperit. Nam cum esset civitas, et natura loci septa, et gemino muro circumvallata, non contentus tegere se populus ejus munitionibus, occurrendum Romanis putavit : sed paulisper resistere ausi, intra murum exteriorem recipere sese volentes hostem pariter recepere. Nam cum ipsis festinantibus etiam Romani subintraverunt : confugientibus quoque ad murum interiorem, clausæ portæ, ne rursus Romani pariter irrumperent. Ita averso a se Dei auxilio, Judæi præliabantur, quo ante vincere solebant ; sed offenderant scelestis flagitiis, et ideo ab his pœna debita reposcebatur, ut donarentur eorum supplicia nationibus. Denique plures prope suis inter se bellis, quam ab hostibus, obterebantur. Exemplo est Japhæ populus, qui Romanis portas aperuit, et sibi clausit. Nam ut primum murum Romani irrumperent, ipsi patefecerunt : ut secundum murum Judæi non penetrarent, Judæi clauserunt. Receptus itaque hostis est, socius exclusus. Receptus ille, ne percussor deesset : exclusus iste, ne [a] penitus evaderet. Intra duos itaque muros cædebantur Judæi, manu cominus, de muro eminus. Plerique enim Romanæ militiæ viri constricti angustiis, murum ascendebant, atque inde in subjectos tela jaculabantur. Itaque Galilæi suis, quam hostibus infestiores, rogabant, ut in interioris muri vestibulo reciperentur, sed resistebant sui. Dimicabatur in portæ limine, Judæis inter se pugnantibus : isti irruentem cuneum gladiis excipiebant : illi resistentes moriebantur. Sæva imprecantes sibi invicem, et minora se meritis suis perpeti supremis vocibus attestabantur. Itaque exstincta sunt [b] duo millia virorum omnium præliatorum. Ratusque Trajanus vel nullum jam sibi repugnaturum, vel facilem urbis expugnationem, veteris vir disciplinæ summam victoriam Vespasiano reservavit, misitque ad eum, postulans ut filium suum dirigeret Titum, qui finem prælio daret. Quo adventante, facta irruptio, cæsique multi mortales, nec sine labore ac periculo victoria cessit Romanis. Quibus ingressis murum interiorem, [c] objecerant se, quicumque erant bello idonei et in angustiis positi ; anceps bellum victoribus effecere, pugnantibus desuper virili ac muliebri sexu, ac sæpe etiam in suos saxa atque omnia quæ forte repererant telorum genera jaculantibus. Denique sex horis in ipso fine quasi ab exordio pugnatum. Ad postremum cæsis, qui constiterant pugnaturi, tum in cæteros sine ordine, sine modo, sine misericordia ; senes cum adolescentibus jugulabantur ; mulieres cum parvulis reservatæ, non ad veniam, sed ad servitutem : masculi omnes interfecti, nisi quos pueritia, aut infantia defendit ; in prædam ducta sunt duo millia, centum et triginta mancipia, domini cum servulis [d] æqua jam sorte conditionis, quos captivitas pares fecerat.

CAPUT XIV.

Nec Samaritæ immunes miseriarum fuere. Nam cum secundum consuetudinem suam [e] ascendissent montem Garizim, qui erat illis consecratus, ubi adorare solebant : unde et in Evangelio dicit Samaritana : *Patres nostri adoraverunt in hoc monte.* Et responsum est ei : *Veniet hora, quando neque in hoc monte, neque Hierosolymis adorabitis patrem* (I *Joan.* IV, 20 *et* 21). Debebatur enim, ut cessaret superstitio, et vera religio succederet : evacuaretur umbra, veniret veritas : ut jam non in monte, sicut Samaritani, non in Hierosolymis ter in anno, sicut Judæi : sed in spiritu in omni loco elevans puras manus homo omnis adoraret Deum, et in nomine Jesu genu flecteret. Cum igitur, ut supra diximus, in monte collecti, secundum suos ritus manerent, belli autem minas prætenderet ipsa congregationis species, vel sensus eorum, qui nec malis finitimis resipiscebat ; multo autem amplius prosperioribus Romanorum successibus per invidiam commoverentur, ac prope tumultum res essent ; consultius æstimatum est, eos præveniri, ne in majorem pestem erumperent. Vocatoque præfecto ordinis quinti cum tribus millibus utriusque militiæ viris, eo [f] eum Vespasianus direxit. At ille ascendere montem primo exordio periculosum ratus (erat enim simul juncta terrori multitudo populi, et præruptum naturæ) circumdedit exercitu montis confinia : et toto die deferri fecit custodiam, ne quis aquatum descenderet. Cum igitur tantam hominum [g] multitudinem vexaret sitis, quæ magis ac magis æstu exardescebat, et plerique servituti se vel etiam neci mallent offerre, ne vel fame vel siti perirent ; Cerealis (hoc enim nomen præfecto) ex descendentibus universos esse defatigatos æstimans, cinxit montem, ac more militari pollicens salutem si arma deponerent, recusantesque jussit feriri. Itaque exstincta sunt illic millia undecim et sexcenti viri.

CAPUT XV.

Jotapatæ quoque quadragesimo et octavo die facta irruptione primo diluculo, cum adhuc multo superioris diei fessi labore requiescerent, primus omnium Titus cum Sabino ingressus, cæteris viam præbuit. Comprehensisque superioribus locis, in angustiis platearum passim, et ignari adhuc factæ

[a] *Periturus.* ID.
[b] *Duodecim millia,* Josephus lib. III, c. 11. ID.
[c] *Objecere.* ID.
[d] *Æquata.* ID.

[e] *Congregati ascendissent.* ID.
[f] Pronomen istud codex mss. non habet. BARR.
[g] *Constipationem.* ID.

Digitized by Google

irruptionis feriebantur. Alii in suis stratis, alii expergefacti, alii vigilantes, sed inedia ac somno soluti pœnas dabant. Adhuc tamen totam urbem vis latebat malorum. Sed ubi exercitus ingressus militari infremuit ululatu, ad solum fere subeundæ mortis affectum insurrexerunt. Et si qui superiora petere tentaverant, repulsi cædebantur; et quibus ulciscendi vis suppetere poterat, ipsa coarctatio vindictam ademerat; et si qui resistere parabant irruentibus supra se aliis, bello abscondebantur. Alii multo fessi certamine, demissis manibus sese offerebant vulneri, ut vel morte tam feralibus malorum suorum spectaculis eriperentur. Hac deceptus securitate pereuntium centurio Antonius, rogatus a quodam, qui in spelæa confugerat, ut ei dexteram daret, obsidem veniæ et salutis sequestram: porrexit illico, doli negligens, et væ miser! nimium securus triumphi: sed ille incautum spiculo ferit, et statim transfigit, ne impleta esset incruenta Romanis victoria. Illo ipso die interfecti omnes, quicumque inventi. Sequentibus autem diebus etiam de hypogeis et cæteris defossis specubus producebantur, vel ibidem exstinguebantur, exceptis parvulis ac mulieribus. Cæsa, per omnes dies, quadraginta millia, quæ numero comprehensa sunt; in captivitatem deducti mille et ducenti; eversa et igni exusta est civitas, et castella ejus omnia, anno imperii Neronis XIII. Josephus interea inter favillas urbis in quodam lacu delitescebat, haud inscius quod quasi dux adversi agminis studiosius requireretur. Egressus die secundo, ubi septa advertit omnia, revertitur in lacum. Tertio die mulier quædam reperta, cognitas sibi Josephi latebras, quærentibus demonstravit (sed in lacu [a] quadraginta viri, qui eo confugerant, sese tegebant). Qui ubi advertebant Josephum, primo per Paulinum et Gallicanum a Vespasiano ad spem salutis vocari, postea per Nicanorem, qui Josepho veteris amicitiæ gratia copulabatur, et ideo missus, ut dexteram daret, promptius officium mandati muneris exsequebatur: circumfusi Josephum talibus adoriebantur sermonibus:

## CAPUT XVI.

Nunc major Judæi nominis tentatur ruina, nunc favilla tetrior, quæ sepeliat et abscondat splendidissimæ disciplinam prosapiæ, atque omne decus subruat, quando Josephus ad triumphum captivus reservari jubetur. Quid sibi volunt tam sedula subito invitamenta hostium? Quid dona salutis spontanea? Rogantibus vitam aliis non pepercerunt. Josephus accersitur, Josephus rogatur ut vivat. Metuunt videlicet, ne pompam amittant triumphi, ne desit, quem spectet Roma captivum, quem catenatum Vespasianus ante currum suum dirigat. Ad hæc igitur ludibria vis reservari? Et unde triumphabunt, si dux eorum defuerit de quibus triumphatur? Aut qui triumphus, si amicitia datur victis? Ne credas, Jose-

A phe: vita tibi promittitur, sed parantur graviora morte. Vicerunt te Romana arma, non capiat fraudulentia. Atrociora sunt dona eorum, quam vulnera. Illa enim captivitatem minantur, hæc libertatem reservant. Inflecteris, Josephe, et animi quadam fractus mollitia, vis esse patriæ superstes? Ubi est doctrina Moysis, qui se de libro cœlesti deleri petebat, ne plebi Domini superviveret? Ubi est Aaron, qui inter vivos ac mortuos medius stetit, ne mors viventem populum sævo contagio [b] depasceret? Ubi est regis Saulis et Jonathæ devotus patriæ animus, et mors illa pro civibus suscepta, et fortiter glorioseque expetita? filius patrem exemplo invitavit, pater filium mortis proposito non dereliquit. Qui cum posset vivere, maluit se interfici, quam ab hoste triumphari. B Hortabatur armigerum suum dicens: *Percute me, ne veniant incircumcisi isti, et percutiant me, et illudant me* (I *Reg.* XXXI, 4): quia armiger timuit, ipse se gladio transverberavit. Dignus quem David spiritu prophetico vindicaret: quia se degener Amalecita de ejus morte falso jactaverat, et gloriam viri qui se ipsum hosti exemerat, imminuendam putavit, ut a se interfectum mentiretur. Dignus etiam, quem tantus laudaret propheta dicens: *Saul et Jonathas speciosi et charissimi inseparabiles in vita sua, et in morte non sunt separati: super aquilas leviores, super leones potentiores* (II *Reg.* I, 23). Ipse quoque David cum populum percuti ab angelo videret, in se voluit cœlestem derivari vindictam, ne pereunte populo reservaretur. Postremo ubi lex divina cujus interpres C semper fuisti, quæ pro hac brevi vita perpetuam justis promisit immortalitatem? Ubi Deus Hebræorum, qui docet justos mortis contemptum habere? Refugere etiam debere terrenum habitaculum, [c] anhelare ad superna, ad regionem paradisi, ubi Deus ipse pias animas conservavit. Nunc demum cupis, Josephe, vivere, quando non oportet, immo nec licet: immo, quod majus est, non decet: et [d] carpere desideras lumen illud (ausim dicere) servitutis, quod in aliena potestate est, ut id quando voluerit Romanus eripiat: quando velit, carceris tenebris obducat; ut optes hinc fugere, nec liceat mori: et quo pudore ad eos ibis, quibus persuasisti pro patria mori? quam excusationem habebis, quod tam diu resederis? Exspectant quid agas: [e] dicent profecto: Quid moratur Josephus, qui prævenire debuit? cur tam sero D sequitur? cur discipulos suos quibus pro libertate moriendum suasit, imitari recusat? Perferemus certe nos, quod servire elegeris assertor legis et libertatis, quod mancipium te Romanis addixeris, quod captivitatem libertati præposueris. Sed esto, velis vivere, quomodo hoc impetrabis ab his, adversum quos toties præliatus es? Quomodo te intuebuntur? quibus oculis? quibus animis? Quomodo iratis dominis, etsi liceat, vivere voles? Aut quis proditorem patriæ non credet fuisse, cui mercedem solu-

[a] XL viri. Id.
[b] *Depasceretur.* Id.
[c] *Revolare.* Et paulo post *sacravit* pro *conservavit.* Barr.
[d] *Capere.* Id.
[e] *Dicunt jam.* Id.

Digitized by Google

tam proditionis videbit? Utrum mavis elige : horum alterum sit necesse est. Vita tua aut præmium proditionis erit, aut servitutis supplicium. His dictis intentarunt gladios, addentes : Si acquiescis mori, quasi amici ministerium præbemus : si recusas, quasi proditi ultionem exigimus.

## CAPUT XVII.

Ad hæc Josephus refert : Et quis velit esse tantæ mortis superstes? Quis eligat fieri hæres doloris? Quis animam suam nolit ex ipso corpore mortis, si liceat, absolvi? sed non licet solvere, nisi ei qui ligaverit. Naturæ vinculo conjuncta est anima corpori. Quis auctor naturæ nisi omnipotens Deus? Quis hoc animæ et corporis nostri Deo placitum contubernium interrumpere ac dissociare audeat? Si quis imposita manibus suis præcepto herili vincula, sine arbitrio domini sui B detrahat, nonne is gravi pulsasse injuria suum dominum condemnabitur? Dei possessio sumus, Deo servitium debemus; quasi servi exspectemus imperia, quasi vincti reservemus vincula, quasi fideles bonum depositum custodiamus. Non recusemus vitæ istius munus quod dedit nobis, non refugiamus donum cœleste. Si hominis data rejicias, contumeliosus es : quanto magis servare debemus, quod a Deo nostro accepimus? Ab ipso itaque accepimus, quod sumus : ipsius quoque debet esse, ut quamdiu velit, simus. Utrumque enim ingrati est, et citius discedere quam velit, et diutius vivere quam voluerit ipse qui vitam donavit. Numquid ante festinavit exire Abraham? numquid, ante ascendit Abarim Moses, quam diceretur ei : *Ascende in montem Abarim* (*Deut.* XXXII, 49)? Sed C dictum est, *Ascende* : et ascendit, et mortuus est : quasi bonus servulus, exspectavit Domini præceptum. Ipse Job qui dixit : *Pereat dies illa in qua natus sum* (*Job* III, 3) : tamen in vulneribus et doloribus positus, vitæ hujus vincula non disrumpebat, sed ut liberaretur rogabat, dicens : *Ut quid datum est in amaritudine lumen, vita autem in doloribus animæ* (*Ibid.*, 20)? Laudabat itaque mortem, cum diceret : *Mors* [a] *vero requies* (*Job* XVII, 16) : tamen non præripiebat, sed postulabat, ut scriptum est : *Concutior omnibus membris : et quia sum impius, quare non sum mortuus? Cur de ventre matris non in sepulcrum decidi? Aut* [b] *numquid breve tempus vitæ meæ? Dimitte me requiescere paululum* (*Job* X, 18-20). Alius quoque sanctus dicit : *Educ de custodia animam meam* (*Psal.* D CXLI, 8). Petit evadere : petit ex hoc corpore quasi de quodam liberari carcere : nullus tamen sanctorum necem sibi ipse usurpat, nullus præripit. Si lucrum est mori, furtum est usurpare ante exspectatum : Si bonum est vivere, [c] sacrilegium est repudiare ante quam reposcatur. Sed gloriosum putatis in bello mori? Nec ego abnuo bonum esse pro patria, bonum pro civibus in bello mori. Sed belli lege offero jugulum, si hostis petat : si mucronem demergant Romani, quibus de nobis Deus victoriam dedit, quibus

A propter peccata nostra nos adjudicavit. Nec mihi blandior, quod parcendum spondeant. Utinam fallant! Vel hoc lucrum feram, quod me sic timuerunt ut fallerent; vel hanc ultionem referam, quia frangunt fidem. Malo illorum latrocinio perire quam meo. Latrocinium meum est, si mihi ipse intulero manum : si hostes, beneficium. Ergo illud cum beneficium dare possent interimendo, servandum putaverunt quod in potestate habebant : ut captum occiderent, latrocinati sunt. Sed pollicemini mihi manus vestræ ministerium : re vera percussor nobis defuit, ut nostro scelere pereamus. Nolo meo, nolo vestro scelere perire, quod plus est quam meo, nolo mutuo. Hoc est enim unumquemque nostrum sibi manus inferre, vicariæ necis mercedem solvere : ut jam non solum B pro suo quisque, sed etiam pro alterius sanguine scelus debeat. Verum regis Saul exemplum promitur, ejus certe qui adversus voluntatem divinam rex postulatus est, et offensam meruit Dei. Unde etiam cum viveret, successorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia, et tamen voluit mori, quia jam non poterat vivere. Voluit tamen et ipse ut eum socius occideret : sed et ille scelus putavit, recusavit ministerium. Non igitur usus consilio, sed destitutus ministerio fecit, ut ipse gladium in se converteret. Si timens fecit, ne sibi illuderetur, quid laudas quod timoris est? Si non timuit, cur primo aliud elegit? Ego nec illudentes Romanos timeo, nec mentientes. Saul tantum se solus peremit; non Jonathas, non quisquam alius in nostris C Scripturis. Quid mirum, si potuit se perimere, qui potuit etiam filium occidere? Aaron inter vivos ac mortuos stetit : et hoc virtutis est, non temeritatis : non enim mortem sibi intulit, sed mortem non timuit : qui eam corpore suo repulit, et serpenti [d] in omni obstaculo fuit. Non ego quidem Aaron, sed tamen non degener ab eo, offero manus; feriant ut volunt. Si possum eorum manus timere, dignus sum qui manibus peream meis. Si [e] pereunt illi adversario, cur ego non peream mihi? Si quæritis cur parcere velint; et in hoste virtutem mirantur. Tanta est enim virtutis gratia, ut frequenter etiam hostem delectet. Nostis etiam ipsi, quanta intulerim exitia Romanis, quomodo victores omnium gentium, Jotapatæ ignobilis urbis D diuturna obsidione, ab Hierosolymitanæ urbis excidio averterim. Brevi damno totius belli aleam lusi. Didicerunt cæteri meo periculo pacem optare. Fortassis ad hoc reservamur, ut non deterreantur cæteri, sed provocentur. Sed suave asseritis mori pro libertate. Quis negat et illud? tamen dulce vivere pro libertate. Nam qui amicitiam offert, libertatem promittit. Quod si servitutem inferat, tunc erit certe opportunior moriendi voluntas, si oportuerit mori : Nunc autem vitam offerunt; nolunt occidere. Timidus autem est, et qui non

[a] *Viro.* ID.
[b] *Numquid non breve.* ID.
[c] *Sacrilegum.* ID.

[d] *In omnes.* ID.
[e] Leg. *parcunt..... parcam.* ID.

Digitized by Google

vult mori quando oportet; et qui vult, quando non oportet. Quis enim ignorat feminæ timiditatis esse, et muliebris [a] fortitudinis, ne moriare, mori velle? Denique pavidæ mulieres, ubi aliquod imminere sibi periculum cognoverint, solent se præcipitio dare. Angusti enim animi molem formidinis, et metum mortis sustinere nequeunt. Vir autem patiens, qui præsentia non timet et futura cogitat, nescit trepidare, ubi non est timor. Denique scriptum est, quia *animæ effeminatorum esurient* (*Prov.* XVIII, 8), quæ cibum utique virtutis non habentes esuriunt: ideoque ad mortem ante tempus festinant. Neque enim repletus cibo gratiæ spiritalis, sibi ipsi manus irrogat, cum scriptum sit: *Quia os imprudentis mortem invocat.* Et iterum dicit Scriptura: *Et qui non curat seipsum in operibus suis*, [b] *frater est ejus qui se ipsum exterminat* (*Ibid.*, 9). Condemnatur ergo qui se ipsum percusserit. Quid enim tam contra legem naturæ? Quid etiam tam contra naturam omnium animantium? quibuslibet feris licet atque agrestibus, insitum est se amare. Naturæ enim lex valida est velle vivere, nec sibi mortem adsciscere. Denique ferro in se armari omnia genera animantium, nec si velint, possunt. Informem lethi laqueum homines invenerunt, feræ nesciunt. Sed morsus ferarum arma sunt, dentes eorum gladii. Quando tamen quisquam audivit, quod sibi aliqua fera proprio morsu membrum ademerit? adversum alios faucium suarum armis utuntur, adversum se osculis. Nobis quoque quid tam dulce quam vita? Quid tam inimicum quam mors? Denique qui vitam protexerit, patronus est: qui mortem appetere tentaverit, insidiator est. Quod ergo in aliis exsecramur, si nos appetamus ipsi nobis volumus inferre: et quod ab aliis pro pœna exigimus, hoc ipsi nobis irrogamus pro gratia: et gubernatorem si commissam sibi navem saxo illidat, persequimur: nos commissum nobis nostri corporis gubernaculum ferro exstinguimus, et voluntario naufragio addicimus? Sed objicitis mihi mortem maturam, cum in potestatem hostium fuero deductus. Quid ergo lucrifaciam si quod ab hoste metuo, hoc ipse mihi inferam: cum possit accidere, ut quod suadetis mihi facere, non faciat inimicus? Hujusmodi istud est, ac si videns gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratia declinandæ navem fluctibus immergat. An quia graviora supplicia exacturus est adversarius, ideo præveniendum putatis? vel quia strenuum arbitramini, ut in nos ipsi ferro utamur? sed id imbecillitatis suffugium est, non virtutis tropæum, captare lucrum suppliciorum. In hoc igitur inhæremus, quod nec insignia habeat fortitudinis, nec profectum utilitatis. Quid autem attexam [c] violati depositi religionem? Deus omnipotens thesaurum nobis optimum dedit, atque inclusum in hoc vase fictili et consignatum, commi-

A sit nobis custodiendum, quoad ipsi placeat reposcere. Nonne in utroque crimen est, vel rejicere depositum, non reposcente qui dederit: vel reposcente negare? Si hominis depositum violare, pœna infamiæ est: quanto magis violare depositum Dei! Depositum Dei [d] in anima est in hoc corpore, anima quæ mortis istius capax non fit. Non enim ullo mortis vinculo astringitur atque alligatur, sed videtur mortem opperiri, cum solvitur corpore, atque de commisso sibi contubernio sejungitur. Cur igitur ante repetitum depositum mortem irrogamus, et animam quasi inutilem nobis remittimus, atque e domo nostra excludimus, et corpus sine decore et gratia sui in terram resolvimus? cur exeundi hinc præceptum non exspectamus?

B Miles tesseram exspectat, servus imperium. Si quis horum sine præcepto exierit: alter desertor, alter fugitivus est. Qui hominem fugit, pene est obnoxius, quamvis improbum fugerit dominum: nos optimum omnium fugientes possumus non astringi impietatis flagitio? Num etiam istud præterit nostram opinionem quod, *apposuit Deus Angelum in circuitu timentium eum* (*Psal.* XXXIII, 8)? Est ergo qui prohibeat, nisi præceptum acceperit? si nullum præceptum, nullum viaticum. Et quomodo perveniemus sine viatico? Quis nos recipiet in illum purum et secretum locum? Quis nos admittet ad illa sanctarum animarum consortia? Adam latebat, quia præceptum Dei prævaricatus est: exclusus est de paradiso, quia non servavit mandatum. Dicitur

C ei: *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? Quasi ei qui fugerit, quasi ei cujus apud Deum non est præsentia. Nonne et mihi dicitur, Ubi es? qui præter præceptum venisti, quem ego naturalibus vinculis non relaxavi? *Tollite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium et dolor* (*Matth.* XXII, 13). Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus: namque alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui patris imperium non exspectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulcro. Alii dexteram manum abscindunt defunctis, ut separetur a membris sui corporis, [e] quod adversus corpus suum vesano militavit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt,

D aut proditores vel percussores parentum, qui verum patrem non agnoverunt, nec sese cognoscunt. Ideo aut penitus sepeliri prohibentur, aut non toti sepeliuntur. Animas quoque eorum non paradisus recipit, sed inferorum tenebræ, sævaque supplicia. Hæc mihi reputanti, quamquam omnia erepta sint, sola tamen terrori ac formidini sunt: [f] nec mihi ipsi inferam, quæ nec hostis poterit inferre: et illa paradisi eripiam, quæ Romanus adhuc non potuit eripere. Certe accelerare potuit, non poterit auferre, quæ sola impatienter desidero.

[a] *Formidinis.* BARR.
[b] Vet. cod., *frater est sua opera dissipantis.* ID.
[c] *Violari.* ID.
[d] Forte delenda præpositio, legendumque: *Depositum Dei, anima est in hoc corpore.* GALLAND.
[e] *Qua.* BARR.
[f] *Ne mihi.* ID.

Digitized by Google

enim vitæ hujus ulla me cupiditas tenet, in qua nec apud cives, nec apud hostes cepi quod delectaret. Isti mihi pacem negarunt, illi patriam eripuerunt. Inter tot mala quid potest suavitatis in hac vita superesse? Tu modo, omnipotens Pater, qui naturæ auctor atque arbiter es, honestum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum: redde animam meam secretis suis. Exstinctus sit populus, ereptum jus, libertas infracta: non prævaricabor tamen legem tuam, ut moriar injussus. Exspecto ut jubeas, exspecto ut volentem liberes. Multos habes tui imperii exsecutores: a te exspecto imperium, ab exsecutore ministerium. Bonum est mori: sed moriar, ut Hebræus, non ut latro, non ut carnifex, non ut hostis. Victus sim licet bello, manebo tamen, quod natus sum, ut Abrahæ patris hæreditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, ut ipse meus percussor sim. Offerre me hosti percutiendum sine pietatis possum dispendio: manus meas mihi [a] in hostem convertere sine scelere non possum. An vero metus est, ne non liceat nobis secundum legem vivere? Revera nunc magna libertas est, quibus nunc licet secundum legem mori.

## CAPUT XVIII.

Hæc Josephus allegabat, quo evacuaret voluntariæ mortis [b] affectionem. Sed illi, qui semel sese morti devoverant, quia verbis resistere non poterant, gladiis quasi ferituri illico, virum circumstetere nisi acquiescendum putaret. At ille circumdatus, alium ducis revocabat auctoritate et virtutis constantia, alium severo obtutu conveniebat. Hujus revocabat dexteram, illius inflectebat iram, mulcebat consilii salubritate. Diversis modis unicuique irrationabilem extorquebat furorem. Etenim quamvis ultima sors victi dignitatem extorserat, non penitus tamen aboleverat reverentiam. Paulatim itaque deponebantur manus, recondebantur gladii, tamen intentio perseverabat. Cum videret unum a pluribus se obsessum teneri, sive casu quodam, sive consilio [c] commentatus est, ut minueret numerum repugnantium. Committamus, inquit, sorti moriendi ordinem, ut se nemo subtrahat, cum sors conveniat universos. Istiusmodi conditio sit sortis, ut is qui sorte exierit, ab eo qui sequitur, interimatur. Itaque fore ut sors unumquemque, non propria voluntas morti adjudicet. Stet igitur unusquisque sub sorte judice, et exsors sceleris et liber captivitatis, ut non alieno arbitrio acceleret, aut declinet suo, mortem futuram. Nemo recusare poterit eventum, quem vel casus intulerit, vel voluntas Dei signaverit. Fidem fecit oblatio, et universorum assensus sorti acquievit. Quisque sorte est designatus, paratam sequenti necem præbuit. Itaque accidit, ut interemptis reliquis, Josephus cum altero superesset neci. Manebat necessario, ut aut sorte condemnaretur, aut certe, si exitio super-

A esset, sanguine socii contaminandus foret. Suadet ut sorti renuntiaret. Sic domesticum evasit prælium, et per Nicanorem ad Vespasianum deducitur. Fit concursus ad ejus advenientis spectaculum, Romanis fere omnibus confluentibus; alii videre dejectum desiderabant, quem paulo ante in amplissimo honore positum, summæ rei præesse intuebantur: alii certabant capto illudere, alii vices rerum humanarum tam varias atque flexibiles mirabantur. Plerique consultius ingemiscebant, qui in alienis casibus sibi posse eadem accidere reputabant. Titus præ cæteris movebatur, ingenita animi mansuetudine: illum dudum bellatorem superbum subito potestati addictum hostium alieni [d] motus sortem opperiri vitæ naufragium, exsulem spei, incertum B salutis. Tantum valere momenta in præliis, ut brevi casu dispares sui reddant, cum aut potentes dejiciuntur, aut afflicti levantur. Itaque pars melior, eorum scilicet qui honore potiebantur, mitiora consilia dabant: maxima tamen portio salutis apud patrem Josepho Titus fuit. Vespasianus eum asservari præcepit, ne forte elaberetur.

## CAPUT XIX.

Inde paucis post diebus Ptolomaidem repetit, atque inde Cæsaream contendit, urbem Judææ maximam, sed magis gentilibus refertam inhabitantibus: unde cum plausu et lætitia suscepere exercitum Romanum, non solum Romanæ societatis exoptata sibi gratia, sed insito quoque odio plebis Judææ: cujus principem Josephum oportere puniri maximis C clamoribus vociferabantur. Quam Vespasianus, ut vulgi iram sine judicio conceptam, silentio dissolvit. Et quia ad hiemandum, et tempus opportunum, et civitas erat, duos ordines in Cæsarea constituit, decimum quoque et quintum ordinem in urbe Scythopoli, ne Cæsarea totius onere exercitus attereretur. Ideoque urbs memorata Dianæ Scythicæ consecrata, tamquam a Scythis condita, et appellata civitas Scytharum, ut Massilia Græcorum: situs loci declarat ingenitam duritiam conditoris, patientia magis camporum, quam conducibilia habitationis usui delegisse. [e] Namque aperto et aspero hiemis, et ferventi tempore æstatis plus laboris habent, quam delectationis: quoniam et hieme plus frigori patent, et gravior in his locis æstatis fla-D grantia est, in quibus solem totum recipiunt sine ulla arvi virentis amœnitate. Itaque campestris et maritima regio memoratæ urbis, etiam æstu maris amplius vaporabatur.

## CAPUT XX.

Nec tamen a negotiis bellicis Vespasianus vacuus erat. Cognito etenim diversis ex locis ad urbem Joppen sese contulisse plurimos, eamque sibi opportunam ad excursus piraticos, reparatis ædificiis quæ a Cestio destructa fuerant, instauravisse: quoniam vastata regione, subsidium alimoniæ mari quæ-

[a] *Mihi* pro *in me*. Al., *ut in hostem*. BARR.
[b] *Assertionem*. ID.
[c] *Commentus*. ID.
[d] *Alieni natus sorte*. ID.
[e] *Namque aperta et aspera hiems, et fervens tempus æstatis*. ID.



Digitized by Google

rebatur, diligenter exploravit omnia. At illi statuentes hujusmodi navigia quæ usui prædonum accommoda forent, speculati commeantium transitus, universa prope Phœnicis atque Ægypti commercia populabantur; adeo ut crebræ prædationis terroribus, omne illud mare clauderent, atque indubii periculi metu navigandi usus interciperetur. Quo comperto pedestris militiæ manum et equitum plerosque pergere jubet, et nocte Joppen ingredi. Quod facile factu fuit, cum custodia nulla civitati prætenderetur: quoniam eversa urbis fama, nullas excitatura Romani curas ducis æstimabatur. Præsentes tamen erant: sed non ausi resistere atque ingressum negare Romanis advenientibus, navigiis ascensis, ultra jactum progressi sagittæ, in mari pernoctaverunt. Res postulare videtur, situm littoris ejus quo prætexitur Joppe, breviter exponere; ut quemadmodum sine ullo prælio prædictæ urbi secunda clades fuerit, liquido manifestetur. [a] In portu est natura civitas, cujus ab ora maris littus asperum directumque, sed cornibus utrimque leviter inflexum: in quibus profundæ rupes saxaque ingentia, quæ mari prominent, et cum de imo maris surgant, in mare excurrunt tamen: unde etiam Andromedam illic fuisse cum ceto objectaretur, formæ locorum atque ipsæ rerum species prodere videntur, non mediocrem vetustis fabulis fidem accommodantes. Cædentibus itaque littus adversis Boreæ flatibus, immane quantum unde attolluntur: quæ scopulis illisæ fragorem ingentem excitant, atque in fluctus relapsæ inquietum illum maris sinum reddunt, ut plus periculi in portu quam in deserto sit. In eo igitur fluctuantibus scaphis, quas ex Joppe urbe productas supra diximus, ad matutinum flatus vehemens ingruit, quem Melamborium per ea locorum navigantes vocant, statimque inter se undis impellentibus scaphas miscuit atque involvit. Alias ruptis anchoralibus egit in petram: aliis cum in adversum mare violenter subrigerentur, saxosi littoris periculum, vel a Romanis qui se circumfuderant littori, nautis fugientibus, clades occurrit, undaque præcelsa more supereminens oppressos demersit. Nec confugiendi ullus erat locus, nec manendi spes, cum ventus de mari expelleret, Romani urbe excluderent. Gravis erat navigiorum sonus, cum inter se colliderentur: intolerabilis hominum gemitus, cum frangerentur. Qui ubi vacillantibus alveis videbant mare irrumpere, alii se præcipitabant natandi peritia: alii dum in appropinquantes exsiliunt scaphas, in mare lapsi, concursu alveorum proterebantur. Plerique cum ipsis in profundo sidebant myoparonibus, quos enatandi fiducia destituerat, minore tamen cruciatu, quibus ars deerat, vel spes ulla tentamentorum mors transfigebat. Cæterum natare adorsos, convulsa navium fragmenta crebris quatiebant ictibus, lateribusque illisa miseros artus fœde mulctabant, aut scopulis impulsos inter ipsa amplectendi littoris vota, mors sequebatur, qualecumque tamen habentes solatium in terris periisse. Miseranda itaque facies erat, cum excusso infelicium cerebro cautes aspergerentur, sanguine maderent littora. Cerneres infectum cruoribus mare, repleta omnia cadaveribus. Et si qui forte evaserant, appropinquantes littori interficiebantur: æstimantibus Romanis quod non ex locorum asperitate usuque ventorum in illis locis desæviret procella, sed divina indignatione præter solitum conspirantibus ventis mare involveretur, ne Judæi evaderent: et ideo metuentibus eis parcere, quibus Deus non pepercisset. Fuere qui se ferro interficerent, tolerabilius rati ferro, quam naufragio perire: [b] alii qui contis protrudere volentes, navigia perforarent: nonnulli, qui lapsos in mare, si forte orarent ut a navigantibus elevarentur, remis repellerent aut telo ferirent. Quod ideo non prætermisi, quo clareat ab ipsis sibi Judæorum populis, quam ab hoste periculum majus fuisse, qui seipsos interimebant: quasi exigua essent ad eorum exitum, infesta simul omnia, cœlum, hostis, mare, rupes. Quatuor itaque millia quingentaque defunctorum numerata corpora quæ despuerat mare; sine bello capta urbs, et excisa a fundamentis. Sic in brevi tempore, secundo Joppen Romana manus diruit. Quod jure Vespasianus præcipiendum putavit, ne iterum illic piratica conderentur habitacula. Unde et equitatum eo loci, illinc cum peditibus paucioribus licet proficiscens, reliquit, ut pedites in loco manerent, ne quid auderet prædonum manus assueta latrociniis: equites autem percursarent finitima regionis vicosque et oppida, quo penitus omnia (ne conspirarent in aliquos ausus) diruerentur.

## CAPUT XXI.

Dum hæc in Joppe geruntur, quamvis procul Hierosolymitani degerent, nec sic quidem a consortio cladis feriabantur. Auditis enim, quæ gesta a Romanis fuerant in Judæa; et maxime, quia Josephum interfectum compererant, primo, quia de locis ad eos index nullus advenerat, non credebant: deinde ducem tantum non temere in manus hostium incidisse arbitrabantur. Et revera nullus nuntius tantæ cladis superfuerat, [c] et hoc ipsum supremi excidii fama, quia nullus index supererat, astruebat periisse omnia, nihilque resedisse vel ad indicium rerum gestarum. Manebat opinio quovis major relatu, quod ipsa incertos dum [d] tenent silentia, credebantur omnia quæ timebantur; tantumque aberat, quo verius aliquid nuntiaretur, ut etiam quæ gesta non fuerant, adjicerentur. Nam Josephum quoque interfectum fama asseverabat, idque dolori maximo fuit universis. Sed ubi eum apud Romanos degere compertum, tanto odio prosequebantur, ut cujus primo mortem dolebant, ejusdem vitam vel ignaviæ vel proditionis indicem detestarentur. Hinc major in Romanos commotio, ut se de Josepho ulciscerentur. Et quo magis

[a] *Importuosa est.* Barr.
[b] *Aliqui.* Id.
[c] *Et hoc ipso.* Paulo ante, *cladi.* Mox vero *manabat* pro *manebat.* Id.
[d] *Terrent.* Id.

Digitized by Google

eorum res inclinabatur, eo amplius in bellum accendebantur. Ubi finis esse debuerat, inde exordium malorum capessebatur. Nam sapientibus adversi exitus rerum, ad cavendum magis documento sunt, ne rursus eadem accidant quæ jam male cesserunt: imprudentibus autem incentivum miseriarum. Debuerat ergo Hierosolymitanis causa sobrietatis esse sociorum periculum : sed quia noluerunt intelligere ut bene agerent, in exitium vertit (*Psal.* xxxv, 4).

## CAPUT XXII.

Vespasianus tamen, ut et ipsa mora in melius consuleret sibi, et a labore exercitus paulisper requiesceret, roganti cessit Agrippæ, ut in urbe regni ejus Cæsarea Philippi viginti fere interponeret dies, simul ut ægra partium ejus a commotionis et discordiæ furore resipiscerent, qui se interventu regis suscipi posse, si converterentur, agnoscere deberent, cum tam sedula officiorum fœdera inter regem et Romanos intervenirent. Denique Tiberias proxima Cæsareæ remedium non abnuit, sanitatem invenit. Nam et ipsa gravi morbo dissidentis inter se plebis exæstuabat. Unde Vespasianus tres ordines validiores acciri, et Scythopolim petere, directo in negotium filio decernit. Ea erat decem urbium maxima, vicina Tiberiadis. Inde appropinquare muris Valerianum cum quinquaginta equitibus jubet, qui pacifica suaderet, et ad fidem societatis clausos vocaret, ut congregati exercitus terror, aversos percelleret, nuntius pacis volentes invitaret. Valerianus prope muros equo desiliit: eadem fecere etiam ii, qui simul propius accesserant. Quos pro numero spernendos arbitrati, Jesus prædatoriæ manus princeps, cum suis qui pariter incessere ausi, repentina eruptione deturbant loco, cædentesque simul quos deduxerant equos involavere: dementes qui non adverterent, consultius Valerianum cessisse insolentiæ, quam spolia de his qui pacem offerebant, usurpavisse. Denique seniores offensi facinoris acerbitate, urbem relinquentes, ad Vespasianum precatum venere, ne paucorum insolentia universæ plebi ascriberetur. Vespasianus illico ad urbem Trajanum direxit, ut exploraret, si populus insidiatorum temeritatem adversaretur. At ille convenientia populi studia, seniorum precibus annuntians, fidem legationi accumulavit. Ita petentibus venia data : maxime quia sollicitum regem pro totius urbis statu Vespasianus intuebatur. Cujus fide interposita, nihil tale ausuros postea, delicti gratiam volens cessit.

## CAPUT XXIII.

Inde Taricheas sollicito atque instructo agmine petit, eo quod plurimum ad ipsam urbem propter munitionem loci confluxerat multitudinis : et quia muro eam vallaverat Josephus, nisi qua pedestribus invia Generasi lacus fluctibus alluebatur, ideo navigiis congregatis, anceps bellum fremebat. Si terrenum inclinaret adversum se prælium, ad naves confugerent; si navali certamine [a] cederent, urbem revisérent, murisque sese ambientibus defensarent. Consimilia utrobique præsidia, vel in urbe Tiberiade, vel Taricheis. Sed Taricheis [b] perniciora ingenia : muris validior Tiberiadis. Sed et Taricheorum furor promptior, ut si necesse esset, miscerent omnia : navalia terrenis certamina, terrena classicis. Denique circumvallati, adversa acie, cum majora auderent viribus, nec adversus dispositionis Romanæ moderamina, veterani quoque exercitus virtutem quidquam temeritas promoveret; priusquam aliquid exitii subirent, versi in fugam, ad naves convolavere. Quibus confertis, tamquam densata acie præliabatur, ac si in terris manu res gereretur. In campo etiam multitudo innumerabilis hostem præstolabatur. Eo cognito filium cum delectis equitibus Vespasianus direxit. Qui ubi se ingentibus circumfusum copiis vidit, ad patrem quidem retulit majorem esse hostium multitudinem, quam opinio comprehenderat: sed convocatis quos secum deduxerat, bellandi incentivum hujusmodi alloquio infudit.

## CAPUT XXIV.

Viri, inquit, Romani, meminisse enim vestri vos nominis et generis præliaturos decet, quorum manus nemo effugit qui in orbe Romano est. Unde enim hoc nomen universis terris nisi vincendo dedistis? Meminisse etiam loci oportet, in quo nunc sitis, et adversum quos Romanum bellum geratis. In extrema enim parte orbis terrarum consistimus. Tanta ergo terrarum spatia transeuntes, nihil alienum vidistis. Quid enim vobis alienum, quorum in possessione orbis terrarum est? Quidquid ubique est, jus vestrum est : quidquid incolatus universorum tenet, possessio vestra est. [c] Currebat is bene, qui statuit vestros orbe toto currentes triumphos, quos non Hasdrubal Pœnus, non Pyrrhus Æacides, non Brennus Capitolinis vestibulis incumbens, non Persarum catervæ, non Ægyptiæ phalanges statuere potuerunt. Hos statuit rebellis Judæa, ineruditam præferens bellandi temeritatem, rixæ quam pugnæ aptior. Neque enim est quod vereor, sed plenum verecundiæ arbitror, quod vos vincendo defatigamini. Illi autem quoties vincuntur, audaciam sumpsere : [d] lassati vos, rebus secundis, cum illi adversis duriores sint. Attollite igitur animos, Romani viri, et adversus catervas hostium, freti patria virtute, exsurgite. Neque vos numerus moveat plebis Judææ, cum illos tot vestræ virtutis insignia non deterreant, quæ longe numero validiora sunt. Neque enim ulla in Hebræis vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia, nullus disciplinæ usus, nulla tolerandi patientia. Solum in prælium deferunt mortis contemptum : sed nemo umquam moriendo vicit hostem, sed perimendo. Illi nesciunt arma nisi in bello, nos in pace armis exercemur, ut in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim eventus dubii : vetera-

[a] Forte *caderent*. GALLAND.

[b] *Peritiora..... murus*. BARR.

[c] *Currebatis bene : quis statuit vestros orbe toto currentes triumphos? Quos non statuit Hasdrubal Pœnus* ..... *hos statuit rebellis Judæa*. Ita equidem legendum atque interpungendum existimaverim. GALLAND.

[d] *Lassari*. BARR.

Digitized by Google

nis solemnis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie, nisi ut nobis vana numquam prælia sint? Unusquisque domi quasi in prælio exerceatur, ut in prælio meditatio quædam certaminis sit. Denique non erraverit quisquam asserens, quod meditationes nostræ, bella sine sanguine sint, bella nostra meditationes sint. Progredimur in bellum muniti, undique tegitur galea caput, lorica pectus, totumque clypeo corpus: ubi feriat hostis Romanum militem, reperire non potest, quem ferro septum circumspicit. Aliis talia arma oneri sunt, nobis integumento, quia usu levantur. Adversum inermes igitur ac nudos prælium nobis est. An vero metuimus, ne numero circumveniamur? Primum liber in præliis equitatus est, cedendo atque insequendo [a] bellum proludit. Et quamvis maximas acies circumcursat, et quibus libitum fuerit spatiis excedit. Deinde in ipso pedestri certamine, non tam numerus plurium conficit pugnam, quam virtus paucorum. Multitudo disciplinæ insolens, ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victoriam, in adversis ad fugam. Virtus vero patiens et secundis valescit, nec usque ad finem labitur in adversis. Ac cedit illud, quod assuetudo victoriarum, incentivum nobis sit præliandi. Nam etsi illi pro patria, pro liberis dimicant; non ideo promptiores eos esse quam nos oportet. Neque enim minus est, immo haud scio an etiam amplius [b] nobis quam pro nostris decernere. Pro nobis præliamur, et cum præliamur pro gloria, ne minores simus eo quod sumus. Quis ergo dubitet, plus esse pro gloria decernere, quam pro salute? Nobis autem bellum hoc pro existimationis est periculo, ne jus partum intercidat. Periclitamur etiam, victores gentium et principes orbis terrarum, Judæis pares videri, quos ex æquo nobis [c] in adversarium constituimus, si non aliter nisi pari numero congrediamur. Majores nostri magnas hostium copias parva manu frequenter fuderunt. Et quid nobis conferunt quotidiana exercitia? quid diuturnus labor, si pares ad prælium venimus? Nuntiavimus quidem de numero patri, quia non licebat aliud: sed advertat, nos non de periculo metuisse, sed reverentiam belli arbitro reservavisse. Licet prælibare bellum, tenere hostem, rapere victoriam, dum adjumenta veniunt: ne non tam superatos adversarios communi robore, quam protectos nos virtute sua jactent, qui venerint. Quo igitur ore in conspectum patris veniemus, si bellum incipere timuerimus? Quo pudore degener filius subibo oculos tanti viri, qui nesciat militem suum nisi victorem videre? Quomodo ejus me militem probabo et filium, cum ille semper triumphator, ego etiam meo, quod gravius est, victus judicio, qui hosti Judæo cesserim? quid vobis fiet condemnato duce, quem vobis pater securus commiserit? Sed malo de virtute ducis vos, quam de ignavia causas dicere. Proruamus igitur in adversarios, properemus, [d] pro-

A teramus hostem. Primus in periculum excurram, vos sequimini, ut depositum patris custodiatis, et commissum patris reservetis. Ego autem non periculi socios exigo, sed consortes victoriæ. Vos tamen cavete, ne oblatam vobis palmam triumphi, aliis reservasse videamini, vobis eripuisse. Certe si secus cesserit, malo me filium pater in vulneribus meis recognoscat, si in militibus suis non recognoverit. Ponamus tamen offendi patrem prælii aggressione. Quid igitur tolerabilius, præripuisse victoriam, an deseruisse? In præripiendo properatio fortitudinis est, in deserendo culpa ignaviæ. Condemnet certe victores pater, reatum hujusmodi non reformido: malo reus esse triumphante republica, quam læsa innoxius. Utinam Manlii Torquati filium, vel in solo B mihi liceat imitari periculo; quem securi pater jussit feriri, quod contra imperium patris exercitum in hostem produxerat. Stabat hostibus cæsis adolescens, amictus adoreis triumphalibus, sub carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat in victoria mori. Quid enim illustrius, quam vitam triumpho claudere, nec ad incerta rerum servari post certam victoriam? O expetendum prudentibus crimen victoriæ! Utinam et nobis hoc objiciatur, quod vicerimus. Certe illo exemplo solus ego periclitabor, vos triumphabitis. Et tamen non prohibuit nos pater pugnare, sed jussit, quos ad pugnam direxit. Unde magis indignaturum arbitror, cessisse nos Judæis, cum possemus vincere, quam pugnavisse.

## CAPUT XXV.

C Hæc dicens, primus equum in hostem egit, et clamore magno secuti cæteri: toto campo extendebantur, quo etiam plures æstimabantur. Trajanus quoque cum trecentis equitibus missus a Vespasiano, jam progrediente Tito supervenit. Nec diutius resistere potuerunt Judæi, cum virorum contis et fremitu equorum perturbarentur. Conversi itaque in diversa alii, plerique urbem petebant. Emicat Titus, et alios a tergo fugientes opprimit, alios cædit, palantes universos præverso itinere a muris repellit, et obvius recurrentibus fugam intercludit. Rursus tamen tum alii sternuntur, elapsi alii quibus urbs refugio erat: sed [e] illis quoque acrius prælium. Nam qui de locis finitimis affluxerant, a principio pacem præferebant, sed populus superveniens [f] in- D victis bellandi studia extorserat. Inde intra urbem dissensio et tumultus gravis: quo strepitu excitus, se convertit ad milites Titus: Hoc, inquit, est tempus, sanctissimi commilitones, quod [g] expetebam. Inter se hostes intra urbem tumultum serunt, foris cæduntur, intus digladiantur. Festinemus itaque, dum adhuc dissident, ne forte periculi metu in gratiam redeant. Itaque ascendit equum quo desilierat, muris proximus; et conversus ad lacum, per fluctus aquarum urbem petebat; primusque in urbem

[a] *Prælium.* Barr.
[b] *Pro nobis.* Id.
[c] *In adversarios.* Id.
[d] *Præveniamus.* Id.

[e] *Illic.* Id.
[f] Legendum videtur *invitis.* Galland.
[g] *Exspectabam.* Barr.

Digitized by Google

irruit, et [a] postea cæteri. Statimque omnes qui interius erant, dispersi in fugam, alii prosternebantur, alii ascendentes navigia, in lacum demergebantur, cæsi intus multi mortales. Sane qui de agris erant, offerebant sese Romanis alienos culpæ asserentes, quibus pio moderamine Titus parcendum putabat, solos urgens rebellionis auctores. Misit itaque ad patrem equitem, qui nuntiaret eventum victoriæ. Quo delectatus Vespasianus, et maxime filii triumpho, qui maximam portionem totius belli confecerat quod adversus Judæam gerebatur, eo contendit, et jussit observari urbem diligentius, ne quis elaberetur, eo quod universi pœnæ deberentur. Alio tamen die propter eos qui in scaphas sese contulerant, rates fieri jussit: quæ sine mora factæ; quoniam et silvæ finitimæ, et operarii plerique accelerandi muneris facultatem dedere.

## CAPUT XXVI.

Namque lacus ipsius, velut quodam maris ambitu sinus amplissimus, in longitudinem centum quadraginta extenditur stadia, latitudine quadraginta diffunditur, crispantibus aquis auram de seipso sibi excitans. Unde et Genesar dicitur Græco vocabulo, quasi generans sibi auram: aqua dulcis, et ad potandum habilis: siquidem nec palustris uliginis crassum aliquid aut turbidum recipit, quia arenoso undique littore circumvenitur, et temperatior est fluviali aut fontis rigore. Frigidior tamen placidæ paludis æquore, eo ipso quod non in stagni morem sternitur aqua, sed per diffusiora spatia lacus frequentius auris spirantibus agitatur: unde et purior haustus ejus, ac mollior est ad usum bibendi; et si quis naturali gratiæ studium adjungere velit, ut æstivis suspensam, ad auras noctibus more incolarum potui patet, haudquaquam a nivis ritu distare arbitretur. Genera quoque piscium gustu et specie, quam in alio præstantiora. Res exigere videtur, ut Jordanis ortum quem alibi promisimus [b], aperiamus: nam superioris ævi dubio, utrum de lacu Genesar, flumen cui nomen Jordanis, exoriretur, Philippus tetrarches Trachonitidis regionis falsam opinionem redarguit, erroremque absolvit, mittens paleas in Phialam, quas in Pannio fluvius ebullivit. Unde liquet non exordium esse Jordanis in Pannio, sed fluentum. Non enim ibi fons ejus est, ut ab eo, usu cæterorum fluminum cœperit: sed de Phiala in Tracho eodem subterraneis derivatus meatibus, ibi iterum quasi fons scaturit, atque emergens proditur. Est autem Phiala in Trachonitide terra, centum viginti interjacentibus stadiis, usque ad urbem Cæsaream. Phialæ autem nomen [c] spes dedit, quasi rotæ qualitatem exprimens, quod ita jugiter plena est aquarum, ut neque superfluant, nec rursus aliqua derivari minutione intelligantur. Inferius itaque mensura quadam labitur aqua, et ubi Pannium est, rursus ebullit, ut paleis resurgentibus manifestatum est. Ita ibi Jordanis resurrexisse proditus est, A ubi nasci a superioribus temporis viris æstimabatur. Nec tamen a principio eadem Pannii, nisi sola naturalis gratia: sed regalis Agrippæ munificentia ornatus loco uberior splendidiorque aditus, quo spelæum decore admirabili, per quod sese attollit Jordanis, exstructum venustatumque accepimus. Unde non latenti jam neque abdito per cavos terræ meatus, sed visibili per terras atque aperto flumine incipiens, superfundere se Semechonitidem lacum, paludesque ejus intersecat. Inde quoque cursus suos dirigens, centum viginti stadia sine ulla interfusione progreditur usque ad urbem, cui Julias nomen: postea lacum istum qui Genesar dicitur, medio transit fluento: quibus ex locis plurima circumvagatus deserta, Asphaltite suscipitur lacu, atque in eum con- B ditur. Itaque duos lacus victor egressus, in tertio hæret. Prætendit autem regio Genesar, ejusdem nominis lacum, de quo et ipsa vocabulum assumpsit, mirabili naturæ gratia et specie pulchritudinis. Nam et spontaneos fructus soli ubertas ministrat, et nemorum ferax in universa genera sponte se subrigit: arborum pomiferarum et culturæ solertia imitata naturam, in quos voluit usus, opimæ fecunditatis deflexit gratiam; ut nihil sit illic quod natura negaverit, nihil quod cultura prætererit: ita aptus omnibus, nec ullis umquam alienus fructibus. Cujus tanta temperies, ut omnium nascentium conveniat diversitati. Illic et quæ frigore aluntur, sese multipliciter effundunt, et quæ æstu foventur. Illic æstiva hibernis mixta simul aspicias, arctoas nuces, et dac- C tylos nisi locis ferventioribus generari nescios. Quid ficus aut auleas loquar, quas cœli mollior alit tractus? nec tamen æquantur illis superioribus: illi enim principales Palæstinæ, et quidem domestici fructus, eoque uberiores: hi suppares, et licet longo intervallo, sed tamen [d] proximis, dicas naturæ et temporum jucundam contentionem. Illa quasi mater fecunda omnia creat: horum temperies quasi bona nutrix, molli fetu universa educat. Itaque non solum affatim generantur pomorum diversitates, sed etiam conservantur; ut aliqua genera maxima parte anni non deficiant: reliqua omnia tota anni ætate usque ad finem supersint. Nam et uvæ et ficus quæ sunt in insitivis, regalis cujusdam gratiæ, decem mensibus sine ullo defectu redundant, et reliqui fructus D ramorum, quos vel violentia rura sponte propria præcaverint, vel ingeneraverint industria humana, ministerium suum, nisi novis succedentibus, usu quodam administrantium deserere non norunt. Ad hanc naturæ fertilitatem et aeris temperiem, accedit et fontis gratia, qui memoratam regionem genitali quadam irrigat infusione, Capernaum nomen ei, quam Nili fluminis venam, haud superfluo quidam æstimaverunt: non solum quia irriguis arva opima, verum etiam quia hujusmodi creat piscem, ut coracinum putes, qui in Alexandrino lacu ex Nili infusione reperitur. Locus quoque de nomine lacus dictus

[a] *Et post eum cæteri*. BARR.
[b] Nimirum lib. 1, cap. 36. ID.

[c] *Species*. ID.
[d] *Proximi legendum videtur*. ID.

Digitized by Google

Prætenditur in longitudine triginta stadiis, in latitudine viginti. Quoniam de natura loci diximus, ad consummationem prælii regrediamur. Præparatis itaque ratibus, secundum præceptum suum, manum militarem imposuit Vespasianus, qui insectaretur eos qui navigiorum effugio pestem evaserant. Quid igitur facerent, non reperiebant. Nullus in terris salutis locus; circumfusa hoste omnia: nulla in aquis fugiendi potestas: ut pote lacu clauso, et undique Romanis circumdato. Nulla etiam in exiguis myoparonibus resistendi fiducia. Quid enim pauci adversus plurimos facerent, ratibus appropinquantibus? Tardior quidem harum appulsus, et efficacior excursus navigiorum, sed sine ullo sui vulnere soli clypeorum, repercussis spiculis, crepitus audiebantur. Appropinquare non audebant Judæi; nec impune quisquam scapha propius accesserat, cum de proximo facile vel telorum figeretur ictibus, vel ratibus demergeretur. Et si quis enatare vel emergere tentavisset, sagittæ jaculo insertus miserabilem in fluctibus vitam deponebat. Nec diutius resistere potuerunt, cum diverso genere minuerentur. Namque paulatim concurrentibus plurimis ratibus, ad littora cogebant Romani maximum numerum navigiorum. Illi vero coarctati aut in terram [a] resiliebant, ibique a Romanis interficiebantur, aut cædebantur ab iis qui de ratibus urgebant, aut concursu ratium proterebantur, aut ipsi se in lacum dejiciebant, cum in scaphas eorum hostis insiliret. Cerneres mixtas sanguine aquas, plenum cadaveribus lacum. Nulli enim parcebatur, quicumque occurrerat. Gravis odor, teterrimus fetor locorum. Sex millia Judæorum (cum superioribus tamen) et [b] septingenti es interempti prælio. Victor Vespasianus Taricheas revertitur: illic regionis populum ab urbano discernere parabat; ut qui non fuerant auctores seditionis reservarentur. Sed plurimorum consilio, qui tantam superesse multitudinem, quæ posset [c] recidiva prælia resuscitare, paci adversam, et inutilem locis arbitrarentur (ubi enim consisterent, patria [d] excussi? quibus se alimoniis sustentarent, exsortes omnium, nisi rapto viverent?) sententiam flexit, et sperata venia mortis præcepit, ut egrederentur ea porta quæ esset e regione Tiberiadis, atque ad eam urbem contenderent. Facile crediderunt, quod exoptabant. Cœperunt egredi, sed præoccupato itinere, commeantia Judæorum omnia clausere agmina, atque in urbis stadium introduxere. Ingressus itaque Vespasianus, spectata ætate vel robore omnium, quos sibi statui præceperat, elegit sex millia juvenum validiorum, quos Neroni in Isthmon direxit, senes autem et invalidos mille ducentos jussit necari reliquorum triginta millia, quadringentos vendidit; universos autem quicumque de partibus regni Agrippæ reperti sunt, regi donavit, quos æque rex accepto pretio, in servitutis obsequia transmisit. Præterea populus alius Trachonitidis regionis et Gaulanitidis, Joppeni et Gadaritæ, tamquam belli excitatores et perturbatores concordiæ, deserentes propria, incursantes aliena, qui sumptis armis pacem violassent, justas et debitas pro flagitiorum meritis pœnas dedere.

[a] *Desiliebant*. BARR.

[b] *Quingenti*, Joseph. lib. III, cap. 19. GALLAND.

[c] Videsis ad hunc locum, quæ superius annotabamus lib. I, cap. 22. GALLAND.

[d] *Exclusi*? BARR.

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT PRIMUM.

Exstinctis Taricheis maxima ex parte, Romani Galilæis urbibus et finibus potiebantur, nisi quod Gaulanitidis regionis urbs Gamala contumacis populi alebat spiritus, locis nixa asperioribus: namque ea in monte est sita, dextra lævaque præruptis circumcisa rupibus, ad summum arctatur, a fronte abscinditur profundo hiatu, in posteriora aliquantum diffunditur. Ab ea quoque parte angustoque difficilique accessu, ut caudæ simile iter judices, ad urbem meantibus: a summo vertice collum in immensum extendens, ut arcem tamquam caput præferat, atque in sublimem erigat altitudinem: exilis a principio, et tamquam sinuato clivosis anfractibus solo, atque in profundum demerso: dein quasi montem quemdam cervicis medio attollens; cætera prærupta atque invia. Unde plerique a superioribus Camalam vocitatam putant, quod formam cameli præferat, sed corrupto incolarum usu Gamalæ nomen urbi inhæsisse. Jam si contexta ædificia spectes, suspensam urbem arbitrere, et maxime septentrionalem ejus partem pendere existimes, reflexa paulisper meridiana. Addiderat quoque huic urbi munitiones Josephus, quibus freti, et confluentis eo multitudinis numero, regis Agrippæ per septem menses obsidionem luserant. Nam et ipsa et Sotanis et Seleucia regni ejus portiones erant. Seleucia juxta amœnissimum illud et celebre per Syriam Daphnes nemus, cyparissis arboribus intextum, scatens fontibus, quibus prætermeanti fluvio loci quem minorem Jordanem vocant, nutrimenta quædam lacteis uberibus infundit. Et tamen civitas, et Sotanis superior, Gaulanitidis portio inferior Gamalis. Unde et studiis dissonantibus illæ societatem Romanam elegerant. Hæc rebellabat adeo pertinaciter, ut cum rex propior muris eos alloqui vellet, fundæ jaculo sauciaretur. Cujus injuria Romani accensi, vehementius incumbere obsidioni cœperunt: conflictumque promptissime a parte utraque, quoniam a Judæis quoque, qui regem proprium violavissent utilia suadentem, sine

ulla venia se futuros, existimantibus, si vincerent, totis viribus decernebatur. Agrippa itaque saxo dextrum percussus cubitum, bello excessit, Romani urbem irrupere. Cessit enim hostis missilibus, murus arietibus. Nam et illi qui machinas impediebant, nequaquam diutius resistere potuerunt: et murus trino ariete convulsus, pervium obsidentibus in obsessos iter præbuit. Sed ea res festinationis impatientia non mediocrem victoribus cladem invexit. Namque ubi sese infudere domiciliis dum perscrutantur vel [a] præceptum ire spolia contendunt, cedentia domorum angusta ponderi, nutantibus fundamentis ruinam traxere: et proxima quæque proximis illisa excidio erant. Multi Romanorum illis involuti casibus, in victoria pestem incidere. Plerique præjacentes se lapsis ædibus occupabantur, alii lacero corpore, vix B semineces servabantur. Plerosque pulvis necabat, cædebantur angustiis arctati, desuper quoque mulieres et invalidi senes, et qui de junioribus refugerant, saxa in subditos dejiciebant, vel quæcumque genera telorum occurrerant. Caligo infuderat omnia, prospectum eripuerat, mentem confuderat, ignorantia quoque exitum non reperiebat. Vix itaque subtrahentes se periculis urbis excessere. Vespasianus interea, dum urget hostem, in interiora urbis concesserat, mediusque inter agmina circumfusa hostium, bellum accendebat. Neque enim hosti terga dare tantum conveniebat virum, neque tutum putabat. In Syriam direxerat filium suum Titum: excitavit notæ virtutis constantiam, et sese in arma colligens, consertis clypeis, cum paucis quos præsentes habebat, C imperterritus stetit, quasi in quos sese excuteret considerans: cujus impetum formidantes Judæi, minore vi insistere cœperunt, et metuentes sibi quisque, laxavere aciem. Ita Vespasianus hosti adversus, paulatim gradum retulit, præliantibus sibi magis similis quam cedentibus. Illic cum decem primis excidit [b] Brutius, multis ante bellis probatus, et [c] apud Judæos notæ vir experientiæ et validæ fortitudinis. Centurio quoque cum decem aliis Syris rem egregiam fecit ac memorabilem. Nam in ipso tumultu cum Romanos urgeri cerneret, in abdita cujusdam domus sese contulit, atque ibi inter cœnandum, cum Judæi colloquerentur quæ Romanis machinati forent, nocte intempesta omnes eos interfecit, et cum militibus D Romano sese exercitui repræsentavit.

## CAPUT II.

Vespasianus autem ubi mœstum exercitum animadvertit, plurimorum amissione, et maxime deserti ducis pudore, quod eum solum intra urbem hostium reliquissent, cum summa eos gratia consolabatur, dicens: Si mei sors periculi verecundiæ vobis est, nec ego sic ad bellum processeram, ut declinarem pericula, sed [d] superarem: sin vero, quia et de nostris plerique interfecti, nequaquam mirandum: quando enim victoria ulla sine sanguine est? Habent A prælia suos eventus. Etsi spectata virtus præeminere soleat in bello, solet tamen aliquid licere casibus. Sed prudentis est in adversis lapsum corrigere, in prosperis moderationem tenere. Contra autem rudis cujusdam atque inerudlti ingenii, secundos semper successus præsumere, quasi non adversum viros certamen sit: infirmi autem, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subito inclinentur omnia quæ in bello geruntur. Itaque ille præstantissimus, qui inter adversa sobriis colluctatur casibus, et supplantat superiorem, seque reparare, et corrigere proprias quærit prolapsiones. At vero incuriosior suis sæpe motibus cadit, et dum irruit incautus, impetu suo fusus procumbit. Quod si hoc sæpe accidit, ubi nuda virtus; quanto magis in bello, ubi diversi generis conserta decernunt agmina, nec unum consilium, nec consors sententia est? Locus adversus, difficiles asperitates, inîqua in angusto decernendi conditio plurimis adversum paucos: cum et ipsa multitudo sibi oneri sit, et pauci in pluribus minus frustrentur. Sed hæc ad momentum sæpe obrepunt, quæ non ex virtute veniunt, sed casu accidunt. Unde nihil est angere quod vos debeat, commilitones: quia non per infirmitatem aliquam manus vestræ, neque per fortitudinem Judæorum versæ res, sed difficultas locorum nobis ad victoriam impedimento fuit, illis ad differendum moræ. Neque quidquam est, quod argui possit, nisi inconsultus impetus atque [e] increditus. Etenim dum ad superiora urbis illos secuti fuistis, atque irruistis in domos eorum, ipsi vos periculis implicavistis. Quorum successistis hospitia, suscepistis pericula. Tenebatis urbem, quis vos coegit introrsus pergere? Descendere ad vos hostis debuit, non vos intemperantes ad victoriam, immemores vitæ ac salutis contendere. Reparate ergo animos, et de virtutibus vestris non solum ad consolationem, sed etiam, quod est amplius, vindictam præsumite: me certe habebitis prævium pugnæ. Estote parati armis, animis: pericula vos fortiores fecerint, non timidiores: facile est injuriam solvere, si virtus se recognoscat.

## CAPUT III.

His dictis accendit militum fortitudinem, quibus reparantibus vallum, plerique per prærupta subtraxere se obsidioni. Nam jam et alimoniæ inopia incessebat, et infracta muri cessura machinis arbitrabantur. Unus deinde fons intra urbem, et ipse muris proximus erat, quæ res eos in summo timore posuit, ut frequentissimi dilaberentur. Qui vero permanendum putarunt, pertinaciter præliabantur. Interea Romani turrem altissimam suffodientes, vi maxima subruerunt. Quo casu concussa civitas, perturbati omnes totius urbis paventes ruinas. Unde et Chares æger corpore, tanti terrore sonitus exanimatus, mortem implevit. Romani tamen, patefacta urbe,

[a] Sic editi. Sed forte *præreptum ire* legendum. GALLAND.

[b] *Ebucius* Josepho dictus, lib. IV, cap. 1. BARR.

[c] Cod. vet., *adversus Judæos*. ID.

[d] *Usurparem*. ID.

[e] *Inconditus*. ID.

Digitized by Google

ingressu abstinuere, donec Titus ingressus est, qui dolore paterni periculi excitus, cum paucis in urbem irruit, et maximam Judæis cladem invexit. Tantum qui in superioribus erant, saxa volventes accessu prohibebant Romanos : spicula torquebant, sagittas jaculabantur. A Judæis impulsa facile in pronum saxa devolvebantur, missilia perveniebant, descendebant sagittæ non sine eorum periculo quos offenderant. Romanis adversum editiora montis jactus inefficax, conatus irritus, atque ipsis periculosus; cum subito orta venti procella, Judæorum retorquebat sagittas, repellebat spicula. Quæ vero Romanus exercitus jaculabatur, in hostem [a] referebat : ita elementorum ipsorum repagulis et ventorum turbinibus oppressi, supremo excidio captæ urbis universi,quicumque illic reperti sunt, interiere. Quatuor tantum millia a Romanis interfecta : quinque millia præcipitio periisse accepimus : nulli ætati venia data.

## CAPUT IV.

Giscala adhuc sola de partibus Galilææ in se hostem non converterat, quoniam incolarum ejus quietiora ingenia, ut pote plebs agrestis, contenta suis fructibus, nihil belli conferebant; sed multorum coalitu qui latrocinio vitam exercerent suam, etiam mitiorum studia pravis moribus corrumpebantur. Erat præterea vir levis Joannes nomine indigena, populi lues, dolis nulli versutorum secundus, improbitate parem nesciens, cui numquam defuerat nocendi affectus, aliquamdiu tamen fuerat inopia exercendæ iniquitatis impedimentum. Quid tamen definiam, haud liquido scio, utrum eum indigentia texerit, an represserit : doli callidus, fallendi artifex, doctus mendaciis, fidem quærere et crudelitatem compositis adsciscere, qui fallaciam virtutem putaret et elegantiæ duceret, et charissimos circumvenire : promptus ad conspirandum, vehemens ad audendum, acer ad efficiendum, conturbator in otio, desertor in periculo, assuetus latrociniis, bello insolens, qui cum persequi nequiret, sereret tamen parandæ causas dominationis. Huic igitur animus inquietus, prompta audacia, quam processus alebant opesque ad consociandam perditorum manum. Unde cum ejus factione, memoratæ urbis populum excitari ad bellum Vespasianus comperisset, ne totum exercitum defatigaret, filium Titum cum mille equitibus direxit, quibus comitatus ad urbem appropinquavit. Sed ubi muros populo vidit refertos, mirari se ait, quod eorum exemplum sequerentur ad rebellandum, quorum excidio resipiscere debuissent. Esto tamen, ut primo tentamenta habuerint aliquid præsumptionis, quid universorum exitia spei ferrent? Veniabilis certe fuerit in principio spes libertatis : inexorabilis tamen est in ultimis et desperatis rebus perseverantia. Nam qui non exemplo humanitatis, non sedulo verborum monitu flectuntur; adversum eos, non verba, sed arma necessaria sunt. Muris fiditis quasi adversum Romanarum virtutes illos protexerint. Quid aliud possunt clausi præferre, circumsepti prætendere, nisi quod in captivitate audaces sint? Nemini erat loquendi potestas : occupaverat enim omnem murorum ambitum prædatoria manus : cavebat Joannes, ne quis colloquio familiari Romanos invitaret. Itaque ipse præripuit sermonis relationem, dicens : libenter se tractatum suscipere de rebus communibus, nec experiendi usum declinare, si forte ipsi utilia suadeat, aut his quæ referuntur acquiescendum sit : sed prohiberi se lege patria, cum supersit hebdomadæ sacræ dies, tractare de pacis conditionibus. Siquidem ut movere arma interdictum, ita etiam illicitum consulere de pace feriatis diebus. Etenim de negotio verbis saltem decernere, et illis sacrilegium qui cogerentur, nec illis inultum qui cogerent. Veniam se unius diei poscere, dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram. Neque enim circumfuso hoste, effugium clausis liberum : offerri sibi arbitrium pacis, tam æquali optione formidinem obesse : urgeri se interim non oportere ad pacis consulta, quibus religioni esset contra legem patriam non prævaricari : convenire autem tam liberali pacis oblationi, ut qui præter spem sponte offerat pacem, ne quis periclitetur, evasuris etiam leges suas reservet. Hæc sine dolo Titus allegata arbitratus, receptui cecinit, et revocavit a muris quos secum deduxerat. Ita Joannes fugiendi adeptus copiam, nocte intempesta cum plerisque abscessit : sequebantur etiam mulieres proficiscentem. Sed quo ulterius progrediebantur viri, eo plures mulieres vel parvuli relinquebantur, desertæque a suis spectabant pavidæ viam feminæ. Et cum jam viros proprios e conspectu amitterent, hostem adesse arbitrabantur, ad omnem trementes sonum. Si quis concurreret, misere convertebantur, sese peti, sibi catenas injici trepidantes, quasi jam præsentes essent qui timebantur. Titus ita juxta conventum jam sole infuso, ad urbem cum exercitu contendit : aperiuntur portæ : egreditur populus cum exsultatione, et Romanos cum lætitia suscipit et alacritate : abesse gaudens pestilentem virum, fugisse per noctem, sibi liberam facultatem datam : orare se veniam, ne fraudi sibi esset ejus fuga, quem tenere sine suo exitio non possent. Ille dilatione vindictæ consolatus, consummati negotii celeritate, ad comprehendendum Joannem e vestigio plurimos misit, si forte eum consequerentur. Ipse urbem ingressus, minis magis quam supplicio affecisse contentus pacis perturbatores, remisit omnibus, ne quis vel odio, vel domesticis excitatus negotiis, innoxios in invidiam deduceret, et gravissimi criminis pulsaret atrocitate: cum multo tolerabilius sit id, quod incertum est, formidini participis conscientiæ derelinquere, quam condemnare innoxium. Sæpe enim reum corrigit metus : pœna autem innocentis sine ullo remedio correctionis est. Joannes itaque non est repertus ab his quos direxerat Titus : sed reperti qui sequebantur eum, parvuli vel mulieres, ad duo millia fere interfecti, tria millia autem infirmæ ætatis et sexus,

[a] *Ferebantur.* BARB.

ubi satietas necandi facta, captivitati adjudicati sunt. Custodiam militarem civitati impertivit. Itaque Galilæa omnis in potestatem Romanam deducta. Nam et Thabirius mons, cujus altitudo triginta stadiorum, vertex autem ipse campestris viginti et tribus stadiis jacet, penuria aquæ ab aliis desertus, ab aliis orata venia Romanis traditus : licet virtute quoque et industria Placidi cui id negotii a Vespasiano commissum fuerat, omnis convenarum turba, dum cedentem sequitur, et arte revocantem gradum perurgeret, campi medio circumfusa, refugium amiserit, pestem invenerit.

## CAPUT V.

Hactenus circumvagari licuerit, dum templi sancti a majoribus conditi, et sacræ legis contagia refugientes, circa alias urbes stylum occupamus : sed tempus est jam, ut quæ Hierosolymis gesta sunt, adoriamur, non ingenio freti, sed ne patriæ legi veterique cultui, nostri doloris videamur negasse ministerium : fuerit in illis licet umbra, non veritas, sed tamen umbra designat veritatis vestigia. Habet enim picturæ lineamenta umbra, fulgorem non habet, nec ad summam perfecta est manum, sed diligenter intuentibus futura exprimit : et ideo minus delectat figura, plus illicit gratia. Unde placuit rerum arbitro abolere vetera, nova condere; ut veritatem sequerentur, qui per angustias infidelitatis imagines non sequebantur.

## CAPUT VI.

Fugiens, ut supra diximus, de Galilææ partibus Joannes ad Hierosolymitanam urbem se contulit; et quasi quædam pestis infecit animos plurium, qui ex diversis regionibus principes flagitiorum eo quasi in sentinam confluxerunt. Hoc enim illi urbi majoris causa excidii fuit, quia quod sceleribus suis deferebant perditi, ut eo convenirent plerique, ubi vel tutiores se fore crederent, vel insolentiores ad flagitia coacervanda, fidei deferre æstimabantur. Recipiebantur itaque passim, quasi pio templi amore defensum venirent. Hæc prima labes malorum. Hinc oppressa est paucorum mansuetudo per plurimorum insolentiam : hinc itum in cædes, cum minus parceret alienus : hinc conspiratum, ut legis solemnia negligerentur, sacerdotia a bonis ad improbos derivarentur, quod hominibus non solum a pio cultu, sed ab ipsa legis cognitione peregrinis, quod sanctum esset, ignorabatur. Vincti sunt primo regali genere viri qui resistebant, quo cæteri metu cederent : deinde necati; et ut flagitium velaretur, quos sine judicio peremerant, missis in carcerem sicariis, eosque affcto crimine proditionis interemptos, ementiebantur. Pertracti itaque universi metu, quod homines potentes atque innoxii Antipas, Lebias et Phoras tam facile oppressi forent, quod nec jam audebant resistere. Hinc eo processum, ut ignobiles atque indignos substituerent sacerdotum principes : ut quibus nulla emerendi honoris gratia suffragabatur, ii contra meritum suum adepti

A sacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitrio subjicerentur : sed cum obviarent sacerdotales viri, et maxime Ananus cæteris senior, ne per gratiam donaretur summi nominis prærogativa, sortito creari principem sacerdotem expetunt, in quo nihil gratiæ, sed divino judicio committi sortis eventus æstimaretur. Et revera prætendebant veterem consuetudinem, qua substituendos in sacerdotii principatum mos erat ad sortem vocari : evidenter autem solutionem legis operabantur. Cum enim lex sacerdotalis successionis viros ad sortem legeret, illi ad speciem de sacerdotalibus tribubus unum, [a] Enachum nomine, præsentem statuunt, et ad sortem agi præcipiunt. Tunc Phanis quidam sorte exiit, filius Samuelis, incanus vir, cui non modo per prin-
B cipes sacerdotum ducta successio nulla suppeditaret, sed ne ulla quidem scientia muneris sacerdotalis, eo quod ruri vacaret : et ideo, quod esset princeps sacerdotum, incognitum habebat. Denique attracto ex agris, et reluctanti quasi in scena [b] alia persona imponitur, induitur quoque sacrarum veteri more amictum vestium. Docetur in tempore, quid eum facere oporteret. Ita sortis eventu exposita est nequitia seditiosorum, ut ad imperitum agrestem tanti sacerdotii functio deduceretur. Sed illis ludibrio erat circumscriptio veteris solemnitatis, sacerdotibus dolori : qui irrideri legem a perditis flentes ingemiscebant. Ipsi tamen freti pietatis auctoritate et bonorum indignatione congregant sese, et super perturbatores irruunt. At illi cum et causæ et numero
C dissiderent, ad templum quasi in arcem confugientes, velut castrum quoddam sibi constituerunt, ad repellendam irruentis populi multitudinem. Ac primo ante fores templi atque in ipso vestibulo siti, adversum populum præliabantur : si quis vulneratus fuerat, interiora templi petebat, illic sanguinem suum fundens interno limini, et cruenta pavimentis sauciosiora detergens ulcera fibræque patentis vulneris, vestibus his, quas non liceret illis contingere, fovebantur. Bellum erat intra urbem, bellum inter cives, bellum ante templum : ne hoc quidem reveriti latrones, cum a populo instantius perurgerentur, intra ipsum templum sese receperunt, et clausere illico fores. Quo objectu revocatus est Ananus; ne videretur bellum templo inferre, et
D sacratas religione majorum perrumpere fores templi, reflexit impetum plebis, et sex millia virorum in porticibus constituit, qui muniti armis prætenderent, sollicitam adhibentes custodiam. Paulatim tamen mollivit animum, ut paci consuleretur, eo studio maxime, ne templum sanguis civium contaminaret : suaderet quoque mittendam legationem, pacis sequestram, ut bellum intestinum deponeretur. Adsciscitur Joannes ad exsequendam legationem, suspectæ fidei vir, et affectandæ potentiæ succensus cupiditate : sacramentum petitur : non abnuit ne damnum perjurii pateretur, si negasset. Si-

[a] *Eniachium.* Barn.

[b] *Aliena.* Id.

Digitized by Google

mulabat se plebi favere, ut circumscriberet. Quid plura? Pergit, de pace pauca præmittit, plura subtexit ad belli incentivum: dicens nomine pacis [a] bellum involutum, latere insidias, Ananum Romanis urbem tradere, quo solemnitas veterum dissolveretur, legis abrogarentur præcepta, componens e diverso omnia; atque invidiam in principem sacerdotum referens eorum, quæ ipse meditaretur. Callide etiam, quos sciebat illorum qui conclusi erant, esse præsules et factionis principes, incitabat, parere mortis formidine asserens, quod ipsis specialiter Ananus exitium composuisset: venisse se, ut fraudem manifestaret. Mature subsidia quærenda, prius quam ab eis pœna reposceretur. Quid plura? pacis medius bellum accendit. Eliguntur qui Idumæos ad prælium rogent: genus mobile, inquietum, insolens, promptum ad discordias, rerum immutationibus lætum, periculi improvidum, præceps ad prælium. Itaque sine mora flexi veniunt, congregantur viginti millia virorum, ut pote nullis intenta terrarum cultibus, sed parata latrociniis. Nec latere potuit Ananum adventus Idumæorum. Denique portam claudi jubet, ne cum tumultu ingrederentur: sed si fieri posset veritatem cognoscerent, bello renuntiarent.

## CAPUT VII.

Ascendentes itaque principes sacerdotum murum, Idumæos de turri alloquebantur: maximo esse miraculo sibi, quod tam cito irretiti mendaciis, causas quas nondum cognoverant, armis prosequerentur: cum oportuerit eos prius disceptatores esse negotiorum, quam bellorum præliatores: et præ cæteris merita cognoscere, quam arma sumere: et arma adversum viros sui generis, sui cultus, suæ solemnitatis nullis amplius irrogatum injuriæ quam Idumæis, qui ad societatem flagitiorum tam gravium concitarentur. Quid enim aliud ab his, nisi parricidium adversum cives, sacrilegium adversus templum deposceretur? non solere diversa inter se studia, diversosque mores convenire. Similitudo enim morum facit voluntatum societatem, et cognata studia sibi nectit. Nequissimos homines qui latrocinio sumptum exercerent suum, arrogasse sibi ut Idumæos sibi socios accerserent: tantum abhorrentes ab eorum proposito, a quibus rogarentur, ut illi patriæ suæ bellum intulerint; vos vero obsecraverint, quasi alienam urbem defensum venire. Nihil vobis commune innoxiis cum prædonibus: nihil commune sobriis cum se inebriantibus: utinamque vini esset illa ebrietas, et non furoris. Qui ubi se flagitiis ingurgitarunt, dissipando proprias successiones, diripiunt aliena; et male parta nequius dissipant, deterius effundunt. Nullus rapiendi finis, quia nullus abligurriendi modus. Ubi se vino infuderint et impleverint ebrietate, publicorum eructant crapulam negotiorum, ut nostro rursus sanguine inebrientur, et sacræ illudant religioni, quæ vobis semper vene- A rationi atque reverentiæ adfuit. Fugite igitur cœtus parricidales, et ausus sacrilegos destituite, deserite latronum conciliabula. Vocati estis ad consortium sceleris, venitis ad remedium patriæ. Videmus ornatissimum populum, quem venire decuit publico rogatum consilio, ut urbi Judæorum præstantissimæ (quæ totius gentis metropolis habeatur) adversum hostes auxilio foret. Sed etsi nos defuimus petitioni, dum pacem speravimus, et fatigare vos [b] propere voluimus, qui excitatoribus belli pacem offerebamus: tamen vos quasi divino arbitrio venitis, consulite in medium, et exhibete partis utriusque arbitros. Quærite unde cœperunt exordia tumultus, qui cecinerint quietæ urbi classicum, qui effuderint præstantissimorum civium sanguinem, B quibus auctoribus pœna exacta de indemnatis sit: qui nobis ante Romanos exitio fuerint, adversum illos bellum parabamus, et hos jam hostes patiebamur: quorum igitur cum Romanis suspecta gratia? eorum qui Romanos vindicant, an eorum qui Romanos repellunt? Graviora hæc certe nobis, quam Romanorum prælia: ab illis enim pro libertate morimur, ab istis quasi pro scelere jugulamur. Simulantur innoxii criminum proditionis, et post mortem calumnia componitur: cum cognitio pœnam prævenire soleat, non pœna cognitionem. Quid enim prodest defuncto absolvi, cum judicio jam nihil debeat? Suscepimus tamen etiam sortem hujusmodi, ut post necem de innocentia quæratur: et libenter apud vos quoque causam agimus nostræ defunctorumque C integritatis, qui statis armati pro adversariis: ita nulla argumenta calumniantibus suppetunt, ut apud vos quoque graviorem causam habeant, qui tam cito credidistis: bonus enim judex circumseptum se esse mendaciis dolet, et eo est fallenti infestior, quam appetitior, [c] quod temere se impulsum, ut falsis crederet, ulciscendum arbitratur. Igitur nobis integrum examen servate, et colligite veritatem, non ex contexione verborum, sed ex serie negotiorum. Primo omnium, cur Romanis proderemus patriam, quos potuimus et non lacessere, et forte oportuit fieri, ut non excitaremus universarum victores gentium: sed hoc non est jam præsentium partium deliberare. Superioris fuit temporis eligere, quid sequeremur: nunc oportet pro libertate occumbere: D præstat enim pro patria mori. Commodius fuit ante bellum pacem morti præferre: sed quia bellum in cervicibus, multi jam fratribus capti, alii necati, aliis dolor ex mortuis, gemitus ex revinctis: eligenda magis libera mors, quam vita captivitatis. Suppetit tamen morituris, falsi criminis abolere infamiam proditionis. Apud vos, Idumæi, causam agimus: prodantur conscii, deducantur in medium nuntiorum interpretes. Si tenent, vindices prodant: si non tenent qui accusant, et vanis insimulant suspicionibus quas ipsi sibi composuerint, non debent arguere, quod non possunt probare. Sed

[a] Al. *bellum involutum latere*, *insidias paravisse Ananum Romanis*, etc. BARR.

[b] *Præpropere noluimus*. ID.

[c] Gualther. legit *quo*. GALLAND.

Digitized by Google

quia accusare non audent, dissipare per vulgus de- A siderant: et ideo ad bellum prosiliunt, ne in judicium vocentur. In bello enim contentus furor est, in pace veritatis examinatio. Adsumus: en primis suppliciis nos spontanei offerimus, si tamen aliquis accusator prodeat; aut si in populum invidia torquetur, quærite diligentius quid consilii fuerit in cœtu publico. Nonne ut bello instructa pararentur agmina, aut pro libertate unusquisque patriam juvaret? Adversus ipsos certe latrones quid deliberatum fuerat, nisi ut pax conveniret? Exasperaverat publicam indignationem dolor singulorum, innocentium sanguis, mulierum gemitus, paternorum statutorum prævaricatio: increpuit gemitus universorum, quia unusquisque sibi similia pertimescebat. Ad indignissimos sacerdotia deferebantur, B peti cœperunt vocibus; illi lapidibus plebem cædere, telis necare; exarsit publicus dolor: illi in templo latronum receptacula constituerunt. Itaque pacis locus reverendus etiam gentibus, et domicilium sanctitatis factum est prædonum conciliabulum; et quo ex omnibus terrarum partibus confluebatur ad cultum festæ celebritatis, ibi nunc stabula quædam ferarum sunt, humano cruore madentia: licet nobis hæc quærere, vel armatis sine lege belli. Tamen fuit plerumque inter arma judicium, et justitia deposuit belli instrumenta, compescuit turbas æquitatis sententia. Potestis hæc arma ad defensionem urbis convertere, quæ sumpsistis ad eversionem. Licet etiam introire sine armis, audire et percontari omnia: si quod remissum adversus hostem reperi- C tis, proditionem putate. Quod si neque vindices vos, neque arbitros exhibere vultis, quid miramini, si portæ armatis non aperiuntur? Non istæ adversum cognatos, sed adversus arma clausæ sunt. Bellum deponite, et portæ patebunt.

## CAPUT VIII.

Hæc ubi sacerdotes locuti sunt, et maxime Jesus cæteris senior, post Ananum tamen qui secundo loco fungebatur, indignantibus Idumæis, quod non continuo urbe recepti forent: Simon unus de ducibus Idumæorum: Minime, inquit, mirum, si cives sæviunt, et clausos tenent qui nationi sociæ portas clausere, et non patiuntur consortes et participes suos ingredi: nobis de muro loquuntur, et quasi adversarios muris repellunt quos amicos habebant. D Quis dubitet quod parent suscipere Romanos et forte coronare portas, quando illi ingredientur? quæ major injuria? Patere nempe omnibus hominibus ista civitas solet causa cultus et observantiæ: nobis solis intercluditur, quasi hostibus, soli abdicamur, soli repellimur. Simulant se nostrum petere judicium, quos ne limine quidem dignos urbis putarunt. Lateant quæ adversum illos gesserunt: nostræ injuriæ testes et judices sumus. Advertimus quid clausi patiantur, quando nos arma jubemur deponere: et credibile esse potest, quod eorum exspectetur sententia, quorum suspecta est fides? Festinemus itaque eripere clausos, quibus templum carcer est factum, ne serventur usque ad adventum exercitus Romani, et captivi tradantur Vespasiano. Auferamus a templo obsidionem, custodes teterrimos removeamus, qui neminem vel ad purgandam alvum egredi sinunt. Si quis introferre cibum clausis desiderat, prohibetur: si quis exire, ad mortem rapitur: crimen factum est cultus religionis.

## CAPUT IX.

Hæc audiens cessit [a] Joannes, considerans adversa Dei voluntate frustra sese obniti: quandoquidem domi forisque hostilia streperent agmina, et gemina ex parte civitas oppugnaretur. Fremebant Idumæi quod excluderentur. Machinabantur in templo siti, quomodo jungerentur Idumeis: hos angebat metus, ne Idumæi ante effectum abirent: illis extorquebat pudor propositum regrediendi. Et jam pene obrepserat diffidentia, cum subito nocte oritur procella intolerabilis, tempestas atra, fremunt venti, cœlum inhorrescit, vis imbrium multa [b] infunditur, terribiles coruscationes, tonitrua immania, terrarum mugitus, ut solvi mundus æstimaretur. Quis crederet plus nocuisse istud intra urbem positis, quam extra urbem degentibus? cum utique hi tectis muniti forent, illi objecti ad imbres: sed amplius terruit injuriæ metus, quam ipsa injuria. Denique illi qui nulla habebant refugia tectorum, clypeis sese tegebant manentes in officio, nec dilabentes: isti circa domos suas quisque dispersi, locum dederunt, ut ab his qui intra templum erant, portæ aperirentur. Anceps tamen et diversa populi sententia. Alii Deum summum indignantem Idumæis, tempestates movisse arbitrabantur, quod adversum participes suos armati venerant: Ananus et profundiora seniorum ingenia, conjectabant Idumæos injuria sui amplius excitari in sociorum perniciem. Denique sollicitior cæteris noctibus, Ananus illa nocte non fatigatione corporis, sed animi magis desperatione [c] solutus, cessit rebus adversum se fluctuantibus, et militantibus in excidium suum mundi procellis: nec revisendas putavit custodias, quasi daret auctoritatem dilabendi, quo cuique esset sententia. Quam occasionem nacti qui in templum refugerant, surgentes secuerunt vectes portarum. Cooperatus est illis fragor cœli, ut serarum sonus non audiretur, et tumultus egredientium. Deinde venientes ad murum, portam quæ vicina erat Idumæorum cœtibus, reseravere. Ultimus ille dies universo populo fuisset, si non ad templum prius quam urbis [d] signum dirigendum putassent. Sed quia metuentes sibi, qui intra templum clausi tenebantur, ne cognito ingressu Idumæorum, in ipsos circumfusæ plebis im-

[a] Cod. vet. *Jesus*, ut cap. præced. et Josephus lib. IV, cap. 7. BARR.

[b] *Effunditur*. ID.

[c] *Resolutus*. ID.

[d] *Sinum*. Al. *si non ad templum priusquam in urbem signum*, etc. ID.

petus fieret, ut vindictam morituri exposceret, rogaverunt, ut ipsi primitus [a] cladi eximerentur: tunc postea liberatis ipsis, et conjunctis viribus, in populum effunderentur. Deflexere ad eos qui legatos miserant oratum auxilia saluti, simul ut insperatæ merces irruptionis, auctoribus ejus hoc munere potissimum rependerent. Quod ubi processit ex sententia, simul omnes a templo quasi quodam castro effusi, extenta acie quoscumque repererant dormientes alios, perterritos alios, totis cædebant viis. Nihil proderant preces, nihil lacrymæ, nil insignia honoris, nullorum meritorum gratia, omnes passim jugulabantur. Denique videntes bestialem in persequentibus immanitatem, quod nulli parceretur, ipsi sese illaquebant miserabiliore (ut mihi videtur) exitu, quam si ab hoste perimerentur: quia voluntaria mors immanitati ascribitur, informis laquei nodus etiam probro datur. Sed quis consilio locus, ubi tantus erat metus suppliciorum, cum metueret unusquisque non mortem, sed cruciatus ante mortem, quibus mors remedio foret? Redundabat [b] undique sanguis, et maxime circa templum: quia ibi congregati erant, qui clausos custodiebant. Reperta itaque illo die cæsorum octo millia quingenti viri. Inde conversi ad urbem, sicut gregem quemdam pecorum, ita homines, quoscumque obvios habuere, interimebant. Erat miserabile spectaculum, intra urbem omnibus ante reverendam, bellum geri, perniciem injustam pauperibus ac debilibus inferri. Sane juvenes ac validiores in carcerem retrudebantur, quos factioni idoneos arbitrabantur; sed magna virtute plerique omnia supplicia malebant subire, quam ut perditis sociarentur. Nec modus erat ullus, nec pudor: ita furebat rabies immanitatis. Post ubi defuere visi processu temporis, causas sibi simulare cœperunt perimendorum, quo ad judicia reos ducerent, non ut requireretur justitia, sed ut crudelitas excitaretur.

## CAPUT X.

Erat in civitate Zacharias, qui odisset improbos, nec se misceret flagitiosis, dives opum, quarum illi abundantiam, vel ad dissolvendam factionem suam efficacem opinabantur, vel ad prædam sibi uberem: hunc proditionis crimine [c] accersendum putarunt. At ille ab hujusmodi integer conscientia, adesse sibi cœpit cum libertate, ut non solum dilueret objecta, verum etiam reos ipsos maximorum astrueret flagitiorum: apud septuaginta viros dicebatur negotium. Absolvunt omnes, quia nihil, quod affine esset sceleri, proferebatur. Verum illi irruentes, et ipsum præcipitant in profundum, et perturbant judices, non solum cum injuria, sed etiam cum periculo: ut eorum exemplo cæteri in reliquum caverent, constantiam in judicando adversa eorum voluntate assumere. Rursus tamen ne quis absolveretur, ipsi irarum suarum exsecutores, quos libitum erat, sine judicio necabant. Cæsus Gorgon, vir gratus et amabilis: Niger Pereites, qui inter propugnatores Judææ ad tuendam rei summam fuerat electus bellator vir, ut etiam vulnerum cicatricibus virtutis insignia præferret, rapitur ad mortem: et cum se extra urbem duci videret, non jam pro vita, sed pro sepultura cœpit rogare. Ac ne hujus quidem tam miserabilis petitionis responsum accepit conveniens misericordiæ. Fingebantur calumniæ: si quis se redimebat, innocens erat: qui non offerebat pecuniam, tamquam reus feriebatur.

## CAPUT XI.

Dum hæc Hierosolymis aguntur, Vespasianus interea partes alias gentis Judææ debellabat. Pervenit ad eum, quæ seditio esset Hierosolymis, quæ domesticis præliis neces sibi ipsi irrogavissent, quæ supplicia civium exacta a civibus: hortari plerique, ut eo pergeret, ne quid triumpho Romano et suæ gloriæ decerperetur. At ille moderatus et providus vir, qui non id quod ex usu vulgi accommodum [d] existimaret, sed quod altiore consilio rei summæ conducere arbitraretur, referre illa suadentibus cœpit: Non semper præliis juvari rempublicam, sed plerumque etiam armis depositis laudem parari, et debitum patriæ solvi. Quid interest, quomodo vincatur hostis, nostrone an suo ferro? nisi quod suo sine Romana invidia prosternitur. Non enim possunt de nobis queri, cum se ipsi consauciaverint: simul quam justa nobis bella moverint, significant, quando nec ipsi sibi parcunt: vindictam hanc de cœlo videri, ut furore insaniant qui Romanos lacessiverint. Sed si quis derogari aliquid gloriæ nostræ asserit, cognoscat præponderare sæpe remedium cum silentio, quam prælium cum periculo. Denique noster Maximus cunctando magis fregit Annibalem, quam præliando. Etsi Scipiones subegerunt Africam, tamen communis bellorum cum multis victoria: Maximo soli datum, quod cunctando restituerit rempublicam. Plus itaque est servasse Romanum imperium quam propagasse. Æquemus tamen merita virtutum. Non minora utique in ipso bello sapientiæ commenta sunt, quam insignia fortitudinis. Pereant ergo suis armis: nihil [e] laudis diminuit, et plurimum victoriæ nostræ adjungitur. Nesciunt suos servare, quibus nos parcimus. Quid, quod si imminere cœperimus, fortasse inter se resipiscant, atque in gratiam redeant? quod non vereor, sed adversus vestram sententiam profero: aut si permaneat seditio, videantur ipsi sese expugnasse, nihil Romanum egisse exercitum, manus nostras otiosas fuisse, victoriam non virtute nostra, sed hostili internecione inter se paratam. Itaque hoc prudentius consilium, ut absentibus nobis sæviant in exitium sui, ne quis putet eos nostris magis quam suis exercitos factionibus. Tunc melius appropinquabimus, ubi victor superfuerit, qui nostro accedat triumpho. Certe veniant ad nos, qui fugiunt suos; inveniant

[a] *Clausi*. BARR.
[b] *Ubique*. Et mox *denique* pro *itaque*. ID.
[c] *Arcessendum*. ID.
[d] *Æstimaret*. ID.
[e] *Laudi dimin*. ID.

Digitized by Google

apud nos salutem sibi, quos suorum pestis exagitaverit.

CAPUT XII.

Nec fefellit opinio Vespasianum: nam qui poterant pretio se redimere, ut dimitterentur, ad Romanos confugiebant. Repleta erant dilabantium strata viarum omnia, omnes semitæ: relaxabantur divites, pauperes interficiebantur, quibus pecunia deerat ad redemptionem. Multi etiam extra urbem insidias et latrocinia pertimescebant, et maxime inopes quibus comitatus deerat. Pari itaque foris et domi proposito sibi periculo, utrobique pernicioso, plerisque tamen patrii spe sepulcri, mors apud suos tolerabilior æstimabatur.

CAPUT XIII.

Ubi strage maxima populorum, metus in omnes sparsus, subditos factioni fecit universos. Non contentus communem cum principibus factionis exercere Joannes potentiam, tyrannidem affectare cœpit et parem indignabatur. Destruere itaque aliorum statuta: nihil nisi quod libitum foret, ratum habere: paulatimque sibi adsciscere stipatores: artifex dolo, quos vellet, et fraude circumvenire, obligare pecunia, terrere potentia, quibus artibus plurimos sibi associaverat. Rursus non deerant, qui vel periculoso studio servitium detrectarent, cum præsertim dominationi assueti, tolerare servitutem nequirent. Decernebant itaque in una urbe tria genera exitialium calamitatum: tyrannides, bellum, seditio: quarum unaquæque non unam, sed plurimas urbes deleret. Ex tribus tamen levius bellum erat; et justus hostis tyranno aut factione tolerabilior videbatur. Accessit his quartum genus sicariorum, qui occupatam tyrannicis motibus aut seditionis tumultibus urbem videntes, vicina omnia populabantur, et asportabant omnia. Mulieres et parvulos qui laborem itineris, vel sexus vel ætatis infirmitate perpeti non poterant, neci dabant. Septingenti itaque numero perempti: convectatum in castella frumentum: irruebant agris, urbibus, templis, prædas agebant: necandorum occasio non prætermittebatur: agminis specie latrocinium [a] excitabant, plures quam usus habebat latrocinandi. Latrocinii sævitia bellum acerbabant, sine venia deditionis aut susceptionis indulgentia.

CAPUT XIV.

Rogatur itaque Vespasianus, ut ad remedium veniat, a quo excidium metuebatur. Contendit Gadaram, ubi opulenti plurimi, qui patrimonii sui causa, magis magisque latronum insidias et incursus pertimescebant; et ideo ad Vespasianum occulte miserant, ut ad se appropinquaret, quo civitas a latronibus erueretur. Adfuit exercitus Romanus, quem videntes Gadarenses, confugiendi votum habebant; sed qua via inexitiabile id sibi afforet, non reperiebant, ne in discedentes insurgeret factio, atque universos deleret. Non præteriit tamen legatione Gadarensium invitatum Vespasianum, ejus legationis conscium, ut pote urbis primorem, nomine Dolesum, quem capientes interemerunt; atque ulti injuriam, egressique urbem, in abdita et munitiora sese contulerunt; Gadara Romanis tradita: cum ingenti plausu susceptus est Vespasianus. Is continuo ad persequendos qui refugerant, Placidum direxit: ipse revertitur in Cæsaream.

CAPUT XV.

Placidus præmissis quingentis equitibus, fugientes insecutus, coegit eos in vicum qui proximus erat, concedere: in quo electorum pube juvenum reperta, audaciam sumpsere, ut insurgerent in Romanos. Quæ res illis cladi fuit. Nam circumfusis equitibus, a vico exclusi, sine ullo cædebantur impedimento. Et dum alii conferti sese reciperent, ante limina portarum trucidabantur. Cæsorum cadaveribus [b] aggregata moles adæquaverat murorum altitudinem. Romani alios sagittis figebant, alios sauciabant diversis missilibus: ad postremum castellum expugnavere, ibique omnes, nisi quibus elabendi facultas fuit, interfecti. Alii fugientes, ingentem famam Romanæ virtutis suis sermonibus exaggerabant, majora sibi quam hominum visa corpora, nullam resistendi cuiquam adversum invictos fiduciam. Unde perterriti omnes, fugere illico; nec solum vicina et finitima, sed etiam Hierico urbs, quæ propter incolæ multitudinis agmina spem cæterorum fovebat, relinquebatur. Placidus, rebus ex sententia fluentibus, eos quoque per equites insectatus, alios confertos, alios palantes sternit usque ad flumen Jordanem: maximum quoque numerum ad ripam fluminis reperit impeditum transitu, quod tunc forte prædictus amnis imbribus auctus, aut resolutis nivibus intumuerat. At illi ubi Romanos adesse viderunt, parant sese, et ad fluminis oram stipant. Necessitas intercluso fugæ subsidio, remedium in manus vertit, et impetu facto, multi supra pauciores equites arietantur: illi arte nota et veteri militiæ more interequitantes dissecare hostium cuneum, dissolvere globos, fessos urgere, cedentes sequi cœpere: hinc alii ferro hostium, alii suo, quod conferti in unum atque in se relisi incurrerant, interficiebantur. Alii in flumen ruebant, qui ipsa sui ruina, et alius alio impliciti demergebantur. Plerique etiam æstimantes, quod possent prætergredi, sese fluvio dabant. Quos paululum progressos sorbebat gurgitum vis aut fluminum ictus abripiebat. Et si qui natandi usu super aquas processerant, aut fluentis subterlabentibus se suspenderant, aut arborum ramis impediti, qui fluvio deducebantur, aut ipsis caudicibus oppressi, animam ponebant in flumine. Sæpe etiam nandi indoctus, ubi natantem apprehendisset, tenebat, ut ipse pariter evaderet, et astrictum brachiis defatigabat, donec uterque mersus, alteri exitio foret. At si qui forte secundo

[a] *Exercebant.* Mox vero *acerbabant.* BARB.

[b] *Aggerata.* ID.

amne decurrens evasurus æstimaretur, [a] irruebatur A sagittis, ac subito resupinus, cessantibus brachiorum remigiis, interibat. Fuere etiam, qui natare nescii, dum expertem doloris mortem requirunt, edito riparum toro, in fluvium se executerent voluntarii. Alii arenoso ingressi littore, merso vestigio deprimebantur : plerique etiam saxorum teretium lubrico aut vadosis offensi locis, instabili fluctuantes gradu, fluentis sequentibus obruebantur. Cæsa ferro tredecim millia : innumerabilis autem multitudo fluvio consumpta, præda ingens de ovium gregibus, et camelorum atque asinorum et boum parta ; quæ licet strages hominum maxima fuerit, [b] tum vero major æstimabatur, quia non solum regio omnis repleta erat cadaveribus humanis (cum dispersi ac palantes quibuscumque in locis comprehensi fuerant, B interimerentur), verum etiam ut Jordanis ipse defunctorum corporibus obstructus, cursus proprios dirigere non posset. Asphaltites quoque lacus cruore et visceribus defunctorum mutaret naturæ suæ speciem, in quem omnia, quæcumque Jordanis attraxerat, invehebantur. Denique nonaginta duo millia et ducenti illa die Judæorum periisse æstimati, a quingentis tantummodo equitibus, et tribus millibus exercitus pedestris. Progressus quoque ad ulteriora Placidus, Abilam et Juliadem et Betesmon, et omnes vicos loci ipsius usque ad Asphaltitem lacum Romano imperio restituit. Scaphis quoque imposuit milites, a quibus universi qui in lacum memoratum confugerant, exstinguerentur.

## CAPUT XVI.

C Itaque et hæc omnia usque ad Macheruntem recepta : Vespasianus tamen tempus prælii opperiebatur, quo metropolim totius Judææ exercitu Romano adoriretur : inter quæ, occupato rebus sibi creditis, motus novi ex Gallicanis partibus insinuantur, quod a Nerone potentes quidam Romanæ militiæ viri descivissent. Quo comperto, cupiens intestina bella ac summæ rei totiusque Romani imperii periculum, confecto in oriente bellorum tumultu, levare : ut rerum secundarum nuntiis, motus omnes Italiæ vel comprimeret, vel præveniret ; ubi primum sæva hiems temperata veris principio, cum majore parte exercitus de Cæsarea iter movit. Excepit eum Antipatris nomine civitas appellata. Inde procedens, exurebat vicos, necabat eos quos reperiebat alienos : ac maxime Idumæis vicina, quæ- D cumque offenderat, depopulabatur ; quod inquietum genus hominum potius bellis quam otio vel quieti amicum foret. Duos quoque Idumææ vicos [c] Ligarum et Capartorem, eorumque incolas comprehendens maxima strage labefactavit. Siquidem supra decem millia virorum peremit, mille captivos abduxit, reliquum vulgus expulit, ut ibi constitueret manum suorum : quia montana locorum regionis ejus latrociniis infestabantur. Ipse cum exercitu Amathunta re- A petit, quæ de aquis calidis vocabulum sumpsit, quod aquarum vapor Syro sermone Amathus appellari fertur. Thermæ ergo Græce dicitur, eo quod calidum fontem habeat intra muros. Deinde per Samariam juxta Neapolim in Hiericho contendit, ubi occurrit ei Trajanus multam manum agens, ex his qui ultra Jordanem siti Perææ regionis populi, in ditionem Romanam victi reverterant. Nuntio itaque advenientis Romani exercitus plerique ex urbe Hiericho, quod eam intutam viderent, in montana Hierosolymitanæ regionis sese contulerant. Residentium turba omnis consumitur. Neque enim difficile fuit urbem properato capi, quæ nec naturali fulta esset munimine, et a suis esset dilabentibus deserta ac destituta. Urbs condita in campo, cui super- B eminet mons diffusior et nudus gignentium. Namque secundum septentrionalem plagam, usque ad Scythopolis urbis terram extenditur, ex parte meridiana usque ad regionem Sodomitanam et Asphaltitis fines diffusus habetur. Ægrum autem et jejunum solum, et ideo desertum ab incolis, quod sine ullo usu esset cultoribus naturali sterilitate. Adversus huic mons supra Jordanem, cujus exordium a Juliade et plaga septentrionali assurgit : ipse autem prætendit in meridianum usque ad Sobaros, Arabiæ Petrææ conterminos, ubi etiam mons est, usu veterum ferreus nuncupatus. Inter hos duos montes campus jacet, quem propter magnitudinem, quod in multa spatia [d] dirigatur (veteri usu) incolæ Magnum appellaverunt, cujus longitudo triginta et ducentorum stadiorum, C latitudo centum viginti. Exordium a vico Gennabar, finis usque ad Asphaltitem lacum. Jordanis eum [e] medium intersecat campum non solum inoffensa, sed etiam adjuncta gratia viridantibus ripis fluminis alluvione, et succedentibus Asphaltite et Tiberiade unius fontis, et utroque diversæ qualitatis lacu. Namque alterius aquæ sapor salsus, et sterilis usus; Tiberiadis autem dulcis atque genitalis. Sane in diebus æstatis immodicus per spatia campi exæstuat vapor, unde coalescente vitio nimiæ siccitatis, atque humo arida corruptior aer, miserandas accolis conficit ægritudines. Arida sunt enim omnia præter oras fluminis. Denique in remotioribus ægrescit et fructus arborum ; siquidem et copia uberior, et fructus palmarum opimior est, qui supra ripas Jordanis fluminis gignitur, alius longe exilior.

## CAPUT XVII.

D Est etiam juxta Hiericho urbem fons abundans, atque idem uberior ad potum, pinguior ad irrigandum, quem Jesus Nave natione Hebræus, manu validus, primum genti eripuit Chananæorum. Is in principio corruptior habitus ac sterilis ad generandum, potantibus et usui parum salubris. Unde rogatus ab incolis Elisæus propheta, idemque Eliæ discipulus, et tanto successor nequaquam indignus magistro, ut hospitalitatis suæ mercedem relinqueret, quos

[a] *Obruebatur*. Barr.
[b] *Tamen*. Id.
[c] Apud Josephum lib. v, cap. 4, *Begabri Capharto-phram* legitur. Vetus cod., *Ligarim et Caparcorem*. Id.
[d] *Porrigatur*. Id.
[e] *Medius*. Id.

Digitized by Google

visitaverat, locis, et corruptelam aquarum levaret, remedium dedit sicut Regnorum vetus Scriptura edocet, præcipiens vas fictile cum sale deferri sibi, quod accipiens, dejecit in fontem sal, et dixit : *Sanavi aquas istas, et non erit in his moriens, neque sterilis ab eis : et sanatæ sunt aquæ, secundum verbum,* inquit, *Elisæi prophetæ* (IV *Reg.* II, 21 *et* 22). Ex illa itaque benedicti salis infusione temperatæ aquæ, reserataque ora fontis, sanctificati sunt aquarum meatus, ut dulciores potus venarum scaturigo effunderet, et omnis illa dulcesceret aquarum amaritudo ; uberiores fructus terra daret. Generandæ quoque sobolis optima successio, largam posteritatis copiam subministraret, nec deficeret genitalis aqua : [a] cum divina gratia pro justorum fidelibus studiis tanti prophetæ benedictionibus aspiravisset. Convertit itaque naturam aquarum ad preces prophetæ cœlestis oraculi resultatio, continuoque sterilitatem depulit, fecunditatem infudit. Cœpere illic crebrescere generationes hominum, fructus terrarum, succusque [b] aquarum, ante jejunus et amarus internecare solitus sata, tristiaque bibentium ora torquere, fertilitatem solo, potantibus suavitatem infundere, ut si breviter culta contingat plus prosit, quam ubi diutius irrigaverit. Est enim nova gratia, ut profectus redundantior sit, ubi usus minor : et ubi amplius quisquam usus fuerit, ibi minor fructus sit : eoque plus cæteris fontibus rigat, quia vel exiguum ejus abundat ad ubertatem. Denique campus eum circumjacet septuaginta stadiorum in longitudinem, viginti in latitudinem patens. In eo mirabilem hortorum gratiam cernas, varia palmarum genera, tantamque dactylorum dulcedinem, ut mella defluere putes haud cæteris inferiora. Sunt etiam illic præstantissimi apum fetus: nec mirum, ubi tam diversis inhalantes floribus, paradisi suaves fundunt odores. Illic opobalsamum gignitur. Quod ideo cum adjectione significamus, quia agricolæ cortice tenus virgulas incidunt, eas in quibus balsama [c] gignantur, ut per illas cavernas paulatim distillans humor se colligat. Caverna autem Græco nomine ὀπὴ dicitur. Illic cypreum, illic mirabolanum nasci ferunt, et alia istiusmodi, quæ in aliis locis haudquaquam reperiuntur. Aqua ut cætera fontium, illic tamen præstantior, æstate frigida, hieme tepens. Aer mollior, ut summa hieme lineis incolæ exuviis utantur indumentorum.

## CAPUT XVIII.

Nunc Asphaltitis lacus qualitatem spectemus. Melius est enim in locorum veterum descriptionibus, vel cæterorum elementorum miraculo, quam in Judæorum seditionibus stylum occupare. Siquidem ista flagitia mentem exasperant; illa demulcent animum, dum recensentur, et ad veteris historiæ revocant cognitionem. Nobis autem quibus incultius ingenium est,
A cordi est patrum ex Ægypto [d] regredientium, usque in terram repromissionis repetere vestigia, ut si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat, sed patrum relegat. Dulce est enim inter majorum versari habitacula, et veterum dicta factaque recensere memoria, atque eorum inhærere gratiæ. Sed jam sive naturam, sive qualitatem aquarum exprimamus, ne noster quoque in eo lacu [e] projiciatur stylus, ex quo omnia quæcumque mergenda putaveris, viventia tamen resilire opinio est : et quamvis vehementer, [f] allisa, statim excuti. Aqua ipsa amara et sterilis, nihil recipiens generum viventium. Denique neque pisces, neque assuetas aquis et lætas mergendi usu patitur aves. Lucernam accensam ferunt aquis supernatare, sine ulla conversatione exstincto demergi
B lumine : et quamvis demersum arte, quod vivat, difficile in profundo hærere. Denique Vespasianum ferunt præcepisse natandi ignaros revinctis manibus in profundum dejici, eosque omnes illico supernatasse, quasi spiritu quodam venti levatos, et ad superiora vi magna repulsos resiliisse. Multa fabulosa de hoc lacu plerique æstimaverunt, quæ nobis inexpertis veritate rei, promere numquam consilium fuit. Mutare etiam ter in die colorem aquæ, et ad radios solis varie refulgere non placuit pro vero locare, cum sit ipsius [g] aquæ lacus obscurior cæteris aquis, et quasi adustæ præferens similitudinem. Certe si ad radium solis et ipsa resplendeat, nihil novum, et quasi pro miraculo promendum : cum hoc commune sit aquis omnibus. Vagari super aquas bituminis
C glebas certum est atro liquore, quas scaphis appropinquantes colligunt, quibus id muneris est : hærere sibi fertur bitumen, ut ferro haudquaquam, vel alia præacuta metalli specie recidatur. Sanguini sane cedit mulierum, quo menstrua solventes levari feruntur. Cujus attactu vel urina (ut allegant, quibus experiendi usus fuit) interrumpi proditur : utilis autem ad compagem navium fertur, et corporibus hominum salubris admixta medicamentis. Longitudo lacus ejus usque ad Zoaras Arabiæ dirigitur stadiis quingentis octoginta : latitudo stadiis centum quinquaginta, usque ad vicina Sodomorum, qui quondam uberrimam regionem inhabitabant : abundantem fructibus, distinctam quoque urbibus splendidissimis. Nunc autem ea locorum deserta, atque exusta
D sunt incendio. Nam cum omnia illis Deus suo contulisset munere, arva frugum feracia, et vineis cæterisque fructuosis arboribus rus consitum; ingrati, nec præ oculis habentes potentiam Dei summi, quasi non omnia cerneret, omnia prospectaret flagitia, nihilque esset quod illum latere aut præterire posset : ita intemperantiæ suæ probris miscere universa ac polluere cœpere, quibus divinam traxere offensam, et pro scelerum pretio de cœlo descendit ignis, qui regionem illam exureret. Quinque itaque

[a] *Cui.* Barr.
[b] Hanc vocem non agnoscit ms. Id.
[c] *Generantur.* Id.
[d] *Egredientium.* Id.
[e] *Excutiatur.* Id.
[f] *Illisa.* Id.
[g] *Aqua.* Id.

Digitized by Google

urbes incensæ, quarum umbra quædam et species A in favillis videtur. Arsere terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ recognoscuntur, atque adhuc manent. Spectes illis ad speciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent spectantibus cupiditatem : si carpas, fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. Hæc propter supplicia impiorum de Sodomitano territorio comperta, silentio obducere non oportuit. His enim decursis, remunerationem piis fore dubitari non potest.

## CAPUT XIX.

Vespasianus itaque proxima quæque Hierosolymitanæ urbis castella vel urbium munimenta, distributo exercitus Romani vel sociorum subsidio replebat, ut adversa sibi omnia cognoscerent, quæ B ante conspiratura secum ad bellum contra Romanos gerendum arbitrabantur. Nihilominus Lucio Annio Geresam destinato, insidiis urbem cepit : mille etiam juvenes interfecit, quibus præventis exempta est fuga. Captivi abducti plurimi, atque universa eorum patrimonia a militibus invasa. Præcepto ducis possessiones quæ repertæ fuerant, exurebantur, rapinæ exercebantur licentia. Vastabant Romani montana atque campestria, quibus Hierosolymitana civitas circumfusa bello undique ardebat. Nec feriati erant Hierosolymitani a suorum sensu periculorum, quibus omnes interclusi erant exitus, ne quis fuga periculo eximeretur. Intus malum intestinum, foris clausa omnia, neque manendi voluntas, neque fugiendi erat copia. Et si qui a Romanis veniam transfugio C speraverant, a suis egredi prohibebantur.

## CAPUT XX.

Regressus erat Vespasianus in urbem Cæsaream, ut inde collectis omnibus viribus adoriretur Hierosolymitanæ urbis obsidionem. Nuntiusque advenit cæsum Neronem tertio decimo exacto imperii sui anno, cum jam de anno sequenti octavum diem degeret. Dignus ea pœna, qui non solum fidem sacrilegio, pietatem parricidio, pudicitiam incesto violaverat, sed ipsam quoque potestatem Romani imperii, cujus vel officia vel negotia improbissimis libertorum commiserat. Cum enim ipse nulli fidem servaret, omnes suspectos habebat : et ideo nequissimis Nymphidio, et Gemellino præcipue credendum putavit, quos vilis conditio obnoxios fecerat. Sed D et ipsi exemplum crudelitatis ejus aliquando exhorruere. Et quia charissimos sibi quosque interemerat, cavendum in se rati, prævenire voluerunt quod metuebant. Itaque facta cum cæteris conspiratione, parricidam deserunt. Cui enim parciturus æstimabatur, qui matri non pepercisset? Desertus ergo ab omnibus suis, fugit ex urbe cum quatuor libertis suis. Et cum se urgeri imminentibus conjuratis atque agmine adverso videret, in suburbanum rus clanculo concessit : discissus et dilaceratus sentibus, dum formidat a quoquam videri, ne proderetur : deinde cum se circumseptum intelligeret, ne graves pœnæ exigerentur, maganum quoddam sibi de ligno paravit, et manibus composuit suis, quo se necaret. Et ad libertos conversus : Qualis, inquit, artifex moritur? [a] Itaque acerbissimus parricida dignum meritis suis vitæ exitum tulit, ut qui matrem ac suos occiderat, nec sibi parceret. Vere bonus necis suæ artifex, qui commentus est, ut sic periret, ne vel mors suo scelere vacaret.

## CAPUT XXI.

Fama itaque interfecti Neronis præveneral more ingenii humani : cui satis est, ubi cupita acceperit, cætera non requirere, sed statim dissipare, atque inexploratum in vulgus mittere quod delectaverit. Nec multo post tamen Galbam Romano imperio præesse innotuit. Unde sententia novi principis de bello Judæorum sciscitari, Vespasiano consilium fuit, misitque Titum filium et regem Agrippam. Titus de Achaia revertitur, comperto, quod etiam Galba septimo mense ac die assumptæ potestatis exutus insignibus, pœnas luisset in medio urbis sinu, id est, Romano foro, et Otho potiretur rebus secundis ac successu imperiali. Agrippa Romam contendit, ut apud novum principem locaret gratiam. Tito pluris visa est paternæ pietatis reverentia, quam principalis potestatis, quod inconsulto patre si [b] prætenderet, ne ipsi quidem placiturum putaret. Certe exitus docuit : opportune eum rediisse ad patrem, rebus novis, et incertum quo vergerent. Denique etiam Vespasianus anxius de totius imperii Romani ac patriæ statu, bellum suspendit, atque [c] imperium tenuit suum, posthabitis quæ in Judæa gerebantur, præ totius summæ cura et pia erga patriam sollicitudine.

## CAPUT XXII.

Sed Judæa non feriabatur, quæ gravius bellum inter suos, quam adversum externos gerebat. Nam cum Joannis factio esset intolerabilis, insurrexit præterea Simon, inferior quidem morum improbitate, sed forma corporis magis fretus ad omne audendum nefas, et latrociniis assuefactus ad usum et tentamentum flagitiorum. Civis erat Gerasenus, robustus [d] juvenis, quem princeps sacerdotum Ananus perculerat propter nequitiæ commenta, pulsumque eo quem inhabitabat loco, in alias regiones concedere coegit. At ille, cui nullus inter quietos et modestos locus, contulit sese ad consortia latronum, ipsis quoque in principio suspectus, ne eos factione circumveniret; facile postea morum se infudit societate. Populabatur cum his ea quæ essent finitima munitionibus, quod illi ulteriora petere non præsumebant; sed quasi in foveis latitantes, insidiabantur prætermeantibus, sine ullo excursu, quasi domestico

[a] *Ita.* BARR.— Nihil equidem mutaverim. Scripserit enim *itaque* Auctor pro *et ita.* GALLAND.

[b] *Pertenderet.* BARR.

[c] *Impetum.* ID.

[d] *Juventa.* ID.

Digitized by Google

latrocinio contenti. Id Simon animi immodicus tolerare diu nequivit, brevique sibi multorum quæsivit manum, pollicens servis libertatem, liberis præmia, perditis remunerationem. Ita confluentibus plurimis ad deprædandi licentiam, expugnare munitiones, occupare urbium populos ausus, terribilis omnibus erat; receptaculum sibi in vico, cui nomen [a] Ajacis murus, paravit. Jamque viginti millibus armatorum stipatus incedebat, cum subito metuentes Hierosolymitani quotidianos ejus processus, et adversum se futuros rati, si diutius adolevissent, succidendos putarunt, repentinoque excursu armati Simonem adoriuntur. Nec ille incautus atque imparatus insidiis patuit, sed excepit advenientes, et plerosque fudit, alios coegit in urbem sese recipere bello fugatos.

## CAPUT XXIII.

Idumæis quoque congressus æqualis recessit, et quasi victus, quia non vicerat angebatur. Rursus cum congrediendum foret, commodius arbitratus dolo experiri, reperit spontaneum fraudis ministrum. Nam ubi intellectum est, quid iste affectaret, Jacobus, unus ex principibus Idumæorum, vafer et callidus ad hujusmodi negotia, venit ad Simonem clanculo, et obtulit patriæ suæ proditionem. Ut fidem daret, quod universos Idumæos circumveniret, postulataque mercede futuræ societatis quo potissimus et apud eum fidissimus foret, pollicetur universorum proditionem : convivio fœderata gratia promissisque ingentibus Simonis firmata inter utrumque est pactio. Ubi ad suos revertitur Jacobus, jactare primo paucioribus cœpit, exploratum processisse vires adversariorum, vidisse validam manum, expertos belli viros, multitudinem maximam, et bello insuperabilem : [b] inferre paulatim sermonem istiusmodi principibus : postremo infundere [c] per numeros ipsum Simonem admodum strenuum, qui regio more exercitum instituisset, ordines servaret, numeros distributos haberet, ductores idoneos præfecisset : consulere sibi Idumæos oportere, ut talem virum amicum potius quam hostem experirentur. Certe in congressu superiorem viderent, cederent sine periculo, caverent prælium. Ubi plurimorum inclinata in sententiam suam studia cognovit, edocto Simone ut in aciem prodiret, securus futuræ dispersionis Idumæorum : ille non distulit : hic velut antesignanus cum suis, et quasi ad præliandum promptior : ubi ferentariis tentatum prælium vidit, priusquam in manus veniretur, converso equo fugæ dedit se : idem sui fecere. Ita convertit, dispersitque acies universas, et victoriam Simoni sine certamine belli tradidit. Simon vero potitus tantæ gentis triumpho, insolentior in cæteros factus, Chebron vetustam urbem, celebrem populis, opum divitem, ante exspectatum cepit, multamque in ea prædam reperit, dirupit fructus uberrimos. Fertur enim antiquissima, non solum Palæstinæ urbium civitas, sed etiam om- A nium quæ sunt in Ægypto a vetustis condita : ut etiam Memphim, quæ antiquissima habetur, posteriorem plerique existiment. Fuere etiam, qui habitasse in ea patrem Abraham dixerunt, postea quam de Mesopotamia Syriæ profectus, Ægyptum petiit filiosque ejus illic sepulcrum habere pulcherrimo exstructum marmore et opere elegantissimo, septimo a civitate stadio. Terebinthus illic magna arbor a constitutione mundi fuisse asseveratur. Nunc tamen, utrum adhuc maneat, incertum nobis est. Inde progrediens, vastabat territoria, expugnabat urbes, congregabat populos, quadraginta millibus armatorum stipatus, exinanibat omnia quocumque vel quasi amicus et socius accesserat. Quis enim locus tantorum suppeteret alimentis? Solo pedum vestigio in B modum pavimenti proterebantur universa, in quibus tantus constiterat numerus præliatorum. Nec solum quicumque erat fructus auferebatur, quasi quibusdam exesus locustis, sed etiam in posterum protrita humus fructus negabat. Terrebat Joannem, quod Simonis augebatur potentia, et totius factionis socii quatiebantur. Volebant perditum, sed bello non audebant lacessere. Iterum insidias parant, et obsidentes itinera, uxorem ejus cum omni comitatu muliebri, et paucis virorum prosecutoribus rapiunt : jactabant se, quasi omnem confecissent victoriam, ac velut ipsum Simonem captum tenerent, supplicaturum sibi arbitrabantur. At ille durus, immitis, qui nullius affectu commoveretur, nihil sanctum carumve haberet, inflammatur quasi accepta injuria C potius quam erepta gratia; multoque sævior graviorque gravibus excruciabat, quos reperiebat, tormentis. Plerisque manus incidebat, quos ad hostem truncato corpore remittebat ut ejus annuntiarent crudelitatem, insinuarent minari, quod muros subverteret, urbem excideret, nisi sibi ocius uxor propria restitueretur. Similiter manus et viscera truncaturum omnibus, qui intra urbem degerent, nisi mature consuluissent. Ita perterrefacti, uxorem ejus ad eum dirigunt : quo mitigatus furor ejus, aliquantum requiescendi copiam clausis dedit, ut non urgeret obsidionem civilem.

## CAPUT XXIV.

Nec solum Galba interfecto, sed etiam Othone exstincto, Vitellii ducibus congredientibus, quem D Gallicanus exercitus creaverat imperatorem. Et primo quidem certamine superior Otho visus est : repetito post diem prælio, cum comperisset Otho Valenti et Cæcinnæ Vitellii comitibus victoriam cessisse, plurimos quoque suorum interfectos, Brixiæ positus, voluntaria nece eripuit se ludibrio, duobus diebus et tribus tantum mensibus rerum potitus. Victor itaque Vitellius, cum eo qui utrimque superfuerat exercitu, Romam contendit.

## CAPUT XXV.

Vespasianus tunc temporis profectus ex urbe Cæ-

[a] Josephus, lib. v de *Bell. Jud.* cap. 7, hunc vicum *Aim* appellat. BARR.

[b] *Inserere.* ID.

[c] *Per universos.* ID. — Legendum forte *per innumeros.* GALLAND.

sarea, vastabat Judæam, montana omnia finitima et munitiones debellabat. Interficiebat resistentes: precantibus impertiebat veniam salutis: fugabat adversarios, constituebat suos. Cerealis quoque dux Romani exercitus cum equitatu percurrebat omnia, exstinguebat alios, alios subjiciebat: captivorum cogebat agmina: omnia circa Hierosolymam exurebantur, ne ullum Judæis esset perfugium. Sic interclusi ante obsidionem universi Judæis exitus. At illi non solum non consulebant sibi, sed etiam domestico inter se decernebant certamine. Joannes interior tyrannus; Simon extramuranus hostis: qui recepta uxore, paulisper excurrens, Idumæam depopulatus, validior redit, et Hierosolymitanæ muros urbis armis circumsonabat. Joannes intus positus, suos ad bellum vitiis exercebat, data criminum auctoritate. Fervebant studia rapinarum, probrorum cupiditates, luxuriæ effusiones, unguentorum odores, et calamistris crispabant capillos, stibio oculos depingebant, muliebrem amictum [a] induebant. Nec solum ornatus feminarum, sed etiam muliebris mollitia affectabatur, et illicitarum libidinum passiones, viri muliebria exercere, effeminare vocem, et fluxu corporis sexum dissolvere, pascere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellicare barbulam, et in hac dissolutione sævitiam crudelitatis exercere intolerabilem. Denique fracto gressu incedebant, et subito momentanei bellatores reconditos sub conchyliatis chlamydibus gladios occultantes, cum repente nudassent, quæcumque repererant, diloricabant. Qui Simonem evaserat, a Joanne interficiebatur, si se intra urbem recepisset: qui Joannem fugerat, captus a Simone ante muros immolabatur. Erat dissensio gravis. Idumæi quærebant tyrannidem Joannis exstinguere: invidebant ejus potentiæ; et oderant ejus crudelitatem. Congrediuntur adversum satellites tyrannidis, avertunt eos, insectantur eos usque ad aulam regiam, quam condiderat genere proxima regis Adiabeni: irruunt exclusis propugnatoribus, templumque occupant, diripientes spolia tyrannidis, quoniam illic Joannes opum suarum condiderat receptaculum. Gravis incesserat metus, ne per noctem Idumæi de templo urbem ingressi, ferro plebem interimerent, incendio urbem delerent. Quo metu territi, de consilii sententia, dum unum tyrannum ferre nequeunt, alterum introduxere. Et Joannes fraude irrepserat in tyrannidem. Hic Simon rogatus, quasi remedium salutis daret, dominatum invexit civibus, urbi tyrannum. Missus est Matthias princeps sacerdotum, ut ejus ingressum obsecraret. At ille superbe satis dominari abnuit, et quasi gravaretur, concessit ambitus, ut se in urbem cum omni sua virtute infunderet. Aperuere portas manibus suis, ut perniciosiorem introducerent, cum infirmiorem exsecrarentur. Itaque Simon ex sententia ingressus, æque se hostem exhibebat universis: ut et illos qui vocaverant, et illos adversum quos ejus auxilium postulatum fuerat, communi omnes odio persequeretur. [b] Urgebat Joannes fraudibus suis, fluctuabat civitas. Certamen erat inter Joannem et Simonem, quis amplius suis noceret.

## CAPUT XXVI.

Sub ea tempestate convaluit rumor civilium bellorum in exercitu Romano, de Galbæ et Othonis nece manifestatus et imperio Vitellii, qui nequior superioribus, quasi fæx resedisset. Conferre secum veteris militiæ viri cœpere, et indigne ferre, tantum usurpare Prætorianas Romæ legiones, ut cum jam bellorum desuevissent experiri pericula, nomina ignorarent gentium quæ bellum moverent, ipsæ tamen statuerunt belli imperatorem: et in sua manu rerum Romanarum legendum arbitrum [c] constituerunt. Deinde hujusmodi exemplo in Gallia positos milites aspiravisse, ut Vitellio imperium darent, inconsulto senatu et populo Romano; se interea quasi mercenarios haberi, qui aliena arbitria sequerentur: primos ad periculum, ad honorem ultimos, tanto tempore bellum gerere, triumphis quotidie crescentibus ab inferioribus dominos accipere; et ne eos quidem utiles, sed vel ignavissimos quosque, vel ventri deditos et turpitudini: pergendum obviam et removendam injuriam: esse sibi virum strenuum Vespasianum, quem legi decuerit ab omnibus imperatorem; ævi maturum ad consulendum, validiorem junioribus ad præliandum: properandum maturius, ne prius ab aliis eligeretur: et his cum quibus in militia consenuerit, triumphando esset despectui. Quando opportunius tempus, quo digna merces laboribus ejus rependeretur? [d] Vitellianum voraginem, privatorum dedecus (non dicam imperatorem) non diutius hoc toleraturum senatum, non populum Romanum, ut opprobrium vinolentorum diutius in culmine maneat imperii [e] cujus res Romana ad sumptum non suppetat. Quis enim ferat tyrannum regnare, cum habeat in exercitu dignum Romani imperii gubernatorem? Quæ vero gentes luxui se subjiciant et vitiis dedant, cum belli incentivum sit ignavia imperatoris; et contra firmitudo pacis, in hostem virtus, sobrietas in reipublicæ moderatore? Quis non suspiciat in Vespasiano adhuc privato regni decus et Romani imperii auctoritatem, cui tot militares numeri præsto sunt, et omnis Romani exercitus validior manus? Quid exspectamus? An ut nostris fultus virtutibus, aliis debeat quod imperator est, et nos aliis cedamus quod in jure nostræ potestatis est? Certe si honorare nolumus, non derogemus. Nec faciamus hanc injuriam, ut nostro judicio repudietur quasi indignus imperio, quo dignus habetur Vitellius. Postremo

[a] *Induebantur.* Barr.
[b] *Urgebatur.* Id.
[c] *Constituunt.* Id.
[d] Aut *Vitellianam vorag.* aut *Vitellium*, *voraginem* legendum videtur: eo scilicet sensu, quo Cicero *pro Sext.* cap. 52: *Tu meo periculo, gurges et* VORAGO *patrimonii, helluabere?* Contextus restitutionem confirmat. Galland.
[e] *Cui* Barr. — Sed ferri potest lectio vulgata, si referatur non ad *suppetat*, sed *ad sumptum*. Galland.

Digitized by Google

cum in Italia sint frater ejus et filius Domitianus, verendum profecto est, ne qui suis ornamento esse jamdudum debuit, sit periculo: aut si illi, ut arbitramur, tyrannum urgere cœperint, huic fraudi sit, quod et frater et filius rebellaverint, et incipiamus reum spectare, quem videre nolumus imperatorem. His secum milites vociferantes, adoriuntur Vespasianum, rogant ut Romani imperii suscipiat gubernaculum. Ille autem abnuere ac se indignum dicere: esse jam constitutum imperatorem, refugiendum civile bellum. Illi instare promptius, ille resistere perseverantius. Postremo reluctantem armati circumsistunt gladiis mortem minantes, qui adverterent sibi crimen manere, et grave periculum si refugisset: ita cessit potius imprimentibus, quam recepit voluntarius, quod ambire alii solent. Urgebant milites, suadebant duces: curam prius quam honorem induit, festinavit in Ægyptum, sciebat enim maximas vires illic esse Romanæ reipublicæ, unde alimonia ministraretur: subsidium sibi quærendum, si vinceret: aut [a] refragium Vitellio, si trahendum diutius bellum putaret. Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere properavit, ut urbs maxima, et plurimis naturæ munimentis circumdata, in suo potius jure, quam in alieno maneret, ad utrumque belli eventum satis utilis. Ideoque de locorum situ, ac potissimum de ipsa urbe metropolitana, vel paucis dicendum rati.

## CAPUT XXVII.

Urbem Alexandriam condidit Alexander, cui ob virtutem inditum magni ducis cognomentum. Ea inter Ægyptum et mare quasi claustrum interjacet, civitas importuosa, ut fere pleræque Ægypti, et ab externo difficilis accessu, cum sit in remotioribus Asiæ partibus jacens. In Europa, quia ipsa [b] Ægypti aridis Libyæ conterminat; meridiana autem ejus superiora, quæ disterminant ab Æthiopibus Sienem, et innavigabiles Nili fluminis cataractas. Ab oriente refunditur mare Rubrum, Clitro tenus, qui locus extremis ultimus terris, pervium ad Indos aperit iter navigaturis. Septa igitur ex una parte ferventibus incendiis solis, Indico inde atque hinc Ægyptio mari uno tantum muro septentrionali innititur terræ, quod ducit in Syriam. Cætera interclusa undique, et naturæ subsidio vallata: dividuum tamen septentrionalis plagæ eidem munimentum, et gemino quodam limite patens, quo vel peregrinæ ad eam per maria [c] Ægyptum devehuntur copiæ, vel liberior ad terras usus diffunditur. Terra jacet in infinitum modum. Nam inter Sienem et Pelusium longitudo [d] universa stadiorum duum millium, si fides assertis adest; et ab Plinthine usque Pelusium, stadiorum item trium millium sexcentorum: inassueta imbribus regio, nec tamen pluviarum indiga, cui Nili irrigua spontaneos imbres ministrant. Utrimque ei Nilus est, cœli ubertas, terræ fecunditas: arva temperat, solum opimat, nautis et agricolis juxta usui: hi navigant, illi serunt: isti circumvehuntur per sua rura navigiis, illi excolunt aratro serentes, viantes sine carpento. Distinctam cernas fluentis et quasi quibusdam excelsam mœnibus navigiorum, totis domicilia terris vagantur, quæ Nilo circumfluunt. Est enim navigabilis usque ad urbem (ut appellant) [e] Elephantinorum: ulterius navem procedere cataractæ quas diximus, non sinunt: non defectu gurgitis, sed totius fluminis præcipitiis, et ob quamdam aquarum ruinam. Portus urbis, ut plerique maritimorum locorum aditus, difficilis accessu, et longe difficilior cæteris, quasi ad formam corporis humani in capite ipso et in statione capacior, in faucibus angustior, qua meatum maris et navium suscipit, quibus quædam spirandi subsidia portui subministrantur: ubi quis angustias atque ora portus evaserit, tanquam reliqua corporis forma: ita diffusio maris longe lateque distenditur. In dextra vero portus insula est brevis, et in ea turris maxima, quam Pharum in commune Græci ac Latini ex ipsius rei usu appellaverunt, eo quod longe videatur a navigantibus, ut prius quam in portum appropinquent, nocturno maxime tempore, terram finitimam sibi esse flammarum [f] incendio cognoscant: ne decepti tenebris, in scopulos incidant, aut vestibuli limitem non queant comprehendere. Sunt itaque illic ministri, per quos subjectis facibus cæterisque lignorum struibus, adoletur ignis quasi terræ prænuntius, et index faucium portuensium, demonstrans ingrediendi angustias, undarum sinus, vestibuli anfractus, ne perstringat tenuis carina cautes, et in ipso ingressu offendat inter opertos fluctibus scopulos. Itaque directum cursum paulatim inflecti oportet, ne cæsis illisa saxis ibi incurrat navis periculum, ubi speratur effugium periculorum. Angustior enim aditus in portum quia a dextera parte latere arctatur, a læva rupibus, quibus obstructum est sinistrum latus portus. Circa insulam quoque instructæ ingentis magnitudinis moles dejiciuntur, ne assiduo assurgentis impetu maris, cadant fundamenta insulæ, atque vi nimia solvantur. Unde fit, ut illidentibus sese in partem insulæ fluctibus, et currentibus in adversum inter scrupeas rupes, molesque constructas, canalis ille medius semper sit inquietus, atque exasperato transitu periculosus fiat navigiis incessus: amplitudo portus stadiorum XXX, statio tuta, placiditas maxima quamvis tempestate: quia memorati oris angustiis atque objectu insulæ repellit a se undas maris, et fit intus tutissimus portus compensatione quadam ingressus periculosi: quia per easdem portuensis oris angustias totius portus defenditur sinus, et summovetur a tempestatibus, placidatur a [g] frigoribus per quos ingressus exasperan-

[a] Nova plane vox, suffragio opponitur. Vid. Gronov. *Monobib.* cap. 21, pag. 236. GALLAND.

[b] *Ægyptus.* BARR.

[c] *Ægyptium.* ID.

[d] *Immensa.* ID.

[e] *Elephantorum.* ID.

[f] *Indicio.* ID.

[g] *Fragoribus.* ID.

Digitized by Google

tur. Nec immerito vel tutamen, vel magnitudo portus hujusmodi est, cum in eum quæ ad usum totius orbis proficiant, convectari necessarium sit. Nam et populi innumerabiles eorumdem locorum, ad usum sui expetunt totius orbis commercia, et frugum regio ferax, cæterorumque terræ munerum vel negotiorum abundans, totum frumento alit atque instruit necessariis mercibus orbem terrarum.

## CAPUT XXVIII.

Compositis itaque erga se rebus in Alexandria Vespasianus, et studiis omnium qui rem militarem gerebant, circa suum imperium conspirantibus, securus absentiæ, reditum in Syriam maturat: convento mandatis tamen Tiberio Alexandro qui tunc Ægypto præsidebat, ut ejus exercitus qui tum in superioribus partibus erat, gratiam sibi consociaret, ipse quoque necessitatem imperii Romani, quibus posset adjuvaret viribus. Quæ sibi imposita forent, Tiberius per epistolam provincialibus et militibus insinuavit, idque ab omnibus cum lætitia susceptum, fides promissa, effusus favor. Vespasianum Cæsarea suscipit: inde Beritos, legationibus urbium cum summo gaudio confluentibus. Illic etiam Josephus solvi præceptus vinculis jussu imperatoris, adjuvit Titus ut frangerentur potius, quam solverentur catenæ. Quod si frangerentur, ita esset quasi non fuisset ligatus. Placuit patri securim deferri, jussit frangi catenas, ut adverterent Judæi sibi quoque veniam non negandam, si converterentur et pacem rogarent: simul quia non alieno eum arbitrio jam reservabat, cum ad se rerum omnium delata arbitria forent.

## CAPUT XXIX.

Ventum Antiochiam: ibi tractatu habito, unde oporteret ad Italiam transmittere: quia tuta in Ægypto vel Alexandria omnia consideraverat. Consultum celeritati. Dimittit itaque Mutianum cum parte multa equitum et exercitus pedestris, ut præveniret in Italiam adventum imperatoris. Is prolixæ navigationis revocatus formidine, per Cappadociam et Phrygiam iter direxit. Antonium quoque præcepit præfectum tertio ordini militari qui erat in Mysia, in imperatam se Italiam effundere, prius quam Vitelliani sese moverent. Nam Vitellius quasi crapulatus et somno demersus, convivii rem geri existimans, non imperii, in tantis positus negotiis dormiebat. Denique vix tandem excitatus nuntio advenientis Antonii, dirigit Cecinnam cum exercitus parte, et periculi sui summam alieno arbitrio committit fretus Cecinnæ viribus, quod Othonis manum fuderat. Ille circa urbem Cremonensium Antonio occurrit advenienti: explorat omnia, cognoscit prævalidam manum [a] e diversis affore, strenuam bellis, exercitatam triumphis: se contra nec viribus æquis, nec numero pares posse decernere adversum validiores: convocatis centurionibus suadet bello desistere, quod essent numero inferiores, et gloria imperatoris

A præponderaret: satis in bello valere famam ducis rem summam gerentis: Vespasianum in Gallicanis partibus, et Britanniarum victoriis emicuisse: Vespasianum orientalibus succinctum adoreis, magno uti sui nominis præjudicio: Vitellium autem nihil aliud nisi vino solutum, et inter convivia pridiana semper ructantem epulas, nihil aliud exspectare, nisi ut cum hostis [b] adveniret, ebrius pereat sine sensu doloris. Ex illo augeri militum animos tanti gloria imperatoris: ex isto dejici per opprobria ejus, et turpitudines: consulendum, ne prioris belli famam [c] omitteret: licet vicerint Othonem Vitellio parem, adversus eum nunc esse negotium, qui totum orbem triumphis suis cinxerit: præveniendam gratia necessitatem, ut civem potius Vespasianum eligant, quam hostem experiantur. B Miserum esse bello civili vincere, quanto miserius vinci, ut videaris hostis tuorum! Victori patria manet, victo perit: aut si manet, ad sceleris invidiam manebit, ut videamur civibus intulisse bellum pro tyranno. Qui enim vincitur non jam civis, sed tyrannus est. Quid conserimus noxias manus? Semel satis sit sceleri vicisse, ut pudeat cui vicerimus. Putavimus [d] vel imperium sobrium fore, vel rerum molibus exspergefactum, somno perpetuo renuntiare. Quid exspectamus diutius? Pericula nostra ingrata sunt omnibus commilitonibus: omnibus populis judicia nostra reprehensa et condemnata propter electi flagitia. Qualis sit considerate, qui etiam victor repudiatus est. Consultandum certe prius de belli eventu, et sic præliandum. Si pericula prævenerint, C frustra consules; ubi consilium placuerit, recte incipies. Quod solliciti ducis esset: explorata sibi omnia, patuisse Vespasiani exercitum esse validiorem, fidem suam pro Vitellio jamdudum probatam, quando præsumpsit de belli eventu, victoriam secutam quando diffidit: in promptu esse, quid sit futurum. Neque vero mortem suam sibi esse formidini, sed exercitus Romani periculum: et quod plus dolet viris, partæ jam dispendium laudis, ut videantur victi, qui solent vincere. Sibi certe cavendum, ne judicetur: et illud non fortitudinis, sed eventus fuisse, quod vicerit bello superiore, et istud ignaviæ, quod victus postea sit.

## CAPUT XXX.

His atque hujusmodi sermonibus abduxit in sententiam suam milites, ut secum ad Antonium pergerent D voluntarii, atque ei se traderent: sed ut se habet vulgi maxime militaris mobilitas, compuncti sunt plerique per noctem in cubilibus suis, deserti ut Vitellii pœnitentia: ne si superior fieret, nullus sibi veniæ locus superesset, qui imperatorem proprium dereliquissent. Et surgentes primo cum obviis quibusque, deinde cum omnibus conferre cœperunt, quomodo erratum emendarent; evaginatisque gladiis, insiluerunt super Cecinnam volentes ultum ire injuriam suæ prolapsionis; sed intervenientibus cen-

[a] *E diverso.* Barr.
[b] *Advenerit.* Id.
[c] *Amitteret.* Id.
[d] *Vel in imperio.* Id.

Digitized by Google

turionibus et chiliarchis, a nece quidem ejus temperandum rati, [a] victum tamen Vitellio dirigere parabant. Quo cognito, Antonius movit eos quos secum deduxerat, et armis super defectores irruit: at illi viso agmine partis adversæ, paraverunt se ad prælium: sed paulisper ausi resistere, ubi se convertere ut Cremonam confugerent, cum equitibus Antonius occurrit, atque omnes prævenit aditus: ne confugientes reciperentur, clausosque ante urbem interfecit. Cæsa illic multitudo maxima, reliquos in ipsam urbem persecutus peremit. Direpta omnia, plurimi incolæ prædæ causa necati, dum sua vindicant. Exstincta triginta millia et ducenti viri, qui aderant de exercitu Vitellii. Primusque (id enim Antonio cognomentum erat) quatuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit: quoniam desperatione salutis ulcisci se volentes Vitelliani, ubi circumventos se videre, haud incruentam et ipsis Antonianis victoriam cessere. Solutus vinculis Cecinna, dirigitur ad Vespasianum ab Antonio; ibique non solum salutis securitate; sed etiam præmiorum solutione consolatus est maculam proditionis.

## CAPUT XXXI.

Cujus victoriæ nuntio elatus Sabinus, volens et ipse commendationem sibi apud imperatorem parare, si præveniret advenientem Antonium Vitellii vel exitio, vel expulsione: aut si resisteret Vitellius, superveniret Antonius, qui jam jamque affuturus audiebatur, congregat sibi militarem manum ex his ordinibus qui Romæ positi curabant munia vigiliarum, occupat nocte et Capitolium: plurimi ad eum nobilium per diem confluxere, inter quos etiam Domitianus Vespasiani germano editus, qui metuens, ne in se quasi in Vespasiani nepotem, Vitelliana ultio derivaretur; inter duos positus Vitellios, propiorem adoritur, minus sollicitus de remotiore (plus enim propiora terrent pericula). Indignatusque immittit Germanos in Capitolium, qui præferoces immanitate gentis, simul numero validiores, circumvenerunt rebellatricem Sabini catervam: interfecti prope omnes. Domitianus tamen cum plerisque nobilium, dum Germani ad superiora Capitolii nituntur, et a Sabino ejusque sociis loci pelluntur, suffragio fugiendi locum reperit, aut forte, quia et ipse malo publico reservabatur tyrannus futurus: Sabinum Vitellius excruciatum necat, diripiuntur omnia munera oblata Capitolio, templumque incenditur.

## CAPUT XXXII

Post diem Antonius adest: e diverso occurritur, trino circa ubis mœnia congressu habito: fusi cæsique omnes Vitelliani: interea Vitellius epulabatur, ne amitteret moriturus prandium, et redundantioribus (ut in extremis solet) mensæ sibi ultimæ dapibus refertiebatur. Obruebat se vini poculis frequentioribus, ut sensum amitteret futuri vel opprobrii, vel periculi: rapitur e convivio, trahitur per multitudinem, insultatur morituro, inferuntur injuriæ, quas ebrius non sentiebat. In media perimitur urbe, vina simul et sanguinem fundens, eructans crapulam; qui si diutius vixisset, luxuriæ sumptibus et pretio mensarum Romani imperii opes abligurisset. Denique octo mensibus et quinque diebus imperitavit. Et jam Roma edacitate ejus defecerat. Numerata sunt alia cæsorum supra [b] quingenta millia.

## CAPUT XXXIII.

Sequenti autem die Mutianus et Antonius cum exercitu pariter ingressi, vix finem necandi furentibus militibus imposuere, eo quod præsumptores constituendi imperii Vitellianos persequebantur, et explorabant privatorum domos, tanta perciti indignatione, ut cum de populo aliquos metu latentes investigassent, prius quasi Vitellianos ferirent, quam cognitio veritatem manifestaret, ut sæpius vincentium furor interrogationem præveniret. Et quia absens erat Vespasianus, quasi ad interregni vicem Domitianum publicis Mutianus præfecit negotiis, [c] ne quid ejus deesset rebus secundis. Nondum tamen Domitiano se penitus infuderat libido flagitiorum: rudis adhuc vitiis, et tiro criminibus ut potestatibus. Vespasianus hieme retentus, atque intercluso ventis mari, cum filio Alexandriam rediit: illic victoriæ nuntio plebisque Romanæ comperto in se favore, profectionem maturandam constituit, ne quid absente se novaretur: nec tamen incuratum Judææ bellum reliquit, quod filio, quasi consorti suorum operum ac successori committendum putavit: ut neque Romanis ipse deesset, neque Judæis Vespasianus, quem filius repræsentaret. Exsecutor igitur paterni electus triumphi, cum electa manu dirigitur Titus, pedes egreditur, Nicopolim petit. Abest ea civitas ab Alexandria viginti quatuor stadiis: inde militibus classi navium majorum impositis, Nilo decurrit usque ad urbem [d] Thoni. Unde progressus habitavit in civitate cui nomen [e] Thamna. Secunda mansio viantibus civitas Heraclea, tertia Pelusium: duobus diebus stativorum gratia Pelusii transactis, per desertum agens iter, pervenit usque ad Casii Jovis templum: succedit ei Ostracine mansio aqua locus indigens; tamen diligentia incolæ sibi subsidium paraverant, ut instituerent ductus aquarum. Exceperunt [f] Rhinocoluri exercitum progredientem, non sine grata refectione. Occurrit urbs [g] Raphæa, quæ civitas Syriæ principium est, ex Ægypto commeantibus. Ventum est Gazam, ea erat quinta civitas advenientibus. Inde in Ascalonem, deinde [h] Jamniam ex qua transitum in Joppen, perventum in Cæsaream: ubi necesse erat paulisper morari, congregare quoque militum manum, quæ adhuc in hibernis agebat, et jam hiemis asperitas deficiebat.

[a] *Vinctum.* Barr.
[b] *Quinquaginta millia*, rectius ex Josepho. Id.
[c] *Ne quis nævus.* Id.
[d] Ex Josepho scribendum *Thmuin.* Id.
[e] Vet. cod., *Tanis*, quod consentit cum Josepho. Id.
[f] *Rinochori.* Id.
[g] Josephus *Raphia.* Id.
[h] Ita rescripsimus. Editi perperam *Gamniam.* Galland.

Digitized by Google

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT PRIMUM.

Anno primo delati imperii Vespasiano, bellis asperis Judæa et seditionibus domesticis lacerabatur, nec per hiemem inducias malorum egerat, quando solent bellorum sæva requiescere : quin etiam tertius ei tyrannus Eleazarus accesserat, quasi emendaturus vitia superiorum ; qui conjurantibus secum Juda, et Zenonis Simone, et Ezechia non ignobili juvene, quos plurimi alii comitabantur, et occupatis templi interioribus et circuitu omni, supra fores in vestibuli ipsius fronte, arma constituere. Joannes tamen conspirantium numero præstabat et factionis multitudine, sed loco inferior : quamvis nequaquam feriaretur, sed repugnaret superioribus, gravabatur tamen, quod supra verticem haberet hostes. Simon vero quem sibi tyrannum populus introduxerat, superiora urbis tenebat : inferiora quoque populo ipsius replebantur. Trino prælio laborabat intra se civitas : nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ : momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri jugulabantur, manabat sanguis, fœdabat universa, ipsa replebat templi limina, passim ruebant cadavera : sagittis alii, alii missilibus feriebantur. Inter tres medius erat Joannes, inferior Eleazaro, superior Simone : quo superabatur ab Eleazaro, eo ipso superabat Simonem : medius enim inter utrumque eum locum tenebat, [a] ut quo plus gravaretur ab altero, et ipse plus noceret alteri, instructior tamen cæteris subsidiis machinarum, et genere telorum bellum æquabat ; ita tamen, ut præter eos qui bellum moverent, plerique etiam sacerdotum interficerentur, atque inter ipsas quas mactaverant hostias, immolarentur : quamvis enim frequens super universos rueret telorum seges, et ubique ferverent prælia ; tamen sacerdotes sacrificandi ministerium solemniter obibant : nec feriabantur commisso sibi munere, et quo in interioribus erant templi, eo gravius perimebantur : quia tormento acti vehementiores ictus habebant. Plerique etiam qui de ultimo orbe precatum venerant, sperantes remedia salutis, quo magis templo inhæserant, eo majoribus periculis involvebantur. Cerneres externos cum civibus, sacerdotes simul et profanos jacere, graves cum turpibus, luxuriosos cum abstinentibus, confusoque omnium promiscue sanguine, et quasi profluvio decurrente, interiores ipsos stagnare secessus templi : in circuitu omnia cruore tumescere, ut plerique, dum invicem propugnatores partium petunt, lubrico offensi, [b] quassati furore, in sanguine demergerentur : nec sic tamen periculis territi abstinebant a prælio tyrannorum satellites : et quo majus periculum, eo amplius desæviebat tempestas furoris. Si iis gravius incubuerat exitium, alii quasi ad victoriam vehementius invitabantur, ut turbatos deferrent. Et Eleazaro quidem vel Simoni cedendi potestas erat, ut quasi quibusdam vel horarum se repararent induciis : Joannes vero semper in procinctu, momentis omnibus in certamine : si superiores quieverant, urgebant inferiores ex parte Simonis : si hos perturbaverant, Eleazarus infestabat : nec ipse tamen illos quietos esse patiebatur : ubi alios depulerat, in alios prosiliebat, pervigil in certamine, et ipsa impiger crudelitate : ubi parcebant telis, ignes jaculabantur, qui comprehensis tectorum fastigiis depascebantur domos, quæ refertæ frugibus cæterisque subsidiis alimentorum, ad belli tolerantiam prolixioris, pariter exurebantur : majorique pabula incendio dabantur, ruebant ambusta materiarum, devolvebantur sublimium ædificiorum culmina. Ita sanguine, incendio, ruina, fame, totius urbis nervi succidebantur. Nullus locus periculo vacabat, nullum consilio tempus reperiebatur, nulla spes conversionis, nulla fugiendi copia erat. Mœsta omnia, plena horroris, plena immanitatis, ubique luctus, ubique pavor, ubique clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio, ut miserabiles eos diceres, qui remanserant ; beatos qui obierant.

## CAPUT II.

Quomodo decepta, civitas, populis tuis, quibus quondam videbaris beata ? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conversæ manus tuæ sunt, quæ solebas sine armis vincere, et sine ullo prælio hostem ferire, cum pro te angeli dimicarent, et militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores ? Exsurge nunc, Moses, et vide gentem tuam et hæreditatem populi tibi crediti perire manibus suis. Aspice populum illum Dei, cui pervium gradienti mare patebat, cui esurienti escas cœlum subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate jejunum. Exsurge, Aaron, qui aliquando, cum propter offensam Dei omnipotentis mors plurimos populi depasceretur, stetisti inter viventes ac mortuos, et mors stetit, atque objectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viventium. Suscitare et tu, Jesu Nave, qui muros inexpugnabiles Hiericho sacerdotibus tuba canentibus complanasti ; et vide populum cui exteros subjecisti, nunc eumdem subjectum opprimi. Suscitare David, exasperantem spiritum citharæ suavitate solitus excludere ; et vide, quemadmodum dominetur furor, atque omnem suavitatem psalmorum tuorum ex perditorum sensibus obsoluerit, et unusquisque de principibus populum universum ad mortem offerat, ut libertatem extorqueat, pro quo te ipsum morti offerebas. Suscitare, Elisæe, qui hostem introduxisti in Samariam, et amicum fecisti : per te in castris Syriæ quadrigarum increpuit fragor et vox equitum et vox virtutis : fugit hostis, evasit obsidionem Judæus. Ubi nunc ista merita, ubi nunc istæ operationes sanctorum ? Nec mirum, si amiserunt prophetarum opera,

[a] *In quo*. Barr.

[b] *Quasi satiati*. Id.

Digitized by Google

qui negaverunt prophetarum arbitrum: ideoque in A te Judæa arma vertuntur tua, et orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur: ideo adversum te factus est populus tuus, quia in te conversa est perfidia tua. Quod remedium quæritur, ubi auctor remedii non reconciliatur? Quid putabas futurum, cum tuis manibus Salvatorem tuum crucifigeres; cum tuis manibus vitam tuam exstingueres; cum tuis vocibus advocatum tuum exterminares; tuis intestationibus auxiliatorem tuum interficeres? Nisi ut in te quoque tuas injiceres manus. Habes quod petisti: eripuisti tibi præsulem pacis, petisti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barabbam, *qui propter seditionem factam in civitate et homicidium, missus fuerat in carcerem* (*Luc.* XXIII, 19, 25). Ideo salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit, data est B tibi seditio, datum excidium: agnosce tibi hodie Barabbam vivere, Jesum mortuum. Ideo in te regnat seditio, pax sepulta est, ut crudelius a tuis pereas, quam si ab alienis perires. Quid tantum tibi, miserabilis civitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus malorum invexit? Ut cum Romanis impugnares, tui fecerunt: pacem volebant Romani, tu bellum indixisti. Quid causæ erat, ut fortiores lacesseres? Durum sane, quod contra legem sacram templum gentilis intravit: sed jam non eras Dei templum, non eras Dei civitas, nec esse poteras, quia eras mortuorum sepulcrum, et præsertim tuorum quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Quomodo enim vitæ esse domicilium poteras, quæ eras mortis habitaculum, diversorium scelerum, latronum spe- C luncum? Jacuerunt in te Ananus et Jesus insepulti sacerdotum principes: et illi dudum sacerdotalibus amicti stolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformi jacuerunt cadavere, escæ volatilium, devoratio canum, membra laceri tota [a] dispersa urbe, ut deplorare veteris sanctitatis species videretur, tantam sacri nominis contumeliam, et speciosi quondam muneris deformitatem: sed ipsa tibi hujus indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas prophetas, quæ lapidabas sanctos Domini. Ante templum jacuit Zacharias exanimis; jacuit inhumatus: hic ergo sanguis illum lavat. Quæ causa autem mortis Anano, nisi quod increpavit populum tuum, quod non insurgeret pro templi defensione, quia expostulabat libertatem proditam, virtutem de- D sertam, calcatas veterum sacrorum reliquias, commaculata altaria: relinquendum asserebat populum usu simulacrorum insensibilium et statuarum de marmore, nihil jam sentientem. [b] Multa enim animalia referre solent vel vindictæ vicissitudinem, sentire injuriam, incitari aculeo, declinare verbera: qui ergo nec excitatur, nec declinare novit quod noceat, similis est non sentientibus. Et re vera ubi est libertas illa tua, cujus studio quondam non Ægyptiis, non Palæstinis, non Assyriis, postea non Medis ce-

dendum æstimavisti? Ubi est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugavit, Demetrium perculit: ad postremum in parvulis et mulieribus Antiochi arma, gladios incendiaque superavit, et pro observatione [c] patriæ legis mori maluit, quam regis imperiis obtemperare? Ubi est illa devotio patrum pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, non pro conjugibus magis, quam pro templo Dei morti offerebant? Ante et virga [d] Aaron sacerdotalis floruit, recisa de silvestri radice: nunc et fides aret, et sepulta est pietas, et abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, si populus a Deo recessit, et improbum contradictionis spiritum sequitur, in seipsum divisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat, qui pacem Dei repudiavit? *Pax Dei Christus est, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Merito ergo ex uno populo plures adversus se facti sunt, quia noluerunt sequi divisi consociantem Jesum, sed secuti sunt conjuncti dividentem furoris spiritum. Solvebas igitur Hierusalem mercedem perfidiæ tuæ, cum ipsa tuis manibus destrueres munimina tua, cum tuis mucronibus foderes viscera tua: ita ut hostis misereretur, et tu occideres: ut ille parceret, et tu sævires. Videbas enim, quod Deus adversum te pugnaret, et Romanorum partibus fungeretur, ut ipsa tibi inferres voluntariam proditionem. Et ideo spectatores malebant esse Romani, quam percussores, ne [e] ferventibus tuis inter se visceribus, manum admovere contagionis magis quam fortitudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ cædis supplicia accedebat impiæ immanitas crudelitatis, ut sepulturam omnibus qui vel in templo necati fuerant vel circa urbis plateas, negarent: nec humare cuiquam vacabat, dum bello inter se occuparentur, feriendique magis quam humandi cura universos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria, nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quam misericordia, quæ sola solet allevare miserias, solari ærumnas. Nam et hi qui amiserant suos, non audebant humare propter formidinem, cum gravis terror ingrueret a diversæ factionis principibus: et hi qui necaverant alienos, cavebant ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent: vel quod pejus est, quem paraverant aliis usum sepulcri, eum ipsi non impetrarent. In templo igitur ipso pro unguentis bene olentibus, pro thymiamatis bene spirantibus, pro diversorum florum odoribus, gravis erat insepultorum cadaverum fetor, quos pluvia dissolverat, quos flamma combusserat, quos sol calefecerat; omnes artus cæsorum civium diro odore fetebant: hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor, sensus omnes atque ora complebant viventium, ut ipsi non multo post graviore morbo consumerentur, ac se superstites in-

[a] *Dispersi.* BARR.
[b] *Muta.* ID.
[c] Suppleta heic vox *legis*, quæ deest in editis. GALLAND.
[d] Deest hæc vox in ms. BARR.
[e] *Furentibus.* ID.

Digitized by Google

gemiscerent, quo duriore pœna perirent : eoque A servatos, ut viderent cum patria simul, solvi etiam leges naturæ, negari jus viventibus, pacem civibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque divina maculari ac pollui, permixta omnia, criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem. Castrum in templo, bellum in limine, fumus in altaribus : ea se spectare oculis, quæ prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nonne de ipsis dixerat David : *Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticina servorum tuorum escam volatilibus cœli : effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII, 1, 3)? Simul enim tunc et gentes venerunt in hæreditatem Dei quæ auferrent omnia, et templum pollutum est suorum funeribus, et inse- B pulta jacuerunt cadavera interfectorum ad escam avium bestiarumque voracitatem : effusus sanguis, ut stagnaret in templo, deesset qui sepeliret : quia a viventibus in mortuos, a mortuis in eos qui adhuc viverent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare? ipse exstinguebatur : et qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam; ut illi sepulturam negaret, hunc exstinguebat : rursus qui sepultorem occiderat, majorem crudelitatem circa defunctum exercebat, ut jam nihil debentem odio, non sentientem supplicia, spoliaret supremo naturæ debito. Quid illis aliud accidere poterat, qui divina non recipiebant oracula? Irridebant prophetarum annuntiationes, fas omne calcabant : non credebant futura, quæ ut fierent, ipsi acceleraverunt. C Erat enim sermo vetus et frequens, tunc perituram urbem Hierosolymam, et sancta ejus exurenda, cum seditio belli legem incesseret, et domesticæ manus templum Dei contaminarent : sed ne hoc quidem intellexerunt. Quoties enim excisa domus Dei, quoties seditio, quoties obsidio, quoties bellum? et numquam illa urbs periit, nisi quando verum templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Et quod illud templum? Audiant : *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Quid enim aliud nisi sacrilegium fuit, cum impias manus extenderent in auctorem salutis, cum lapidarent, cum verberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc vere sancta eorum absumpsit ignis divinus : nam et exusta a Babyloniis, reparata postea : destructa a D Pompeio, reformata iterum : sed penitus exusta, ubi Jesus venit, et Spiritus divini calore soluta evanuerunt. Oportuit uberiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ solemnitatis, et velut exsequias quasdam prosequi, ac solvere juxta majorum instituta : sed veniamus ad exordium obsidionis Hierusalem.

## CAPUT III.

Reverterat in Judæam Titus, et paucis diebus interpositis, ut replerentur ordines militarium numerorum de quibus lecta manus missa fuerat in Italiam, bellum adolebat festinans comitari patrem, ne in pericula solum dimitteret, adversus Vitelliana arma conflicturum. Movit itaque iter magno decore exercitus : solitudo ubique, et parato agmine suspectans insidias, quia virtute se superiorem videbat. Venit per Samariæ loca, suscepit eum [a] Gosna, quæ ad Romanos jamdudum concesserat : ventum in Aulanam, unde aberat Hierosolyma stadiis XXX nihil amplius. Inde assumptis equitibus numero sexcentis perrexit equitatum ante urbem : exploratum quoque loci situm, munimentorum qualitatem, murorum altitudinem, studia plebis, quæ ferebatur latronum armis premi, et factionum stipamine circumveniri : ut invita acquiesceret obsidioni, quominus voluntatem erga Romanos proderet, si libertas daretur. Speciose igitur cum paucis equitabat in aggere publico, qui ad muros urbis dirigebatur, nec quisquam est visus progredi. Verum ubi ad obeundum murorum circuitum flexit equum in latus, cum cætera [b] turba ducem sequeretur, erupere subito plerique de loco qui appellabatur contra Helenæ sepulcrum, et exsilientes occupaverunt iter, ut includerent majorem equitum partem quæ Titum sequebatur : ipse cum paucis prætererat consulto insidiantium, ut destitutus a cæteris facilius opprimeretur : quia neque ad suos regredi facile erat, propter instantem hostium multitudinem; neque progredi ulterius fossa aut vallum sinebant, cæteraque locorum impedimenta, quibus anceps periculum inferebatur.

## CAPUT IV.

Videns itaque Titus in virtute [c] sua positum sibi remedium salutis, nec aliter nisi ferro iter aperiendum : jam enim alii reflexis equis discesserant, dum et ipsi imperatoris filium secuturum sperarent, convertit equum hortatusque clamore cæteros ut sequerentur, supra hostem irruit : impossibile hoc videretur, quomodo potuit evadere, nisi notum esset, in bello plurimum audaciam posse, quæ vel sola sibi murus est : deinde quia aliis pone sequentibus, vile vulgus sibi magis in periculo consulendum putabat, quam hostem persequendum : [d] at si qui manum extenderat, ut equum teneret, feriebatur. Denique duo tantum ex Titi sociis interfecti : cum reliquis imperatoris filius ad suos revertit. Neque sane dubitandum videtur, quod intecto capite, nudus cætera : utpote qui in excursu processerat, non ad bellum paratus, nec galeam nec loricam indueral, eo nihil exceperit vulneris, cum maxime in ipsum tela jacerentur, quod ad excidium urbis illius vir tantus reservaretur. Est, *est* profecto *cor regis in manu Dei* (*Prov.* XXI, 1). Itaque ne cresceret audacia Judæis eventu fraudis et doli, profectus ad urbem cum exercitu, post noctem redit; et de specula quadam unde civitas prospectaretur et templi magnitudo amplissima, demonstrat suis, cum qua urbe sibi bellum foret; impigros et cautiores esse oportere : quod innumerabilis sibi populus expugnandus foret, et fraudi para-

[a] Josephus, *Gophna*. BARR.
[b] *Turma*. ID.

[c] *Sola*. ID.
[d] *Ac si quis*. ID.

Digitized by Google

tus. Ordinat qui muris ordines appropinquarent : quos adhuc fessos nocturno itinere cognoverat, quasi succenturiatos eminus locat. Paulatim proceditur. Ubi ventum ad montem Oliveti, vallis sub ipso media inter eum atque urbem interjacebat, cui nomen Cedron : ubi constitutum exercitum de muris aspicientes (nam sex stadiis aberat) seditionis ad tempus studia deposuere, et externis hostibus advenientibus, domestico fœdere sequestrata civilium bellorum certamina. Plerumque enim etiam acerba odia metus comprimit. Denique cohortati sese invicem factionum viri, ut in unum conspirantibus studiis patriam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis victoriam daret, freti numero hostem subito adoriendum putarunt, et improvisa eruptione primos turbavere. Sed ubi se Romani ipso usu veteri, et diversorum generum præliis exercitati, confirmavere animis ordine suo [a] nexi, cædere incursantes cœperunt, scutis repellere, proturbare jactu telorum, haudquaquam tamen sine communi exitio. Et prope jam incubuerant Judæi, et nutabat acies romana, nisi cognitis rebus advenisset Titus et occurrens adversariis, confirmans suos reparasset prælium, et erexisset animos militum, increpans Romanas acies, confusæ multitudini, non sine maximæ ignaviæ probro victoriam cedere. Repulsisque Judæis, qui etiam valle divisos insectabantur, ad suos se victor recepit; securusque suffragii, quod loci superioris adversum inferiores, si tentarent congredi, subsidia dabat, ad aliam partem se Romanus exercitus convertit. [b] Discedente Cæsare infundunt se de muris Judæi, et ingenti agmine super hostem irruunt : ita ut innumeræ concursu multitudinis, milites fugerent, ac sese ad montium conferrent superiora : nudato latere, etiam cæteri qui prælium mallent, fugere. Interea Cæsar in medio [c] populi situs, orantibus plerisque ne se periculis daret, atque exercitu disperso summam periculi solus subiret, cum dominus esset orbis terrarum (non enim ut ante, vice militis pugnaret, sed imperatoris, in cujus periculo pernicies esset universorum) non acquievit; sed militiæ decus præponens saluti, apud quem gloriosa mors vitæ opprobrio præponderaret, adversum pectus hostibus refert, territisque quos adversum ierat, in alios sese retorquet. Sola enim [d] spe sui et nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria perturbabat hostem. Cedebant itaque quos accesserat, sed ex aliis partibus Judæi magis magisque infundebantur : ac pene concluserant Titum, nisi quia plerique militum videntes in medio belli versari Cæsarem, conclamaverunt cæteris significantes, imperatoris filium periculis non relinquendum. Sic universos revocavit pudor atque armavit metus, ne deserti Cæsaris ignominia inurerentur. Conversique in Judæos, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in vallem urgebant, nec difficile fuit ascendentes relabi. Sic Titus fugientem numerum militarem bis revocavit a fuga, periculoque pariter exuit et opprobrio, virtute pari usus, et ad postremum pudore. Qui dum ignaviam declinat, virtutem invexit : primum ne Cæsar relinqueretur; post etiam, ut hostis repelleretur.

## CAPUT V.

Post hæc ubi forense prælium paulisper quievit, internum successit. Namque paschalis interventu celebritatis, subornatis plerisque Joannes, qui quasi observationis gratia templum adirent, et tamquam sociis data ingrediendi copia, dolum patravit. Ingressi enim specie civili, sed interius armati, rejectis exuviis gladios attollunt loricato pectore, et præliari accincti munimine. Quo terrore perculsi, qui intra templum inermes celebrati vacabant, exsilierunt, templumque vacuum dereliquerunt. Eos illis secutis, et quos potuerunt comprehendere, jugulantibus, alios ultra templi circuitum persequentibus, irrumpendi Joanni sociisque ejus occasio data. Cæsi illic multi mortales; ita ut etiam qui non restiterant, afflictis causis aliquibus jugularentur : nec tranquillitas quietis proderat, nec silentium tacitis, nec cedentibus patientia. Comprehensisque interioribus templi, etiam Simonem inquietabat Joannes in secundarium locum, Eleazaro cæterisque principibus factionis tertiæ sibi subrogatis.

## CAPUT VI.

Tertio quoque Titus progreditur in hostem, atque exercitum producit. Adveniensque offendit stipatam Judæorum ante urbem multitudinem, specie volentium se Romanis tradere, sed quasi reformidantium. Suspicatus dolum, et maxime, quoniam proxime conspiratos inter se et pertinaces viderat : non arbitratus credibile subito mutatos, admonuit milites fraudem cavendam, nec temere nisi secundum præceptum suum, conferto agmine muris appropinquandum : ne a tergo illi qui urbem egressi fuerant, circumfunderentur. Subito de civitate increpuit sonus, et quædam seditio dementer resultavit : aliorum egressionem voluntariam simulantium, aliorum etiam resistentium, quod illi aperiri sibi portas poscerent, hi clausas servari juberent : alii bellum, alii pacem optarent. Militum vulgus ad subveniendum his qui subveniri sibi de muris postulavissent, proripit sese : egrediuntur plerique præruptim, sine ordine, sine ullo modo tamquam occursuri advenientibus atque auxilium laturi, ut propiore remedio pluribus erumpendi confidentia tribueretur, vel resistentibus metus, aut inter reluctantes erumpendi sibi copia. Quibus a se tergo circumfundere cœperunt qui foris stabant, urgere circumventos : illi quasi ad murum confugere, nihil suspectantes ab his, qui pacem prætenderent. Inde quoque saxa, et tela [e] injici, et subito ficta pax in prælium versa est. Unde conciti in hostes recurrunt, qui etsi circumvenire tentaverant progressus militum Romanorum; tamen metuebant et ipsi, ne

[a] *Nixi*. Barr.
[b] *Descendente*. Id.
[c] Al. deest vox ista. Id.
[d] *Specie*. Id.
[e] *Dejici*. Barr.

Digitized by Google

ab omni exercitu circumvenirentur. Itaque dum universos cavent, hos plurimis licet vulneribus impressis, et ipsi majore ex parte saucii, prope de manibus amisere, quos jam captos putabant. Secuti tamen usque ad Helenæ sepulcrum, sicut moris est insultantibus clypeis concrepabant, illudentes Romanis quod eos jam secundo insidiis circumvenissent.

## CAPUT VII.

Cæsar commotior regredientes misceri cæteris vetat, et concionem advocat, dicens : Magna cum sit virtus Romana, præstans universarum gentium populis ; maxime tamen ea præcedit dispositionis ordine et præceptorum obedientia : ea est enim disciplinæ militaris custodia. Nec mirum si Judæi dolos intexant, fraudes struant : qui se judicent impares fortitudine. Sed ut inferiorum est niti insidiis, sic fortiorum cavere ne virtuti illudat dolus. Mirari itaque se, quod illi in desperatione sibi congruant : Romanis non conveniat in meliorum processu : eoque fieri, ut illis effectus fraudis in vado sit, nobis virtutis conatus in ambiguo. Quod si validior esset fortitudo hostium quam fraus, superari minus flagitiosum. A paribus enim aut fortioribus vinci opprobrio vacat. Cum vero nihil in nobis offendat, nisi sola pugnandi immoderatio, et [a] propria quædam manuum intemperantia, quid nequius potest esse, quam præsente Cæsare disciplinam repudiari militiæ? Multum arbitror ipsas ingemiscere militiæ leges, tantæ dissolutionis flagitio : multum imperatorem, cum hæc compererit, qui semper audiri se a milite suo, quam timeri ab hoste maluit. Obedientia enim militis effectum properat ; metus hostium differt victoriam. Quid judicaturum de filio patrem putatis, cujus tam vile imperium sit apud exercitum? Pronuntiatur enim de duce, cujus præceptum dissolvitur : nec dubium quod sæpius vindicatum sit in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverint, quam in eos qui secundum imperium progressi, virtuti cesserint. Nam legibus egredienti ordinem præscripta mors est. Quid igitur futurum, ubi non unus, sed passim exercitus relinquit ordinem suum, et statutum ducis negligit? Cognoscite vos milites esse Romani imperii, plebis, senatus, apud quos sine præcepti auctoritate et vicisse crimen est. Hujusmodi oratione perterruit non solum præpositos militum, sed etiam universum exercitum. Nam cum ipsos principes ordinum acrius peteret, videbatur omnes vindicaturus. Circumfusi itaque omnes rogabant, ut paucorum culpa qui primi destiterant, universis concederetur. Etsi non fuit properus ad delicti gratiam Cæsar, fuit tamen exorabilis ad indulgentiam. Concessit cum summo pondere dicens : donare se omnibus, satisque in universos vindicatum invectionis auctoritate, eo quod animadversio in singulos usque ad factum procedere debeat, in multitudinem verbo tenus, illam usque ad pœnam, istam usque ad correptionem. Sæpe enim bonis exercitibus præliares lapsus futuræ [b] virtutis causas dedisse.

## CAPUT VIII.

Post hæc Titus in hostem iram convertit, et considerans inter tot præcipitia, tot prærupta periculosam obsidionem : cum repentinis irruptionibus præventi, non haberent milites, quo referrent gradum, unde se in hostem proriperent, ubi machinas constituerent; jubet repleri ante urbem præcipitia : quæ cum fierent, nec sic quidem Judæi exsortes erant præsentium periculorum. Afflictabantur domestico prælio, cum Romani in replendis præcipitiis occuparentur. Nec exigua manus partis utriusque decem millia cum Simone erant, et quinquaginta eorum duces : Idumæi quoque ad quinque millia, Simonis partibus astipulabantur, quibus præerat Jacobus et Simon junior. Joannes autem interioribus templi (ea fraude qua supra diximus) occupatis, sex millibus armatorum stipatus, bellum accendebat. Adjuncta sunt ei etiam duo millia, cum aliis quadringentis viris postea quam coire cœpere, studiis concinentibus ad urbis defensionem, Eleazaro et Simone Arim, quibus et ante utebantur, rectoribus. Quibus certantibus inter se, præda erat in medio populus eorum qui vicerant, et quasi præmium certaminis, huc atque illuc pro eventu vario transferebatur. Paulisper inter se convenerant more induciarum, et ad primum Romanorum impetum expergefacti, in veterem morbum febris internæ ægris visceribus recidebant : ubi remissior erat exteriorum morborum accessio. Foris erat plerumque bellum, intus seditio, eo jam gravior, quia et ipsa seditio bello alebatur, et bellum alebat. Duo de potentia certabant : populus inter utrumque, non de servitute anxius erat, sed ne ad dominum deteriorem perveniret.

## CAPUT IX.

Urbem Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex justus, quam primo Solymam nuncupavit : postea templum addidit, unde Hierosolyma dicta civitas est. Ea a principio suos incolas habuit de gente Chananæorum. David primus vir Hebræus Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea domum sibi regiam fecit. Voluit et templum Deo condere ; sed prohibitus oraculo, Salomonem hæredem reliquit, qui templum quod ipse voluerat, ædificaret. Salomon itaque templum fundavit : reliqui quoque reges ad ornatum urbis addidere plurima. Invidia ex magnificentia orta : inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere, et fulgenti marmore : in quo erat [c] deambulatorium, peripetasma pretiosum et maximum, cocco et hyacintho byssoque intextum et purpura. Non otiosa materia tantæ diversitatis, sed cujus species [d] materiam rerum latentium significaret : eo quod ejus

[a] *Propera*. BARB.
[b] *Virtuti*. ID.
[c] Deest hæc vox in ms. ID.
[d] *Mysterium*. BARB.

esset templum, qui cœlo et aeri, terræ et mari, quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret et gubernaret. Cocco enim igneum cœlorum figuratur, hyacintho aer, bysso terra, quod in ea nascitur : purpura mare, quæ conchyliis maritimis inficitur, ut duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique princeps sacerdotum hæc quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in ejus figuram qui venturus erat princeps sacerdotum Jesus, qui tolleret peccatum mundi. Femora princeps sacerdotum linteo interius operimento tegebat, eo quod præ cæteris in sacerdote fides mentis quæritur, et corporis castimonia quæ succingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula sacra, unum interius, alterum exterius : in hoc semper introibant sacerdotes : in illud interius quod secundum appellabatur, semel introibat tantummodo princeps sacerdotum, non sine sanguine, quem offerret pro se et pro populi delicto. Hoc significante Spiritu sancto, venturum Jesum, qui vere solus intraret interiora divinorum penetralia sacramentorum, et arcana substantiæ cœlestis qui nosset omnia. Solus quoque Patri sanguine suo totum mundum reconciliaret, ut et cœlestium et terrestrium misereretur. Denique postea quam venit, *pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ vel in cœlo vel in terra sunt* (*Coloss.* I, 20). Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna : Thymiamaterium, quod ita ad Deum Patrem, *sicut incensum dirigatur* maximi sacerdotis *oratio* (*Psal.* CXL, 2) : mensa, quod in ea passio Christi sit, et mysteria sacramentorum, unde et David dicit : *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XXII, 5); cujus velut duodecim panes, duodecim apostoli sint testes passionis ejus ac resurrectionis ejus. Lucerna quæ supra candelabrum ponitur, ante sub modio erat, id est, sub legis mensura ; nunc est sub gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eo quod Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum [a] illuminaret. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quæ dicebantur Sancta sanctorum, ubi reposita quondam virga Aaron floruit, quod sacerdotalis gratia in Christo amplius esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Ante templum erant quatuordecim gradus, per quos Ezechiæ regis tempore umbra ascenderat, significans ei vitæ finem futurum. Sed oraculo monitus, oravit et meruit mortis dilationem hoc indicio, quod iisdem gradibus sol refunderetur, qui significaret tot numero annorum commeatum ei vitæ refusum.

## CAPUT X.

Cum igitur munita esset undique civitas plurimorum regum operibus; et maxime Herodis, qui castrum cui nomen Antoniæ ad summi operis magnificentiam communivit, et amplissimo ornavit decore, circumibat Cæsar requirens, qua ex parte se posset facilius urbi infundere, inspectoque per totum circuitum muri ambitu, æstimavit in finitimo tumuli quo sepultus jacebat princeps sacerdotum Joannes, adoriendam obsidionem. Cui diligentius exploranti, adhærens unus ex amicis Nicanor studiosius intendens muneri, sagitta percussus cadit. Propius quippe accesserat, dum putat aliquem profectum fore pacis futuræ, si sibi conferendi sermonis daretur copia, qui potens ac validus ad tentandos audientium animos æstimabatur. Commotus Cæsar, quod ei qui salutaria commoneret, improviso vulnere mortem irrogavissent, in prælium cogit agmina, bellumque accenditur jactu telorum diverso, missilibusque maxime : admoventur arietes, queis feriuntur valida murorum. Quo perturbati omnes qui ante de dominationis inter se studio certabant, in concordiam coeunt, dataque impunitate superiorum, unum corpus fecere, et conspirati cogente periculo, urbem tuentur. Progressi quoque tumulos, ignem super machinas jaculabantur, ut destruerent aggeres, exurerent vineas, arietes incenderent : ac pene omnia machinarum genera exusserant, nisi electi plerique militum et sociorum, maxime ex partibus Alexandrinæ urbis, strenue repugnavissent. Quibus tamen valide resistentibus, addidit Cæsar adjumentum equitum potentiorum. Ipse quoque acriter pugnans sternit duodecim adversi agminis propugnatores. Ita vis multitudinis reliquæ exitium declinans in urbem revertit, et ab incendio Romana opera defensa. Cecidit eo prælio Joannes ductor Idumæorum: dum ante muros, cognito sibi Romano militi sermonem conserit, ictus terga sagittæ vulnere, continuo labitur. Arabum ferunt peritissimum de jaculatoribus ejus obitus auctorem : gravique mœrore affectos Idumæos, quod virum et manu promptum amiserant, et bonum consilio.

## CAPUT XI.

Sequenti nocte accidit ut tres turres quas Titus attolli jusserat supra aggerem, quo Judæos vel ex æquo vel ex superiore spiculis figeret : subito nulla vi hostium ruerent. Quo sonitu Romanorum exercitus omnis turbatur, ea opinione quod ab hoste destructos aggeres, succisas turres arbitrarentur, quæ ruentes ingentem late stragem dedissent. Ac pene admissum erat facinus miserabile ut victores incertis per noctem hostibus fuga cederent, nisi quod tenebræ ruinaque ipsa, excito pulvere prospectum adimerent, ut quo fugerent incertum haberent. Quærebat unusquisque de proximo quid accidisset, nec cognoscere veri poterat fidem, quia similiter ab omnibus ejusmodi casus ignorabatur, donec Cæsar rebus compertis, insinuare præciperet id quod acciderat, casus repentini, non ullius hostilis fuisse

[a] *Illuminet.* RABB.

irruptionis. Sic sedatus pavor, expugnandæ urbis A subsidium omne in viribus locatum. Nam cum altissima murorum essent, et pleraque ferro aut ære operta, atque ipsa altitudine hostes a jaculis defenderentur, Romani admovere arietum machinas, quorum ictu frequenti muri [a] valida laxabantur: inniti levioribus spiculis cœpere et sagittis, ut propugnantes averterent, impedimenta prohibentium detorquerent. Sic paulatim quatientibus murus cedebat: unde majorem ipsum arietem, excisorem urbium Judæi appellaverunt. Soluta itaque murorum parte, dereliquere Judæi muri ipsius propugnacula, securi, quod duos alios muros interiores haberent, et concessere ad murum secundum. Illis fugientibus, Romani ingredientes per cava muri, portas aperuere: sic intromissus omnis exercitus, pene diruit B murum exteriorem, ne bellantibus esset impedimento: aut si res adversæ forent, claustrum refugientibus.

CAPUT XII.

Diviserunt sibi loca Joannes et Simon conjurati circa murum secundum. Joannes cum suis in castro cui nomen Antonia, præliabatur: ei propinqua erat porticus templi, quæ vergebat ad partem septentrionis. Nam et ipse locus (in quo castrum postea Antonio vocabulo conditum) inter duas jacens porticus septentrionalis, hoc est, Brios nuncupabatur; Simon vero ad Joannis sepulcrum vicem tuendæ urbis susceperat: his pro salute, Romanis pro victoria certamen erat. Quibus etsi virtus potentior ad congrediendum, locus tamen inferior ad obsidionem: cum eos de muro gravaret prælium, temeritas C Judæis insolentior, fortitudo Romanis acrior erat: imminebant partibus duces; eoque major oriebatur contentio, dum quisque suis ductoribus pericula sua gestit probare. Simon suos urgebat terrore et formidine: Romanos Titus pudore sui quam maxime conveniebat, quod morte gravius arbitrantur, non exhibere pericula sua Cæsari, cum ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitavisset. Armabat eos vincendi consuetudo, et cedendi ignorantia: præcipueque præsens uniuscujusque virtutis arbiter Titus, a quo non remuneratio fortitudinis exspectabatur, sed supra omnia, fructus amplissimi erat præmii, illo spectante quidquam strenue gessisse, quod ei non displiceret. Eo incentivo Longinus equestris militiæ vir excitus, adversas pro muris D videns Judæorum catervas, tamquam indignatus quod Romanos bello lacesserent, et ex æquo prodire auderent, desiluit equo, atque in medios se injecit hostes. Et unum [b] more ipso parantem occurrere, telo percussit, simulque ejus vocem et animam rapit. Alteri ereptum de corpore prostrato telum infigit, et ad suos victor sese recepit. De præeminentibus loquimur: cæterum multi imitatores utraque ex parte, sed diverso genere: Judæis desperatio audaciam dabat, Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Par tamen imparibus animis mortis contemptus: Judæis solatium putabatur, cum hoste commori. Titus festinabat conficere bellum, sed sine suorum dispendio, qui etiam ipsos hostes servare si posset, quam perdere malebat. Nec aliud monebat militem, nisi consulto bellandum: eam solam esse veram virtutem, cui sit comes providentia: nam sine consilio fortitudinem temeritatem videri, nec usquam magis cavendum quam in victoria. Perire enim cum inferiore superiorem, victi triumphus est. Consulendum itaque ne videatur eventus fuisse, quod vicerit; ignaviæ, quod consortium periculi non evaserit. Jubet itaque arietem admoveri ad medium muri septentrionalis.

CAPUT XIII.

Erat ibi Castor callidus et ad fraudem paratus, qui fugatis cæteris per jacula sagittariorum, cum aliis [c] novæ fraudis sociis prætendebat. Is ubi appulsu arietis turrim everti, murum labere ac facile ruiturum, si tormenti ictus repeteretur, animadvertit, manus tendens rogabat Cæsarem voce miserabili, ut perituræ urbi jam parceret, nec supremo excidio labefactandam putaret. Cæsar æstimavit quod sedulo veniam deprecaretur: manus datu us ut deditio præcederet, jubet tormentorum ictus cessare, jaculatores temperare a prælio. Castori dat loquendi copiam. Ille descensum simulare, dein quasi suadere suis: alii velle, alii reniti, subitoque velut indignantes qui cogerentur, supra loricam se percutientes cecidere. Miraculum ingens, cum fraus lateret, sic tempus [d] duxere. Inter quæ unus e militibus Romanis jaculo sagittæ narem Castoris percussit. Ille deplorare et conqueri apud Cæsarem, poscere ut juberet aliquem sibi dextram dare, ita se perfugio usurum. Cæsar Josepho mandat negotium: verum ille qui caveret Judæorum insidias, nihil sincerum in eo intelligere se respondit. Æneas tamen propius murum successit, et ut advenientem susciperet, occurrit. Cui Castor vociferans, ut sinum aperiret, aurum exciperet, saxum dimisit. Ille oculis vigilantibus lapidem prævidit, celerique corporis saltu lapsum evadit: alium tamen prope astantem saxi involvit immanis ruina. Hoc Cæsar intuens acrius incubuit ad murorum dejectionem, præcipiens majore vi tormentorum impelli. Contra ad exurendas machinas ignes jaciebantur. Sed ubi murus solutus est, Castor cum suis quasi in ignem se dejecit, dolo prætexens animi magnitudinem in contemptu mortis, cum dolo turpi vitæ effugia captaret.

CAPUT XIV.

Unus jam murus, hoc est tertius supererat, subversis duobus; adhuc tamen Cæsar reservabat patientiam, qui adverterat jam sibi perire, quidquid perisset. Dum parcit, et provocat ad deditionem non exspectato agmine, cum paucis irruens supra murum secundum, congregata manu Judæi in angustiis plurimos sauciaverunt: plerique etiam utrinque

[a] *Valide.* Barr.
[b] *In ore.* Id.
[c] *Novem.* Josephus *decem.* Id.
[d] *Ducere.* Id.

Digitized by Google

mortui. Tunc Cæsar eminus sagittis figebat resistentes : inter confertos jacula nusquam eludebantur, nullus ictus sine vulnere. Sic removere sese Judæi cœpere : et Titus suos recepit. Et fames jam urbem graviter incesserat. Judæi tamen pro victoribus, quia se intra secundum murum receperant, quasi expulsis Romanis gloriabantur : sed neque lapsa reparare, nec lapsura defensare poterant. Restiterunt tamen aliquantulum. Pugnatum triduo ad murum secundum. Quarto die virtutem Romanam non sustinentes, refugere intra tertium murum. Cæsar ab irruptione interim temperari jubet, subverti tamen præcepit secundum murum. Et quia superaret maxima belli portio, statuit ut miles sibi conveheret alimenta, ne victores inopia urgeret, afficeret indigentia. Quatuor diebus sibi miles frumenta convexit : simulque idoneum visum est tempus quod Judæi, si sibi consulerent, converterentur. Et populus quidem malebat, sed principes seditionis reputantes quæ in plebem gravibus flagitiis perpetraverunt; dum nullum veniæ locum [a] sperarent, perire cum omnibus levius arbitrabantur, quam si soli auctores perirent. Quinto itaque die, quia nihil a Judæis pacificum deferebatur, gemino agmine Cæsar mœnia aggreditur : et duos aggeres attolli imperat, unum contra Antoniam, alterum contra murum qui erat contra Joannis sepulcrum. Eo enim superioris urbis excidia [b] petebat : illo autem altero, si castrum expugnavisset, etiam templo facile potiretur. Quod nisi in suam potestatem deduceret, etiam urbem tenere non poterat sine periculo. Diviserat Titus exercitum in duos ordines. E diverso quoque distribuerant sibi Joannes et Simon officia defensionis. Antoniam defensabat Joannes, Simon cum armatis suis et populo Idumæorum ad sepulcrum Joannis speculabatur; atque omnes obsidentium conatus de superiori loco, quibus poterat generibus eludebat. Et jam exercitatiores erant, malis edocti occurrere machinis obsidionis; pluraque genera sibi tormentorum et ipsi adsciverant, quibus Romanorum opera destruerent, cœpta impedirent. Quorum Cæsar advertens præcipitem pertinaciam, admiscere operibus sermonem voluit, ne forte desperatione veniæ pervicacius obniterentur, ac spe promissorum possent desistere. Suadere itaque cœpit, ne se captæ urbis excidiis involverent, permitterentque eam suæ potestati, quæ armis jam teneretur, et circumvallata obsidione premeretur ad excidium supremum, cedentibus se veniam daturum : si modo vel sibi vel patriæ consulerent, ne tota civitas dirueretur. Mandat quoque Josepho, ut ipse patrio sermone cives alloqueretur, [c] ut forte contribules suos vel ipse inflecteret, ut furori proprio renuntiarent. Qui licet effusa Judæorum in se odia novisset, tamen quantum a jactu sagittæ longius poterat, remotus a muris, ita vero ut posset A audiri profutura civibus noto sibi alloquio prosequebatur.

## CAPUT XV.

Fuerat, Hebræi, humani ingenii contendere pertinaciter ante quam res ad supremum veniret, dum putatis vos loco et notæ regionis subsidiis fore superiores : licet convenerit Romanos, bello insuperabiles, armis non provocari, a quibus sæpe victi sunt, qui vos vicerant : sed tamen habet hunc lapsum improvida mens hominum in rebus secundis, simul quia plerumque belli dubius eventus : et ideo se unusquisque [d] forti committit virtute inferior. Postremo de muris superatis, non putatis etiam usque ad templi progrediendum eversionem. Parcite aris, parcite altaribus, parcite domicilio quondam B cœlesti. Jam enim vos et Deus ipse deseruit, quia vos pietatis cultum deseruistis. In medio templi bellum pertulimus, circumfusi ignes templum oberrant: sed non quales solebant, circumsistunt armati. Adhuc tamen puras a sacrilegio manus habentes, volunt Romani parcere, nec sacros contaminare postes, nec veteres abolere ritus, si vos sinatis : quid exspectatur ulterius? duo muri eversi, tertius superest, et ipse infirmior lapsis duobus. An præsidium speratur divinum, atque auxilium de penetralibus? Sed qui nos defendebat, ad hostem migravit : quoniam quem nos colebamus, Romani venerantur, nos offendimus. Quis autem ignorat cum illis esse Deum, qui sibi omnia subjecerunt, nisi quæ nimio æstu aut gelu invia sunt? Et ideo extra Romanum imperium, [e] qui C eadem extra usum humanum diversis populis Deum per vices dedisse potentiam : primo Ægyptiis, post Judæis, Assyriis quoque et Persis auxiliatorem fuisse nullus negat : postea conversum ad Romanos, cum his perseverare : denique cessisse illis universa regna, omnem terram in possessionem datam. Quid vobis cum victoribus universæ terræ, quibus secreta oceani, et extrema Indiæ parent? Quid attexam Britannias, interfuso mari a toto orbe divisas, et a Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos Scotia, quæ terris nihil debet : tremit Saxonia inaccessa paludibus, et inviis septa regionibus. Quæ licet belli curam videatur augere, et ipsa frequenter captiva Romanis accessit triumphis : validissimum genus hominum perhibetur, præstans cæteris : piraticis tamen D myoparonibus non viribus nititur, fugæ potius quam bello parata. Sed refertis, mori præstare, quam libertatem amittere. Quando vobis ista Judæi successit sententia? aut quando apud Hebræos utilis fuit servitus, libertati inutili non prælata? Jacob ipse patriarcha in Ægyptum deduxit Hebræos ne perirent fame. Descenderunt patriarchæ, simul duodecim filii ejus, præclara illa generis nostri exordia. Ibi Judas ille nobilis Judæorum prosapia, qui nomen populo dedit. Ibi Joseph curru sublimis et

[a] *Sperant.* Barr.
[b] *Patebant.* Id.
[c] *Si forte.* Id.
[d] *Sorti.* Id.
[e] *Quia adversis populis Deus per vices potentiam dedit.* Id.

equis, subjicere se in potestatem maluit, ut aleret suos, quam ad originis propriæ libertatem redire. Ibi Benjamin pia fraude germani retentus, consensit dolo: quia non erat crimen servire potentioribus. Ibi hæreditas eorum, cum vocaretur a Mose, tamen hærere desiderabat. Sic patribus vestris etiam dura servitus non displicebat, ut periculis anteferretur. Servistis ergo Ægyptiis, atque utinam semel! Sed non solum tunc servistis, quando cœlestis escæ pluviis alimoniam servitutis extremæ præferebatis: sed etiam postea victi atque captivi descendistis in Ægyptum, cum Assyrios refugeretis. Servistis etiam Assyriis per multa annorum curricula, et dulcis illa servitus erat. Servistis Macedonibus, Persis, [a] Seleucensibus, Palæstinis: solos Romanos vobis graves putatis, quibus et illi serviunt, quibus vos serviebatis? Utrum igitur odium his debetis an gratiam, qui vos dominis vestris pares fecerunt? Ultionem vestri hanc, non contumeliam puto; quia vos de his vindicaverunt, quibus subjecti eratis. Servitio premitur Assyrius, qui Asiæ toti imperitabat. Arat Ægyptius Romanis, ferit de suo quod [b] ille metat. Macedonia quæ usque ad Indos devicta Perside imperium diffuderat, agnoscit dominos quos ignorabat, et frustra se regibus suis Æacidarum nomen imposuisse reminiscitur. Certe non alias cessisse, nisi ad Romanorum triumphum, quibus et ipse Pyrrhus Achilleæ sobolis, et prosapiam et vocabulum præferrens, victus armis, ita se promerendæ pacis studio subjecit, ut veniam rogaret. Nam de Palæstinis quid loquar, quos unius præsidis potestas coercet? Ingrati, numquid non vestra nobilitas est cum Persis servire? hoc est enim servire vobiscum reges, regnumque maximum habere socium subjectionis. Sed quæro, quando fueritis liberi, qui nunc servitutem recusatis? Quando ergo liberi fuistis? vel cum aliis dominaremini, qui sub rege eratis? Habebatis regem Deum, repudiastis regnum ipsius, sub quo solo eratis liberi, voluistis servire hominibus. Cur patrum revellitis testamenta? hæreditas et in patres contumax. Elegistis regem cui nomen Saul. Occiso illo, Palæstinus vobis populus imperitavit: successit post tempora David in totius populi regnum, mitior quidem domino, sed dominus tamen, prius quam requiesceret David, genti tamen et ipse regem imposuit. A Salomone rursus scissum in duo regnum, et divisa per longam seriem dominationis hæreditas. Ut transiliam captivitates, Cyrus plerosque terris suis Judæos et sacris suis reddidit. Sed patres vestri cum Persarum præliis gravibus attererentur, quamvis nobiles Machabæorum triumphis, elegerunt sibi Romanam societatem. Tenet [c] scriptura divina multarum pacta legationum. Facti estis Romanorum

A amici, qui Persarum servi fuistis. Sed rursus maluistis regem habere, quam [d] sacerdotum principem, cui populus obtemperaret, cum sævitia vestrorum regum esset intolerabilis: defuncto Herode, pulso Archelao, sub Cæsare esse Romano postulavistis. Tradidistis vos Cæsari cui servistis omnes ad mutandum in melius servitium. In communi enim conditione universorum servire, quædam libertas est: quoniam dignitate dominantium honestantur obsequia servorum: quamquam Romani servitutem non exigant auctores libertatis, quia non solum immitem regem necarunt, sed etiam superbum non passi sunt; et ideo augustum apud eos nomen est imperii, quod augeat suos, non quod alienos opprimat. Sed esto, sit utile vobis, non obedire imperio Romano:

B videamus si liberum, si non exitiale. Urgent vos Romanæ acies, urgent patriæ ruinæ, urget templi excidium; non quod utile sit, sed quod possibile, perpendite. Non enim votorum species, sed possibilitatis ratio pensanda. Lex nempe naturæ eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris, bestiis infusa, ut unusquisque cedat potentiori: taurus, leoni: cervus, urso: leopardo, caprea: aquilæ, accipiter: accipitri, columba: ipsi tauro, juvenci inferiores: arieti, ovium greges: hirco, caper: ne diversi generis esse videatur aliqua distantia. vos potentioribus. Romani tamen neminem expellunt, vos expulistis: immo illi agunt, ne quis etiam victus de terris suis exeat: Antiocho partem regni servaverunt. Et nunc Cæsar quid aliud laborat nisi ut terra vestra non

C deseratur, regio vestra non evacuetur, civitas non evertatur, templum non concrenmetur? Non omnibus victoria datur. Paucis præesse natura dedit, pluribus obtemperare. Tauri armentis eminent, arietes gregibus. Penes paucos eminentia, penes plurimos mansuetudo. Et vos induite mansuetudinem, suscipite subjectionem, quam etiam feræ induunt. Hæc cum diceret Josephus, conviciabantur de muro. Maledicebant utilia suadenti. Plerique etiam jaculabantur sagittas, si possent eum morte affligere. At ille, qui oratione non flectebat indomitos, scripturarum quoque testimoniis conveniendos arbitrabatur, maxime quia dicebant Deum templi sui præsidio non defuturum.

## CAPUT XVI.

D Temerarii, nunccine demum vobis divinum auxilium affuturum speratis, quando permiscuistis omnia bello, altaria violastis, diruistis totius urbis munimenta? Temerarii, inquam, et vestrorum immemores auxiliorum, scuta et gladios parastis, et hoc adversum Romanos. Non talibus armis vincere solebatis. Quando enim in hasta et gladio fuit Hebræorum victoria? Recordamini unde orti, et a quibus

[a] Hoc est, Seleucidis. At heic dubitari potest, utrum uno spiritu *Persis Seleucensibus* legendum sit, tamquam si prior vox genus summum, altera τὸ διοριστικὸν seu differentiam contineat; an vero eæ voces distinctione media sint secernendæ. MAZOCH. *l. c. pag.* 788.

[b] *Illis*. BARR.

[c] Vides ut Machabaicos libros, in quibus ea fœdera exponuntur, noster appellet *Scripturam divinam*. Sic et superius in hujusce operis prologo Machabaicos libros θεοπνεύστους. MAZOCH, *l. c. pag.* 788, 852.

[d] *Sacerdotem*. BARR.

Digitized by Google

sitis profecti, quomodo patres vestri hostes suos A vicerint. Temerarii, quem vobis adjutorem eripuistis, dum aliena subsidia deposcitis? Non in multitudine populi, sed in timore Dei [a] pater Abraham penetravit Ægyptum; et cum abductæ conjugis captivam videret pudicitiam, bello tamen abstinuit, assumpsit piæ orationis arma, defensorem adhibuit, qui dormiente eo vinceret, et expugnato hoste intaminatam sibi conjugem repræsentaret. Redit Sara sine armis, referens viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, et torquebatur Pharao. Metuebat Sara, et Pharao crimen negabat. Ejiciebat alienam, et damnato crimine honorabat castimoniam, quam spoliare desideraverat. Additur aurum et argentum ad Saræ pudorem, ut condemnaret voluptatem facinoris expertem. Rogabat pa- B trem Abraham, ut pro sua ad Dominum familia deprecaretur. Erat enim infecunda domus ejus. Remeat Sara ditior salvo pudore: revertit Abraham sanctior, qui conjugalis pudicitiæ remunerationem sterilitatis remedio compensavisset. Quid de filio ejus Isaac loquar? Is quoque patrio fretus munimine, adversus finitimi potentis insolentiam, non armatas produxit acies: et certe habebat CCCXVIII vernaculorum validam manum, quæ reges quinque bello superaverat, spoliis exuerat, captivum Lot Abrahæ patruo restituerat. Non gladium vagina exuit, sed solam adversum invidentes patientiam induit, simplicitatem retulit: venerunt rogantes, qui exterminandum denuntiaverant: poposcerunt amicitiam, qui finitimum non ferebant. Contre- C misco tanta patrum recensere mirabilia: Jacob sanctus, Esau fratre parricidium minitante patriam reliquit, parentes deseruit, solius secum orationis ferens viaticum; meritoque in peregrinis locis cum fratris metueret insidias, et hominum comitatu atque auxilio egeret, invenit Angelorum [b] consilium: perductus (ut ait) ad castra Dei, colluctatus est Domino: et sicut dicit Scriptura: Prævaluit Deo, qui imparem se hominibus arbitrabatur (*Gen.* XXXII, 28). Quid aliud Moses adversum regem Ægyptiorum exercitumque et dracones ejus, nisi solam virgam levavit? O potens virga, quæ cœlum tenebris obduxerit, terram imbribus inundaverit, siccaverit maris fluctus! Cinxerant Hebræos Ægyptii, orabat Moses et non dimicabat: divisum est mare, et populus D intravit, sequebatur Pharao. Moses inter fluctus positus orabat: demersus est cum suis Pharao, cantabat Moses (*Exod.* XV, 4). Quis hæc et talia considerans non admiretur, et non intelligat in oratione nobis meliora esse arma quam in virtute? Illa enim sibi divinum auxilium adhibet, hæc corporis. Didicit hæc arma quæ non carnalia sunt, sed fortia Deo Mosis discipulus atque idem successor Jesus Nave, qui imitator et suppar magistri, Jordanis aquas convertit retrorsum: idemque cum inexpugnabiles Hiericho urbis muros videret, sacerdotes turba canere jussit, jubilare populum: quo facto repente cecidere muri atque exusta civitas est, et omnes necati sunt, nisi quos Rahabbonæ meretricis fides a memoratæ urbis excidio defendit. Gedeon quoque trecentos viros ad bellum elegit, eosdemque non arma præferre, sed mysteria præcepit: in manu læva hydrias aqua plenas tenere, in dextera faces: qua specie perculsi hostes fugere illico, atque ad Hebræos victoria pervenit. Intermissa erat sacræ cura religionis Heli sacerdotis negligentia, divina imperia [c] deserebantur: irrogatum ab Allophylis prælium, victi Hebræi, capta etiam arca Dei est, et sine armis reddita illis: quo indicio claruit, quod et sine religione arma non vincant, et religionem sine armis vincere. Ezechias rex, infuso Assyriorum populo genti Judææ, cum voce Rabsacis imperio Sennacherib regis, quæ in Deum jacerentur convicia, quæ populo, quam suprema exitia denuntiarentur, satis comperisset: insinuantibus, non verba verbis, nec arma armis referenda credidit: sed exsurgens, cilicio se ut scuto induit: pro galea cinere caput texit: pro jaculis orationem intorsit. Ascendit oratio, descendit Angelus, cæsa per noctem Assyriorum CLXXXV millia cadavera numeravimus; percussorem non vidimus. Præterieram de quinque regibus, quos inconsulto Domino bellum adorsos, per desertum meantes, aquæ inopia vehementer affliclare cœperat, ipsosque et equos eorum sitis vexare. Necessitas prætermissum officium reparari coegit. Erat enim rex Israel negligens circa Dei cultum: admonitus tamen ab aliis, ut Domini prophetam requireret: cognovit Elisæum, ab iisdem in quibus degerent locis, non longe abesse: misere oratum auxilium orationis, et remedia necessitati. Licet offensus erat regi Israel, quia perfidus non credebat, promisit tamen et ubertatem aquarum, et victoriæ celeritatem. Manare cœpit aqua per desertum, et sponte se sine ullis imbribus infundere terris fluenta. Surgentes adversarii, quos securos victoriæ somnus uberior laxata presserat sollicitudine, subito videre sole fuso rutilare aquas: fuerunt qui inter regum populos bellatum putarent, quorum sanguine terra maderet. Itaque in prædam festinantes passim sine ordine, sine modo currere; alius alium prævenire, sic præcipites in medium progressi hostium vallati, interfectique ingentem suis stragem dedere: ita [d] hortatus propheta a patribus nostris sitim pariter et metum depulit, idemque adversus famem auxilium tulit. Nam cum obsideretur Samaria, atque in ea clausus maneret rex Israel, gravis eos urgebat fames, ut ne a nefandis quidem alimentis abstinerentur: conventus propheta tantæ miseriæ deformitate, simulque regis nuntio qui putaret prophetæ dissimulatione famem adolevisse, respondit: Sequenti die, et ubertatem frumenti, et [e] utilitatem videbis

[a] Codex vet., *presbyter*. BARR.

[b] Mallem *concilium*, id est coetum, agmen, tum ex sacra historia, tum ex auctoris contextu. GALLAND.

[c] *Differebantur*. BARR.

[d] *Sanctus*. ID.

[e] *Vilitatem*. Sic et paulo post leg. *Abundantia vilitatem creavit, vilitas fidem implevit*. ID.

Digitized by Google

(IV *Reg.* VII, 1). Non credenti nuntio, dixit: ipsum quidem, quia non crederet non visurum, promissorum tamen fidem non defuturam: subitoque per noctem in castris Syriæ hinnitus equorum, curruum fragor, quadrigarum currentium fremitus, armorum sonitus [a] auditu metum incussere victoribus, quod in auxilium Hebræis multæ ac validæ gentes commeavissent, ac sese imminenti, ut arbitrabantur, periculo fuga eximere properaverunt. Nox consilium maturavit, terrorem auxit. Fugientibus itaque Assyriis, omnes quas invaserant copiæ, in castris die sequenti repertæ. Abundantia utilitatem creavit, utilitas fidem implevit: mors incredulo ipsi quidem fructum eripuit, publicum tamen remedium non impedivit. Liquet igitur plurimos patrum duces, cum minime præliarentur, victoriam adeptos: alios quoque bello superiores fuisse; quibus consulentibus, bellandi jus oraculo permissum foret. Denique victus Amalech; sed cum Moses manus elevaret: vicit Jesus Nave, cum solem statueret: vicit et Gedeon, cum in aqua dimicaturos probasset: Samson etiam, cum adhuc intaminatum crinem servaret: vicit et Samuel, sed cum adjutorem lapidem figere proposuisset. Triumphavit David, cum Bethsabeam (hoc est, filiam sabbati) suo conjugio propheticis [b] ministeriis copulavisset: vicit etiam bello civili, quod refugiebat illatum: non inferebat (nil enim bello civili fœdius) solus qui potuit inferre: vicit et [c] Asaph prælio, sed postea quam desperantibus suis, quod numero essent inferiores dixit, nihil interesse, pauci an plures sint, cum Deus paucos timentes se pluribus faciat validiores (I *Reg.* XIV, 6). Bonus profecto fide, si usque ad finem perseverasset. Vicit et mulier armis quæ fidem Deo reservavit. At vero Saul victus est, quia Dei præceptum non custodivit. Vulneratus Josias, quia contra imperium in hostem processit: sanctus cæterum, et ideo raptus, ne captivitatem nostris debitam peccatis videret. Clamavit Nachao: Non sum ad te missus, ferens ejus fidei testimonium; sed involvit eum, sicut ante Amasiam, consortium degeneris societatis. Denique et ab homine Dei monitus erat, ut illos quos ad belli societatem centum argenti talentis conduxerat, dimitteret, si vellet vincere. Cui dubitanti, quod tantum pretii amissurus foret, respondit propheta quod haberet Dominus plura, unde etiam argentum eidem restitueret: quo fretum conductis renuntiasse auxiliis, vicisse cum paucioribus; [d] ne ipsum quidem Deo tantæ victoriæ mercedem solvisse: sed illico ipsis simulacris quæ victor cœperat, detulisse sacrificia, quasi eorum beneficio vicerit, quæ in prædam captivitatis redegerat. Sedechias ipse incumbentibus jam patriæ ruinis, per Hieremiam conventus prophetam, cum hostili obsidione premeretur, ut urbem egredi non metueret, victo-
A rem futurum, si cœlestibus imperiis obtemperaret: aut captivum si defendendum putasset, infidelitate semetipsum et suos decepit. Abductus erat ab Assyriis populus Judæorum in Babyloniam: reliqui ad Ægyptios transferre se, qui resederant, deliberabant. Mandavit Dominus per Hieremiam prophetam et cæteros, ut unius gentis essent imperio contenti, ne geminata captivitas ærumnam augeret. Verum illi posthabentes oracula Dei, facti sunt duarum captivi gentium, qui unius gentis jugo exire impatienter desideraverant. Itaque in Ægypto exsules perseveraverunt. At vero illi qui in Assyrios ducti sunt, expleto tempore captivitatis, quod pro peccatis populi Dominus constituerat, postea Cyro imperante, remeandi facultatem adepti, reverterunt cum gratia. Reno-
B vatum Dei templum est, regum opibus Cyri et Darii cæterorumque Persarum muneribus: ipsi itaque qui everterant, reparandi sumptum dederunt, restituerunt etiam jus sacerdotum, cultumque juverunt religionis. At vero nostri dum sacerdotium inter se competunt, et apud Parthos ambiunt, conferri sibi memoratum honorem, de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babyloniis querimur? Nostros experti sumus deteriores. Illi nobis reddiderunt [e] omne jus religionis, illi sacerdotum creationem restituerunt, et nostri eam Persis refudere. Illi sacerdotales infulas permiserunt nostræ potestati, nostri eas Babyloniis vectigales fecerunt. Quid adjiciam cruentatum sacrarium sanguine, madere sacra limina, semiruta adhuc stare templi fastigia? Minor est circa
C nos ira Dei, quam nostra contentio: illa nos captivos fecit, ista sacrilegos: illa disseminavit Judæos, hæc sustulit. Conferte, si videtur, quid intersit inter captivitatem nostram et seditionem nostram. Captivitas nostra gentibus infudit nostræ religionis consortium: seditio nostra etiam Judæis ademit religionis gratiam. Quis autem Romanos in Judæam introduxit, nisi Hyrcani et Aristobuli contentio? Quis Sosium, nisi Herodes? Quis Antonium, nisi Sosius? Quis Cæsarem imploravit sibi regem, nisi vos? Quis alius præter vos Antipatrum regno expulit, et libertatem in Antipatro? Et tamen non reprehendo, neque abnuo Florum in vos sceleste consuluisse. Sed querela Romanis deferenda fuit, non arma inferenda. Sprevistis Neronem, sed Vespasianus successerat: qui
D benignus natura, benignior tamen etiam studio esse potuit, quia in Judæa imperium assumpserat: aut si non movebat pietas, virtus certe ejus vos debuit adigere, ut vobis consuleretis. Sed quomodo vobis non parceret, qui pepercit Joseph? Cui enim infestior, quam mihi esse debuit? Quis majora adversum Romanos munimenta exstruxit? Quis studiosius pro patria [f] decernendum putavit? Postquam vobis

[a] *Audiri.* BARR.
[b] *Mysteriis.* ID. — Gemina sunt quæ habet sanctus Pater in Apologia David altera cap. 10, num. 51. *Denique*, inquit, *ut scias esse mysterium, interpretare vocabula* . . . . BETHSABEE FILIA SABBATI, etc. MAZOCH. *l. c. pag.* 851.
[c] Ex contextu legendum videtur *Jonathas*. GALLAND.
[d] Forte, *nec ipsum*. ID.
[e] Al. deest vox ista. BARR.
[f] An *decertandum?* Sed nihil muto. Siquidem apud

Digitized by Google

A [a] bellando complacita conditio est, bellorum quidem initia non probabam, sed suscepta non deserebam: testantur hoc Jotapatæ urbis, quæ bellantem adhuc texerunt, favillæ, me bello non destitisse, nisi post ejus civitatis ruinas: delituisse, quoad potui in illo eversæ urbis sepulcro, pertulisse famem, ne Romanis me traderem: quæsisse veniendi ad vos effugia: sed deprehensum, non sponte egressum, maluisse perire cum meis, sed pepercisse Cæsarem: optasse vobiscum potius periclitari, non quod probarem consilium, sed quod eligerem periculi vobiscum consortium. Gratias tamen Deo, quod [b] tanti sceleris non incidi societatem, ne seditionum incentor existimarer: aut quia his misceri nequibam, parricidium quod manu declinare poteram, vel mortem implerem. B Certe ne sanctissimam matrem pro me dilacerari cernerem, meorumque dispergi viscera; quæ miseranda quidem, sed tamen tolerabilius est ea pati, quam fecisse. Quid igitur adhuc exspectatis? An signa majorum? Non ea nobis merita, non ea circa Dei cultum officia. Non ea Romanorum, quæ Assyriorum infidelitas, qui accepto pretio discessionis fidem fregere: nec recedendum, sed acrius ingruendum putarunt. Quin etiam ut ex accidentibus colligamus divinæ motum sententiæ, Deum Judæis adversari certum est. Denique Syloa quæ ante bellum sicca fuerat, et omnes extra urbem fontium, venæ quæ diu fluere cessarunt, ut aqua nostro deesset usui, nisi pretio quæsita: nunc in usus redeunt suos, et Tito se advenienti refundunt. Scaturiunt C uberes venæ, atque ita aquarum redundantium omnia replentur, ut non solum exercitui large ad potum exuberent, sed etiam equis, bellatoribus ac jumentis, pecoribusque universis, hortorum quoque irriguis non desit aquarum abundantia: ut tamquam adnitentibus elementis victoriæ Romanæ largiores credas fundi meatus. Recognoscimus prodigia superiora, quæ etiam tunc nostræ urbis prævenerunt captivitatem: cessavit aqua Judæis, refudit se hostibus, ne siti obsidio impediretur. Nec mirum est, si recessit a Judæis divina gratia, quos tanta flagitia circumvallarunt. An vero bonus vir plenum horroris non refugit diversorium? et domum suam deserit, si quid in ea commissum sceleris agnoverit? declinat indignæ habitationis consortia, exsecratur conversantium iniquitates: D et dubitamus de summo et immaculato Deo, quod abhorreat tantorum contagia flagitiorum: et funestorum scelerum aversetur atrocitatem, nec demoretur in parricidarum conciliabulis, qui Dathan et Abirom, quia Mosem et Aaron præripiendo sacerdotii munere lacessiverant, separari ab innoxiis præcepit, ne pios aut macula contaminaret de consortio noxiorum, aut pœna involveret? Sed quid ego diutius sermonibus immoror, cum plena horroris et gemitus omnia circumfundantur, templique excidium properetur? qui istud oculi spectare, qui sensus perpeti, quis tolerare potest animus? O saxis duriores, ferro rigidiores, qui in tantis rerum humanarum prodigiis adhuc inter vos tamquam ad virtutis æmulationem de scelere certatis; et quod est gravius, vos ipsi patriam destruitis, atque ejus augetis ruinam! Convertimini aliquando, aliquando resipiscite, judicate, et videte pulchritudinem patriæ quam prodidistis: quæ urbs, quod templum, quæ sanctorum domicilia, sacrorumque penetralia, quæ prophetarum opera vestris manibus eviscerantur? In hæc quisquam flammas ducit, et spargit ignes et incendia ministrat, nec ullo affectu movetur? rupium, si sentiret, rigor resolveretur. Certe et insensibilia plerumque in maximis rerum acerbitatibus sensus speciem [c] metiuntur, ut scopuli tremant, et madentes sanguine guttæ fluant: vos autem immobiles perseveratis, [d] ut quid melius post hæc supersit, quid dignius quod reservetis. Postremo si ista non movent, quia apud pios præstantiora sunt, vestrarum saltem miseremini necessitudinum: ponite ante oculos filiorum vestrorum neces, aut ferro aut fame: et his acerbiorem, uxorum et filiarum servitutem, quibus tuta libertas erit, pacto deditionis, aut captiva [e] servitutis urbis eversione. Consulite dum licet, ne graviora post mortem relinquatis, quam ante mortem fecistis. Nec ego liber ab hujusmodi periculo sum. Novi et ipse, quia cum vestris simul periclitatur sanctissima mihi mater, et cara uxor, haud ignobile genus, et quondam domus clara. Ac fortasse propter meos hæc me suadere arbitramini: occidite eos, et accipite insuper mercedem meum sanguinem: libenter hanc solvam mercedem vestræ salutis, si post me sapere potestis.

## CAPUT XVII.

Ea Josephus cum lacrymis vociferatus, plerosque de populo inflexit: ut ad Romanos confugerent, venditis quæ possidebant. Quos Titus quo quisque cupiebat, direxit: ut etiam cæteri provocarentur Romanis se sine metu tradere. Confluebant itaque reperta egrediendi copia, securi salutis, si ad Romanos convenirent: nec solliciti de servitute quibus libertas reservaretur. Hi vero qui sequebantur Joannem ac Simonem arbitros et incentores seditionis, magis scelerum pœnas, quam adversa belli reformidabant: ideoque intuta sibi refugia opinabantur. Nec solum ipsi non audebant egredi, sed etiam insidias prætendebant, ne cui liceret e populo urbem exire. Majorque cura erat egressionem suorum, quam Romanorum ingressus cavere. Tenebantur itaque inviti; et si quis deprehensus foret, graves pœnas dabat. Suspicio tenuis,

veteres sumitur interdum *decerno* absolute pro *decertare*. Nep. *Annib.* cap. 4: *Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit.* GALLAND.

[a] *Bellandi.* BARR.

[b] Nihil addendum aut mutandum existimes. Livius, lib. IV, cap. 41: *Huic timendo hosti, utrum cum declinarem,* CERTAMEN *improvisus videor* INCIDISSE, *an occurrere.*

[c] *Mentiuntur.* BARR.

[d] *Ac sic quid.* ID.

[e] Forte *servitus.* Scilicet, *aut tuta libertas ..... aut captiva servitus*: et illa quidem: *pacto deditionis*; hæc autem *urbis eversione.* GALLAND.



Digitized by Google

gravissimæ causa mortis. Non argumentis veritas, sed suppliciis quærebatur. Si qui pecuniosi erant, afficto crimine [a] seditionis rapiebantur ad necem: si qui inopes, quia non habebant quo se redimerent, morti patebant.

## CAPUT XVIII.

Et jam gravis fames sævire, atque amplius seditio grassari cœperat furore ac vesania: frumentum non reperiebatur, nullus panis in publico usu. Sicubi esse compertum fuerat, illico domus expugnabatur. Jugulabatur ædium dominus, ut frumenti conditor, quod occultavisset. Rursus non repertis frugibus, quasi diligentius absconditæ forent, tormenta exercebantur. Optabant plerique mortis compendium, cum eos aut fames afficeret, aut crudelitas excruciaret. Denique qui seniores erant occidere B dedignabantur, invidentes beneficium mortis, quibus jam vehementior carnifex fames, miserabili macie visceribus excesis nuda ossa [b] tenuitate texerat. Spirabant semineces solo adhuc spiritu, atque ægra trahebant cadavera. Sicubi purgamenta olerum vel casu lapsa, vel quasi arida projecta adspexerant, [c] reliqua invalidi corpore, ore lambebant jacentia humi. Aut sicubi internata parietibus visa fuerat herba, rapientes succo infelici miseram solabantur famem. Qui ditiores erant, mensuram tritici toto censu emebant. Quid enim servarent non profuturum? Qui pauperiores, vel hordei: ita ut nemo vendentem vel ementem videret. Hoc enim omni gravius scelere puniebatur. Neque vero coquendi panis usus exspectabatur, ne mors præveniret, aut mora C proditorem arcesseret. In occultis abditi, incoctum mandebant triticum, quibus ulla vel exigua frumenti copia erat. Nulla mensa, nullum sedile, nulla lux: ne quis interveniret, atque [d] improvisos deprehenderet. Si sonus ullus, abscondebantur cibi: suspectæ solitudines, frequentiæ parricidales: inter suos triste certamen. Omnem enim affectum excludit fames, et maxime verecundiam; esurientibus enim pudor dispendium vitæ, et detrimentum salutis est. Si quis vir cui mulier esset aut filii aut nepotes, aliquid escæ haberet, vix fatebatur: similiter et mulieres. At cui mitior animus, ubi apposuisset alimoniam, de manibus ejus extorquebatur. Miserabilis erat cibus, esca lacrymabilis: rapiebant parentibus filii, parentes filiis, et de ipsis faucibus proferebatur. Plerisque aliorum vomitus esca fuit. Nec D marcentia sumere ullus horor: aut verecundia, adimere suis vitæ ultimæ stillicidia. Et hæc tam infelicis species calamitatis metus erat, ne deprehenderetur. Clausis itaque foribus exercebatur, ne quis superveniret, qui de ore alieno cibum quæreret, et canum more vomitus alienos lingua sua lamberet. Sed ne hoc quidem impune: nam ubicumque fores obseratæ, suspecta fraus alimenti absconditi. Prosiliebant ministri seditionum, clausa expugnabant, intolerabilia et novæ crudelitatis exigebant supplicia. Nec ab ipsis quidem pudendis corporis abstinebatur. Per ipsa quoque pœna transibat, quod in his gravior sensus pœnarum sit. Multi cum jam percussores irrumpentes viderent, paratos rapiebant cibos; ne vel ipsi defraudarentur supremo viatico, vel certe futuram mortem ulciscerentur: et quo gravior videbatur crudelitas, non esuriebant ipsi, qui rapiebant cibos esurientibus. Rapinis enim sibi aliorum opes coacervarant, et alienis conditis pascebantur: cum ipsi qui congesserant, esurirent, jejunioque contabescerent. Si qua materno affectu percita, miserans vagitus infantiæ, succum ciborum ore proprio vellet infundere, pii operis pœnas luebat, suspensoque ad cervicem, vel hærente ad mamillas pignore simul transfigebantur. Plerique etiam beneficium putantes mori, egrediebantur urbem, ut herbas vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditas ad cibi solaminis subministraret, quos invenientes Romani necabant. At qui hostem evaserat, in ipso portæ ruebat limine, fame tabidus et ore invalidus, quem jam et ipsa mandendi officia destituissent. Regressos quoque excipiebat feralior manus, quæ de gremiis miserorum summo quæsita periculo, per acerbissimum extorqueret nefas, nec partem reservaret pro mercede saltem periculi. Moriebantur itaque majore suorum quam hostium impressione. Ea enim quæ etiam hostis indulserat, civis eripiebat: nec rapuisse tamen istius modi cibum proderat, quippe non multo post [e] virenti corpore turgescentibus mediis, intimorum dolore viscerum quatiebantur: aut alvo soluti deficiebant exhaustis viribus, ut voti pœniteret, quod ad tempus solatio erat, post supplicio: dein lacertis viridibus, cæterisque [f] serpentum generibus coctis exuviis, pestem addebant. Nam equorum cadavera si forte reperissent, inter se trahentes, prælio gravi decernebant: nec ab hoste quidem, quæ coacervarentur exitia feriabantur. Nam cum se de urbe plurimi, cum filiis ac mulieribus egredientes in eam partem, quæ præruptorum profundo præcipitiorum sinuaverat contulissent, Romani veluti captiva [g] ducerent mancipia, minoris præsertim ætatis velut validiorem ferirent, ne quis forte bellantibus obrepere auderet. Speculabantur, ut si quis cibi quærendi diligentia, dum rimatur radices agrestium, ad ulteriora spatia prodiret, interciperetur. Nec tamen circumfuso licet hoste, cohibere se poterant, quibus fames audaciam dabat: cum parvos liberos macie consumi, et aperta fame ora frustra extendi, ferre non posset affectus parentum, quos socios sibi adsciverant ad periculum, ne pro se quasi fugæ suæ obsides, a seditionis auctoribus occiderentur. Cogebat fames egredi, quibus benefi-

[a] *Proditionis.* Barr.
[b] *Tenui cute.* Id.
[c] *Reliquo.* Id.
[d] *Improvisus.* Id.
[e] *Urente.* Et mox *inediis* pro *mediis.* Barr.
[f] *Serpentini generis.* Id.
[g] *Abducerent.* Id.

Digitized by Google

cium erat ferro perire jejunii comparatione. Contra Romani, quia contemptores mortis eos arbitrabantur, [a] urgebant genera suppliciorum, verberantes prius, affligentes quoque patibulo crucis, quemcumque offenderant, quo vel cæterorum temeritas cruciatuum specie a lacessendi insolentia revocaretur. Miseranda itaque passio Tito videbatur, tantarum acerbitas calamitatum. Capiebantur innumeri, quingenti ferme ad diem cruciabantur, camposque ante urbem miserabilis pompæ ordine prætexebant, ut de muris aspicerentur. Miserabantur Romani, non movebantur Judæi : compatiebantur hostes, socii non flectebantur : facilius apud adversarios pietas, quam apud socios reperiebatur. Tamen accendebantur plerique indignatione, quod in tantis malis deteriores fiebant, diversis modis afflictos cernentes : variasque pœnarum species, formas suppliciorum tam innumerabili multitudine, ut jam locus patibulis deesset, patibula corporibus. Furebat intus Simon, fremebat Joannes, insidiabantur singulis per ministros suos : si quis fugere tentaret, tractus per humum discerpebatur. Eorum quoque qui abierant proximi [b] cruciabantur, aut cruci affixa plerorumque cadavera suis qui elapsi fuerant, ostentabantur. E diverso etiam ipsi murum quadam patibulorum segete prætexuerant, quasi de adversariis triumphantes, si quos de suis ad Romanos velle confugere deprehendissent, ut cæteros transgrediendi metus incesseret. Nullus locus immunis acerbitatis, foris captivitas, intus fames, formido utrobique ; minus tamen timebantur arma, quam tormenta, leviusque erat confici tumultu potius hostico, quam parricidio. Nec intermittebat tamen Cæsar invitare factionum principes ad spem deditionis. Namque structis aggeribus denuntiabat, non longe abfuturum operis effectum : imminere urbi excidia ; consulerent sibi, ut et salutem lucrarentur, et templum incendiis eriperetur. Id quo facilius crederent, amputatis plerique Judæorum manibus dirigebantur, ne voluntario transfugio transisse ad Romanos æstimarentur, et quasi perfidis non deferrent fidem, vel eos ipsi necarent. At vero illi pro admonitione sedula gravia retorquebant convicia : funestiorem sibi humanitatem Cæsaris, quam crudelitatem videri ; quod altera libertatem eriperet, altera vitam auferret : malle se liberos mori quam servos vivere : devovisse animam suam in templo. Immortalitatem futuram, si cum templo exusti, aris ac focis patriis immorerentur. Nihil egisse Titum, eripuisse parva, dedisse plura : pro templo sibi paradisum succedere, [c] illosque se qui pro templo Dei pugnaverint, transferendos : tantum, ne oculis suis triumphos Romanos viderent, et captiva jugo colla subjicerent. Consecrari parvulos suos, non interfici, quorum parentes cœlestium pro-

A pugnatores fuerint sacramentorum. Quo commotior, Titus, eos saltem eriperet qui inviti attinebantur, admoveri jussit machinas.

## CAPUT XIX.

Erat in exercitu Antiochi Comageni filius, qui venerat ad belli societatem, impiger sane juvenis et manu promptus, sed consilio parum providus, qui moderationem Romani exercitus lentiorem ratus, nec considerans muneris difficultatem, insinuavit Cæsari, mirari se, quod cunctarentur Romani murum succidere. Risit Titus, et ait : Commune est opus. Eo sermone juvenis sese proripuit cum his, quos armatos Macedonicum in morem promptiores habebat ad bellandum : namque et aliis subnixus advenerat. Cohors tamen quæ appellabatur

B Macedonum, et viribus corporis, et proceritate ipsa præstare æstimabatur. Quibus appropinquantibus bellum adolevit. Contra de muro promptius decernentibus, quos extrema urgebant pericula, et successus præsentis certaminis animabat : cum inferiores a superioribus frequentius transfigerentur, ad superiores non omnia pervenirent spicula ; filius tamen regis juventa alacris, armis munitior, comitatu succinctior, alios eludebat ictus, repellebat alios, quos etiam ut caveret suggerentibus sociis, instruebatur : et ideo integer a vulneribus perseveravit : sed de Macedonum cohorte plerique (quoniam pudori putabant, etiam naturæ aut munimentis cedere) pertinacius præliantes, [d] vulnerantur. Itaque conatu irrito cessere superioribus : docti etiam

C viris Macedonibus si vellent vincere, et alacritatem Alexandri ad præliandum esse necessariam, et vincendi eventum. Namque ille cum obsideret urbem morantibus cæteris, et circa solemnes machinas immorante exercitu, appositis impiger scalis murum ascendit : fugatisque præsentibus qui de muro repugnabant, solus se in urbem dejecit. Nec erat temporis, ut ipse sibi sine comite portas aperiret, cum urgerent pericula : sed immodicus animus ac victoriæ avidus, in hostem prosiluit. Cessere agmina, sed quantos poterat solus prosternere ! Deinde per diversas urbis plateas circumfundebantur hostes : si in unam partem Alexander incumberet, aliis post se circumvallandi copiam daret. Retorquebat itaque victor [e] ingressum suum, ne a populo circum-

D daretur. At illi conferti inter se urgere cœperunt, inhorrescere super eum telorum vis maxima, resultabat galea tinnitu, clypeus fragore saxorum. Ac ni metuentes duci irrupissent Macedones, victor innumerabilium gentium intra urbem exiguam fuerat oppressus. Fuit igitur alacritatis, quod murum insilivit, hostem dejecit, in urbem solus triumphali saltu sese proripuit, impetu suo fugavit populos : fuit tamen etiam eventus qui maxime duci, neces-

[a] *Augebant.* Mox vero *affigentes.* BARR..
[b] *Trucidabantur.* ID.
[c] Legendum videtur, *illoque*, id est, in paradisum, sc.... transferendos. GALLAND.

[d] *Vulnerabantur.* Mox *viri Macedonici.* BARR.
[e] *Gressum.* Id.

Digitized by Google

sarius est, quod tantis ingruentibus populis, tot sagittarum jaculis, tot ruentibus spiculis, nullus fuit lethali vulneri locus. Periculum itaque virtus attulerat, mortem quoque alacritas invexerat, si eventus bellantem deseruisset. Ingressi sunt Macedones prorupta porta; sic temeritas victoriam invenit, et eventus periculum in gloriam vertit. Noster quoque David cum pugnaret adversum gigantes, [a] invectus in hostem a tergo percussorem habebat; sed librantem ictus suos comes regis Abisai prævenit. Verum Alexandrum eventus servavit, prophetam gratia.

## CAPUT XX.

Cedente itaque Antiochi regis Comageni filio, et cognoscente non quod formidinis, sed cautionis esset Romani exercitus perpensa moderatio, ut aggeribus et vineis, arietibus quoque et cæteris machinamentis murum adorirentur, exstruebantur aggeres per numeros opere diviso : præcipui quatuor insurrexerant, ex quibus unus e regione munitionis (cui nomen Antonia) per mediam ductus erat piscinam, quam Struthiam vocabant. Hunc aggerem quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat, juxta Joannis sepulcrum. Quibus e diverso Joannes princeps seditionum cuniculum suffodit; et Romanorum opera suspendit : ignorantibus his, [b] qui latenti cuniculo Judæi machinati forent, quia fulturis tabularum materia æque subjecta, superiora cuniculorum suspenderant, fraus omnis latebat. Itaque ubi opportunitas visa, ignem apposuere, qui adultus sulphure et pice, quibus illita erat materies quæ fulturam cuniculo dabat, ligna omnia facile consumpsit incendium, subjectorum ruina secuta est. Itaque Romanorum opera subito lapsa, sonitum ingentem dedere. Pulvere itaque et fumo repleta omnia, plurimum tenebrarum obduxerant, majoremque terrorem induxerat latens causa. Deinde ubi consumptis alimentis cæteris quibus primo opertus erat, liber postea ignis erupit, dolum prodidit, et Romanis ad præsens quidem formido periculi diminuta, sed evacuati laboris grave successit tædium; simul quod insultabant Judæi, non mediocris angebat pudor : et in reliquum parandæ expugnationis spes refrixit. At in parte alia biduo post, cum jam murus ariete quateretur, Teptheus de Galilæa, Magassalus, et Jabenus, et Agyras direptis facibus in machinamenta muralia prosiluerunt. Nihil his viris audacius, nihil terribilius eo bello ex urbe in hostem processit. In medium namque hostium proruentes non trepidaverunt, non retractaverunt, sed tanquam familiarium suorum consortiis immorati, non ante remeandum putarunt, cum undique in eos pila, sagittæ, spicula jacerentur, quam subjectis ignibus adolerent obsidialium instrumenta machinarum. Concursus ingens Romani exercitus, ut incendium restingueretur : Judæorum quoque clamor et studium quo subtexerent impedimenta, Romanis ne subveniretur. Illi arietes A properabant flammis subducere : isti adhuc spargebant incendia. Unde comprehensis omnibus quæ uri poterant, Romanos flammæ circumvallaverant, nisi mature consuluissent. Instabant enim acriter Judæi, atque hoc ipso quod in ea parte conatus irritos non habuerant, successus audaciam alebat. Denique non contenti jam munimentis muralibus, ultra progrediebantur, atque ipsas Romanorum incessebant custodias, et ad castellum in quo prætendebant Romani ultro eversum, perrexerant. Et nisi Romani nominis gloria et militiæ vetus disciplina, quæ munia hujusmodi deserere gravioris pœnæ arceret formidine, furentibus repugnavisset, expugnatores urbium ipsi propriis cesserant munitionibus. Versa itaque species belli, et usus obsidionis : catapultis, et velocioris B generis jaculis sese defensabant Romani, ut Judæos repellerent, quo ipsis ante genere resistebatur. Inter quæ Titus advenit, clamore excitus, et accersitus ad remedium; Romanis continuo vires additæ præsente Cæsare, et pudor aluit audaciam : Clamante Tito grave Romani nominis opprobrium, si versa vice suos amitterent, quibus jam hostium muri qui diruerentur, defecerant : diffidentes Judæos munitionibus, sola niti temeritate : starent tantummodo Romani, victoriam non defuturam. Itaque hortando pariter ac præliando Titus statuit suos, avertit Judæos, qui non solum animis ad mortem parati, sed ipso nisu corporis ingruebant, ut Romanos gradu moverent. Nec mediocre fuit periculum Cæsaris inter confusa omnia, cum ab hoste socius non discerneC retur : inter quæ Titus in medio versabatur : audax juventa, et gloriæ cupiditate ad præliandum acrior, quo celerius victoria consummaretur, in secundis triumphi ponens curam salutis.

## CAPUT XXI.

Depulsis tamen hostibus anceps consilium : alii reformandos aggeres, reparanda machinamenta muralia opinabantur : alii absistendum obsidionis periculis suggerebant : deesse reparandi materiam : commune cum [c] multis periculum : muro claudendam urbem consultius arbitrabantur, ut conficeret fames, defectis subsidiis alimentorum. Præponderavit hujusmodi sententia, ut clauderentur, ne liberos excursus haberent, quo amplius et desperatione fugiendi, et indigentia cibi conficerentur. Divisis D itaque [d] per numerum portionibus, propere murus surrexit, quo per circuitum omnem inclusa est civitas. Distribuit officia suis Cæsar, ut noctibus quoque custodiendi vices non omitterent. Prima vigilia ipse obeundi singulos custodiarum ordines munia curabat : secundam vigiliam Alexandro deputavit : denique per ordinem tribunis (prout cujusque erat solertia comperta) vices mandatæ. Castellis erat murus per intervalla intextus, in his manus militum prætendebat : vigiles ex æquo sibi somnos et tempora vigiliarum sortiebantur. Circumibant momentis

[a] *Intentus.* RABB.
[b] *Quid.* ID.
[c] *Victis.* Mox *defectos.* ID.
[d] *Per numeros.* ID.

Digitized by Google

omnibus murum, per spatia quisque præscripta suo muneri, de castello in castellum : per ordinem, et munerum vices nox frequentabatur. Præcisa undique spes Judæorum, clausisque se infunderat fames, atque in ipsas populi medullas descenderat. Personabant omnia gemitibus deplorantium miserabilis mortis supplicia. [a] Repleta erant universa cum semine cadaverum : et si paululum exspectares, intra momentum deficiebant, quos viventes repereras. Ipsi quoque qui adhuc spirabant, macie confecti imaginem mortis gerebant. Exhausti fame et tabe luridi, nec oculos quidem faciles attollere ; quia nullum vigorem naturalis motus, consumpta jejunio substantia dabat. Figura sola hominis remanserat, usus interciderat. Simulacra cerneres, officia desiderares. Arida cutis siccis hærebat ossibus. Si levis motus viventem proderet, fetor redarguebat : exiles artus et color ita niger, ut umbram putares. Nec humandi miseris officia suppeditabant, exhaustis primo omnibus et continuo morituris. Et si cui vires aliquas recentior cibus dabat, congestio cadaverum spem ademerat, impossibilitatem incusserat. Plerique etiam condendis suorum funeribus immoriebantur, et inexpleta supremi muneris officia, suo quoque obitu derelinquebant. Ruebant super defunctos, quos susceperant muniendos, ut ipse quoque oneri accederet, cui levando advenerat, indigens ejus ministerio quod alii deferebat. Nec erat ullus dolori locus in communi omnium calamitate, nisi quod auctores tantæ miseriæ superviverent, nec tempus querelæ liberis quidem jam vocibus, si loqui possent. Quid enim sibi jam morientes timerent, sed tamen mutis jam sensibus aspicientes templum, quasi inde ultio tam diri exitus deposceretur? Aruerant supremorum [b] numerum lacrymæ, quia omnem affectum vis mali clauserat. Obriguerat animus, omnis sensus hærebat, plus quam lacrymanda tolerantibus : deerat jam terra tumulis, defossis omnibus intra urbem locis, quæ potuerunt dare usum sepulcri. Tentabant aliqui inter duos muros, novum ostium, veteremque urbis procedere nocturno silentio : periculosa licet, pia tamen furta persuaserant. Itaque pro uno plures insepulti jacebant, et eo quod uni deferre gestierant pro [c] bonorum munere defraudabantur : sed etiam ubi hostis deerat, fames operabatur. Sepultor plerumque præveniebat sepeliendum, et tumulo eo quem alii paraverat, includebatur subito exanimis : et lapsus cum defodit, velut quodam studio operis sui, jus vindicabat. Et ubi terra deerat, tabulata innectebantur, ut defunctorum cadavera loculis includerentur. Plerique eos sibi ipsi parabant manibus suis, ne deficeret hujusmodi ministerium; atque in his sese sæpe sponte condebant, suspecti ne mors præveniret, et sepultor deesset. Silebant omnia metu, inedia vocem ademerat, civitas plena mortis, et nullus ejulatus in exsequiis totius urbis : et cum sensus quidem doloris intercierat, injuria non desistebat. Non deerant etiam in tantis malis, deteriores omnibus, violatores etiam sepultorum. Quid dicam non horruisse cum illuderent mortuis, et gladiorum suorum aciem in defunctorum cadaveribus prætentarent? Nonnulli etiam viventium adhuc [d] urgendis corporibus experirentur, si tela sibi acuta forent : et hic tamen usus plerisque rogantibus denegabatur, ut miseros ad graviora supplicia fames depasceretur. Nequaquam tamen ultio morituris deerat : nam quod vivi non potuerant, vindicabant se mortui, ultorem sui fœtorem creantes, quo se de latronibus ulciscerentur. Qui graviter sævientes quærentesque remedium, speciem quamdam pietatis induerant, etiam ipsi qui latrocinabantur, ut eos de publico ærario sepeliri juberent. Sed ubi nequitum occurrere, de muro defunctorum reliquias in profunda præcipitia dejiciebant. Itaque aspiciens Titus præruptos specus plenos cadaverum, saniem [e] de laceratis visceribus innatantem, alte ingemuit; et manus ad cœlum elevans, testabatur haudquaquam illud sibi ascribendum, qui voluisset veniam dare, si deditio procederet : exspectasse se ut pacem rogarent : paratum se ut incolumes servaret, si bellum deposuissent : jubet itaque aggeres rursus jacere, etiam non propinquantibus silvis, quia succisa erant omnia suburbana nemora silvarum. Vehebant materiam milites, spe victoriæ solantes laborem. Nec tamen frangebantur animis principes seditionum. Furebat Simon, nec tantorum mortibus exsaturatus cedebat; et quia inimici deesse cœperant, in socios convertebatur.

## CAPUT XXII.

Denique nec Matthiam quidem, quo auctore in urbem receptus est [f] excruciatum necavit, nullius apud se convictum flagitii, sed insimulatum proditionis, et suspectum consilii, quod in usum plebis sedulo et sine ulla fraude, tamquam familiari crediderat insinuandum. Id alte impressum aliquamdiu tenuit, nec jam se ut amico credidit, sed aluit indignationem, indicio dissimulato. Ergo insimulatum apud se, quod cum Romanis studio congrueret et conveniret, rapi cum filiis jubet. [g] Accersitur, nec defensionis ulla copia datur : ante examen adjudicatur supplicio, nec ejus soboles excipitur, sed pœnæ adjungitur. Orabat non vitæ usuram, sed mortis celeritatem, naturæ ordinem; ut prior occideretur, ne filiorum neces spectaret, nec superstes esset funeribus liberorum suorum, ipse continuo funus futurus : non impetravit, quod ipsa pietas exigebat, etiamsi non rogaret. Hoc rogabat sibi reddi pro munere, quod ei urbem aperuisset : reus quidem patriæ, sed conciliator Simonis. Debuerit ille hanc pœnam civibus, debebat tamen ei Simon gratiam. Quo crudelior, qui

[a] *Repletæ erant universæ semitæ.* BARR.
[b] *Munerum.* ID.
[c] *Bonorum operum munere.* ID.
[d] *Figendis.* Al. *vivis.* ID.
[e] *Dilaceratis.* ID.
[f] Codex vet., *inexcruciatum*, ID
[g] *Arcessitur.* ID.

Digitized by Google

nec amico pepercit, nec patrono receptionis suæ pœnam relaxavit. Ducitur ad supplicium pater cum tribus liberis : nam quartus fuga se exemerat. Statuitur in conspectu romani exercitus insultationis specie, ut supplicium ejus viderent, ad quos egredi desiderasset. Liberent te itaque si possunt amici tui. Deducuntur et filii, nec suprema liberis oscula dare, nec ultimo complexu filios suscipere permissus : non fraudatus tamen vocis [a] paternæ libertate, miserabili filios alloquio prosequebatur. Ego, filii, vobis hostem induxi, ego carnifices adhibui, quando Simonem ingredi in urbem rogavi. Ille dies nobis mortis hujus, ille parricidalis causa spectaculi. Merui, fateor, nec culpam excuso : dum unum reprimere gestio, accersivi deteriorem. Ad auxilium Simon petitus, et ad parricidium patriæ conversus : sedula consilia in crimen deduxit. Rei [b] fuimus patriæ, qui defensorem quæsivimus. Et recte quidem solvimus pœnam imprudentiæ, non tamen perfidiæ. Absolvit nos Simon ipse, dum perimit : qui pronuntiat non sibi a me donatum, sed patriæ contuitu petitum, ut contra Joannis sævitiam auxilio futurus, quam primum adesset, et Idumæos induceret. Putabamus, duobus inter se [c] conferentibus, liberam plebem futuram. Quis mihi crederet, non tibi id meo studio detulisse, sed de malis, hoc tolerabilius æstimavisse, nisi tu occideres? Sed quid ego sic loquor, quasi crimen excusem? Nihil sane mea sententia gravius facere potui, quam quod te in cervicibus nostris locavi. Sed in eo patriæ reus, non tibi fuerim. Debuerim ego civibus mortem, sed tu mihi gratiam. Debuerim patriæ pœnam proditionis, quod te induxerim. Tibi quando proditor esse cœpi? Si fugiendum putassem, consulueram mihi, non violaveram patriæ necessitudinem. Quis enim hostem non defugit, et hostem internum? At te civem putavimus, sed hostem invenimus. Ad auxilium petitus, quid rependisti? Quid ante pollicitus? et quo postea conversus? Ingressus eras, ut hostem expelleres, non ut hostem exerceres : ut ferocem ipsius impetum reprimeres, non ut ad bellum provocares : ut prohiberes civium neces, non ut ipse adjungeres : ut latrocinium repelleres, non ut ipse latrocinareris, sed ut subvenires innocenti populo. Cur in ipsum tua arma vertisti? Ante latrocinio [d] appetebantur, tu bellum intulisti. Ante pauciores ad mortem rapiebantur, tu stragem populorum fecisti. Quis proditor patriæ, quis Romana arma plus juvit, nisi qui exstinxit patriæ propugnatores? Nisi qui eripuit tantorum civium defensionem? Nisi qui ab hoste in socios detorsit mucronem? Hostis extra muros pacem offerebat, tu intra

A muros præliabare : ille obsidionem volebat solvere, tu expugnationem approperabas : ille prohibebat incendia nostræ urbis, tu flammas in ipsa templi jaciebas fastigia : ille nostrorum contuitu sacramentorum inducias dabat, tu per ipsos sacrorum dies altaria Dei supremo urbis excidio, sacerdotum quoque sanguine restinguebas : ille muros, tu templum obsederas. [e] Coacerbabo crimina mea. Ego patriæ manus intuli, ego tuum furorem armavi, ego hæc universa deliramento quodam senectutis [f] initia impressi. Agnosco dementis ætatis imprudentiam. Confessione levemus pudorem, quoniam negando peccatum exuere non possumus. Duo præ cæteris excidium patriæ acceleravimus : ego errore consilii, tu proposito parricidii. Pendo igitur, patria, tibi [g] deditas pœnas : et hoc ipso Simoni gratias ago, quod cine-
B ribus tuis superstes non ero. Atque utinam non liberis essem superstes! Sed ad sceleris tui, Simon, acerbitatem, filiorum necis spectator assisto. Merui, fateor. [h] quia Joannem pictum videre non potui, et te armatum elegi. O præcipitem senectutem! imaginem timuimus, tyrannum expetivimus. Ego fidejussor tuus, ego deprecator tuus legationem pertuli. Ego te dominum rogavi, percussorem introduxi. Spectemus ergo quæ fecimus : Joannis nos cera terruit, Simonis latrocinia delectaverunt. Acceleretur itaque pompa funebris, veniat carnifex, filios ante ora patris, patremque obtruncet super filiorum cadavera. Hauriam miserabilis senex ictum carnificis, super colla pignorum [i] vibrantis securim. Quo spectaculo nihil funestius, nisi ille qui jubet. Crudelis,
C sceleste, facio quod præcipis, facio, sed invitus. Habeo tamen consolationem tantæ calamitatis. Patior quidquid miserrimum est dum tu jusseris : quidquid est immanissimum subeo libenter, te arbitro. Implesti mensuram scelerum sævissimorum : liceat saltem affari liberos, extremum pignoribus valedicere. [j] Sit ultimus locus osculis, quæ nobis etiam cum feris communia sunt. Non prohibeatur miserabilis amplexus naturæ, quem etiam defunctis potest casus donare. Quod igitur ad pœnam præcepisti, proficiat ad pietatem mihi. Cadam super funera mea, et insepulta adhuc velut quodam corporis mei cespite, tegam, ne discerpant volucres, aut feræ devorent. Lambam lingua patria sanguinem meorum pignorum, et meum diluam, ne lambant bestiæ : et fortasse
D addet hoc pietas, et miseratio naturæ ipsius, ut arctissimo amplexu moriens, liberos meos stringam : ne tu separare possis, cum velis. Certe si separabis corpora, animas tamen non separabis. Sed satis jam lacrymarum viaticum sumpsimus; Præite, filii,

[a] *Patriæ*. Barr.

[b] *Sumus*. Id.

[c] *Conserentibus*. Id.

[d] *Appetebamur*. Id.

[e] *Coacervabo*. Id. — Retinendum videtur *coacerbabo*. Sic enim loqui amat auctor. Superius lib. I, cap. 25 prope ab initio : *Ut Hyrcanum et Antipatrum incubare alienis, quæ sibi . . . . erepta forent, questu gravissimo* (Antigonus) COACERBARET. Ita editio princeps, ubi minus recte fortasse alii corrigendum putant *coacervaret*, ut hic Barrensis. Confirmatur prætcrea eadem lectio *coacerbabo* ex simplici *acerbo*, quod sæpius auctori usurpatum videas. Lib. II, cap. 9 : *Ne alterum acerbes, alterum arcessas*. Item lib. IV, cap. 13 : *Bellum acerbabant sine venia deditionis*. Sic et pluries alibi. Galland.

[f] *Exitia*. Barr.

[g] *Debitas*. Id.

[h] *Qui*. Id.

[i] *Librantis*. Id.

[j] *Sit ullus ultimis locus oculis*. Id.

Digitized by Google

et secuturo patri viam parate. Si potuero consequi, comitabor simul, et erit illic impedimento senectus, quo viventes juvenes minus consequar. Ad mansionem præcedite, ut fessum patrem suscipiatis diuturno hospitio. Volui quidem præcedere ipse, et rogavi, sed non impetravi; tamen [a] quod innoxii estis, eo meliora vobis hospitia deferentur, quam si ipse accersitor Simonis prævenirem. Gravat me illa legatio, licet a civibus mandata, petente populo [b] suspecta. Præcedite ergo, filii, mundiore supernum iter carpentes vestigio. Et Macchabæi matrem prævenerunt : sed illi ad præmium, vos ad supplicium. Spectavit tamen pia mater morientes filios, et supra suorum se volutans sanguinem, vidit complectentes se invicem fratres naturæ necessitudine; et suo lætabatur triumpho, quem de tyranno consequebatur. Diversa quidem patientium merita, sed eadem sævitia utriusque præcipientis. Invenit hoc Antiochus Persica immanitate; apud ipsos enim novorum sunt commenta suppliciorum. Tu exsecutus es : ille tamen servavit ultimam matrem ad persuasionem regiæ voluntatis; tu servari jussisti patrem ad cruciatum paterni doloris. Consolamini vos, filii charissimi : patimur nos quod passi sunt martyres. Simon statuit, quod persecutor barbarus invenit, tyrannus præcepit. Proficiscamur igitur volentes, et fugiamus conventus latronum. Sane cum in illam perpetuam domum [c] discesserimus; si qui ad nos venerit qui requirant quid agit ille quondam Dei populus; quid illis respondebimus? Maxime si vobis, utpote junioribus, integer ævi Jonathas, mihi Saul, utpote peccatori occurrerit. Quid (inquam) dicemus, nisi populum illum Juda novellum dilectum, quem mare fugit, cui sol stetit, cessit Jordanis : populum (inquam) illum, cui pervius fluctus fuit, aer fertilis, terra cœlestis : quæ non ut [d] vestra hæc terra, speciem corruptionis induerit, sed resurrectionis gratiam assumpserit : servire nunc Idumæis, et subjectum esse Simoni latronum principi, nec servitutem ipsam habere securam, nec periculum cum libertate. Quid ad hæc responsuros putamus, qui elegerunt bello perire, quam libertati patriæ supervivere? Quid etiam Matathiam responsurum Macchabæorum auctorem, qui [e] voluit observando legem sabbato feriatus mori, quam præliatus vivere ? Si audierit quomodo Simon, non solum sabbato cædes civium innumeras agitaverit, sed ipsos sacerdotes Domini, neomeniis et omnibus sanctis festæ celebritatis diebus jugulare coegerit? Quantum ingemiscet Jechonias, cum audierit Simonem, qui seditionibus primo urbem everterit, cæde civium violaverit templi vetustam religionem, conventum toties, ut sui deditione, urbem exueret incendio, malle perire omnia excidio, urbem, templum exuri, plebem totam interfici, ne occupatæ inclinet dominationis fastigium! Quantum (inquam) dolebit Jechonias, licet tempore majorum urgentium minus felix imperio, melior tamen filio? Pater enim sibi minus felix esse quam patriæ, licet miserabiliter, pie tamen maluit. Itaque se cum sua prosapia, egressus urbem, Babyloniis obsidentibus in servitium dedit, ne eversam patriam, ne populum Dei captivum videret. Filius autem ærumna pari, sed affectu impari : dum sibi metuit, et se in exsilium et urbem in excidium deduxit. Hic itaque infelix patriæ, nec sibi felix, qui et liberos suos et oculos amisit : ille autem prudentior, qui captivitatem civium sua redemit captivitate. Denique id exitus docuit : iste in regno senior, ille junior in servitio defecit, quamvis ei postea thronum regium Babylonius rex juxta se constituerit, et consilii detulerit prærogativam, miseræ calamitatis solatio. Denique tolerabilior jam mea sors est, post liberorum necem mori, quam vivere : ut scias, quam crudelis sit, qui filios ante ora patris jugulet. Cujus etiam regalia munera deteriora sunt, quam pietatis vulnera. Aut enim tam impia inferre primo non debuit, aut tam honorata postea substituere, quasi quævis dignitas redemi possit filiorum amissione, aut compensari cædes sobolis quovis usu honoris : nulla profecto, nulla dignitas tantum dolorem allevat. Nullus honor curat hoc vulnus, nisi sola mors, quæ sensum adimat, recordationem auferat. Festina ergo, percussor : remorare tamen, dum liberos video, dum prius quam moriantur, aspicio : ne quis ætatis forsitan immaturitate turbatus, mortem timeat, cum sæviorem evadat tyrannum. Beneficium est, filii, mori, ne patriæ videamus captivitatem : tolerabiliora corporis quam mentis vulnera. Jam tolerabilius et vestras neces specto quas refugiebam, ne spectem neces in commune omnium, ne videam patriæ bustum et totam urbem sepulcrum eorum. Beatior tamen, qui mortuus fuerit, quam qui reservatus. Summe Deus, ne inter innoxiorum greges sternatur Simon cum liberis suis; spectet captivus quem intulit : immo minime, minime, inquam; nam quem potest cogitare, potest ferre, nec tamen ea imprecor. Consideret quam grande nefas sit, quod non potest vel voto retorquere qui patitur; quam acerba ultio, quam sæva commissi sceleris immanitas, quod optat patriæ captivus superstes, quia pejora sunt vitæ ludibria, quam mortis supplicia. Sed jam finis verborum sit. Festina, carnifex, dum cruentatum sanguine filiorum gladium geris; percute patrem, ut [f] nullus refrigeret. Hoc solum morituro medicamentum est; hoc solo non sentitur ictus mucronis, dolor vulneris. Percute sub conspectu Romani exercitus, sicut imperatum est, ut spectent vindicaturi. Misereatur hostis, quia socius non miseretur : judicent Romani, quia Simon occidit sine judicio : testes sunt ipsi, me non proditorem patriæ, sed defensorem fuisse, qui pugnantem viderunt, non deserentem. Liberis ego meis, si potuissem, hostem avertissem, non hostem accersissem : atque utinam

[a] *Quo*. Barr.
[b] *Suscepta*. Id.
[c] *Decesserimus*. Id.
[d] *Nostra*. Barr.
[e] *Maluit*. Id.
[f] *Ullus*. Id.

Digitized by Google

nec Simonem accersissem! Nec finis ullus adhibitus A tantæ crudelitati. Jacebant adhuc cum patre insepulti liberi : adjungitur et sacrilegium spectaculo parricidali. Cæditur Ananias sacerdos, claro genere ortus, licet nemo clarior sit splendore generis, quam munere religionis. Illo enim affectatur nobilitas, hoc non desideratur. Habeat sibi vetus prosapia diversorum fasces honorum, habent et sacerdotia suos fasces, qui elevantur non humeris, sed moribus : et attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseverantia, fidei altitudine, pietatis fastigio. Percussus est etiam scriba Aristæus claræ et ipse originis : et cum ipsis alii de plebe quindecim præeminentes cæteris; licet injustam necem, non nobilitas faciat, sed innocentia. Præoccupantur etiam viri undecim, qui pariter conspiraverant, commoti scelerum B ejus atrocitate; et sibi quisque metuens, quæ in alios exerceri videbat, quod infidelis etiam amicis foret, et spes adempta, populante universos fame, Romanis jam jamque irrupturis : turbato Simone ad opem defensionis, bacchante ad officinam crudelitatis, facilique illecebra proditionis, quod Judas unus ex ipsis turrim tuendam susceperat. Is igitur cum Romanos vocaret, traditurum se pollicens turrim, fastidientibus aliis quod tam sero proditio procederet, aliis dubitantibus, quia frequenter promissa deditione dolum paraverat, prævenit Simon, et de universis conspirationis sociis pœnam exegit : corpora quoque eorum de muro præcipitata.

## CAPUT XXIII.

Clausus tenebatur Josephi pater, nec [a] ullus ad C eum accessus patebat. Eo studiosius Josephus ad deditionem invitabat Judæos, et inconsultius murum successerat, ut liberaret patriam cum patre. Quo loci saxo caput percussus concidit, ac pene jactatis desuper telis oppressus fuerat, ni præcepto Cæsaris missi forent, qui eum protectum clypeis eriperent neci. Comperto mater filii sui vulnere, et insultantium latronum consternata vocibus, mortis ejus formidinem simul et fidem induit: miserabiliter quoque deplorare occœpit: ad hos fructus fecunditatis se reservatam, ut nec officio viventis filii potiretur, nec sepeliret defunctum. Voti quidem sui fuisse, ut ipse potius matri sepulturam daret: inter ejus manus supremum exhalaret spiritum : ille frigidos artus deficientis D foveret, ille ultimos ore anhelitus legeret, ille oculos morientis clauderet, ille spirantia adhuc ora componeret. Sed quia voto exciderat, solatium fuisse, si vel ipsa interesse potuisset filii morientis supremis, miserabili quidem sorte, sed tolerabili tamen, ut quem superstitem optaverat, ejus vel funus teneret. Verumtamen vel de muro, inquit, spectare mihi mea funera liceat : et si contingere non licet, utinam quidem nemo arceret! Sed quem metuam tanto destituta filio? Quid pertimescam, cui beneficium est mori? Utinam in me tela sua omnes contorqueant, omnes gladio me transfigant! quod vivens non potui, mortua saltem filii mei corpus veste mea protegam. Abundat unius vestimentum ad sepulturam duorum : et fortasse quisquam hostium miserebitur, ut amicta filii matris oculos tegat, et oculos oculis, manus manibus, ori ora connectat. Proripiens itaque se ad muros, cœlum ipsum miserabili questu replebat. Insultabant sui, flebant Romani : apud socios crudelitas, apud hostes misericordia. Figite (inquit) me, si qua est pietas : ego genui quem persequendum putatis. Ego infelicia ubera dedi : me exstinguite, si de illo vindictam quæritis.

## CAPUT XXIV.

Dum illa deplorat, ecce ad vocem matris processit Josephus et deflere cœpit quod evaserit, cui dulce fuerat ante patriam mori, et pro patria, dum salutaria suadet, procumbere. Sed jam non pro parentum contendere salute, qui depositi ævo cum in carcere vitæ finem supremum exigant, liberantur, si moriantur : sed pro ara, pro templo, pro semirutis adhuc urbis mœnibus trepidare. Obtulisse se vulneri, ne patriam everti videret. Qua excitati querela, plerique ad Romanos transeundum rati, qua potuerunt via, subtraxerunt sese insidiis latrocinantium, et custodia [b] protendentium. Quibus quidem Titus misericordiam promissam servavit, sed alia gravior ærumna accidit. Namque ubi data alimenti copia, cœpit oneri esse cibus qui prius usui erat, desuetisque edendi officiis, ministerium feriabatur. Nulla vis dentium, ut cibum manderent, nulla arteriarum subsistentia, panem arrodere nullo poterant modo. Si quid sane sorbuissent mollioris alimoniæ, interclusis jam faucium meatibus strangulabantur. Obriguerant interiora viscerum, obstructi erant ductus ciborum. Aruerant jecoris venæ, quæ cibos attrahunt. Perierat usus, aviditas cumulabatur, virtus defecerat, appetentia manebat. Ruebant supra cibos miseri, et invalidos morsus, more infantium meditabantur. Plerique visis alimentis, ipso gaudio deficiebant, atque inter exoptatos sibi cibos moriebantur: solati miseriam, quod votum impleverant. Sed erat pompa lacrymabilis, cum plures a cibo ad periculum surgerent, quam ad salutem, ut et victus noceret. Inflabantur enim insolito cibo corpora potius, quam reficiebantur, et quasi quodam [c] hydropisis morbo, distenta cute pœnas dabant. Et si quibus ulla adhuc virtus edendi, aviditas modum nescia, quod ferre non poterant, supra mensuram ingerebant, repentino cibo farti disrumpebantur. Quid enim grave non erat, quibus erat gravis et solus affectus, ut obesset vidisse, quod desideraverant? Incapaces enim affectuum per longam famem, oppressit etiam sensus naturæ : et ipse gaudii motus gravavit. Nihil igitur mirum, si exhaustis periculo cibus est. Denique post biduanum jejunium, si quid avidius sumpseris, statim crudescit. Unde plerisque moris est, ut succum lactis infir-

[a] *Ulli*. BARR.

[b] *Prætendentium*. BARR.

[c] *Hydropis*. Id.

mis visceribus infundant, eoque cum melle permixto temperent humorum exasperatam jejuniis intemperantiam, et defectionem corporis, velut infantiam quamdam molliore cibo nutriant. Sic ergo nonnulli Judæorum qui ad Romanos confugerant, poterant evadere, quadam arte pensantes moderamina cibi, donec desueta edendi caro, in suos rediret usus. Nec hoc tamen profuit miseris, sed causa majoris exitii fuit. Nam cum ex his plerique accepto cibo alvum purgarent, egesserant aliqui bimones aureos quos absorbuerant, cum adornarent fugam: ne deprensi, quia insidiatores omnia perscrutabantur, non solum dispendio, sed etiam periculo forent: scelus enim ducebatur, aurum quemquam præter latrones habere. Hoc itaque postea Judæi, specie miserabili inter inquinamenta alvi aurum legebant. Comperit id quidam [a] Assyrius, et ab uno in omnes opinio manavit. Quod genus hominum præceps ad avaritiam, et paratum ad versutiam, ut nihil tam atrox sit, quod refugiat, nihil tam turpe, quod erubescat studio pecuniæ, A Syris in Arabas diffusa fama est, quibus et non minor avaritia, et feritas barbaricæ propior immanitati, eo quod farti auro Judæi forent: diripiunt quoscumque offenderant advenientes, contra fas, contra leges deditionis, contra promissum Cæsaris, quod occidi non licebat: incidunt adhuc viventes, cruentisque manibus eviscerant ventris secreta. Alvum scrutantur, et inter ejus manantia purgamenta aurum requirunt, non minus turpiter quam illi quos adigebat fames: insuper etiam sæva crudelitate. Multa acerba eo commissa prælio, nihil hoc uno acerbius. Denique una nocte duo millia fere virorum discissa sunt tali flagitio, divisisque visceribus, quæstus suos Syria numerabat: Arabia negotiationis recensebat emolumenta, quæ sine transfretati maris periculis novo crudelitatis commento in usum lucri verterant, et mercem putabant. Quod etiam nunc in hujusmodi hominum genere reperias, et nonnullis sæpe Ægyptiorum, ut curandis funeribus negotientur, et officia humanitatis vendant mercaturæ compendiis. Misera fames auri; nihil sequendum putat, nisi quod ad præsens lucrosum: nihil honestum, quod pecuniæ vacuum. Gravis jam dudum, gravis inolevit humanis affectibus quærendi cupido, et mercatura facta est vita hominum: veno et empto vivitur. Serpsit itaque vitium in innumeros; ut jam tolerabilior commutatio mercium sit, quam morum animorumque. Infecit Syrorum avaritia etiam Romanum exercitum. Nihil enim facilius in alterum transit, quam amor pecuniæ, et desiderium habendi: præsertim finitimas opes, quibus vicinus abundaverat. Nec est ulla passio, quæ magis virtutem animi effeminet, quam cupiditas divitiarum. Denique versutia laudi datur, paupertas probro habetur. Impedivit hoc vindictæ severitatem, quia innumeri reperti tanto furori obnoxii: ideoque Titus qui vallare circumfuso exercitu Syros et Arabes proposuerat, contemplatione multitudinis revocavit sententiam: ut superioris delicti gratiam faceret, et ne postea committeretur, pœnam denuntiaret, verborumque austeritate graviori suos argueret, quod auro succincti et argento, pretiosisque telis nitentes, nec arma sua erubescerent, ut tanto se dedecore dehonestarent. At vero Syros et Arabes increpare, quod immemores Romani nominis, dictu quoque horrida excogitassent: venisse eos ad belli societatem, non ad exercitium flagitiorum. In exercitu Romano non solum virtutem corporis, sed etiam mentis requiri: nec tantummodo fortitudinem in hostem, sed etiam disciplinæ normam spectari: ne crudelis, ne impius, ne insolens miles sit: sed ne prædæ potius quam victoriæ intentus. Ea gravia videri militiæ flagitia et vindicari atrociter. Inter arma quoque leges valere: fide melius bella geri, quæ servetur etiam hostibus. Si ergo et armatis debetur, quanto magis precantibus! Proinde caverent ab hujusmodi flagitiis, ne et victoriæ exsortes, et salutis fierent. Neque se diutius passurum, ut eorum scelesta flagitia Romanis ascriberentur, qui plus oneri, quam usui forent. Itaque repressit aliquantulum, non exsecuit avaritiam Syrorum, ut arbitrum fugerent, non ut præceptum foverent. Denique explorato prius si forte Romani militis deesset præsentia, de miserorum visceribus exsecrabile lucrum proferebatur, nec tamen in omnibus sequebatur etiam prædæ eventus, sed in paucis, quo crudelior feritas: quia non solum propter opes, sed etiam propter spem lucri plurimi exstinguebantur: cum latrones ipsi, et sæviores piratæ latronibus, a latrocinio temperent, ubi prædam non senserant. Solius enim barbaricæ immanitatis est, gratis nocere. Nam et ipsæ feræ, ut interficiant, prædam sequuntur. Foris itaque pœnæ acerbæ, intus immanior Joannes.

## CAPUT XXV.

Denique cum talia gererentur a Syris, etiamsi aliis qui revocarentur, indicio comperto, transfugere tamen alii non desinebant. Inter quos Manneus Lazari qui asserebat per unam portam sibi creditam centum quindecim millia mortuorum elata, additis adhuc octingentis octoginta funeribus, quod ipse tuendi vicem hujusmodi recepisset muneris: idque solo eorum numero collectum, qui ex mercede publica sepulti forent, præter eos quos sepelierant sui. Quæ autem sepulcra, nisi ut de muro cadavera dejicerentur? Post ipsum plerique non ignobiles viri, confugientes ad Titum; sexcenta millia defunctorum fuisse, quæ per portas elata numerata sint, commemorabant. Eorum vero cadaverum quæ propter infinitam pauperum multitudinem efferri nequiverint, atque in maximis domibus diversorumque operum spatiis constipata sint, numerum fuisse inæstimabilem. Et adhuc erat processus malorum, quæ jam superiorum omnium finem vicerant. Adhuc sæva obsidio, bellum grave: majoribus jam tamen Judæorum animis, quam viribus. Super omnia vero fames tetrior, quæ insi-

[a] E *Syris*. Vide Josephum, *de Bell. Jud.* lib. VI, cap. 15. Barr.

diaretur jumentis alvum purgantibus, et vetusta ri- A maretur boum stercora: ut quod visu erat horribile, hoc fieret esca esurientibus. Miserabilis congeries insepultorum corporum, et circuitu longo terra ipsa tecta cadaveribus, repleta ante muros omnia, terribilis species, horror gravis, odor pestilens; qui nec victores, nec victos discerneret: utrisque simul noxius, et majore Romanis impedimento, quibus necesse erat jacentes reliquias cruentato proterere vestigio: terra ipsius inculta, succisis omnibus quæ ad usum militis et machinarum necessario conveherentur. Per tredecim ferme in circuitu urbis milliaria longe lateque vastata humus, et nudum gignentium solum. Omne illud pomarium, in quo ante nemora viridantia, horti inhalantes floribus, diversa pomaria, suburbana prædia gratam sui speciem dabant, si B quis postea vidit hospes, ingemuit: incola non recognovit, et ad genitalem regressus locum, cum præsens adesset, patriam quærebat.

## CAPUT XXVI.

Reparatis itaque aggeribus et vineis, cæterisque machinis obsidionis, renovatus est belli furor; quasi ad extremam operis manum utrimque studiis conspiratum. Totius enim periculo certaminis decernebatur; quia et Romanis solvenda obsidio foret, si aggeres et arietes incenderentur, quibus per inopiam silvarum reparationis subsidia non suppetebant: et Judæis excidium patriæ incumberet, si manu cederent, cum quassata murorum repetitis arietum ictibus resolverentur. Processere itaque Judæi cum facibus adeo feroces; ut tamquam cessuro C sibi Romano exercitu, incendia in machinas spargerent, obsidionem solverent. Sed exhaustæ jam vires fame et res fractæ, priores successus negarunt; substantia defecerat, audacia manebat. Contra, Romanis major pudor, si ab his qui extremum fame spiritum traherent, victoria de manibus diriperetur. Conserto itaque prælio, repulsi principes seditionis, ad murorum subsidia bello impares recurrerunt. Sed ubi dubia murorum [a] cæsura repetitis ictibus, Joannes haud incuriosus extremi subsidii, circumspexit: interiorem murum quasi in C litteram duxit. Postero itaque die convulsa parte murali, fragor labentis [b] beneficii, et clamor Romani exercitus simul increpuit, quasi patrato excidio muri prolapsione. Sed ubi conclamatæ urbis D [c] insultavit sonus, versa vice rerum, novi muri species, improvisa Romanorum gaudia [d] restrinxit, judæorum audacia successit, quia periculum differebatur. Tunc Cæsar exercitum adhortari cœpit, ut novum illum murum sine ulla cunctatione adoriendum putarent, quem constructio recens infirmum et facile solubilem proderet: auderent modo animis procedere, fragmenta muralia ascendendi facilitatem datura, ut præliantes Romani, Judæis de superiori loco decernentibus, adæquarentur. Et quia cunctantes videbat rei difficultate, validissimos quosque juxta se congregans, in bellum accendebat tali oratione:

## CAPUT XXVII.

Omnium rerum exitus plus negotii, quam principia habere, nulli incognitum est, fortissimi commilitones, quia consummatio suscepti muneris majorem quærit laborem: siquidem toto libera mari currit navis, etsi non semper a puppe ventorum aspirent flamina, gubernator tamen obliquat velorum sinus. et sine refragio scinditur fretum. Sed ubi ad portum venitur, opportuna aurarum temperies necessaria est, et angusto ingressus navium coercetur limite. Major itaque periculi cura, ubi spes propinqua; ædificantibus quoque plana exordia fundamentorum, sed ardua celsorum opera fastigiorum. Et plerumque in ipso operis claudendi fine, mercedis suæ munere defraudatur miserandus faber, aut culminis lapsu obrutus, aut instabili deceptus vestigio, ut ad inferiora decidat. De agricola quid dicam, cui procinctus laboriosior messis quam segetis, vindemiæ quam putationis: et adultis fructibus graviora semper metuenda pericula? Nihil ergo novum, si adhuc nos in ipso portu consummandi cursus periculum manet: quia per angustiora viarum scandendum est ad Antoniam: quo dejectis inde adversariis, superiorem occupantes locum, ac supra verticem locati hostium, ipsos quodammodo anhelitus eorum intercludamus. Sed difficile hoc nobis videtur, commilitones, quasi vero ad ludum, non ad bellum convenimus: in quo aut vincendum, aut moriendum sit viris. Tunc ergo debueratis excusare, quando ad prælium veniebatis, ut vindicaretis cladem Romani exercitus, et maculatæ militiæ probrum dilueretis. Si Neronis tempore ulciscendam injuriam Romani nominis æstimabatis, quid vos decet velle Vespasiano imperatore? Lavemus superioris imperii notam, ne nostro adhæreat: quam Nero quidem remoturus per Vespasianum æstimabatur, Vespasianus per Titum in se transfuderit, nisi vicerimus: exsequenda nobis tantummodo supplementa victoriæ pater reliquit: quo fusis in cassum tantis laboribus, dedecores inultique [f] referemus gradum, victoriam derelinquentes? quasi non levius crimen sit de militia decedere, quam victoriam deserere: illud enim formidinis, hoc proditionis est. Sed periculosum putatis in hostem descendere, et murum armis circumsonare: quasi vero muliebria de nobis, et non virilia opera ipsa natura expetat, quæ nobis ideo vitalem infudit spiritum, ut eum pro gloria libenter refundamus. Ad quæ igitur, nisi ad maxima quæque a duce suo bellator adhortandus est? Nam usitati operis adhortatio, non solum convenitis, sed etiam convenientibus affert pudorem, ut exigas, quod sponte debetur: id enim de se militem præstare oportet. Et tamen quid immoderatum a vobis exigo? Nonne præstat mori per virtutem, quam

[a] *Cessura*. BARR.
[b] An *ædificii*? GALLAND.
[c] *Resultavit*. BARR.
[d] *Restinxit*. ID.
[e] *Vobis*. BARR.
[f] *Referimus*. ID.

vivere ad ignominiam? In medias Romanorum acies frequenter Judæus excurrit, ac sese hostilibus cuneis impavidus infundit, non ad spem victoriæ, sed ad indicium fortitudinis, et ostentationem gloriæ? Vos, quibus terra et mari nemo impune adhuc restitit, quibus non est novum vincere, et crimen non vicisse, cum tanta habeatis vincendi suffragia, nec semel quidem proripuisse in hostem gradum non pudet? sed armatos otium tenere, et procinctu positos, feriatis animis exspectare, ut fames pro nobis dimicet, atque inedia potius sua, quam nostris fusi gladiis, in opprobium nobis erubescendos vertant triumphos? Non pudet, inquam, strenui commilitones, universarum victores gentium, nihil de armis sperare, nihil de viribus, sed de sola obsidione, et operiri quando hostis morbo consenescat, atque in suo moriatur lectulo? Et quæ potest esse sine bello victoria? omnia sunt repleta cadaveribus, deformes exuviæ jacent, exsangues reliquiæ defunctorum, nisi quos ipsi inter se suis manibus trucidaverunt. Quid timemus eos, quos jam fames, ignis, latrocinium, seditio exstinxit? Quid destituimus divina beneficia? Cujus enim nisi Dei nutu in sua collisi arma sunt? Destituti quoque subsidiis alimentorum, nec ullus domestici finis furoris. Vereor ne jam et religionum videamur rebelles, qui et nostris, et suis religionibus infidos tam diu reservamus. Verum esto, sit atrox bellum et formidolosum. Quid enim vos belli demulceo facilitate? Sit victoria incerta, certum periculum. Nonne apud eos mihi sermo est, qui humana prudentia noverint, in periculis promptiorem esse omnium animantium fortitudinem, quam in remissioribus contentionibus? Feræ ipsæ cum se circumvallatas [a] armis viderint majore in eos impetu ruunt, ut vi sibi aperiant iter. Et atrociora serpens latibulis excussus, infundit venena. Sunt etiam, quæ natura innoxia, in periculis tamen suis ad nocendum [b] fortiora sunt. Habent cervi sua arma, si quis se obvium ferat, et mortem cornibus repellunt. Habent et læsæ apiculæ suos morsus. Quid autem de viris bellatoribus apud Romanos loquar? cum Leonides ille Lacedæmone genitus, præliaturus adversus innumerabilem Persarum exercitum, dixerit: Prandeamus in terris, apud inferos cœnaturi. Tantum valuit apud Græcos hic sermo, ut non solum de trecentis illis Lacedæmoniis viris quibus ipse præerat, se nemo subtraxerit, præter unum tantum, quem superstitem postea nullus recepit: sed etiam de cæteris qui simul ad bellandum processerant, nisi quos Leonides tanto degeneres bello repudiavit. Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quos Cato Romanæ assertor facundiæ, et veritatis sincerus interpres, asseruit cum exsultatione ad bellum processisse: sed quo se redituros arbitrarentur, universosque libenter procubuisse, ne mutarent sententiam. Beati quorum nemo suis hostium victoriam fuga annuntiavit. De trecentis tamen Lacedæmoniis vir unus subterfugit: illi in angustiis præliabantur, ne circumvenirentur. De Romanis legionibus nullus vitam elegit, sed omnes mortis hæreditatem, quorum vos posteri estis: si contemptu periculorum, quasi gloriosa indoles, virtutis prosapiam non abnuatis. Quis enim fortium virorum esse se mortalem non noverit, omnibusque positum finem vivendi? Quanto igitur melius patriæ impendere, quod naturæ debeas, et necessitatem commutare gloria: nec anhelæ senectutis suspiriis obnoxiam vitam [c] dejicere, nec ferventis ægritudinis casus reformidare, cum depositis ævo quotidiana fastidia sint? Illorum autem, qui languore marcescunt, deficientibus viribus pariter ac sensibus, ut multorum opinio habet, animæ simul cum corpore sepulcro adjudicentur. At vero bellatorum et strenuissimorum virorum, qui se pro patria, pro liberis, pro religione morti devoverint animas de vinculis corporis hujus ferro absolutas nulli dubium, quin purum illud æthereum elementum stellarum lumine refulgens, in cœlestibus suscipiat habitaculis, hospitio quodam supernæ quietis: in terris quoque remanere, insigne aliquod [d] est gratiæ vel injuriæ, ut et languore commaceratos oblivio abscondat: et adversum pectus in hostem ferentes, si mors convenerit, sequatur gloria. Ad hæc vos invito præmia, commilitones, ut in hostem pergamus, quem clausum tenemus: ascendamus in murum per ruinam muri validioris, quæ nobis velut quemdam aggerem præstat, et æquatur muro inferiori. Quisquis virtutis vexillum præferens, primus in murum ascenderit, vel secundus, vel tertius, vel pluribus comes; haudquaquam mihi non donatus opimo abibit munere; etsi nulla major remuneratio quam fortitudinis gloria, quæ plerumque est tutior. Nam ubi primum animis et viribus confidentissimus quis ascenderit, fugient qui resistebant aut ad inferiora se conferent, aut latibulis abscondent: ita quod maximo nunc periculo sit, si in inferioribus quærimus; sine labore magno sequetur, ut dejectis hostibus bellum conficiatur.

## CAPUT XXVIII.

Vix sermonem Titus clauserat, et Sabinus se obtulit ex Syriæ viris, egregius bellator, et ante Cæsarem consistens, ait: Obedire se imperiis, ascensioni paratum, si eventus sibi adesset, ut Cæsari placeret: si [e] destrueretur secundis, nihil præter spem sibi accidere, qui judicio proprio delegisset pro Cæsare mori. His dictis lævam extendens, clypeum supra caput extulit, et dextera vibrans gladium, immane quantum in arma insurrexerit: ut quivis eum non cognosceret, quem paulo ante exilis corporis specie despicabilem putaverat, subito cum videret pergere in adversum, et hostibus pariter et muris minantem sese extendere, quasi

[a] *Armatis.* BARR.
[b] *Fortia sint.* ID.
[c] *Degere.* ID.
[d] *Vel.* ID.
[e] *Destitueretur.* BARR.

jam celsior in subjectos præliaretur, et murum quateret manu. Sequebantur eum undecim viri studiosi ad imitandum, sed impares ad consequendum. Repugnabant de muro judæi spiculis, saxis, sagittis : et quod cujusque manus invenerat telum, in Sabinum dejiciebatur. At ille interritus, cursu concito insiliit in fragmentorum aggerem, et in summo locatus, hostem avertit, dum proximus quisque formidat periculum. Sed dum se librat in murum attollens, et securus victoriæ in hostem intendit, lapsus in faciem, cum maximo sonitu ruit. Quo revocati Judæi, cœperunt jacentem missilibus urgere. Ille genu nixus, et se protegens scuto quam diu potuit, a vulnere defendit, nec immunem reliquit, quem proximum reperit. Ad postremum tamen [a] consertus vulneribus, spiritum prius quam bellum deposuit, nec dejectus gradu, nec muro excussus est, nisi mortuus : tribus quoque aliis necatis, octo semineces, licet a cæteris tamen exitio subtracti.

## CAPUT XXIX.

Nec [b] tantum non terrori reliquis mors Sabini, sed incentivo fuit. Nam Romani viri qui prætenderant vigiliarum munia, compensare cupientes operis effectu, quod Sabini studio præventi forent, viginti numero ineunt consilium magnum et memorabile : ut advocato quinti ordinis signifero, et duobus equestris militiæ viris quos promptiores arbitrabantur, atque uno tubicine, quinta hora noctis silentio per aggeres sese fragmentorum muralium in superiora attollerent, cæsisque custodibus, Antoniæ murum occuparent. Quo peracto, terribilior solito sonitus increpuit tubæ, ut fessi labore Judæi et somno soluti, de improviso perturbarentur, quia omnia repleta hostibus crederent. Ante itaque fugere cœperunt, quam veri fides pateret. Neque enim periculi sors tenebrosæque noctis caligo patiebatur, ut quanti essent, cognosceretur. Et Cæsar audito fragore tubæ, armari exercitum jubet : ipse cum electis primus in murum ascendit, suis auxilio, hostibus impedimento. Illuxit dies, et jam Cæsar conspicuus e muro suos adhortabatur : alii manibus suorum in murum elevabantur, alii per cuniculum, quem Joannes ad subvertendos Romanorum aggeres defoderat, in urbem se [c] deferebant. Versa in perniciem perfidis subsidia sua, exclusi undique in templum se conferunt. Eo quoque volentes Romani irruere, cohibentur augustiis armisque repelluntur. Fit in vestibulo grave prælium, nec jam spiculis aut sagittis, sed gladiis cominus geritur, manus ad vulnera, gladius super gladium, ictus super ictum, percussor cæsorum sanguine perfundebatur, ut ipse potius percussus æstimaretur. In ipso templo furor bellicus dominabatur. Natabant pavimenta sanguine : morientium gemitus, vincentium clamores sine ordine et modo personabant : Romanos perficiendi certaminis spes accenderat, Judæis suprema patriæ excidia ademerant mortis formidinem. Hi sumptu gloriæ virtutem alebant, illi desperatione salutis omne effundebant virtutis viaticum, nec reservabant.

## CAPUT XXX.

Pulcherrimum quoque facinus adorsus est Julianus centurio, vir armis maximus, ex Bithynia profectus provincia, sed Romanis assuefactus disciplinis bellisque exercitus, et honoratæ militiæ clarus stipendiis. Qui cum prope Cæsarem adstaret, ubi [d] adversos vidit Romanos, quia Judæi numero præstabant, et adhuc Romani pauciores aderant, subito de Antonia se proripuit, et insequentes avertit : nec sunt ausi resistere, ipsa specie præcellentissimi viri, et superba quadam ultra humanam formam virtutis auctoritate, ita ut ipse Cæsar miraretur. O varia atque incerta, velut quædam bellorum alea! quæ sicut jactu quodam, ita casu quodam potius quam virtute, plerumque inopinatis ludit eventibus, sufficiens novos exitus. Namque et hic jactus sunt, non tesserarum quidem, sed sagittarum, telorumque plurium, lapidum quoque, quibus sæpe victor sternitur alieno vulnere. Et dum aliena spolia rapit, ipse despoliatur : velut hic Julianus, qui tergo imminebat hostium, dum alios perimit, et claustro coercet. ipsa alacritate incautior, confixum clavis calceamentum gerens, usu militarium virorum : non consideravit polito lapide solum stratum, quod cavendum foret; sed quasi in campo præliaretur securus, labitur, et ingentem strage sua sonitum dedit. Nec potuit assurgere lubrico solo fusus, genu tamen se sustinens, regressum hostem repellebat ut appropinquantes cæderet, jaculantes quantum posset, caveret. Sed ipsa fatigatus atque oppressus multitudine, solus licet, quia nullus tanto se inserere periculo auderet, non despicabilis tamen, neque inultus, impigre occubuit. Haud equidem, ut arbitror, tali dignus exitu fuit, ut tanta virtus viri sic deciperetur. Sed plurimum in bello prudentia valet, quæ cauta semper et perspicax incertorum providet casus. Solus se de Antonia proripuit, solus in hostilia agmina ruit, solus se armatis miscuit, solus in templum Judæos redire compulit. Vereor ne istud obfuerit magis, quia de templo fuerunt exterminandi Deo infideles, ideo lapsus non invenit remedium. Spectabat Titus vincentem cum gaudio, periclitantem cum ingenti dolore : volebat subvenire, sed longe aberat. Revocabatur a suis, quia in milite unius sors est, in imperatore universorum periculum : docebat exemplum, quid cavendum potius, quam sequendum Cæsari foret. Denique sic consternati fuerunt socii, sic elati adversarii, ut et corpus Juliani in potestatem veniret hostium, quasi adhuc et defunctum timerent, si Romanis restitueretur. Cæteri Juliano cæso, facili negotio cessere. Nondum enim ascenderant numerosi, et Judæis occasio necis ejus vir-

[a] *Confectus.* Barr.
[b] *Tamen.* Id.
[c] *Inferebant.* Id.
[d] *Aversos.* Id.

Digitized by Google

tutem auxerat: promptissimis eo prælio ad repellendos Romanos Alexa et [a] Gitteo Joannis conjuratis, qui factionis ejus propugnatores forent: ex Simonis quoque parte Melchio et Jacobo Idumæorum duce egregiis bellatoribus: Arsimone quoque et Juda tertiæ factionis viris pariter adnitentibus, qui conjuncta manu pulsos Romanos intra Antoniam clausere.

## CAPUT XXXI.

Contra Titus non munimento sibi, sed impedimento angustias Antoniæ ratus, jubet dirui munitionem ejus funditus, ut congressuris iter in hostem aperiretur. Compertoque quod solemnitas Judæis festorum dierum appropinquasset, præcepit interpretari Josephum Hebræo sermone, quæ ipse alloqueretur. Quæ, malum! ratio Joanni suaderet, ut [b] Romanos lacesseret. Si virtutis fiduciam gereret, eligeret alium pugnæ locum: eo progrederetur, dummodo urbi parceret: templum non contaminaret, sacrificia festorum dierum non impediret: relinqueret quos idoneos sacrificiorum ministeriis æstimavisset; fortitudinis suæ documentum ubi vellet præter urbem et templum, ederet: congressioni milites Cæsaris non defuturos: invitum se cogi ad totius urbis eversionem: cujus reliquias servare vellet, si pateretur Joannes: imminere templo faces, non quod templum Romani festinarent exurere, sed e templo educere belli incitatores. Si victos se crederent, manus darent: at si victores futuros sperarent, non intra claustra se reciperent, sed in campis defenderent, quo templum labentibus jam incendiis eriperetur, vacaret purificationibus. Et interpretante Judæis Josepho, cum silentio audita, tacitum vulgus probabat, sed metuebat sententiam suam pandere: quibus respondet Joannes, nullum præstabilius Deo esse sacrificium, quam pro aris, pro focis, pro templo ponere animam, viros Deo sacratos: et ideo si necesse sit, libenter procumbere pro libertate, tamen sperare se, quod excidium perpeti non possit civitas Dei. Titus ad hæc: Merito igitur puram Deo servatis urbem et sanctum immaculatum, necando cives, interficiendo innoxios, perimendo sacerdotes? Talibus flagitiis non placantur divina, sed offenduntur. Abdicastis Deum vestrum sacrificiorum cultibus. Si tibi aliquis negaret cibum, Joannes, quæreres eum: Deo vestro suæ hostiæ non immolantur, non redduntur sua munera, jugulantur homines, et adhuc putas Deum auxiliari? Revera sic gesta edocent, testificatur cæsorum congeries, et cumuli vestrarum calamitatum. Quis hæc videns, non ingemiscat? Nec reprehenderem, quod pugnares pro patria, si nollem parcere, si nollem patriam vestram aut templum reservare. Neque enim digna Carthago, aut metuendus Hebræus Annibali, qui partem mediam orbis Romani subegerat: et tamen ipsa quoque reparata Carthago, quæ usque ad excidium sui rebelles civium animos tulit. Fide mea, salva hæc omnia tibi futura spondeo, veniam tibi salutis polliceor, non pro mercede sceleris, sed pro redemptione urbis, ut a te redimam periturorum culminum statum. Desinas moneo latrociniis tuis conturbare propositum pietatis Romanæ. Non [c] formidabitur Hierosolyma, ut diruatur: quando potior viribus reservata est Antiochia. Certe Jechonias vester et Persis credidit, et urbem egressus, commisit se cum suis proximis barbarico furori, ne propter se civitas everteretur. Celebratur a vobis ejus memoria, sicuti vestri asserunt: id est Josephus assertor ejus, celebritatisque testis, qua honoratis virum, qui pro patria se captivitati obtulit. Servavit eum et barbarus Persa, et ego tibi spondeo impunitatem. Certe et Josephus arma Romanis adversa intulit: crede promisso, cujus et exemplum præmisimus. Vadem tibi sponsionis nostræ Josephum damus: immo jam dedimus, quem reservavimus. Loquatur vobis sermone patrio, obliget se ritu quo soletis: non pudet me vadem quærere, fidejussorem dare, ne eversorem exhibeam, qui volo parcere. Flere ad hæc Josephus, rogare Joannem, deplorare patriæ statum, obsecrare sermone flebili, appellare ut civem, sed cæteris pertinaciorem: testare Dei omnipotentis gratiam, salvum fore cum suis; tantummodo desisteret excitare militem Romanum ad urbis eversionem. Quem ubi flectere nequivit: Non mirum, inquit, Joannes, si perseveras usque ad excidium patriæ, cum jam reliquerint eam præsidia divina. Sed mirum quod perituram non credis, cum legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annuntiata sunt, et reparata culmina, rursus a Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quod jam factum erat, sed quod post futurum, prophetabat: quæ est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis fore, nisi ista quæ nunc imminet? quod est illud oraculum, quod a nobis sæpe commemoratum est, a summo denuntiatum Deo: tunc scilicet perituram urbem funditus, cum civium manibus contribulis suus fuerit exstinctus, nisi quod nunc impleri videmus? et fortasse, quia jam defendi templum non placet, interdicto maculatum sanguine, purgari incendio placet.

## CAPUT XXXII.

Complevit sermonem Josephus, sed nullis Joannes movetur fletibus, nec promissis flectitur. Urgebat Deus jamdudum perfidas mentes, ex quo impio se parricidio commacularunt. CHRISTUM JESUM cruci suffigentes. Hic est ille cujus mors Judæorum excidium est: Natus ex Maria: qui *ad suos venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11). Quando enim suos non occiderunt Judæi? Nonne filium Saul sui occiderunt? Naboth propheta a suis utique lapidatus est: Judæa fuit Jezabel, quæ jussit Judæis, senioresque præcep-

[a] Josephus *Gyptheo*. Et mox *Malachia* pro *Malchio*. BARR.

[b] Vetus cod. *Romanos in templi excidium lacesseret*. ID.

[c] *Formidabilis*. ID.

Digitized by Google

tum executi sunt. Judæus Achab, qui causa mortis ejus factus est. Quanti alii a civibus cives peremti et tamen diu integra civitas mansit, etsi diruta a Babyloniis post annos innumerabiles, sed reparata postea! Hoc est supremum excidium, post quod irreparabile templum, quia averterunt sceleribus suis præsulem templi, reparationis arbitrum.

## CAPUT XXXIII.

Tali affatu Cæsaris et repetita oratione, inflexa est aliquorum sententia, qui se subtrahere potuerunt, ut ad Romanos convenirent. Cæteros revocavit periculi metus, qui a latronibus intendebatur (et forte quædam inclinatio mentium erat, ne plures eriperentur futuræ eversioni): quos Cæsar confugientes ad se, quia erant inter eos et viri sacerdotales cum filiis, et alii splendidioris familiæ viri, suscepit bona gratia, pollicens securitatem salutis, jus possessionum suarum; atque ad urbem cui nomen Gosna, direxit: ne quid offensionis oriretur ritu dispari et cultus diversitate. Quod ab his, qui in urbe positi repugnabant (seu quia hujusmodi suspicio incesserat, sive illius composuerat dolo, ne plures dilaberentur) in argumentum est derivatum necis, ut exstincti objicerentur. Eo comperto, revocatos Titus jussit cum Josepho proplus muros obire, ut a suis agnoscerentur. Illi cum lacrymis gemituque magno, non sua deflere, sed patriæ templique excidia: rogare cives, ut sequerentur Cæsaris fidem, eriperent templum parato incendio, nihil sibi adversus legem præceptum, nihil de libertate imminutum. Acquiescerent et ipsi experirentur Romanorum clementiam, quorum insuperabilem virtutem experti sunt.

## CAPUT XXXIV.

Cum talia miserabiliter deplorarent, proturbantur a suis, bellumque accenditur: insiliunt Judæi, atque in ipsa irrumpunt [a] temeritate penetralia. Omnes recessus, omnia secreta occupant, quæ inaccessa viris erant sacrorum exsortibus. Romani quoque se prælio parant: temerantur interdicta patrum belli necessitate, majore tamen Romanorum, quam suorum reverentia. Gentiles enim cum formidine templum spectabant, Judæi cum furore ac temeritate adibant; et madidas manus humano gerentes sanguine, ipsa attractabant altaria. Titus tamen adhuc in proposito manens, alloquebatur Joannem, et invitum se deduci ad excidium urbis et templi contestabatur, dicens ad eum: Quid sibi volunt, Joannes, impressi illi ante fores templi apices elementorum? Nonne significant neminem, nisi sacratum debere templo appropinquare? Quid illa septa pro templo? Nonne, ut conspectus arceant universorum liberos, solisque [b] mysticis pateat secretorum cognitio: atque his sit liber aspectus, quibus est legitimus ingressus? Prospectus excluditis peregrinorum, et accessus cogitis. Scribitis, ut nullus ingrediatur advena, nullus peregrinus introeat; et peregrinum san-

A guinem intra templum funditis, advenarumque simul et civium cruore vestra altaria commaculatis. Testificor ego non impressionis nostræ esse, sed vestræ prævaricationis, quod violatis quæ vestra sunt. Ego alienus non exigo, immo obtestor, si velitis discedere, incolume templum futurum: neminem Romanorum hostiles irrogaturum manus, nihil de vestris temerandum esse sacrificiis. Servabo templum vobis [c] et proselytis; cultus enim sacrorum diversus, sed operis communis usus: Quod cultus fuit, a vobis recessit: quod operis est, victoribus remansit.

## CAPUT XXXV.

Ubi ne his quidem per Josephum insinuatis revocari Cæsar advertit (factionis enim principes putabant diffidentiæ potius, quam pietatis esse tam B frequentem desistendi conventionem), ad prælium necessitate invitus revertit, jubet adesse Romanos. Sed quia tantæ multitudini angustia impedimento erat, triginta electis viris, singula deputat bellatorum millia. Non enim totum exercitum reciperent tam densa ædificiorum obstacula. Ipse quoque simul descendere volens, revocabatur a suis, ne in angusto nocturnis etiam plerumque temporibus, quibus necesse erat insidiantium fraudi occurrere, periculi aliquid in se excitaret: cum amplius proficeret, si spectator belli adesset, quæ unusquisque promptius sibi, decernendum arbitraretur, sub oculis Cæsaris præliaturo. Omnia enim quæ circa templum gererentur, velut in theatro quodam, ex loco Antoniæ desuper C visebantur. Inflexus ad eam sententiam Cæsar, Cereali mandat negotium, ut prætendentibus circa templum Judæis, hora noctis nona superveniret, cæterosque hortatur studiose ingruere certamine; se quoque dimicantium meritis non defuturum, cum desuper aut ignaviæ cujusque testis, aut virtutis arbiter pugnam examinaret. Cerealis præscripto tempore impigre adest, sed custodes vigilantes reperit: prælium conseritur. Siquidem et intra templum sibi non dormiebant, et congredientibus qui excubias obibant, facile se cæteri ad bellum pararant. Conferto agmine, instabat Romanus: Judæi, dum claustris atque angustiis nituntur, ne circumvenirentur, percursabant diversa: ut frequentius sibi a suis esset periculum, dum in tenebris non cognoscerentur, et D plerumque transfigerentur a sociis, dum hostes putantur. Quis enim nocte discerneret, socio an hosti occurreret? cum interrogare serum esset, cavere utile, consultum prævenire: et tolerabilior culpæ exitus, errare in alieno vulnere, quam proprium eligere periculum, ubi hostis timetur. Ancipiti itaque per noctem periculo laborabant Judæi, vel quod inferret hostis, vel in quo socius erraret. Nec minore per diem Romanus vehementior aderat, quem totius spectator certaminis Titus vel tacitus urgebat. In horam quintam pugnatum est acriter: Judæis quo-

[a] *Temere*. BARR.

[b] Forte *mystis*. GALLAND.

[c] *Etsi nolitis*. BARR.

que strenue rebellantibus, ut neutra pars loco cederet.

## CAPUT XXXVI.

Dum hæc inter se prælia gerunt, septem dierum spatia depositis omnibus usque ad fundamenta terræ, quæ castro cui Antoniæ nomen, Herodes immuniverat, latior facta est via quæ ad templum ducebat: ut non solum percursandi militibus esset facultas, sed etiam in munimentis constituendis et coacervandis aggeribus, quantum esset necessarium locorum, pateret, quo pulsarentur etiam templi fastigiorum summa: per quæ Romanis intentius immorantibus, eum [a] intolerabilius fame urgerentur Judæi, cœperunt insidiari Romanorum jumentis: si quis bellatorum equum pabulo laxaverat, aut mulum levando oneri necessarium, rapto avertebant, nec B solum cibus eis dispendio Romanorum, sed etiam flagitio, [b] petebatur. Cujus incuriæ probrum in exordio statim, præscripto necis supplicio, Cæsar removit; fraudem tamen, pervicaciam non compescuit. Exclusi enim ab hujusmodi rapinæ necessario esurientibus alimento, herbarum subsidia captantes, destruendum murum quem circa pomarium Titus duxerat, cogitaverunt, ut vagandi et exquirendi radices arborum, pabulorumque liberior fieret excursus, quos ad cujusdam carceris vicem circuitus muri clauserat, nec erat jam, quo famem levarent. Obrepunt itaque et excursu repentino ad montem Oliveti ingruunt prætendentibus: nec illi commisso defuere muneri, et tubæ classico de cæteris castrorum aut turrium munimentis alios accerserunt ad prælii [c] so- C cietatem. Conseritur pugna acrior in principio: dum pudor hos, illos fames urget sævo imperio ac necessario; sed confluentibus Romanis repelluntur Judæi, atque ad urbis suæ muros reflectuntur. Tunc unus e turma equitum, Pedanius nomine, concito equo, dextram extendit, et se paululum inclinans, unum de Judæis fugientem suspendit, captivum Cæsari ferens, gloriosæque victor rapinæ, velut lepusculum aquila, aut accipiter fulicam ante pedes Cæsaris viventem dejecit. Quo delectatus admodum Titus, laudatum eum et honoratum dimisit.

## CAPUT XXXVII.

Jam circumfusæ templi ardebant porticus: ubique luctus, ubique mors: foris bellum, intus supra bellum et incendium. Nec frangebantur animis Judæi: D putabant vindictæ perire, quidquid sine fraude gererent vel insolentia. Quando aliter jam nequibant, provocabant Romanos ad excidii celeritatem. Jonathes quidam exiguus corpore, despectu dignior, juxta Joannis sepulcrum lacessebat Romanos, ut secum qui vellet, manu decerneret. Aliis despicientibus pusillitatem hominis, aliis fastidientibus cum eo decertare, quem continuo captivum habituri forent, aliis considerantibus periculoso certamine rem geri cum viris, qui in extremis salutis non aliqua fortitudine, A sed sola temeritate vindictam quærerent: nihilque laudis futurum, si vinceretur excidio finitimus: et plurimum dedecoris, si quis lapsu aliquo communem victoriam turparet. Jactabat se insolentissimus, et metum objiciebat victoribus: convicia ferens, quod non suis viribus, sed alienis auxiliis Romani innitterentur; nec Judæos bello hostium, sed domesticis afflictos seditionibus. Erat in numero militum Romanorum Pudens nomine, qui præstrictus inanibus contumeliis, dum inconsulte pudori consulit, salutem neglexit, atque ipsa indignatione incautior, vulneri patuit, fususque in terram, incussit sociis verecundiam: insultationis quoque causam Jonathæ simul et mortis reliquit. Namque is successu lætus certaminis, et pompam attollens triumphi, dum tripudiat B atque exsultat, concussoque clypeo simul et gladio proludit, excitavit in sua vulnera centurionem Priscum, qui superba et tumida jactantem non tulit, atque incautum victoria penetravit ictu sagittæ. Quo stratus Jonathes, docuit in prælio neminem irrationabiliter insultare oportere: ubi victoris et victi conditio incerta, donec bellum claudatur.

## CAPUT XXXVIII.

At in urbe interiore, cum hostem intra muros cernerent altissimis eminentem aggeribus, universisque imminentem mœnibus, tanquam vulnus in corpore, ita periculum introrsum pergere reformidarent, intercidunt porticum septentrionalem ex ea parte qua adhærebat Antoniæ, ne per ipsam hostis in templi superiora ascenderet, vel in inferioribus C sitos superior urgeret: et proxima quæque demetunt, ne populantibus incendiis templo finitima, etiam templum ipsum ignis depasceretur, atque intercisa igni exurunt: ita quod ab hoste metuebant, priores cœperunt. Salomonis quoque porticum ad fraudem pararunt, ut culminum interiora replerent pice ac bitumine, quæ [d] infra fornicem summi laterent fastigii, simulatoque quod eam vellent defendere, et frequentes hostes incesserent, sollicitant Romanos atque in sese excitant. Illi admotis scalis, summa porticus petunt: Judæi loco paulatim cedere, quod plures Romani ascenderant. Hi certatim irrepere, tamen prudentiores suspecti doli cavere: sed vulgus intentum victoriæ, præfestinare, ubi res fraude carere visa, plurimis quasi inter retia loca- D tis, admovetur ignis fornicibus interioribus, atque [e] additis pice et bitumine atque cæteris incendii nutrimentis, in totam diffunditur porticum. Circumvallabant flammæ victores Romanos, ut nec resistendi facultas suppeteret, nec fugiendi copia: quid facerent non reperiebant. Spectabat Titus suos periclitantes, indignans quidem quod injussi ascenderant, sed miserans quod victores perirent. Plerique se præcipitio dabant: sed ubi incendium evaserant, fractis cruribus, collisi corpore moriebantur: miserius erat, si debiles supervixerent. Volebat subve-

[a] *Intolerabili.* Barr..
[b] *Pariebatur . . . . . injuriæ.* Id.
[c] *Necessitatem* Barr.
[d] *Intra.* Id.
[e] *Adustis.* Id.

Digitized by Google

nire Cæsar, nec poterat : hortabatur tamen proximos, clamabat ut auxilio suis essent. Has voces, hunc dolorem Cæsaris, pro supremo illi habebant solatio. Hoc erat morituris viaticum, hoc se velut sublimi solantes sepulcro ad mortem festinabant, quod in visceribus Cæsaris reconderentur : nec vita eorum periret, quorum viveret gloria qui morerentur pro Cæsare, relinquentes sui hæreditatem triumphum. Itaque alii circumveniebantur ignibus, alii præveniebantur; nec longe hostis, qui flammas fugientem feriret.

CAPUT XXXIX.

Longinus tamen egregiæ virtutis vir, cum provocaretur a Judæis, ut sese his committeret promissa salutis securitate, maluit se solum transfigere gladio, quam maculare probro Romanæ indolis fortitudinem. Artorius autem satis astute voce magna clamavit Lucium, dicens : Hæres mihi eris, si me decidentem exceperis. At ille miserandus occurrit ruenti, atque in se morituri necem transfudit. Vere bellicum testamentum, non atramento scriptum, sed sanguine ; nec in charta, sed in mucrone. Quod hæredem promisit, magnum plane ingenium, ut inveniret voluntarium mortis vicarium. Incensa est itaque porticus usque ad turrim, quam Joannes cum bellum adversus Simonem gereret, exædificaverat super portas regiæ domus, quam Ezechias sibi rex ad habitandum condidit : reliquam ejus partem ipsi diruerant Judæi. Sequenti quoque die a Romanis exusta est omnis porticus septentrionalis, usque ad porticum orientalem. Nam cum suis ipsi manus injicerent ædificiis, docuerunt Romanos [a] illis non parcere. Nuda erat jam templi facies, et sæva hominum fames : insidiabantur sibi invicem, quis cui raperet cibum. Ubi alimenti suspicio, ibi bellum inter domesticos. Pugnabatur pro cibo, necabantur charissimi, discutiebantur defuncti, ne quis intra amictus eorum cibus lateret. Simulate aliqui mortui æstimabantur, ne viventes aliquid habere alimenti suspectarentur : sed ne viventes quidem, aut vitæ fungi munere, aut mortem simulare poterant. Verum aperto ore sicut rabidi canes, aurarum captantes spiramina, huc atque illuc circumferebantur inopia duce. Sæpe etiam quasi ebrii in eadem domicilia regrediebantur, ut iterum quæ vacua reliquerant, perscrutarentur. Et cum alia famis solatia non reperirent, detrahebant coria scutis, ut cibo essent sibi, quæ præsidia non essent. Mandebant calceamentum : nec pudor erat solutum pedibus suscipere ore, et lingua lambere. Vetustæ quoque paleæ quæ olim projectæ fuerant, non mediocri studio requirebantur : et si quis repererat, grandi pretio mutuabat.

CAPUT XL.

Quid adoriar dicere factum Mariæ, quod cujusvis barbari atque impii mens perhorrescat?

Ea erat de locupletioribus feminis regionis Pereæ quæ trans Jordanem jacet. Belli [b] horrore oborto, cum cæteris se in Hierosolymitanam urbem contulerat, quod esset tutior : eo quoque suas devexerat opes, quas principes factionum certatim invasere. Alimentorum etiam si quid pretio quæsiverat, de manibus eruebatur. Exagitabatur a perfidis, diras imprecabatur, volebat mori, sed percussorem non inveniebat. Malebant insultare diutius, affligere gravius, quam cito perdere. Putabant quamdiu viveret, prædam fore. Defecerant jam omnia, et deliciis assueta, asperiora palearum vel coriorum dura non emolliebat. Sæva fames intimis se infudit medullis, exasperavit humores, mentem exagitavit. Habebat mulier infantulum quem genuerat. Vagitu ejus excita, cum se et parvulum commacerari videret, tandem victa immanitatibus atque impar tam atroci calamitati, affectum amisit : et pietatis genitalis usu obliterato, dolorem absorbuit, furorem assumpsit. Conversa itaque ad parvulum jam matrem oblita, et furens animi sic ait : Quid tibi faciam, parvule, quid faciam tibi? Sæva te circumstant omnia, bellum, fames, incendia, latrones, ruinæ ; cui te moritura credam, aut cui te tantillum relinquam? Speraveram, quod si adolevisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam. Certe si prævenires obitu, quod ego te pretioso tumulo meis manibus includerem. Quid agam misera? vivendi tibi ac mihi nullum subsidium video. Omnia erepta nobis, cui te reservabo? aut certe quo condam sepulcro ne canibus alitibusve vel feris præda sis? Omnia, inquam, erepta nobis. Potes tamen, dulcis meus, et sic matrem pascere : idoneæ ad cibum manus tuæ. O mihi suavia viscera tua, artus jucundi, prius quam vos penitus consumat fames, reddite matri, quod accepistis: redi, fili, in illud naturale secretum, in quo domicilio sumpsisti spiritum : in eo tibi tumulus defuncto paretur. Ipsa complectar quem genui, ipsa exosculabor : et quod impatientia amoris habet, habeat vis necessitatis, ut ipsa devorem meos artus, non simulatis, sed impressis morsibus. Ergo esto cibus mihi, furor latronibus, et vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus nostris. Quid faceres, fili, si et tu filium haberes? fecimus quod pietatis fuit, faciamus quod fames suadet. Tua tamen causa melior, et quædam pietatis species; quia tolerabilius est, quod matri dederis cibum visceribus tuis, quam quod te mater, aut occidere potest aut devorare. Hæc dicens, averso vultu gladium demersit, et in frusta filium secans igni imposuit, partem comedit, partem operuit, ne quis superveniret : sed nidor incensi pervenit ad principes seditionis; continuoque odorem secuti, introierunt mulieris hospitium, minantes necem, quod ausa esset jejunantibus ipsis edere atque exsortes eos facere cibi, quem reperisset. At illa, partem inquit, vestram vobis servavi : non fui avara nec inhumana;

[a] *Alienis*. Barr.

[b] *Terrore*. Barr.

Digitized by Google

nolite indignari, habetis quod et vos edatis, de meis vobis visceribus cibum paravi. Considete ocius: mensam apponam: mirari habetis, et ministerium meum [a] indicate, quod talem nullius inveneritis mulieris affectum, quæ vos nec dulcis filii fraudaret gratia. Hæc dicens, simul redoperuit ambusta membra, et epulanda obtulit cum adhortatione hujusmodi sermonis: Hoc est prandium meum, hæc vestra portio: videte diligentius, ne vos fraudaverim. Ecce pueri manus una, ecce pes ejus unus, ecce dimidium reliqui corporis: et ne alienum putetis, filius est meus; ne alterius opus arbitremini: ego feci, ego diligenter divisi mihi quod manducarem, vobis quod reservarem. Numquam mihi fuisti dulcior, fili: tibi debeo, quod adhuc vivo. Tua suavitas animam tenuit meam, et produxit matri miseræ diem mortis. Subvenisti in fame: tu munus supremum senectæ, percussorum repressor. Venerunt necaturi, convivæ facti sunt: habebunt ipsi quod [b] tibi debeant, cum epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum, quid horrescitis animo, cur non epulamini quod mater feci? Possunt et vos delectare, quæ matrem exsaturarunt. Non esurio jam, postquam me filius meus pavit: abunde exsatiata sum, famem nescio: Gustate et videte, quia suavis filius meus. Nolite fieri molliores matre, infirmiores muliere. At si vos in meo vulnere misericordes estis, et non suscipitis hostiam meam, atque aversamini holocaustum meum; ego consummabo sacrificium meum, manducabo quod reliquum est. Videte ne vobis opprobrio sit quod fortior vobis mulier reperta sit, quæ absumeret epulas virorum. Ego quidem tales paravi epulas, sed vos sic epulari matrem fecistis: me tenebat passio, sed vicit necessitas.

## CAPUT XLI.

Replevit continuo totam urbem tanti sceleris nefas, et [c] utriusque tamquam ante oculos positum, parricidalis convivii ministerium perhorrescebat. Cœperunt et ipsi incentores seditionis examinare post hæc, quos raperent cibos, ne similes escas invenirent, et velut imprudentes sumerent. Cœperunt universi timere, ne diu viverent, et mori vellent. Pervenit etiam ad Romanos hujus facti immanitas. Nam plerique hoc horrore perterriti, ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar, exsecratus infelicis terræ contagium, manus ad cœlum elevans talia protestabatur: Ad bellum quidem venimus, sed non cum hominibus dimicamus; adversus omnem rabiem belluarum ac ferarum, quid [d] sensibilium loquor? adversus omnem rupium immanitatem decernimus. Diligunt feræ fetus suos, quos etiam in fame nutriunt; et quæ alienis corporibus pascuntur, a consimilium ferarum abstinent cadaveribus. Hoc ultra omnem acerbitatem est, ut membra quæ genuit mater, voraret. Mundus ego ab hoc contagio: tibi me absolvo, quæcumque in cœlo potestas es. Scis, scis profecto, quia intimo affectu pacem frequenter obtuli, et quod non pudet dicere, victor rogavi: quia parcere etiam ipsis tantorum flagitiorum prodigiorumque auctoribus volui, parcere populo, urbem servare: sed quid facerem repugnantibus, sed quid facerem adversus suos furentibus? Positis plerumque armis, quia illi a suorum cædibus non desinebant, in bellum reverti, ut liberarem obsessos, non perderem: ipsi nos de muris hortati sæpe sunt dimicare, ne gravius a suis perirent. Quales sunt cives, quibus hostis remedio est? Audieram equidem intolerabilem hujus esse populi ferocitatem, qui incredibilibus se opinionibus in omnem excitat insolentiam. De cœlo se genus ducere, ibi primum induisse corporis formam, cœli se fuisse incolas, descendisse ad cultus terrarum, de terris ad cœlum redire, transisse per maria sicco pede, fugisse ante se fluctus maris, conversa Jordanis fluenta in suum fontem recurrisse; stetisse solem, ut hi hostes suos vincerent, ne nox impediret: raptos in cœlum igneis curribus suos, præliatas pro se cœli potestates, et absentibus his universas hostium fusas copias, dormientibus partam victoriam. Hæc compereram, sed putabam quod divina circa se jactarent beneficia, non usquequaque audaciam extenderent, ut se nec a Romanis vinci posse arbitrarentur. Agnosco itaque cum his nobis esse prælium, qui se insuperabiles credant, cum se jactitent diluvii superstites, hæredes fluminum, terrarum hospites, viatores æquoreos, ascensores æthereos; quibus unda murus est, aer via, cœlum habitatio, cedunt flammæ, nec vincula tenent. Sitientibus petra solvitur, ac sese fundit in potus. Esurientibus cœlum aperitur, cibus mittitur, carne volatilium castra implentur, et panem angelorum manducat homo. Stringuntur liquentia, amara dulcescunt, sol [e] statuit, tenebræ illuminant. Postremo quid amplius potest esse, quando his audacia deesse potest? Qui, ut aiunt, mortui vivunt, et sepulti resuscitantur. Adversus divina quoque conspirasse hos homines opinio frequens, et pœna indicio est. Ardent hodie quoque terræ propter incolarum impietatem: plerosque etiam ex istis hiatus soli absorbuit. Quamdiu igitur in his locis morabimur? ubi et terrarum ruina est, vidimus et mare mortuum, vidimus etiam mortua terrarum nascentia, humum aridam, virentium fructuum umbras inanes, foris gratiam, intus favillam. Quis dubitare potest, quin apud inferos versemur, apud quos etiam elementa moriuntur? Ipsa quin etiam, quæ post mortem vivere solet, apud [f] quos naturæ pietas mortua et superstes defunctis religio. Quis enim parentes non etiam mortuos diligat? Quis enim amissos filios non amet, et loco pignorum teneat? Manet affectus, etsi pignus obierit, perseverat nomen naturæ, gratia non inter-

[a] *Judicate.* Barr.
[b] *Mihi.* Id.
[c] Forte *unusquisque.* Galland.
[d] *Sensibilia loquar.* Barr.
[e] *Statuitur..... illuminantur.* Id.
[f] *Hos.* Id.

cidit. Apud hos vero nec viventem mater recognoscit filium, nec appellantem audit, nec vagientis miseretur: et propter unius horæ exsecrabilem cibum, parricidales [a] injecit pignori manus. Sed quid quasi novum arguo, cum a parricidio fraterno generis sui numerent exordia? cum ipsius Abrahæ quem appellant patrem et disciplinæ auctorem ac sui principem cultus, in eo maxime fidem prædicent, quod nec filio parcendum putaverit, eumque sicut hostiam aris admoverit, atque holocaustum offerre non dubitaverit. Non condemno devotionem, sed quæro pietatem. Alium quoque e suis vovisse aiunt victorem, ut quidquid sibi primum occurrisset domum revertenti, immolaret Deo suo: et cum rediret, occurrisse filiam, atque illum injecisse filiæ manus. Multaque alia hujusmodi exempla. Qualis ista gens, quæ religioni tribuat hominis necem, et sacrificium putet esse parricidium? Quis Deus possit hoc exigere, aut qualis sacerdos qui hoc possit deferre? Denique [b] veterem illum quasi prudentiorem non fecisse aiunt, sed voluisse; istum quasi [c] consultiorem perseverasse. Habeant suos ritus [d] duriatum homines, apud quos disciplina est filios occidere. Infelix civitas, in qua talis officina, tale [e] mysterium est. Operiant eam ruinæ suæ, atque abscondant [f] invidi ipsi contagionem, ne sol videat, ne stellarum globus spectet, ne maculentur aurarum spiramina: purgatorius quoque ille exuret ignis. Thyesteas dapes fabulam putamus; flagitium videmus, veritatem cernimus atrociorem tragœdiis. Ibi enim firmior sexus et partus alienus: hic mulier, cui partus proprius fuerit cibus. Ibi aliena fraus, hic propria voluntas. Ille doluit, hæc insultavit: digna talibus viris esca, qui pertinaciter bellando mulieres suas ad tale perduxerunt convivium. Equidem eos tantis malorum afflictos acerbitatibus jam furere arbitror, amentesque factos, qui hæc non sentiant. Quare maturius bellum conficiamus, quia emendari non queunt: ingruamus instantius, ut fugiamus regionum istarum morientes aquas, terra ruentes.

## CAPUT XLII.

His dictis admoveri templo arietes jubet, sed nihil validi ictus proficiebant. Plerique tamen territi de ipsis seditionum principibus confugere ad Cæsarem, quos Titus tamquam necessitate compulsos, non quasi promissum secutos dubitavit suscipere, sed fides temperavit iracundiam. Non eo loci tamen habuit suo perfugas superiores, intentiusque suos urgere cœpit; ut universi hostium discederent perculsi metu. Sed ubi parietes inoffensos ab ictu arie- A tum mole sua viderunt permanere, aluerunt audaciam: ingenio tamen Cæsar præveniens, januas argento opertas succendi jussit, quibus igne admoto argentum defluere, deinde paulatim etiam lignum ardere: sic in porticum interiorem aditus patescere. Sed miseratus Cæsar, ne finitimis interioris vestibuli porticibus comprehensis, templum exureretur, ad consilium vocavit duces exercitus, dicens: non cum insensibilibus sibi certamen esse, nec bellum cum ædificiis, quæ victoribus proficerent, si inexusta reservarentur: duces tamen asserebant, [g] valetudinem parietum et munitionem templi, Judæis in reliquum quoque incentivo futuram, quibus esset grata insolentia; radices rebellionis eruendas funditus, ne iterum temeritas recrudesceret. Distulit tamen Cæsar B consilii tractatum in posterum diem. Verum Judæi se infundendos putarunt: sed Romani consertis clypeis, quamvis pauciores, primum impetum sustinuere. Nutabat tamen acies concursu innumerabilis multitudinis. Unde Cæsar cum equitibus propere adfuit, proterens facile quos reperisset, atque hostile agmen reflexit, eo fretus, quia jam pateret vestibulorum portio. Majore suorum manu sequenti die disposuit in hostem irrumpere, templum succendere. Quod factum eripuisset urbem incendio; nisi læva mens populi flammas in se hostium provocasset. Jubet enim Cæsar restingui ignium globos, ne irrupturis impedimento forent. Quod videntes Judæi, dum insidiantur volentibus incendia templi restinguere, cæsis aliquibus, hostem accenderunt: unus de Ro- C manis semiustam nactus materiem, quæ de fastigio deciderat, adulto igne portæ admovit quæ aurea nuncupatur, quod auro vestitas habebat fores. Liquefactus illico flammis auri rigor lignum nudavit, quod velut intecto latere patuit incendio. Exustis itaque valvis, in interiora se templi penetralia inseruit ignis. Jamque portæ ejus vestibula lucebant. Turbati omnes qui se templi munimine defensabant, trepidare illico; et quædam jam inclinatio mentium erat, illum diem esse templo excidialem, quia in ipso die quondam Babyloniis ingruentibus fuerat incensum, quia erat decimus dies [h] Joma mensis, quem jam dudum inter funestos annumerabant. In superiora quoque se aurarum spiramine ignis attollens, victoribus lætitiam, victis tanta labe dolorem D dignum infudit. Clamor quoque universorum exortus, nec multo post nuntius hostilis excidium Cæsari manifestum reddidit: qui se proripiens quanta poterat voce, restingui ignes jubebat. Sed neque per tumultum audiendi facultas erat, neque parcendi

[a] *Injicit.* BARR.
[b] Abraham intelligit. ID.
[c] *Inconsultiorem*, Jephte scilicet. ID.
[d] *Duri tamen homines.* ID.
[e] *Ministerium.* ID.
[f] *Mundi ipsius.* ID.
[g] *Validitatem.* ID.
[h] Cod. vet. *Loina.* Suidas *Loum* a Macedonibus Augustum dictum testatur. BARR. — Vide sis Dodwellum *de Cyclis veter. Græc. et Roman.* qui dissert. 9, pag. 397, menses Macedonicos cum Hebraicis ex Josephi sententia collatos exhibet. Cæterum Lous Macedonibus est mensis Julius. Neque tamen errasse putandus Suidas. Syromacedones namque Lexicographus intellexisse putandus, quorum annus a Macedoniano mense anteverti apud eruditos constat: ut propterea Λῷος qui Macedonibus est Julius, Syromacedonibus sit Augustus. Qua de re scite Fabricius in *Menologio*, pagg. 43, 45. GALLAND.

Digitized by Google

voluntas, cum Romani milites vindictæ studio fer- A verent, notaque pietas Cæsaris inobedientiæ metum suis demeret, nulli fraudi suis futurum, cum etiam hostibus ignosceretur. Nutu tamen et manu Titus revocabat, quos poterat, mandabat aliquibus ut inhiberent impetus militum. Sed ira duce [a] adolebat incendium, hostem urgebant desperatione salutis, jam sui prodigum et totum se expendentem periculis. Vulgus maxime ignobile feriebatur, ubicumque occurrerat, quia nullis munitum armis, nec repellendo vulneri, nec retorquendo idoneum erat.

## CAPUT XLIII.

Fatigatus itaque clamoribus Cæsar, gradum retulit, cum flamma adhuc conclavia templi depascebatur. Quibus depustis, in ipsam ædem se furens intulit. Qua specie plerique exanimati: alii se in ipsos B [b] misere ignes, quorum oculi ferre non poterant, ut superstites templo reservarentur. Rursus concurrit Titus cupiens cujusmodi ædes esset circumspectare. Cujus gratia motus, præcellentiorem omnium templorum fuisse operibus fatebatur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Nec immerito tantam fuisse loci celebritatem pronuntiabat, ut eo ex locis omnibus conveniretur, quia tantum non nisi summi Dei crederetur esse domicilium. Adjungebat honos fidem religionis, quo etiam barbarorum gentes templum illud venerabantur: et inferebant munera prædones [c] religionis, quæ tamen tunc diripiebant sui, et disperdebant latrones, irruentes in omnia quæ deposita viduarum fuerant vel pupil- C lorum, tamquam de victoribus vindicaretur, si quid ex præda Romanis minueretur. Templum quoque ardere conspicientes, ipsi incendebant cætera, ne quod excidio templi superstes esset ædificium: religioni deputantes, si omnia cum templo perirent. Nec adhuc tamen Judæi perfidiam deponebant: quæ causa majoris excidii fuit. Nam cum animi multorum inflecterentur, ut se, facto agmine, Romanis traderent, pseudopropheta quidam jactare cœpit in excessu mentis suæ, templo divina præsidia non defutura, vocare populum ad se velut quodam oraculo, adhuc se in templo suo manere illico repulsurum hostium cuneos, flammarum incendia. Sic miseri dum infeliciter falsis circumventionibus credunt, dedecores atque inulti sicut pecora trucidabantur. D Qui si voluissent credere, evidentia imminentis signa excidii habebant: quibus veluti claris vocibus admonebantur, finem sibi affore.

## CAPUT XLIV.

Nam per annum ferme supra templum ipsum cometes, passim ignis et gladii quamdam præferens similitudinem, denuntiabat quoque ferro et igni gentis et regni urbisque ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii nisi bellum? Quid ignis, nisi incendium denuntiaret? Visus est autem, prius quam populus a Romanis sese dissociaret: ipsis autem Paschæ diebus, Xanthici mensis octavo die, et per singulas noctes hora circiter nona, templum et ara ejus ita lumine refulgebat, quasi dies esset, per dimidium ferme horæ quotidie manens: quod vulgus interpretabatur, cumulandæ gentis indicium videri, eoque impulsi sunt, tamquam tempus afforet libertatis recipiendæ. Prudentiores contra opinabantur, quod id genus stellæ bellum soleat denuntiare. Nec quisquam arbitretur aliena nos a cultu nostro, et disciplina locutos. Primum, quia non quid nobis videatur, astruimus; sed quid acciderit, quæve opiniones tunc temporis fuerunt, quid prudentes senserint, quid imprudentes. Neque cum de secta Judæorum aliquid dictum est, ita scriptum videatur a nobis, quasi in veritate cultus eorum, non quasi in umbra et figura præmisso contexeremus, ut sequerentur perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Evangelio docemur, quia *erunt signa in sole, et luna, et stellis* (*Luc.* XXI, 25). Vitulæ quoque partu asseruerunt, cum immolanda astaret altaribus, in medio templi agnum editum, in ipsis sacrorum (quæ supra memoravimus) celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære gravem, quæ soleret ad vesperam viginti virorum multo claudi labore, obseratam vectibus ferreis, per aliquot noctes sponte reseratam, et vix postea a custodibus clausam. Id quoque arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur. Consultiores autem aiebant, custodiam templi resolutam videri, ut quæcumque intus forent, ab hostibus diriperentur: exiret cultus, introiret vastitas, evacuaretur celebritas, sacrificium destrueretur. Quod etiam ante quam crucifixissent Christum Jesum liquido significatum lectio docet. Post multos quoque dies, figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexere, sicut libri Judæorum manifestarunt: et ante solis occasum subito visi in nubibus currus et acies armatæ, quibus totius Judææ regionisque ejus urbes incursarentur. In ipsa autem Pentecostes solemnitate, ingredientes sacerdotes in templi interiora nocturno tempore, ut sacrificia assueta celebrarent, primo motum quemdam sensisse se prodiderunt, et sonum editum; postea etiam audisse repentina voce clamatum: *Transeamus hinc.* Jesus quoque Ananiæ filius, ruricola vir, ante annos quatuor quam bellum Judæorum populus adoriretur, in summa pace urbis et abundantia, cum scenopegia sacrificiis solemnibus celebrarentur, templum ascendens, cœpit clamare: *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolymam et super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super omnem populum:* hoc noctibus et diebus vociferabatur. Quo moti primores loci, corripuerunt eum, terribile vocis ejus indicium perhorrescentes, et plurimis

[a] *Adolebant.* BARR.
[b] *Mersere.* ID.
[c] *Regionis.* ID.

Digitized by Google

eum suppliciis affecere, quo saltem afflictus dolore, desineret terribilia et plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu ullo, nec verberibus aut gravioribus interminationibus territus, usum aut vocem mutavit, eadem denuntiationis perseverantia et contextione sermonum, nulla obsecrationis interpolatione in iisdem manebat, injuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquam perfunctorium rati, sed in excessu mentis, ut erat, exprimi, detulerunt ad loci judicem, qui tunc temporis a Romanis per id locorum, publica agitabat negotia. Is rimandæ veritatis gratia, sævissimis eum pœnis exulceravit: quo magis perseveraret, eo vehementius corripi flagellis hominem jubens, ut si qua secretiora futuri tumultus comperisset indicia, manifestaret. At ille neque flevit, neque rogavit, sed ad singula verbera non suum, sed patriæ excidium flebiliter plorabat, dicens: *Væ Hierosolymis.* Neque, interrogatus quis esset, vel unde, vel cur eadem diceret, responsum reddidit: sed tantummodo lamentationem illam patriæ, questu miserabili prosequebatur. Defessus itaque Albinus (hoc enim nomen viro) dimisit eum, tamquam dementi furore, quid diceret, non sentientem. At ille neque sermonem ullum cum quoquam habebat, nec aliud loqui per reliquum tempus auditus est, sed hoc tamquam lugubre atque funereum canticum canens, diebus ac noctibus jugiter resultabat: *Væ Hierosolymis.* Neque verberanti conviciabatur, neque cibum impartienti gratias agebat. Una erat ad omnes, eademque plena funebris ululatus responsio, et maxime sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos et quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus mansit. Itaque indefessus tanto tempore, ubi obsidio cœpit, eadem illa vociferari destitit, quasi cessare oporteret denuntiari, cum adessent, quæ fuerant denuntiata. Sed ubi flamma cœpit pariter urbem et templum involvere, circumiens murum, clamare iterum cœpit: *Væ civitati, populo et templo.* Et ad postremum addidit: *Væ etiam mihi:* et [a] fundibulo ictus, in eadem voce emisit spiritum. Urbem quoque ipsam cum templo, vetustis litteris scriptum erat tunc perituram, cum tetragonum templum factum fuisset. Itaque sive obliti, sive obstupefacti ingruentium malorum necessitate, ubi occupata est Antonia, tetragonum circuitum templi fecerunt. Inter quæ illud præcellentissimum, quod in litteris æque vetustis quas sacras vocabant, manebat impressum, quod secundum illud tempus, futurus esset vir, qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putarunt; prudentiores ad Dominum Jesum, qui [b] eorum in
A terris secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per universa terrarum spatia diffudit. Tantis itaque rebus [c] advenientibus, non potuerunt capere, quod divinitus decernebatur.

## CAPUT XLV.

Fugientibus itaque auctoribus seditionum cum templum exureretur, Romani posuerunt signa intra circuitum templi ipsius, et contra portam orientalem sacrificaverunt, imperatorem Titum summis prædicantes vocibus. Interea puer quidam eo loci, ubi etiam sacerdotes erant, quos et inopia aquæ et æstus finitimi incendii commacerabat siti, rogavit unum de custodibus Romanis dexteram sibi dare, potum offerre. Porrexit illico, ætatem pariter miseratus ac necessitatem: bibit puerulus: et quia sedulo inno-
B xiæ creditum fuerat ætati, rapuit aquæ vas, et cursu sese proripuit, ut etiam sacerdotibus bibendi copiam ministraret. Voluit sequi miles, sed non potuit comprehendere. Ille periculo suo sacerdotum sitim levavit. Bona fraus, quæ neminem læderet, subveniret necessitati. Denique miles ipse miratus est magis affectum pueri, quam dolum detestatus, quod in illa ætate excidio totius urbis et communi periculo, quid deberetur reverentiæ sacerdotibus, quod potuit ministerium, non inexpressum reliquit. Nec multo post sacerdotes confecti fame et siti, vitam rogarunt. Quos Titus jussit occidi, degeneris animi esse respondens,[d] ut templo et muneri cuperent supervivere.

## CAPUT XLVI.

Joanni autem et Simoni et cæteris principibus se-
C ditionum rogantibus, ut paulisper cessare jacula telorum et strepitum juberet; dicendique sibi potestatem daret, ab indulgentia non abhorreret: facto silentio ita respondit: Serum, nequissimi, tempus ad misericordiam, cum jam quid reservetur, nihil relictum sit. Offerebam vobis, et despexistis, et diffidentiam putastis, non indulgentiam. At ego innoxia ædificia vestro scelere perire ingemiscebam, vulgus ignobile cogi ad mortem dolebam: parcere volebam, vos non sinebatis: suspendebam prælia, vos irruebatis: pacem offerebam, vos non recepistis: alloquebar frequenter, crebro conveniebam. Non pudet dicere, insolentiores vos feci rogando. Quid putabatis? quod Romanæ acies vobis cederent, et multitudine circumveniretis victorem omnium terrarum
D exercitum? Quota portio orbis pugnavit, quia universum nec regio vestra sustinere poterat, nec sinebat necessitas? Melior enim cura nobis tuendi orbis, quam propagandi. Quocumque eamus nihil est novum, nihil est alienum, quibus omnis terra possessio est. Latrocinium hoc quasi nævum in corpore diu dissimulandum putavimus, aliquando crudelitati auferendum credidimus, ne fulgorem imperii Romani vestra inobedientia et quædam interpolaret caligo.

[a] Codex vet. *fundibalo*: rectius. Barr.—Habet quoque *fundibalo* editio Ascensii prima: sic item optimi quique manuscripti. Et *fundibalus* a βάλλω recte dici, tum Glossæ antiquæ declarant, in quibus *fundibali* sunt λιθοβόλοι, tum etiam Isidorus *Origg.* lib. XVIII, cap. 10. Mazoc. *l. c. pag.* 795.

[b] *Qui de regione eorum.* Barr.

[c] *Admonentibus . . . cavere.* Id.

[d] *Quod templ.* Id.

Digitized by Google

Sensistis Romanam virtutem non bellando, sed moriendo. Neque enim in campo vestra vidimus agmina, sed in muro, cum vobis nec claustra prodessent ad tutamentum salutis. Quis enim murus resisteret, quibus oceanus non restitit? Aut quæ civitas nostræ obsidioni inexpugnabilis foret septa præsidio murorum, cum Britannias quoque Romana arma penetraverint, muro frementis circumvallatas elementi? Substratus est nobis ille præruptus aquæ mons. Patres vestros, ut Judaicæ fabulæ ferunt, Rubri maris unda, muri specie transeuntes, circumvallavit : Romana fortitudo murum Oceani perfregit. Non invideo vobis aliena beneficia. Viderit vos mare et fugerit, ut clausi ab hoste fugeritis, quia perrumpere hostem non poteratis, nec sustinere. Nobis fuga Oceani damno fuisset, si fugisset. Gessi- B mus ante bellum cum fluctibus; insanum mare ante superavimus, quam ad hostem perveniremus. Excepit nos Britannia, victores elementorum. Quibus illi fidebant, nos subegimus, ut ad triumphi cumulum ipse Oceanus accederet. Sed forte virtute corporis præsumebatis. Numquid vos Germanis fortiores, quos septos Alpium muro, fortitudo Romana in servitutem deduxit? Nec illa similia Tauri montis acclivis collibus, aut Canopeis agminibus Ægyptiorum, cum quibus vobis bellandi usus est. Supra nubes ascendimus, et de nube descendentes populos vicimus : aerium cunctis aperuimus iter. Iter æquoreum vobis non invidemus, dummodo illud triumphantium fuerit, hoc fugientium. Romanæ itaque virtuti consederunt montes, amnes exaruerunt, C amisso cursu quem natura direxerat, et inflexo quo victores jubebant. Conversus sit Jordanis vester, ut dicitis, atque in fontem reverterit, ut vobis iter panderet : non eo Clœlia Romana virgo eguit, quæ ruptis vinculis hostem evasit, et fluvio decurrens Romanis se intulit castris. Nec incendia vestra miramur, de quibus Hebræos pueros evasisse, maximos edere cantus soletis. Mucius noster nullo cogente manum admovit ignibus, nec removit, donec victor incendii, miraculum hostibus suis infunderet fortitudinis, quæ flammas non senserit. Denique pacem rogarunt, qui triumphum sperabant. An vero cœlestia illa vos extulere pabula, et esca pluviarum adversus virtutem Romanam? Sed considerare decuit altricem ipsam orbis terrarum Africam esse subjectam Romanæ D fortitudini. Nobis servit, quæ omnes alit : in nostra potestate est fames omnium, et victus universorum. Quod natura omnibus dedit, virtus Romana jus suum fecit. Ipsum Annibalem perculit, in exsiliumque coegit, quem non capiebat orbis terrarum. Angustior civibus Africa fuit. Non idoneæ ad demorandum visæ Hispaniæ; arcta vianti Gallia, indigna Italia amicitiæ fœdere, et societatis consortio. Jactetis liceat, quod [a] flumina militaverint vobis, et cœlestes potestates pugnaverint : nos Annibalem inequitantem fluminibus vicimus atque intonantem undis. Ipsius tempestatibus quatiebatur mundus. Et ille muros nostros armis pulsabat. Neque vero necessarium fuit, ut hostes nostri, sicut Assyrii vestri dormientes exstinguerentur, sed præliantes. Non enim in somnis victoria quæritur, sed in prælio : non virtutis adorea est, ubi fortuita gratia. Hostes nostri non aquarum rutilo decepti renitentium ad solis exortum, in manus nostras inconsultius inciderunt, dum fusi sanguinis specie nos exstinctos putaverunt : sed scientes et ad bellum parati, campos terrarum corporibus suis texere, ac proprio sanguine repleverunt. Quæ vos fortitudo in tanta posuit insolentia? Non videbatis eos servire nobis, qui vobis imperitarunt? Ægyptus quæ vos affligere solebat, nobis annuum pendit tributum, et viam præbet usque ad Indicos tractus, extra orbem terrarum egredi atque alterum orbem quærere, maris secreta, solis oceanique ultima, et alterius orbis incolas nostro imperio adjungere. Quid Antiochi regnum, qui vos gravibus suppliciis affecit? Jus quoque ipsum [b] ereptum religionis : nos ipsi vobis refudimus, gloriosius arbitrantes imperare regibus, quam regnum tollere. Ipsa sedes dominorum vestrorum Antiochia, nonne studiose suos repudiavit, et nos dominos elegit? Vos ipsi nonne ad nos confugistis, ut illos dominos fugeritis? Non ipsi vos suscepimus, et adversum illos defendimus? [c] Servimus vobis, ut vestris legibus viveretis : dedimus potestatem vestris inservire cultibus. Sacra vestra scire noluimus, sed honoravimus. Postea rebellandum putastis. Pompeius templum cœpit, sed non diruit : urbem occupavit, sed integra omnia reservavit donaria. Pro quibus, o grati socii! hanc vicem nobis rependistis, ut tertio rebellaretis? Fuerit Nero despiciendus, sed non in uno Romana virtus expendebatur : sed habebat militem Vespasianum, qui jam ad pacem revocaverat Gallias : tam fortis in prælio, ut per illum et Nero vinceret, per illum Nero esset hostibus formidabilis : tam fidelis domino principi, ut solus imperium non quæreret, quod solus merebatur. Sed Cestius læserat : querelam deferri decuit, non arma irrogari. Missus pater Vespasianus, qui improvisus potuit in imparatos se effundere : Galilæam circumibat, longinqua exurebat, ut vos deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Ostendit virtutem, et cum universos clausos teneret, Ægyptum petiit, ut inducias resipiscendi daret. Insolentiores vos nostra absentia fecit, quia nos occupatos putastis. Sed numquam ita occupati sumus, ut absentes simus orbi terrarum. Nam et absentes adsumus, et longe positis propius assistimus. Namque ut anima in corpore omnia membra vivificat sua, sic Romana providentia omnibus imperii sui partibus adest, et totum orbem Romanum, tamquam præsens gubernat. Nam si singulis animis illa vis divina regendi corporis virtu-

[a] *Fulmina.... fulminibus*. Barr. — Hujusmodi restitutio parum consentanea nobis videtur. Galland.

[b] *Eripuit*. Barr.

[c] *Servavimus*. Id.

tem dedit; quanto magis Romano vigori, quo quasi unum totius imperii nostri corpus animatur, tuendi ejus vitalem quamdam substantiam subministravit! Suspensum itaque bellum vos reparastis. Profecturus itaque pater ad urbem Romam, a tyrannis recipiendam, me a sua divisit societate, ne vobis suæ pietatis exsecutor deesset. Veni ad bellum specie terrentis, affectu rogantis. Quoties a mœnibus vestris vocavi exercitum! Quoties postea a penetralibus templi retraxi! Quoties restinxi incendia! Quoties monui! Sed numquam audistis. Nunc me demum rogatis, quasi jam quidquam supersit, quale jam consumptum est, et tamen a cæde, incendio, direptione exemi militem. Quid desideratis? quid adhuc statis armati quasi daturi leges, non accepturi? Si deditionem petitis, deponite arma, jam non metuenda victoribus, sed superba victis, et plena insolentiæ: ut armati rogetis; quasi de fide nostra dubitandum vobis sit, aut adhuc virtutem lacessitis, bellum minantes? Populus exstinctus est, templum ardet, urbem tenemus. Quid reliqui speratis, nisi ut vita vobis donetur? Proinde ponite arma quasi victi; vivere vobis donabo, etsi non mereamini, quia noluistis quæ vestra sunt [a] vobis conservare. Tunc illi petere cœperunt, ut sibi obstrictis sacramento, ne umquam se Romanis traderent, egrediendi per murum potestatem daret, quo cum suis familiis in desertum pergerent, urbem Romanis cedentes. Eo commotior Titus: etiamne, inquit, conditiones nobis imperatis? Quin potius defensate patriam, adestote templo, omni virtute insurgite, servate sacramentum mortis, quando vitæ repudiastis. Et simul jubet insurgere Romanos in necem hostium. Plurimi cœpere graviore victorum indignatione labefactari: tradiderunt se tamen Zaræ regis filii, et fratres ejus, et plurimi cum ipsis de plebe. Nec Titus, quamvis excitatus ad iracundiam, propositum suum solvit contuitu regalis fastigii, sed recepit confugientes: solius tantum pietatis (quod maximum est) lucrum fecit. Nam prædam omnem domus regiæ seditionis auctores diripuere, ut nihil ex ea ad Romanos perveniret.

## CAPUT XLVII.

Simul autem ut facto impetu, in aulam irruere, duos de Romanis militibus invadentes, unum pedestris militiæ virum trucidaverunt: eques vero poposcit se ad Simonem duci, allegans se habere, quæ memorato insinuaret principi seditionum. Sed perductus ad eum, cum vana quædam attexeret, perimi jussus: dum percussor moratur, clausis jam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos. Qui cominus præliantes suscepere fugientem, perductumque ad sese Titus quasi indignum [b] videri morte, qui ab hoste vivus potuerit capi, exutum armis jussit dimitti: reservans ei quod per hostis ignaviam non amiserat, et auferens militiæ sacramentum, quod

A captus prodidit, fugitivus dehonestavit. Id illi majori supplicio fuit: apud viros enim graviora militiæ probra, quam mortis vulnera sunt. Repulsi tamen illico Judæi, ad superiora urbis se contulere, relicta templi et urbis defensione. Strages magna in eos qui resederunt exercebatur, seminecibus autem cadaveribus repletæ viæ. Jussit Cæsar etiam ad superiora admoveri machinas: quod videntes Idumæi, elegerunt viros quos ad Titum mitterent, qui deditionem rogarent. Eo cognito, Simon prævenit, et electos quidem petendæ deditionis viros intercepit. Sed Idumæi non multo post, quamvis destituti adjumento principum, cum sustinere diutius vim nequirent tradiderunt se exercitui Romano. Ita primum fames, et ad postremum desperatio resistendi, de-

B ditionem patravit. Nec Romani, multa cæde jam fessi, abnuebant vitæ indulgentiam; et studio captiva mancipia vendendi, promptiores erant ad reservandam salutem. Plurimi venales, sed pauci emptores: quia Romani habere in servitutem Judæos dedignabantur: nec Judæi supererant qui redimerent suos, cum se evasisse unusquisque vel inopem gratularetur. Passim itaque se tradebant remoto metu, quoniam latrones aberant, Romani ignoscebant.

## CAPUT XLVIII.

Denique et Jesus unus ex sacerdotibus, Thebuti filius se dedidit, et vasa sacerdotalium ministeriorum, lucernas duas, mensas, crateras, phialas et omnia vasa aurea, sed et peripetasmata, et indu-

C menta principum sacerdotii, cum lapidibus, accepta fide salutis, volens tradidit. Comprehensus etiam Phinees custos gazophylacii demonstravit sacerdotum purpuram multam, et coccum, et alia complura quæ ad usum reservabantur. Cum quibus cinnamomum, et casiam, et aromata plurima, et thymiamata, vasa quoque sacramentorum multa: etiam ipse tradidit et vestem sacratam, sed coactus metu, unde et veniabile apud suos flagitium fuit: tamen, etsi voluntas defuit, deesse virtus non debuit. Licet plerumque severius judicemus, quam præcavere possimus, si ipsi in tali versemur necessitate, refugere tamen debemus [c] furti ministerium, et judicium proditionis.

## CAPUT XLIX.

D Jamque insurrexerant aggeres, sed et ferire cœperant arietes murum superiorem septima die mensis, quem [d] Gorpiensem nuncupant: ventum ad supremum. Conturbati et perterriti ipsi quoque factionum principes, qui in extremis insultabant periculis, genibus singulorum advolvebantur, opem orantes. Cernere erat, quam miserabilis illa mutatio foret ex illo terribili ac superbo fastigio in hanc humilem et plebeiam dejectionem, in lacrymas, fletus, pavorem. Necdum cesserat murus urbis superioris, jam illi percursabant singulos, nihil superesse præsidii in-

[a] *Vobiscum servare.* Barr.
[b] *Viri.* Id.
[c] *Facti.* Mox *indicium* pro *judicium.* Id.

[d] Al. *Gorpiæum*, qui September nobis dicitur, ut Suidas docet. Id.

Digitized by Google

A gemiscentes, hostem ingressum arbitrabantur. Plerique tanquam jam de superioribus pugnantes, Romanos videre sibi videbantur : quod metuebant animo, oculis præfigurabant, et mentis pavor fiebat imago visus. Denique pro certo jam hostem cervicibus suis incumbere credentes, quibus adhuc tres turres, Mariamne et Phaselus et Equestris supererant, cæteris validiores : deseruerunt superiora, confugientes ad hypogea vel retrusos specus. Joannes tamen non multo post fame tabidus et confectus jejunio, tradidit se Cæsari, qui reservatus ad triumphum, sed perpetuis vinculis innodatus, usque ad mortem, magis trahens spiritum vitæ, quam ullam voluptatem vivendi expertus, securim evasit. Simon autem latuit etiam intra exustæ urbis ruinas, in hypogeis se cum paucis recondens fidelioribus. Jam B Cæsar discesserat cremata urbe æstimans etiam Simonem aut igni exustum, aut ruina oppressum, aut a quocumque [a] homine interemptum. Verum ille quamdiu cibus suppeditavit, in defossis specubus defodiebat introrsum : sed ubi et cibus defecit, et nullus evadendi exitus patuit, subito ad superiora erepsit, indutus veste candida et purpureo desuper vestimento, ut terrorem quemdam incuteret aspicientibus. Qui primo stupentibus militibus Romanis mandat, ut ad ducem suum deducerent. Erat in eo loco Rufus Terentius, quem Titus loco præfectum militiæ dereliquerat. Quo adveniente interrogatus, quis esset, primo alia; post, Simonem confessus est. Inde transmissus ad Cæsarem, et ipse ad triumphum reservatus. Sed quia crudelia exercuerat in cives, C nec se Cæsari tradiderat, post triumphi pompam neci adjudicatus. Octava die Gorpiæi mensis concremata est civitas. Cæsa per omne tempus obsidionis innumera millia, decies centena millia (cx myriades, ut plerique asserunt), Judæorum tamen omnium, sed non omnium ejusdem regionis et loci, quia eo undique convenerunt tempore paschalis festivitatis. Captivi abducti ad nonaginta septem millia, latrones prope omnes perempti statim : qui validiores erant, per triumphum ducti, postea bestiis objecti cæterisque suppliciis dati, per singulas ferme urbes qua iter agebat Titus, ut per universos rebellionum supplicio metum spargeret.

## CAPUT L.

Per idem tempus Alani, gens fera et diu ignota D nostris, quod interiorum locorum difficultate et claustro portæ ferreæ quam magnus Alexander prærupto Taurim ontis imposuit jugo, cum cæteris feris et indomitis introrsum gentibus cohibebantur. Incolebant Scythicum Tanaim finitimaque ejus et Mæotidis paludes, velut quodam clausi carcere memorati ingenio regis, ut suas terras exercerent, alienas non incursarent. Sed sive ob sterilitatem locorum, quod avari votis agricolæ sperata culturæ non responderet fecunditas, sive prædandi cupiditate regem Hyrcanorum qui locis præerat, sollicitarunt, pretione an [b] defensione incertum, ut reserata porta, eruptionis sibi copiam daret : quo impetrato, infudere se genti Medorum; et impetratis brevi velocibus equis et aliis pariter ad dexteram nexis; in quos per vices cum foret libitum desilirent, totam prope regionem percursavere : ut primo perturbarent omnia majorisque multitudinis speciem darent, adversus quam nullus fugæ locus vacaret : deinde circumventis omnibus, quantam vellent, strage edita, prædam abducerent. Erat enim regio populo frequens et pecoris abundans; quæ nullo resistente facile patuit direptioni. Siquidem ipse Pacorus Medorum rex in abstrusa loca se contulit, saluti potius quam regno consulens; ita ut uxor ejus ac liberi ac concubinæ captæ ab Alanis, centum talentis postea redimerentur. Nec Tyridates Armeniæ rex immunis fuit periculi, sed alieno malo cautior, pestem prævidit : et viriliter quidem voluit occurrere, ut a finibus suis hostem averteret. Dum præliatur tamen laqueo insertus, in potestatem hostium vivus concesserat, ni præacuto gladio nodum informem velociter intercidisset. Nam insolentia quadam propriæ fortitudinis et in cæteros despectu superbo, simul ut familiarem sibi eminus decernendi consuetudinem, refugiendique [c] facultatem fraude tali prætexerent; laqueos jacere atque hostem innectere, ars Alanis bellandique mos est.

## CAPUT LI.

Fugit itaque Tyridates, cui evasisse satis fuit : regnum autem suum depopulandum reliquit. Nam quasi accepta injuria quod congredi ausus foret, vehementius Armeniam, quam Mediæ regnum devastaverunt. Opimi itaque utriusque regni spoliis, ad propria recursum fecere. Quorum comperta incursione, Titus Antiochiam contendit : sensim tamen, ut triumphatorem decebat, causamque dissimulans, per singulas urbes pompam celebrat victoriæ. Perimebantur in arena Judæi, quacumque pergebant, ac dilacerati a bestiis, pendebant merita rebellionis. Antiochiæ quoque eos vetustis odiis gentilis populus insectabatur : eo quod reges Persarum quæ de Hierosolymitana urbe donaria jure victoriæ vindicaverant, synagogis contulerant : Antiochenis de suo quoque alia largiti. Itaque congestæ opes invidiam facile movere. Nam ut illa nunc omittamus quæ adversum Machabæos gesserint sacerdotii competitores, et quantæ cladi civium fuerit ambitio, sicut supra memoravimus; Antiochus postea non ignobili genere ortus, sed moribus perditus, afficto crimine quod Judæi urbem Antiochiam incendio exurere conspiravissent, patrem proprium qui esset de Judæorum primoribus et plerosque alios insimulatos gentilis impetu multitudinis, ad mortem coegit. Nec eo parricidio multorumque cæde exsaturatus quievit, sed postea quoque nactus facultatem, quod fortuito incendio acciderat, ejusdem urbis porticus, et tetragonam plateam maximamque partem ædificiorum cremari, fraude prædictæ conjurationis, iterum Ju-

[a] *Milite*. Barr.

[b] Vet. exempl. *dissensione inter se gentium*. Id.

[c] *Facilitatem*. Id.

Digitized by Google

dæos urgere cœpit atque incessere, ac propere universorum stragem fecisset, nisi advenienti Tito reservata cognitio foret, metu ne Cæsar usurpato plurimorum supplicio commoveretur. Ea res Judæis saluti fuit.

## CAPUT LII.

Massadæ quoque plurimi se Judæorum freti loci munimine congregavere, cujus expugnandi negotium Titus indignum arbitratus quod imperatorem teneret, [a] Syllæ mandavit, cui summam in iisdem locis militiæ Romanæ, cavendique ne quid iterum rebellionis oriretur, commiserat. Ipse Alexandriam contendit, et inde navigio Romam transmisit. Sylla gnaviter insistens injuncto sibi muneri, Massadæ murum ariete dissolvit. Illi interiorem ligno composuere, eo quod ad hujusmodi ictus machinamentorum muralis materies facile non cederet. Sed Romani, mutato bellandi genere, ignem jecere, qui et facile ligno inhæsit, et sine ulla adolevit mora. Magnus itaque adultus incendio flammæ ferebatur fragor, qui primum boreæ spiramine a munitionis partibus repellebatur, et Romanorum magis vineas exurebat. Deinde, exorto noti spiramine, in castellum sese retorsit, ita ut conflagraret omnis ille ligneus muralis objectus materiæ consumptæ. Romani, quoniam nox intervenerat, securi victoriæ in castra sese receperant, ut sequenti die nudatos jam atque omni exutos præsidio debellarent. Sed ne quis elaberetur, intextis castellum custodiis circumvallaverunt.

## CAPUT LIII.

Desperatis itaque rebus Eleazarus, auctor turbarum, videns nil præsidii superesse, exorsus est sermonem, quem nos quasi epilogum quemdam claudendo operi deplorabilem, more rhetorico non prætermisimus. Quid agimus, Abrahamitæ, viri genus regale, sacerdotalis gratiæ virtute insuperabiles? non enim ex eventu victoriæ quæ frequenter incerta est, sed ex propositi constantia virtus spectatur. Unde conjicere liquet, quia hostem subjicere sortis est, non mutare mentem virtutis esse. Jure igitur insuperabiles vos dixerim, si nullus adhuc vos mortis vicerit metus. Sed non ita vos pater instituit Abraham: qui in filio unico docuit, non mortem ejus, sed immortalitatem futuram, si pro religione immolaretur. Quid Josiam prædicem, quo nemo fuit melior interpres religionis, contemptor mortis, assertor libertatis? Namque is in illo suggestu regali locatus cui liceret differre mortem; tamen quia videbat propter peccata gravia captivitatem plebis Israel futuram, bello se alieno miscuit, vitam refugit. Clamabat Nechao: *Non adversus te missus sum, sed adversus regem Israel* (II *Paralipom.* XXXV, 21, 23): ille tamen non prius recessit, quam lethalem sagittæ ictum subiret. Quo fusus vulnere, indicio nobis est, utrum in bello meritum, an casus præponderet. Victus est Josias [b] prio-

A rum instaurator sacrorum; vicit Nechao omnium sceleratissimus: sed ille victus, nunc cum angelis est, hic victor in suppliciis. Quis enim nescit, non in hac vita repositam esse mercedem hominibus, sed post hujus absolutionem certaminis? Hic enim currimus, ut illic ad palmam perveniamus: hic certamen, ibi præmium est. Non ergo ulla hic longævæ ætatis gratia est. Denique Abel cito occiditur, Cain supervixit: ita mors innocentiæ fuit, et vita ærumnæ. Ex illo in eamdem sortem successimus, ut vivere miserrimum fieret, mori beatum. Quid est enim vita, nisi carcer animæ quod intra hoc ergastulum clauditur, et carnali adhæret consortio? Cujus infirmitatibus quatitur, labore affligitur, ira conteritur, accenditur cupiditatibus, vexatur furore,
B nec se facile attollere potest, humi nexa, concreta pulvere, stricta vinculo, nervis irretita. Non mediocris tamen potestas, ut corpus vivificet, atque infundat insensibili materiæ sensus vigorem; et hoc invisibiliter singulis anima sua conferat, totumque hominem regat, atque ultra mortalem provehat fragilitatem, ut cognitionem capiat cœlestium secretorum, ut mentem intendat futuris. Itaque ad imaginem similitudinemque sui Principis non videtur, cum sit in corpore sita, sed nec corporalibus oculis cernitur: nec ingressus ejus, aut exitus ejus ullo aspectu deprehenditur: instar quoddam divini muneris repræsentans. Cum ingreditur, vitam infundit: cum excedit corpore, mortem operatur. Ubi anima, ibi vita: ubi ea defuerit, ibi mors est. Quidquid in-
C viserit, exsuscitat: quidquid reliquerit, statim solvitur et continuo marcescit: infusione animæ, mortuus resurgit; discessione, vivus exanimatur. Quis ergo dubitet, quod ei inesse videatur immortalitatis operatio, cui virtus sit mortem avertere? Ea tamen sibi oneri est, quamvis aliis ad usum redundet. Et quod corpori donat, sibi detrahit: gravatur enim et quasi in terram inclinatur cum isto mortali corpore. Itaque vita corporis, mors est animæ: et rursus corporis mors, animæ libertas videtur: dum enim sumus in isto corpore, servit anima nostra, ac misera quidem servitute, qua de paradiso exsulat, et a suo Principe peregrinatur. Ubi autem fuerit istius carnis absoluta vinculis, in illum purum et splendidum superioremque revolat locum, atque adest Domino Deo
D suo, sanctorumque habitaculis fruitur et beatorum gaudet consortiis: quod nullam jam habeat cum mortuo societatem, et contubernium [c] cadaveribus dereliquerit, aspiret ei cœlestis gratia, nec ulla eam curarum humanarum sollicitet exagitatio. Indicio nobis est quies, quantam anima per obitum corporis resumat gratiam: sopito enim corpore, et quasi mortuis ejus cupiditatibus atque universis motibus, cum sanctis sæpius conversamur: recipimus quos amisimus: ut nobis et absentes adsint, et mortui vivant, et omnis quiescat dolor. Appropinquemus et

[a] Vet. codex *Sileæ*. Josephus *de Bell. Jud.* lib. VII, cap. 38, *Sylvæ*. BARR.

[b] *Piorum*. ID.

[c] *Cadaveris*. ID.

confabulemur Deo, cognoscamus futura. Affectis requies, servis libertas sit. Quod igitur dormientes somniamus, hoc defuncti adipiscimur: et quod in somno imago, hoc in morte veritatis passio est, et libertatis gratia. Unde nonnullis gentibus mos est, ut ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur: quod illos ad ærumnam generatos doleant, hos ad beatitudinem rediisse gratulentur: illorum animas ad servitutem venisse ingemiscant, istorum ad libertatem remissas gaudeant. Indorum quoque sapientes feruntur, cum moriendi affectum induerint, protestari quod discedere velint, neque ullum obstrepere. Deinde ubi apparatus mortis processit, insilire lætos ardentem pyram, et astantibus valedicere: dolere mulieres, quasi subsidio destitutas, vel liberos parvulos quod derelinquantur; benedicere alios, nec invidere, quod ad meliores habitatores, ad splendidiora loca purioraque festinent consortia. Quid igitur de vobis aliud possum, cum etiam barbaris gentibus libertatem sequendi mors sit? Jam dudum itaque vos optime mihi cognitos, et institutis patriis respondere paratos, quod neque Romanis neque cuiquam genti, nisi soli Deo serviendum putetis, qui solus justus et verus omnium Dominus sit. Dies advenit, qui probare operibus voluntatem exigat; nec dehonestare veteris indolis claritudinem; ut in libertate geniti, dominationi vos hominum subjiciatis: præsertim cum licuerit vobis ante servire vel sine periculo, nunc autem necesse sit dura supplicia suscipere cum servitute: si Romanorum imperio servituros nos offeramus, quos primi omnium bello lacessivimus et ultimi adhuc armis tenemus, imperatori non dedimus manus pacem offerenti, Syllæ dabimus acerbitatem minanti? O miseri, ad quam spem istius vitæ nos reservavimus? Esto, hostis ignoscat: quid proderit, cum offensa Dei clara sit? ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamina, flammæ retortæ, ut nostra subsidia deurerentur. Quis poterit adversante Deo vivere? Nullus veniæ locus, sed manifestum imperium mortis voluntariæ. Quid enim nox intervenit, nisi ut nos hostis non præveniret, [a] aut deusto murali subsidio, continuo irrumperet: sed ut nobis exercendæ mutuæ necis tempus reservaretur, liceretque cum liberis nostris, et necessitudinibus mori; ne videremus anhelos senes anusque a Romanis pertrahi, charissimas conjuges ad victoris libidinem rapi? Commoriamur patriæ, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quo igitur fugiemus a facie Dei, aut quo ibimus infenso nobis cœli Domino? Si cadant super nos montes et concavis specubus abscondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis? Quo enim progrediemur, ubi non sit Deus, cum ubique ipse sit? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quod jam dudum genti nostræ pro peccatis nostris infestus sit, qui ante præsidebat? Quis hoc dubitet, cum videat, quod in nos conversæ manus nostræ sint: pluresque seditio domestica, quam bellum exstinxerit? Non donabo Romanis quod vicerint, nec ipsi sibi hoc vindicant, qui sciunt quod omnes fere nostris potius armis, quam alienis perierimus. Quæ enim Romana arma viderunt Cæsaream inhabitantes Judæi? Quorum feriato die sabbati, inter solemnes nostrorum sacrorum cultus, multitudo gentilium Cæsariensium repentino quodam impetu, et misso desuper furore succensa, viginti millia delevit, omnes fugavit, ut totam urbem exinaniret. Nonne Syriam totam [b] quidem implevit dementia, ut Judæi atque gentiles in iisdem urbibus siti, et incolatus gratia sibi prius nexi, postea inter se armis colliderentur, quo Romanis vadum futuræ victoriæ constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar, quo Judæi primo contenderant, ut gentilem populum prævenirent, ne quid adversus nostros, exemplo cæterarum urbium, machinarentur? Itaque quos par fuit, conjunctis adversum alienigenas viribus, bello decernere; hæc e contrario adversum se Judæi decreverunt, ut pars eorum adversus cognatos et proximos suos præliaretur. Deinde ipsi pro pretio laboris et impensi sanguinis, a gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri gentilibus. Damasceni nulla exsistente causa, [c] octo millia Judæorum straverunt. Ascalonitæ duo millia quingentos. In urbe quoque cui Ptolemais nomen, cæsa duo millia. Alexandriæ vero vetus erat odium inter Judæos et gentium populos, ex quo Alexander Magnus usus est studio Judæorum ad Ægyptios subjiciendos: unde condita urbe ex æquo Judæis et Ægyptiis attributa privilegia et habitationes diversæ, ne eorum cultus permisceretur: qui purificationes suas sine ulla volebant contagione servare. Hinc frequenter inter eos conflictus fuere, exorta jurgia, judicium petitum. Nihil tamen ex tanti regis temeratum liquet fuisse beneficiis, sed postea a gentilibus exorto tumultu, cum Judæorum necati aliqui, alii ad pœnam detinerentur, injuria motum Judæorum populum, adversum auctores injuriæ insurrexisse; et cum pertinacius se de civibus ultum iri vellent, inductum exercitum Romanum, qui sexaginta Judæorum millia intra urbem fuderit. Verum quid in levioribus moror, cum excidium totius orbis, in unius civitatis ruina deplorandum nobis sit? Ubi est maxima civitas Hierusalem? ubi decora Sion, ubi templum mirabile, ubi secundum illud tabernaculum, sanctitatis sacrarium, quo semel in anno solus princeps sacerdotum solebat intrare, non sine sanguine, quem pro se offerret et pro populi delicto? Profanatum est a gentibus, habitant in reliquiis urbis qui eam destruxerunt. Ubi, inquam, es, civitas referta populis, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ sedes? Pavimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes

[a] *Nec*. Barr.
[b] *Quædam*. Id.

[c] Josephus, *octodecim millia*. Id.

marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes interfecti, et qui te jugiter inhabitabant, et qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conveniebant : ut non dubium sit, totum in te mundum periisse. Nudata omnia, a culminibus cremata, a fundamentis diruta ; facta est habitatio tua deserta, nec est qui in tabernaculis tuis inhabitet; et adhuc quemquam vivere libet, et non vixisse pœnitet? Duri oculi qui hæc videre possunt; immites animi qui velle possunt, ut quid tantis supersit doloribus : non quod defecerint clades, sed quod jam nulla requies. Quo enim circumferamus oculos, aut quid cernere delectet? Urbs tota sepulcrum mortuorum est, solæ spectantibus occurrunt favillæ; viæ vacuæ viventium, repletæ cadaveribus. Miseri seniores cinerulenta canitie, et scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent nuda tegentes ossa, quo defendant a volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam servaverit. Quis hæc videns, et de comperendinatione vivendi cogitans, audeat ad cœlum levare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cujus tam semiviri sit mollis spiritus? quis ita meticulosus, quem non pudeat his reservatum? Utinam quidem olim defuncti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset, prius quam sanctam urbem dirutam hostium manibus intueremur, templumque hoc a majoribus nostris sacratum Deo, tam impie flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus jacere interfectos! Emendemus ergo, quod his supervivimus malis, ut videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumvallavit hostis omne munimentum, nil superest nisi aut nos, aut conjuges nostræ. Jam sibi filios nostros in auctione constituunt; certantque inter se, qui cujus abducat uxorem : utrum pro dignitatum meritis personarumve ordinibus distribuendæ sint, an [a] sortibus subire cogendæ miserabiles. Nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima, non solum ardentes flammæ aut diversæ neces victricis ictu securis : duro quidem post vincula, post carcerem, post jugum supplicio, sed tolerabiliore viris, si ludibrio vacet; sed etiam avulsi artus viventibus, et præcipue truncatæ manus. Nec immerito, quia defuerunt suo muneri, cum possent sibi subvenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diversis jam celebratur arenis urbium : vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu miserabile, ut reservemur aut bestiis, aut fratribus præliaturi. Quid ergo moramur? jam non est liberum nobis, quod metuimus, evadere. Si liberos interficere nolumus per misericordiam, aut nosmetipsos per virtutem; necesse erit ut per germanos aut propinquos nostros interficiamur per flagitium : hoc suadet affectus, illud victores exigunt. Si nolumus exsequi ministerium pietatis, cogemur subire pompæ parricidalis ludibrium. Adoriamur ergo, quod prosit liberis conjugibusque nostris : si infirmiores sumus, auferamus eos cruciatibus futuris; si fortiores sumus, vincamus compassiones parentum, affectus necessitudinum : et in hoc vincamus hostem, cum prædam tollimus. Hoc virtus exigit, hoc suadet pudor. Non timere mortem, virtus est. Etenim ad mortem omnes nascimur, et ad mortem generamus liberos; quorum mors naturæ assignatur, captivitas probro datur. Ergo quos non potuimus periculo eripere, eripiamus ludibrio. Misereminiigitur, patres, liberorum, mariti, conjugum, omnes parvulorum misereamur; quod est præcipuum nostri, dum est miserandi potestas : ut de nostro misereamur, ne ad dedecus videamur et nati et reservati. Quis enim possit perpeti patres ante ora filiorum, filios in conspectu parentum interfici? Trahi canitie fessos senes, vel ad necem, vel quod pejus est, ad servitutem, mulieres sparsis crinibus duci sub conspectu conjugum, et violenter ad opprobrium trahi? Audire vocem parvuli vagientis vocantis patrem, ut auxilio sit petenti, cum jam frustra audias [b] revinctas manus, et captivæ cervicis jugo subditos? Ergo dum adhuc liberæ manus sunt, dum ferrum stringimus, aggrediamur opus, quod victor hos is miretur. Mulieres nostræ supremum conjugalis munus dilectionis, quasi dotale recipiant patrimonium. Has illis claves refundimus novo sanguinis [c] testimonio, ut sint nostræ hæredes libertatis. Hoc ipsæ hortantur, certe merentur, quæ volunt : cogendæ, quæ refugiunt : nec parvuli ferrum pavebunt, quod per ætatem nesciunt, quod suscipere a parentibus piis debent, ut vere fiant liberi. Nobis quoque quid erit præstantius? Si exurainus prius castellum, frumenta tamen reservemus, ne putent nos fame potius coactos, quam studio virtutis invitatos, mutuæ necis arripuisse ministerium. Donemus illis escas refertas sanguine; et si eas flammæ exusserint, nidor ipse frugum incensarum indicio erit periisse obsidentibus, quod obsessis abundaverit. Posthæc unusquisque offerat se vulneri, et moriturus patriam tegat, supremoque amplexu obeat. Fiat nobis patria libertatis sepulcrum, quæ fuit dignitatis domicilium : hic tumulus funera nostra decet, ut septo virtutis tegamur. Tali accensi oratione, cæteri gladios strictos tenebant, oscula dabant conjugibus, amplexu suscipiebant liberos, illacrymantes et simul festinantes, ut hostis præveniretur. Hæc vobis, inquiunt, amoris pignora, damus supremæ præmia necessitatis, et compresso viriliter affectu, [d] passionem excluserunt, eædem implebant : impavidæ mulieres se offerebant vulneri pro conservatione pudicitiæ, mentemque suorum ipsæ induerant virorum. Cæsis itaque necessitudini-

[a] *Sortitus*. Barr.
[b] *Revinctus*. Et mox *subditus*. Id.
[c] *Testamento*. Id.

[d] Vet. codex, *omnes se mollitie exuerunt*, *passionem excluserunt*. Id.

Digitized by Google

bus, pignoribus quoque, delegere strenuos qui supplementa cædis exsequerentur. Ita fusi omnes nongenti sexaginta cum parvulis ac mulieribus : [a] una mulier sola superfuit, quæ filios quinque in aquæductu abscondit, dum cæteri supremis intendunt necessitatibus : ea Romanis diluculo advenientibus, ad vocem excita, index negotii fuit. Opes autem eorum, appositus ab ipsis prius ignis consumpsit.

[a] Josephus vero de duabus retulit. Idque contigisse aliqui scribunt 15 Aprilis, ab expugnatione Hierusalem secundo, a nativitate vero Christi 74. BARR.

HISTORIÆ DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ URBIS

# ANACEPHALÆOSIS,

ID EST

## Omnium pene quæ in superioribus dicta sunt libris

# REPETITIO.

### CAPUT PRIMUM.

Anno XLII post passionem Domini, imperii vero Vespasiani primo, bellis asperis Judæa et seditionibus domesticis lacerabatur. Ipsa quoque eorum civitas Hierusalem [a] intestino prælio laborabat. Nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ, momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri jugulabantur. Sanguis fœdabat universa, ipsaque replebat templi limina : passim ruebant cadavera : sagittis alii, alii missilibus feriebantur. Nullus locus periculo vacabat, nulla spes conversionis, nulla fugiendi copia erat : mœsta omnia et plena horroris, et plena immanitatis : ubique luctus, pavor ubique : clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio : ut miserabiles eos diceres qui remanserant, beatos qui obibant. Quomodo decepta es populis tuis, quibus quondam videbaris beata? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conversæ sunt manus tuæ, quæ solebas sine armis vincere, et sine ullo prælio hostem ferire, cum pro te Angeli dimicarent, et militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores?

### CAPUT II.

Exsurge nunc, Moses, et vide gentem tuam et hæreditatem populi tibi crediti, perire manibus suis : aspice populum illum Dei, cui gradienti pervium mare patebat, cui esurienti escas cœlum subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate jejunum. Exsurge, Aaron, qui aliquando propter offensam Dei, cum mors plurimos depasceretur populi, stetisti inter viventes ac mortuos, et mors stetit, atque objectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viventium. Suscitare et tu, Jesu Nave, qui muros inexpugnabiles Hiericho, tubis canentibus complanasti; et vide populum cui exteros subjecisti, nunc eumdem subjectum opprimi. Suscitare, David, exasperantem spiritum citharæ suavitate solitus excludere, et vide quemadmodum dominabatur furor, atque omnem suavitatem psalmorum tuorum [b] ex perditorum sensibus abluerit, et unusquisque de principibus populum universum ad mortem afferat, ut libertatem extorqueat, pro quo te ipsum morti offerebas. Suscitare, Elisæe, qui hostem introduxisti in Samariam, et amicum fecisti. Per te in castris Syriæ quadrigarum increpuit fragor, et vox equitum et virtutis : fugit hostis, evasit obsidionem Judæus. Ubi nunc ista merita, et ubi nunc istæ operationes sanctorum? Nec mirum, si [c] miserunt prophetarum opera, qui negaverunt prophetarum arbitrum. Ideo in te, Judæa, [d] arma convertuntur, orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur : ideo adversum te factus est populus tuus, quia in te conversa est perfidia tua. Quod remedium quæritur, ubi auctor remedii non conciliatur? Quid putabas futurum, cum tuis manibus vitam tuam exstingueres, cum tuis vocibus advocatum tuum exterminares, nisi ut in te quoque injiceres manus? Habes, quod petisti. Eripuisti tibi Præsulem pacis, petisti necari vitæ tuæ arbitrum, concedi tibi Barabbam; *qui propter seditionem factam in civitate et homicidium missus fuerat in carcerem* (*Luc.* XXIII, 19) : ideo salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit : data est tibi seditio, datum excidium : agnosce tibi hodie Barabbam vivere, et Jesum mortuum. Ideo in te regnat seditio, pax sepulta est, ut crudelius a tuis pereas, et prius quam ab alienis perires.

### CAPUT III.

Quid tantum, miserabilis civitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus malorum invexit? Ut cum Romanis pugnares, tui fecerunt : pacem volebant Romani, tu bellum indixisti. Quid causæ erat, ut fortiores lacesseres? Durum sane, quod contra legem sacram templum gentilis intravit : sed jam non erat Dei templum. Non eras Dei civitas, nec esse poteras, quæ eras mortuorum sepulcrum : præsertim tuorum, quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Quomodo enim poteras vitæ esse domicilium, quæ eras mortis habitaculum, diversorium scelerum, latronum spelæum? Jacuerunt in te Ananus [e] et Joannes insepulti sacerdotum principes; et illi dudum sacerdotalibus induti stolis, qui vene-

[a] Codex ms., *trino intra se prælio*. Factiones ibi siquidem tres erant, Joannis, Simonis et Eleazari : supra lib. V, cap. 1. BARR.

[b] *Expeditorum.... aboleverit.* ID.

[c] An *amiserunt?* GALLAND.

[d] *Arma tua*. BARR.

[e] Supra legitur *Ananus et Jesus*. ID.

Digitized by Google

rationi etiam exteris fuerant, deformes jacuerunt. Cadavera eorum esca volatilium, et devoratio canum facta sunt, membris lacerati, et tota dispersi urbe, ut deplorare veteris sanctitatis species videretur tantam sacri nominis contumeliam, et speciosi quondam muneris deformitatem. Sed ipsa tibi hujus indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas prophetas, quæ lapidabas sanctos Domini. Ante templum Zacharias jacuit exanimis, jacuit inhumatus : ergo sanguis tuus illum lavat. Quæ causa autem mortis fuit Anano, nisi quod increpuit populum tuum, quia non [a] resurgeret pro templi defensione, quia expostulabat libertatem perditam, virtutem desertam, calcatas veterum sacrorum reliquias, commaculata altaria : relinquendum asserebat populum, usu simulacrorum insensibilium et statuarum more nihil jam [b] sentientem commaculatum ? Muta enim animalia referre solent, vel vicissitudinem vindictæ, sentire injuriam, incitari aculeo, declinare verbera. Qui ergo nec excitatur, nec declinare novit quod noceat, similis est non sentientibus.

## CAPUT IV.

Et revera ubi libertas tua, cujus studio quondam non Ægyptiis, non Palæstinis, non Assyriis, postea non Medis cedendum existimavisti? ubi est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugavit, Demetrium perculit; ad postremum in parvulis ac mulieribus Antiochi arma, gladios incendiaque superavit : et pro observatione patriæ mori maluit, quam regiis imperiis obtemperare? Ubi est illa devotio patrum, pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, non pro conjugibus magis, quam pro templo Dei morti offerebant? Antea et virga sacerdotalis floruit, recisa de silvestri radice : nunc et fides aret, et sepulta est pietas, et abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, si populus qui a Deo recessit, et improbum contradictionis spiritum sequitur, in se ipsum divisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat, qui pacem Dei repudiavit? *Pax Dei Christus est, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Merito ergo ex uno populo plures adversum se facti sunt, quia noluerunt sequi divisa sociantem Jesum, sed secuti sunt conjuncta dividentem furoris spiritum.

## CAPUT V.

Solvebas igitur, Hierusalem, mercedem perfidiæ tuæ, cum ipsa tuis manibus destrueres munimenta tua, cum tuis mucronibus foderes viscera tua, ita ut hostis misereretur, ut ille parceret, et tu sævires. Videbas enim, quod Deus adversum te pugnaret, et Romanorum fungeretur partibus, ut ipsa tibi inferres voluntariam perditionem : ideo spectatores malebant esse Romani, quam percussores, ne furentibus tuis inter se visceribus, manum admovere contagionis magis, quam fortitudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ necis supplicia accedebat impia immanitas A crudelitatis, ut sepulturam omnibus qui vel in templo necati fuerant vel circa urbis plateas, negarent : nec humare cuiquam vacabat, dum bellis inter se occuparentur, feriendique magis quam humandi cura universos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria; nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quam misericordia, quæ sola solet allevare miserias, solari ærumnas. Namque et hi qui amiserant suos, non audebant humare propter formidinem, cum gravis terror ingrueret a diversæ factionis principibus : et hi qui necaverant, alienos cavebant, ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent : vel quod pejus est, quem paraverant usum sepulcri, cum ipsi non impetrarent. B

## CAPUT VI.

In templo igitur ipsi pro unguentis bene olentibus, pro thymiamateriis bene spirantibus, pro diversorum florum odoribus, gravis erat insepultorum cadaverum fetor, quæ pluvia dissolverat, quæ flamma ambusserat, quæ sol calefecerat. Omnes artus cæsorum civium diro odore fetebant. Hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor sensus omnes atque ora complebant viventium, ut ipsi non multo post graviore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quod duriore pœna perirent, eoque servatos, ut viderent cum patria simul solvi etiam leges naturæ, negari jus viventibus, pacem civibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque C divina maculari ac pollui, permixta omnia. Criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem, castrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus : ea spectare oculis, quæ prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nam de his dixerat David : *Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli : effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret* (*Psal.* LXXVIII, 1-3). Simul enim tunc, et gentes venerunt in hæreditatem Dei quæ auferret omnia, et templum pollutum est suorum funeribus, et insepulta jacuerunt cadavera interfectorum ad escam avium bestiarumqoe voracitatem, effusus sanguis ut stagnaret in templo, deesset qui sepeliret : quia viventium in D mortuos, a mortuis in eos qui adhuc viverent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare, ipse exstinguebatur. Et qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam, ut illi sepulturam negaret : hunc exstinguebat rursus qui sepultorem occiderat, majorem crudelitatem circa defunctum exercebat, ut jam nihil debentem odio, non sentientem supplicia, spoliaret supremo naturæ debito.

## CAPUT VII.

Quid illis accidere aliud poterat, qui divina non recipiebant oracula? Irridebant prophetarum annun-

[a] *Insurgeret.* BARR.

[b] Forte *sentientium.* GALLANDI.

Digitized by Google

tiationes, fas omne calcabant, futuraque ut fierent, A ipsi acceleraverunt. Erat enim sermo vetus et frequens, tunc perituram Hierusalem et sancta ejus exurenda, cum seditio belli legem incesseret, et domesticæ manus templum Dei contaminarent. Nec hoc quidem intellexerunt: Quoties enim excisa domus Dei! quoties seditio! quoties bellum! et numquam illa urbs periit, nisi cum Dominum vere Templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Propter quod et illud audiunt: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Quid enim aliud nisi sacrilegium fuit, cum impias manus extenderent in auctorem salutis, cum lapidarent eum, cum verberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc vere sancta eorum absumpsit ignis divinus. Nam exusta a Babyloniis, reparata est. Postea destructa a Pompeio, reformata iterum. Sed penitus exusta ubi Jesus venit, et spiritus divini soluta evanuerunt. Oportuit uberiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ solemnitatis, et velut quasdam exsequias prosequi, ac solvere juxta majorum instituta.

## CAPUT VIII.

Sed veniamus ad summam eversionis Hierusalem, et ad dejectionem Judæorum. Merito siquidem dejiciendi et viles habendi fuerant, qui universis pretiis chariorem Jesum, triginta denariorum pretio a discipulo comparaverant: non ut eum haberent tamquam Dominum, sed ut de terra viventium tollerent velut iniquum. Quare jure de hæreditate sua, viliores paleis, in omnem terram ventilati sunt a gentibus, quas formidaverant ne sibi locum et gentem tollerent. C Et qui triginta denariis Jesum comparaverant ad perdendum, juste postea triginta capita suorum viderunt vendi uno denario ad illudendum. Quia igitur pene omnes Judæi in necem Domini nostri Jesu Christi unanimiter consenserunt, imminente vindicta pene omnes a totis regionibus ad Azymorum diem festum congregati bello subito circumfusi sunt: ut primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames. Quod autem caperet multitudinem hominum tantam civitas, certum erat ex his qui sub Cestio fuerant. Enumeratis enim tunc viris civitatis a Floro, Neroni significare cupiente contemnenti nationem, a pontificibus petierat, ut si quo modo possent multitudinem numerarent. Illi autem cum dies festus adesset qui Pascha vocatur, quando D a nona quidem hora usque ad undecimam hostias cædunt, per singula autem quasi contubernia, non pauciorum quam decem hominum fiunt, solum enim epulari non licet, multi enim [a] vicini conveniunt: hostiarum quidem ducenta, et quinquaginta sex millia et quingentas numeraverunt. Fiunt autem, ut denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena, [b] aut septingenta millia, sancti omnes et puri. Nec enim leprosis aut vitiliginosis, aut semine fluentibus quos [c] gynæcicos vocant: nec mulieribus menstruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis participare sacrificia permittebantur sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa venissent.

## CAPUT IX.

Magna vero hæc multitudo ab extraneis congregabatur. Tunc tamen veluti in carcerem tota gens fato conclusa est, et farta hominibus civitas, bello obsidebatur. Itaque omnem superat humanam, et divinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occiderunt, partim ceperunt Romani. Rimantes enim cloacas et sepulcra eruentes, quos offendissent, occidebant. Inventi sunt autem ibi plus quam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerunt, cum fames alios B corripuisset. Luebant enim scelerum suorum supplicia, qui postquam Jesum crucifixerunt divinorum arbitrum, postea etiam discipulos ejus persequebantur: plerique tamen Judæorum, gentilium plurimi crediderunt in eum, cum præceptis moralibus operibusque ultra humanam possibilitatem profluentibus invitarentur, quibus nec mors quidem ejus vel fidei, vel gratiæ finem imposuit: immo etiam cumulavit devotionem. Intulerunt quoque parricidales manus, atque auctorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxere: reluctantemque cœperunt perurgere judicem: in quo tamen non excusatur Pilatus, sed Judæorum amentia coacerbatur: quia nec ille adjudicare debuit, quem reum minime deprehenderat, nec isti sacrilegium parricidio geminare, ut ab his, qui ad redimendos et sanandos eos sese obtulerat damnaretur. Quamvis enim idem Pilatus manus laverit, dicens: *Mundus ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis* (*Matth.* XXVII, 24): nequaquam tamen minus existit reus, qui gloriam Dominicæ agnoscens resurrectionis, prædicare invitus studuit, sed credere perfidus contempsit, sicut testatur ejusdem epistola, Cæsari in hunc modum directa.

## CAPUT X.

*Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, et quod ipse probavi, Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de cœlo Sanctum suum qui eorum Rex merito diceretur, et hunc se promiserit per Virginem missurum ad terras: istum itaque me præside in Judæam Deus Hebræorum cum misisset, et vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super undas maris, et multa alia fecisse, cum omnis populus Judæorum eum Filium Dei esse diceret, invidiam contra eum passi sunt principes Judæorum, et tenuerunt eum, mihique tradiderunt, et alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum ma-*

[a] Ex Josepho *viceni*. BARR.

[b] Locus hiulcus videtur. Legendum forte, vel *et sept.* vel *sexcenta aut sept.* GALLAND.

[c] Gualtherus ex Josepho legendum putat *gonoricos*. BARR.

Digitized by Google

*gum esse, et contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, et flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, et sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam custodibus, et dicerent:* Dicite quia discipuli ejus corpus ipsius rapuerunt (*Matth.* XXVIII, 13). *Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam et illum surrexisse testati sunt se vidisse, et se a Judæis pecuniam accepisse.*

## CAPUT XI.

Hæc ideo ingressi, ne quis aliter mentiatur, et æstimet credendum mendaciis Judæorum. De quo ipsi perfidi testantur, dicente Josepho historiarum scriptore, quod fuerit illo tempore vir sapiens (si tamen oportet, inquit, virum dici), mirabilium creatorem operum, qui apparuit discipulis suis, post triduum mortis suæ vivens secundum prophetarum scripta: qui et hæc et alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetaverunt: ex quo cœpit congregatio Christianorum, et in omne hominum penetravit genus: nec ulla natio Romani orbis remansit, quæ cultus ejus expers relinqueretur. Si nobis non credunt Judæi, vel suis credant: hoc dixit Josephus, quem ipsi et maximum putant. Et tamen in eo quod verum locutus est propter historiæ fidem, quia fallere nefas putabat, et non credidit propter duritiam cordis et perfidiæ intentionem: non tamen veritati præjudicat, quia non credidit, sed plus addidit testimonio, quia nec incredulus, et invitus negavit. In quo Christi Jesu claruit æterna potentia, quod eum etiam principes synagogæ quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et vere quasi Deus sine exceptione personarum aut ulla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiavit, sed non eos templi injuria commovit. Sed quia ab eo in flagitiis, et sacrilegiis corripiebantur, hinc ira exarsit, ut interficerent eum, quem nulla habuissent tempora. Nam cum alii [a] prædicando meruerint facere, quæ fecerunt: hic in potestate habebat, ut omnia quæ fieri vellet, impetraret.

## CAPUT XII.

Octavo igitur die Septembris mensis concremata est civitas: cæsa per omne tempus numero decies centena millia, ex myriades, ut plerique asserunt: Judæorum tamen omnium, sed non omnium ejusdem regionis aut loci, quia eo undique convenerant tempore paschalis solemnitatis: captivi abducti nonaginta septem millia. Denique tanta captivorum præ multitudine utilitas fuit, ut triginta a Romanis uno numismate sub corona venderentur. Peracta igitur obsidione, jussit Cæsar Titus funditus evertere civitatem ac templum, ut adimpleretur verbum Domini Jesu prædicantis: *Amen dico vobis, non derelinquetur lapis super lapidem, quin destruatur* (*Matth.* XXIV, 2): talis quidem finis Hierosolymorum obsidionis fuit. Eamdem vero urbem Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex Justus, quam primo Solymam nuncupavit, postea templum [b] addidit: unde Hierosolyma dicta civitas est. A principio suos incolas habuit de gente Chananæorum. David primus vir Hebræus Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea sibi domum regiam fecit. Voluit et templum Deo condere, sed prohibitus oraculo, Salomonem hæredem reliquit; qui templum quod ipse voverat, ædificaret. Salomon itaque templum fundavit. Reliqui quoque reges ad ornatum urbis addidere plurima; invidia ex magnificentia orta est.

## CAPUT XIII.

Inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere et fulgenti marmore, peripetasma pretiosum et maximum, cocco et hyacintho byssoque intextum, ex purpura non otiosa materia tantæ diversitatis, sed cujus species rerum latentium mysterium signaret: eo quod ejus esset templum, qui cœlo et aeri, terræ et mari, quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret et gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aer, bysso terra, mare purpura, quæ conchyliis maritimis inficitur: ut duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique princeps sacerdotum hæc quatuor indumento suo exprimere consueverat, quando maxima celebritas erat festorum dierum; quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in ejus figura qui venturus erat princeps sacerdotum Jesus, ut tolleret peccatum mundi. Femora princeps sacerdotum lineo interius operimento tegebat, eo quod præ cæteris in sacerdote fides mentis quæritur et corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula sacra, unum interius, aliud exterius: in hoc semper introibant sacerdotes: in illud interius quod sanctum appellabatur, semel introibat princeps sacerdotum, non sine sanguine quem offerret pro se et pro populi ignorantia atque delicto. Hoc significante Spiritu sancto venturum Jesum, qui vere solus intraret in interiora divinorum penetralia sacramentorum, et arcana substantiæ cœlestis qui nosset omnia solus; Patrem quoque sanguine suo toti mundo reconciliaret, ut et cœlestium et terrestrium misereretur. Denique postea quam venit, *pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ in cœlo vel in terra sunt* (*Coloss.* I, 20).

## CAPUT XIV.

Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quod ita ad Deum Patrem, *sicut incensum, dirigatur* maxime sacerdotalis *oratio* (*Psal.* CXL, 2). Mensa, quod in ea passio Christi sit, et mysteria sacramentorum. Unde David dicit: *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XXII, 5), cujus veluti duodecim panes, duodecim Apostoli testes sunt

[a] *Precando.* Et paulo post *imperaret.* BARB.

[b] Forte *additum.* Quæ mox sequuntur restitutionem suadere videntur. GALLAND.

Digitized by Google

passionis ejus ac resurrectionis. Lucerna, quæ sub A candelabrum ponitur, ante sub modio erat, id est, legis mensura: nunc est in gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eo quod Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminet. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quæ dicebantur Sancta Sanctorum, ubi reposita quondam virga Aaron floruit: quod gratia sacerdotalis in Christo amplius esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Judæi ergo si voluissent credere, evidentia imminentis excidii signa habebant, quibus velut claris vocibus admonebantur finem sibi affore. Nam per annum ferme supra templum ipsum cometes arsit gladii quadam pendentis similitudine, denuntians quoque ferro et igni, gentis et regni urbisque ipsius B vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii nisi bellum, quid ignis nisi incendium denuntiaret? Visus autem est prius quam populus a Romanis sese dissociaret. Ipsis vero Paschæ diebus undecimi mensis octavo die, per singulas noctes hora circiter nona templum et ara ejus ita lumine refulgebat, quasi dies esset per mediam fere horam quotidie manens: quod vulgus interpretabatur cumulandæ gentis indicium videri: eoque impulsi sunt tamquam tempus afforet libertatis recipiendæ. Prudentiores contra opinabantur, quod hoc genus stellæ bellum soleat denuntiare.

## CAPUT XV.

Ne quisquam arbitraretur nos aliena a cultu nostro et disciplina locutos, primum non quid nobis videatur astruimus, sed quid acciderit, quæve opiniones C tunc temporis fuerint, quid prudentes senserint, quid imprudentes, neque cum de secta Judæorum quid dictum est, ita scriptum videatur a nobis quasi in veritate cultus eorum, non quasi in umbra et figura præmissum contexuerimus, ut [a] sequeremur perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Evangelio docemur, quia *erunt signa in sole, et luna, et in stellis* (*Luc.* XXI, 25). Vitulæ quoque asseruerunt partu, cum immolanda astaret altaribus in medio templi agnam editam in ipsis sacrorum quæ supra memoravimus, celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære gravem quæ soleret ad vesperam viginti virorum claudi labore, obseratis vectibus ferreis, per aliquot noctes sponte reseratam, et vix postea a custodibus clausam. Id quoque D arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur: consultiores autem aiebant custodiam templi resolutam videri, ut quæcumque intus forent ab hostibus diriperentur, exiret cultus interior et vastitate evacuaretur, celebritas sacrificiorum destrueretur, quod etiam et ante quam crucifigerent Christum Jesum, liquido significatum lectio docet. Post multos quoque dies figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexere (sicut libri Judæorum manifestarunt), et ante solis occasum subito visi in nubibus currus et acies armatæ: quibus totius Judææ regionisque ejus urbes incursarentur: ipsa autem Pentecostes solemnitate ingredientes sacerdotes in templi interiora, nocturno tempore ut sacrificia assueta celebrarent, et motum primo quemdam sensisse se prodiderunt, et sonitum editum; postea etiam audisse repentina voce clamatum: *Transeamus hinc.*

## CAPUT XVI.

Jesus quoque Ananiæ filius ruricola vir, ante quatuor annos quam bellum Judæorum populus adoriretur, in summa pace urbis et abundantia cum scenopegia sacrificiis solemnibus celebrarentur, templum ascendens cœpit clamare: *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolymam, super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super omnem populum.* Hoc noctibus atque diebus vociferabatur. Commoti primores loci corripuerunt eum, terribile vocis ejus indicium perhorrentes, et plurimis eum suppliciis affecere, quo saltem afflictus dolore, desineret terribilia et plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu ullo nec verberibus aut gravioribus interminationibus territus, usum aut vocem mutavit, sed in eadem denuntiationis perseverantia, in eodem contextu sermonum, sine ulla obsecrationis interpolatione manebat, injuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquam perfunctorium rati, sed in excessu mentis, ut erat, exprimi, detulerunt ad loci judicem, qui tunc temporis a Romanis per id loci publica agitabat negotia. Is rimandæ veritatis gratia, sævissimis cum pœnis exulceravit. Quo magis perseveraret, eo vehementius corripi flagellis hominem jubet, ut si qua secretiora futuri tumultus indicia comperisset, manifestaret. At ille neque flevit, neque rogavit, sed ad singula verbera, non suum, sed patriæ excidium flebiliter deplorabat, dicens: *Væ Hierosolymis.* Neque interrogatus quis esset, vel unde, vel cur eadem diceret, responsum reddidit: sed tantummodo lamentationem illam patriæ, questu miserabili prosequebatur. Defessus itaque Albinus (hoc enim nomen viro) dimisit eum tamquam dementi furore, quid diceret non sentientem. At ille neque sermonem ullum cum quoquam habebat, neque aliud loqui per reliquum tempus auditus est; sed hoc tamquam lugubre atque funereum canticum canens, diebus ac noctibus jugiter resultabat, *Væ Hierosolymis:* neque verberanti conviciabatur, neque cibum impertienti gratias agebat: una erat ad omnes eademque plena funebris ululatus responsio, et maxime sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos et quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus. Mansit itaque indefessus tanto tempore; ubi obsidio cœpit, eadem ille vociferari destitit, quasi cessari oporteret denuntiationem cum adessent, quæ fuerant denuntiata. Sed ubi cœpit flamma urbem pariter et templum involvere, circumiens murum clamare cœpit iterum: *Væ civitati et populo et templo.* Et ad pos-

[a] *Sequerentur.* GALLAND.

tremum addidit, *Væ etiam mihi ;* et [a] fundibali ictu in eadem voce emisit spiritum.

## CAPUT XVII.

Urbem etiam cum templo, vetustis etiam litteris scriptum erat, tunc perituram, cum tetragonum templum factum fuisset. Itaque sive obliti, sive obstupefacti ingruentium malorum necessitate, ubi occupata est Antonia, tetragonum in circuitu templi [b] fecerunt. Inter quæ illud præcellentissimum, quod in litteris æque vetustis (quas sacras vocabant) manebat impressum, quod secundum illud tempus, futurus esset vir qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore posuit, ut sibi non solum libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alii ad Vespasianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Jesum, qui secundum carnem genitus ex Maria regnum suum per universum mundum diffudit. Tantis itaque rebus [c] manentibus, non potuerunt cavere quod divinitus decernebatur. Manifestam enim Dei in se cognoscentes iram, ad consolationis alicujus remedium pertingere renuerunt : tanta sceleris obnubilatio mentium oculos obduxerat.

## CAPUT XVIII.

Desperatis siquidem et eorum rebus, auctor turbarum Eleazarus, inter cætera diffidentiæ verba, abjectionis suæ a Deo sic conquestus est : O miseri, ad quam spem istius vitæ nos reservamus ? Esto, hostis ignoscat, quid proderit cum Dei offensa clara ? ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamina, flammæ retortæ, ut nostra subsidia demerentur. Quis poterit adversante Deo vivere ? Nullus veniæ locus, sed manifestum voluntariæ mortis imperium. Quid enim nox intervenit, nisi ut nos hostis non præveniret, nec deusto murali præsidio continuo irrumperet ; sed ut nobis exercendæ mutuæ necis tempus reservaretur, liceretque cum liberis nostris et necessitudinibus mori, ne videremus anhelos senes anusque a Romanis pertrahi, charissimas conjuges ad victoris libidinem rapi ? Commoriamur patriæ, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quo igitur fugiemus a facie Dei, aut quo ibimus infenso nobis cœli Domino ? Si cadant super nos montes et concavis specubus abscondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis ? quo enim progrediemur, ut non sit Deus, cum ipse ubique sit ? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quod jam dudum genti nostræ pro peccatis nostris infestus sit, qui ante præsidebat ? Quis hoc dubitet, cum videat, quod in nos manus nostræ conversæ sint, pluresque seditio domestica, quam bellum exstinxerit ?

## CAPUT XIX.

Non donabo Romanis quod vicerint, nec ipsi sibi hoc vindicant, qui sciunt, quod omnes fere nostris potius armis, quam alienis perierimus : quique Romanorum arma viderunt Cæsaream inhabitantes Ju-

A dæi, quorum feriato die sabbati inter solemnes nostrorum sacrorum cultus multitudo gentilium Cæsariensium, repentino quodam impetu et misso desuper furore succensa viginti millia delevit, omnes fugavit, ut totam urbem exinaniret. Nonne Syriam totam quidem implevit dementia, ut Judæi atque gentiles in iisdem urbibus siti, et incolatus gratia sibi prius nexi, postea inter se armis collidererent, quo Romanis vadum futuræ victoriæ constitueretur ? Nam quid de Scythopoli loquar ? quo Judæi primo contenderant, ut gentilem populum prævenirent, ne quid adversus nostros exemplo cæterarum urbium machinaretur ? Itaque quos par fuit conjunctos adversum alienigenas viribus bello decernere, hæc e contrario adversum se Judæi decertaverunt ; ut pars eorum adversus cognatos et proximos suos præliaretur. Deinde ipsi pro pretio laboris, et impensi sanguinis a gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri in gentibus.

B Damasceni, nulla existente causa, octo millia Judæorum straverunt. Ascalonitæ [d] duo millia quingentos. In urbe quoque cui Ptolemais nomen, cæsi duo millia. Alexandriæ vero vetus erat odium inter Judæos et gentium populos, ex quo magnus Alexander usus est studio Judæorum ad Ægyptios subjiciendos : unde condita urbe ex æquo Judæis et Ægyptiis attributa privilegia et habitationes diversæ, ne eorum cultus permisceretur qui purificationes suas sine ulla volebant contagione servare. Hinc frequentes inter eos conflictus fuere, exorta jurgia, judicium petitum. Nihil tamen ex tanti regis temeratum liquet fuisse

C beneficiis, sed postea a gentilibus exorto tumultu, cum Judæorum necati aliqui, alii ad pœnam detinentur : injuria motum Judæorum populum adversum auctores injuriæ insurrexisse : et cum pertinacius se de civibus ultum iri vellent, inductum exercitum Romanum qui sexaginta Judæorum millia intra urbem fuderit.

## CAPUT XX.

Verum quid in levioribus moror, cum excidium totius orbis in unius civitatis ruina nobis deplorandum sit ? Ubi est maxima civitas Hierusalem ? ubi decora Sion ? ubi templum mirabile ? ubi secundum illud tabernaculum sanctitatis sacrarium, quo semel in anno solus princeps sacerdotum solebat intrare non sine sanguine, quem pro se offerret et populi de-

D licto ? Profanatum gentibus : habitant in reliquiis urbis qui eam destruxerunt. Ubi, inquam, es, civitas referta populis, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ sedes ? pavimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore ; portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes interfecti, et qui te jugiter inhabitabant, et qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conveniebant, ut non dubium sit totum in te mundum periisse. Nudata omnia, a culminibus cremata, a fundamentis diruta : facta

[a] Editi *fundibulari*. De hac vero emendatione videsis quæ annotabamus superius ad caput 44 lib. v. GALLAND.

[b] Editi perperam *defecerunt*. Cæterum hic locus superius lib. v, cap. 44, sub finem, sic effertur : *tetragonum circuitum templi fecerunt*. GALLAND.

[c] *Monentibus*. BARR.

[d] Josephus, *octodecim millia*. ID.

Digitized by Google

est habitatio tua deserta; nec est qui in tabernaculis tuis inhabitet, et adhuc quemquam vivere libet, et non vixisse pœnitet? Duri oculi, qui hæc videre possunt : immites animi, qui velle possunt ut tantis supersint doloribus, non quod defecerit clades, sed quod jam nulla requies. Quo enim circumferamus oculos, aut quid decernere delectet? urbs tota sepulcrum mortuorum est : solem spectantibus occurrunt favillæ; viæ vacuæ viventium, repletæ cadaveribus. Miseri seniores cinerulenta canitie, et scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent, nuda tegentes ossa, quo defendant a volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam servaverit. Quis hæc videns et de comperendinatione vivendi cogitans, audeat ad cœlum levare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cujus tam semiviri sit mollis spiritus? Quis ita meticulosus, quem non pudeat his reservatum? Utinam quidem olim defecti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset prius quam sanctam urbem dirutam hostium manibus intueremur, templumque hoc a majoribus nostris sacratum Deo, tam impie flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus jacere interfectos!

## CAPUT XXI.

Emendemus ergo, quod his superviximus malis, ut videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumvallavit hostis omne munimentum. Nil superest, nisi aut nos, aut conjuges nostræ : jam sibi filios nostros in auctione constituunt, certantque inter se, quis cujus abducat uxorem, utrum pro dignitatum meritis personarumve ordinibus distribuendæ sint, aut [a] sortibus subire cogendi miserabiles; nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima : non solum ardentes flammæ, aut diversæ neces victricis ictu securis : duro quidem post vincula, post carcerem, post jugum supplicio, sed tolerabiliore viris, si ludibrio vacet; sed etiam avulsi artus viventibus, et præcipue truncatæ manus. Nec immerito, quia defuerunt suo muneri, cum possent sibi subvenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diversis jam celebratur arenis urbium : vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu mirabile, ut reservemur, aut bestiis, aut fratribus præliaturi.

## CAPUT XXII.

Et id genus alia multa Eleazarus in medium proferebat diffidentiæ et desperationis plena. Ex quibus omnibus, et ipsis rerum eventibus *cum Judæi sibi manifeste iratum Deum cognovissent; non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; et obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I, 21); et eum *qui ad oves tantum domus Israel perditas venerat* (*Math.* XV, 24), oderunt, odientes crucifixerunt, et gloriam resurrectionis evacuare moliti sunt. Nam si non cognovissent, rei adeo nequaquam exstitissent. Unde ipse de eis Dominus: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum* (*Joan.* XV, 22-24). Cognoverunt siquidem [b] ex Patre quomodo et dæmones dicentes : *Scimus quod sis Filius Dei* (*Marc.* I, 24; *Luc.* IV, 33) : videntes mirabilia, audientes mirabiliora; sed non cognoverunt rei veritatem : quia duri corde detrectaverunt credere. *Si enim credentes vere cognovissent, numquam Dominum gloriæ*, ut ait Paulus, *crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Hinc Propheta : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit* (*Isa.* I, 3). Quid per bovem, nisi prædicator sanctus quisque intelligitur, in semine verbi Dei illaborans? Quid per asinum, nisi brutus gentium populus designatur? qui audiens pastoris cujuslibet prædicationem, mox ad præsepe Domini cucurrit, ut pabulo verbi Dei adhæreret.

## CAPUT XXIII.

Bene autem post quadraginta et duos visitationis suæ annos Israel a terra promissionis exterminatur, quia post quadraginta egressionis ab Ægypto annos, in eam introductus perhibetur; in quibus duas decalogi lapideas secundo suscepit tabulas, per quas perfiguratur biennium, ad adversionis numerum destinatum; in quibus etiam maxime notanda est ænei serpentis exaltatio, cujus respectu quisque moribundus vitæ restituebatur. Sicut enim illo temporis spatio et manna pasti sunt, et per mediatorem Mosen legem tabulis descriptam lapideis acceperunt, et qui in articulo mortis serpentem non respexerunt exaltatum, perierunt : sic intra hoc eversionis tempus verum manna (unde dictum fuerat (*Joan.* VI, 51) : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo*, etc.) haurire salubriter renuentes, verumque mediatorem Christum Jesum, de quo præcinebatur : *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris; tamquam me ipsum audietis, quem si quis non audierit, exterminabitur de populo suo* (*Deut.* XVIII, 15-18) : ejusque legalia in se ipso vera petra descripta sequi dissimulantes, exaltatum in cruce, et a mortuis surrexisse, sub articulo miserrimæ eversionis credere respuentes, a terra promissionis exterminati, perierunt : ut *populus ille qui sedebat in tenebris et habitabat in regione umbræ mortis* (*Esa.* IX, 2), lucem æternam videns resurrectionis, in eam cum plenitudine sua introeat; et sic *reliquiæ Israel salvæ fiant* (*Rom.* IX, 2), quatenus ex duobus parietibus, una conseratur in resurrectione Ecclesia super illum lapidem angularem *qui faciet utraque unum* (*Ephes.* II, 14), Dominum nostrum Christum Jesum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[a] *Sortitus* restituebat Barrensis superius, ad lib. V, cap. 53, circa fin. GALLAND.

[b] Legendum forsan *ex parte*. BARR.



Digitized by Google

# CONCORDANTIÆ S. AMBROSII ET JOEPHI

## DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ.

| S. Ambrosii De Excidio Hieros. Lib. | Cap. | Josephi De Bello Jud. Lib. | Cap. |
|---|---|---|---|
| I | I | I | I |
| I | II | I | II, II |
| I | III | I | III, III |
| I | IV | I | IV |
| I | V | I | IV |
| I | VI | I | V, V |
| I | VII | I | VI, VII |
| I | VIII | I | VIII, VIII |
| I | IX | I | IX |
| I | X | I | X |
| I | XI | I | XI |
| I | XII | I | XI |
| I | XIII | I | XI |
| I | XIV | I | XII, XII |
| I | XV | I | XIII, XIII |
| I | XVI | I | XIV, XV |
| I | XVII | I | XVI |
| I | XVIII | I | XVI, XVII |
| I | XIX | I | XVI |
| I | XX | I | XVII |
| I | XXI | I | XVII |
| I | XXII | I | XVII |
| I | XXIII | I | XVII |
| I | XXIV | I | XVIII |
| I | XXV | I | XIX, XX |
| I | XXVI | I | XX |
| I | XXVII | I | XX |
| I | XXVIII | I | XX |
| I | XXIX | I | XXI, XXI |
| I | XXX | I | XXII |
| I | XXXI | I | XXIII, XXIV |
| I | XXXII | I | XXIV |
| I | XXXIII | I | XXV |
| I | XXXIV | I | XXVI |
| I | XXXV | I | XXVII |
| I | XXXVI | I | XXVII |
| I | XXXVII | I | XXVII |
| I | XXXVIII | I | XXVII |
| I | XXXIX | I | XXVII |
| I | XL | I | XXVII |
| I | XLI | I | XXVII |
| I | XLII | I | XXVII |
| I | XLIII | I | XXVII |
| I | XLIV | I | XXVII |
| I | XLV | I | XXVII |
| I | XLVI | I | XXVII |
| II | II | II | I |
| II | II | II | II |
| II | III | II | III |
| II | IV | * | * |
| II | V | II | III, IV |
| II | V | II | IV, V |
| II | VI | II | IX, X |
| II | VII | II | XI |
| II | VIII | II | XI, XII, XIV, XVI |
| II | IX | II | XVII |
| II | X | II | XVIII, XIX, XX |
| II | XI | II | XXI, XXIV, XXV |
| II | XII | * | * |
| II | XIII | * | * |
| II | XIV | II | XXVI |
| II | XV | II | XXVI |
| II | XVI | II | XXVII |
| II | XVII | II | XXVIII |
| II | XVIII | II | XXVIII |

| Josephi in Antiqq. Libb. de Bello Jud. Lib. | Cap. |
|---|---|
| XII | VI, VII |
| XII | VIII |
| XIII | I |
| XIII | XIII |
| XIII | XIV |
| XIII | XV |
| XIII | XVII |
| XIII | XVIII |
| XIII | XIX |
| XIII | XX |
| XIII | XXI |
| XIII | XXII |
| XIV | I |
| XIV | II, III, IV |
| XIV | IV, V, VI, VII |
| XIV | VIII |
| XIV | VIII, IX |
| XIV | X |
| XIV | XI, XII |
| XIV | XIII |
| XIV | XIV, XV |
| XIV | XVI |
| XIV | XVI |
| XIV | XVII, XVIII |
| XIV | XVIII, XIX, XX |
| XIV | XX |
| XIV | XXI, XXII |
| XIV | XXIII |
| XIV | XXIV, XXV |
| XIV | XXVI, XXVII |
| XV | IV, V |
| XV | VI |
| XV | VII |
| XV | VIII |
| XV | IX, X, XI |
| XV | III |
| XV | II, III |
| XV | I, VIII, IX |
| XV | IX |
| XVI | XIII |
| XVI | XVII, XIX, XX |
| XVII | I, II, III, IV |
| XVII | V |
| XVII | V, VI, VII |
| XVII | VIII, IX, X |
| XVII | XI, XII |
| XVII | XVI |
| XVII | XVII, XVIII |
| XVIII | VII, VIII, IX |
| XVIII | X, XIV |
| XVIII | XV, XVI |
| XIX | XII |
| XX | XV, XIX |
| XX | XVIII |
| XX | XVIII, XIX, XX |
| * | * |
| XX | XXII |
| VIII | * |
| * | * |
| XX | XXII |

* *(Huc usque Joseph. in Antiq. libb. A duodecimo enim usque ad XX prosequitur passim historiam excidii Hierosolymitani.)*

Digitized by Google

| S. Ambrosii De Excidio Hieros. Lib. | Cap. | Josephi De Bello Jud. Lib. | Cap. | Josephi in Antiq. Libb. de Bello Jud. |
|---|---|---|---|---|
| III | I | III | I | (*A* XII *usque ad* XX *prosequitur passim historiam excidii Hierosolymitani.*) |
| III | I | * | * | |
| III | II | III | I | |
| III | III | III | I | |
| III | IV | III | II | |
| III | V | III | III | |
| III | VI | III | IV | |
| III | VII | III | V, VII, VIII, IX | |
| III | VIII | III | X | |
| III | IX | III | XI | |
| III | X | III | XII, XIII | |
| III | XI | III | XIV, XVI | |
| III | XII | III | XVIII | |
| III | XIII | III | XIX | |
| III | XIV | III | XX, XXI | |
| III | XV | III | XXI | |
| III | XVI | III | XXI | |
| III | XVII | III | XXII | |
| III | XVIII | III | XXIII | |
| III | XIX | III | XXIV | |
| III | XX | III | XXV | |
| III | XX | III | XXVI, XXVII | |
| III | XXI | III | XXVII | |
| III | XXII | III | XXVIII | |
| III | XXIII | III | XXVIII, XXIX | |
| III | XXIV | III | XXX | |
| III | XXV | III | XXX | |
| III | XXVI | III | XXXI, XXXII | |
| IV | I | IV | I, II | |
| IV | II | IV | III | |
| IV | III | IV | V, VI | |
| IV | IV | IV | VII, IV | |
| IV | V | * | * | |
| IV | VI | IV | VIII, IX | |
| IV | VII | IV | IX | |
| IV | VIII | IV | X | |
| IV | IX | IV | XI | |
| IV | X | V | I | |
| IV | XI | V | II | |
| IV | XII | V | III | |
| IV | XIII | V | IV, V | |
| IV | XIV | V | VI | |
| IV | XV | V | VII | |
| IV | XVI | V | VIII | |
| IV | XVII | V | VIII | |
| IV | XVIII | V | IX | |
| IV | XIX | V | X | |
| IV | XX | V | XI | |
| IV | XXI | V | XII | |
| IV | XXII | V | XIII | |
| IV | XXIII | V | XIII | |
| IV | XXIV | V | XIV | |
| IV | XXV | V | XV, XVI | |
| IV | XXVI | V | XVII | |
| IV | XXVII | V | XVIII | |
| IV | XXVIII | V | XVIII | |
| IV | XXIX | V | XIX | |
| IV | XXXI | V | XIX | |
| IV | XXXII | V | XIX | |
| IV | XXXIII | V | XIX, XX | |
| V | I | VI | I, II | |
| V | II | VI | * | |
| V | III | VI | III | |
| V | IV | VI | IV | |
| V | V | VI | V | |
| V | VI | VI | VI, VII | |
| V | VII | VI | VII | |
| V | VIII | VI | VIII, X | |
| V | IX | VI | VIII, IX | |
| V | X | VI | X | |
| V | XI | VI | XI, XII | |
| V | XII | VI | XII, XIII, XIV | |

Digitized by Google

| S. Ambrosii De Excidio Hieros. Lib. | Cap. | Josephi De Bello Jud. Lib. | Cap. | Josephi in Antiq. Libb. de Bello Jud. |
|---|---|---|---|---|
| V | XIII | VI | XV | (*A* XII *usque ad* XX *prosequitur passim historiam excidii Hierosolymitani.*) |
| V | XIV | VI | XVI | |
| V | XV | VI | XVII | |
| V | XVI | VI | XVIII | |
| V | XVII | VI | XIX | |
| V | XVIII | VI | XX | |
| V | XIX | VI | XXI | |
| V | XX | VI | XXI | |
| V | XXI, XXI | VI | XXII, XIII, XIV | |
| V | XXII, XXII | VI | XXV, XXVI | |
| V | XXIII | VI | * | |
| V | XXIV | VI | XXVII | |
| V | XXV | VI | XXVII | |
| V | XXVI | VI | VIII | |
| V | XXVII | VII | I | |
| V | XXVIII | VII | II | |
| V | XXIX | VII | II | |
| V | XXX | VII | III | |
| V | XXXI | VII | IV | |
| V | XXXII | VII | V | |
| V | XXXIII | * | * | |
| V | XXXIV | VII | V | |
| V | XXXIV | VII | VI | |
| V | XXXV | VII | VII | |
| V | XXXVI | VII | VIII | |
| V | XXXVII | VII | IX | |
| V | XXXVIII | VII | X | |
| V | XXXIX | VII | XI, XII | |
| V | XL | VII | XIII | |
| V | XLI | * | * | |
| V | XLII | VII | XIV, XV | |
| V | XLIII | VII | XVI | |
| V | XLIV | VII | XVII | |
| V | XLV | VII | XVIII | |
| V | XLVI | VII | XIX | |
| V | XLVII | VII | XX, XXII | |
| V | XLVIII | VII | XXIII | |
| V | XLIX | VII | XXIV, XXV, XXIX | |
| V | L | VII | XLII | |
| V | LI | VII | XXXV | |
| V | LII | VII | XLIII, XLIV | |

# ELENCHUS

## MANUSCRIPTORUM NECNON EDITORUM CODICUM

### AD QUOS EXACTA ET CASTIGATA SUNT EA SANCTI AMBROSII OPERA QUÆ IN HOC PRIMO TOMO COMPREHENDUNTUR.

LIBRI HEXAEMERON.

Collati sunt cum mss.

Vaticanis, seu variantibus lectionibus e Vaticana bibliotheca excerptis.
Corbeiensi alias, nunc San-Germanensi, scripto litteris Longobardicis, et annos plus minus 800 præferente.
Corb. altero, nunc etiam San-Germ. sed recentioris manus.
San-Germ. tertio, non remotæ etiam antiquitatis.
Thuaneo alias, nunc Colbertino, annorum circiter 700.
Colb. altero, annorum non amplius 400.
Victorinis duobus, annorum etiam non multo amplius 400,
Regio uno adhuc ævi recentioris.
Dionysiano uno annorum, ut videtur, 500.
Carnutensi, nimirum e monasterio sancti Petri in Valle, uno litteris Longobardicis ante 800 annos exarato.
Bigotiano uno annorum, uti videtur, plusquam 600.
Gemeticensi uno anno circiter 500.
Benigniano uno, hoc est, e monasterio S. Benigni Divionensis, eleganti, atque annos 800 præ se ferente.
Remigiano uno, id est, e monasterio sancti Remigii apud Remos, annorum similiter 800.
Cœnomanensi uno, sive monasterii sancti Vincentii Cœnom. ætate non multo inferiore scripto.

Item cum editionibus.

Amerbachii vulgata Basileæ anno 1492.
Erasmi apud Cl. Chevallonium, Parisiis anno 1529.
Joan. Gillotii apud Guil. Merlin, etc., Parisiis anno 1568.
Cardinalis Felicis de Monte alto, apud Dom. Basam Romæ anno 1579.
Ejusdem cardinalis excusis Parisiis, an. 1603, 1614, 1642 et 1661.

Digitized by Google

*Porro cum ferme ad easdem edit. quilibet hujus voluminis tractatus sint castigati, ipsarum in posterum recensionem prætermittemus.*

LIBER DE PARADISO.

Collatus est cum mss.

Vatic. seu variant. lection. de quibus supra.
Claromontano, seu e collegio Lud. Magni, uno anno 800.
Thuan. nunc Colb. uno anno 800.
Colb. alio annorum circiter 500.
Bigot. uno anno ferme 600.
Laudino, seu Canonicorum reg. sancti Laudi Rothomagensis, uno anno ad summum 500.
Gemet. uno anno circiter 600.
Michaelino, seu e monasterio sancti Michaelis in Periculo maris, uno ejusdem ætatis.
Remensi, sive ecclesiæ B. Mariæ apud Remos, uno, quem cum eidem Ecclesiæ Hincmarus archiepiscopus dederit, scriptum ante annos 800 dubium non est.
Remig. uno annorum circiter 400.
Theodericensi, seu e monasterio sancti Theoderici prope Remos, uno anno 500.
Benign. uno anno 800.
Tornacensi, seu e monasterio sancti Martini Tornacensis, uno anno etiam 500.

LIBRI DE CAIN ET ABEL.

Castigati sunt ad mss.

Vatic. duos optimæ notæ.
Benign. unum ann. 800.
Floriacensem, seu e monasterio sancti Benedicti ad Ligerim, unum antiquæ manus.
Laudinum unum recentiorem quidem, sed satis emendatum.

LIBER DE NOE ET ARCA.

Recensitus est ad mss.

Vatic. duos, ut supra.
Corb. nunc Germ. unum anno circiter 800.
Colb. unum anno fere 500.
Mazarinum e bibliotheca Regia, non sane perantiquum, sed accuratissime exaratum.
Tornacensem unum anno 500.
Longipontinum, seu e monasterio Longipontis ordinis Cistert. unum anno etiam circiter 500.
Valliclarensem, seu e monasterio Vallis-Claræ ord. quoque Cistert. unum ejusdem similiter ætatis.

LIBRI DE ABRAHAM.

Collati sunt cum mss.

Vatic. seu lection. Vat. ut supra.
Corb. nunc Germ. uno anno 800.
Colb. uno anno circiter 500.
Mazar. nunc regio anno non amplius 300.
Reg. alio, valde imperfecto, nec ætatis remotioris.
Vallic. uno annorum plus minus 300.
Long. uno ejusdem ferme antiquitatis.
Theod. uno etiam anno circiter 500.
Torn. uno similiter æquali superioribus.

LIBER DE ISAAC ET ANIMA.

Castigatus est ad mss.

Vatic. de quibus supra.
Thuan. unum, nunc Colb. anno 800.
Colb. alium anno paulo minus 500.
Bigot. unum, etiam anno circiter 600.
Ebrulphensem, seu e monasterio sancti Ebrulphi, unum non multo inferioris ætatis.
Remig. unum annorum ut minimum 400.
Theod. unum ann. 500.
Torn. unum ann. etiam 500.
Long. unum, et Vallic. unum ejusdem antiquitatis.
Joyacensem, hoc est, e monasterio de Joyaco Cistert. ordinis, unum annorum amplius 400.

LIBER DE BONO MORTIS.

Collatus est cum mss.

Vatic. ut supra.
Thuan. nunc Colb. uno ann. 800.
Colbert. alio ann. prope 500.
Regiis duobus ann. amplius 400.
Bigot. uno ann. circiter 600.
Pratellensi, seu e monasterio sancti Petri de Pratellis, uno ann. pariter 600.
Michael, uno ejusdem propemodum ætatis.
Albiniano, hoc est, e monasterio sancti Albini Andegavensis, uno bonæ antiquitatis.
Cœnom. uno ejusdem notæ.
Floriac. uno ævi non inferioris.
Remig. uno ann. circiter ann. 400.
Theod. ann. amplius 500.
Torn. uno. Long. uno. Vallic. uno. Joyac. etiam uno; qui omnes sont ejusdem fere antiquitatis.

DE JACOB ET VITA BEATA.

Recensitus est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, ut supra.
Thuan. nunc Colb. unum ann. 800.
Colb alium ann. fere 500.
Victor. unum ætatis paulo antiquioris.
Bigot. unum ann. plusquam 600.
Remig. unum ann. ut minimum 400.
Theod. unum ann. 500.
Tornac. unum propemodum ejusdem ætatis.
Long. unum, Vallic. unum, Joyac. unum, etiam ann. circ. 500.

DE FUGA SÆCULI.

Castigatus est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, de quibus supra.
Thuan. nunc Colb. unum ann. 800.
Colb. alium ann. ferme 700.
Colb. tertium et quartum, ann. circ. 500.
Vict. unum ann. amplius 600.
Bigot. unum ann. haud minus 600.
Pratell. unum ann. etiam circ. 600.
Fiscanensem unum ann. 500.
Ebrulph. unum ætatis non inferioris.
Albin. unum optimæ notæ.
Remig. unum ann. circ. 400.
Theod. unum ann. 500.
Torn. unum æqualis ætatis.
Alnetinum, hoc est, e monasterio B. M. de Alneto Cistert ord. unum, ann. circ. 500.
Vallic. unum ejusdem similiter ætatis.

DE JOSEPH PATRIARCHA.

Collatus est cum mss.

Vatic. seu var. lect. de quibus supra.
Corb. nunc Germ. uno ann. 800.
Germ. alio ann. 400.
Colbert. uno ann. circ. 500.
Fulientino, seu e monasterio S. Bernardi Paris. uno etiam ann. non minus 500.
Ebrulph. uno, Michael. uno, Albin. uno, ejusdem ætatis.
Benign. uno ann. 800.
Laudunensi, sive insignis ecclesiæ Laudunensis, uno ann. 700.
Theod. uno, Torn. uno, Vallic. uno, ann. circ. 500.

DE BENEDICTIONE PATRIARCHARUM.

Castigatus est ad mss.

Vatic. seu variantes Lectiones de quibus supra.
Corb. nunc Germ. unum ann. 800.
Germ. alium ann. 400.
Regium unum, Full. unum, Ebrulph. unum, Michael unum, Albin. unum, Theod. unum, ann. circ. 500.
Tornac. unum ann. 500.
Laud. unum ann. 700.
Benign. unum ann. 800.

DE ELIA ET JEJUNIO.

Collatus est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, de quibus supra.
Thuan. nunc Colb. uno ann. 1000.
Colb. alio ann. circ. 500.
Germ. uno ann. 500.
Victor. uno ejusdem ætatis.
Michael. uno ann. circ. 600.
Laudun. uno ann. ferme 700.
Tornac. uno ann. 500.
Valliluc. seu e monasterio Vallis Lucentis Cistern. ord. uno ejusdem ætatis.

DE NABUTHE JESRAELITA.

Recensitus est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, de quibus supra.
Thuan. unum, nunc Colbert. ann. 1000.
Thuan. alterum, nunc etiam Colb., sed recentiorem.
Colbert. tertium ann. amplius 500.
Colb. quartum ejusdem ætatis.
Clarom. unum ann. 800.
Mazar. unum, nunc Reg. ann. 300.
Dionys. unum ann. 500.
Pratell. unum ann. plusquam 600.
Gemet. unum ætatis haud multo inferioris.
Laudinum unum, sed recentiorem.

Digitized by Google

Michael. unum ann. circiter 600.
Albin. duos ejusdem aut supparis ætatis.
Vindocinensem unum, hoc est e monasterio SS. Trinitatis Vindoc. ann. circ. 700.
Remen. unum ab Hincmaro datum, proindeque ann. ut minimum, 800.
Remig. unum sat bonæ notæ.
Laudun. unum ann. circ. 700.
Theod. unum, ann. amplius 500.
Benig. unum ann. 800.
Tornac. unum ann. 500.
Pontiniacensem, seu e monasterio Pontin. ord. Cistert. unum, ann. circiter 500.
Carolilocensem seu e monasterio Caroliloci ejusdem ordinis Cistert. unum, ætatis etiam non inferioris.

LIBER DE TOBIA, NECNON

LIBRI DE INTERPELLATIONIBUS JOB ET DAVID.

Collati sunt cum mss.

Vatic. seu variant. lect. ut supra.
Thuan. nunc Colbert. uno, ann. 1000.
Colbert. alio, Victor. uno, Dion. uno, Tornac. uno, ann. circ. 500.
Laudun. uno ann. 700.

*Hos autem tractatus ab invicem propterea non disjunximus, quia iisdem in manuscriptis continentur.*

APOLOGIA DAVID PRIOR.

Collata est cum mss.

Vatic. seu variant. lectionibus, ut supra.
Thuan. uno, nunc Colbert. ann. 1000.
Colbert. aliis duobus ann. circ. 500.
Reg. uno ann. circ. 500.
Mazar. nunc Reg. uno ann. 500.
Corb. nunc Germ. uno ann. 800.
Victor. uno ann. circ. 500.
Dionys. ejusdem aut supparis ætatis.
Audoeniano, seu e monasterio S. Audoeni Rothomagensis uno, ann. 600.
Albin. duobus melioris notæ.
Cœnom. uno bonæ antiquitatis.
Laudun. uno ann. circ. 700.
Remig. uno ann. 400.
Theod. uno ann. circ. 500.
Benign. uno ann. 800.
Tornac. uno ann. circ. 500.

APOLOGIA POSTERIOR.

Castigata est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones de quibus supra.
Regium unum anno circiter 500.
Mazar. unum ann. 500.
Colbert. duos, Victor. unum, Dion. unum, ann. circ. 500.
Laud. unum ann. circ. 700.
Theod. unum circ. 500.

ENARRATIONES IN PSALMOS XII.

Collatæ sunt cum mss.

Vatic. de quibus supra.
Regio uno ann. 600.
Thuan. uno, nunc Colb. ann. 500.
Colbert. alio, Victor. uno, ejusdem ætatis.
Remig. uno ann. 400.
Vallic. uno, et Long. uno ann. 900.

ENARRATIO IN PSALMUM CXVII.

Recensita est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, ut supra.
Regium unum ann. plus minus 500
Sorbonicos duos circ. ejusdem ætatis.
Navarricos duos ætatis etiam non multum diversæ.
German. unum ann. circiter 400.
Colbert. unum etiam ann. totidem.
Audoen. unum ann. circ. 500.
Gemet. unum ann. circ. 400.
Fiscan. unum ann. circ. 600.
Ebrulph. unum ejusdem aut supparis ætatis.
Vindoc. unum ann. fere totidem.
Remen. unum notæ non multo inferioris.
Remig. unum ann. circiter 500.
Theod. unum ann. circ. 500.
Lætiensem, hoc est, e monasterio Lætiensi in Hannonia unum, cujus ætatem aut characterem discere nobis non licuit.

EXPOSITIO IN LUCAM.

Castigata est ad mss.

Vatic. seu variantes lectiones, de quibus supra.
Corb. nunc Germ. unum ann. 950.
Colbert. quinque ann. 600, 500 et 400.
Victor. unum ann. circ. 400.
Fulien. unum circ. 500.
Reg. unum ann. circ. 200 aut 300.
Clarom. ejusdem ætatis.
Gemet. unum ann. 600.
Pratel. unum 700.
Taurin. unum anno 600.
Michael. unum ann. circ. 700.
Albin. unum ann circ. 500.
Carnut. unum ævi non recentioris.
Remens. unum ann. 700 vel 800.
Remig. unum ejusdem antiquitatis.
Sorb. unum ann. 300.

# INDEX

## RERUM ET SENTENTIARUM.

N. B. *Duplex in hoc Indice adhibetur notatio arithmetica : prior, quæ crassioribus characteribus respondet, textui continenter insertis, editionis Benedictinæ columnas indicat, numeros posterior.*

### A

Aaron figura Christi, 861, 8. Cur terram repromissionis non introierit? 1245, 20.
Abel figura Christi, 862, 12. Et Ecclesiæ populique Christiani, 185, 5. Cur Caino præferatur, 187, 11. Cur sacrificium ejus Deo plus placuerit, 768, 7. Obtulit Deo non secunda sed prima, non exigua sed pinguia. 202, 402. Cur ille pastor, Cain vero operarius terræ legatur, 195, 24. Illi ambo duas sectas sibi compugnantes significabant, 184, 4. Per eos sapientiæ humanæ processus designatur, 187, 10.
Abnegatio. Ab eo deficit spiritus suus, et Christo adest, qui seipsum negat, ut illi adhæreat, 870, 47; 1104, 8.
Abominatio desolationis quæ sit, 1507, 15. Quæ secundum Judæos, *Ibid.*
Abram cur, mutato nomine, vocatur Abraham, 292, 27. Eum votis suis Philosophia æquare non potuit, 282, 3. Ille disputationes Philosophorum divites facit, qui de ejus actu præcepta formarent sua, 322, 25. Quare Moyses eum nobis imitandum proposuerit, 281, 2.
Abrahami quanta devotio, in exsequendis mandatis Dei, 282, 3. Quanta ejus hospitalitas, 294, 32. Nonaginta novem annos cum processisset, puer cur dicatur, 298, 25. Quomodo Deus eum tentaverit, 304, 66 *et seq.* Tentatione Domini comprobatus est fidelis, 148, 9. Ducebatur plerumque falsa specie bonorum, sed non penitus inclinabatur, 315, 6. Num de ancilla filium suscipiens, adulterium commiserit, 209, 22 *et seq.* Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus, 285, 3. Triumpho humilior factus est, 287, 16. Quoniam propter Deum contempsit omnia, recipit ab eo multiplicata omnia, 285, 9. Hoc quod pro magno inter Sapientum dicta celebratur ἕπου θεῷ, id est, Sequere Deum, ipse perfecit, 285, 4.
Abraham a stellarum observatione demigrans Deum vidit, 317, 9. Quomodo viderit Dominum, 1267, 6. Dominus apparuit ei revelans sui corporis passionem, 507, 78. Per-

Digitized by Google

f ctæ in personis singulis Trinitati interiore mentis arcano deferebat, 197, 30. Quomodo prophetabat venturum justitiæ Solem, 317, 11. Prophetavit quod ignorabat, 306, 71.

Abraham et David cur Matthæus generis Christi auctores potissimum nominandos elegerit, 1316, 6 *et seq.* Congregationes gentium, et sacrosanctus Ecclesiæ cœtus oraculo divino Abrahæ primo promissa sunt, *ibid.* Propago ejus diffusa est per hæreditatem fidei, 289, 21. Qui sint semen Abrahæ, et inter filios ejus recipiantur? 805, 61. Non solum credidit multitudinem populorum in Christum credentium, sed etiam cœlestis gratiæ splendorem, et resurrectionem vitæ immortalis soboli Ecclesiæ deferendam, 333, 48. Cur justi in Abrahæ sinu requiescere leguntur, 846, 11.

Absinthii herba cum oleo cocta qui ungitur, eum culices non tangunt.

Abstinentia ad paradisum revocavit, 538, 7.

Abstinentiæ divitum ac pauperum elegans comparatio, 569, 16. Divites jejunant ut crimen admittant, 577, 44 *et* 45. Abstinentia in iis qui lustrale certamen subeunt, requiritur, 885, 1.

Abyssus multitudo et profundum aquarum dicitur, 19, 32.

Achab. *Vide* Avaritia.

Accipitres in proprios fetus inclementiæ neutiquam accusandi, 103, 59.

Accolam inter et incolam, et advenam discrimen, 837, 36.

Accusator gravior unusquisque sui est, et inexcusabilem in se fert ipse sententiam, 959, 13. Ipsum te fugere tui accusatorem non potes, quem convenit propria conscientia, 977, 10. Non absurdum videtur, ut justus sit is qui se pro alio accuset, 1050, 21.

Actio et intentio quid sit, et quomodo differant, 1268, 8 *et* 9. Pro actibus hominis remunerationis est qualitas, 1481, 47.

Adam interpretatione latina homo dicitur, 979, 15. Ille extra paradisum factus, mulier vero intra paradisum, quid nos doceant, 153, 24. Adam in paradiso vero terrenum interpretati sunt, 149, 11. Figuram accepit Christi, 1333, 49. Ille mens dicitur, Eva sensus, serpens delectatio, 313, 1. Serpentis typum accepit delectatio corporalis, mulier symbolum est sensus nostri, Adam mentis, 179, 73. Adam et Eva typus sunt animæ et corporis, sicut Christi et Ecclesiæ, 1352, 66.

Adam quomodo positus in paradiso operari et custodire, 154, 25. Quem soporem Deus in eum immiserit, 167, 50. Cur bestiæ indomitæ et volatilia cœli deducta sint ad eum, non autem pecora domita, 167, 49.

Adamum prævaricatorem an Deus bonus potuerit creare, 161, 40 *et seq.* An ei scientiam boni et mali recte interdixerit, 156, 30. Cur illi mandatum dederit, quod noverat minime servaturum, 160, 38 *et seq.*

Adamo quis cibus prohibitus, 163, 42. Præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni et mali examinatur, 154, 26. Cur Deus Adæ dixerit *morte moriemini*, et non simpliciter, moriemini, 163, 43. Quomodo qui mortem non gustaverat, mortem timere poterat, 155, 28 *et* 29. Unde mors ei acciderit, 159, 35 *et seq.*

Adam qua fraude dejectus, 738, 3; 753, 33. Triplex Adami peccatum, 1343, 33. De paradiso non descendisset, nisi delectatione deceptus esset, 418, 3. Superbiæ peccato cecidit, 1046, 8. Scire voluit, quod scire non profuit, 1061, 24. Non sua culpa, sed vitio uxoris lapsus est, 174, 62. Cur serpens eum femineis magis illecebris, quam suis commisit venenis, 1163, 28. Gravius in paradiso cecidit, quam si cecidisset in terra, 776, 26.

Adam et Eva quomodo cognoverunt se esse nudos, 174, 63. Quomodo sibi succinctoria fecerint, et quid ea significent, 175, 64 *et seq.* Illos corporales de spiritalibus fecerat culpa commissa, 1108, 14.

Adam ut culpæ reus num a Deo potuerit condemnari, 157, 31 *et seq.* Cur ante increpatur, quam mulier quæ prior peccaverat? 177, 70. Discrimen inter ejus et serpentis condemnationem, 180, 75 *et seq.* Cur ante serpens damnatur, secundo mulier, tertio vir, 179, 73. Cur Deus post peccatum posuerit Adam contra paradisum, 168, 52. Ei non loci, sed morum mutatio naturæ suæ fecit exsilium, 1427, 73. De paradiso ejectus est, et in castellum relegatus, ut ageret pœnitentiam, 787, 21. Castellum erat, in quo relegatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exsilio, 1215, 23. *V.* Eva.

Adam cur illos inextricabiles laqueos incidit, quibus omnis ejus hæreditas strangulatur, 1208, 47. Ejus culpa mors omnium est, 1352, 67. In illo fuimus omnes, et in illo omnes perierunt, 1467, 234. Ejecti eramus de paradiso Domini, ex quo Adam peccati sui conscius vultum Domini declinavit, 630, 32. *V.* Peccatum originale.

Adami cum Christo comparatio, 1336, 7. Nos Adæ ruina vacuavit, sed Christi replevit gratia, 953, 23. Mala Evæ successio totum hominem devorabat: præclara Christi hæreditas totum hominem liberavit, 1155, 41. Nostro periculo Adam scientiæ boni et mali famem solvit: nostro emolumento famem Christus suscepit, 1335, 6. In Adamo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus descendens vulnera ejus acerba curasset, 1428, 73. Christus spolia, quæ diabolus in Adam invaserat, vindicavit, 1241, 11. *V.* Christus.

Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis, 633, 21. Adolescentiæ nostræ motus fida senectutis statione placidantur, 188, 11. Adolescentes magis metu quam ratione revocantur a vitio, 504, 58.

Adriæ cætera maria miscentur, 38, 13.

Advena in terra et peregrinus quis vere dici possit, 1003, 31.

Adversitas et tribulatio quædam gratiæ sunt, 1207, 40 *et seq.* Bonæ sunt tribulationes quæ sunt propriæ justorum, qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinent, 925, 92. Omnia quæ patiatur homo gravia in terra, non propter peccata sua eum perpeti, 653, 2; 657, 11 *et seq.* Non sine Dei judicio in tribulationes venimus, 1197, 8. Quid justo adversa, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosa virtutis, confessio plena victoriæ, 1146, 16. Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis, 1111, 21. Tibi proficit, quod multi persecutores sunt, 1234, 43. Flagella justo remedia sunt salutis, 1112, 26.

Qui prosperorum cursu, et secundorum usurpatione ceciderunt, corriguntur adversis, 900, 30. Confidentiam non habemus in voluptatibus, habemus in passionibus, 1304, 70. In adversis beata vita est, etiamsi multis periculis inundetur, 454, 27 *et seq.* Afflictationes forti viro coronæ sunt, invalido infirmitates, 319, 13. Qui in tribulatione non frangitur, et legem sequitur, beatus est, 754, 34. Eximia aliquorum exempla qui in adversis beati fuerunt, 473, 59 *et seq.* *V.* Martyres.

Hæc prima virtus, ut non frangaris adversis, non extollaris secundis, 753, 31 *et seq.* Ille laudandus gubernator sui, qui secundis non extollitur, adversis non frangitur, 1070, 39. Justus neque dejiciatur adversis, neque extollatur secundis, 1244, 18. *V.* Prosperitas.

In adversis justus non frangitur, 1084, 17. Tunditur sæcularium curarum fluctibus, sed non subruitur, 318, 11. Justi tentantur sæcularibus afflictationibus, sed non alienantur a custodia præceptorum cœlestium, 320, 21. Dominus non frangi nos humilitate usque ad desperationem vult, sed usque ad correptionem, 1115, 5. Quisquis meliora sperat, numquam levioribus frangitur, 1045, 6.

Adversa quæ putantur quare patienter ferenda, 685, 30. Quas Christus pro servulis suis suscipiebat passiones, nos pro Domino subeamus, 829, 32. Quando quatimur adversis, meditatio nobis in lege sit, 1122, 28. Fidelis miles non petit ut persecutiones quiescant, sed in persecutionibus se postulat adjuvari, 1110, 21. Cum animus urgetur adversis, tunc divinum implorat auxilium, 1086, 1. Deus adest suis justis semper, cum aliquibus feruntur adversis, et qua lege, 1243, 16. Justo semper bonus Deus etiam in adversis, 662, 3.

In angustiis justus magis Dominum grato benedicit affectu, 954, 25. Justum in adversis justitiam Dei laudare variis probatur exemplis, 1196, 6 *et seq.* Illud magnificum si subjectus injuriis, contumeliis, ægritudini, inopiæ, judicium Dei laudes, 1098, 53. Magnum si tunc adhæreas Christo quando te procella aliqua conturbat, 1054, 34.

Desolationem sequitur humilitas, humilitatem patientia, patientiam probatio, probationem consolatio, 1087, 4. Quanto majores tribulationes fuerint, tanto uberior consolatio reservatur, 1099, 36. Unum solatii genus in ærumna est culpa vacare, 629, 10. Nihil prosunt flagella post mortem, 665, 8. In hac vita nec prospera permanent, nec adversa diuturna sunt, 748, 24. *V.* Persecutio *et* Tribulatio.

Adversarius fidem promissam esse servandam, 687, 36. Nemo gravior domestico adversario, nemo nocentior hoste eo cui cœlestis substantiæ potentia suffragatur, 885, 1. Ante de occultis pectoris tui atque secretis exterminandum adversarium, 928, 4.

Adulterium grave est, et naturæ injuria, 87, 19. Barbarus agnoscit crimen adulterii esse sibi cavendum, 258, 8. Quidquid in eam quæ non sit legitima uxor commissum fuerit, adulterii damnatur crimine, 291, 25. Quam severe Deus adulterium puniat, 284, 7; 302, 59 *et* 60. In brutis adulteria naturæ ab hominibus procurata arguuntur, 82, 9.

Adulteræ tria spicula sunt, oculi, verba, interpellandi assiduitas, 492, 23.

Ægyptii feminas æque ac masculos circumcidebant, 348, 78.

Æmulationem in bono legimus et in malo, 778, 4 *et seq*

Æmulus pro obliquo et invido ponitur in Scriptura, 781

Digitized by Google

71. Subæmulatio astutiam habet, æmulatio simplicitatem, 781, 10.

Ænon dicitur oculus suppliciorum, 816, 3.

Æquinoctium viii, ut Romani, vel ut alii putant, v kal. April., 255, 60.

Ἀὴρ Græco nomine ver Latine dicitur, 263, 84.

An aer lunæ exortu mutari soleat, 76, 30.

Ætas omnis munifica Christo est, 1293, 36. Vigor animi infirmitatem excludit ætatis, 801, 52.

Æthiopia abjecta et vilis latina interpretatione signatur, 151, 16.

Affectus hominum quamvis sancti sint, sæpe mutantur, 1119, 18. Omnis potentia hominis in affectu est, 1060, 15. Errat oculus, ubi errat affectus, 406, 40.

Agar dicitur habitatio, et cur, 345, 72. Et advena, atque accola, 194, 25.

Agniculus multis licet versetur in millibus ovium, vocem matris agnoscit, et illa filii, 122, 25.

Agnus Paschalis figura erat Christi, 297, 40. Parentes nostri agnum manducantes quid figurarent, 902, 58.

Agri pleni pulchritudo describitur, 46, 36.

Agricolam esse aliud est, aliud operatorem terræ, 271, 107.

Ain littera, id est, oculus, sive fons, 1170, 1.

Alanorum bella, 1506, 10.

Albanus lacus fluctibus non miscetur, 59, 16.

Alea suas habet leges, quas fori jura non solvant, 603, 38.

✠ Allegoria est cum aliud geritur, et aliud figuratur, 292, 28.

Alleluia, hoc est, laus Dei, 973, 3.

Aleph prima littera, cujus interpretatio, doctrina est, 973, 1.

Allio homines delectantur, 123, 28. Sumendum est pro medicamento, non pro cibo, *ibid.*

Amara non inferuntur a Deo, ut noceant, sed ut corrigant, 1084, 16.

Amari se exigit qui omnes amat, 1032, 45. Morale est ut quos diligimus, eos videamus, præ cæteris, 503, 56. Amoris aculei cito corda compungunt, nisi desiderii frena laxentur, 503, 37. *V.* Charitas *et* Dilectio.

Ambitiosus qui terrena maximi facit adorare videtur diabolum, 192, 16. Sæpe quos vitia nulla delectant, facit ambitio criminosos, 1340, 31. Quo remedio telum ambitionis obtundatur, 1343, 34.

Ambrosii Sacerdotii natalis dies quotannis celebratus, 1489, 73. Gaudebat justos diu vivere, eosque mori dolebat, 211, 12. Plurima de Eliæ gestis frequenti diversorum librorum sermone digessit, 537, 5. Non probandi ingenii sui gratia, sed populi sui instruendi causa laborem tractandi suscepit, 35, 7.

Amen cur sæpius in Johannis Evangelio repetitum, 882, 36. Hæc est symphonia quando in Ecclesia Psalmus respondetur, amen dicitur, 1468, 238.

Amiantus nullo facilis igne consumi, 541, 19.

Aminadab significatur pater beneplaciti, 993, 53.

Amygdalis quomodo medicentur agricolæ, ut ex amaris fiant dulces, 55, 56.

Ἀμφίσχιοι qui sint, 73, 23.

Ananias mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude, 769, 9. Morti addictus æternæ, universos ad fidei studium justo terrore composuit, 1197, 7.

Angelorum natura divinior expers manet injuriæ corporalis, 1440, 126. Angeli sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, 1199, 14. Etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus, 9, 17. Laudant Dominum ante ipsum mundi initium, 737, 2.

Angelorum mirablis potestas, 300, 53. Deus eis tantum tribuit, ut vivificandi habeant potestatem, 1356, 79. Quam citius concepto renuntiat peccato, qui Angelorum plena esse omnia considerat, 976, 9. Non est in potestate nostra videre angelum, sed in potestate illius est apparere, 1275, 26.

Angeli custodes boni sunt, 1055, 36. Illos mittit Dominus ad defensionem eorum qui hæredes futuri sunt promissorum cœlestium, 976, 9. Unusquisque angelorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam, 1462, 210.

Angeli aliter quam homines egent misericordia Dei, 1066, 29; 1077, 58. Archangelus ipse a peccato non potuit abstinere, 1352, 76. Quo errore angeli de sua virtute et gratia dejecti, 677, 4. Leve vitium in angelo judicio graviore censetur, 1066, 29. Laus Jobi inferioris substantiæ, condemnatio est angeli, qui de statu superiore dejectus est, 824, 21. Quam inanis pompa jactantiæ angelicæ, 770, 11.

Angeli mali et diabolus in quo loco sint, 1077, 58. Terrenis capti detinentur illecebris, 1078, 58. Ad commune jus indulgentiæ Dei, remissionemque peccatorum non pertinent, 1077, 58. *V.* Diabolus.

Anima hominis quid sit, 266, 92. Qualis sit, 357, 4. Aristoteles ἐνδελέχειαν esse dixit, 266, 92. Critias et ejus discipuli sanguinem esse dixerunt, *ibid.* Multi Philosophi ignem esse voluerunt, *ibid.* Fabulas philosophorum esse animas hominum pariter ac bestiarum esse communes, 408, 45. Secundum physiologos appellatur terra, 323, 28.

Anima non de luto, non de terra, opus est magnificum Dei generatione inspiratum, 1089, 10. Non est corporea, 405, 38. Incorporea, immaterialis et admirabilis est, 1091, 15 *et seq.* Dogma de incorruptione animæ astruitur, 222, 36 *et seq.*; 405, 38, 41 *et seq.*

Anima melior hominis portio, 127, 39. In hac totus est, 129, 43, *etc.* Nomine hominis nuncupatur, 130, 45. Ad imaginem Dei est: corpus autem ad speciem bestiarum, 129, 42, 43 *et seq.*; 760, 48.

Anima ibi vivit, ubi nihil mortale, nihil infirmum amicta sit, nihil debitum pœnæ, 1253, 24. Alitur animus cognitione rerum, 1446, 148. Non aliud est quidquam quod vivere faciat rationabilem animam, quam alloquium Dei, 1045, 7. Quædam videntur ejus esse ætates, 1041, 30. Quæ sint ejus primitiæ, 205, 1.

Animæ in corpore tres affectiones sunt, rationabilis, concupiscibilis, irascibilis, 1444, 139. Irrationabile septem in partes dividitur, 242, 40. Quatuor motus, et qui sint, 335, 54. Majores æstus, fervoresque sunt animorum quam corporum, 1209, 1.

Animæ gressus, ejus sunt profectus, 1137, 14. Quomodo dirigendi, 1144, 12. Primus ejus processus explicatur, 359, 8 *et seq.* Et secundus, 360, 11 *et seq.* Et tertius, 367, 58 *et seq.* Et quartus, 371, 50 *et seq.*

Animæ pulchritudo et gratia quæ sit, 231, 10; 382, 78; et 1188, 15. Et fortitudo, 216, 22. Et magnitudo, 1276, 31. Verbum Dei inscribit in anima vel naturæ dona vel gratiæ, 902, 80.

Anima cum sexum non habeat, utriusque sexus munera repræsentat, nubit, concipit, parit, 204, 47. Anima justi sponsa est Verbi, 1035, 8. Qualis animæ sponsus, 1361, 24. Nemo est qui copulam vel animæ et Spiritus, vel Christi et Ecclesiæ non beatam putet, 1256, 36. Christo sponso quid potest placere nisi pax animi, puritas cordis, charitas mentis? 1361, 23. Qui sint ejus partus, et quam mature producendi? 205, 1.

Anima quanto majore desiderio cupit adhærere Christo, tanto magis deficit, 1104, 4. Talis debet esse quæ Verbum est receptura, ut moriatur mundo, et consepeliatur Christo, 373, 53. Cum adhæret bono invisibili et immortali Deo fit illius similis, 406, 41. Divinis intendit, terrena refugit, 358, 6. Contemnit visibilia et sensibilia, ascendit ad æterna, 360, 11.

Animæ justorum aquilis comparantur, 1484, 55. Anima currus est qui equos bonos vel malos habet, 378, 65. Currus est Dei, 993, 34. Unde Philosophi curulia animarum certamina in suis libris expresserint, 379, 67. Virtutum ea ornata floribus hortus est, vel in se paradisum habet germinantem, 398, 19. Civitas est munita per Christum, obsessa per diabolum, 131, 49. Murus est et quomodo, 1256, 37.

In Anima hominis duæ sectæ, 184, 4. Ex ea bonum et malum, *ibid.* Quam divisionem suarum patiatur portionum? 337, 57. Gemina ejus nudatio, 272, 112 *et* 113. Quæ sit ærugo ejus? 1270, 14. Tabescit quando peccatum minuitur; incrassatur cum peccata cumulantur, et quam ob causam, 856, 34. Mors illius irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente, 1357, 63. Cum semel adhæserit cupiditatibus, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei furore revolare, 1352, 65. Cavendum ne agglutinetur huic corpori, 406, 40. Non fiat anima nostra caro, sed magis caro nostra fiat anima, 1011, 7. Numquam a corpore vinceretur, nisi prius a diabolo tentaretur, 1351, 62. Carnes animæ sunt carnales cogitationes, 1168, 37.

Anima quomodo sanetur, 252, 59. Quomodo peccatum declinet atque abdicet, 1445, 144 *et seq.* Licet dissensio carnis et animæ per prævaricationem primi hominis in naturam se verterit; tamen per crucem Salvatoris in societatis concordiam congruerunt, 1444, 141.

Animæ in Scriptura ponuntur pro manibus et pro hominibus, 871, 11.

Anna talis inducitur, ut digna plane fuisse credatur, quæ Redemptorem omnium venisse nuntiaret, 1301, 62.

Annus solaris quis? 74, 24. Lunaris secundum Hebræos et Romanos quis? 74, 24. Quo mense incipiat, 233, 60; 258, 71. Plures quam sex millia anni computantur a mundi constitutione, 1412, 7.

Anserum excubiæ Romana Capitolia a Gallo hoste servarunt, 97, 44.

Antichristus futurus ex tribu Dan, 523, 32. Ex abysso ascendit, ut adversus Eliam, Enoch, atque Joannem præliaretur, 930, 10. Arius, aut Sabellius, immo omnes sunt Antichristi qui prava nos interpretatione seducunt, 1508, 21. Ubi Antichristus, ibi dies dimidii, 888, 8. Judæi in cum

Digitized by Google

crediturí sunt, 896, 19.

Apelles auctor ex quo plerique in Scripturam sacram quæstiones proponebant, 153, 28.

Apum mirabilis natura in prolis generatione, constructione favorum, collectione mellis, regis institutione ac fide erga illum, 106, 67 *et seq.* Earum cantus, 109, 76. Superfusæ oleo necantur, aceto reviviscunt, *ibid.*

Apollinaristæ arguuntur qui dicunt Christum corpus,non animam suscepisse, 868, 26.

Apollo Pythius non fuit auctor sententiæ, *Nosce te ipsum*, sed ex Moyse desumpta, 986, 13.

Apostoli præstantiora, et actuosa sunt membra Christi, 948, 10. Cur Christus non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed peccatores et publicanos elegerit, 1366, 44. Christus eos misit ad seminandum fidem, qui non cogerent, sed docerent : nec potestates exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent, 1424, 59. Prælia intestina Romanorum sedata, eo profecerunt, ut per totum orbem Apostoli mitterentur, 954, 21. Christi censores sunt quibus acquisitus est orbis, 1293, 36. Columnæ sunt Ecclesiæ, 1030, 38. In iis fuisse merita prophetarum, 1417, 27. Non solum secundum corpus viderunt Dominum, sed etiam secundum Verbum, 1267, 5. Boni flores sunt qui diversorum scriptorum atque operum suorum fuderunt odorem, 1040, 25. Apostolos quos Dominus ab omni peccatorum labe mundavit, macula nulla postea fuscavit, 520, 25. Dominus quod ante erat judicii sui, eis dedit peccata remittendi æquitate solvenda, ne cito solvenda diu ligata manerent, 858, 37. Cur non in suo, sed in Christi nomine dæmoniis imperabant, 1341, 26. Cur apostolica instrumenta piscandi retia sint, 1354, 72. Apostoli horæ sunt, Christus dies, 1464, 222.

Apparere quis dicatur, 1274, 24.

Aqua dividitur in tres species, mare, fluvios, lacus, 336, 53. Aquarum congregatio quomodo fieri potuerit, 35, 8 *et seq.* Quo omnis earum redundantia derivata est, 39, 14 *et* 15. Quomodo super cœlos esse possint, 26, 9 *et seq.* Aquæ mira diversitas, 37, 62. Congregari, timere, et fugere novit, quando Deus præcipit, 33, 1 *et* 2. Aquarum commendatio, 1514, 48.

Aquila an fetus suos alat, 104, 60. Quomodo eosdem probet, *ibid.* *et* 1212, 13.

Aquila et Symmachus qui unitatem Patris et Filii videre non potuerunt, eam aliquoties in sermone confessi sunt, 153, 27.

Arborum ortus, 51, 47 Diversitas, fecunditas, ætas, sexus, 54, 54; 61, 71. Utilitates, 59, 65. Lacrymæ earum quantum inter se discrepent, 58, 63.

Arca Noe cum arca fœderis comparatur, 234, 16. In ejus ædificatione descriptam humani figuram corporis, 232, 13; 218, 50.

Arcum suum cur Deus posuerit in nube, 790, 27.

Animalia propter hominem, alia propter utilitatem, alia delectationis gratia, alia voluptatis, 239, 33. Noxia in terris, in aquis innoxia sunt, 81, 6. *V.* Bestiæ.

Ardea imbres formidans supra nubes volat, 97, 43.

Arida significat aliquam terrarum speciem, et qualem, 39, 17. Cur terra vocata sit arida? 40, 19.

Aries cur aeri compararetur, 334, 50. Figura est Verbi divini, 335, 52. Immolatus ab Abrahamo figura fuit Christi, 507, 77.

Ariminensi in concilio perfidæ prævaricationis auctores, dum imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt, 1372, 71.

Aristotelis sententia de narratoribus superfluis, 1110, 19. Duo principia rerum ponit, materiam et speciem, et tertium cum iis quod operatorium dicitur, 2, 2. Quid de mundi æternitate senserit, 2, 3. *V.* Ariani.

Arius tinea est, et quam ob causam, 1207, 13. Quem martyres oblatione sanguinis Dei filium fatebantur, huic Ariani quæstionem generis inferebant, 1294, 37. Dum unum a consortio divinæ operationis excludunt, plures inferunt, et prærogativam quam filio negant, servulis donant, 128, 40. Quod negant Christo, Antichristo non negabunt, 1509, 21. Eos in perfidiam ivisse cognoscimus, dum reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem, 1249, 10. Non multum a Judæis differunt, 715, 26. In Manichæorum assertionem perveniunt, 732, 70 *et seq.* Contra eos probatur filii divinitas, 1314, 95. Animam suam humiliant et dejiciunt, 847, 12. Regali subnixi potentia minantur acerba supplicia, nisi eis templum tradatur, 786, 19. Societatem regalis potentiæ affectant, ut militaribus armis impugnent Ecclesiæ veritatem, 1474, 17.

Arma. Infirmos tela sua vulnerant, nec potest bene uti armis, qui ea ferre non noverit, 1334, 50.

Armenii et Gothi prædicationi evangelicæ crediderunt, 1507, 14.

Arrogantiæ ruina mala est, 1005, 33. Didicisti humilitatem magis sequi quam arrogantiam, sedulitatem affectare quam potestatem, 196, 27. *V.* Divites et Superbia.

Arteriarum initium et insiti caloris cor esse plerique arbitrantur, 137, 61. Arteria minus habet sanguinis, multo amplius spiritus, 266, 92.

Artium aliæ sunt actuosæ, aliæ theoreticæ, 9, 17.

Arundini et calamo quinam comparentur, 1380, 104.

Ἀσινοι qui sint? 73, 23.

Aser interpretatione Latina significat divitias, 524, 38. Benedictio ejus explicatur, *ibid.*

Asinus piger quid nos doceat, 117, 11.

In asina figuratur populus gentilium, nunc Christo subditus, 305, 71; 1296, 43.

Assyrii, hoc est, dirigentes, 151, 17.

Astutia timet omnia, nec se consiliis suis credit, 963, 21. Spiritalis esse debet, quæ servet salutem, dolum nesciat, 781, 10.

Athletarum diversa certamina et nomina, 801, 55. Qui vocentur pueri, ephebi, et viri? 800, 52. Iis abstinentia necessaria, 883, 1. Athleta bonus membra sua monstrat, ut conversationis suæ approbet disciplinam, 1228, 21. Ultimo die sortem coronæ habet, 113, 1. Quandonam in certamine victus habeatur, 799, 51. Illius casus proprie ruina appellatur, *ibid.* Ambrosius puer athletam vidit, qui cum elisisset adversarium, frontem ei percussit calcaneo, quod signum fuit eo quod insultaverit ei, 876, 24.

Athleta Dei exercetur, et probatur adversis, 284, 16. Athletæ sumus et impellimur : alii ruunt, et plerique eliduntur, 800, 51.

Atomorum validiorum complexionem causam perseverantiæ jugis non præstare, 4, 7.

Audiendi officium omnium est firmamentum, 1158, 5. Tacendum est quando paratum non invenis auditorem, 916, 70.

Augusto Romanum imperium tædio bellorum civilium delatum est, 954, 21.

Aures cur exstantiores; et sinuatio interiorum, 138, 62; 235, 19. Earum ut necessarius usus, ita decora species, 235, 19.

Aurum non tam sua gratia, quam hominum pœna commendat, 581, 53. *V.* Avaritia.

Avaritia possessionum jura, quæ Deus omnibus voluerat esse communia, distribuit, 1064, 22. Refugit consortium plurimorum, 99, 47. Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum : in superbiam extollit, oblivionem auctoris infundit, 659, 16. Quomodo laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus est in amore, 397, 16. Auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, et avaritiæ studio sacrilegia solere generari, 681, 16. Fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem, 755, 37. Verum est causam inopiæ nostræ avaritiam videri, 1439, 124. Vanum est profluvium, 576, 42.

Avaritia hominum quanta sit, 90, 26. Arguitur, 92, 30. Invidia opum terras facit intutas, et ad latrocinium plurimos excitat, 557, 70. Inexplebilis mercatorum avaritia arguitur, 557, 70 *et seq.* Quam male crebra naufragia accusent, *ibid.* Inflammatur lucro avaritia, non exstinguitur, 567, 4. Quo plura abstulerit, eo magis inopem se esse credit, 193, 21. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura cupiendi, *ibid.* Non minorem febrem amoris esse quam laboris : febris nostra avaritia est, febris nostra libido, 1351, 63. Vanum est carnalis cupiditatis incendium, 852, 23. Cur malus avaritiæ languor, 750, 28. Ipsi rapina subdita est, 1183, 45. In historia Achab et Jezabel avaritia divitum describitur, 576, 42. *V.* Divitiæ.

Avari bona non sunt vera bona, 951, 17. Nescit bona nisi ea quæ quæstuosa sunt, nominare, 574, 36. Sterilitas illi soli est quæstuosa, 574, 35. Avaris lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium, 89, 23. Quomodo quod putamus lucrum esse pecuniæ, damnum sit animæ, 1026, 26. Pecunia vendunt Christum, qui pluris eam ducunt quam religionem, 880, 32. Rarus qui legem Dei auro et argento præferat, 1085, 21.

Avarum divitem quam juste Deus puniat, 578, 48. Dum plus volumus, etiam quod minus est amittimus, 1147, 21. Toto mundo eget, cujus non capit mundus cupiditates, 579, 50. Quantacumque spatia domus suæ porrexerit, clauditur angustis opinionis suæ finibus, 1042, 33. Custos est, non Dominus facultatum suarum, qui eas terræ infodit, 582, 58. Quid miserius quam ut custodia torqueat, quarum abundantia nihil prosit, 391, 4. Alios devorans, et ipse ab aliis devoratur, 84, 13 *et* 14. Oculi tui non lupi oculi sint, et insidiantis ad prædam, 1171, 8. Quomodo servus et mendicus omnis avarus, 490, 20. Cave ne cor tuum terræ vivus infodias, 466, 23. Quid aliud nisi metallum est mens avari, 661, 21. Omnes cupidi, omnes avari Giezi lepram cum suis divitiis possident, 1349, 54. *V.* Divites.

Avernum mare, 39, 15.

Digitized by Google

Avium varia genera describuntur, 98, 47 *et* 48. Diversi pedes, et cur? 108, 74. Cur nulli pedum officio careant, 98, 46. Piscium cum avibus cognatio, 98, 45.

# B

Babylon, hoc est, confusio, 278, 128.

Balneum. Romæ olim cum parentibus filii et maxime puberes non lavabant, 274, 116.

Barrabas patris filius latine dicitur, 1526, 102.

Basiliscus quodcumque prior viderit animal fertur occidere : si hominis fuerit præventus aspectu, interficitur, 1095, 24.

Baptismus Joannis oculus supplicationum est : baptismus Christi oculus gratiarum, 816, 3. Inter utrumque baptismum quodnam discrimen, 1175, 19, *et* 1307, 79. Aqua Joannes baptizabat, Christus Spiritu, 1535, 140.

Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut baptismatis jus haberent, 1308, 83. Aqua incipit prima, et complet mysteria, 1514, 48. Non ante altaris sacramenta quam baptismus, 1533, 135.

Baptizatus diabolo et operibus ejus abrenuntiat, 7, 14. Renuntiat et mundo, 1502, 36. Justificat Deum, quia peccata propria confitetur, 1204, 30. In baptismate est confessio et venia peccatorum, 1348, 3.

Baptizatus in Jordanem nudus descendit, 966, 32. Descendit etiam in mortem Christi, et in resurrectionem ejus ascendit, 819, 10.

Baptizatus licet toto corpore, postea tamen esca spiritali potuque mundatur, 1178, 29. Non offert sacrificium, nisi octavum ingrediatur diem, 972, 2. Servanda vestis qua nos sacro Dominus emergentes fonte vestivit, 1361, 25.

Baptisma Ecclesiæ unum est, quo necesse est baptizari Catechumenos, 997, 14. Fit per sacerdotes Ecclesiæ, *ibid.*, 15. Cuilibet ætati conferendum, 549, 81. Nec umquam iterari debet, 1491, 78.

Quid per baptismatis sacramentum Christus operetur, 806, 63. In eo justitia omnis impletur, 689, 44, *et* 980, 17. Peccatum abluitur, 42, 25; 210, 10; 561, 83; 1031, 42, *et* 1476, 24. Aqua enim corpus abluente, Spiritu animæ peccata mundantur, 1307, 79. Etiam in ipso fonte sanctificatio divinitatis aspirat, 1307, 79. Homo septiformem accipit spiritum, 652, 36. Arguuntur qui baptismo initiari differunt, 561, 83 *et seq.*; 1464, 221.

Mare rubrum, fuit figura baptismatis, 689, 43. Item Jordanis fluminis conversio, 1278, 37. Hujus quoque typum demonstravit Elias, 562, 48.

Baptismus passionis est, quo unusquisque sanguine suo mundatur, 997, 14. Quis baptizetur in lacte, 1176, 21. *V.* Sacramenta.

Bathuel sapientia dicitur : interpretatione autem Latina, filia Dei significatur, 426, 20.

Beatitudinem non in divitiis, non in potestatibus et honoribus, non in nobilitate generis aut decore aut pulcritudine, nec in corporis salubritate positam esse, 745, 15. Hic eam non magnam, non veram inveniri, 1166, 30. Ea enim potiora quæ futura sunt, 1152, 33. Aristotelis et Peripateticorum, ac Pythagoricum dogma de beatitudine prius ab Abrahamo agnitum, 345, 70. Quod perfectum, beatum, 436, 34.

Beatitudo omnis a Deo est, 1028, 32. Sita est in sola possessione veri et boni, 455, 32; 1038, 7. Beatitudo æternæ vitæ describitur, 411, 52 *et seq.* Quis Deum videat, 787, 21. Etsi multa bona, una tamen est vita æterna, 1342, 30. In beatitudine perfecta omnia, 410, 49.

Beatitudinem vitæ æternæ cur Christus proposuerit, 742, 13. Item cur diversa præmia, 1224, 9. Quæ sint animarum post mortem habitacula usque ad ultimum judicii diem, 407, 45 *et seq.* Quo ordine digesta sit earum lætitia, 408, 48. In resurrectione nos in simplicis creaturæ gratiam transfigurabimur, 1458, 194. Retributio, regnum cœlorum et paradisi est incolatus, 1137, 46. Non meritis nostris adscribenda ejus acquisitio, 1166, 30.

Nulla Dei regno infirma ætas, 1462, 215. Nullus etiam sexus, 743, 14. Nemini intercluditur, nisi ei quem suæ professio vocis excluserit, 1439, 200. Debilitas beatitudinem impedire non potest, 472, 34. Latro minister diaboli, eo pervenit, unde ipse dejectus est, 864, 17. Difficile videtur hominibus, ut spem periculis emant, damnoque præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis, 1421, 1. Quemadmodum regnum cœleste rapiatur, 1382, 112 *et seq.*

Cur quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus, 1367, 49; 1370, 62.

Bellatoris virtus difficilioribus locis est necessaria, 229, 5. Certamina bellorum insaniæ sunt falsæ, 866, 4.

Benacus lacus fluctibus non miscetur, 59, 16.

Benedictio pro maledicto vocatur, 578, 46.

Benedictio est sanctificationis et gratiarum votiva collatio, 515, 7.

Cum Sacerdos benedicit, populus respondet Amen, et quare, 882, 56.

Beneficia nostra non vulganda, sed premenda, 1336, 5. In beneficio pari potior est, qui prior cœpit, 230, 6; 1373, 74.

Beneficia divina plena semper et redundantia sunt, 1276, 29. Non dormientibus, sed observantibus deferuntur, 1347, 49.

Benjamin typus Pauli Apostoli. 530, 57 *et seq.*; 1038, 17. Ejusdem benedictio exponitur, 530, 57 *et seq.*

Bersabee filia sabbati, aut filia plena, vel puteus dicitur juramenti, 726, 51. Cur in generationibus Domini non prætermissa sit, 1528, 59.

Bestiis aliis cur Deus colla breviora, aliis longiora formaverit, 124, 30. Earum pluribus cur cornua concesserit, 895, 15. Soli norunt odore noxia et profutura discernere, 120, 21. Nesciunt odia novercalia, 121, 22. *V.* Animalia.

Beth littera confusio declaratur, 981, 1.

Bethel. Id est, domus Dei, 284, 6.

Bitumen vehementis ad constringendum naturæ est, 254, 14.

Boni natura quænam sit, 376, 60. Quod malum non est, illud etiam bonum, 389, 1. Ordo bonorum quis? 327, 33.

Unde philosophi bonum illud transtulerint, quod summum asserunt, 412, 55. Unde Epicurei traxerint summum bonum voluptatem esse, 351, 85. Iidem refelluntur, 514, 3.

Deus solus summum est bonum, 382, 78 *et* 79. Quod vere bonum, illud incorruptibile est, 514, 3.

Id quod bonum est naturaliter nobis intelligimus esse præceptum, 161, 59. Quæ bona sunt Spiritu Dei vivi scribuntur, quæ autem vitiosa graphio ferreo, 731, 66. Quod bonum et faciendum, consonans est et adhærens : quod vero turpe hoc dissonans, 154, 26. Bonum nostrum, non ex necessitate sit, non cum mœrore atque mœstitia, sed voluntarium, 1243, 36.

Quidquid nobis boni accidit, illud Dei justitiæ deputemus, 185, 2; 1075, 52. Deus operatur quod bonum est, non quod malum; gloriam operatur, pœnam relinquit, 179, 74. Divinum est quod bona promittuntur, nostrum quod mutantur, 230, 6.

In Boni operatione remuneratio est, 744, 17. Multa in hoc sæculo bona esse et jucunda videntur, quæ non sunt, 1080, 6. Bono viro ex sententia cujusdam philosophi quatuor inesse debent, et quæ illa, 325, 29.

Bonitas fructus est Spiritus sancti, 782, 12. Nulla querela est ubi et mentis bonitas concordat et facti, 1272, 19.

Bonitas popularis abundat aliis, sibi restrictior, 1261, 2.

Boves impendente pluvia ad præsepia se tenere noverunt; naturali sensu serenitatem colligentes, foras spectant, 120, 20.

Buxus elementorum apicibus utilis exprimendis, 54, 55.

# C

Cadavera mortuorum olim facibus ardere consueverant, 855, 41.

Cæsar Pompeium Magnum, et juniorem debellavit, 934, 21.

Cæsaries reverenda in senibus, veneranda in Sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris, 135, 56. Utilitas ejus et decus, 235, 21.

Cain dictus est acquisitio, et cur, 184, 3. Duplex defectus in ejus sacrificio, 195, 25 *et seq.* Alter defectus, 214, 18. Justitia defuit, 216, 21. Cur idem campum sterilem parricidio elegerit, 218, 26. Cur illum Deus interrogaverit ubi esset frater ejus, 218, 17 *et seq.* Cur signum acceperit, ut eum nemo occideret, 769, 7. Cur in illum continuo non vindicatum, 223, 38. Cur remissus sit sine præscripto pœnæ, 177, 71. Ei longævitas indulta, vindicta fuit, 222, 37. A quo timeret occidi, 221, 33. Cain parricidalis figura fuit Synagogæ populique Judæorum, 185, 5.

Calceamenta de corio animalis mortui confici solent, 1423, 57.

Calices duo, unus mortis, alter vitæ, 822, 17.

Calumnia gravior, tentatio levior, 1190, 24 *et seq.*

Adversus calumniantes et peccatores justus suo judicio contentus est : meritorum autem suorum judicium Christo reservat, 847, 13. Cur turbari non debeant, qui falsis criminibus appetuntur, 493, 27.

Cancri astutia ad capiendum ostreum, 88, 22.

Canis, rationis expers, sentiendi sagacitate vim sibi rationis adsciscit, 221, 23. Canis sanguine, omnis ferarum morbus curatur, 123, 26. Canes ad relationem gratiæ hu-

Digitized by Google

manum erudiant affectum, 119, 17. Antiochiæ canis militem qui Dominum suum necaverat, indicavit, 122, 24. Canum origines qui recensere solent, arguuntur, 580, 54.

CANTICA Cantic. triplicem sapientiam continent, moralem, naturalem et mysticam, 365, 27 *et seq*.

Duo cantica Moysis quantum libros ejus illustrent, 739, 5.

CANTORES cur sibi Salomon constituerit, 1052, 26.

CANTUS Ecclesiæ, 34, 5. Virorum, mulierum, virginum, parvulorum, 42, 23; 741, 9.

Cantibus aut fidibus certantes ultimo die habent sortem coronæ, 118, 1.

CANERE intus quid? 742, 12.

Cantico delectatur Deus non solum laudari, sed etiam reconciliari, 739, 5.

CAPH littera significat curvati sunt, 1103, 7.

CAPRÆ unde nomen, 334, 50. Capris et ovibus cibus medicina est, 48, 40. Armata venenis tela sentientes, herbis vulneri remedium adhibent, *ibid*.

CAPREA dictamno excludit sagittas de vulnere, 123, 26. Capreæ agrestis sanguine sibi medetur leopardus, 123, 26. Allium fugit, *ibid*., 28.

CAPTIVITAS hæc est vere dolenda quæ æternæ spei libertate privata videtur, 1172, 9.

CAPUT, membrorum omnium præstantissimum esse demonstratur, 135, 55 *et seq*.; 234, 17; 236, 23. Ex eo ductus venarum, meatusque spiritus, sanguinis vires in totius corporis partes derivantur, 1221, 1. Capitis ossa cur densioribus capillis vestiantur, 141, 73. Cur capite abdicantur qui in aliquo crimine damnantur, 1222, 1.

CARO posita in Scripturis pro homine terreno, 132, 32. Non potest esse ad imaginem Dei, 130, 45. Caro nostra terra est, quam improbus operatur, et bonus excolit, et quomodo, 271, 108.

Non caro, sed affectus auctor est culpæ; caro autem voluntatis ministra, 448, 11. Fraude et veneno infusa serpentis, facta est caro peccati, et caro mortis, 817, 5.

Carnis natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat, 230, 7. Semper exæstuat, sibique ipsa tempestas est, 232, 12; 634, 23. Stimulus mentis est, et passiones ejus compunctiones sunt nostræ, 318, 13.

Carnis simul domestici et Dei esse non possumus, 373, 54. Peccatum est secundum carnem ambulare, et cur? 817, 5.

Caro et sanguis, et nequitiæ spiritales, patientia et continentia corporis, et animi moderatione superantur, 801, 56. Nisi sensus carnis moriatur, nullus potest esse fructus vitæ æternæ, 420, 8. Nemo gravior homini hostis quam homo ipse, et carnis suæ infirmitas, 650, 30. Castigandum carnis nostræ tumorem, 847, 12.

Licet non conditio carnis videatur nos humiliare, sed culpa; tamen multis humiliatur et caro, 918, 75. Si carnis fortitudo deseruit, mentis fortitudo prævaluit, 832, 40. Animæ caro fiat appendix, 1444, 141.

Carnis humanæ fragilitas eleganter describitur, 44, 30. Herba et flos feni figura est carnis humanæ, 44, 29. Caro infirmitatis, est lectus doloris, 871, 12. Carnis timendam non esse infirmitatem, et qua causa, 826, 26; 830, 33.

Quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis, 231, 9. Gigantum similes sunt homines studentes cultui carnis suæ, 230, 8.

Maledixerat Deus carnem prævaricantium : benedicitur autem in Christo, 1033, 2. Vas erat diaboli, caro hominis peccatoris, quæ postea facta est vas electionis, 1240, 11.

CARTHAGINEM Tyrii condiderunt, 557, 72.

CASPIUM mare, Creticum, et Septemtrionale, 38, 12.

CASTITATIS ubi est conscientia, vultus liberior est, 994, 6. Castitas omnes corporis passiones abolere consuevit, 151, 26.

Castitatis laus in juvene quam in sene major est, 504, 68. In castitatis vestigio bonus gressus est, 1188, 15. Portæ Ecclesiæ portæ castitatis sunt, 1407, 99. Ecclesia domus est castitatis, 1040, 26. Quantum Evangelio profecerint studia castitatis, 1039, 21; 1113, 28. Pudicitia nos separat a pecudibus, angelis jungit, 963, 21. Quam merito expertes libidinis angelis comparentur, 1011, 8. In insulis se abdicant qui continentiæ proposito eligunt mundo latere, 41, 25.

CATECHUMENUS qua methodo imbuendus, 1410, 107. Quomodo cavere debeat ne male discat a Photino, Ario, et Sabellio, 172, 58.

CEDRUS suspendendis tectorum apta culminibus, 54, 53. Cedrinarum tabularum usus eligitur tectorum fastigiis elevandis, formandisque litterarum elementis, 1256, 38. Cedri specie, majorum qui justi fuerunt, gloria declaratur, 1015, 20.

CEREBRUM cur partibus cæteris mollius, 138, 61. Initium est nervorum et omnis voluntariæ commotionis, 137, 61.

CERVIS cibi loco venenum est, 48, 40. Ramusculis oleæ sanantur, 47, 37. Eorum cursus directior, vulpeculæ flexuosus, 981, 2. Quanta eorum simplicitas, 638, 2.

CERTAMEN lustrale subeuntibus disciplina vivendi necessaria, 885, 1. In certamine curuli quanta equorum græcorum industria, 690, 46. In circo vilis et abjecta contentio, litium fœda difformitas. Circensium studia insaniæ sunt falsæ, 860, 4. Arguuntur ii qui ad diversa circensium ludorum atque theatralium spectacula festinant, 1026, 27.

Certamen grave intra hominem, ut secum ipse pugnet, et cum suis cupiditatibus prælietur, 1234, 46. Gravior est pugna ejus qui intus, quam illius qui foris dimicat, 711, 15. Quare plerumque fiat ut in gravioribus et asperioribus certaminibus coronemur, 929, 8. Quid agendum sit ei qui nomen dedit ad agonem Christi, 560, 79.

CETE, immensa piscium genera, ubi habitent, 91, 28. In Atlantici maris profundo feruntur videri, 93, 32.

CETHURA latine odorifera significatur, 194, 32.

CHALDÆORUM opinio de mundo superiore, 316, 9. Eos superstitioni vanæ intentos esse magis quam cæteros accepimus, 290, 22. Siderum cursus vanæ studio superstitionis explorant, et impiæ serunt gentilitatis errores, 747, 22. Chaldæorum, id est, Mathematicorum scientia de hominum nativitate inutilis est, noxia, impossibilis, impia, 67, 12. Peritiores in numeris habentur, 1297, 47.

CHAM significat calorem, 270, 106; 276, 120. Non Cham qui peccaverat, sed filium ejus Noe servituti addixit et quare, 274, 120. Cham improbum meruit habere filium, quia improbus fuerat patri, 270, 108; 273, 114.

CHAMÆLEON diversas species fertur vario calore mentiri, 109, 77.

CHANAAN idem ac turbatio eorum, 270, 106; 276, 120.

CHANANÆA prima exivit de gentium nationibus, et perseveranti obsecratione tantum Domini testimonium meruit reportare, 907, 49. Christum prætereuntem revocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat, 1385, 115.

CHARITATEM spes præcedit, sequitur salus, 1245, 22. Cum spes et fides in charitate sint, non est dubium quod major sit charitas, 1183, 44. Major omnibus charitas, 1542, 176.

Quam bonum ignis charitatis, 1131, 2. Bona charitas, et pietas bona, utrumque Dei, et utrumque est Deus, 846, 10. Si parentes diligimus, quanto magis diligere debemus creatorem parentum, auctoremque nostrum, 421, 10. Vere Deum diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio quam coacto præcepta conservat, 1131, 4. Qui Christum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem; sed perfectione consummatur ad præmium, 672, 28. Charitas suscitatur in veteri Testamento, resuscitatur in novo, 1023, 20.

Charitatis alæ, alæ ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem, 1217, 29. Habet clavum suum charitas : habet gladium suum, quo anima vulneratur, 1169, 39. Nulla vehementiora, nulla sunt graviora vincula quam charitatis, 1155, 39.

Bona charitatis vulnera, 723, 44. Bonum est vulnerari sagitta charitatis, 1023, 17. Cur durus sit zelus charitatis, 1169, 9. Mortem habet charitas, et zelum habet charitas, et alas ignis habet charitas, 381, 77. Beatus vir qui in charitate Dei tabescit, 1236, 52.

Charitas culpam, et omnia peccata mortificat, 1169, 39. Multam charitatem remittere peccata, 692, 49 *et* 50. Charitas excludit omnem perturbationem, 1079, 2; 1243, 16. Nos superioribus nectit, cœloque inserit, 55, 57. Sive in læva, sive in dextera bona est mansio charitatis, 1025, 19. Qui diligit, ex voluntate facit mandata legis : qui timet, invitus observat, 951, 50; 1131, 3. Major est mentis dilectio quam sermonis gratia, 846, 10. Justus quasi suam putat fratris ærumnam, 870, 6. Pietatis et charitatis officiis benedictionem morituri nobis impetrandam, 404, 36.

Qui diligit, in omni statu suo debet servare diuturnæ charitatis affectum, 753, 30. Ii qui videntur in Ecclesia debiles, pauperes, imprudentes, etiam peccatores abundantiori indigent honestate, et majore præsidio fulciendi sunt, 1076, 54.

Quo sensu Christus præcipiat par ntes odisse, et inimicos diligere, 1162, 15 *et seq*. Legis oraculum, ac philosophiæ fastigium supergressus, in eos quoque qui læserint, pietatis charitatisque porrexit officium, 1373, 73 *et seq*. Christianos etiam inimicos non licet non amare, 1100, 41; 1130, 57. Qui aliis non pepercerit, ipse sibi spem remissionis eripiet, 221, 34. Convicium ferre et non referre quam bonum sit, 1037, 14. *V*. INIMICUS.

CHRISTUS est Messias, 365, 26. Verbum potuisse suscipere carnem, 717, 29 *et seq*.

Cur necessarius, ut Adami peccatum solveret, 1039, 22. Deus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, qui-

Digitized by Google

bus susceptæ Incarnationis decorem probaret, et adstrueret veritatem, 105, 65. Christum in Adam et aliis patriarchis exspectatum fuisse inductione probatur, 860, 6 *et seq*. Isaac oblatus a patre figura ejus est, 862, 12. Et Jacob, 467, 25. Et Judas, 679, 11. Cujus benedictio eidem Christo accommodatur, 518, 16 *et seq*. Item designatus in Joseph, 679, 12. In virga Moysis, 1001, 24. In Columna nubis, 1019, 3. In serpente æreo, 1075, 15. David typus Christi, 686, 12, 14; 682, 120; 1202, 25.

Cur Lucas ad Deum putaverit generationem Christi esse referendam, 1318, 11. Radix est familia Judæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus, 1289, 24. Cur ab Abraham plures secundum Lucam successiones usque ad Christum sunt pauciores, et per alios secundum Matthæum, 1318, 14 *et seq*. Cur Matthæus generationem Christi per Salomonem derivandam putavit, Lucas vero per Nathan, 1318, 13. In genealogia Christi posse plures esse successiones, pauciores generationes, 1331, 45. Quomodo Christus veri regalisque generis fuerit, si nullum ex semine Jechoniæ regnaturum Propheta prædixerit, 1329, 42 *et seq*. Cur Matthæus computaverit inter majores Dominici generis peccatores plurimos, idque Lucas declinaverit, 1327, 36; 1332, 46. Achab et Jechonias annumerantur ejus majoribus, ut omnes homines redempturus, beneficium a suis majoribus inchoaret, 718, 33.

Christus quando erat, quomodo erat, quid erat, quid egerat, quid agebat, ubi erat, quo venerit, quomodo venerit, quo tempore, et qua causa, 1295, 40. Christi caro erat Virginis partus, 682, 22. Nam etsi de Virgine natus est, et Spiritu sancto, tamen hominis est filius, quia homo Virgo, 864, 18. Judæi quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt, 1307, 78. In Christo caro dispensationis est, quam miserationis titulo, et pietatis jure suscepit, ut captivam redimeret, ablueret contaminatam, mortuam resuscitaret, 875, 20. Quomodo saltu quodam venit in mundum, 365, 31. Venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore, 1450, 166.

Caro Christi nascitur nobis, Verbum datur, 754, 33. Creatus est, ut vias mihi demonstraret æternas, quibus homo redire possit ad Dei regnum, 1025, 25. Natus est nobis qui credimus, non Judæis, non hæreticis, non manichæis, 754, 33. Venit ut ruina sit perfidorum, justorum autem et fidelium resurrectio, 776, 28. Cito Judæis venit, opportune gentibus : cito perituris, commode credituris, 1181, 38. Ubi nascitur, nisi in corde tuo et in pectore tuo, 1294, 34.

Si apostolorum umbra sanabat, quanto magis caro Christi quos tangit a morte defendit, 879, 30. Umbra erat quæ sanabat, et nunc totum protegit orbem terrarum, 1210, 5, 6. Caro Christi cur Dei templum sit, 942, 16. Corpus ejus magnum est templum et mirabile altare, 1002, 26.

Christus nascens non mediocribus signis Deus probatur, 1296, 43. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem generationis Domini astruunt, 1301, 58 *et seq*. Quando et quomodo natus, et quantus sit rimari, magis offendiculum quæstionis, quam ædificationis profectus est, 1406, 93. Non licet mihi scire generationis Christi seriem, non licet tamen nescire generationis fidem, 1406, 93. Christum non quasi parvulum nutrias, sed quasi verum atque perfectum Deum noveris adorandum, 940, 11.

Christus solus est plena imago Dei, 1514, 49. Deus ex Deo est, æqualis ex æquali, 767, 4. Ex intima et incomprehensibili Patris processit substantia et in ipso est semper, 527, 51. Christi velle, perfecisse est, 411, 54. Ille bene magnus, cujus virtus mundum replevit, qui ubique est, et erit semper, 1286, 13.

Christus non cœpit ex virgine, qui ante virginem loquebatur, 1346, 44. Cur secundum divinitatem initium omnium sit et finis, 8, 15.

Christum qui non crediderunt Dei filium, nec filium Virginis crediderunt, 1267, 6. Ipsum loquitur Scriptura Jesum Deum hominemque, in utroque perfectum, 1346, 45. In uno Christi nomine et divinitatis et incarnationis expressio, et fides passionis est, 1405, 93. Christus non alter ex Patre et alter ex Virgine, 767, 4. Non deposuit quod erat, sed reservavit, 965, 27. Christum qui sine divinitatis fide, aut corporis sacramento cognoscit, tinea est, 1270, 13. Qui hominem eum negavit, Deum negavit, 1438, 120. Ipse est qui natus est ex Virgine, ipse est qui mirabilia fecit in populo, ipse est qui mortuus est pro peccatis nostris, et resurrexit a mortuis : unum horum si retraxeris, retraxisti salutem tuam, 1401, 101.

Christi caro nec detrimentum divinitati afferre potuit, nec augmentum, 717, 29. Illi soli servabatur magnarum prærogativa virtutum, 655, 6. Verus est propheta, et quomodo, 1075, 53. Temporum finem non per naturam hominis sed per naturam Dei novit, 1478, 54. Novit sibi, nescit mihi, 1479, 55. Christi caro velut murali divinitatis claritudine circumsepta, cœlestis habuit protectionem gratiæ, 1020, 7.

Christus habet semper in substantia sua charitatem sicut et regnum, 369, 46. Illi Deus est pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria : illi per gratiam, nobis per naturam, 1540, 167. Homo erat secundum carnem, sed ultra hominem secundum operationem, 919, 76. Non humani corporis, sed divinæ potestatis est regnum quod habet, 1528, 113.

Valde errant qui carnem hominis aiunt esse susceptam a Christo, affectum negant, 936, 5. Cum corpus suscepit, omnia debuit subire quæ corporis sunt : divinitas autem commutari per hos nescit affectus, 1442, 133. Sequestrata delectatione divinitatis, tædio meæ infirmitatis vere afficitur, 1516, 56 *et seq*. Fuit in doloribus quasi victor infirmitatum, non infirmitatibus victus, 956, 6. Ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam et copia sui, naturæ comparticipes nos faciat esse cœlestis, 1366, 46. Multorum affectus et officia suscepit, ut doceret quomodo nos in his conversari oporteret, 1230, 33. Miseriis afflictus est, ut beatos faceret homines, qui erant in miseriis constituti, 829, 32. in Christo obedientia, humilitas, et mors, non divinitatis fuit, sed corporis, 720, 39. Orasse dicitur, non propter suffragium, sed propter exemplum, 1357, 10. Quomodo Christi anima timore turbata est, 642, 11.

In Christo nulla causa esse potuit qua peccati alicujus potuerit vulnus accipere, 839, 53. Solus Christus numquam deflectit, 315, 6; 679, 10. Caro qua se Christus induit, ab omni fuerat munda delicto, 696, 59. Natus ex Virgine nihil debet muliebri hæreditati, 1039, 23. Dignum fuit ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium, 695, 57. Quare cum omnia noverit, peccatum non cognoscat, luculenter demonstratur, 830, 34.

Quomodo Christus in carne sua susceperit similitudinem carnis peccati, et pro nobis factus sit peccatum, 811, 5, 6. Susceptio peccatorum in illo pietatis est, non criminis, 817, 6. Solus ille non est captus sæculi hujus vanitate, et carnali tumore, 187, 10. Orat non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret, 1365, 42.

In Christo aliud est quod secundum unitatem divinitatis exprimitur, aliud quod secundum hominis est locutus affectum, 862, 16. Lucas satis se divitem fore credidit, si præsepe Domini sibi ex omnibus vindicasset, 1296, 43.

Christus qua ratione in terris patrem fabrum habuerit, 1313, 2. Honorabat Joseph et Mariam non naturæ debito, sed pietatis officio, 784, 16; 1302, 65; 1490, 74. Subjectio ejus magisterium virtutis humanæ, non divinæ imminutio potestatis est, 957, 8. Non in specie infirmitatis est, sed in operatione virtutis; dispensationis magis temporariæ arbitra, quam perpetuo servitio mancipata, 957, 6. Deposita cum ipsius corporis servitute, *ibid*., 7.

Christus operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset, 1227, 18. Cur præbuerit se humilitatis auctorem, 1515, 51. Quanto abjectior humilitas ejus, tanto divinior providentia, 1312, 91. Formam dat humilitatis, 1575, 84. Se humiliavit, ut disceres quid sit humilitas, 929, 76. Ita se curvavit ad omnia obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium, 1346, 45.

Christi servitus, paupertas et dolor, 767, 2 *et seq*. Christus in paupere atque despecto mundum redemit, 1203, 34. Ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus, quod auferret, 1344, 39. Quomodo dives in paupertate, 869, 5. Quantus est in divitiis, qui paupertate sua omnes divites fecit, 524, 33. Christi inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors vivificat, sepultura resuscitat, 524, 38. Meum paupertas ejus patrimonium, et infirmitas Domini mea est virtus, 1295, 41.

Christus agebatur in desertum consilio, mysterio, exemplo, 1338, 14. Ejus de deserto, ut ad paradisum redire possimus, vestigia persequamur, 1338, 12.

Christus se a diabolo tentari patitur, ut in illo omnes vinceremus, 1335, 4. Sic fallit, ut vincat : sic vincit, ut fallat, 1339, 19. Diabolum et principem sæculi fefellit, 1283, 3. Ita multis tentationibus se objecit, ut nulla tentationis nostræ certamina præteriret, 755, 38. Solus ille nobis dux constitui poterat adversus illecebras sæculi, et versutias diaboli, 1336, 9.

Tuum est quod Christus bestias patitur, suum quod ab angelis prædicatur, 1298, 52. Fames Domini pia fraus est, 1338, 16. Beata ipsius sitis; quia sitivit pro nobis, 960, 14.

Christus in Jordane baptizatus est, quando formam lavacri salutaris instituit, 642, 14 Nullo magis opere quam mysterio sui baptismatis Deus probatur, 1312, 91. Tria principaliter sunt in Christo quæ ad usum proficiunt salutis humanæ: sacramentum scilicet baptismi, desertum, jejunium, 1335, 4. Christi cum Joanne comparatio, 1285, 10.

Cur Christus cum peccatoribus manducaret, 1285, 10. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem sim-

Digitized by Google

plicem requisivit, 1299, 53. Cur inter Moysen et Eliam medius apparuerit, 522, 30.

Cur in passione a paucis teneri potuit, qui aliquando a populo non tenebatur, 1349, 56. Cum legimus teneri Jesum, caveamus ne putemus eum secundum divinitatem teneri, 1519, 68. Calumniis appetitus, silentium detulit triumphale, 1190, 24. Cum se posset ulcisci, queri maluit quam vindicare, 1231, 35. Vili vult se æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, 1391, 31.

Christi vulnera nullum fetorem pœnitentiæ, odorem omnem gratiæ redolebant, 828, 32. Quomodo derelictus a Patre, 900, 31; 980, 19. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de sua periclitaretur, dum te lucraretur, 453, 25.

Christus inimicos suos vocavit ad gratiam quos oculus Dei vidit et amavit, 826, 26. Etiam hostes suos non passus est vulnerari, 1519, 71.

Solus Christus tali dignus electus est morte, qua tolleret peccatum mundi, 682, 22. Cur ad id electus est a Patre, 1410, 109. Christum moriturum nec sancti crediderunt, 1379, 98. Eum potuisse non mori, sed noluisse, 1333, 47. Omnibus in commune semel mortuus est, et singulis semel moritur, non frequenter, 1207, 42. Idem testator et hæres, 1500, 27. Quomodo crucem suam quasi currum triumphator ascendat, 1527, 109. Crucis locus ubi fuerit, 1528, 114. In Venerario passus est, 938, 5. Passio Christi imago fuit regni cœlestis, 1156, 43. Reddamus Christo amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio, 1390, 26. In eo a morte sequestrata divinitas corporalium non subiit consortium passionum, 1391, 32.

Christus cur post mortem tantum percussus, 1533, 135. Exivit de vulnere Christi aqua, ut nos biberemus salutem, 829, 32. Sepulturæ Christi et Moysis comparatio, 186, 9. Primus dies quo Christus mortuus est, quomodo computandus, 915, 69. Quomodo tribus diebus, et tribus noctibus post mortem fuit in corde terræ, 630, 14.

Christus ideo passus est, quia benefacere eum delectavit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat, 672, 28. Crucifixus est pro fide nostra, crucifixus est pro cupiditatibus nostris, 1378, 96. Suscepit mortis servitutem, ut tibi tribueret vitæ æternæ libertatem, 1207, 42. Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas et reges facit, 1190, 20. Sanguis et passio Christi corona est magni certaminis, et præclarum munus sponsalium ejus, 370, 46. Crux Domini non credentibus præcipitium est, vita credentibus, 1158, 4. Hæc est fidei gloria, si vere intelligas crucem Christi, 1410, 107. Paradisum nobis crux reddidit Christi, et cur? 766, 3. In ea requievimus, et peccata nostra deposuimus, 1461, 208. In ligno Domini navigamus tuti et securi, 941, 13. Crux Domini omnes abolet atque abscondit errores, 683, 24. Vera crux Domini non exurit merita aliena, sed fecundat, 1114, 29. Sumus in umbra, qui crucis Christi protegimur velamento, 999, 19. Est quidam clavus spiritalis, qui patibulo crucis Dominicæ affigat carnes, 1168, 37.

Christus in infernum descendit; ut illi qui in infernis erant, a perpetuis vinculis solverentur, 922, 84. Christus atus auctoritate propria, mortuus propria voluntate, dormiens potestate propria, ipse resurrectionis suæ auctor est, 519, 20. Ubi testimonium resurrectionis asciscitur, astipulantur ministeria servulorum: ubi gloria Domini resurgentis ostenditur, servulis splendor absconditur, 926, 2. Christus est Dominus, quia redemit servulos suos: Deus, quia ipse se suscitavit, 893, 14. Ejus divinitas vita est, æternitas vita est, caro vita est, passio vita est, mors vita est, resurrectio vita est universorum, 793, 36. Primum et maximum fidei fundamentum in resurrectionem Christi credere, 509, 80. Christus non per corpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem impervia usu, clausa penetravit, 1540, 170.

Christus salit de cœlo in Virginem, de utero in præsepe, de præsepio in Jordanem, de Jordane in crucem, de cruce in tumulum, in cœlum de sepulcro, 1034, 6. Ascendit super omnes cœlos ad Dei sedem, et quomodo, 849, 17. Descendit Deus, ascendit homo: Verbum caro factum est, ut caro sibi Verbi solium in dextera Dei collocaret, 996, 8. Eo unde venerat, naturæ suæ majestate remeavit, 1333, 47. Vulnera suscepta pro nobis cur cœlo inferre maluerit, 1540, 171.

Christus finis Legis est, et mors ejus solvit ænigmata prophetarum, 910, 57. Cur finis legis sit, et plenitudo charitatis, 783, 16. Finis est viarum, finis justitiarum, finis testimoniorum, 1024, 22. Finis spei nostræ, plenitudo et consummatio universorum, atque omnium summa virtutum, 867, 1. Ad Christum omnia referenda, 891, 12.

Christus caput est omnium, 961, 18. Caput erat veteris Synagogæ, quam Moyses fundavit, 912, 62. Caput est quod in omnibus nobis per singula membra assurgit, 827, 29. Eo dempto, vivere membra non possunt, 1222, 2. Appetitus est semel in suo corpore, appetitus est frequenter in eo corpore quod est Ecclesia, 961, 16. Soli Christo prærogativa vocandarum Ecclesiarum reposita erat, 312, 92. Solus est sponsus Ecclesiæ, 520, 22.

Christus sanguine suo mundum lavit, cujus peccatum nullo alio modo potuisset aboleri, 942, 17. Remissio peccatorum est, captivorum redemptio, subsidium laborantium, 1184, 1. Non prodesset nasci, nisi ab eo redimi profuisset, 1295, 41; 1160, 10. Plus redimendo mihi contulit, quam creando, 1181, 40; 1227, 19. Nos redemit, adversarius vendit: ille auctionatur ad mortem, hic redimit ad salutem, 1436, 114. Ille viliori pretio nos addicit, hic magno nos redemit, 1437, 117. Cur solus hominem redemit, 949, 13. Hominis causam locumque susceperat, 671, 27. Beneficium redemptionis a suis majoribus inchoavit, 1327, 36. Nihil est quod magis esse ultra humana videatur, quam toto Christum se obtulisse pro mundo, 1379, 102.

Christus sicut redemptio, ita et misericordia, 942, 17. Spes et patientia nostra Christus est: ipse factus est redemptio nostra, ipse est nostra exspectatio, 854, 28. Religiosiori pretiosior est Deus, peccatori pretiosior est Redemptor, 488, 14. Solida ad singulos Christi dona perveniunt: omnes habent, et nemo fraudatur, 1155, 41. Quid tam proprium Christo, quam advocatum apud Patrem astare populorum, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, vitam reformare perituris, 861, 8.

Christus quam bonus sit medicus, 816, 4. Apud eum nulla comperendinatio sanitatis, qui verbo curare consuevit, non ferro, 1209, 2. Ejus sermo medicamentum est, 1428, 75. Nec non ipsius cognitio, 884, 39.

Velle Christi commune in omnes est, 1003, 29. Omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit, 1077, 57. Vel sero, vel nocte, vel quacumque hora veneris, invenies Jesum ad suscipiendum paratum, 1534, 138. Ubi gratia largienda est, Christus adest: ubi exercenda severitas soli adsunt ministri, deest Jesus, 299, 50. Quod severum in aliis in Christo dulce est, 1032, 43. Quos alligat, liberat; et quos astringit, absolvit, 933, 17. Nulli deficit, superabundat omnibus, nos deficimus, 1384, 116.

Christus verum lumen omnibus lucet, non vult tamen importunis irruere, non vult invitos cogere, 1117, 13; 1401, 74 *et seq.* Nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest, 663, 4; 1349, 56. Eum nemo potest tibi auferre, nisi te illi ipse auferas, 1360, 20; 1395, 50. Perfidis dormit, fidelibus vigilat, 899, 26. Dormit in negligentibus, suscitatur in sanctis, 1024, 20.

Quomodo quæratur Christus, 1055, 36; 1207, 41 *et seq.*; 1538, 161. Vult semper quæri, frequentius inveniri, 1119, 17. Dignatur quærentibus frequenter occurrere, et condescendere, ut eos elevet, 369, 44. Vult se præveniri Sol justitiæ; et ut præveniatur, exspectat, 1217, 30. Januam cordis nostri pulsanti quam cito aperiendam, 1118, 14 *et seq.*

In omnibus sequendus est Christus, et ipsum quisque pro possibilitate sua debet imitari, 841, 1. Turba eum non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia, 1366, 46. Habet in se remunerationem suam qui sequitur Jesum, 454, 28. Perfectio et plenitudo Christi est portio servulorum, 1257, 42.

Christus veniendo incrementa gratiæ secum vehit, 1034, 6. Nulla major salus quam esse cum Christo, et ei unitate quadam corporis adhærere, 861, 11; 1393, 42. Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum, 1359, 16 *et* 19. Non jejunat, 1360, 22. Ubi Christus, ibi vita, ibi regnum, 1530, 121. Nemo potest perire, cui non sublatus est Christus, 1222, 2. Vocem ejus quisquis perceperit, naufragium non timebit, 1334, 2.

Quomodo Christus teneri debeat, 368, 43. Solus est quem nemo debet deserere, nemo mutare, 1399, 67. Qui se ab eo separat, exsul est patriæ, civis est mundi, 1462, 214. Quis eum concipiat et pariat, 1509, 24 *et seq.* Quis eum possit tangere, 1539, 165. Qui caput non tenet Christi, vel pedes teneat, 387, 13 *et seq.* Ipsum semper loquamur; et qua ratione id fieri debeat, 807, 65.

Quis imitator Christi, 817, 5 *et* 6. Quis sint participes et consortes ejus, 1075, 53. Quid participatione gloriæ ejus erimus, cujus opprobrio sumus gloriosi, 1031, 41. Quod sub aliis contumelia, sub Christo gloria est, 933, 17. Optima conditio esse sub Christo, sub quo et pretiosa servitus, et gloriosa libertas, 448, 11. Jugum illius non conterit colla, sed honestat, 562, 83.

Via perfecta Christus est, 1026, 26. Moyses per desertum duxit populum Judæorum, Christus per lilia ducit, 374, 56. Quomodo committere debeamus iter nostrum ductui Domini Jesu, 1019, 5; 1022, 13 *et seq.* Via est quæ

perducit, veritas quæ confirmat, vita quæ per se redditur, 1411, 54. Christum scire vita est sempiterna, 1420, 58.

Christus cur verum sit lumen omnium, 833, 41. Bene in mysterio dies Christus, cujus apostoli duodecim horæ, 1464, 221. Dies est quibus adest Christus : nox est quibus se denegat, 1054, 33. Ante adventum Christi hyems, post adventum ejus flores sunt, 368, 35; 1010, 25.

Christus cur dicatur manus Dei, 1252, 22. Verbum dicitur, calamus, et scriba, 1380, 105. Verus levites, et quare? 210, 11. Verus est pastor, et qui noluerunt ab eo pasci, depascet eos mors, 952, 21.

Christi cibus virtus est, Christi cibus fortitudo est, 1401, 74. Ejus virtute egrederis ab Ægyptiis finibus, et pervenis in terram repromissionis, *ibid.*, 75. Omnes esurient, quos non paverit, 499, 42.

Christus granum est tritici, et granum sinapis, 1454, 182 *et seq.* Quomodo vitis et uva fuerit, 520, 24. Agnus nobis est, Judæis vero hædus, 489, 18. Cervo quam apte comparatus, 638, 2 *et seq.* Secundum Incarnationis mysterium est stella, 1297, 45. Quare sit petra, 859, 2. Mons magnus et exiguus, 644, 17. Bonus torrens qui Judæis cessavit, ut nobis abundaret, 774, 20. Lectus sanctorum est, in quo universa fessa sæcularibus præliis corda requiescunt, 369, 45. Caro Christi acclinatio est Ecclesiæ, 1015, 19.

Christus quomodo signaculum sit in fronte, in corde, in brachio, 380, 75. Ejus magna gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis suis donavit, 1407, 97.

CHRISTIANI quia nomen non habebamus in terris, de cœlo accepimus, ut Christi populus diceremur, 780, 7. Habet Christianus dignitatem suam, et sunt honorum diversi apud Christum ordines, 1250, 14. Christiani viri quanta magnificentia, 1314, 36. Christianum cum dico, perfectum dico, 1130, 31.

Christianorum pleraque quemadmodum veterum Judæorum, paribus et generibus formantur, et causis, 1265, 1. Christiani in divitiis simplicitatis suæ non defecerunt, Judæi in suis divitiis eguerunt, 707, 44. Quomodo Judæorum spolia habeant, 1240, 11 *et seq.* Oves sumus, petamus pascua : drachmæ sumus, habeamus pretium : filii sumus, festinemus ad patrem, 1462, 211. Dei filius per lavacrum, amicus per virtutem, mercenarius per laborem, servus per timorem, 1486, 228.

Christiani viri quænam sint bella, 1506, 11. Nihil laxum, nihil molle, Christi militem decet, 856, 23. Nihil non debet offerre, ut cum Christo resuscitetur, 825, 23. Christianis qui statuunt duriora præcepta, arguuntur, 1029, 37. Quam recte Christiani vineæ comparentur, 1500, 29 *et seq.*

CIBUS hominis cur post bestiarum pabulum creatus, 45, 28. An oleribus magis quam carnibus vescendum præceperit Dominus, 265, 89. Victu simplicis herbæ, olerisque cibis, aut pomi contentos esse omnes oportere, 43, 28. Lex quædam naturæ est tantam quærere, quantum sufficiat ad victum, et alimentorum modo sortem censere patrimonii, 90, 36. Eum de cibo curare indecorum est, qui militet de regno, 1441, 130.

Cibus nobis sola naturalis medicina est, 56, 57. Cibus ovibus et capris medicina est, 48, 40.

CICADIS cantibus medio æstu arbusta rumpuntur, et cur? 109, 76.

CICONIA Romanorum usu pia avis vocatur, 102, 52. Ab ea ἀντιπελάργησις nomen accepit, *ibid.* Ciconiarum pietas in parentes, 101, 55. Quomodo proficiscantur, et a cornicibus deducantur, 101, 53. Annuntiant veris initium, 120, 20.

CIRCUMCISIONIS præceptum explicatur, 347, 78 *et seq.* Circumcisio corporalis figura est spiritalis, 293, 29. Ejus vocabulo quid præscribatur, 292, 27. Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia, 1450, 166. Cur illa hodieque non teneatur, 293, 29.

Cur circumcisus Ismael tertio decimo anno ætatis, 352, 91. Circumcisi apud Ægyptios non solum mares, sed etiam feminæ, 348, 78.

CLERICUS non solum officii, sed etiam virtutis opera debet exhibere, 1418, 29. Clerus plerumque erravit, sacerdos mutavit sententiam, divites cum terreno rege senserunt : populus fidem propriam reservavit, 1189, 17. *V.* SACERDOS.

COCCUM pro igne in Exodo collocatum est, 1201, 22.

CŒLUM unde sic appelletur, 30, 15. Quæ sit qualitas et substantia ejus, 10, 21; 12, 23. Intelligibilis οὐσία est, terra autem visibilis vel sensibilis substantia, 332, 46. Philosophi æthera ex quinta quadam οὐσίᾳ esse asserunt, 338, 58. Refellitur hæc opinio, 13, 23 *et* 24. Currum volucrem esse asserit Plato, 335, 54.

In cœlum os suum ponunt, qui criminum auctoritates nativitatis putant quadam necessitate deferri, 666, 12.

Cœlum multipliciter majus quam terra est, ut a plerisque punctum comparatione cœli terra sit æstimata, 761, 49. Plures esse cœlos, 24, 5 *et* 6.

Cœlorum conversione inenarrabilem harmoniam excitari quinam crediderint, 336, 54; 758, 2. Eorum opinio refutatur, 24, 6 *et* 7.

In cœlo fuit vitiis locus, 1117, 12.

Cur sanctum dicatur, 1121, 25.

Cœlum is dicitur qui vitam angelorum custodia integritatis exercet, 1117, 12. Cœleste elementum vitæ tuæ imago esse debet, 1116, 8, 9. In cœlum quomodo per varias distinctiones ascendat homo, 829, 17.

COGITATIONI malæ et concupiscentiæ occurrendum, 1067, 34. Nulla mens, nulla anima est, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum, 251, 57. Cogitationes magis quam improvisæ infusiones ad crimen tenendæ, 746, 21. Cogitationes vanas cum expuleris, dabit tibi Deus vacuam possessionem cordis et mentis, 203, 44.

Cum cogitatione omnia facito, ut non te pœniteat operis tui, 1067, 32 *et seq.*

COGNITIONIS perfectæ non est, scire quid facias, et ordinem nescire faciendi, 1012, 12.

COGNOSCERE se ipsum, quid et quam utile, 986, 13 *et seq.* Tunc oblivisceris Dominum cum oblitus fueris tui, 196, 26. Non potest plene quis intelligere quid acceperit, nisi meminerit ante quid fuerit, 1123, 35.

Cognoscere non in sola et perfunctoria scientia est, sed in eorum operatione quæ oporteat fieri, 137, 30.

COLLYRIUM oculorum morbis remedium est, 1000, 22.

COLUBER cum urgetur periculo, caput abscondit, 1222, 8. Cervum fugit, leonem interficit, 48, 40.

COLUMBA typus pacis Ecclesiæ, 1312, 92.

COMMENDATUM et depositum dicunt quod nos custodiæ causa alicui commisimus, 614, 67.

COMPARATIONUM naturam spectandam esse, non speciem, 1453, 176

CONCUPISCENTIA et de bono et de malo dicitur, 852, 38. Concupiscentiarum, malarumque passionum flumina, ex carne velut ex fonte prorumpunt, lateque exundant, 232, 12. Concupiscentia rationem prævenit, sed ratio cupiditati resistit, 445, 3. Concupiscentiam ratio emollire potest, eradicare non potest, 445, 1 *et seq.* Concupiscentiis malis quam cito occurrendum, 978, 12; 1027, 29.

CONFESSIONIS tuæ vocem Deus exspectat, 782, 14; 1465, 225. Si in aliquo labaris, respicit te Deus, ut fatearis errorem, 1525, 90. Peccatorum morbus dum tegitur, inardescit; si confessionibus prodiitur, evaporat, 840, 57. Verus dolor est, et interioris cordis confessio, quando enumerantur omnia quibus secreta mentis viscera amarissimo compunguntur affectu, 834, 42. Vulnus peccati medicum quærit, medicus confessionem exigit, 872, 14. Venenum peccatum est; remedium accusatio peccati, 829, 11. Non potest quisquam justificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus, 178, 71. Quomodo qui se accusat, etsi peccator est, justus esse incipiat, 1012, 11. Quicumque dicit iniquitates suas Deo, justificatur, 199, 34; 559, 75; 996, 10. Condemnatio præsentium, absolutio futurorum est. 820, 13.

Confessio peccati compendium est pœnarum, 219, 27. In Confessione est venia, et in peccati sui condemnatione justitia. 854, 50. Plurimum suffragatur reo verecunda confessio, et pœnam quam defensione evitare non possumus, pudore levamus, 821, 14. Criminis commentum, non confessio pudori est, 1328, 38. Justificatio Dei est, ut cum boni operis aliquid fecerimus, semper tamen Deo peccata nostra fateamur, 1166, 50.

Deus non solum culpas ignoscere confitentibus, sed etiam præmia corrigentibus impertire consuevit, 732, 68. Justus suorum confessione peccatorum vocem eripit adversario, 769, 8. Non solum renuntiare peccatis, sed etiam memoriam omnem debes actus superioris abolere, 1481, 44. *V.* ECCLESIÆ CLAVES.

Confessio fidei pretium immortalitatis nobis est, 1354, 74.

Confessorum violæ ubi reperiantur, 1441, 128.

CONFUSIO bona est, quam pro Christi nomine subeas, 916, 68.

CONJUGII quanta vincula? 86, 18. Conjugii charitatem lex divina in naturam vertit, 1165, 17. Cur homines conjugia non spernere, nec sibi sociare impares debeant, 288, 19. Conjugium non reprehenditur, sed ad majorem honorem vocatur integritas, 1458, 196.

Vir non est Dominus, sed maritus : non ancillam sortitus est, sed uxorem, 87, 19. Conjugum mores ferendos esse, 86, 18. Simul iis ad orationem nocte surgendum est, 309, 84. Religiosiores copulæ mentium docentur esse, quam corporum, 1392, 26. *V.* MATRIMONIUM et UXOR.

CONIUM vitæ noxium, 47, 38. Eo plerumque furores libidinum marcuerunt, 48, 39.

CONSCIENTIÆ emendatæ gratia nulla melior voluptas, 351, 85. Conscientia boni facti merces piæ menti, 532, 47.

CONSCIENTIA apud Deum se prodit, et cogitatio hominis

Digitized by Google

apud eum se aut condemnat, aut purgat, 920, 79. Arbitrum justitiæ, remuneratoremque meritorum innocens non metuit conscientia, 983, 7. Bona conscientia quæ cum examinatur, probatur, 1004, 33. Non possunt aliena verba crimen affligere, quod propria non recepit conscientia, 847, 13. Bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui judex, 847, 13. Et ipsa obmutescit facundia, si ægra sit conscientia, 1041, 27.

Consilia salubriora tunc credimus, si propensiore meditatione examinata videantur, 981, 1.

Consolatio prima ordine est, quod non obliviscatur Deus facere misericordiam, 1195, 3. Secunda consolatio est quod diversis propter peccata nostra suppliciis, ad veniam pertinemus, *ibid.* Consolatio mitis esse debet, non aspera, 834, 42. Sæpe lites de consolationibus vidimus excitatas, 834, 42.

Consules ascribuntur tabulis emptionis, 1294, 39.

Convertitur nemo, nisi qui voluntate convertitur, 752, 30. Beatus qui se potuerit reparare post lapsum, 677, 6. Plus est a vitiis se revocasse, quam prope vitia ipsa nescisse, 1247, 3. Cum virtute surgit quicumque corrigitur, 853, 33. Potest fieri ut quæ interdum displicent, emendentur cum gratia, 326, 31.

Conversione animæ nihil Deo gratius est, 905, 43. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum, 1292, 33. Verbi Dei sententia est, ut conversis venia donetur; si tamen legitime est facta conversio, 1066, 30. Consummatæ emendationis quanta virtus, 1247, 4. Non mediocris est virtutis ab improbis ad honesta, a terrenis ad æterna transire, et carnalis vitæ consuetudinem commutare, 959, 7. Castigare nos ipsos si noverimus, cædimus aerias potestates, 1123, 28.

Convivium quoddam exquisitum, et opipare accuratum, 115, 5. Fugiendas esse comessationes, 561, 81.

Cor salutis signa demonstrat, quando causas suæ perturbationis agnoscit, 832, 39. Quæ sit vox cordis, 1211, 8 *et seq.* Cor prius clamet, ut sermo possit a Deo audiri, 1212, 12. Etsi Deus videat omnia cordis occulta; bonum tamen est ut unusquisque animam suam ei aperiat et expandat, 1248, 24. Qui cordis clamorem perdidit, perdidit etiam linguæ, 1280, 41. Quid sit effundere cor suum, 966, 30. Si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua, 747, 24. Corde qui uritur, comburitur corpore, 711, 13. Cor si exagitatur, magnum periculum designat, 852, 38.

Quam grande munus sit, cordis esse mundi, 698, 64. Cor mundandum est, et quomodo, 1101, 45 *et seq.* Quomodo auferatur velamen, quod manet super oculos cordis, 1000, 22. Interdum melius est nudum esse corpore, quam corde velatum, 724, 46.

Cordis uteri duo, 233, 14.

Corallium in mari herba, si in aerem transferatur, in lapidis firmitatem solidatur, 93, 33.

Core filiorum officia, 938, 1.

Corium ad peram et calceamenta idoneum, 1423, 37.

Cornix plena voce pluviam vocat, 96, 39. Cornicum in filios amor, 103, 58.

Corona luctando quæritur, non reluctando: studio, non refragio, 772, 17. Non est corona nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis, 1215, 19. Non decet redimitos floribus corona, sed pulverulentos: nec molles deliciis, sed duros labore exercitii ornat victoria, 1196, 5. Quanto plura certamina, tanto præcellentior corona virtutum, 1264, 6; 1344, 37. Corona certantibus non nisi ultimo die dari solebat, 133, 1. Quo clarius meritum coronati, hoc uberior justitia coronantis, 1145, 16.

Corporis humani forma cæteris præstat, 133, 54. Ejus fabrica instar est mundi, *ibid.*, 55. Singula humani corporis membra ita usum ministrant, ut præstent decorem, 235, 18 *et seq.*

Corpus humanum septum est corio, ut a frigore æstuque defendatur, 248, 50. Attextum est sicut nidus, 233, 14. Cur uter dicatur, 1108, 14.

Corporales impressiones cum patimur, cur exclamare consuevimus 1210, 7. Quantas occupationes corporis hujus necessitas invehat, quibus impeditur animæ vigor, ac revocatur intentio, 394, 12.

Corporis virtus exercitatione augetur frequenti: at inexercitata minuitur et labitur, 216, 22.

Sancti etiam cum gerunt corpus, non sunt tamen in carne, sed in spiritu, 1062, 18. Sunt plerique in corpore siti, qui peregrinantur a corpore, et adsunt Deo, 1010, 2; 1167, 31.

Anima justi utitur corpore ut instrumento aut organo, 400, 25; 401, 27. Boni reges qui sui corporis possunt se præbere rectores, 959, 7; 1151, 30.

Corporis nostri usus nobis inimicus gravis est, 401, 26; 1112, 24. Anima beata est quam nulla adversa corporis prælia expugnant, 376, 61. Voluptates corporeæ, esca malorum, 376, 61. Homo illecebris corporalibus deditus seipsum inhonorat, 117, 10. Corporis infirmitas sobrietas mentis est, 18, 31. Corpus nostrum hoc tabernaculum testimonii est, 1144, 11.

Correptio amantis est, non exsecrantis; bonitatis, non crudelitatis, 1081, 7. Correptio eruditio est, 822, 19. Medicina Christi correptio est, 840, 56. Qui sanari vult, argui non reformidat: sed non vult argui in furore, sed in verbo Dei, 823, 19.

Ordo correptionis fraternæ, 1067, 32. Disciplina seu correptio molesta est, nisi habeat scientiam, 1082, 10. Sapiens quomodo alios corrigere studeat, 253, 66. Gravis verecundia pudorque delicti ab inferiore reprehendi, 728, 56. Plus proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta, 1473, 21. Omnis disciplina seu correptio, etsi ad tempus habeat amaritudinem, postea tamen pacificos fructus ferre consuevit, 1082, 10.

Corrigere propositum et in melius mutare non levitas, sed virtus est, 1184, 45. Correctio post passionem Domini necessaria, 1424, 60.

Corvum quasi annuntium futurorum plerique æstimant, 254, 62.

Coturnices Helleboro vescuntur, 48, 39.

Creatura in sui exordio secuta est præceptum Dei, et usum fecit ex lege, 36, 8. Non debemus condemnare in creaturis, si quæ nobis difficilia intellectu videntur, 147, 7.

Crimina nostra bonis operibus, fideique pretio, et miseratione redimamus, 210, 10. *V.* Peccata.

Critias sanguinem animam esse existimavit, 266, 92.

Crudelitas. Multos vitia blandiora decipiunt, et contra avertit a se plurimos tristis et nimium severa crudelitas, 1183, 43.

Culpa substantiam nullam habet, 905, 44. In hunc mundum tamquam hospes intravit, aliena nostræ et peregrina naturæ, 728, 59. Malitia fons peccati est, culpa infirmitatis est lapsus, 1165, 23.

Culpa plus quam ærumna a sancto viro defletur, 1194, 36. Intus est culpa, intus et virtus, 731, 66. Tua te ipsa culpa accusat et prodit, 579, 31; 731, 66.

Crescit culpa, cum proditur, nec cavetur, 419, 13. Tolerabilior culpa quæ premitur verecundia, quam quæ insolentia prædicatur, 302, 59; 719, 34.

Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subjectum reddidit, 432, 21. *V.* Malitia *et* Peccatum.

Cupiditatum causæ sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ, 1343, 33. Defectio cupiditatum et vanitatis, adjectio est veritatis, 436, 47. Cum compressæ fuerint cupiditates, possunt virtutes et bona opera germinare, 280, 77. Finis tentationum, finis est cupiditatum, 1343, 38.

Cupressus numquam amittit viriditatem suam, 1013, 21. Lacunaribus fastigiisque comendis habilis, 51, 53.

Custodis boni præsentia ibi frequentior, ubi muri fragiliores, 229, 5.

Cygno cur collum procerius? 108, 73.

# D

Daleth significat Latine timorem, vel nativitatem, 1009, 1.

*Damnentur* cur multi, pauci coronentur, 870, 6.

Dan judicium interpretatur, 523, 34; 877, 25. Benedictio ejus explicatur, 522, 32 *et* 33. Figura fuit Antichristi, 877, 25.

Danubius de occidentalibus partibus Barbarorum atque Romanorum intersecat populos, 28, 12.

Darius Medus Rubrum mare Ægyptio pelago connectere voluit, 37, 10.

David Hebræi excelsum dicunt, Latini humiliatum interpretantur, 720, 39. Ejus se dici filium ipse Dominus gratulabatur, 676, 3. Arguuntur qui eum Filium Dei et Christum esse dicebant, 713, 22 *et seq.*

David magnus moralium magister, 971, 1. Illius fortitudo facta est universorum victoria, 684, 26. Major in eo pietas, quam virtus corporis militabat, 1008, 46. In ipso quam in Salomone major Dei gratia fuit, 843, 4. Quare ante arcam saltaverit, 1385, 5. Ejusdem clementia morum, mansuetudo pietatis, et vehemens devotionis intentio, 1162, 13. Quam injuriæ patiens et doloris, 683, 30. Parcebat inimico, et malebat innocentiam suam quam vitam tueri, 768, 7. Didicerat de Christo bonus esse pater, 1130, 27. Cur Absalon prius dixit puerum, postea filium, 1190, 23. Irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudavit remedio, 415, 3. Quid a Domino tamquam servus, miles, et vocatus exigeret, 1044, 4. Multo admirabilior qui potestatem vicit, quam qui amorem, 710, 9.

David sitiebat Christi sanguinem, non aquæ elementum quod erat in lacu Bethleem, 686, 33. Vidit sacramenta novæ legis, 695, 58. Vidit remissionem futuram omnium

Digitized by Google

delictorum, prævidit fulgorem gratiæ per lavacrum regenerationis, et infusionem Spiritus sancti, 683, 24. Resurrectionem Domini multo post sæculo futuram pia fidei devotione celebravit, 819, 79. Quod ipse nesciebat, Nathan inferior propheta cognovit, 1119, 18.

David cur peccati exsors non fuerit. 687, 36; 718, 33. Ideo videtur peccatum gustasse, ut doceret quemadmodum peccatum posset aboleri, 815, 1. Quam efficaciter ille nos peccatorum nostrorum pœnitere docuerit, 815, 1. Quam cito peccatum confessus ingemuit culpæ dolore, 677, 5. Iniquitatem propriam confitendo, justificatus est in semetipso, 1051, 22. Quomodo peccatum suum petierit deleri, 820, 14. Eum homicidia sua, et adulteria decantasse male gentiles objiciunt, 709, 6 *et seq.* Non alia re præcelsior, quam quod commissum adulterium pœnitentiæ putavit lacrymis abluendum, 1327, 37 *et seq.* Peccavit David, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit et flevit, quod non solent reges, 681, 15; 709, 7. In electione pœnæ pro peccato suo rationem secutus est, in dolore pietatem, 822, 16. Quibus operibus peccatum suum texerit, 883 *et seq.* Sic dilexit Dominum, ut nimia charitate peccatum omne tegeret atque absconderet, 683, 25. Licet pœnitentia abolitum, suspectus tamen erat, ne forte adhuc maneret ejus opprobrium, 1031, 40.

Davidis factum cum Uriæ uxore, mysterium fuit in figura, peccatum in historia: culpa per hominem, sacramenta per Verbum, 1328, 38. Mysteria sub eodem adulterio adumbrata deteguntur, 720, 37 *et seq.*; 725, 50 *et seq.* Deus de sanctitate et justitia ejus jam judicavit, 676, 3. Figura Christi fuit, 122, 25; 182, 20; 686, 12 *et* 14; 703, 81 *et* 1241, 11. Quid ingressus in domum Achimelech, ubi quinque panes petiit, figuret, 1364, 35 *et seq.*

Debitum cum solvitur non quantitas, sed animus reddentis, consideratur, 217, 23.

Decorum quod bonum, quod autem indecorum hoc malum 375, 60.

Defensio est non arrogantia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, sed formidabilis ærumna propulsatur, 1172, 10. Melior est causa, quæ non defenditur, et probatur, 1525, 97. Ambiant defendi, qui timent vinci, 1525, 97.

Delectatio naturalis est, 738, 2. Summum est virtutis et erroris incentivum, 737, 1. Prima est origo peccati, 179, 73. Ea mentis vigore resoluto sese effundit, 357, 2. Operiebat et quasi tegebat corpus nostrum per Adæ errorem, 259, 72. Grave et iniquum certamen adversus delectationes præsentium. 748, 25. In exigua delectatione amaritudo perpetua est, 634, 22.

Delictum minus est quam injustitia vel iniquitas, 690, 45; 692, 49.

Democrito plurimum de physicis vetustas auctoritatis detulit, 2, 3.

Dentium utilitas, 139, 66; 236, 22.

Depositum et commendatum est, quod custodiæ causa cuipiam commisimus, 614, 67.

Desertum. In deserto tentationes plurimæ, nisus ad virtutem difficilis, lapsus facilis ad errorem, 1336, 8.

Desideria super nos extendere humanum est, 1192, 28. Constituendum ante Dominum omne desiderium nostrum, 831, 38.

Desperandum numquam est, et cur, 826, 26. Si quis leviores habeat passiones, non penitus divinam desperet gratiam, 269, 102. *V.* Spes.

Despicere neminem quare debeamus, 1226, 17.

Devotio in exsequendis Dei mandatis, virtus prima est ordine, et cæterarum fundamentum, 282, 3. Ipsa manet in æternum, 1006, 41. Epulatur animus devotionis alimento, 1033, 29. Devotio religiosa ambitione caret, 1343, 34. Bona comes humilitatis, 1148, 23. Devotionis tria in nobis officia definiuntur, nimirum fides exigitur, studium desideratur, facta quæruntur, 194, 22. Devotio sera nihil habet laudis, 1214, 19.

Deus operator operibus suis proditur, 421, 10. Qui ex corruptilibus mundi putat quod Deum comprehendere possit, infatuatur, 5, 9. Quæ major est gloria quam pectoribus nationum cognitionem divinitatis infundere, 894, 16.

Deus dicens ego sum qui sum, rem expressit, non appellationem, 896, 19. Unus est, non unus e numero 1487, 65. Dives Philosophia plures sibi deos fecit: pauper Ecclesia unum Deum novit, 1474, 17. Illius est esse qui semper est, 1521, 80. Semper enim esse divinum est, 128, 41. Nec initium dierum, neque finem habet, 5, 9.

Deus est spiritus, 127, 40. Nihil habet in sua substantia corporale, 914, 65; 1456, 188. Incorporei Dei corporea adumbratio esse non potest, 9, 18 Refelli non potest personas Trinitatis ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formaverit, 1274, 25. Corporalibus non videtur oculis, 1207, 41.

Dei proprium est, ut bonus sit, 1083, 15. Deus universitate bonus, homo ex parte, 1487, 65. Supra meritum nostrum Dei bonitas redundavit, 761, 50. Quomodo bonus sit omnibus, 663, 4. Bonitas Dei in omnes est, severitas in paucos, 1081, 7. Manus Dei plenitudo bonitatis est, facies ejus illuminatio mentis est, 924, 88.

Deus in semetipso manens dat aliis, nihil autem in se ex aliis suscipit, 382, 78. Neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adjectionem capit, 186, 8; 874, 20.

Deus qui ubique et omnibus præsens est, quomodo quibusdam propior sit, 1219, 39 *et seq.* Etsi immensus Deus, mensuram omnium tenet, 197, 30. Deo nihil immensum est, qui omnia mensura quadam suæ scientiæ comprehendit, 850, 20. Dei quænam est deambulatio, 176, 68.

Deus cum immutabilis sit, cur dicatur irasci, 231, 9. Non cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia, 231, 9.

Divinitatis splendor incomprehensibilis premit nostri corporis sensus, 1415, 17. Inscrutabilia judicia Dei, sed non inscrutabilia judicia oris ejus, 992, 29 *et* 30. Ejus consilium humana vota non capiunt, 1366, 43. Dei spiritus non humana opinione comprehenditur, sed quasi quodam eventu inopinatus illabitur, 1528, 115. Quam probabile sit desiderium videndi vultus divini, 1062, 19.

Nihil est præter Dei scientiam, 1906, 28. Deo omnia præsentia quæ futura sunt, et manifesta quæ latent, 770, 11. Numerus capillorum quomodo Deo cognitus, 1436, 112. Qui novit Dominum, scitur a Domino, 791, 31. Cognitio Dei dignationis est, non visionis, 792, 33.

Dei immobilis voluntas, homines vero mobiles et cur, 961, 18. Deo lex voluntas est, et donandi jus, 838, 51. Voluntas divina fundamentum est universorum, 12, 22. Voluntas Dei potestas est, 1355, 3. Voluntas Dei mensura rerum est: sermo ejus finis est operis et ortus naturæ, 24, 4. Virtus naturæ est, 26, 10. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est, 19, 33.

Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit, 1231, 37. Dei operatio qualis? 179, 74. Vox Dei efficiens naturæ est, 36, 8. Deum auctorem esse mundi ac diluvii, 243, 42. Christus et Spiritus sunt manus quibus Deus hominem creavit, 1092, 17. Prima Dei vox singulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne ævum remansit, futuræ successionis datura præscriptum, 42, 26; 49, 43. Quod jubet, facit, 37, 9. Non laborat in maximis, non fastidit in minimis, 80, 5. Mirabilis in utrisque, 126, 37.

Dei in homines providentia, 89, 25. Male quidam philosophorum illam negarunt, 268, 100.

Deus cujus servum esse virtutis est, ipse permisit ut eum patrem vocemus, 518, 17. Si honorari parentes atque amari justum est, quanto magis parenti omnium deferri debet amor et honorificentia, 545, 69; 463, 20.

Deus solus magister est verus, 1078, 59. Non vult cum aliis consortium habere dominatus, 1122, 27.

Dei in nos quanta charitas, 452, 24 *et seq.*; 729, 62 *et seq.* Quomodo misericordia ejus plena sit terra, 1077, 57. Misericordia hominis, in proximum suum, miricordiase Domini in omnem carnem, 1230, 29. Vita tua non in abundantia tua, sed in Dei est misericordia, 1140, 28. Aspectus Dei salus nostra est, atque in ejus vultu nostrum est adjumentum, 932, 15. Ubi adjumentum Dei, ibi certum salutis auxilium, 1151, 30; 1166, 29. Quos Deus aspicit illuminat, 697, 61; 792, 33. Cito dat, 198, 31. Non est serus ad remunerandum, cito promittit, et multa largitur; et quare? 288, 18. Tardius votum precantis; quam remunerantis est præmium, 822, 18. Uberiora sunt dona largientis Dei, quam merces operantis, 892, 12. Nihil imperfectum dat Deus, 196, 28. Sua donat sine ullo donationis dispendio, magisque fruitur eo, quo nos utimur, 240, 35.

Est misericordiæ divinæ ut nulli causa sit mortis, et omnes putet esse redimendos, 898, 25. Omnia salva esse vult, 760, 48. Si in te non ingrediatur, non ingredientis sed aperientis est culpa, 1220, 40. Omnes suos vult esse, quos condidit et creavit: etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire, 865, 20. Solet congregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos, 984, 9.

Deus neminem deserit aut repellit, nisi qui se ab ejus conspectu putaverit sequestrandum, 672, 29; 802, 57; 1167, 31. Nihil gravius quam errantem a Deo deseri, 221, 32. Quam grave sit projici a facie Dei, 672, 30; 699, 67. Quid sit a Deo repelli, 989 *et seq.* Unusquisque studiis suis sese jungit Deo, aut separat, 1167, 31. Deus relinquitur pravitate morum, et deformitate vitiorum, 1167, 31. Deseruntur a Deo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant, 1495, 1. Deus excæcavit populum Judæorum, non duritia, sed præscientia; nec malitia, sed æquitate ac justitia, 1191, 27.

Digitized by Google

Duo quædam in Deo principalia sunt genera virtutum, unum quo remittit, aliud quo vindicat, 212, 15. Misericordia Dei cum judicio, et judicium cum misericordia, 1232, 40 *et seq.* Deus ideo dicitur, quia indulget : Dominus, quia vindicat, 246, 47. Misericordiam quasi liberalis impertit, et judicium cum miseratione dispensat, 619, 86. Severus in corripiendo, sed dulcis in corrigendo est, 886, 3. Severitas ejus in bonitatem recurrit, 1081, 7. Opus suum probare magis atque augere, quam minuere aut damnare consuevit, 1200, 19. Etsi irascitur, ignoscit : etsi percutit sanat : etsi tradit in interitum carnem, spiritum salvat, 826, 26. Deus cum irascitur in reum, differt : cum miseretur, properat, ut absolvat; tenet, ut corrigat, admonet ut emendet; prævenit, ut ignoscat, 822, 17. Irascitur peccatis nostris, sed non obliviscitur pietatis, minatur supplicium, sed non permittit excidium : moderator vindictam, revocat severitatem, 245, 45. Quam clemens, quam pius, cum aut miseretur, aut vindicat, 1081, 7; 1453, 173. In remuneratione præmiorum promissa custodit, in exactione pœnarum præscriptum remordet, 824, 17. Fortis manus Domini sicut male percutit, sic cito sanat : quæ fortis ad vulnus, fortis et ad remedium est, 855, 33. Non vult vindicare, qui paratus est ignoscere, 425, 14. Nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque sibi auctor est pœnæ, 1394, 46. Quanta Domini patientia, ut non statim peccatorem puniat? 298, 46. Patientia Dei non præjudicat veritati, 667, 14.

Misericordiam magis petere Dei, quam justitiam implorare debemus, 1179, 32. Eam fide, studio, operibus meremur, 194, 23. Prius ad Deum quam ad humana subsidia confugiendum, 202, 40. Dominus etiam circa indignos promissa sua servat, 588, 73.

Sola Dei possessio est, quæ perpetuæ gratiæ ferat fructus, 211, 11. Proposuit tibi Dominus in portione aurum, honores, nobilitatem, et se ipsum : elige quam putas, 1060, 13. Deum preferre debemus omnibus, 285, 9. Cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, 420, 7. Ille totius possessor est naturæ, 1057, 5.

Non est solus, cui Deus præsens est, 845, 9. Nullus absens Deo, nisi qui se absentem fecerit, 787, 20. Stans cum Deo lapsum timere non poterit, 285, 9; 1136, 17. Deo vivamus, cui mori gloriosum, 1058, 7. Votis, et pura conscientia, et spiritu charitatis adhæreamus Deo, 209, 9. Quomodo per Christum Deo appropinquamus, 1218, 8. Quam rarus qui possit dicere Deo : Tuus sum, 1125, 37 *et seq.*

Deo duce omnis levatur labor, omnia impedimenta removentur, incentiva subministrantur, 799, 50. Bene dirigitur, cujus dexteram Deus manu sua tenet. 671, 27. Bonum est quærere Dominum, sed aliquando in malum vertitur, 1342, 31. Quid sit vias suas ambulare hominem, et vias Dei? 1012, 10.

Deus quomodo justificetur, 1384, 2. Quomodo magnificetur, 1290, 27. Deo reverentiam qui non exhibet, naturæ non deferet obedientiam, 219, 28. Hæ præcipuæ virtutes, ut Deum exprimas quasi imago archetypum, diligas quasi filius patrem, adores quasi subditus regem, 422, 11.

Quomodo loquatur Deus, 176, 69. Deo semel loquente, quomodo plura audita sint? 967, 33. Cur dicatur jurare, 205, 43. Quomodo irasci, 822, 19. Dei ingressus et egressus qualis, 899, 29.

Dei manu virtutem intelligimus puniendi, 823, 20. Cur Deus et lux et ignis esse describatur, 1066, 27. Ignis Domini lumen est æternum, 1442, 132. Illuminare solet, non exurere, 66, 9.

Nihil est ultra Dei injuriam peccare gravius quod possis, 1435, 106. Omnium acerbissimum est quidquid in Dei fieri videtur injuriam, 759, 47. Nemo gravior hostis omnium, quam qui omnium lædit auctorem, 1200, 18. Respuenda est utilitas nostra, ubi divinitatis injuria est, 1485, 60.

Diaboli natura non improba, sed opera iniqua, 1350, 61. Cur non semper manebit, 1394, 46. Qua fraude deceptus sit, 1337, 11. Per superbiam naturæ suæ amisit gratiam, 1046, 8.

Differtur diaboli judicium, et cur? 1228, 23. Non vult Dominus commune sanctis cum diaboli sociis consortium esse judicii, 1228, 22. Qua pœna puniatur, 433, 40 et 41.

Diabolum fuisse in paradiso terrestri sub figura serpentis, 148, 9. Id non reprehendendum, neque de eo dubitandum, 149, 10. Plerique tamen illud negarunt, 149, 11.

Diabolus quidnam in homine inviderit, 169, 54. Illius malitia facile occulta deprehendit, 1283, 3. Ipsam hominibus prodesse ad salutem, 148, 9. Improbus magister est diabolus, qui falsa veris permiscet, 1408, 102. Nomen Jesu Nazareni in Evangelio Lucæ dixisse primus inducitur : et in Genesi primus Deum homini nuncupavit, 1350, 60. Sicut sancti membra sunt Christi, ita impii membra sunt diaboli, 776, 27; 919, 9.

Diabolus rex est sævissimus, 908, 54. Fugienda sunt omnia quæ illius subjacent potestati, et quare, 1342, 30. Omnium auctor est flagitiorum, 814, 6; 1173, 12. Quis tam inimicus tuus, quam princeps istius mundi et socii ejus, 901, 33. Mons est qui se misit in cor Judæ, 929, 9. Tripudiabat quod apostolum subtraxerat Christo : sed plus quam subtraxerat, in latronis conversione amisit, 864, 17. Quid mirum si gravare homines possit, qui pervicaci spiritu nec Deo cedit, 1174, 15. Socios quærit ad culpam, ut obnoxios prodat ad pœnam, 978, 13; 1447, 150. Imitatur perdicem quæ aliena ora diripit et fovet, 118, 13. Mutuatus est quod non tenebat, nec vult restituere quod accepit. 797, 46.

A Deo permittitur diabolo in homines potestas, ut boni probentur, improbi puniantur, 1395, 49. Accepit tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi, 149, 10; 1437, 115. Cognoscenda sunt tentamenta illius, ut docti instructique caveamus, 172, 58. Varia ejus tentamenta exponuntur, 170, 55. Ira, furor, cædes, arma sunt diaboli, 801, 56. Tibi blanditia ejus plus cavenda est, 1343, 34. Tentat, ut adversarius; defendit ut servus, 823, 25.

Nemini potest nocere diabolus, nisi ipse se miserit, 1340, 25. Neminem jugo servitutis astrictum tenet, nisi se prius ei ære peccatorum vendiderit, 447, 10. Non capit laqueus diaboli, nisi ante esca te ceperit, 1153, 37. Cito diabolus defidit januam cordis nostri si eam patentem invenerit, 649, 28. Si diabolum non conterimus, nostra culpa est, 1110, 18; 1344, 36. Adversus illum non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis utendum, 1211, 8. Non merito tuo, sed odio sui vincitur, 1418, 29.

Diabolus per antithesim Christo opponitur. 1436, 114; 1437, 117. Christus voluit in se principem mundi fallere, in discipulis triumphare, 1005, 54. Quam beatus vir in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret, 466, 24. In illo solo nihil invenit, qui peccatum non fecit, 374, 55.

Dialectica divitiis verborum fluit, pietas timorem Dei servat, 791, 28.

Διὰ παντὸς et omne tempus significat, et per omnia, 1021, 21.

Diei acceptio diversa, 244, 43. Dies temporis portio est, non principium, 10, 20. Viginti quatuor horarum mensura unius diei tempus est, 22, 37.

Dies Dominica habet ex numeri ordine prærogativam, et ex resurrectione Domini sanctitatem, 936, 1. Cum omnes dies fecerit Deus, huic tamen diei præ cæteris divini operis prærogativa delata est, quo peccatum omne sublatum est, 887, 6.

Dies Christus est, 1054, 53; 1464, 222. Quibus Christus adest, semper dies est, et numquam sol occidit, 1122, 26. Qui mali sint dies, 792, 32.

Digestio quomodo fiat, 141, 71; 238, 28.

Dignitas omnis sæcularis diabolicæ subjacet potestati, ad usum fragilis, et inanis ad fructum, 1341, 28.

Dilectionis et amoris differentia, 1542, 177. Ubi dilectio perfecta, ibi securitas, 1353, 70. *V.* Charitas.

Diligentia ingeniosi adminiculum, 316, 8. Diligentia et fides superiorem locum tenent, 831, 35. Non satis est recte facere nisi etiam matures quod facias, 295, 33. Molimina Deus sera condemnat; 1537, 162. Bona diligentia cum sapientia, et inventio cum ingenio naturali, 448, 50. Candidatum regni cœlestis militem impigrum esse debere, 462, 10. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam, 808, 66. Deus præsentior est diligentibus, negligentibus abest, 1499, 23.

Diluvium verno tempore cœpisse et desiisse, 246, 48; 252, 60. Cur sexcentesimo anno Noe, *ibid.* Qua ratione quadraginta dies diluvium fuerit, 244. Quomodo per quindecim aquæ cubitos quibus montes diluvium superabat, quinque sensus humani adumbrentur, 248, 52. Cur secuturo diluvio, non defuerit gratia fecunditatis, 229, 6. Utrum folium oleæ a columba allatum ante diluvium, vel diluvii tempore exortum fuerit, 256, 68, 69; 259, 74. Corvus et columba ex Arca dimissa malitiam et virtutem signabant, 254, 64. Diluvium Spiritus divini virtute repressum est, 251, 58.

Διορατικὸν quid, 335, 54.

Disciplina, sapientia, et intellectus quomodo inter se differant, 886, 3. Disciplinæ perfectæ plenitudo mentem non sinit edaci libidinum vapore consumi, 211, 11.

Discipulis suis Christus omnia fere vocabula sua donavit, 1407, 97.

Discordibus nulla spatia satis esse possunt : quietis et pacificis etiam angusta abundant, 323, 26.

Distinctio in omni re confusione melior est, 215, 21.

Dives unde dicatur, 372, 28. Quis vere sit dives, 382, 60. Hoc est esse divitem, habere quod satis voluntati sit, 320, 20; 361, 11. Dives est qui justus est, 1534, 139. Quis ditior quam qui dives in Domino est, 782, 12. Divites si custodiant mandata Dei, fit eis possibile quod impossibile videbatur, 988, 18. Non omnes divites avaros, 1493, 86. Dives cur interdum justus, inops autem peccator, et quare, 962, 18.

Definitur contra naturam esse dives misericors, 1488, 70.



Digitized by Google

Divites clausas aures habent, et sono æris obtusas : nummus illis magis resonat, quam verba divina, 1038, 9. Quanta divitum in pauperes duritia? 565, 1; 581, 56 *et seq.* Pauperi ipsam dives invidet sepulturam, 578, 46. Strangulat avaritia pauperem in hoc sæculo : sed in perpetuum dives suis laqueis suffocatur, 1028, 31. Dolor ac æstus pauperis cujusdam parentis quem dives ad vendendum filium cogebat, elegantissime describitur, 570, 21 *et seq.* Funesta fames divitum, funestior luxuries, 570, 20.

Divites quàm longe lateque diffundant cupiditates suas, 276, 125; 286, 12. Quanti divites Deum sibi non sufficere judicant, 1125, 37. Quam rarus in terris qui possit dicere; Portio mea Dominus, 1036, 3. Omnibus in commune elementa donata sunt ; patent æque divitibus ac pauperibus ornamenta mundi, 134, 52.

Quanta sit insolentia et tumor divitum, 1473, 14. Inflat plerumque homines utilitatis jactantia, et rerum affluentia sæcularium, nisi pudeat in te aliena magis quam propria laudari, 1139, 28.

Dives quod suum est quasi vile fastidit, quod alienum quasi pretiosissimum concupiscit, 568, 9. Quam sit inquietus, 573, 29. Divites quanto abundantiores tanto pauperiores sunt, 566, 4 *et seq.* Damnum suum credunt quidquid alienum est, 568, 11 *et seq.* Paupere miseriores sunt, 573. 31. Tolerabilior servulorum quam divitum conditio, 572, 28. Captiva est opulentia, paupertas libera, 579, 51. Divites miseram servitutem serviunt, 579, 52. Non possessores divitiarum sunt, sed a suis divitiis possidentur, 583, 63. Divitem recte argui stultitiæ, 575, 38. Illum esse sicut pulverem ante faciem venti, 759, 46. Sicut cedrus frangitur, 812, 77. Divitiis cujusdam egregie sordidi exemplum, 569, 18.

Dives non fastidiat inopem, neque diviti pauper invideat, et cur, 947, 5. Nulla discretio inter cadavera mortuorum nisi forte quod gravius fetent divitum corpora distenta luxurie, 133, 57.

Divitiæ unde sic dictæ, 539, 60. Alienæ nobis divitiæ sunt, neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt, 1469, 246. Non divitiæ accusantur, sed divitiæ peccatorum, 790, 27. Fidei non præjudicant opes, si tamen uti operibus noverimus, 880, 31. Divitiæ ut impedimenta in improbis, ita in bonis sunt adjumenta virtutis, 1493, 85. Non sancta omnis paupertas, aut divitiæ criminosæ, 1473. 13. Non eos qui habent divitias, sed eos qui uti his nesciunt, sententia cœlestis condemnat, 1371, 69.

Divitiarum commendatio non hominum laus est, sed metallorum, in quibus homines puniuntur, 580, 54. Cur successus proflui sæcularium commodorum, et abundantia divitiarum impiis concedantur, 668, 21. Fortuito divitiæ ad impios, non aliquo merito deferuntur, nec præmia virtutis sunt emolumenta thesauri, 668, 17; 784, 17.

Divitiæ quantum inutiles? 572, 27. Salutem afferre non possunt, 1120, 21. Directus ad regnum Dei opes et patrimonium non requiras, 853, 27; 1481, 44. Si vis Deus peccatoribus esse, terrori regibus, reverentiæ aliis, contemne quæ sæculi sunt, et Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis, 1061, 15. Mentis est optimæ suis contentum esse finibus, non extolli divitiarum copiis, et rebus secundum gratiam voluptatum fluentibus, 321, 1. Fuge divitias peccatoris, ne inveniat ubi vulnerare te possit, 789, 24; 853, 27. Diaboli laqueum esse divitias, quem tetendit Salvatori, quo Judam apostolum strangulavit, 1153, 36. Quam magnum contemnere divitias : sed quam rarum hoc ipsum est, 1060, 15. Quid parcimus patrimonio,quod et ipse diabolus vile judicat pro salute, 823, 23.

Vides quia divitiæ affluunt, non vides quia præterfluunt, 966, 32. Quomodo divitiæ sæculi abeunt veluti somnium exurgentis, 628, 8, 9. *V.* Abstinentia *et* Avaritia.

Divortium. *V.* Uxor.

Doctores inter et docentes discrimen, 1134, 12. Doctorum diversitates, 1161, 14. Doctores qui ab aliis exigunt, quæ ipsi non queant æmulari, quibus comparentur, 1135, 105. Merito super omnes docentes intellexit, quem docebat ipsa sapientia, 1134, 11.

Doctrinam intellectus facit, non memoria, 1093, 19. Suavis omnis doctrina moralis, 971, 1. Bonus studio cognitionis, melior erit exequendæ rationalis moralisque doctrinæ gratiam quærens, 992, 31. Vita bona sine doctrina habet gratiam : doctrina sine vita integritatem non habet, 973, 1. Ante vita quam doctrina quærenda est, *ibid.* Doctrina non potest mercedem habere, ubi gratiam non habet innocentiæ, 975, 6. Doctrina vitæ immaculatæ senilem præstat ætatem, 1138, 13.

Doctrina cur fermentum dicatur, 1457, 191. Qui errat in dogmate, viam veritatis non elegit, 1016, 25. Cum aliquos doctos audiunt impii, eos propter doctrinam vitare consuerunt, 1096, 27.

Doech typus Judæ, 1364, 37.

Dolus bonus, ubi irreprehensibilis est rapina, 462, 10.

Dominos plures habet qui unum non habet, 1496, 6.

Donare nemo potest quod non habet, 536, 45.

Donec in Scriptura quid significet, 251, 63.

Dothaim significat defectionem, 486, 11.

Draco elephantem ligat, cujus ruina mors victoris est, 48, 40.

Dura nemo putet esse, quæ justa sunt, 1146, 16.

Dubius malis cito erratur, 440, 55.

# E

Ebrietatis duæ species, 272, 11; 275, 18. Est ebrietas culpæ, est et gratiæ, 554, 61.Bona mensæ spiritalis ebrietas, 1138, 24. Bona ebrietas poculi salutaris, 773, 19; 1239, 4. Sobrios facit, lætitiam generat non titubantiam, 192, 19. Pudicitiæ custos est, 193, 20.

Ebrietas in vulgaribus hominibus quam ridicula sit et odiosa, eleganti descriptione exponitur, 548, 42; 553, 60 *et seq.* Et maxime in militaribus hominibus, 549, 46 *et seq.* Nec non in feminis, 553, 66. Potantium obtestationes propinationesque, 554, 62. Quædam prodigiosa bibendi ratio arguitur, 555, 64.

Ebrietatis effectus, 192, 18. Ebrietatis et vini quanta mala, 539, 10 *et seq.*; 542, 23 *et seq.*; 551, 52 *et seq.*; 553, 59 *et seq.*; 556, 68. Oculis excitatur libido, sed ebrietate succenditur, 712, 18. Vitanda ebrietas, per quam crimina cavere non possumus, 301, 57. Major vis vini quam veneni, 551, 52. Sicut mater fidei continentia : ita perfidiæ mater ebrietas, 548, 41. Sæpe secretiora vino extorquentur, 554, 63. Unius diei convivium, pretium tuæ vitæ est, 1126, 39.

Ebriosi comparantur navibus, 557, 72. Exemplum adolescentis ebriosi ad philosophiam conversi, 548, 45.

Ecclesia in primordiis mundi desponsata in paradiso, præfigurata in diluvio, annuntiata per legem, vocata per prophetas, Evangelii decorem diu exspectavit, 974, 4. Rebecca Ecclesiæ typus 461, 9. Et vidua illa ad quam Elias directus est, 1347, 50. Et Maria 1281, 7. Et mulier Evangelica, 1456, 187. Et mulier ingressa domum pharisæi, 1093, 23. Ecclesia merito speciem accipit peccatricis, 1388, 21. Dominus in typo ejus feminam salvat, 1453, 175. Figuratur in luna, 517, 13.

Ecclesia una Domini, una congregatio, 33, 2, 3. Christus dignatus est omnes gentes in unum corpus Ecclesiæ congregare, 761, 50. Omnes vocantur, et omnes rediumuntur a Christo, 946, 4. Nullus antequam Christus nationum populos vocavit ad Ecclesiam, 1493, 5. Dominus eam sibi ex peccatoribus congregavit, 938, 5. Christus per humilitatem, per crucem eam sibi congregavit, 1147, 20. Ecclesiæ cœtus Abrahæ primo promissus 1316, 7.

Ecclesiæ regnum prius quam Synagogæ in prædestinatione delatum, 462, 10. Omnes vocantur ad Ecclesiam, sed prius Synagogæ populus, deinde gentilium, 1121, 24. Deus Ecclesiam sibi ex non gente quærendo, eam vetusto illi atque regali populo Judæorum prætulit, 780, 7. In gentibus mendacium, veritas a Judæis recessit, ad Ecclesiam venit, 1119, 19. Libera est Ecclesia, expulsa est Synagoga, 1324, 29. Rapuit Synagogæ regnum, 1383, 115. Reddidit quam accepit a Domino pecuniam charitatis, sed Synagoga non reddidit, 797, 44. Calcaneum Christi Synagoga est, decor et gloria vultus ejus Ecclesia, 948, 11.

Ecclesiæ suæ Christus speciem concupivit, et paravit eam sibi uxorem adsciscere, 724, 48. Christus vidit eam nudam, et vidit et amavit, 722, 41 et 42. Congregatio nationum gentilibus indomita moribus, cœpit esse sponsa Christi, 993, 32. Festinantibus dilecto atque dilecta, celebrata conjunctio spiritalis est Christi et Ecclesiæ, 1257, 40. Christo nupsit, 1328, 38. Christi et Ecclesiæ sacramentum spiritale esse nullus dubitat, 826, 27. Vir Christus, uxor Ecclesia est : charitate uxor, integritate virgo, 1472, 9.

Ecclesia vita est in Christo facta, in ejus costa, et in ipso resuscitata, 794, 37. Hinc mater est viventium, 1310, 86 *et seq.* Concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine genitu, 1281, 7. In ea sunt dolores acerbi et graves, donec formetur Christus in nobis, 940, 10. Cur in hoc mundo sterilis videatur, 345, 72.

Ecclesia diligit, nec unquam circa Christum suum mutat affectum, 72, 22. Nemo tantum potest diligere Deum, quantum Ecclesia, 1388, 22. Omnis spes ejus in Christo est, 519, 22. Auditu et operibus eminet ejus pulchritudo, 358. 7. Qualis quantaque sit, 1190, 21. Charitas dicitur, et diligendo Deum, ipsius et nomen accepit, *ibid.* Actinosa dicitur, et quamobrem, 643, 16. Quomodo immaculata sit, 1271, 17. Ad imitationem Christi speciosa est, et in calceamentis omni abluta delicto, 1180, 16. Corona est gloriæ, 1160, 11. Corpus Christi est, 1161, 12; 1168, 35. Ex duobus constat, ut aut peccare nescias, aut peccare desinas, 1433, 96.

Digitized by Google

Ecclesia columna est et firmamentum veritatis, 470, 34. Regnum ejus manebit in æternum, et cur? 1131, 91. Deus eam fundavit et propagavit in æternum, 942, 17.

Ecclesia in tribulationibus fundatur, in tempestatibus et procellis, in sollicitudinibus et mœrore, in rebus adversis, et in fluminibus præparatur, 946, 4. Super maria fundata est, et super flumina præparata, 34, 6. Circa fluctus habitat, non fluctibus commovetur, magis ad subveniendum parata, quam periculo obnoxia, 521, 27. Diversi fluctus, tempestatesque ejus, 227, 1. Tunditur sæcularium curarum fluctibus, sed non subruitur; cæditur sed non labefactatur, 1318, 11. In ea Christus impetitur, 961, 16. Perfectionibus suis non vincitur Ecclesia Domini, sed probatur, 889, 9. Multi eam tentant, sed nocere non possunt, 78, 33. Crebræ persecutiones ejus nobis titulos, et martyrii victorias ediderunt, 995, 7. Defectus habet, et ortus frequentes, sed defectibus suis crevit, 78. 32. Obumbrari potest, 65, 7. Cur pro ea Dominus Patri gratias agere consuevit, 1403, 85.

Ecclesia in nocte sæculi monstret tibi viam, 776, 26. Fides digito ejus reperitur, 1378, 97. Super omnes conventus Ecclesia Dei refulget, 1020, 7. Sola illa, non alia congregatio dicere potest: Teneo mandata tua omnia novi et veteris Testamenti, 1255, 33. In ea exultatio, in hæresi et gentilitate fletus et mœror, 35, 3. In ea omnes aurem habent, extra eam non habent, 1519, 69. Merito prodegit patrimonium, qui ab ea recessit, 1462, 213. Si qua est Ecclesia quæ fidem respuat, nec apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est, 1399, 68. Admonemur aliquando eos non refugere qui a nostra fide et consortio separati sunt, 55, 55. Quomodo ignobiliora Ecclesiæ membra abundantiorem honorem aliquando consequantur, 236, 25.

Ecclesiæ nascentis quale fuerit exordium, 1298, 50. Ibi est ubi virga et gratia floret sacerdotalis, 377, 64. Ab una Ecclesia plures Ecclesiæ derivantur, 1354, 78. Singulæ Spiritu quidem replentur et gratia; junguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis, 1284, 7. Qui ministerium sacerdotale suscepimus, non solum pro nobis, sed etiam pro Ecclesia Domini sustinere fortiter passiones corporis debemus, 829, 32. Vox exercenda pro Christo, quando ovile Ecclesiæ incursant lupi, 119, 27.

*Ecclesiæ claves.* Accepimus Spiritum sanctum, qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere, 1092, 19. Potestas remittendi peccata Evangelio servabatur, 858, 37, 38. Deus per eos quoque peccata dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem, 1358, 13. Remittuntur peccata per Dei verbum, cujus Levites interpres et quidam executor est: remittuntur etiam per officium Sacerdotis, sacrumque ministerium, 212, 15. Deus est pater, Christus pastor, mulier Ecclesia: Christus te suo corpore vehit, quærit Ecclesia, recipit Pater: quasi pastor revehit, quasi mater inquirit, quasi pater vestit: prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio: redemptor subvenit, Ecclesia suffragatur, auctor reconciliatur, 1461, 208. Ecclesia habet aulæa quibus peccata tegit, culpam obumbrat, 34, 5. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione quod tibi Dominus negare posset, ignoscat, 1337, 11. Si jam baptizatus errasti, Ecclesia pro te fleat, ipsa tua peccata deploret, et fleat plurimum, 819, 10; 1377, 91. Roget pro te Ecclesia, et illacrymet populus, 1465, 225. Plerique a conversionis studio revocari solebant, quod in Ecclesia quanto sanctiora præcepta, tanto sine venia putarent esse peccata, 1183, 43. Remittendis post pœnitentiam debemus favere peccatis, 1467, 236. Neque difficilis venia, nec remissa sit indulgentia, 1475, 21. Non semper in eos qui peccaverint, vindicandum, et quam ob causam, 1417, 27. In Ecclesia ubi maxime misereri decet, quam maxime debet in peccatores teneri forma justitiæ, 1065, 26. Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, *ibid.* Melius est ut unius aut alterius damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur, 1198, 11. Nescit Ecclesia publicare leges suas, 420, 8.

Ecclesiam qui non frequentabant arguuntur, 1184, 45. Mane festina, et ad Ecclesiam defer primitias pii voti: et postea, si vocat sæcularis necessitas, securus procedes ad tuos actus, 1218, 32. Quam jucundum inchoare diem ab hymnis et canticis, a beatitudinibus quas in Evangelio legis, 1218, 32. Plerique sunt dies, quibus statim meridianis horis adveniendum sit ad Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio, 1073, 48. Quotidie præcedentes in Ecclesiam, vel domesticis incubantes orationibus, a Deo incipiamus, et in ipso desinamus, 322, 22. Imber supplicantis Ecclesiæ precibus datus, 76, 30.

Ecclesia justorum est tabernaculum, 318, 11. Domus est cujus ubertas redundantia gratiarum: torrens voluptatis Spiritus sanctus, 773. 19. Cubiculum ejus corpus est Christi, 979, 16. Piis domus Ecclesia est, piis patria cœlum est, 951, 18. Civitas Dei est, 1168, 35. Munita per Christum, obsessa per diabolum, 131, 49. Murus est qui habet duodecim portas apostolicas, 1256, 37. Cujus turres sunt sacerdotes, 131, 49. Civitas Dei est, 1168, 35. Muri Hierusalem conventus ejus sunt toto orbe fundati, 702, 83. Portæ ejus portæ castitatis sunt et justitiæ, 1407, 99. Cœpit in hortis esse postquam in hortis passus est Christus, 1258, 45. Horto frequenter comparatur, 1534, 139. Et gregi caprarum, 1177, 22. Cur et cœlum dicatur, et mundus, et orbis terrarum, 1121, 25. Imago est cœlestium, 641, 9.

Echeneis navem ingentem sistit, 93, 31.

Echinus terrenus contra insidias spinis suis clauditur, 120, 20. Geminas sibi respirandi vias munit, et quare, *ibid.*

Echinus futuram tempestatem præenuntiat, 89, 24.

Edom, hoc est, terrenus et callidus, 1225, 6.

Eleazarus quam beatus in tormentis constanter toleratis, 474, 40, 41.

Electrum est lacryma virgulti, 58, 63. Cur exigua quædam animantia in electro, *ibid.*

Electio. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi, 286, 11.

Eleemosynam qui facit debitum reddit, non largitur indebitum, 580, 53. Dives de bonis suis eleemosynam debet pauperibus erogare, 574, 36 *et seq.*; 579, 52 *et seq.*; 582, 58 *et seq.*; 586, 67. Quam justum ut de bonis tuis aliquid pauperibus aspergas, 1061, 22. Fac de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra, 559, 76. Quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris, 1128, 44. Vilis pecunia cum conditur: pretiosa cum dispergitur, 825, 24. Largiendo pauperibus, angelorum nobis cæterorumque sanctorum gratiam comparemus, 1469, 245. Multi qui sua pauperibus donaverunt, locupletati non debent a Domino sæcularem hujusmodi exigere mercedem, 1059, 11. Nihil gravius quam ut fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus, 1005, 37.

Elementa græce cur στοιχεῖα dicantur, 40, 18. Quatuor sunt, ex quibus omnia componuntur, 10, 20. Cur Deus non prius ea creaverit, quam ornatus congruos daret, 15, 27. Quæ eorum qualitates, quibus sibi invicem miscentur, 40, 18. Ex iis compositum resolvatur necesse est, 12, 25.

Elephantus cur prominentem promuscidem habeat, 124, 31. Ejus membra describuntur, *ibid.* Quomodo capiatur, *ibid.* Quomodo magnum rebus bellicis usum Persis ministret, 125, 33. Trecentis et amplius annis fertur vitam producere, *ibid.*, 34. Formidabilis ille tauris, murem timet, 126, 37. Illius cum mercede fraudatur, ultio 555, 65.

Elias atque Elizæus ut transirent aquas Jordanis, passionum fluenta nostrarum mentis prius vestigio transierunt, 1243, 16. Elias virtutem magnam habuit et gratiam; et in quo, 1278, 36. Non mulierem fugiebat, sed sæculum, et sæcularem illecebram, 431, 34. Cum Christo comparatur, 1406, 96.

Elizabeth erat ex Tribu Juda, 1515, 5.

Elisæus qui sibi nihil reliquit, populis abundavit, 115, 6. Non putabat Deum sibi absentem, sed præsentiam ejus in beneficiis requirebat, 833, 40. *V.* Elias.

Eloquentia duorum ex gentilibus prudentum nivi et apibus comparata, 1414, 15.

*Emendi* et vendendi etsi æqualis quidam videtur contractus: unusquisque tamen viliorem sibi vendit, et complacitum emit, 904, 41.

Ἐμπειρικοὶ unde dicti, 815, 1.

Engaddi tentatio Latine dicitur, 995, 8. Locus est in Judæa ubi opobalsamum gignitur, *ibid.*

Ennon oculum superborum interpretati sunt, 1170, 2.

Enoch Latine dicitur Dei gratia, 152, 19. Manifestum pietatis Dominicæ, et divinitatis indicium est, 1533, 48.

Enos Chaldaice, homo Latine dicitur, 356, 1.

Ἐνσωμάτικον quid, 335, 54.

Ἐκὼν θεὸς quid, 283, 4.

Equus bellum odoratur eminus, excitatur sono tubæ, 89, 25. Eum videmus popularibus incitari studiis, gaudere plausibus, blanditiis delectari magistri, 206, 3. Discrimen inter agitatorem et ascensorem equi, 584, 64, 65. Arguuntur qui solent equorum suorum nobilitatem sicut consulum prædicare, 580, 54.

Equi fluviales sive Hippopotami in Nilo, 80, 4.

Error nullus, ubi simplex pietatis affectus, atque omnis fidelis sensus est, 817, 6. Graviori dignus supplicio est, qui invalidum, et insipientem, et improvidum circumscripserit, persuasione erroris, aut exagitatione cordis affectum, 1245, 19.

Esaias quomodo viderit Dominum, 1267, 6. Diaboli ad quemdam prophetam forte Esaiam verba, 1124, 32. Facilius compaginem corporis ejus serra divisit, quam fidem inclinavit, 1500, 25.

Esau et Jacob figurabant populum Judaicum et Christianum, 1223, 6. Ille typus erat malitiæ, 184, 4.

Digitized by Google

EUCHARISTIA. Christus corpus suum offerre manifestatur in sacerdotibus, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur, 853, 25. Panem dedit, quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis verbis, 524, 38. In convivio Ecclesiæ et ministrat et ministratur, 192, 19. Mihi cibus et potus quotidie ministratur, eum dat omnibus, dat quotidie, dat semper, 1202, 27 *et* 28. Probatum est quod Dominus noster sit cibus, sit epulatio, vel alimentum edentium, 902, 36. Non dubites assistere angelum, quando immolatur, 1275, 28. Quando celebranda oblatio et sacrificium, quo Christus esurientem sui corporis epulis replet? 1073, 48. Sacræ oblationis veneranda communio, 1420, 43. Est cibus refectionis, est cibus sanguinis, 1483, 51. Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem, 1140, 2. Veni ad cibum corporis Dominici, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, corpus non titubat, sed resurgit, 1166, 28. Esca solidior corpus est Christi, potus vehementior sanguis est Christi, 1400, 71. Qui pacem et charitatem non detulerit ad Christi altaria, mittetur in tenebras, 1460, 204. Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, 1400, 70. Ad mensam Eucharisticam jejunia sancta nos perducunt, 515, 33. Remissio peccatorum est, 525, 39. Corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes, 1514, 49. Spiritales epulæ non obesse solent, sed prodesse satiatis, 1251, 19. Omnem immundum a Christi altaribus secernendum, 561, 82.

EUNOMIANUS dicit dissimilem esse Patri Filium, 45, 32. Eunomiani radicis degeneris fructus deterior, 32, 21.

EUPHRATEM plerique ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι dictum putant, hoc est, a lætando, 152, 18. Latine fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, 151, 18. In Babyloniam tendit, 755, 36.

EURIPI stant placidi in ortu lunæ quoadusque sine lumine est, 76, 30.

EVA cur non de eadem terra qua Adam, sed de costa ejus facta sit, 166, 48. In paradiso sensus, Græce αἴσθησις figura fuit, 149, 11. Quomodo diabolus eam aggressus sit, 170, 56. Promissi honoris ambitio illecebrosa decepit, 1343, 34. A muliere cœpisse vitium, inchoasse mendacium, 171, 56. Adamo id quod gustaverat dando iteravit peccatum, 158, 33. Serpentem implicavit, non se absolvit, 978, 13. Si accensas habuisset faces, nunquam nos prævaricationis suæ criniculis implicasset, 149, 11. Vicissemus, si tacuisset, 843, 3. Confessa delictum, mitior eam secuta est et profutura sententia, 178, 72. Pœna ejus qualis fuerit, et quid significet, 178, 72. Plerique eam excusandam putant, quod diligens virum, ab eo timuerit separari, 159, 54.

EVANGELISTÆ divino spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine Evangelium scripserunt, 1266, 3. Non potestate propria sunt locuti, neque omnes eadem omnia: sed sancti Spiritus gratia illis ea tribuit, quæ loquerentur singuli de operibus Domini Jesu, 616, 73. Licet iis omnia in omnibus sint, tamen plenitudo in singulis est virtutum singularum, 1264, 8; 1403, 81. In quo a se invicem differant, 1529, 118; 1532, 129 *et seq.* Non discordant sententiæ, quando concordat mysterium, 1527, 107. Non est credibile adversantia sibi potuisse dicere, 1313, 1. Ab hoc qui Evangelista esse meruit, vel negligentiæ vel mendacii suspicionem æquum est propulsari, 1341, 172. Qualis esse debeat qui evangelizat regnum Dei, 1398, 65.

Evangelium plurimi voluerunt scribere: sed quatuor tantummodo, sunt recepti, 1269, 10. Quidam quatuor animalium formas quæ in Apocalypsi leguntur, quatuor Evangelii libros intelligendos arbitrati sunt, 1264, 7. Unum tantummodo est Evangelium, etsi quatuor libri sint, 883, 38. Ecclesia cum quatuor Evangelii libros habeat, per universum mundum Evangelistis redundat, 1265, 1. Est vere sapientia naturalis in Evangelio secundum Joannem: Matthæus moralius: Marcus rationabilius scripsit, 1262, 3. In omnibus fere Evangelicis locis spiritualis sensus operatur, 1442, 134. Lucas historico stylo Evangelium scripsit, et qua ratione, 1261, 1, 4 *et* 7. Quomodo Alexandrini et Ægyptii legant initium Evangelii Joannis, 393, 35.

In Evangelio omnem veritatem contineri, 1206, 37. Philosophiæ imperfectionem excludit, 325, 30. Non solum fidei doctrina, sed etiam morum est magisterium, 1230, 33. In novo Testamento novarum virtutum præcepta cognovimus, et novos hausimus mores, 839, 3. Quomodo ad illud accedere debeamus, 912, 61. Sit effigies ejus in tuis factis, 1253, 34.

In Evangelio perfectio bonitatis, in Lege æquitatis eruditio, 1513, 53. In Evangelii bonitate melius docentur justificationes Dei, quam in Legis severitate, 1084, 16. Umbra in Lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus, 832, 25. In eo jam nobis non Legis caligat umbra, sed veritas fulget, 859, 2. Lex per occulta mysteria nuntiat Christum, non autem facie ad faciem monstrat sicut Evangelium, 1061, 16. Lex quasi figura sit nobis, Evangelium quasi lumen et signaculum veritatis, 910, 58. Christus adjutor per Legem, susceptor per Evangelium, 1164, 23. Evangelium defunctæ Legis reparationem operatur in posteris, 913, 63. Quod Deus annuntiavit per Prophetas, in Evangelio manifestavit, atque complevit, 1186, 7.

Evangelium via lucernæ in umbra lucet, id est, in sæculo, 643, 14. Quomodo mare sit, 86, 17. Est calceamentum nuptiale evangelica prædicatio, 1308, 81. In ea prædicatione virtus est, 1107, 12.

Evangelia multa composuit dives hæresis: pauper fides hoc solum Evangelium tenuit quod habuit, 1474, 17. Hæreses cum multa Evangelia habeant, unum non habent, 1265, 2. Pseudoevangelium, secundum Thomam, Matthiam, Duodecim, et Basilidis, 1265, 2. Evangelia ab hæreticis corrupta, 1261, 2.

EVILATH terra est in qua aurum bonum, et lapis carbunculus et prasinus, 755, 36.

EXEMPLUM. Plerisque justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia, 1094, 22. Præstantius ducitur paucorum similem esse quam plurimorum, 185, 5.

EXERCITATIONE augetur corporis virtus, 216, 22.

EXERCITUS quomodo iter conficiant, 1018, 2.

EXHORTATIO pro consolatione, et consolatio pro exhortatione apud Apostolum, 1098, 34.

EXISTIMATIO bona pretium nostrum est, 965, 21.

EXSILIO duriora claustra carceris in sæculo sunt, 1228, 25.

# F

FAMEM patientur omnes, quos non paverit Christus, 449, 42. Famis neglectum inducit divina lectio, 1339, 20.

FATALE decretum non alligatur, 232, 5.

FEBRIS si exæstuat, medicus ipsum potum sitientibus negare consuevit, 785, 18.

FECUNDITAS terræ non soli, sed divinæ indulgentiæ deputatur, 64, 6. Decorum quod fecundum, indecorum quod infecundum, 376, 60.

FELIX, Nabor et Victor martyres nostri granum sunt sinapis, 1433, 178.

FELLIS amaritudo ad salutem hominis utilis invenitur, 148, 8.

FENERARE vetus est, sed vetus culpa est, 620, 88. Feneratorum inhumanitas eleganter describitur, et castigatur, 793, 9 *et seq.* Judæ et diabolo comparantur, *ibid.*, 12 *et seq.* Nec non Echidnæ et aliis serpentibus, 604, 41. Liberos pro paternis debitis vendunt, 600, 29. Prohibebant ne debitoris cadaver ad sepulturam deferretur, 602, 36, 37. Inhumanitas eorum etiam ab aleatoribus usuras exigentium, 602, 38 *et seq.* Varia nomina quibus utuntur, 604, 40. Quam insatiabilis eorum avaritia, 597, 31; 605, 45 *et seq.* Mari comparantur, 605, 44. Et eorum pecunia, 596, 16. Incautos adolescentes quam nequiter deprædentur, 597, 23 *et seq.* Fenerator et debitor uterque peccator, 609, 54. Arguuntur ii qui acceptam ab feneratore pecuniam intemperantia sua misere consumunt, 597, 17 *et seq.*; 600, 30. Qui se feneratori obligat, ipse se vendit non ære, sed culpa, 601, 32.

FENUS bonum et usura laudabilis fenerare Deo in manu pauperis, 610, 55, 56. Qui plus habuerit unde feneret, ille justior, 611, 59 *et seq.* *V.* USURA.

FENICULI pastu serpens cæcitatem repellit exceptam, 119, 19.

FENUM quomodo fiat? 42, 26. Ante solem fuit productum, *ibid.*, 27. Quomodo similes esse debemus feno, 45, 31.

FERTILITATIS causa de cœlo, 50, 16.

DE FICULNEÆ foliis, 57, 60.

FIDES prior quam littera, prior gratia quam Lex, 1521, 21. Sicut fides a veteri incipit Testamento, ita impletur in novo, 1379, 99. Christus in majorum nos actum, et antiquam simplicitatem fidei reformavit, 1323, 26. Aliud est in mandatis Dei credere, aliud mandatis credere, 1082, 12. Fides nostra Verbum Dei est, 1433, 98. Veritas fidei fundamentum est, 1237, 56. Propugnacula fidei gesta sunt Christi, 1042, 33. Quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus, 289, 21. Si viri boni dicerent, nefas putaremus credere: Deo ergo dicenti credendum, 1353, 71.

Fidei partus, bonus dolor est, quo Christus in Ecclesia formatur et nascitur, 776, 28. Cur bonum sit ut rationem præveniat fides, 289, 21. Voluit Deus ut per gradus quosdam nasceretur, 15, 27. Quanti nobis præsidii sit fides nostra qua vivimus, 861, 11. Quibus pasci debeat, 215, 19, 20. Non in forensi sermone sapientiæ, sed Dei virtute formatur, 1107, 12. Cur nemo excusationem prætendere debeat, quod serius credat, 346, 74. Pro devotione credentis unicuique spiritale lumen infunditur, 1511, 37. Meliores qui fide magis spontanea, quam qui speratis beneficiis credidissent, 1356, 5. Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit, 1032, 45. Fides teritur premitur, seminatur, et

Digitized by Google

quomodo, 1453, 179 *et seq.* Est fidei violentia religiosa, segnitia criminosa, 1469, 1. Circa fidem vir perfectus exigitur, 1334, 50.

Fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione secernit, 1222, 2. Ante omnia nos commendare Deo debet, 208, 8. Virtutum omnium stabile fundamentum est, 868, 4. Et radix, 219, 28. Fidei radix est spes, 1165, 27. Ex fide charitas, ex charitate spes, et rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur, 1178, 30. Fides præcedit devotionem, 509, 81. Virtutes sine fide folia sunt, videntur virere, sed prodesse non possunt, 757, 41. Et opera vana sunt, 1435, 103.

Fides vera ubi est, ibi veri luminis gratia, 1075, 51. Christus illuminat fidei claritate, resurrectionis suæ gloria, et divinorum operum potestate, 1186, 8. Fides sapientes fecit, 1177, 24. Quæcumque crediderit anima, et concipit, et generat Dei Verbum, et opera ejus agnoscit, 1290, 26. Fide tangitur Christus, fide Christus videtur, 883, 59; 1005, 29; 1397, 57; 1357, 156. Vox nostra fides est, 1280, 42. Grandis ejus clamor, 1211, 8. Credentibus in Dominum est in Domini misericordia consolatio, 1194, 2. Fides nos Deo repræsentat, 787, 20. Fides est quæ dona conciliat: humilitas est quæ Deo oblata commendat, 585, 67.

Fide nihil pretiosius? 825, 24. Pretium tuum est, quo emuntur divina mysteria, 500, 45. Pretium nostrum est, quæ omnes homines Christo acquisivit, 963, 21. Peccatum minuit, 698, 63. Suffragabitur ad veniam, etiam si qua in operibus offensa sit, 1254, 26. Potest ab omni mundare delicto, 1480, 42. Omne peccatum fidei mysteriis abluitur, 1518, 66. Eam si servaveris, etsi mortuus fueris sicut serpens, et tu resurges, 818, 8. Maluit Deus ut salus hominis fide potius quam operibus quæreretur, et quam ob causam, 893, 14. Non lacrymas nudas Deus, sed fidem exigit, 1539, 162. Si quis non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, 1077, 57. Qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerit fidem non accepisse quam neglexisse, 990, 24.

Fides sola unumquemque signat, 1293, 36. Fides plebis plerumque constantior est quam divitum ac sacerdotum, 1189, 17. Ubi fides modica illic turbatio, 1353, 70. Non debet scindi, sed solida permanere, 1529, 119. Adulteri sunt omnes, qui adulterare cupiunt fidei et sapientiæ veritatem, 1472, 9. Religiosis lapsus amoris fidem non impedit, 1379, 98.

Fides sit tibi itineris tui prævia, 1143, 11. Janua nostra est, quæ totam domum, si fuerit robusta, communit, 1118, 14. Nulla patria verior, quam fides, 1184, 2. Micæ velut quædam fidei dogmata sunt, 1474, 15. Fidei census numquam exinanitur, 1462, 212. Non gravatur annis, *ibid.*, 213. Cœlum et terra transibunt, fides autem permanet, 849, 17.

Fides credentium principalis est, confessio exsecutionis, 834, 4. Perfecta Christi confessio et animi quærit devotionem et vocis professionem, 1235, 49. Non satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio, 1522, 87. Fidei indumentum constat ex prædicatione cœlestium, et Dominicæ sanguine passionis, 617, 77. Ubi causa religionis agebatur, fides debuit sedem habere judicii, et quasi rea statui perfidia, 467, 23.

Fides pignori prima debetur, 1270, 12. Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant, 1288, 19.

Filii ex Patre generatio non habet tempus, 1213, 17. In Deo persona alter, potestate unus est, 1487, 66. Unigenitus est, non unus ex genitis, 1487, 65. Imago Dei solus ille est, ita habens similitudinem Patris, ut divinitatis et plenitudinis habeat unitatem, 128, 41. Vultus est Patris, 1192, 28.

Filio omnia cum Patre per naturam unius substantiæ jure sunt propria, non dono collata per gratiam, 1426, 67. Dei sapientia est per naturam, non per profectum, 1383, 1. Novit cogitationes cordium, sicut Pater, 200, 37. Patri consors nullam injuriam patitur, quia mittitur, 1503, 1. Etsi missus, tamen Patre mittente minor non est, 1302, 65. Cur nihil a se faciat, 1230, 32.

Filius Dei absconditus in Lege, adopertus in prophetis, evangelicis prædicationibus adimpletus, 1436, 188. Antequam nasceretur ex Virgine, videbatur, 1274, 24. Etsi suscepit quod non erat, non destitit tamen esse quod erat, 730, 64. Etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit; non licet tamen nescire quod natus sit, 1353, 71. Cur carnem susceperit et mortem, 435, 44. Angelus angelis factus est, prophetis propheta, 773, 18. Quomodo sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, 288, 16. Nihil sibi ex hoc mundo vindicandum putavit, 340, 62. *V.* Christus, Trinitas.

Filii præmia nuptiarum sunt, 1282, 2; 1509, 22. Non mediocre munus est Dei dare liberos, propagatores generis, successionis hæredes, et cur? 1276, 30. Erat deforme liberos non habere, et id legum civilium fuit auctoritate multatum, 1320, 18. Pudor est feminis præmia nuptiarum non habere, quibus hæc sola causa est nubendi, 1282, 45. Recessuri ex hoc corpore, ipso carorum pignorum tactu delectamur extremo, et hoc mulcemur viatico, 510, 83. Liberorum amor plurimos a martyrii consummatione sæpe revocavit, 1163, 18. Cur asperioribus exerceat pater filium, quam dominus servulum, 1145, 15. Quantum filii honorare debeant parentes, ut benedictionis ultimæ habeant hæreditatem, 513, 1.

Filios Scriptura sacra pro operibus frequenter declarat, 637, 14. Sanctorum majus in fide, quam in generatione semen est, 1330, 44.

Finis quid sit, 955, 1. Ille verus est finis, qui non unius erit finis, sed omnium, 849, 17. Quæ initium habent, et finem habent: et quibus finis datur, initium datum constat, 6, 10.

Firmamentum unde appellatum, 31, 16. An idem sit ac cœlum, 25, 8; 30, 15. Cur inter aquam et aquam Deus illud esse præceperit, 787, 21.

Foliorum diversitates, 57, 61. Et ex eisdem remedia, 47, 37.

Fons ille qui irrigabat paradisum quis fuerit, 149, 12.

Formicæ imitanda industria, 118, 16.

Fortitudo resistentia quæque transverberat, nec aliquibus hæret obstaculis, 151, 17. Non habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem, 1516, 56. Sicut fortitudinis incentivum est fides, ita fidei firmamentum est fortitudo, 1437, 118. Effectus ejus qui sint, 1371, 67.

Fratres sumus omnes una atque eadem matre generati, 267, 94. Omnes nobis jure quodam germanitatis velut fratres connectimur, et tanquam uterini nos diligere debemus, 323, 28. Inter fratres patrimonium non judex medius, sed pietas debet sequestra dividere, 1439, 122.

Fraudulenti homines cavendi, 88, 21.

Frons mentis habitum specie sui prodit, 136, 58.

Fructuum diversitates, 58, 62.

Fulica abdicatum Aquilæ pullum cum suis nutrit, 104, 61. Præsentit commotionem maris, 97, 43.

Funes qui dicantur, 1499, 21. Iis utuntur qui terminos metiuntur agrorum, et possessionum spatia disterminant, 1070, 40.

## G

Gad benedictio explicatur, 524, 35 *et seq.*

Galli cantus non solum suavis, sed etiam utilis esse demonstratur, 112, 88.

Ganges fluit contra Indiam, 130, 14.

Gaudium fructus est Spiritus sancti, 700, 12; 1237, 54.

Gemitus quis bonus sit, et primum Spiritus sancti donum, 831, 37.

Genetliaci in cœlum os suum ponunt, et quomodo? 666, 12.

Gentiles Deum suum in antris et spelæorum habitaculis requirere videbantur, 935, 24. Quantum differant beneficia quæ Christus suis, et ea quæ gentilibus dii contulerunt, 1404, 88. Qua methodo hi docendi sunt, qui ex gentibus vocantur ad Ecclesiam, 1408, 104 *et seq.* Quomodo sacras scripturas debeant legere, 172, 58. Habent cum Christianis salutationis et ejusmodi officiorum commercia, 1425, 62. Dominus cum iis non prohibet nos inire convivium, 1359, 18. Ager qui morte emptus est Christi ad sepulturam eis profecit, 960, 13. Tolerabilior causa illorum quam Judæorum, 990, 24. Arguuntur qui sub imperatoribus Christianis veniebant in Ecclesiam, et Christianos se esse simulabant, 1235, 49. Multi ex iis habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia fidem non habent, 757, 41. *V.* Fides et Matrimonium.

Genus immortale videtur, personæ autem singulorum mortales sunt, 314, 4.

Geon Nilus circuit terram Ægypti vel Æthiopiam, 150, 14. Significat quemdam terræ hiatum, 151, 26.

Gervasii et Prothasii festus dies, 1037, 16.

Gigantes tempore Noe qui fuerint, 230, 7 *et seq.* Fabulæ inducunt eos adversum superna voluisse pugnare, 278, 127.

Gimel tertia littera secundum Hebræos, latine retributio dicitur, 993, 1.

Gloria bona Christo esse subjectum, 1224, 7. Non portio unius coronæ, sed præmium omnium coronarum est, 1161, 11. Si opprobrium Christi gloria est, quanta est gloria ejus, 1031, 41. Gloria sæculi non descendit cum peccatore, sed gloria virtutis ascendit cum innocente, 953, 24.

Gomorrham et Sodomam lingua patria Chaldæi cæcitatem et sterilitatem nuncuparunt, 257, 69.

Gothorum bella, 1516, 10.

Gratia Dei agnoscenda, sed non ignoranda natura, 1178, 31. In quo spiritus vitæ, et spiritus gratiæ differant, 1377, 35. Habemus adversarium magnum, qui vinci a no-

Digitized by Google

bis sine Dei favore non possit, 1527, 57. Nemo sine vero Jesu potest incerta sapientiæ et occulta comprehendere, 944, 20. Nostræ non est potestatis iter nostrum ex voluntate dirigere, 783, 15. Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit quidquam incipere sine Domino, 1309, 84. Nullus perfectus esse potest, et tutus sine favore Dei, 980, 17. Quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio, 1015, 22.

Gratiam dedit Deus reformavit naturam, 1136, 42. Natura opus est creatoris, gratia munus est redemptoris, 505, 63. Quidquid sanctum cogitaveris hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia, 204, 45.. Omnis creatura quæcumque bona habet, accepit a Christo, 1166, 30. Ut Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est, 1269, 10. Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit, 1417, 27. Commendatur gratia privilegio operationis æternæ, et protectionis dignatione cœlestis, 632, 18. Salutis medicina vulneri quæritur, gratia sanitati, 982, 3. Doctrina cœlestis potest commutare vitiosos affectus, et operatio divina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere, 701, 76. Ubi gratia, non utique merito operum nec justificatione virtutum, sed liberalitate donantis, electione redimentis salvamur, 906, 47. Hebetis est cordis bonum quod agit, gratiæ auctori non deputare, 196, 25 *et seq*. Justus ad auctorem Deum refert quæcumque fuerit bona consecutus, 199, 34. Qui totum ad gratiam refert, terram repromissionis possidebit, 891, 12. David non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si non deseratur a Christo, 839, 55.

Ad gratiam Christi vocatur omnis anima, 930, 12. Ut sine pretio redimatur a crimine, 945, 2. Christi manifesta in omnes prædicatur misericordia, eo quod qui pereunt, sua pereunt negligentia; qui autem salvantur, Christi sententia liberantur, 221, 11. Dominus quos miseratur etiam imprudentes advocat, 1419, 33. Incrementa gratiæ Christus veniendo secum trahit, 1038, 6.

Gratia Dei beatiores nos facit quam nostra innocentia, 837, 47. Cui adest spiritus gratiæ nihil deest, 1277, 35. Mensura Legis est, superabundans autem gratia, 909, 56. Lex intra mensuram est, ultra mensuram gratia, 1434, 98. Excludit fervorem gratiæ sæcularis, gratiæ fervor æternæ, 1241, 10. Spiritalis gratia ab omni superfluorum labe mundavit, 1177, 24. Deus sine labore nostro, non ex operibus, sed ex fide per gratiam suam nobis peccata donavit, 885, 1. Lucet Deus super justos per gratiam, super injustos per misericordiam : illis mercedem meritorum tribuens, istis peccata dimittens, 984, 9. Qui suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur, 1229, 29.

Gratia pro meritis nostris diversa, sed eadem divini operis misericordia, 1461, 208. Bonus Dominus studia exigit, vires ministrat, 1400, 72. Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia, 1288, 19. Ipse tibi es vel injuriæ auctor vel gratiæ, operatio divina nihil errat, 919, 77. Faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ, 1506, 76. Plerumque derelinquit Deus quos vult probari, penitus autem derelinquit, quos deserit, 980, 18. *V*. Christus et Deus.

Gratitudo. Nescit virtus mensuram gratiæ : nec contenta referre quod acceperit, vult cumulare quod sumpsit, 1375, 74. In vicissitudinibus gratiarum non est satis reddere quod acceperis, sed commendare quod reddis, 217, 23. Gratiam et qui reddit habet; et qui habet in eo ipso quod habet, solvit, 1389, 25. Relationem gratiæ a canibus homines discunt, 119, 17. Beneficiorum Dei tenax gratiæ memoria perseverare debet, et obedientia non deesse, 197, 30. Nec die, nec nocte, nec ullo tempore a gratiarum actione debemus vacare, 1075, 52.

Gratianus Imperator a suis destitutus ac proditus, 961, 17. Calumniis et dolis circumventus, 963, 21 *et seq*. Ei sepultura negatur, *ibid*., 24.

Gruum vigilantia in custodiis, et ordo inter volandum, 99, 50 *et* 51.

Gula de paradiso regnantem expulit : abstinentia ad paradisum revocavit errantem, 538, 7. Quas perturbationes in familiam inferre soleat? 542, 24. In utero ambulant, qui ventri et gulæ serviunt, 179, 74. *V*. Ebrietas.

Gutturis utilitas, 140, 69. Sepulcrum patens est guttur hominis, in quo perfidia lethalis, et mortua verba conduntur, 1535, 141.

## H

Hæredis humani damnum est descriptio cohæredis, sed indivisa est Christi hæreditas, 1155, 41.

Hæreses omnes dum se impugnant, in se recurrunt, 732, 69. Velut Eva femineo rigorem fidei tentant affectu, 1459, 200.

Hæretici impugnatores sunt fidei, veritatis inimici, 1152, 6. Falsam habet imitationem, qui fidei non habet veritatem, 658, 15. Hæreticorum feralis doctrina insaniæ sunt falsæ, 860, 4. Manichæus, Marcion, Sabellius, Arius, Photinusque non aliud quam fratres Judæorum sunt, 1473, 15. Hæreticus de generatione Domini juxta usum sæculi disputans, dives est in verbis, pauper in viribus, 1372, 70. Christus non est in his disputationibus, 1110, 20. Multi ex iis prætendere volunt corporis continentiam, ut assertionis suæ fidem testimonio sobriæ carnis acquirant, 248, 49. Circumspectos nos in respondendo adversus hæreticos vel Judæos esse debere, 1502, 54. Non te capiat hæreticus, quia potest de Scripturis sanctis aliqua exempla proferre, 1310, 26. Imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum, 1114, 29. Quam graves illius morsus sint, 1422, 51. Madianitis est ejus perfidia, 1198, 11. Hæretici lupis comparantur, 1037, 16; 1421, 48 *et seq*. Et vulpibus, 1418, 51; 1421, 47. Omnes hæreticos et schismaticos a regno Dei et ab Ecclesia intellige separatos, 1452, 95.

Halcyon ubi, et quot diebus pullos suos educat et nutriat? 96, 40 *et seq*. Hos dies præsumptæ serenitatis nautæ Halcyonidas vocant, *ibid*.

Harmonia quid sit, 1470, 5.

He littera latine significat, *est*, vel *vivo*, 1018, 1.

Helleboro ægri corporis passiones sæpe solvuntur, 48, 39.

Heptateuchus quid significat, 1241, 12.

Herbarum succi salubres, 47, 37. Medicorum est opus potestates earum noscere, 56, 57.

Herodem nullo affinem generi Judæorum regnum adulterina fide fraudasse, 1529, 41. In eo omnes impii significantur, 1525, 99.

Herodias in nece Joannis Baptistæ iniquitatem pravis artibus quæsivit, 771, 13.

Heth interpretatione latina dicitur pavor, 1056, 1.

Hippocrates Critiæ opinioni de anima non acquievit, 266, 92.

Hirundinis sedulitas, industria, pietas in filios, 101, 56, 57. Eorum cæcitati medetur, *ibid*.

Homo Græce ἄνθρωπος unde dicatur, 130, 46. Quid sit, et in qua potissimum parte consistat, 387, 5. Ex anima et corpore constat, et spiritu, 207, 6. Creatura est Dei, omnium in terris præstantissima, 341, 63. Pretiosissimum est opus Dei, 1088, 6 *et seq*. Habet aliquid quod angeli non habent, 1091, 14.

Hominis duplex generatio, una secundum imaginem Dei, altera secundum figmentum de luto terræ, 265, 86. Verbum non ad imaginem, sed imago Dei, homo non imago, sed ad imaginem Dei, 1064, 25; 1091, 16. Supra terrena omnia eum constituit Deus, 264, 86. Nec vult suum esse quod corruptibile atque terrenum, qui ad imaginem et similitudinem Dei meminit se esse creatum, 886, 4. Illum gloriosum virtus facit, fides rarum, imago pretiosum, 1089, 10. Eumdem Deus creavit in incorruptionem, sed homines a naturæ munere deviantes, obnoxios fecere se morti, 760, 48. Cur illum Deus non approbarit nisi post factam mulierem? 165, 46 *et* 47. Cur eo creato Deus requievisse dicatur, 142, 76. Evanuerat rerum natura, nisi qui ea uteretur, divina providentia esset adjectus, 1088, 6. Cur Deus pauca quæ homini noceant, esse sinat, 93, 31.

Homo noscere seipsum debet, 127, 39; 152, 50. Id dictum non ab Apolline Pythio, sed a Salomone, *ibid*. Ante Legem nesciebant homines quod luti corruptione sint resolubiles, et limo durescente formati, 1137, 20. Sibi semper debent attendere, cur, et quomodo? 133, 50 *et seq*. Non possumus plenius nos cognoscere, nisi prius quæ sit omnium natura animantium cognoverimus, 114, 3.

Homo comparatione angelorum mutum videtur esse jumentum, 670, 26. Qui non intellexit, comparatus est jumentis : qui autem intelligit, comparatur angelis, 932, 20. Piscibus bonis et malis comparatur, 85, 15. Avis est qui de terris in cœlum debet evolare, 1154, 38 *et seq*. Cur eo deleto, cætera irrationabilia deleta sunt, 231, 10; 239, 31 *et seq*. In quo animantibus cæteris præstet, vel inferior sit? 850, 20; 1213, 14. Cavendum homini, ne pecudum more curvetur, 117, 10. Magnum ejus munus est mundo magis quam sibi nasci, 1088, 6. Homines quadrati qui dicantur, 233, 13.

In homine duæ mentes, et duæ leges, 1479, 49 *et seq*. Petitiones exterioris hominis, interiorisque communes non sunt, nec omnes probantur a Christo, 782, 13. Quomodo Dominus utrumque sibi invicem voluntatum unitate sociaverit? 807, 64. Interior in Christo crucifixus, sepultus, resuscitatus, 794, 37. Minorem laborem nobis exspoliatus vetus homo quam supervestitus afferet, 851, 22.

Homicidii pœna, 267, 94 *et seq*. Interficiunt opus Dei, qui humanum sanguinem fundunt, 131, 48.

Honor est non solum honorificentiæ, sed largitatis, 1490, 75. Sæpe honor sæculi abit, antequam venerit, 1341, 28. Ubi honorari et exaltari quis creditur, ibi ut meatus fluminis

Digitized by Google

num præteriisse citius quam venisse comprehendas, 706, 59.

Hortum illum quem Jovis hortum alibi, alibi hortum mentis appellavit Plato, undenam composuit? 398, 19.

Hospitalitas commendatur, et ad eam omnes teneri ostenditur, 295, 34 *et seq.* De hospitii religione venerabilis est forma præcepti, 1398, 66. Hospitalia jura servanda, 101, 54. Tanta hospitalitatis est gratia, ut libenter in nos aliena pericula transferamus, 1364, 55. Hospitalem remuneraturis esse affectus avaritiæ est, 1458, 195.

Hosti intra te clauso resistere, plus est quam remoto, 468, 29. In te ipso tibi bellum est, 1070, 39. Honorandam in hoste virtutem, 687, 36.

Humilitas in paradiso defecit, ideo venit e cœlo, 1024, 32. Orta est de culpa, 1083, 14. Etiam in Christo laudem virtutis invenit, 1146, 19. Eam didicimus non solum sermone sed actu Christi, 1228, 20. Et quomodo, 1157, 46. Cur is auctorem illius se præbuerit, 1515, 51. Illa in hoc mundo contemnitur, sed Dei judicio comprobatur, 1006, 41. Bona est præsertim si adjungatur ei devotio voluntaria, 1148, 25. *Vide* Christus.

Humilitate nihil pretiosius, 1089, 10. Nihil excelsius, 1480, 40. Grande est in omnibus humilitatis tenere mensuras, 1147, 20. Justus in ea gloriatur, 1224, 7. Quo quis sanctior, hoc humilior, 648, 22. In humilibus magis elucet gratia, 1020, 7. Potestas decipit, humilitas non destituit, 2146, 19. Nihil affert dispendii, 1227, 18. Nihil appetendo, totum quod contemnit, adipiscitur, 1147, 20. Omnis summa studii nostri est, ut simus humiles, et veritatem sequamur, 1222, 3. Non mirabilis in senectute, sed rara et miranda in juvenibus, 1204, 31.

Cum humiliamur peccata nostra cognoscimus, et ipsa humilitate delicta nostra purgamus, 1097, 30. Cum repleta fuerit humilitas, peccatum solvitur, 1087, 4. Humiles dum subjiciuntur a divitibus et opprimuntur, exaltati sunt, et subito refulserunt, 795, 39. Humilitas omnis honorificentiæ studio non definitur, 1515, 51. Non semper virtutis est, sed etiam afflictionis, 1122, 28. Multos crimen humiliat ad ruinam, 919, 76. Est humilitas laboris et fatigationis, est et humilitas virtutis atque propositi, 1226, 15. Etsi perturbationis non virtutis sit, virtutem tamen sæpe generat, 1083, 14.

Hunnorum seu Chunnorum populi aleæ solius legibus obediunt, 605, 39. Feneratoribus sunt subjecti, *ibid.* Omnibus rationibus bellum inferunt, *ibid.* Chunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Tayfalos, et Sarmatas insurrexerunt, 1506, 10.

Hyems nobis est, cum sol meridianis partibus immoratur, et quare, 72, 21.

Hymnis vere Deus laudatur, in quibus est remissio peccatorum, 973, 3. Mane hymni dicuntur, et canuntur psalmi, 552, 55. Non desinamus circa Dei laudes, sive hymnum dicendo, sive divinam per omnia momenta gloriam concinendo, 897, 25.

# I

Ictericis animal visum, et cornu ejus prodest, 1094, 25.

Idithum fuit propheta, et psalmos cum sex filiis canebat suis, 955, 3.

Idololatriæ auctorem serpentem in paradiso fuisse, 174, 61. Error est gentilium qui ligna venerantur, 1064, 23. Lignum adorant, quia imaginem Dei putant, 1095, 25. Ecclesia inanes ideas; et vanas nescit simulacrorum figuras, sed veram novit Trinitatis substantiam, 429, 27. Error gentium quo honorem divinum soli tribuebant, a Deo confutatus, 45, 27. Gentiles metalla et saxa venerando similem rigorem stuporis attraxerunt, 1132, 5; 1305, 75.

Ignorantia et concupiscentia animæ sunt ægritudines, 376, 60.

Ignis et aquarum natura cur necessaria, 28, 12.

Ignem ut in terram mitteret venit Dominus, quo illuminaret animas universorum, studium accenderet, crimen exureret, 848, 15. Tripliciter ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat, 1201, 21. Ignis divinus mundat animum, consumit errorem, 1200, 20. Peccatum minuit, et suo culpam ardore depascit, 848, 15. Urit, ut corrigat conscientiam peccatoris : non exurit, ut perdat, 1200, 20.

Ignis deputatus diabolo et angelis ejus quis? 998, 17. Neque est corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, 1460, 204. Omnes oportet per ignem probari quicumque sive Joannes sive Petrus ad paradisum redire desiderant, 1223, 12 *et seq.* Quomodo justi et peccatores per ignem sint transituri, 789, 26 In retributionibus meritorum ignis illuminat justos, exurit impios, 66, 10. Peccatores abyssum petunt, ubi caligo tenebrarum, 787, 21.

Imperatores in statuendis legibus severiores, in exigendis suppliciis misericordes esse debent, 823, 19. Tu imperator, eripe subscriptione indulgentiæ eum qui ducitur ad mortem, et solvisti peccata tua, 1071, 42. Majorem imperii gratiam, qui propiores imperatori sunt, consequuntur, 1570, 61. In civitatibus bonorum principum imagines perseverant, delentur imagines tyrannorum, 670, 24. Qui coronat imaginem imperatoris, utique illum honorat; cujus imaginem coronavit : et qui statuam contempserit, imperatori videtur fecisse injuriam, 1095, 25.

Imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos ad sacrificium vocata, 1410, 108.

Impietas contra naturam est, 759, 47. Mater quædam est delictorum, 217, 25. Prima præcepta prophetæ David sunt, impietatem fugere, in peccato non stare, in lege meditari, 772, 17.

Impii etiamsi videantur vivere, miseriores sunt omnibus mortuis, 220, 31. Erroribus delectantur alienis, 273, 115. Quam miserabilis eorum portio sit? 660, 21. Membra sunt diaboli, 819, 9. Cur Deus avertat se ab eorum precibus, 220, 31. Illorum successus non mediocris tentatio est justis, 1047, 10 *et seq.* Quam incredibilis extinctionis eorum celeritas, 669, 22. In bonis imago cœlestis perseverat semper, in impiis deletur atque deficitur, 669, 24. Quomodo servata substantia eorum iter pereat, 765, 58. Ibi scribuntur eorum nomina, ubi vivere maluerunt, 951, 19. Non mediocris pœna impii est requiem mortis non habere, 660, 18.

Improbitas usu atque exercitatione augetur, 240, 34.

Improbus dicitur qui probitatem malitia sua destruere velit, 956, 17. In seipso coarctatur, malitiæ suæ laqueis strangulatus, 1042, 32. Eum plus præsentia quam futura sollicitant, 220, 32.

Impudici cujusdam descriptio, 520, 10. *V.* Avaritia, Libido, Incontinentia.

Impunitate nutritur audacia, 240, 34.

Incontinentia hominum arguitur, 92, 30.

Indictionum usus, 253, 60.

Indicum mare superius est æquore Ægyptio, 37, 10.

Indifferentia non habent robur validæ virtutis, sed ejus augent et diffundunt gratiam, 229, 5. Plerisque nocuerunt, 276, 122.

Infernus. *V.* Ignis.

Infirmitas officina virtutis est, utilior quam gratia, 796, 42. Nemo tentet invalidum, aut præcipitet infirmum et cur? 1486, 61.

Ingenio naturali utere, ut superna aspicias, et terrena non quæras, 1028, 31.

Ingratus est qui debitum gratiæ ut a se exigatur, exspectat, 260, 78. Cito beneficii irrepit oblivio, secundis rebus, 495, 33.

Inimicos diligere quo sensu Christus præcipiat, 1100, 41; 1162, 15 *et seq.* Nihil est quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo, 1476, 24. Justus adversus insolentes sibi tacet, et orat, 845, 9, 10. Quomodo justus accusare se malit, quam alium, etiam a quo injuriam patiatur, deformare, 1049, 18 *et seq.* Justi propositum longe omnibus perfectius et potentius est, intervenire pro persequentibus, et excusare peccantes, 1051, 25. Bonum scutum triumphantis, ut inimicum suum quem possis ferire, defendas, 846, 11. *V.* Charitas, Injuria.

Iniquitas inverecunda usurpat indebita, nec reveretur auctorem, 259, 75. Plus est ut ipsa iniquitas deleatur, quam peccatum, 698, 62. Tales leges iniquitas habet, ut oderit innocentiam, scelus diligat, 1526, 102. Ubi iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione revocatur, 900, 46. Iniquitas per lavacrum remittitur, peccatum tegitur bonis factis, 692, 49. Iniquitatis pœna acerbi fenoris accessione differtur, 820, 13.

Iniquus quis dicendus, 950, 17.

Injuriam æquanimiter subeundam, 1525, 97. Insidiantibus non vicem injuriæ reddendam, 1150, 28. Vult Deus discipulos suos injuriarum esse patientes, nec referire facile, nedum ferire, 1087, 3. Injuriarum tempora, tentationum certamina, et examina probationum sunt, 685, 30. Aliud est dignum se præmio dicere, aliud indignum injuria, 1171, 10. *V.* Charitas, Inimicus.

Injustitiam fuge quæ adhuc viventes mortuos facit, 1212, 13. Injusti anima nec viventis clamat, quia Deo mortua est, 1211, 8. Injustus aliis inutilis, et sibi noxius est, 768, 6. Quidquid loquitur, iniquitas est, quæ in suum refertur auctorem, 768, 6.

Innocentia tempore posterior est quam malitia, sed meritorum nobilitate antiquior, 188, 11 *et* 12. Servile est omne peccatum, libera est innocentia. 490, 20. Ipsa Deum videt, 814, 81. Non in clamore vocis, nec in forensis assertione patrocinii, sed in conscientiæ integritate esse innocentiæ defensionem, 1231, 35. Non amat multis innocentia se defendere, 617, 78. Quando fructus ejus deferatur, 806, 63.

Innocens nulli nocet, in neminem peccat, 881, 35.

In Innocentibus expers licet sensus infantia; Deum tamen pro quo interimitur confitetur, 1298, 49.

Digitized by Google

Inobedientia mortis causa fuit, 159, 55. Quicumque prævaricatur mandatum Dei spoliatur, atque nudatur, et fit ipse sibi vilis, 175, 65.

Insipiens est, qui male sapit, 950, 17.

Institutio tantum valet, ut vincat naturam, 205, 3.

Intellectus, sapientia, et disciplina qui differant, 886, 7. Intellectus Dei donum est, 1093, 19; 1180, 34. Thesaurus noster pretiosus intellectus est, 1115, 4. Initium intellectus plenitudo est virtutis, 1208, 45 *et seq.* Est intellectus ad mortem, sicut est prudentia ad interitum, 1249, 9.

Intemperantia accendit libidinem, cruditatem generat, corruptelam creat, 238, 29.

Intemperantes proprio sibi viles esse judicio, 446, 6.

Intestinorum cur circumplexi orbes, 140, 61; 237, 28. Geminus eorum amictus, 237, 29.

Invidia cito prosperitatem sequitur, 303, 65. Illa lenitatem naturæ concretione malitiæ vitiat, 1085, 19. Quomodo placanda, 319, 15; 463, 14; 465, 21. Quantum Dominus aspernator invidorum sit, 1316, 46 *et seq.*

Invisibile quid sit, 42, 25.

Ira quam gravis passio sit, 785, 18. Gravis est magistra peccati, *ibid.* Ubi iracundia, ubi tristitia gravis, non permanet ibi Verbum, 1119, 18 Potentibus ira sua gravis, improbis nequitia, justis conditionis infirmitas, 632, 16. Quantum ab ea præcavendum, 508, 78. Præclarum est motum temperare consilio : nec minoris virtutis ducitur, cohibere iracundiam, quam omnino non irasci, 1368, 54. Nulla iracundia, ubi plenitudo est charitatis, 1417, 28.

Iris pluviam futuram cur significet, 269, 103. Quem et cur Deus arcum in nubibus posuerit, *ibid.*

Isaac risus Latine significatur, 355, 1. Prophetat sermone non scientia, 306, 74. Quare ad genus suum magis quam ad populum appositus legatur, 185, 6. In eo figura generationis et passionis Christi, 186, 7; 288, 20; 305, 71, 72; 355, 1; 862, 12. *V.* Christus.

Issachar benedictio mystice de Christo exponitur, 522, 30, 31.

Italiæ populi æstus serena pace temperantur, 1501, 32.

J

Jacob cur pastor ovium inducitur, 195, 24. Figuram bonitatis gerebat, 184, 4. In summis periculis positus beatitudinem vitæ non amisit, sed potius acquisivit, 459, 1 *et seq.* Continentia et fide humanarum supplantavit vestigia passionum, 194, 23. Quam perfectus fuerit? 459, 3 *et seq.* Christum prævidit in terris, 464, 15. Et in Christo refulgentem Ecclesiam, 472, 34. Quam beatus in ipso mortis supremo, 471, 35 *et seq.*

Jacobus primus solium sacerdotale conscendit, 1413, 9.

Jactare se nemo debet, 123, 91; 1418, 29. Jactantia etiam fortes decipit, 1341, 27. Insolens est etiam in integro et justo, 832, 38. Inanis est, 1226, 15. Dum homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum decedunt, 1340, 21. Non de prælatione jactantia sit, sed de humilitate contentio, 1515, 51. Deflectentibus a vero amica jactantia est, 327, 33. Si jactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa jactare pro veris, 191, 16.

Jacula sæpe in ipsos qui ea jecerint refunduntur, 789, 25.

Japheth latitudo dicitur, 276, 124.

Jecur melle tenditur, escæ amaritudine temperatur, 547, 39.

Jejunii origo et antiquitas, 537, 6 *et seq.* Sicut homo per appetentiam interdicti fructus amiserat gratiam, ita per jejunium reparari ejus virtutem oportuit, 867, 1. Jejunavit Christus, ne præceptum declinares, 1285, 10.

Jejunium quale debeat esse, 545, 34 *et seq.* Jactantia in jejunio declinanda, 547, 40. Indictum jejunii non ante finem diei frangendum, 1073, 46. Quanta virtus jejunii, 123, 28; 536, 2 *et seq.*; 540, 541; 544, 29 *et seq.*; 545, 35; 547, 40. Nulli grave est, 542, 23. Condimentum cibi est, 544, 32. Bonum operimentum est, 665, 10. Nos commendat, 1361, 23. Jejuna, si vis vincere carnis illecebram, 1340, 24. Jejunium culpæ interfectorium est, 547, 37, 38. Quadraginta dierum numero jejuniis et orationibus crebrioribus nostrorum levemus supplicia peccatorum, 244, 44. Si quis fructum resurrectionis vult adipisci, mystici jejunii prævaricator esse non debet, 1338, 15.

Jephte suo victus est sacramento, 681, 16.

Jericho, quid figuret, 1427, 73.

Jerusalem a Romano exercitu triumphata, injecto flagravit incendio, 1242, 14. In Jerusalem standum, de Babylone fugiendum, 749, 26.

Jesus Nave figura Christi, 944, 21. Non in sua virtute, sed Christi mysterio cœlestibus luminibus imperabat, 714, 24. Eum hominis sacri similitudo liberavit, 1203, 29. *V.* Christus.

Jetro dicitur superfluus, 195, 24.

Jesabel, id est, effusio vanitatis, 431, 34.

Joachim in libris Regum qui dicitur, is Jechonias ab Jeremia est nominatus, 1528, 40. Duos Joachim, hoc est, duos Jechonias fuisse, 1331, 46.

Joanni spiritus vitæ nondum erat, sed erat spiritus gratiæ, 1277, 33. Ungebatur quasi bonus athleta, et exercebatur in utero matris, 1291, 29. Infantiæ impedimenta nescivit, *ibid.*, 30. Nativitas ejus non solum a parentibus, sed etiam a majoribus nobilitatur, 1271, 13. Cur Vocis nomen acceperit, 802, 57. Cum Christo comparatur, 1285, 10; 1406, 96. Omnibus prophetis major, sed inter mulieris, non virginis natos, 1382, 110. Illius cum Elia comparatio elegans, 1278, 36. An Christum quem venturum crediderat non crediderit moriturum, 1378, 98. Qui Joannem loquitur, Christum prophetat, 1292, 32. Dum ei creditur, creditur Christo, 1278, 37. Videbat cordis occulta, 1307, 78. Prænuntius natus, prænuntius mortuus est, 1279, 38. Typus Legis est, 725, 48; 1303, 68; 1377, 94. Personam accepit populi Judæorum, 1308, 81. In prænuntio Christi nihil magis quam ædificationem Ecclesiæ debeo surgentis agnoscere, 1303, 75.

Joannis anima fusca per vitium, sed decora jam per lavacrum, 984, 8. Juvenis fuit, qui viam suam in juventute correxit, 983, 7. Majora et altiora tetigit, 1511, 172. De morte ejus quidam dubitaverunt, 1225, 12. Mortuus est, 1411, 4 *et seq.* Nec in morte corporis interruptus est ordo vivendi, 1412, 4. *V* Evangelistæ.

Job sancti virtutem et patientiam malitia diaboli fecit esse clariorem, 148, 9; 1145, 16. Fortior erat æger quam sanus, 654, 3. Quantæ simul coacervatæ sunt afflictiones, ut periret, 1123, 29. Cur in tentatione positus mysteria loquebatur, 1345, 40. Manus Domini ei omnia abstulit, et omnia repræsentavit, 855, 33. Ejus laus condemnatio Angeli est, 824, 21.

Jod Latina significatione confessio dicitur, vel desolatio, 1086, 1.

Jonam emendavit aqua, quem terrena deflexerant, 94, 35; 922, 83; 1433, 97.

Jordanis nomen descensionem significat, 327, 34; 422, 12; 642, 14.

Joseph figura Christi, 267, 25; 679, 12; 893 *et seq.*; 905, 43 *et seq.* Etiam in somniis suis typus Christi, 485, 7 *et* 8. Et missus ad fratres, 486, 9 *et seq.* Et venditus, 487, 14; 490, 20. Et aliis vitæ suæ actionibus, 498 *et seq.* In eo præfigurata Christi mysteria, 526, 47 *et seq.* Quam dura et aspera fortiter pertulerit? 1123, 31. Castitatis speculum fuit, 483, 1, 2; 1332, 47. Ejus castitas commendatur, 491, 22 *et seq.* Subibat pro castitate martyrium, 493, 26. Illius castimonia numquam ad nostri memoriam pervenisset, nisi illius Domini mulier affectus ejus tentasset, 148, 9. Eum culpa non cepit, non carcer inclusit, non Ægyptus decoloravit, 1003, 27. Ejus tentatio virtutis est consecratio, 1315, 42. Partes singulæ benedictionis ejus explicantur, 526, 46 *et seq.* Joseph coronam habuit castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei, 1161, 11.

Joseph magis quam Mariæ generatio cur in Evangelio describatur, 1314, 3. Spiritus sancti templum, uterum mysterii, matrem Domini violare non potuit, 1284, 6. Dominus in cruce positus manifestavit eum cum Maria conjuge non convenisse, 1283, 4.

Judas typus Christi, 518, 16; 679, 11. Et passionis Dominicæ, 1332, 47. Tribus Juda et Levi per admixtionem generis junctæ sunt, 518, 16.

Judæ prævaricaturo mandatum cur Christus dederit, vel elegerit proditurum, 161, 39. Qua ratione non per imprudentiam, sed per providentiam electus, 1366, 45. Justus erat, cum apostolorum numero necteretur, 940, 9. Meditabatur Christum vendere, sed revocabat eum tanta Domini gratia, et quædam paternæ delinimenta pietatis, 844, 6. In illo convivio miser periit, in quo alii salvantur, 607, 47. Latro in cruce sua regnum Domini mente conspexit, quod in convivio Christi Judas videre non potuit, 864, 17. Egrediebatur de convivio Christi ad latrocinium diaboli : egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis, 873, 17. Patientiam Domini ferre non potuit, qui majestatem prodidit, 863, 17. Servus Dominum, discipulus prodit magistrum, electus auctorem, 1518, 63. Aliqui eum excusandum putant, sed male, 875, 21. Sanctificandi alios munus acceperat, 876, 22. Se ipse proprio ore egit in mortem, 769, 8. Quæsivit avaritiam, et invenit sacrilegium, 771, 14. Figura erat infidelis populi Judæorum, 880, 32.

Judæorum populus quibus temporibus reges habuerit, 1319, 16. Erat populi Judaici gratia discernere spiritus, ut cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum, 1265, 1.

Judæorum decem Tribus ad Assyrios ductæ sunt, duæ autem Juda et Benjamin tamquam gravioris reæ flagitii in Babyloniam transierunt, 755, 37. In Babyloniam abducti


Digitized by Google

etsi propter peccata sua videbantur esse subjecti, tamen, multo meliores gentibus habebantur, 908, 53.

Cessavit aliquando torrens profluvii spiritalis in populo Judæorum, 774, 20. Cur post Christi adventum cessaverit eorum oblatio, et sacrificium, 861, 10. Deus ab eis abstulit prophetas, abstulit sacra, abstulit vocem, 1279, 40. Hostili odio Christum persequuntur, quibus si converterentur, remedium non negabat, 862, 14. Jam non sunt excusabiles, 630, 13. Eorum duritia increpatur, 257, 70; 1532, 128. Habent castimoniam, sedulitatem in lectione multam, sed sine fructu sunt, et cur, 757, 41. Latro Christum in suppliciis agnovit suis, quem Judæi in beneficiis non agnoverunt, 864, 17. Gravius quam gentiles punientur, et quare, 1486, 64. Ex patre diabolo sunt non carnis successione, sed criminis, 1349, 54. Pejores magistro diabolo, 1350, 61. Cur ad arguendam eorum perfidiam signum Jonæ accersitur, 946, 25.

Judaicæ res omnes quasi parabolæ sunt, hoc est, quasi figuræ egentes solutione, 909, 55, 56. Judæus non in veritatem sed in umbram credit, 1221, 43. Legem spiritalem ignorat, 1131, 4. Ejus verba corporaliter interpretatur, 175, 66; 1242, 12. In corde Legem non servat, 1025, 24. Cur apud Judæos non est lex Dei, 1206, 36. Videntur nec psalmis nec threnis propheticis credidisse, 1358, 5.

Judæorum populus dives, Christianorum pauper, 728, 57. Apostolus ostendit eum jure esse ab Ecclesiæ corpore separatum, 1065, 27. Deus viliorem vendidit populum Judæorum, potiorem emit populum Christanum : ille peccato venditus, hic emptus sanguine, 904, 42. Illius delicto salus gentibus, 908, 53. Zelo fidei populus gentilium vitam sibi acquisivit æternam, quam negligentia sua atque desidia populus Judæorum amisit, 1198, 13. Culpa Israel profuit gentibus : fides gentium Israeliticum populum liberavit, 906, 29. Judæi non debent desperare indulgentiam, si velint agere pœnitentiam, 1433, 97 *et seq.* Deus illis etiamsi noliunt sanari, reservat gratiam regressionis, 666, 12. *V.* Ecclesia.

Judex bonus non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est, 1231, 36 *et seq.* Nec invidiæ cedere, nec timori, 1525, 99. Quomodo divinæ sententiæ providentia magnanimitatem et patientiam eum doceat, 223, 38. Cui non licet in plurimis causis a gladio temperare, potest tamen lucrum donare pœnarum, 838, 51. Usus disciplinæ sæcularis accepit, ut unusquisque judicem suum laudet, 1083, 15.

Judicii finis justitia est, in altero veritatis custodia, in altero fructus est æquitatis, 1173, 14. In judicando caveatur ne major pœna quam culpa sit, 709, 5. Terribilia sunt peccatoribus etiam humana judicia, quanto magis divina formidini sunt! 1019, 17. Grave hoc judicium, cum Dominus de se postulat contra hominem judicari, 811, 72. Judicia Dei sanctos, et peccatores adjuvant, sed diverso modo, 1253, 26. *V.* Deus.

Judicium Christi ultimum quale erit, 762, 52. Primus ejus adventus propter redimenda peccata, secundus propter reprimenda delicta, 1058, 17. Cur Dominus in igne venturus sit, 1442, 132. Judicium sanctis ac diaboli sociis non vult Deus esse commune, 1228, 22. Triplex ordo hominum qui ultimo Christi judicio interesse debent, 764, 56. In Christi judicio nemo innocens periclitabitur, nemo sceleratus eludet, 1172, 10. In judicio Dei idem homo et salvatur ex parte, et condemnatur ex parte, 1238, 58. Cur sanctus ad judicium veniat, impius non veniat, 1229, 24. Qui in judicio resurgunt, habent spem veniæ, 1032, 44. Impii in judicium non resurgunt, sed tamquam habito judicio, puniuntur, 1113, 9. Cur impii et perfidi qui in Christum non crediderunt, in judicio ultimo non sint judicandi, 761, 51. Anima post finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ambiguo suspenditur, 209, 9. Adest judicii dies : si vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge, 1479, 39.

Judicare de altero grave est, 1230, 31. Sæpe in judicando majus peccatum judicii est, quam peccatum ipsius de quo fuerit judicatum, 709, 5. Necesse est eam formam in te redire judicii, quam in alium ipse decernendam putaveris, 1229, 26.

Jugum Christi suave, si ornamenta putes cervicis tuæ esse non onera, 994, 6. Cur non solum tollere jugum Verbi, sed in juventute tollere debeamus, 982, 3. Quis portet jugum illud a juventute sua, 1080, 3; 1214, 19.

Jurare indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est, 1145, 14. Quam periculosum jusjurandum, 1521, 82. Quis jurare possit, 1145, 14. Mos tactis, evangeliis, jurandi, 964, 25.

Justitiam in tres partes philosophia divisit, 1373, 76. Communis est virtus, 1291, 30. Parens est cæterarum fecunda virtutum, 153, 22. Sola virtutes omnes complectitur, 344, 68. Ubi justitia, ibi concordia est virtutum cæterarum, 152, 18. Nulla virtus abundantiores videtur fructus habere, 151, 18. Nulla potest locupletior esse possessio, 820, 28. Sola est quæ aliis potius nata est, quam sibi, 227, 2; 768, 7; 1174, 14. Justitiæ opus est circa uniuscujusque meritum servare mensuram, 1585, 6. Illa vera justitia est quæ ipsis quoque defertur inimicis, 1205, 35. Soli Deo suppetit in perpetuum per omnia possidere justitiam, 1205, 35. Quæ sit fames justitiæ, 1369, 56. Non possumus cognoscere quæ sit forma justitiæ, nisi cognoscamus quæ sit iniquitatis effigies, 765, 1. Sicut justitia Dei magna, ita severa vindicta, 669, 22. *V.* Deus.

Justificatio a justitia derivata est, 131, 46. Opus justitiæ est, 1084, 16. Justificationes Domini in hymnis, canticis et psalmis, 1052, 25.

Justum quod sit numquam est durum, 1147, 17. Potest justum injuste fieri, 1272, 18.

Justum virum videre pretiosum est, 1095, 25. Imago et gloria est Dei, et quare, 425, 17. Quis vere justus? 1195, 5. Illa forma justi est, ut nihil metuat, nihil reformidet, nisi virtutis dispendia, 457, 38.

Justum esse ante Deum perfecta laus est, 1272, 18. Cur multi hominibus justi videantur, pauci Deo; aliter hominibus, aliter Deo, 241, 37; 1272, 18. Cur Deus noverit justos, et nesciat injustos, 791, 31. Justus solus in æternum manet, 240, 32. Perpetua vita justorum, nulla improborum, 223, 37. Plenitudinem justi vita habet, inanes autem dies sunt impiorum, 1291, 29. Vita justi quieta est, injustus autem inquietudinis et perturbationis plenus est, 468, 28. Possessio justi est gratum esse Deo : insipientium autem nullus gradus, 322, 22. Quomodo possideat terram, 797, 43. Illi omnia transeunt, 813, 79.

Justi quæ sint proposita et agendi rationes, 1048, 14 *et* 15. Sub oculis Domini tamquam miles sub conspectu imperatoris, et veluti in ministerio positus stare debet, 749, 27. Ipse sibi claustrum est, ipse sibi pervigil custos, 844, 6. Hic sunt laquei, quibus etsi non implicatur, tamen impeditur, 640, 6. Advertit magis fragilitatem suam quam injustus, 633, 20. Si offendiculum incurrerit, et ceciderit, sobrietatem teneat, pœnitentiam gerat, sæpe se reparet, 800, 51. Quod conditionis est, cadit : quod justitiæ, resurgit, 799, 51. Eo cadente, fortes trepidabunt, 940, 9. Quando mens ejus mundare se incipiat, 254, 62.

Justo Deus parcit, quasi conditionis fragilitate peccanti : injustum punit, quasi detestetur ingratum, 811, 73. Eum non aliena absolvit sententia, sed sua vita, 964, 25. Deus illum non judicat, 811, 73. Etiam mortuum audit, 220, 51. Sanat justos cum tangit eos manus divina, non vulnerat, 791, 30. Neque peccator pœnam suæ improbitatis evadit, neque justus æquitatis suæ præmiis defraudatur, 1018, 15. Etsi in sæculo derelinquitur, a Domino tamen non derelinquitur, 802, 58. Cur? 810, 70. Manet ante Deum, etiamsi condemnetur ab hominibus, 327, 56. In Domini potestate justorum auxilium non ruina est, 629, 11.

Justus quomodo semper loquatur opera Dei, 1008, 46. Benedicit Dominum cum laborat, peccator cum luxuriat, 1146, 16. Justi vita fructuosa aliis, et sibi dulcis, 768, 6. Quantus murus sit patriæ, 299, 48. Quantum numerus justorum prosit populorum saluti, 211, 12. Justi vita redarguit peccatorem, quem tacita majore auctoritate condemnat, quam si clara voce loqueretur, 788, 23. Cur facilius homines peccatorum quam justorum viam sequantur, 748, 25. Justorum reliquiæ virtutes sunt, impiorum reliquiæ improbitas atque perfidiæ peccatum, 814, 82.

Juventus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est, 1183, 45. Luxuria, et deliciis, et adulteriorum affectibus juvenes se jactare consuerunt, 262, 81. Juvenior scire se debet, ut corrigat viam suam, 987, 15 *et seq.* Sunt quidam in juventute senes, et alii juvenes in senectute, 803, 59.

## K

Koph, id est, conclusio, vel aspice, 1209, 1.

## L

Laban candidus Latine dicitur, 428, 26. Sive dealbatus, 466, 24.

Labor homini communis est cum omni creatura, et quare? 452, 24. Creati ad laborem sumus, redempti ad quietem, 1146, 19. Laborem animæ majorem esse, quam carnis, 829, 53. Laboris causa ignorantia est, 668, 19. Soli homini vitæ cursus in labore præscribitur, et quamobrem, 1264, 6. Laboris plenæ sunt viæ Domini; ideo fugiuntur a perditis, 159, 16. Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est, 209, 8. Licet non suavis sit ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est, 188, 12; 209, 8 *et seq.* Nobilis est illius fructus, 1261, 6. Eo proficit, ut quæ nobis tributa sunt resumamus, 156, 29; 1381, 108. In portione divina gemitus et labores sunt, 1060, 13. Labor jugis avertit affectum, 100, 82.

Lacrymarum commendatio, 112, 80. Quam sint utiles

Digitized by Google

1192, 31 *et seq*; 1535, 80 *et seq*. Qui peccator est, defleat se et arguat, ut fiat justus, 1191, 1; 1369, 33. Lacrymæ solent legationem suscipere pro delictis, 819, 10; 831, 58. Non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium, 1388, 18. Lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, 1523, 88. Nescit flere, qui flenda committit, 1054, 32. Lacrymæ non amaræ, sed amarus qui eas fundebat affectus, 831, 37.

LACUS Larius, Benacus, Albanus non miscentur maris fluctibus, 39, 16.

LÆTITIA cito infundit errorem, 753, 32. Qui ex cognitione rationis induit lætitiam, nonnisi in exsultatione perpetua constitutus est, 1098, 33.

LAMED, id est, cor, vel servo, 1114, 1. Cur amplius vindicatum in eum, quam in Cain, 224, 38.

LARIUS. *V.* LACUS.

LAUDARE Deum commendare est votum et solvere, 199, 34. Non otiosus boni operis actus est in Dei laude requiescere, 1363, 39. Quomodo justus omni tempore circa Dei laudes debeat esse intentus, 1033, 30. Dum in peccato sumus plene laudare Deum qui possumus? 1253, 23.

LAUDES propriæ fugiendæ, 1478, 32.

LAURO coronantur victorum capita, 54, 53.

LECTIO quotidiana sit nobis pro exercitio, ut nulla tentationum nos possit perturbare congressio, 1124, 33. Lectio frequens doctrinæ munus operatur, 1100, 39. Divinæ pabulo lectionis intentus, famem corporis negligit, 1339, 20.

*Leginus* aliqua ne legantur; non ut teneamus, sed ut repudiemus, 1263, 2.

LECTORIS officium non est aspernatus Christus, 1346, 45.

LECTUS sanctorum Christus, 369, 43.

LEONIS rugientis sonitu multa animalia icta deficiunt, 118, 14. Leo cibum fastidit hesternum, et ipsas suæ escæ reliquias aversatur, 118, 14. Gallum et maxime album veretur, 123, 28. Exiguo scorpionis aculeo exagitatur, 126, 37. Cæditur canis, ut pavescat leo; et qui sua injuria exasperatur, coercetur aliena, 206, 3. Leo æger simiam devorat, ut sanetur, 123, 26.

LEOPARDUS capreæ sanguine sibi medetur, 123, 28.

LEPIDUS Sertoriusque rebelles Romano imperio, 934, 21.

LEPORES hyeme albescunt, æstate in suum colorem redeunt, 109, 77. Generant simul, et educant, et continuo parturiunt, 603, 43.

LEPUSCULUS in mari formidabilis, 93, 31.

LEVI benedictio explicatur, 516, 10 *et seq*. Christus ex Tribu Levi videtur secundum corporis susceptionem genus ducere, 517, 14. Ex ea etiam principes sacerdotum qui Christum occiderunt, 517, 13.

LEVITES significatur susceptus pro me, vel ipse mihi, 210, 11; 1056, 4. Levitæ cur primogeniti dicantur, 208, 7. Quare Moyses eos primogenitos et cæterorum redemptores appellaverit, 212, 13. Sanctitate vitæ suæ et oratione plebis peccata lavabant, 210, 11.

LEX gemina est naturalis et scripta, 123, 15. Major lex naturæ quam legum præscriptio est, 283, 8. In corde justi lex est non scripta, sed naturalis, 810, 68. Non solum qui legem nescit, sed etiam ille qui non agit secundum legem, exsors legis est, 1164, 21. Iram legum incidere quis dicatur? 823, 19.

Legi non obsequitur, qui dominus legis est, sed legem facit, 1356, 7. Quomodo lex Dei veritas sit, 1203, 56. Lex primo dil genda, secundo in ea meditandum, 751, 30.

Lex vetus non solum Hebræo lata est, verum etiam advenam vocavit, 424, 15. Num profuerit legem veterem promulgari, 451, 20 *et seq*. Quo sensu antiqua lex bona et utilis esset, 1323, 26 *et seq*. Quomodo bonum Legis mandatum, etsi operetur mortem, 449, 13 *et seq*. Lex auctor boni, quæ mittit ad gratiam, 1392, 33. Lex non solum agendi munus informat: verum etiam secretæ emendat mentis affectum, 1048, 13. In Lege mandata sunt, justificationes, testimonia justitiæ, præcepta, 1125, 34. Legis via, stare in viis Legis, 1024, 22.

Fulgor Legis non in littera, sed in intellectu est spiritali, 1191, 26. Qui corporaliter Legem interpretati sunt, eam non custodiunt, sed prævaricantur, 1061, 15. Non inania Legis, sed solida utilitatis nobis sequenda produntur, 1364, 32. Qui a Lege se separat, separat se a vita æterna, et a Christo, 1219, 35. Quis per omnia Legem Dei custodiat, 1041, 30. Legis præcepta ex voluntate facit, qui diligit; invitus, qui timet, 713, 30.

Lex annuntiatrix Christi est, 1181, 39. Umbra est Christi, 1021, 10. Omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri, 1299, 56. Quæ mysteria vetus lex prænuntiaverit, 1377, 94. Lex et Ecclesiæ prænuntia, et gratiæ pœnitentia est, 1303, 68.

In Lege etsi est justitia, non est tamen per Legem, 1360, 21. Lex merita examinat, gratia fidem spectat, 892, 12. Secundum veritatem nemo ad perfectionem justificatur in Lege, 1123, 54. Cur lex vetus non satis plena, 546, 74; 614, 18. Infirmum fuisset Legis auxilium, nisi ipse Jesus venisset in terras, 891, 11. Lex non habet remissionem peccatorum: sed quod in ea minus est, consummatur in Evangelio, 1389, 23. Servit littera, libera est gratia, 463, 13.

Quid intersit inter æmulos Legis et gratiæ, 1339, 17. Moyses tabulas priores legis fregit Judæis, ut posteriores manerent Christianis, 243, 43. Verbum in utero, Lex in silentio: Verbum editur, Lex absolvitur: sed Legis absolutio verbi est explicatio, 1280, 42. Intellectus Legis evanuit, et factus est spiritalis, 629, 12. Mortua est Legis interpretatio corporalis, ubi Christus spiritalem ejus gratiam monstravit, 1061, 16. Caput Synagogæ lex mortua est, sed spiritalis ejus intellectus astruitur, 1159, 8. Non defectus, sed plenitudo Legis in Christo qui ejus finis est, 910, 37; 1206, 57. Quid prodest Lex, si finem Legis ignores, si mysterium nescias, si sacramenta non noveris, 1152, 6; 1427, 70.

LIA figura Synagogæ, 1226, 24.

LIBER is solus est qui omnia prudenter agit, et ita vivit, ut vult, 463, 12. Non servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur, 443, 1. Volentes Christus curat, non astringit invitos, 663, 4; 1117, 13; 1319, 56. Libertas sub Christo gloriosa, et pretiosa servitus, 448, 11.

LIBERALITATIS gratia in auctorem redit, 575, 37. Quo diligentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicacia, 1499, 23.

LIBERTUM inter atque liberum quæ differentia? 448, 12.

LIBIDINIS commotiones, in lumbis sunt, quæ plerumque excitantur a diabolo, 829, 33. Homo, sicut in navigio constitutus, avertere debet oculos animæ, ne videant sentinam libidinum, 1028, 33. Arguitur ephebiorum aliquis lascivus, et egregie libidinosus, 828, 30. Libidini quisquis subditus est, servus est, 490, 20.

LIEN cum jecore habet viciniam fructuosam, et cur, 140, 71.

LIGNUM scientiæ boni et mali vere in paradiso fuit, nec in hoc aliquid reprehendendum, 147, 8. Ligna terrena fructum non dare, sed ferre dicuntur: lignum vitæ ac sapientiæ dat fructum, hoc est, largitur et donat, 756, 40. An lignum vitæ plus operari videatur ad vitam, quam insufflatio Dei, 153, 28, 29. Cur Deus lignum scientiæ boni et mali nec permiserit tangi, nec prohibuerit? 171, 37. An Deus tantummodo prohibuerit Adamo lignum scientiæ boni et mali solum comedere, non autem cum aliis fructibus conjunctum, 173, 39.

LILII absconditur viriditas, non amittitur, 1440, 127.

LINGUÆ utilitas, 158, 63; 139, 67. Quomodo ea quæ Dei sunt semper loqui possimus, et debeamus, 808, 66 *et seq*. Loquacitas innocentiæ virtutisque naufragium, atque incentivum prolapsionis et culpæ, 791, 28. Laudandus qui prius vult loquenda cognoscere, quam proferre quæ sentiat, 982, 5.

LITTERARUM apices delentur sine fraude librorum: atramentum deletur, sed lignum manet, 245, 45.

LOCUSTÆ foliis oleæ sanantur, 47, 37. Cibus sunt prophetarum, et populi gentilis figura, 1304, 71. Illam devorat σελευκίς, 110, 83.

Λογιστικὸν in homine quid, 335, 54.

LOLIUM et zizania non ex tritici semine, sed proprium quoddam genus habet, 49, 44.

LOT Latina interpretatione declinatio dicitur, 287, 11; 315, 6; 323, 23; 327, 35. Quanta ejus hospitalitas, 299, 61. Ejus in generos suos pietas commendatur, 300, 54. Uritur flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit, 1112, 23.

LUCAS Evangelista laudatur ab Apostolo, 1269, 11. Historice singula prosecutus est, 1513, 186. Satis se divitem fore credidit, si Domini præsepe sibi vindicasset, 1296, 13. *V.* EVANGELISTÆ.

LUCRINUM mare, 39, 13.

LUCTATOR, si genu fixerit, vel pede lapsus fuerit, pro victo habetur, 799, 51.

LUMEN diei aliud est, aliud solis, et lunæ, et lumen stellarum, 65, 8. Unde vox Dei in Scriptura debuit inchoare, nisi a lumine? 19, 33.

LUNA cur dicatur luminare magnum, et unde magnitudo ejus probetur, 74, 25. Lunæ globus æque spectatur ab omnibus, *ibid*. Quomodo sit in potestate noctis, *ibid*. Imminutionem luminis habet non corporis, 65, 7. Ex sole et luna signa aliqua colliguntur, sed non nativitatum, 67, 12 *et seq*. Lunam quartam si pura fuerit, dare reliquis diebus usque ad exactum mensem judicium serenitatis existimant, 78, 34. Animantium cerebrum, maritimorum humida, et arborum interna exinaniuntur vel cumulantur juxta lunæ processum, 76, 29. Ridiculum est quod plerumque homines credant lunam magicis carminibus posse deduci, 76, 33. Luna Christi mysterium atque Ecclesiam

Digitized by Google

repræsentat, 77, 32. Lunæ mutatio rerum instabilitatem docet, 77, 31.

Lupus si prior hominem viderit, vocem eripit; si se præyisum senserit, deponit ferociam, 123, 26; 1098, 24; 1421, 48. Folia squillæ fugit, 123, 9.

Luscinia signare solet diei surgentis initium, 96, 30. Cur cum ova fovet, insomnem noctem cantilenæ suavitate solatur, 111, 83.

Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus, 19, 53. Est maligna lux dubia, 72, 22.

Luxuria hominum quanta, 91, 28. Nec fidem habet, nec observantiam disciplinæ : seminarium est et origo vitiorum, 536, 69. Si caro luxuriæ moriatur atque incontinentiæ, tunc veram vitam resumit, 652, 36. Luxurioso carere deliciis pœna est, 1474, 18. Luxuriosis domus sepulcrum est, et qua de causa? 951, 18.

Luxus mulierum arguitur, 871, 25, 26.

M

Machabæi septem fratres quam beati et constantes in suppliciis, 475, 42 *et seq.*

Magister verus solus Deus est, 1078, 59; 1123, 27.

Magi a Balaam genus ducebant, et magicis artibus erant dediti, 1297, 47, 48. Cur incunabula Christi spoliis orientalibus referserint, 1334, 49. Aurum regi, thus Deo, myrrham defuncto obtulerunt, 1296, 44. Cur alia venerunt via, alia redeunt, 1297, 46.

Mala granata plerumque cito florent, et fructum afferre non possunt, nisi excolantur, 85, 56. Cum iis Ecclesia comparatur, *ibid.*

Malitia nihil est, 428, 24. Quid est, nisi boni indigentia? 376, 60. Non substantialis, sed accidens est, 16, 28. Ex nobis orta, non a Deo condita, 17, 30 *et seq.* Fons peccati, 1165, 25. Et causa perfidiæ, 1435, 110. Diabolus ei præsidet, virtutibus Christus, 851, 35. Cur Deus eam reprimendam interim, quam abolendam putaverit, 434, 43. Malitiam simplicitas, culpam virtus resolvit, 254, 64. Egressus malitiæ virtutis operatur ingressum; eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur, 213, 16. *V.* Culpa.

Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant, et conscientiam ligant, 18, 31. Deus malum non creavit, sed nostra sibi merita repererunt, 1479, 36. Ex bonis mala orta sunt, 376, 60. Id quod malum est, naturaliter intelligimus esse vitandum, 161, 59. Cognitio mali sæpe nobis prodesse potest, 172, 58. Prius irrepit quod malum est, postea agnoscitur quod bonum est, 187, 10. Incentivum mali aut ira, aut cupiditas esse consuevit, 159, 34. Numquam malum malo corrigitur, nec vulnus curatur vulnere, sed exasperatur, 618, 82. Quod malum putamus, plerumque non per omnia malum est, sed in commune utile, 148, 8.

Mandatum Dei quam latum, 1129, 49 *et seq.* Sicut sunt sancta sanctorum, ita est præceptum præceptorum, 1025, 23. Cur Deus mandaverit mandata sua custodiri nimis, 978, 14. Cur Deus statuta sua, cœlo terraque testibus, sanxerit, 1213, 18. Nimium mandare providentiæ atque cautelæ est, 1197, 9. Deus infirmis dare non debuit perfecta præcepta quæ sustinere non possent, 1175, 18. Justus mandata accipit, servus imperia, 246, 47.

Homo licet ablutus a peccato, laborabit ut præcepta vivendi servet, et a mandatis cœlestibus non recedat, 450, 15. Custodire mandatum necessitatis plerumque est et timoris; diligere charitatis, 1237, 55; 1246, 23. Quam pretiosum est custodire Domini præceptum, et præcepti ipsius scire mysterium, 975, 7. Qui facit mandata Dei, justificat Deum, 1009, 47. Observatio mandatorum Dei naturæ ipsius auget gratiam, 976, 9. Si quis unum mandatum custodiat, et aliud prævaricetur, nihil ei prodest, 979, 15.

Mandragoræ mares et feminæ, 1216, 24. Per eas somnus accersitur, 48, 39.

Manichæus alium a Deo sibi adsciscit auctorem, 45, 52. Impugnantur Manichæi dicentes alterum Deum esse veteris, alterum novi Testamenti, 732, 70 *et seq.* Hæresis Manichæa prophetas non suscipit, 1255, 53. Manichæus et Valentinianus redarguuntur, qui aiunt Christum non esse filium David, nec suscepisse carnem, 716, 27 *et seq.* Ille non ambulat in via, 976, 8.

Manna erat panis Eucharistici umbra, 1203, 27.

Mansuetudo omnibus grata est, quæ vulnera interiorum curat animorum, 945, 1. Domina crudelitatis pietas est, et mansuetudo duris motibus præstat, 462, 11. Ante Domini passionem necessaria erat, 1424, 60.

Mansuetus quis sit, 787, 22.

Manuum utilitas, 140, 69. Manus conciliatrix divinæ gratiæ sacris infertur altaribus, per quam offerimus, et sumimus sacramenta cœlestia, 140, 69.

Mara, id est, amaritudo, 1019, 5.

Marcionista Legem non suscipit, 1131, 4. Unde Marcionis, Valentini, et Manichæorum pestes, 17. 30.

Mare quare bonum? 41, 21 *et* 22. Terris præstare ostenditur, 94, 34 *et* 35. Plura in mari quam in terris, 80, 5. Cur non facile superfundatur terris, 27, 12. Cur salsum et amaram habeat aquam, 29, 14. Circumscripta imposito fine maria clauduntur, 37, 10. Mare non ad navigandum fecit Dominus, sed propter elementi pulchritudinem, 587, 70. Non potest mare quisquam navigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus navigaverit, 294, 59.

Maria diversa, eorumque nomina, 38, 12 *et* 13. Diversi sinus maris, 38, 13. Adrias interius Thyrreno, Adriæ cætera maria miscentur, *ibid.* Mare Britannicum, 39, 13. Caspium, Creticum, et Septentrionale, 39, 12. Lucrinum et Avernum mare in Italia, 39, 13. Mare Tiberiadis in Palæstina, 39, 13. Mare Rubrum in mari Indico, 37, 10. Sesostris Ægyptius mare Rubrum Ægyptio pelago connectere voluit, 37, 11. Continua unda ab Indico mari usque ad Gaditanum littus, et inde in mare Rubrum orbem terrarum includit, 38, 13.

Maria de Tribu David manavit, 1346, 5. Non minor, quam matrem Dei decebat, 1352, 132. Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati, 1255, 30. Ejus humilitas, devotio, fides, pudor, 1287, 17 *et seq.* Virgo erat moribus, verecundia, oraculo, mysterio, 1284, 8. Non minus ore pudica, quam corpore, 1299, 54. Nubes erat secundum hæreditatem Evæ : levis erat secundum virginitatis integritatem, 1019, 5. Uberrimum testimonium ejus virginitatis, 1333, 133. Non virilis coitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit, 1300, 56. Cum Scriptura frequenter Mariam conjugem dicit, non virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur, 1285, 5. Cur ea potissimum electa est, ut Christum pareret, quæ erat desponsata viro, 1281, 1. Servatur ei sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas, 1281, 1. Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare, 1281, 1.

Mariæ præsentia erudivit Joannem in utero constitutum, 373, 53. A Christo non (ut quidam hæretici tendicula aucupantur) mater negatur, 1392, 38. Christum non parturivit, sed peperit, 941, 11. Non facile ullam mulierem prophetasse uberius quam matrem Domini reperimus, 1293, 33. Ecclesiæ typus, 1333, 134. Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum : sit in singulis spiritus Mariæ, ut exsultet in Deo, 1290, 26.

Mariæ plures et plures Magdalenæ apud Evangelistas, 1337, 154. An unica sit Maria mulier quæ unxit Jesum, 1386, 12. Maria soror Marthæ unxit pedes Jesu, 1269, 9. Cur Maria prima vidit Dominicæ resurrectionis mysterium, 296, 39.

Marius pugnavit adversus Cinnam, et in utraque parte Romanus fusus est sanguis, 934, 21.

Martyr gratis persecutionem patitur, et qua ratione? 1240, 7. Martyres timorem pœnarum excluserunt amore martyrii, 1079, 2. Qualis vox martyris Christum non erubescentis, 1042, 33. Tolle persecutiones, et martyres desunt, 1146, 17. Tolle martyrum certamina, tulisti coronas : tolle cruciatus, tulisti beatitudines, 1345, 41.

Mors martyrum valida, quæ culpam abolet superiorem, 381, 76. Fides principium Christiani est, plenitudo autem Christiani justitia in martyrum passione, 1238, 57. Trepidatio martyris fiduciæ viri constantis æquanda, 1240, 8. Martyres mortuis regibus in perpetuum regnum cœlestis gratiæ honore succedunt, 1507, 13. Martyres in cœlo nobis cicatricis suæ corona monstrabit, 1540, 171. Martyrum rosæ ubi quærendæ, 1441, 128. Arguuntur qui calices ad sepulcra martyrum deferunt, 554, 62.

Martyres Christi in occulto multi sunt quotidie, et Jesum Dominum confitentur, 1234, 47 *et seq.* Tempus martyrii, quando ea quæ divina sunt, omni charitati necessitudinum sunt præferenda, 1163, 20.

Mater. Matres debent lactare filios suos, 303, 63. Quid maternus affectus, quid reverentia filialis debeat, 1333, 132.

Materia prima a Platonicis vocatur hyle, et increata, 1. 1. Non est æterna sed creata, 13, 25; 23, 2. Non, ut philosophi volunt, reperta, sed facta, 1404, 85.

Mathusalæ ultra diluvium numerantur anni, 1332, 48.

Matrimonio jungi gentilibus Christiani non debent, nec Judæis aut hæreticis, 309, 84. Christianæ gentilibus Dei judicio non copulantur, 1470, 2 *et seq.* Plerique gentiles uxoris ducendæ gratia, quæ a Christianis parentibus negabatur, fidem Christi ad tempus simulaverunt profiteri, 1235, 48.

Non est virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum exspectare debet, 3011, 91. Junior vidua si nubere voluerit, electionem mariti parentibus deferre debet, 312, 91. Qui suavitatem quærit conjugii, non superiorem censu ambiat, quam necessitates non teneant ma-

Digitized by Google

ritales, 284, 6. In uxore non aurum, non argentum, non possessiones, sed gratia bonæ indolis quæratur, 309, 85.

Conjugium Dei jussu copulatur, ut hæresis destruatur, 1276, 30. Qui nuptias damnat, ejicitur ab Ecclesia, 1337, 10. Cur is qui uxorem acceperit, innectit sibi vincula mentis, 1004, 32. Tempora præscripta esse conjugio, et liberis procreandis, 1280, 43. Justus qui probrum conjugis deprehenderit, incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debet, 1283, 5. *V.* Conjugium.

Sponsus animæ, Verbum Dei cui legitimo quodam connubii fœdere copulatur, 398, 20. Bonæ nuptiæ quando Verbo anima, spiritui caro nubit, 1386, 9.

Matthæo Persia patuit, 934, 21.

Super Matthiam sors cecidit, ne apostoli electio a mandato discrepare legis veteris videretur, 1274, 23.

Maximus imperator Pilato sævior, Gratiano sepulturam negavit, 965, 26.

Medicina de vulnere sumpsit exordium, 815, 1. Ea antiquior est quæ herbis curare consuevit et succis, 56, 57. Principium medicinæ est causas languoris incidere, 252, 59. Ferventibus vulneribus molliora medicamenta consuevit adhibere, quibus dolorem mitiget, 834, 42. Contraria studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt medicinæ, 1253, 23. Eam pauci profitentur, plurimi tamen remedia ejus aliqua scire se dicunt, 778, 3.

Medici unde sic dicti, 815, 1. Medicorum pueri qui dicantur, 778, 3.

Medicus ac medicina Christus est, 816, 4; 884, 39; 1209, 2; 1428, 75. Non est medicus iste de terris, qui omnes curat infirmitates, et populos integros sanat, 1001, 23. Vir sapiens ipse medicus est sibi, 848, 15.

Meditatio Scripturæ maxime sacerdotibus necessaria, 1100, 39. Exerceamur indefesso illius usu, et cur? 1123, 28. Cur tota die in Lege meditandum, 1133, 7. Qui salutem Dei quærit, die ac nocte meditatur in Lege, 1283, 23. Ei qui in Lege meditatur, semper dies est, et lumen sine defectu, 1133, 7. Meditatione mandatorum cœlestium operis boni usus inolescit, 1043, 35. Cui lex Dei meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ, ut vivat in æternum, 1099, 39.

Mellis utilitates, 107, 70. Eo plerumque viscera vitiosa læduntur, 1138, 23.

Melchisedech sancti gratiam præcedens sacrificii figura monstravit, 1321, 21.

Men significat viscera, vel ex ipsis, 1130, 1.

Mendacium omne sitim habet, veritas ubertatem, 960, 14.

Mens hominis in capite locata secundum plurimorum sententiam, 234, 17. Dividitur in id quod est rationabile, et in id quod est irrationabile, 314, 2. Animæ principale est, et virtus animæ, 407, 44.

Mentis cibus quis, 537, 5. Alitur inventis sapientiæ, 318, 11. Mens sobria passiones omnes cohibet, sensus gubernat, sermonem regit, 241, 38. Sobrietas mentis medicina est corporis, 242, 38. Cur mens bona auro comparetur, 320, 20. Quomodo exeat de terra, et de cognatione sua? 313, 2. Quandonam descendat in Ægyptum, vel inde ascendat, 318, 13. Quando sit hyems mentis, 723, 43.

Mensem significantes triginta dierum, significamus et noctes, 244, 43. Menses ab initio lunæ veteres observare consueverant, 895, 18. Primus mensis Martius, secundus Aprilis, 253, 60.

Mercenario solvendam esse mercedem, 621, 91 *et* 92. Non insolentis arrogantiæ, sed innocentis est conscientiæ ab ipso cui serviens, mercedem petere, 994, 3. Hoc est interficere hominem, vitæ suæ ei debita subsidia denegare, 622, 92.

Merces facilius sequitur non exspectantem, 1263, 4. Serva futuris mercedem tuam, et istius sæculi opprobria incrementa mercedis tuæ cogita, 1244, 18.

*Mergi* unde sic dicti? 97, 43.

Merita ubi diversa, præmia diversa, 508, 76. Relevantur solutione pœnarum, qui absolvuntur commendatione meritorum, 1 94, 2. Non secundum merita nostra, sed secundum misericordiam Dei cœlestium decretorum in homines forma procedit, 1233, 42.

Mesopotamia dicitur, quod inter duo flumina Tigrim et Ephratem constituta sit, 150, 14.

Militiæ idcirco constituta stipendia, ne dum sumptus quæritur prædo grassetur, 1306, 76, 77. Quid militibus in victoriis erogandum, 288, 17. *V.* Rex.

Militem Christianum qualem esse decet, 836, 35. Quænam eidem bella sustinenda, 1306, 11. Eis de cibo non curandum, qui militant de regno, 1441, 130.

Miraculum in elementis, documentum in mysteriis, 1353, 69. Miracula ante Evangelium vel rara, vel nulla, 1379, 101.

Miseria quæ excusari non potest, nihil intolerabilius, 1197, 20. Nemo miserum eum qui sit justus appellet, 829 52.

Misericordia plenitudo virtutum est, 1306, 77. Bona prudentia sed dulcis misericordia : illam pauci assequuntur, hæc ad omnes pervenit, 359, 10. Misericordia justitiæ portio est, 1064, 21. Est justa misericordia et injusta, 1065, 25 *et seq.* A domestico progredi debet pietatis officio, 1491, 79. Non cognatio facit proximum, sed misericordia, 429, 84. Ad misericordiæ opera manus extendenda est, 1365, 40.

Misericordiam sequere, ut merearis gratiam, 1374, 78. Oleum misericordiæ sanat ægrotos, 1141, 7. Pretium nostrum misericordia est, quæ nos redimit a morte, 963, 21. Esto misericors, ut invulnerabilis maneas : vel curare te possis, si fueris vulneratus, 789, 24. Quod alteri contuleris, tibi solvis : quidquid a te procedit, in te recurrit : et quidquid profueris, tibi proficit, 1090, 10.

Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire : juvare pauperem, non examinare ustitiam, 576, 40. Omnibus inopibus debetur, sed major, cum ex divitibus atque nobilibus in ultimum statum aliquos ærumna dejicit, 1185, 6. Sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium dux prævia mansionum, pecuniæ vilis usura tabernacula defunctis acquirit æterna, 1439, 122. In psalmo quadragesimo et in Evangelio misericordia coronatur, 745, 19. *V.* Eleemosyna. Misericordia Dei. *V.* Deus.

Moderatio naturalis est : supra mensuram quidquid est, superfluum habetur, 554, 61.

Moduli dicuntur ornamenta pretiosa, quæ suspendi matronarum cervicibus solent, 1189, 18.

De Monasteriis qui exierant nonnulli arguuntur, 799, 50.

Moralia prima sunt, secunda mystica : in illis vita, in his cognitio, 973, 2. Verborum moralium etsi pungunt mella, non lædunt, 1138, 23. *V.* Scriptura.

Morbus corporis sobrietas est mentis, 18, 31.

Morum grandis assuefacienda maturitas, quæ vincat naturam, 1204, 31. Quis est tumulus tuus, nisi mali mores : sed ab eo te liberat Christus, 1371, 91.

Mors a Græcis θάνατος, in Scripturis somnus nuncupatur, 404, 34. Tria genera mortis, 390, 33; 1419, 35 *et seq.* Mors secessio quædam est animæ et corporis, 186, 8; 222, 35; 392, 8; 404, 33. Cur Deus patiatur nos discedere ex hoc sæculo, 341, 64.

Mors an sit malum, 389 *et* 390; 402, 30. Nemini nocet, utinam vita non noceat, 1242, 13. Magis peccati fuga, quam morientis est detrimentum, 961, 17. Acerbitatem non mortis esse, sed culpæ, 404, 33. Christus ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam, 1025, 25. Mortem non esse terribilem, quæ naturæ finis non pœna est, 1436, 110. Non mors ipsa terribilis est, sed metus et opinio de morte, 403, 31. Si fortis es, contemne mortem : si imbecillis es fuge, et Christum qui vita est sequere, 1411, 1. Mors corporis non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda, 1419, 36. Mors omnifariam bonum est, 395, 15. Cur mortuus præfertur viventi, et mortuo is qui natus non est, 1195, 3. Mors honesta redemptio vitæ est etiam decoloris, aut innoxiæ firmamentum, 839, 52. Vitæ est testimonium, 404, 33. Per eam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur, 222, 35. Per vitam ad mortem est transitus, per mortem ad vitam reditus, 403, 32. Justo non naturæ finis, sed culpæ est, 962, 19. Justis mors quietis est portus, nocentibus naufragium, 403, 31. Sola mors requies viro, 395, 12. Ubi resurrectionis fides est, non mortis est species, sed quietis, 1398, 62. Dominus soporem mortis vertit in gratiam voluptatis, 1358, 14. Mors aut suæ quietis bono utitur, aut malo alieno laborat, 395, 13. Propior est saluti, qui moritur, ut resurgat, quam ille qui vivit, ut moriatur, 839, 52. Mors stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est, 404, 35.

Mors tentat, et vita tentat, 1244, 18. Mors corporis libando gustetur, vita animæ possessione teneatur, 1411, 2. In Christo mori arduum et gloriosum, 920, 79. Gloriosius est pro Christo mori, quam regnare in hoc sæculo, 392, 8. Nonnulli philosophi disputaverunt obesse improbis absolutionem, prodesse mortem, 1195, 3. Vetus erat sententia, ut qui se ligasset in terris vinctus migraret a corpore, 838, 37. Legiones sæpe et magnos populos oblatis aliquorum mortibus liberatos, 1410, 108.

Motus contra naturam corpus facit corruptioni obnoxium, 12, 23.

Moyses ab aquis nomen recepit, 3, 6. Cur Dei nomine donatus sit, 186, 7. Venturi Doctoris figura fuit, 186, 7. Et virga ejus, 1001, 24. Eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum, ac in omnibus sæcularis prudentiæ disciplinis, 3, 6. In secretum Æthiopiæ se contulit, et cur, *ibid.* Inanem et usurpatoriam Philosophiæ doctrinam veritatis rationi post habuit et quare? 116, 8. Cur oves Getro pasceret, 195, 24. Gracili voce loquebatur, et plus omnibus a Deo audiebatur, 1211, 5. Quotidie clamat in Ecclesia, et a solis Judæis non auditur, 1211, 5.

Digitized by Google

Moyses precabatur, Christus operabatur, 1203. 20. Putavit Deo possibile esse, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum, comprehendi, 1061, 17; 1192, 28. Totam divinitatis plenitudinem non vidit, 924, 89. Cur terram repromissionis non introierit? 1245, 20. Cur semper præliatus est? *ibid.* An mortuus sit? 186, 8.

Mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur, sicut vir publicis officiis, 167, 50. Quam mulieres prægnantibus cognatis sedulitatem exhibere debeant! 1288, 20. Mulier delet picturam Dei, si vultum suum materiali candore oblinat, et acquisito rubore perfundat, 131, 47. An puellæ inaures habere debeant, 311, 89.

Mulieribus periculosa est copula adolescentis, et species juventutis, 1533, 134. Omnibus modis lasciviæ mulieris cavendum occursum, 711, 14. Vilis tibi videtur mulier ad pretium, sed fortis ad vitium, 711, 12.

Mulier etsi prior peccatura, tamen redemptionem sibi paritura non debuit ab usu divinæ operationis excludi, 166, 47. Cur resurrectionis prima accepit mysterium, 1520, 71; 1537, 157. Sicut peccatum a mulieribus cœpit, ita etiam bona a mulieribus inchoantur, 1290, 28.

Multiloquio quomodo intret peccatum, 200, 36. *V.* Lingua, Silentium.

Mundum incorruptum, nec creatum, aut factum existimat Plato, 1, 1. Semper fuisse et fore Aristoteles usurpat dicere, 2, 3. Quid de eo alii Philosophi senserint? 1, 1 *et seq.* Licet figura sphærica sit, æternum non est, 5, 10 et 11. Sua sponte subsistere asseritur a quibusdam, 9, 18. Veris initio cœlum et terra facta sunt, et cur? 7, 13. Deus absque ulla mora mundum creavit, 4, 8; 8, 16. Mundus divinæ operationis specimen est, et insigne, 8, 17. Qui mundum condidit, tuetur accolas mundi, 1209, 2. Quomodo quatuor virtutes cardinales velut mundi istius incluserunt tempora? 152, 17 *et seq.* Cur orbis terrarum aliquando solvendus est? 560, 78.

Mundum et sæculum fugiendum, 417 *et seq.* Quid sit illud fugere, 425, 17; 433, 38; 816, 2. Quomodo bene fugiamus, 439, 55. Quomodo possumus animo fugere, etsi ibi retineamur corpore, 435, 45. Mundum cur fugere debeamus? 428, 25; 432, 37. Et quam velociter, 430, 32. Quo fugiendum, 452, 36. Nihil jam debes mundo; cui semel renuntiasti, 340, 56. Fuge sæculi mare, et naufragium non timebis, 1345, 32. Mundum fugisse magis est gratiæ, quam subiisse, 658, 15. Fugam sæculi gloriosam esse, 426, 19. Quam beata sit? *ibid.*, 20. Mundum quasi fetidum vito, quasi luem caveo, quasi nociturum relinquo, 1410, 107. Mundum hunc si fugias, et ipse te effugiet, 813, 79. Proponuntur exempla eorum, qui bene sæculum fugerunt, 438, 51 *et seq.*

Supra mundum ascendat oportet, qui salvus esse vult, 418, 4. Anima nostra sicut aquila mundana transcendere, cœlo volatus inferre debet, 396, 16. Supra mundum suos voluit esse discipulos, 1161, 11. Disce esse sub Christo, ut sis supra mundum, 1497 11. Ultra mundum quies, ultra mundum fructus quietis, 1402, 80. Non possunt perpetua succedere, nisi terrena defecerint, 672, 29.

De mundi vanitate quam frequenter David disseruerit, 661, 1. In mundo inane est omne quod magnificum putatur, et ibi qui se putat quid esse, nihil est, et omnino non est, 428, 25. Nihil sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, 661, 21. Hæc terra captivitatis est, alia terra libertatis: ista peccati, illa quietis æternæ; vallestris ista, illa cœlestis, 796, 41. Quomodo qui temporalia sequuntur, similes sint uxori Lot, 900, 32, 33. Merito defecerat, cui substantia erat cibus sæculi, 682, 20.

Cum sæculo nobis lucta est, 784, 17. Quam multa sint vincula in hoc sæculo, 1004, 32. Quot quantique in hoc mundo laquei, 1336, 10. Lubricum est sæculum, cito labimur, 791, 31. Qui delectatur hoc mundo, obnoxius est sensuum passionibus, 426, 20. Quanta in hoc mundo malitia, 433, 38, 39. Homines sine auxilio divino non possunt terrenas illecebras et cupiditates fugere, 417, 1 *et seq.* Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis, 977, 12. Quæ Deus remedia adversus mundana vitia, et sæculi naufragia providerit? 421, 9, 10.

Mundus cui deficit, in eo Christus æternus est, 1506, 8. Qui domesticus est Dei, exsul est mundo; qui conversatur in cœlis, peregrinus est in terris, 1053, 28. Qui contempserit sæcularia, ipse merebitur æterna, 1367, 50. Quicumque vicerit hoc sæculum fit columna Dei, 1030, 38. Qui transit de hoc sæculo, magnum visum videt, 798, 47. Victores sæculi principibus anteferuntur, 1507, 12. Beatum esse qui se a perfidorum consortio temperaverit, 459, 2. Qui sint mortui sæculi? 811, 72. Cui crucifixus sit mundus? 1392, 34. Qui Deo ligatus est, solutus est mundo, 1155, 39.

Murenæ cum vipera commixtio quid nos doceat, 86, 18.

Murices qui insigne dant regium, sunt maritimi, 94, 55.

Mutuum qui accipiunt, ii reprehenduntur, 618, 80 *et seq.*

In Myricis figura improbæ calliditatis, 60, 69.

Mysterium omne latere debet, nec profanis temere divulgetur auribus, 296, 38. Mysteriorum premendam esse doctrinam, 200, 35. Cavendum ne Symboli vel Dominicæ orationis divulgentur mysteria, *ibid.*, 37. Peccat Deo, qui commissa sibi secreta mysteria putaverit indignis esse vulganda, 990 *et seq.* Fidus mysteriorum interpres tacendo plus Christum prædicat, 1014, 18. Solus Christus aurem aperuit humanam ad cognoscenda mysteria, 968, 35. Quæ in figura contingebant, hæc Patriarchis crimini non erant, 293, 28. Mystica præstant moralibus, 757, 42. *V.* Scriptura.

## N

Naaman salutem futuram gentibus declarabat, 1347, 50.

Naason, id est, serpentinus, 993, 33. Figura est Christi, *ibid.*, 34.

Nabuthe inter sanctos habetur, et qua de causa, 786, 19. Etsi nullum acceperimus propheticum ejus verbum, accepimus tamen propheticum factum, 1500, 25.

Narium utilitas, 138, 63; 235, 20. Simæ contra naturam videntur, 235, 20.

Natura melior magistra veritatis est, 121, 20. Validius est ejus testimonium, quam doctrinæ argumentum, 120, 21. Præcepti imperialis interpres est, 88, 22. Semel præceptum Verbi divini in perpetuum inolevit naturæ, 116, 9.

Necessitas quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium, 100, 52. Ubi decreta necessitas, ibi inhonorata industria, 71, 19. Corrigit necessitas, quem pietas provocare debuerat, 421, 10. Qui peccatum suum ad quamdam referunt decreti aut operis sui necessitatem, divina arguere videntur, 219, 27.

Nembroth per interpretationem dicitur Æthiops, 278, 128. Principium regni Babylon fuit, 2778, 128.

Nephthalim benedictio explicatur, 525, 41.

Nervi sunt velut sensuum singulorum organum, 237, 61. Eorum initium est cerebrum, *ibid.*

Nilus dictus est Ægyptus, et Geon, 344, 68. Ex altissimis montibus se in Catadupa præcipitat, et magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruit, 25, 7. Effuso Ægyptum stagnat flumine, 28, 12. Quo tempore, et cur exundet? 247, 48.

Nix cum cadit, lætior solito tritici proventus exuberat, 1415, 16.

Nobilitas generis ubi periclitatur, deformior est victus, 580, 54. Virtutis quam nobilitatis major est gratia, 718, 33.

Nocens singulis, in commune prodest, 148, 9. *V.* Homo.

Noctua in tenebris tantum videns, quos mundi sapientes figuret? 111, 86.

Noe dicitur Latine justus, vel requies, 227, 2. Merito domus ejus in diluvio servatur, 241, 36. Obedientia ejus laudatur, 246, 47. Unde aquas defecisse cognoverit? 256, 68. Quomodo videatur sicut Adam terram esse operatus? 271, 107. Quid dormiens et nudatus figuraverit? 860, 6. Typus Christi fuit, 1332, 48. *V.* Vinum.

Nomen est quo proprie unusquisque significatur, quod ei non sit commune cum cæteris, 896, 19. Habent hoc merita sanctorum, ut a Deo nomen accipiant, 1292, 31.

*Nosce te ipsum*, 1098, 10. *V.* Cognitio, Homo.

Novatianus in lapsu, nos in remissione; ille in impœnitentia, nos in gratia, 858, 37.

Noctem facit umbra terrarum, 67, 11.

Nubis columna typus Christi, 1019, 3.

Nudus non est nisi quem culpa nudaverit, 493, 25. Hoc quod erubescis esse te nudum culpa docuit, non natura, 967, 32.

Numerus cum adjicitur, qui prius erat, tollitur, 185, 3. Secundus numerus non est plenus, quia divisus, 242, 39. Ternarius est mysticus, 1278, 36; 1291, 29. Salutaris est et conveniens sacrificaturis, 505, 69. Perfectio muneri quaternarii, 342, 65. Quam vanum sit eum cavere, 78, 34. Septimus mundus est, plenus, et sacer, 242, 39. Virgo dicitur, *ibid.* Hebdomadis numeri semper virgines, 349, 80. In eis universitas aliquoties comprehenditur, 1455, 95. Numerus est quietis, 1043, 1. Septem dodecades, et duæ quadragesimæ sacrum videntur numerum designare, 1301, 62. Octavi numeri perfectio, 972, 2. In eo resurrectionis est plenitudo, 1452, 173. *V.* Octava. Decimus septimus, quadragesimus et quinquagesimus mystici sunt, 1319, 16; 1338, 15. In quinquaginta Jubilæus est numerus remissionis, quo Spiritus sanctus missus e cœlo est, 276, 123; 688, 42.

Nun, id est, unicus, vel pascua eorum, 1140, 1.

Nuptiæ inde dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent, 312, 93. *V.* Conjugium, Matrimonium.

Nutus quid sit? 1279, 41.

## O

Obedientia omnium virtutum fundamentum, 1375, 82. Ex

Digitized by Google

eo nascitur ex quo humilitas, et in eo desinit, 720, 39. In paradiso orta est inobedientia, ideo obedientia cum Salvatore descendit, 1204, 32. Christus obedientiam præ cæteris debuit reformare, et quamobrem? 953, 4. Christus obedientiæ magister ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo, 1363, 42. Quomodo mandatum Dei exsequi debeamus, 511, 90. Si quid mandato addas vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse, 171, 56. Præcepta Dei contemnentes arguuntur, 33, 1; 91, 29. Obedientiam naturæ non defert, qui Deo non exhibet reverentiam, 219, 28.

OBLATIO nostra Deo ut possit non displicere, interiora nostra mundanda, 203, 46. Deus non muneribus oblatis placatur, sed offerentis affectu, 214, 18. Ea quæ incontaminata sunt debemus offerre, in quibus affectus relucent offerentis, 261, 79. In quo te offerre debeas Christo? 1237, 53. Primitias animæ præcipue offerendas, 202, 41 *et seq.* Hoc est vere sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam, et a se incipit; ut postea munus suum possit offerre, 215, 19.

OCEANI fluxus et refluxus, 76, 30.

OCTAVA sicut spei nostræ perfectio est, ita octava summa virtutum est, 1367, 49. Cur plerique psalmi in Octavam inscribuntur, 1412, 6. *V.* NUMERUS.

OCULORUM utilitas, 136, 59. Et decus, 233, 18. Aptissimo in loco sunt constituti, 137, 60. Visus omnibus corporis sensibus præstabilior æstimatur, 253, 61. Ejus infirmitas, 73, 26. Dolor ejus collyrio sanatur, 1000, 22. Cur eum avertimus, cum in aliquem movemur, 1187, 77. Plus est quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur, 20, 34.

Ex oculorum conspectu aut bona, aut adversa generantur, 1170, 6. Hinc sæpe tentamur, 1170, 3. Oculi est ut intuendi officio fungatur: tuum est cavere quod videris, 1170, 2. Qui sint oculi mentis? 1105, 7 *et seq.* Ipsi totum hominis corpus illuminant, 919, 77.

ODOR acceptus cur diutius flagrat, quam sermo resonat, aut visus apparet, 138, 63. Fructuum nuntius est, 194, 23.

OLEÆ foliis sanantur locustæ, 47, 37.

OLEO materiale hoc lumen fovetur, et tenebrarum fugatur obscuritas, 256, 67.

OPIUM quotidiano prope usu innotuit, et cur? 48, 39.

OPPROBRIUM sustinere prodest magis quam refellere, 835, 31.

OPERIS boni magistra natura ipsa est, 424, 15. Bonorum operum proprium est, ut externo commendatore non egeant, 20, 34. Sicut lilium fulget, ita splendent opera sanctorum, 1020, 7. Quomodo opera nostra cum mundo prætereunte non prætereant, 436, 46. Opus est ut opera tua ad Deum dirigas, et ejus tibi aspiret favor, 209, 9. Non facile nisi id quod diligentius pertractaverimus et probaverimus, ad opus aliquod est sumendum, 174, 62. Ab homine requiritur, ut et operibus nova quærat, et parta custodiat, 154, 25. Miserabiliora sunt jejunia bonorum operum atque virtutum, 1463, 215. Relinquenda sunt opera quæ verum fructum bonosque processus habere non possunt, 209, 9.

ORANDUM quomodo, quando, quid? 201, 38; 1213, 15; 1365 *et seq.* Quam frequenter orare nobis præceptum sit, 1430, 87 *et seq.* Continua et jugis debet esse oratio, et qua ratione, 216, 22. Quomodo semper orandum, 1213, 18; 1218, 33. Nocte et mane imprimis orandum, 1213, 17; 1213, 22; 1217, 30 *et seq.* Non satis est dies ad deprecandum, surgendum est nocte, et media nocte, 1072, 43. Maximam ejus partem lectioni et orationibus deputemus, 1053, 31. Væ mihi est si non media nocte surrexero ad confitendum Deo, 1306, 76. Qui orat redimitur, si pie intendat orationibus, et in oratione assiduus sit, diem præveniat, noctem frequentet, 808, 65. An nescis quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas, 1218, 22. Ubi mens humana turbatur, et certaminum dura atque aspera nos fatigant, Domini auxilium postulandum est, 772, 18.

In oratione quæ requirantur virtutes? 215, 21. Qualis sit justi oratio, 991, 4. Quæ sit præclara illa oratio et gemitus quem non despicit Deus? 831, 35. Est interioris clamor affectus, qui auditur e cœlo, 1186, 9. Apud Deum loquuntur non verba, sed cogitationes, 200, 37. Humilitas commendat orationem, 194, 34 *et seq.* Ea divinum sibi precando adsciscit auxilium, 1173, 14. Qui meditatur justificationes Domini, semper humiliatur, 1165, 30. Flexis genibus mitigatur offensa Domini, et gratia provocatur, 141, 74. Si oramus sermone, compatiamur et mente, 1026, 26. Volare facit orationem bona vita, et dat alas precibus spiritales, quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio, 1247, 5 *et seq.* Oratio fidelium apostolico cibo pasta pinguescit, 216, 22. Non divulganda oratio, 200, 35 *et* 36. Cum oras, magna ora, id est, quæ æterna sunt, quæ divina, quæ cœlestia, 1212, 11. Non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis, 1212, 11. Semper Dominus plus tribuit quam rogatur, 1530, 121. Pro quibus orandum? 201, 39. Cur Deus frequenter non concedat oratus? 1431, 90. Quando vult Dominus ignoscens, dat gratiam et fiduciam deprecandi, 821, 15.

ORATIONIS dignitates sunt, 1250, 15. Cibus est mentis, 1445, 142. Bonum scutum infirmitatis est, 846, 11. Ii qui perfectiores sunt, appropinquant Deo: sequentis autem ordinis justi viri satis habent, si eorum appropinquet oratio, 1218, 7. Adversarius etiam orantibus frequenter seculares offundit cogitationes, 1252, 20. Deprecatio in peccatore laudabilis, 852, 38.

ORDINEM nescire faciendi, etsi noveris quid facias, non est perfectæ cognitionis, 1012, 12.

OREB significat exsiccationem, 431, 34.

ORIGANO venenum pellit testudo, 119, 19.

ORIGENIS multorum interpretationes Scripturæ diligenti discussit indagine, 1014, 16. Vir Ecclesiastico deditus fuit officio, 336, 54. Plurimum indulsit philosophorum traditioni, *ibid.* Stellarum harmoniam asseruit, 336, 54.

- ORIGINIS macula non potest impedimento esse virtuti, 1327, 36. *V.* ADAM, PECCATUM.

OS utilitas, 138, 65, 140, 68; 236, 22.

OSCULUM est pignus pietatis et amoris, 159, 68; 359, 8; 863, 17; 1388, 20; 1402, 212.

OSTIUM quo egeruntur ciborum superflua cur in posteriori parte sit? 141, 72; 236, 24.

OTIA periculosa securæ esse virtuti, 1112, 23.

OVIS cur sub adventum hyemis herbam insatiabiliter rapiat, 120, 20.

Οὐρανὸς, id est, cœlum, unde sic vocetur? 108, 73.

# P

PADUS maritimorum commeatuum Italicis subsidiis fidus invectos, 28, 12.

PÆDAGOGI terribilia flagella proficiunt, 126, 38.

Παῖς Græcorum, lucta est Latinorum, 801, 56.

PALMÆ quomodo similes esse debeamus, 61, 71.

PAMPINI folia, 57, 60.

PANE angelorum, et aqua refectionis non indiget, cui Spiritus sanctus est requies et perfectio, 805, 61. Multiplicatio quinque panum designat auctorem, et totius naturæ materialis creatorem, 1404, 88.

PARADISUS terrestris quis, qualis, ubi sit, et quem hominem in eo Deus posuerit? 145, 1 *et seq.* Cur secundum Orientem, et non contra Orientem dicatur, 153, 23. Quæ sint quatuor flumina ex eo orientia, et quid designent? 150, 14 *et seq.* Quomodo bestiæ, pecora et volatilia in eo fuisse dicantur? 167, 51. Quomodo eum quidam mystice interpretentur? *ibid.*

Paradisus est vera domus, quæ hominem prima suscepit, non jure amissa, sed fraude, 1558, 14. Paradisi gratia non uno die quæritur, nec duobus aut paucis mensibus, sed quæritur semper, et quæritur per omnia, 1024, 21. Justi in eum sæpe rapiuntur, et quomodo, 168, 55. Qua ratione tertii cœli ascensio necessaria sit homini, ut rapiatur in paradisum? 168, 53. *V.* BEATITUDO.

PARDUS varietate coloris motus varios animæ prodit, 118, 15.

PARENTUM erga filios æqualem esse debere affectum, 460, 5 *et seq.*; 484, 5, 6. Ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum, 404, 36. Parentum in filios impietas arguitur, 105, 58 *et* 61. Odia patrum in filios, filiorum in parentes arguuntur, 121, 22.

Parentibus quantum debeamus, 1302, 66. Non diligere parentes, sed eos Deo præferre prohiberis, 1443, 136. Necessitudini parentum divinæ religionis pietas anteferenda, 1420, 41; 1459, 21. Primus gradus pietatis est honorare parentes, 1489, 74. In necessitate pascendi sunt, *ibid. et seq.* Pietatis in parentes exemplar ciconia, 101, 55. Parentes honorabat Christus non naturæ debito, sed pietatis officio, 1490, 74. Non ridendus pater, sed verendus, 275, 118. Docet nos Scriptura oportere parentes laudari, et cur? 1271, 15. Majorum probra non possunt posteris esse dedecori, 718, 35. Et pater in filio, et filius in patre redarguuntur, 275, 114.

PASCHA Domini cur dicatur, 198, 34. Verno tempore quotannis celebratur, 7, 14. Castos et sanctificatos oportet illud celebrare, 151, 16. A Paschate usque ad Pentecosten vacant jejunia, laus dicitur Deo, *Alleluia* cantatur, 666, 12. *V.* PENTECOSTES.

PASSIONUM immunem animam reperire difficile est, 209, 8. Affectus innoxii passiones bonæ sunt, 264, 88. Omnis affectus præter deformis delectationis illecebram, passio quidem est, sed bona passio, 264, 89. Cum vitiosæ passiones mentem movent, corruptela generatur; cum excitant studia virtutum, disciplinæ profectus est, 249, 53. Intemperantia fons quidam passionum corporalium, 327, 34. Passionum velut duces naturales sunt delectatio et dolor, quas sequuntur cæteræ, 443, 5. Caro nostra freti modo diversis agitatur et fluctuat passionibus, 248, 51. Prima nobis vincendæ sunt proprii corporis passiones, 890, 9. Magna

Digitized by Google

naufragia quando mentis pariter et corporis sensuumque omnium turbo et procella miscentur, 217, 49. Quomodo securitas, ubi diversarum pugna est passionum? 1188, 11. Servilis est omnis passio, 463, 12. Clavi sunt omnes passiones, 397, 16. Rara virtus et difficilis passionum tolerantia, 1129, 49. Latibula passionum, ubi mersantur quicumque inciderint, non emergunt, 34, 4.

Passionibus turbidis ac procellosis anima consummatur, deficientibus, virtutem resumit, 254, 63. Præsidet unusquisque sibi quadam potestate regali; si coerceat in se corporis luxus, et servituti redigat carnem suam, 362, 16. Mens validior principalem virtutem habet imperitantem corporis sensibus, non obedientem, 321, 19. Studia doctrinæ, et disciplinæ attentio mitigare possunt quaslibet ægritudines passionum, 55, 56. Justus, amputatis corporalibus passionibus, quasi incorporeus manet in corpore, 250, 55. Grande est intra se aliquem tranquillum esse, et sibi convenire, 468, 29. Id immortalis cujusdam est viri, 195, 24.

PASTORES ovium cur Ægyptiis abominationi essent? 195, 24.

PATRISFAMILIAS officia erga servulos, 308, 83.

PATIENTIA humilitatis indicium est, 1087, 3. Si spem auferas, non potest perpetua esse patientia, 1165, 27. V. INJURIA.

PATRIARCHÆ prævenientes Legem, præscriptorum vinculis absoluti, libera et consimili nobis Evangelii gratia refulserunt, 1321, 21. Instruunt te Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes, 301, 58.

PAULUM præfigurabat Benjamin, 500, 44 *et seq.*; 530, 57 *et seq.*; 1038, 17. Cæcitas Pauli fletus est Christi, 504, 59. Cecidit persecutor, et surrexit Evangelii prædicator, 855, 33. Vide Paulum hesterno persequentem, hodie credentem, die crastina prædicantem, 1511, 32. Paulus doctor gentium electus, 826, 28. Ejus vocatio Ecclesiæ firmitudo est, 365, 31. Cavebat ut poterat, ne post suscepta baptismi sacramenta peccaret, 1031, 40. Non de scientia, sed de ignorantia gloriatur: quod scientiæ est, negat: quod charitatis est, confitetur: quod alienum est, attollit, quod suum est, negat, 795, 40. Videbat æterna, ubi cœpit corporalia non videre, 1105, 8. Quomodo illa audierit, quæ postea ipsi non licuerit loqui? 795, 41. Libera pro Christo prædicatio ejus nudavit populum Judæorum, et omnem eorum rescidit gratiam, 505, 64. Quomodo in omni certamine est probatus? 801, 56. Naturalibus magis quam vulgatis aut secundum artem utitur verbis, 424, 16. Quos arguebat, eos contristari volebat usque ad pœnitentiam, non usque ad mœstitiam profundiorem, 1049, 18. Quam recte Domini pecuniam feneraverit, 796, 43. Pro eo tertia decima tribus sanctificata, 513, 2.

PAUPERTAS media est: possunt et boni, et mali esse pauperes, 1368, 53. Non omnis sancta, nec criminosæ divitiæ, 1473, 13. Non est pœna peccati, 668, 17. Nemo de ea queri debet, 102, 57. Quæ paupertas bona sit, nec fugienda, 728, 57. Beata, si bona sua noverit cum veritate paupertas, 89, 23. Prodest homini, exercet corpus, non opprimit, 133, 51. Bona si a pietate procedit, et virtutum exercitatione suscipitur, 925, 91. Facilius Deo quam thesaurus acceptior est, 1006, 37. Si beata paupertas cui patet cœlum, terrenas istas divitias negligamus, corporalem redundantiam declinemus, 925, 91. Est pauperies gloriosa, et cur, 1423, 55. In paupertate et divitiis tentamenta sunt? 134, 53; 1069, 37 *et seq.* Sæpe frangit sanctos inopiæ deformitas, quos mortis formido non fregerat, 1153, 35.

PAUPERES divitibus quomodo præstantiores sint? 134, 52. Nemo irrideat pauperem, et cur? 1486, 61. Qui irridet pauperem, exacerbat eum qui fecit illum, 1095, 26. Pauper ille irridendus et exsecrandus videtur, cui tamen portio in cœlo est? 1058, 8. Quam injuste in ipsa Ecclesia plerumque justus contemnatur, qui facultates suas pauperibus dispensavit, 1244, 18. Paupertas Christi. V. CHRISTUS.

Pauper mysticus quis? 797, 44. Est in moribus paupertas bona, 869, 5. Esto pauper spiritu, et eris dives qualicumque censu, 194, 21.

PAX una est quæ offendiculum habet, et altera quæ non habet, 664, 6. Virtutis totius finis est, et corporeæ ipsius fortitudinis; ut confecto bello, pacem reformet, 1244, 17. Christus dedit pacem, qui animorum bella sedavit, 788, 22. Ubi pax, et multa pax, ibi crux Christi non opprobrio, sed saluti est, 1245, 21. A te pacem incipe, ut pacem aliis feras, 1369, 59. Periculosa aliquando pacis otia, 1111, 22. Ramulum oleæ pacem petentes præferre consueverunt, 256, 67.

PECCARE est deviare ab eo quod est secundum naturam, 789, 47. Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum, 161, 39. Antequam nascamur, maculamur contagio; et ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, 694, 56. Nisi Dominus ignoscat, nemo salvus esse potest, quem ipsa noxiæ conditionis hæreditas astrinxit ad culpam, 851, 28. Per naturæ successionem, culpæ quoque ab uno in omnes transfusa successio est, 732, 71. Adamus vitii hæreditatem ad nos usque transmisit, 918, 75. In illo nudata est omnis humana conditio per successionem naturæ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia, 721, 41. Alia iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, 917, 8. Hinc peccatum manasse proditur, tamquam corpore animaque genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima male sana compatitur, 1445, 143. Peccatum erat caro secundum illud quia hæreditario erat damnata peccato, 1039, 21. Vitium traxit conditio, infecit culpa naturam, 712, 19. Regnum peccati mortis est regnum, quod diu toto orbe prævaluit, 932, 16. Maluit Deus plures esse quos salvos facere posset, et quibus donaret peccatum, quam unum solum Adam qui liber esset a culpa, 166, 57.

Sine peccato an homo esse possit, 1271, 17. Nemo sine peccato, 681, 15; 683, 24. Negare hoc, sacrilegium est: confiteri Deo, impunitatis est remedium, 1254, 27. Quomodo manifestum sit nos omnes esse sub peccato, 693, 53. Homo potest non alicui vulneri non patere, ut puta, injustitiæ, intemperantiæ, impudicitiæ; aliis autem vulneribus patet, 839, 53. Plerumque peccata hujusmodi sunt, ut si alterum declines, incurras alterum, 1185, 45. A te non exigitur ut peccatum non facias, sed ut non maneas in peccato quadam statione diuturna, 746, 22. Non virtutis est non posse peccare, sed nolle, 1485, 57. Culpam incidisse, naturæ est: diluisse, virtutis, 681, 15. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est vacuum culpæ, 349, 81. Cur plerumque in illustribus et beatis viris gravia peccata fuisse reperimus? 1327, 37. Quantum lapsus sanctorum utilis sit? 1523, 89. Alii sunt peccatores cœli, alii peccatores terræ, et quinam illi sint? 168, 34.

Peccatorum tres species sunt, cogitationis, operationis, permansionis, 745, 20. Peccata voluntaria et fortuita, 998, 17. Peccata mortalia, 701, 77; 1407, 99. Qui graviora peccaverit, in cætera facile prolabitur, 217, 25. Peccata quæ gravia sunt et manifesta sine ulla dubitatione merguntur: quæ autem leviora sunt, bonis operibus sæpe relevantur, 806, 46. Si hinc peccata gravia portaveris, illic requiem non habebis, 816, 2. Peccasse conditionis humanæ est, et impie agere perfidiæ et nequissimæ mentis est venenum, 632, 17. Inveniabilis qui laboraverit, ut malum quod quæsierat, inveniret, 770, 12. Gravius est ad peccatum vivere, quam in peccato mori, 402, 28. Nemo gravius moritur, quam qui peccato vivit, 240, 34. Tu ipse tibi es causa improbitatis et criminum incentor, 18, 31. Vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grave excitat, 749, 26. Corporis lapsus in vitio esse non debet, nisi animus inclinetur in culpam, 274, 115. Peccati auctor non caro, sed affectus, 448, 11. Vere miserabilis conditio, ut homo peccati sui quod vitare non possit rationem præstare cogatur, 634, 22. Is qui ad imaginem Dei est, sine peccato esse debet, 811, 73. V. CULPA.

Peccantibus lex absens est: si adesset, non delinqueretur, 189, 14. Magis postquam peccavimus, delicta nostra cognoscimus, et cur? 177, 70. Dum sumus in peccandi libidine, oculi mentis fumo quodam iniquitatis caligant, ne videat eorum quæ concupiscit, deformitatem, 519, 16. Multi propter nimias iniquitates non suscipiunt peccati conscientiam, 180, 75. Gravat conscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur, 840, 57. Non est pax animæ virtutibus, quando ante oculos nobis nostra peccata concurrunt, 826, 28. Semper nobis peccatum nostrum tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fenerator conveniens debitorem, 769, 8. Rei sumus sine accusatore, sine tortore cruciamur, sine vinculis astringimur, sine venditore vendimur, 827, 28.

Peccare cogitantem Deus videt, 977, 12. Peccantem vident Deus, angeli, diabolus et ministri ejus, 978, 15. Sicut Deus justorum bona respicit, ita et peccatorum occulta deprehendit, 826, 26. Quam misera conditio hominis, qui putat peccata sua Dei cognitionem fallere posse, 627, 6. Metuebes non dicam facere, sed loqui, aut etiam cogitare quod pravum est, si Deum tibi præsentem adesse crederes, 976, 10 *et seq.* Iniquitas quo putatur occultior, eo frequentior esse consuevit, 1048, 13. Latro diem refugit quasi criminis testem, lucem adulter erubescit quasi adulterii consciam, parricida terrarum fœcunditatem fugit, 218, 26.

Peccata meritum oblivionis Deo infundunt, ut oblitteret eos quos indignos sua visitatione cognoverit, 646, 22. Nemo longe est a Deo, nisi quem flagitia propria relegaverint, 586, 68. Non est Christi, nisi qui est alienus a crimine, 1127, 41. Cur Christus in animas peccantium non intret, 830, 35. Qui culpam sequitur, exit a Christo, 486, 10. Non repellitur a Domino, sed ipse se repellit, 898, 25. Non refugit peccatores salus, sed ipsi salutem, 1229, 27. Non possumus Deo vivere, nisi peccato moriamur, 510, 83. Quasi patrio jure Deus filios degeneres abdicare solet, 645, 20.

Plerique in suis lapsibus gloriantur, et putant ea laudi

Digitized by Google

esse quæ crimini sunt : sed multis animantibus æstimandi sunt deteriores, 690, 46. Eo sunt detestabiliores, quod cum tanta crimina committunt, non confundantur, 1100, 41. Quam mali sint quibus virtutes probro sunt, peccata laudi ! 751, 29. Apud plerosque innocentia pro ignavia, et culpa pro laude habetur, 262, 81. Injustitiam plerique pro laude profitentur, 775, 23. Quomodo peccator sese excusare conetur, de Scripturis divinis promens exempla, 175, 65. In peccatore illo adhuc remedium sanitatis est, qui audit verbum Dei, et qui se abscondit, 177, 70.

Nihil est quod majoris doloris sit, quam culpæ reatus, 228, 2. Gravior adversarius nobis, nostra culpa est, 827, 28. Cur omnis culpa velut adversario nisu de loco dejicere, et de proprio statu mentem movere consuevit? 962, 19. Quot peccata, quot vitia, tot reges, 1236, 50. Tantam vim habet inveterata consuetudo peccandi, ut excludat naturam, et immedicabilis inveniatur, 749, 27. Quid aliud est peccatum nisi sarcina, quæ hujus sæculi onerat viatorem, 628, 7. Quomodo potest ab humanis temperare, qui divina violavit, et hominibus bonus esse qui Deum læsit? 217, 25. Quanta vilitas delictorum, 1437, 117. Sunt qui viventes sepulcro sunt circumdati, et repleti mortuis, 763, 55. Quantæ stultitiæ sit majestatem irritare divinam, 780, 8. Homo peccato nomen hominis amittit, et fit serpens, mulus et bestia, 1090, 11. Peccator Deum laudare non potest, 1253, 23. Peccatum equo comparatur, 330, 43. Et gelicidio, 1108, 15.

Peccata quomodo puniantur, 213, 15. Justos sequuntur peccata, non præeunt : injustos præcedunt, 683, 24. Propter scelus hominum et ipsa elementa damnantur, 218, 26. Imperfecta anima peccati tantummodo judicium declinare desiderat, perfecta vero meritum regni cœlestis acquirere, 1176, 19. Injusti sicut paleæ ventilantur, justi sicut triticum, 659, 17. Cum peccamus, in opprobrium tradimur adversario; ut ille nos quasi inimicus in die judicii accuset et prodat, 854, 30. Omne peccatum semen inimici est, 943, 20. Nocentes vel inviti finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, 222, 35. Cur Deus peccatum damnando, in auctorem ejus vindictam distulerit? 433, 39.

Peccata magna tollit magna medicina, 559, 75. Quomodo eorum funes et vincula solvantur? 1071, 40 *et seq.* Inflexi vitiis non voluntariis, propitiemus nobis Deum, sequamur quæ jubet, vitemus quæ prohibet : sit propitiandæ divinitatis ambitio, sequendæ præceptionis obeditio, interdictæ prævaricationis cautio, 422, 12. Peccator culpam fateatur, impius ingemiscat, justus non se extollat, 633, 19. Veniabilis culpa quam sequitur professio delictorum, 177, 71. Ille justificatur qui peccatum proprium confitetur, 199, 34. Quomodo justificat Dominum is, qui peccatum suum fatetur, 693, 53 *et seq.* Hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati, 691, 47. Immedicabilis est ægritudinis non sentire vulneris acerbitatem, 691, 47. Non cognitio improbitatis, sed societas criminosa est, 648, 27. Cum peccatoribus cur Christus manducarit, 1285, 10. Non absurdum quod facinorosi cohabitent piis, ac maculosi sacratis, 212, 14. *V.* CONFESSIO *et* POENITENTIA.

Peccata condonat Trinitas, 1369, 55. Hic solus potest sanare vulnera, qui sua nescit, 1362, 27. Quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis, 1292, 53. Quanta clementia Domini supra modum, misericordis ad peccata relaxanda, 243, 42. Quæ semel peccata Deus donavit, ea resolvere ac renovare non solet, 848, 14. Quos Deus redemit a peccato, auget in præmio, 713, 20. Peccatum donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem, 697, 62. Justitia remittat iniquitates, fortitudo timorem, temperantia impuritates; ut perpetua fiat remissio peccatorum, 1016, 26. *V. Ecclesiæ claves.*

Remissione peccatorum quis dulcior fructus esse potest? 1021, 12. Quibusnam criminum suorum absolutione lætandum? 402, 29. Bonum est condemnari in peccato, et flagellari in delicto, 177, 71. Sæpe videmus aliquos qui ante negligentes fuerant Christiani, peccato aliquo commisso, fieri diligentiores, et ex illo per pœnitentiam evadere solere perfectos, 819, 11. Felix ruina quæ reparatur in melius, 865, 20. Qui sine peccato est subjectus est Christo, et quare? 784, 16. Qui se servitio delictorum exuit, principatum habet non servitutem, 321, 19. Reges ex semine Abrahæ ii sunt, qui peccato non serviunt, 347, 77. Qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit : et qui recedit a Christo, se sibi abdicat, 1463, 220. Nisi remissum peccatum hic fuerit, non habebimus requiem; si requies non fuerit, non erit vita æterna; si vita æterna non fuerit, non erimus, 858, 38.

PECTUS velut quoddam sacrarium sapientiæ est, 236, 23.

PECUNIA corpus animumque male quæsita commaculat, 1348, 53. Pecuniariis in causis refuso pretio, jus solvitur. 1324, 94. *V.* AVARITIA.

PEDUM utilitas, 141, 74. Cur duo tantum homini, *ibid.* Etsi exsiliores videntur eorum gressus, fiunt tamen latiores cum incedimus, 236, 23.

PENTECOSTEN facit Octavæ hebdomadis initium, 1476, 25. Majores tradidere nobis Pentecostes omnes quinquaginta dies ut Paschæ celebrandos : et sunt omnes dies tanquam Dominica, 1476, 25.

Perdix aliena ova diripiens et fovens ludit operam, 117, 13.

PERFECTIO et consummatio in quo sita sit, 375, 59. Ille perfectus est, cui nihil deest; justus, cui nihil superest, 465, 21. Perfectus nescit incommoda hujus corporis, aut adversa mundi, 455, 32. Perfectæ mentis est nihil de terrenis, nihil de corporalibus assumere, 331, 46. Perfectus est, qui malitiam nescit, nec dolum novit, 814, 81. Perfectio ante Christi adventum unde? 286, 12.

In homine perfecto gemina virtus est, intentio scilicet et actio, 1268, 8. Perfecti est non deflectere, prudentis non penitus declinare, 315, 6. Non est perfecti exspectare, sed exspectasse, 859, 1. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem et stabilitatem, 468, 28. Manet semper inter adversa et delectabilia perfecta virtus; neque adversa de perfectione ejus quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni, 456, 35 *et seq.* Non hic perfecta vita est, sed in umbra, 1029, 35. Christus dormit trepidis, perfectis vigilat, 1353, 68.

PERFECTA non in principiis quæruntur : sed de principiis ad ea quæ perfecta sunt, pervenitur, 1409, 105. Finis disciplinæ nostræ et studiorum perfectio est, 668, 20. Perfecta in fine unum sunt, 1416, 21.

PERFIDIA confiteri potest, credere non potest, 1358, 12. Graviora ejus arma sunt quam pugnæ, 1200, 18. Gemina illius est causa, aut malitia aut metus, 1435, 110.

PERSÆ non obtemperantes legibus regis, in se propriæ mortis exsequuntur sententiam, 107, 68.

PERSECUTIO ideo fit, ut fides luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifestetur, 824, 21. Multi in otio quærunt Christum, et non inveniunt : sed inveniunt in persecutionibus, et cito inveniunt, 368, 41. Qui persecutorem refugit, rejicit etiam Christum defensorem, 1236, 51. Tolerantia injuriarum et usu periculorum fundatus est populus Christianus, et Ecclesia incrementum est consecuta, 907, 37. Persecutores interiores multo plures sunt aliis, et graviores, 1234, 45 *et seq.* *V.* ADVERSA, ECCLESIA *et* MARTYRES.

PERSEVERANTIBUS eadem fornax aurea est, quæ ferrea est fragilibus, 1225, 11. Non est in hominis potestate, sed miserantis Dei, ut possis complere quæ cœperis, 1098, 35.

PESTILENTIA prius ea quæ sunt irrationabilia et maxime canes, equos, boves et ea quæ cum hominibus conversari videntur, inficit, 239, 31. Lues boum atque hominum, cæterique pecoris, 1506, 10. Pestilentia regionum, unius alicujus morte resoluta, 1410, 108.

PETRUS in mari titubat, sed non labitur, 94, 35. Quid navis Petri figuret, 1352, 68. Non turbatur navis quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet, 1353, 70. Ubi Petrus, ibi Ecclesia : ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna, 879, 30. Petri hamus non occidit, sed consecrat, 83, 16.

Petrus merito reprehensus a Christo, quod ausus sit usurpare constantiam nec obnoxiam considerare naturam, 940, 9. Sermo Petri titubantis fidelior est, quam doctrina multorum, 932, 15. Error ejus doctrina justorum est : et titubatio illius omnium petra est, 1522, 84. Male Eva induxit Adam, male Petrum introduxit femina, 1520, 75. Negatio Petri expenditur, 1520, 74 *et seq.* Quem visus est voce denegasse, lacrymis fatebatur, 932, 15. Lapsum suum confessione charitatis abolevit, 684, 25. Ita novum fuit Petrum potuisse peccare, ut peccatum ejus nec ab Evangelistis potuerit comprehendi, 1520, 78. Jesus respexit Petrum, et statim error abscessit, 112, 88; 699, 68. Christus ubi primum intuitus Petrum vidit et illuminavit, 699, 68.

Petro cur trina interrogatio dilectionis facta, 692, 50. Merito sacerdos eligitur, qui spiritu charitatis divinæ triplici se ligavit, 894, 16. Cur Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus a diabolo est? 904, 40. Christus eum nobis velut amoris sui vicarium relinquebat, 1542, 176.

Petro crux tantum gloriæ dedit, ut inversis Christum honoraret vestigiis, 1245, 21. Cur inverso suspendi poposcit vestigio, 626, 2.

PHARAO quo sensu maluit diaboli esse quam Dei portio, 1061, 15. Deus Pharaonem puniendo, non suæ laudis, sed nostræ correctionis incrementa quærebat, 1197, 7.

PHARES interpretatur divisio, 914, 65; 1322, 24.

Phares et Zara geminam vitam et duplicem sub Lege et Evangelio militiam præfigurabant, 1321, 21 *et seq.*

PHARISÆI unde sic dicti, 1322, 24. A veritate divisi, 1160, 9. Nec exiguo puncto atque momento transferunt se ad intelligentiam spiritalem Legis, 914, 65. Nihil ad interiorem

Digitized by Google

hominem referunt, totum ad exteriorem et terrenum, 914, 66
Phe Latine significat erravi, sive os aperui, 1184, 1.
Philosophiæ duplex species? 335, 52. Aliena quærit, cum sua nesciat, 1249, 9. Divinitatem quærit in statuis, 765, 1. Plures Deos fecit, 1274, 17. Quam multa ex libris sacris transtulerit? 407, 45; 410, 51. Non est cura sanctis axem cœli, et elementorum spatia philosophico more describere, 1120, 50.
Philosophorum ratiocinandi methodus, 121, 25. Minus Latinis et receptis usi sermonibus sunt; ut propriis uterentur, 1296, 42. Plerique phaleratis sermonibus artem suam jactant, 1426, 66. In sermone divites sunt, fidei inopes, veritatis exsortes, 790, 27. Sententia eorum de summo bono unde sumpta? 412, 55. In sermone philosophico vanitas mundi, 1107, 12. Quid Philosophiæ summus, ut aiunt, magister, cum accusaretur, interrogatis responderit? 1172, 11.
Phison secundum Hebræos dicitur oris mutatio, et cur? 151, 153; 755, 36. Illius pulchritudo, et fecunditas, *ibid*.
Phœnix in Arabia quandiu vivat, quomodo moriatur, et resurgat, 110, 79; 1212, 13.
Phœnicæ, Tyrus, Sidon vicinæ sunt civitates, 556, 70.
Photinus Christum David filium non Dei dicit, 715, 26. Christus dicit volo propter Photinum : imperat propter Arrium, tangit propter Manichæum, 1356, 4. Photinus tinea est, et cur? 1270, 13.
Photinianus dicit in constitutione mundi nondum fuisse Christum, 45, 32.
Pictor umbras exprimere debet, 66, 11.
Pietas quanta virtus sit, 1208, 45. Pietas prima in Deum, secunda in parentes, 746, 20. Pietati mensura ordinis non præponderat, 471, 33. Munda debent esse receptacula, in quibus sunt pietatis occulta mysteria, 927, 3. Sicut per unitatem et plenitudinem divinitatis Pater Deus totus in Filio est, et Filius in Patre : ita per intentionem et pietatis affectum homo totus in Christo est, 794, 37. Aliquando diabolus hominem nimia pietate impium esse compellit, 1337, 10. *V.* Deus *et* Parentes.
Pignus dicunt quod pro mutuo ære susceptum est, 614, 67. Quid sit pignus quod Lex reddi jubet? 611, 57; 614, 67 *et seq. V.* Usura.
Pilatus typus fuit omnium judicum, qui damnaturi essent eos quos innoxios existimarent, 1525, 101.
Pinus lacrymula vulpis sibi medetur, 119, 19.
In Pinea magna Dei virtus, 60, 68.
Piscium creatio, 79, 1 *et seq.* Diversa eorum genera recensentur, 80, 5. Quomodo in eis fiat respiratio, 83, 10, 11. Quare dentes habeant densos et acutos, 84, 12. Lambunt terram, et ex ea sibi prædam requirunt, 80, 3. Herbis pascuntur ac minutis vermibus, 84, 13. Quare sublati de aqua, vivere non possint? 83, 10.
In Piscibus multiplex generandi ratio, 82, 7, 8. Nesciunt adulterina contagia, 82, 9. Eorum in prolem suam singularis pietas, 82, 7. Necessitudo parentis et filiorum, 83, 10. Quidam iterum natos suos in uterum revocant, ut eos tueantur, 82, 7. Quorumdam solemnis peregrinatio fovendi partus necessitate, 91, 29, 30. Præscripta sibi domicilia habent, 90, 26. Minor a majore devoratur, et rursus major a validiore, 84, 13. *V.* Tymallus.
Planetæ unde sic dictæ, 69, 15.
Plantæ omnes semen habent, aut aliquid quod habeat virtutem seminis, 59, 66.
Plato pater Philosophiæ, 328, 57. Tria rerum omnium principia constituit, Deum, exemplar et materiam increatam, 1, 1. Fictam et adumbratam πολιτείαν proposuit, et cur? 281, 2. Eruditionis gratia in Ægyptum profectus est, ut prophetarum dicta cognosceret, 1195, 4. Inde dialogum transtulit, quem scripsit de virtute, *ibid*. Potuit Moysis scripta legere, 236, 24. Ex notris in suos libros transtulit, 438, 50. Quid de siderum harmonia senserit, 336, 54. Platonis hortus qualis? 398, 19.
Pluvia ex mari in terras transfunditur, 41, 22. Ecclesiæ precibus conceditur, 41, 22.
Pœna reorum quædam absolutio est delictorum, 1228, 22. Qui veretur pœnam, custodiat gratiam, 1041, 28. Pœna corrigit et emendat errantem, 1195, 3.
Pœnitentiæ magister Christus, 827, 29. Emendare futura attentionis est humanæ, præterita damnare divinæ est potestatis, 1247, 3. Opus hominis est gerere pœnitentiam delictorum : Dei munus est gratiam implere mysterii, 1307, 79.
Pœnitentiam agere nihil prodest, nisi ita agatur, ut oportet, 815, 1. In orationibus et obsecrationibus, cum dolore et lacrymis exigenda pœnitentia est, 842, 59. Plena pœnitentiæ definitio, commemoratio delictorum, et quomodo? 815, 2. Peccator tardius semper culpam suam agnoscit, 176, 68. Qui agit pœnitentiam, excludit pudorem flagitii confitendi, 1080, 5. Ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit, 691, 47. Pudore culpa minuitur, defensione cumulatur : et silendo corrigimus, contentione prolabimur, 217, 24. Nec honores considerandi, nec amici erubescendi, ubi pœnitentia agenda est, 838, 51. Qui pœnitentiam agit, commoveri non debet, si quis ei peccati sui crimen objiciat, 820, 13. Offerre se debet ad pœnam, et occurrere divinæ indignationi, *ibid*. Non est gravis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium ab ea non resurgendi, 837, 47.
Pœnitentiam gerere vera medicina est, 816, 4. Aqua lacrymarum, aqua pœnitentiæ secundum est poculum, quo primum repares, 819, 11. Deus facile reconciliatur, quando impense rogatur, 1465, 224. Dulcia judicia agenti pœnitentiam, 1032, 43. Laboriosa pœnitentia, suavis gratia, 851, 22. Pœnitentia patientiam quærit, patientia mitigat delicta magna, 836, 46. Pœnitentia delictum abolet, sapientia cavet, 1433, 96. Quomodo quem peccati pœnitet, is pœna supplicioque liberetur? 212, 13. Fugit venturam iram, qui egerit pœnitentiam, 816, 2. Arguuntur qui eam in mortem differunt, 1464, 221.
De pœnitentia libri duo ab Ambrosio scripti, 815, 1.
Pomorum diversitas, 56, 58 *et* 59.
Pontus reliquo sinu maris dulcior, 92, 29.
Populus quid mystice declaret? 54, 55.
Possessor esse non potest, qui non capit fructum, 1370, 61. Quod possideas, eo quod adhuc speres, præstabilius est, 471, 32.
Polypi astutia, ad prædam capiendam, 88, 21.
Potestatum ordinatio a Deo : a malo ambitio potestatis, 1341, 29 *et seq.* Non potestas mala, sed is qui male utitur potestate, *ibid*. Lex naturæ est, ut leniores sint ad puniendum, qui maxima potestate potiuntur, 107, 68. Plerumque non coercere delinquentes majoris auctoritatis est, quam si ulciscaris, 1016, 24. Continua et diuturna potentia gignit insolentiam, 100, 52. Grave est potestate uti, ut sub potestatem recidas, 1455, 186. Mala potestas licere quod non liceat, 1252, 38. Omnis potentia sæculi somnium, non veritas est, 495, 30.
Potus homini quis necessarius? 272, 110.
Præconum clamore quis deducatur? 44, 30.
Præcipitium est de altissimis cadere, in planis lapsus vocatur, 776, 26.
Præmium quanto præcellentius, tanto impensius officium, 1374, 78. *V.* Merces.
Præsumere facile cur nemo debeat? 123, 24. Neminem virtuti propriæ debere confidere, 1527, 37.
Prævaricator Græce a discedendo apostata vocatur, Latine autem transgressor, et cur, 1167, 52.
Presbytero dandum quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias spiritale quod tibi deest, 1491, 79.
Primitiæ non tempore, sed sanctitate æstimantur, 207, 7. Quæ sint sensuum nostrorum primitiæ, quas Deo offerre debemus? 206, 5, 6.
Primogenitum omne sanctum, 529, 55. Sancti vocantur primogeniti, 8, 15. Non omnia primogenita sancta : sed omnia quæ sancta sunt, sunt etiam primogenita, 208, 7.
Principum sola capita ære fusa, et ducti vultus de ære vel marmore ab hominibus adorantur, 136, 57. Facultatem imperandi, incentivum est peccati, 710, 12. *V.* Imperator *et* Rex.
Principiorum varia genera, 6, 12.
Processus vitæ nostræ quis debeat esse? 180, 76. Exordium processionis ad virtutem est abstinere a peccato, 744, 18.
Prophetia est annunciatio futuri, 515, 7. Non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum, 1289, 24.
Prophetæ interioribus oculis dicebantur videntes, 1105, 8. In eis Dominus locutus est, et ideo errare non potuerunt, 1309, 22. Non semper prophetabant, sed cum infunderet his gratiam spiritus prophetandi, 1119, 18. In excessu mentis positi prophetabant, repleti Dei spiritu, 860, 5. Et quomodo, 339, 61. Cur ut prophetarent, psallendi peritum jubebant psallere, 1052, 26. Eis futura pro præsentibus erant, 807, 64; 1077, 57; 1122, 27. Quæ ventura sunt eis tamquam præsentia spiritu revelantur, 559, 77. Non potest esse propheta, nisi qui de Dei filio prophetarit, 1413, 10. Veritas Dei ex prophetarum oraculis colligenda, 772, 18. Cur interdum refugiamus verba quibus utuntur prophetæ, 558, 73. Secundum Evangelium vita prophetarum est, 1322, 23. Cibus eorum, divinæ voluntatis effectus est, 1304, 72.
Propria dum vindicamus, communia amisimus; nec proprium quidquam est, ubi perpetuum nihil est, 1439, 124.
Prosperi peccatorum successus nutare nos faciunt, 776, 27. Præscientia ac providentia Dei hoc ipso amplius probatur, quod in peccato positus, successu affluit sæcularium prosperorum, 667, 14. Plurimos supplantarunt secundæ



Digitized by Google

res, quos supplicia acerba non fregerant, 1124, 31. *Voy.* Adversitas.

Providentiæ divinæ subsidia hominibus non deessent, si Dei justitiam servare vellemus, 1213, 14. *V.* Deus.

Prudentiæ effectus qui sint? 1371, 66. Prudentes et continentes, virtutis atque animæ possessores sunt, 316, 7.

Psallendi geminum officium, 884, 41.

Psalmorum ordo non quadrat secundum gestorum ordinem, et quam ob causam? 688, 41 *et seq.* Psalmi qui titulantur in finem, aut de Christo sunt, aut ipsius Christi, 953, 1. Pro octava multi scribuntur, 1367, 49. Et pro torcularibus, 1500, 24. Quanta virtus prophetiæ in psalmis, 740, 8. Etsi omnium psalmorum corpus unum, in eo tamen viget naturalis, mysticus, et moralis sensus, 777, 2. Psalmorum laudes et virtutes, 740, 9 *et seq.* Quis psalmus non medicamentum est conscientiæ peccatricis, 815, 1. Homo sine psalmorum celebritate diem claudere non debet, 93, 36.

Psalmus xxi de Passione Christi est, 1183, 3. Trigesimus tertius moralis, sed trigesimus sextus diffusior, et dulcior, 777, 2. Explicatur titulus psalmi trigesimi quinti, 765, 2. Trigesimus septimus majorem vim habet excitandæ pœnitentiæ, 815, 1. In trigesimo et nono novum Testamentum annuntiatur, 859, 1. Quadragesimus ex persona inscribitur Salvatoris, 745, 19. In quadragesimo adhortatio magis virtutis fit, quam erroris depressio, 745, 19. Quinquagesimo docemur quemadmodum agenda pœnitentia sit, 689, 42. Qualis titulus septuagesimi secundi, 661, 2. Cur pro Assyrio septuagesimus quintus inscribitur, 1447, 133. In octogesimo quarto evidentius Domini Jesu prophetatur adventus, 1033, 2 et 3. Centesimus decimus, et centesimus undecimus asseruntur per metra esse compositi, 973, 3. In cxvii descripta est Domini passio, 973, 3; 975, 7. Cur cxviii per litteras Hebræorum digestus, 991, 1; 1140, 1. De Christi persona formatur, 994, 2; 1092, 17; 1140, 10. Quantum in eo ethica præcellat, 971, 1. Perfectionem hominis totus informat, 1131, 3; 1246, 1.

Psalterium videtur in quinque libros esse divisum, et quomodo? 882, 37 *et seq.* Secundum Hebræos emendatus apud Græcos Psalmorum liber, 1036, 2. In eo profectus est omnium, et medicina quædam salutis humanæ, 739, 7. Bonum Psalterium, cum fidei vita consentit, et caro animæ, virtuti aspirat voluntas, 947, 7.

Pudicitia corporalis et gratia spiritalis verum est Christi sacrificium, 104, 62. *V.* Castitas.

Pudor plerumque corrector est nostri, 1100, 41. Quem commissi pudet, nescit postea aliquid tale committere, unde similiter erubescat, 691, 48. Infirmus custos diuturnitatis est timor, pudor autem bonus magister officii, 1473, 21. Magna sanctis cura est verecundiæ, ut plerumque in ipsis pudor votis sit, 1280, 43. Verecundia excusat reum, pudor suum accusat auctorem, 1012, 11. Quantus pudor esse debeat feminarum, 297, 42.

Puella sacra pio consecratur velamine, 1038, 20.

Pueritiam virtutem esse nos docuit Christus, 800, 52. Et in pueritia est quædam venerabilis morum senectus, et in senectute innocens pueritia, 1485, 58. Proverbialiter dicitur : quasi puer machæram tractat, 1334, 50. Pueros dicimus, quando servulos significamus, 308, 82.

Puerperio vir interesse non potest, 68, 14.

Pulchritudo vera quæ sit? 32, 21.

Pulmo cur mollior? 140, 70.

Pupilla oculi tutissimo quodam naturæ vallo munita, 137, 60.

Purpura ornat regum convivia, amictus imbuit, 81, 6. In regibus adoratur, *ibid.* Ex aquis fit, *ibid.* Fulgor purpuræ variis variorum succorum infusionibus conficitur, 690, 43.

Putei quos fodit Isaac, quid significent, 363, 20 *et seq.*

Pythagoras inventor nominis Philosophiæ, 328, 37. Unde sectam instituit, ut discipuli sui quinquennio non loquentes, tanto silentio loqui discerent, 982, 5. Unum mundum asserit, alii vero innumerabiles, 1, 2, 3. Confessio Pythagorica, 349, 80. David et Esaias Pythagoricis antiquiores sunt, 983, 5.

## Q

Quadragesima totis præter Sabbatum et Dominicam jejunatur diebus, 545, 34. *V.* Jejunium.

Quadragesimus dies per Domini resurrectionem jam non habetur primus sed novissimus, 244, 44.

## R

Radices qui non habent exterminantur, sicut olera vel fenum, 786, 19.

Raphidim, idest, latitudo judicii, 1019, 8.

Ratio ubi est, nihil superfluum, 316, 8. Quomodo concupiscentiæ resistat, 443, 1 *et seq.*; 445, 3. Hæc rectæ rationis tractatio quam Græci λογισμὸν nuncupant, qua mens sapientiæ intenta solidatur, 446, 6.

Rebecca Ecclesiæ figura fuit, et quomodo, 310, 87, 88; 311, 90; 1013, 14.

Redemptio. *V.* Christus *et* Deus.

Regnum non præripiendum, etiamsi debeatur; sed exspectandum, ut suo tempore deferatur, 684, 27.

Religio præstat pietatis officiis, 1446, 146. Contuitum regalis potentiæ non habendum, ubi religioni exhibetur obsequium, 685, 28. Ubi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior, 1145, 14.

Reliquiæ dicuntur hominis de corpore mortui, de ejus exuviis, 814, 81.

Renovamur per lavacri regenerationem : renovamur per Spiritus sancti effusionem : renovabimur etiam per resurrectionem, 652, 35. Cum effunditur malitia, nova sumitur gratia qua unusquisque renovatur, 966, 30. Qui renovatur, semper in luce est, 921, 81.

Reptilia non modo serpentes vocitantur, sed etiam pisces, 80. 4.

Res littera interpretatione Latina dicitur caput, vel primatus, 1221, 1.

Resina marmora confracta sociantur, 489, 17.

Respiratio in homine quomodo fiat? 83, 11.

Responsoria psalmorum, 42, 23.

Reipublicæ antiquæ status describitur, 100, 52. Usus et leges, 106, 66.

Resurrectionis duo genera, 763, 54. Resurrectionem mortuis imperare divinæ solius est potestatis, 1350, 59. Multo divinius illud est, quam peccata donare, 1358, 13. Naturale est omnibus animantibus nasci et mori, hanc Deus homini præcipue contulit gratiam ut mortuus reviviscat, 874, 20. Resurrectio non facile nisi a perfectioribus et fundatioribus capi potest, 1540, 166. Exemplis docemur resurrectionem credere, 109, 78, 79.

Resurrectio mortuorum cur data, 396, 15. Nos in simplicis creaturæ gratiam illa reformabit, 1458, 194. Justi post resurrectionem immutabuntur in incorruptionem, manente corporis veritate, 762, 51. Resurrectio est qua inimici omnia vincula solvuntur, triumphus omnis aboletur, 881, 34.

In Revelationibus cur minime gloriandum sit, sed in infirmitatibus, 796, 42.

Rex etsi leges in potestate habeat, plus tamen Deo subditus est, 1179, 33. Non solvit potestas justitiam, sed justitia potestatem : nec legibus rex solutus est, sed leges suo solvit exemplo, 710, 8. Reges nullis ad pœnam vocantur legibus, 692, 51. Rex quamvis legibus absolutus, suæ tamen reus est conscientiæ, 701, 77. Christiani sublimioribus potestatibus debent esse subjecti; ne quis constitutionem regis terreni putet esse solvendam, 1334, 73. Si habes divitias, obnoxius es Cæsari, 1302, 33. Virtutis officium est, ut etiam per pericula regali imperio voluntarii milites obtemperent, 686, 34. Rei imperatoi et judicibus offerre se prohibentur, 1063, 19. Regum lapsus pœna populorum est, 727, 56. Regibus non temere facienda injuria est, vel a prophetis Dei, vel a sacerdotibus, si nulla sint graviora peccata in quibus debeant argui : ubi autem peccata graviora sunt, ibi non videtur a sacerdote parcendum, ut justis increpationibus corrigantur, 835, 43.

Rex est qui non erubescit, ne in actu reprehendatur, redarguatur in sermonibus, 1043, 34. Verus rex qui flagitiis esse nescivit obnoxius, in quo culpæ et erroris illecebra regnare non potuit, 939, 7. Et qui corpus suum bene regit, 939, 7.

Rhaab typo meretrix, mysterio Ecclesia, 1322, 23; 1480, 40. Illa te docere debet quemadmodum Christus sit sequendus, 825, 24.

Rhenus Romani memorandus adversus feras gentes murus imperii, 228, 12.

Rhodanus rapido concitus cursu, Tyrrheni æquoris freta scindit, 28, 12.

Ros tum largior, cum serenior nox est, luna et pernox, 75, 29.

Rota primum sine spinis orta, 51, 48. Tamquam humanæ speculum præfert vitæ, *ibid.*

Ruben benedictio quæ mysteria significaverit, 1315, 8, 9.

Rubi folia serpentem interimunt, 47, 3.

Rubrum mare, 37, 10. *V.* Mare.

Ruth cur in Christi generatione mentio facta sit, 1324, 30 *et seq.*

## S

Sabbati dies erat dierum ordine posterior, sanctificatione Legis anterior, 933, 1. Sabbatum est non solum dierum, sed etiam mensium, annorum, generationum, et

Digitized by Google

ipsius mundi, 1475, 25. Sabbatum δευτερόπρωτον quid sit, 936, 1. Secunda sabbati est Dominica dies, 935, 1. Sabbata perpetuæ feriæ sunt resurrectionis æternæ, 1363, 50. Cur sabbato medicinæ Dominicæ opera cœpta, 1330, 58.

Sabellius tinea est, et quamobrem, 1270, 15. Sabellianus arguitur, qui dicit eumdem esse filium Dei ac Patrem, 715, 26.

Sacerdotium magnum in Verbo Dei est, 424, 16. Sacerdotes offerunt pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, 853, 25. Postquam Christus advenit, semetipsos cœperunt offerre pro hostiis, 715, 25. Sacerdote benedicente, populus respondet: Amen, 882, 36. Sacerdos summus, presbyter, minister sacri altaris quam strenue suscepto munere fungi debeant, 980, 23; 1441, 131. Qualem zelum habere debeant? 1198, 11. Tu sacerdos, eripe eum qui ducitur ad mortem, et solvisti peccata tua, 1071, 42. Fugitans est suorum sacri altaris minister, exsul est mundi, et abdicat se omnibus, 420, 7. Nunc sacerdotes magisteria docent castitatis, 517, 12. Angelorum more nuptias refutamus, 859, 3. Bonum in me per misericordiam et gratiam Christi, et per ministerium sacerdotii, 1225, 15. Sunt plerique simplices Domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia et virtute sublimes, 790, 28. Homines cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt aut defendere, 677, 6. Turres Ecclesiæ sunt sacerdotes, quibus abundat et de naturalibus verbum, et de moralibus disciplina, 132, 49. Grex populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes, 1298, 50. *V.* Ecclesiæ claves.

Sacerdotes sunt omnes filii Ecclesiæ, et quam ob causam, 1364, 35; 1484, 53. Vitam sacerdotalem imitari debemus, 1361, 53.

In sacramentorum figura si virtus magna fuit, quanto magis in veritate eorum magna misericordia est? 689, 43. Tunc plus dies lucet, quando sacramenta celebramus, 502, 52. Bona pascua sunt divina sacramenta, 1140, 2. Alii in loco pascuorum, alii in privilegio sacramentorum, 773, 19. Ecclesia duobus stipatur fluminibus, lavacro gratiæ, et fletu pœnitentiæ, 310, 87. Quis sacramentis non debeat interesse cœlestibus, 1466, 232.

Sacrificium acceptabile quodnam? 214, 17. Quandonam plenum et perfectum sit, 208, 8. Quatuor genera quibus sacrificia commendabantur, 214, 19. Sacrificium et celeritate commendatur et gratia, 195, 23; 197, 29 *et seq.* Is qui sacrificat in unam lucem debet credere Trinitatis, 197, 30. In sacrificiis odor suavis Ecclesiæ est, 1029, 34. Parata omnia ad sacrificium deferre debemus, et non delegare aliis, 305, 68.

Sade littera Latina interpretatione dicitur consolatio, 1194, 1.

Sæcularis plures dominos habet, quorum vile mancipium est, 1126, 39.

Sæculum sæculari subjacet malignitati, 812, 76. Si transeas sæcularia, pertransibis ad paradisum, 812, 77. *V.* Mundus.

Sales Britannici salubres corporis cibo, et potui nimis grati, 93, 33.

Salim ipse ascendens dicitur, 816, 3.

Salix quid mystice declaret, 54, 53.

Salomon sapientiam postulavit, et in illa omnia etiam quæ non postulavit, invenit? 926, 93. Templum Deo condidit, sed corporis sui templum ipse non servavit, 712, 16. Cur in illo cantores fecerit? 1052, 26. Ille cujus sapientia totis celebratur sæculis, factus est insipiens; quia nimium amavit uxorem, 1163, 18. Ideo fortasse erravit tam graviter, ne errarent homines, et ad ipsum manasse futuri Messiæ promissum crederent, 1317, 9. Vulgus Judaicum existimat Salomonem venisse pro Christo, 680, 13. Arguuntur Judæi qui eum filium Dei et Christum dicebant, 713, 22 *et seq.*

Saltatio in honorem Dei laudabilis habetur, 1052, 27. Non congruunt resurrectionis revelata mysteria, et opprobria saltationis exacta, 1386, 8.

Salus nostra soli Deo committenda, et cur? 814, 83. Omne tempus opportunum saluti est, 1181, 38.

Samaritani vocabulo custos significatur, 1128, 74. *Voy.* Scriptura.

Samech, id est, audi, vel firmamentum, 1157, 1.

Samson leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit, 711, 16.

Sanctorum vita cæteris norma vivendi est, 483, 1. Eos non naturæ præstantioris, sed præstantioris observationis fuisse; nec vitia nescisse, sed emendasse, 484, 4. Providentia Domini sanctis obrepsere peccata, et cur? 677, 4, 7; 680, 13. Sancti membra sunt Christi, 819, 9. Montes aromatum sunt, ad quos confugit Christus, 1238, 44. Cœlum dicuntur, 1121, 25. Gratias agunt auctori suo, qui non habent unde eos pœniteat in hoc mundo fuisse, 322, 22. Hæc est merces et vita sanctorum, quod alios redemerunt, 307, 71. Dominus aliorum merito ignoscit aliis, 1337, 11. Sancti omnes transibunt per ignem, 997, 14 *et seq.* *V.* Ignis.

Sanguis calidus et igneus est, 266, 93.

Sapientiæ triplex disciplina θεωρητική, πρακτική, λογική, 992, 31. Philosophi triplicem distinguunt sapientiam, naturalem videlicet, moralem, et rationabilem, 1261, 2. Sapientia, intellectus et disciplina qui differant, 886, 7. Omnibus pro possibilitate infunditur spiritus sapientiæ, sed omnibus qui fideles sunt, 808, 65. Sapientia mentis sublimis est, 847, 12. Mens invalida ejus fulgorem non sustinet, 319, 16. Quo magis quæritur sapientia, eo profundior judicatur, 906, 48. In occulto cordis recondenda est, 925, 1. In altitudine cogitationis humanæ certum est eam esse, 1177, 24. Ibi quærenda, ubi tranquillitas mentis, et pax quæ super omnem intellectum est, 662, 22. Sapientiæ summus finis est, ut simus mente tranquilla, 1244, 17. Quid est initium sapientiæ, nisi sæculo renuntiare, 1029, 36. Non arguas eos, et otiosos judices, quos videas studere sapientiæ, 1430, 85. Non facultates discriminat, sed voluntates: ille aptior qui propior affectu et proximus disciplina, 947, 6. Melior insipientia, quæ oculos habet ut videat ubera sua, quam sapientia quæ non habet, 828, 31.

Sapiens definitur a Sophistis: vir bonus dicendi peritus, et unde id desumpserint? 347, 73. Cum sapientem videris, cognosce quia descendit super eum gloria Domini, 1191, 26. In tribus census sapientis, in sensu, sermone, mente, 320, 20. Vir sapiens subditus legi est voluntate, non necessitate, 751, 30. Qualis debeat esse sapientis viri vigilantia, 346, 76. Quomodo mens ejus retrorsum ambulet, id est, præterita spectet, 274, 117 *et seq.* Mentem illius hospitalem esse docet, 352, 92. Quando minuit, addit, 436, 47. Quomodo delectetur sanitate corporis, aliisque rebus prosperis? 453, 33 *et seq.* Occultat injuriam suam, 928, 4. Septem sapientum sententia: *Sequere Deum*, ex nostris desumpta, 515, 5.

Sara dicitur Græce ἄρχουσα quæ regat: Sara ἀρχή μου, hoc est, potestas mea, vel principatus mei initium vel regis, 351, 85. Typus Ecclesiæ fuit, 294, 31; 296, 38.

Satanas de cœlo in terras, ubi tentationes solito asperiores, cecidit, 1117, 10. *V.* Diabolus.

Saul regis quam atrox invidia, qui sermonis errorem in innocentis exitium derivavit, 781, 9. Ejus casus aliis est terrori, 940, 19.

Scandala quos exagitant, non solum pusilli sed etiam minimi sunt, 1244, 19. Non debemus malignis æmulandi adversus nos aculeos ministrare, 780, 9 *et seq.* Cur diligentibus non est scandalum, 1245, 20.

Scarus solus inter pisces ruminat, 84, 12.

Scena hominis, 44, 30. Acroamata scenicorum mentem emolliunt, 34, 5.

Scientiam boni et mali cur Deus in homine esse voluerit, 148, 8. Fuge quærere quod non licet scire, 1415, 18. Gravat scire, quod vel exsequi vel vitare non possis, 160, 36 Quod legi, præsumo: quod non legi, veneratus scientibus relinquo, 1225, 14. Nullus cibus scientia et doctrina dulcior, 490, 19.

Scin littera, id est, super vulnus, 1238, 1.

Scribæ de tribu Simeon descendebant, 517, 13.

Scripturæ sacræ veteris Testamenti primus liber Genesis est, 1177, 25. Samaritani quinque tantum libros Moysis Synagoga septem sequitur principaliter, 1505, 38. Vetus Testamentum est fidei firmamentum, 1474, 19. Sermo Christi Testamentum est vetus et novum, 734, 33. Novum Testamentum in veteri Testamento erat, intra illud currebat, per quod annuntiabatur, 1017, 28. Quomodo arguendi sint, qui vetus non recipiunt Testamentum, 160, 38. Hæretici qui legem veteris Testamenti non accipiunt, Christum tenere non possunt, et quamobrem, 1021, 23.

Multa non otiose a Septuaginta viris Hebraicæ lectioni addita. Septuaginta virorum sententias magis sequitur Ecclesia, 1082, 13. In describendo Scripturæ textu græco scriptor potuit errare, 1193, 33. Scriptor antiquarius psalmorum potuit falli, 1254, 27. Potuit interpres Scripturæ vel antiquarius scriptor falli, 1015, 13. Sensum scripturæ frequens translatio ex Hebræo in Græcum, ex Græco in Latinum attenuare consuevit, 837, 49.

In veteri Testamento triplex sapientia, naturalis, moralis, et rationabilis, 1261, 2. Omnis scriptura divina vel naturalis, vel mystica, vel moralis est, 777, 1. Littera quæ occidit, mentitur: spiritus qui vivificat, verax est, 1206, 56. Illa maledictum habet, hic benedictionem affert, 914, 67. Judæus dum sequitur litteram Scripturarum, mortuus est, 813, 80. Ecclesia duos oculos habet, unum qui mystica videat, alterum qui moralia, 1176, 20. Mysticus sensus acutior est, moralis dulcior, 1105, 7. Mysticus sermo cœlestium Scripturarum velut fortior cibus est: suasorius autem ethicus dulcis et mollior, 1138, 24. Salomon in libro de

Digitized by Google

Proverbiis moralem locum uberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticum in Canticis canticorum, 364, 23; 974, 3; 1262, 2.

In Scripturis propheticis multa obscuritas, et quomodo possint intelligi, 1078, 59. Veritas Dei ex iis colligenda, 772, 18. In eis non una tantum figura sed multiplex esse consuevit; ut unus sermo plures species comprehendat, 1483, 52. Non verborum seriem, sed rerum pondus examinare debemus, 1486, 63. In eis non facile reprehendamus aliquid quod intelligere non possumus, 147, 7. Quomodo Christus nos cum aliquid de Scripturis difficile cogitamus, illuminet, 1035, 9. Præterita pro venturis vel præsentibus solent ponere, 304, 67.

Scripturarum traditiones sunt corpus Christi, 1391, 33. Pecunia Domini scriptura divina est, 1498, 18. Iter tibi sit illa, 1143, 11. Omnes ædificat, 946, 4. Qui exercet mentem in Scripturis divinis vel consiliis, diutius exercere debet, 1013, 13. Sit nobis tota die ac nocte exercitii usus in quadam cœlestium scripturarum palæstra, 1123, 28. Cur earum alloquia diu terere ac polire debeamus, 216, 22. Est ignis qui cœlestium illarum meditationibus excitatur, 848, 15. Habet verbum Dei epulas, alias fortiores ut Lex, et Evangelium, alias suaviores, ut sunt Psalmi et Cantica canticorum, 1251, 17. Bona pascua sunt libri Scripturarum cœlestium, 1140, 2. Ede quotidie earum cibos, ut non esurias sed repleаris, 1231, 19. Micæ sunt, 1474. Deus præceptis salutaribus eas replevit, quibus infirmitas animæ sanaretur, 818, 7. Remedium tædiorum omnium, atque in tentationibus unum sunt perfugium, 644, 18. Alii sunt terrores prophetici, aliæ apostolicæ suasiones, in utroque tamen unius est verbi disciplina, 1499, 21. Prius Propheta legitur, et Apostolus, et sic Evangelium, in quo verba lucida, et validiora præcepta, 1187, 10. Si quis illa quæ miranda philosophi putant, ibi quærit, inveniet, 1261, 1. Diabolus de Scripturis ipsis sæpe laqueum fidelibus parat, et hæreticos facit, 1340, 26.

Sebastianus Mediolanensis oriundus, Romæ passus est, 1234, 44.

Sem, Cham, Japhet significant bonum, malum, et indifferens, 228, 3.

Semina numquam proprie degenerant, 49, 43.

Seminaria virtus inest nascentibus, 45, 53.

Senectus in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior, 18, 31. Portus debet esse, non vitæ superioris naufragium, 475, 41. Bona juventus, sed melior senectus, et cur? 804, 60.

Sensus hominis etsi communes cum bestiis, ipsis tamen præstant, 139, 67. Eorum initium est cerebrum, 137, 61. Virtus in capite est, 1161, 12. Duplex sensuum nostrorum genus, aliud domitum et mansuetum, aliud indomitum quod proruit ad irrationabiles delectationes corporis, 206, 4. Sensus corporis velut ostiorum similes habentur, 233, 61. Sicut mors intrat per sensus nostros, ita et vita, 1038, 20.

Sepulcra pretiosa cur homines frustra post mortem struant, 407, 44.

Sepultura mortuorum nullum officium præstantius, 392, 5.

Seraphim quando voluit, apparuit, 1275, 26.

Sericæ vestes, et auro intexta velamina quibus divitis mortui corpus ambitur, damna viventium, non subsidia defunctorum sunt, 566, 3.

Sero quid proprie significet? 1337, 152.

Serpens unde sic dictus, 98, 46. Nihil reprehendendum quod creator serpentes aliaque venenata creaturis suis miscuerit, 126, 38. Non debemus eorum condemnare creaturam, 147, 7. Deus non ad hoc serpentem fecit, ut noceat; sed quid futurus esset, ostendit, 179, 74. Caro serpentis exuritur, cujus pulvere theriaca conficitur, 818, 8. Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur, 123, 28. Celebris sermo est serpentem aquis appropinquantem sibilo sibi feminæ anguis sponsare concubitus, in quibus serpentis caput absciinditur, 818, 8.

Serpens in paradiso non sine Dei voluntate generatus est, 148, 9. Quomodo in paradiso mysterium fidei expresserit? 818, 9. Figura fuit delectationis, 149, 11; 737, 1. Explicatur ejus damnatio, 179, 74. *V.* Adam *et* Eva.

Serpens æreus figura Christi, 1037, 15.

Sertorius ac Lepidus rebelles, 934, 21.

Servitutis observantiam ipso jure naturæ Auctori debemus æterno, 784, 16. Est consolabilis servitus, servire vel justis, 1123. 31. Misera servitus, cui vagum jus est, 1496, 6. Stipendium libertatis est, 768, 5. Nihil tam speciale illi est, quam semper timere, 491, 20.

Servitus gloriosa, qua pro nobis servivit et Christus: beata servitus qua et tu servis, 994, 6. Servitus sub Christo pretiosa est, et gloriosa libertas, 448, 11. Quam utilis religiosa servitus Dei, 178, 72. Pretiosa est servitus, quæ virtutum constat expensis, 1174, 15. Ea quæ servitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus, 209, 9.

Servuli multi Dominis liberiores sunt, 490, 20. Non conditio fortuita servum facit, sed probrosa insipientia, 463, 12. Declinanda non despicienda servulorum jurgia, 286, 10. Servulis gravius est per agellulos relegari, quam cædi verberibus, 699, 67. Servis pœna decernitur, liberis confertur gratia, 679, 11. Servus Domini non potest idem esse servus peccati, 1180, 34.

Severitas Dei in paucos, bonitas in omnes, 1081, 7. *V.* Deus.

Siceræ nomine Hebræi omnem potum qui inebriat, vocant, 552, 54.

Sichem dicitur interpretatione latina humerus, vel cervix, 316, 8; 486, 9.

Signa in cœlo nulla esse malefica et noxia, 70, 17.

Signum suum posuit Christus in frontibus singulorum: ibi quoque Antichristus signa sua ponet, ut proprios recognoscat, 618, 27.

Silentium ad omnia utile, et quomodo, 847, 13. Divina oracula solent singulariter sedentibus revelari, 982, 4. Silentium et tutum est et decorum, quod servat cum gravitate cautelam, 844, 5. Validum est scutum circumspectæ munitionis: et firmissimum stabilitatis fundamentum, 842, 2, 3. David tacendo vicit adversarios suos: et quia sicut mutus factus est, vocem recepit, 837, 47. Etiamsi in te verbum Dei sit, et tacebis in Dei verbo, et tacitus clamabis, ut audiaris a Christo, 845, 8. Taciturnitas ipsa medicina est, et velox in sermonibus magis vulnerat, 834, 42. Supra fundamentum virtutis vox tuta est, sine fundamento, lubrica, 843, 4. Rarior tacendi virtus est quam loquendi, 1497, 10 Quicumque est facilis in verbis, interiora evacuat sua, et exterioribus passionibus inundatur, 1014, 17. Diabolus sonum quærit, Christus silentium, 950, 11.

Simeon benedictio explicatur, 516, 10 *et seq.* In eo vindictæ læsi pudoris exemplum, 1332, 47. Ex ejus Tribu Scribæ descendebant, 517, 13.

Simonia. Obsequio gratuito usus ministerii sacerdotalis esse debet, 1498, 17. Non pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis, 1348, 51. In Ecclesia Dei consortium ii habere non possunt, qui sancti Spiritus gratiam nundinentur, 1490, 19. Inexpiabilis est venditi culpa mysterii, et gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros, 1348, 53.

Simplicitas quæritur, non ambitio desideratur, 1299, 53. Simplicitate nihil pretiosius, nihil ditius, 963, 21. Non dulcior fructus, 769, 9. Ea concurrens veritati in ipsa humilitate sublimis est, 1485, 60. Cauta debet esse, provida et spiritalis, 781, 10. Tarde inter astutias istius mundi, et sæcularium fluctus cupiditatum portum solet invenire, 235, 64.

De Sirenis gentilis quid tradat historia? 918, 73.

Sobrietatem elegimus, cujus gratia Jacob primatus quos non habebat, invenit, 932, 14. Non solum sobrii, seb juste sobrii esse debemus, 1101, 43. Nullum frugalitas occidit, nulli parcimonia nocuit, 192, 18. Luxuriando facimus membra peccati, sobrietate autem membra justitiæ, 856, 34.

Socoth significat tabernaculum, 1019, 5.

Socrates scripta Moysis potuit legere, vel ab aliis percipere qui legerant, 236, 24.

Sol creatura est, non Deus, 63, 1 *et seq.* A filio Dei creatus, 64, 5. Quantum Deus præstantior illo sit, 63, 2. An natura ignitus sit, 29, 14; 66, 9. Cur dicatur luminare magnum, 74, 25. Unde magnitudo ejus probetur? 75, 27. Quomodo in potestate diei sit? 65, 7. Globus ejus nulli propior, aut remotior, 74, 25. Ex eo signa aliqua colliguntur, 67, 12.

Sortis omne augmentum generaliter exclusit Dei sententia, 608, 52; 610, 57 *et seq.* *V.* Usura.

Spadonem qui ex homine efficiunt, arguuntur, 83, 9.

Sperat qui quod sperat, optat et diligit, 1080, 3. Quis supersperet? 1164, 22. Dat vires spes proxima, 1103, 3. Robur spei nostræ, et quædam sperantis auctoritas confidentia est, 1165, 28. Semper sperandum, *ibid.* De Domini miseratione non diffidendum, et quare? 838, 51. Non videtur homo esse, nisi qui in Deum sperat, 356, 1.

Quantis ad sperandam veniam nos Deus titulis indulgentiarum provocaverit? 1185, 6. Justus quo graviora toleraverit, magis sperat, 1214, 20. Spem semper adjicit spei, 1215, 21. Etsi conteraris, etsi affligaris, etsi ægritudine deficias; tamen exspecta Dominum, et non te confundet spes, 811, 74. Quomodo potest turbari, cui spes regni cœlestis assurgit, 1245, 21. In tempore humilitatis nostræ spes consolatoria est, 1045, 7. Quando anxii et solliciti sumus, spes nos futurorum exspectatione confirmet, 642, 12. De divina miseratione tum sperandum amplius, cum præsidia humana defecerint, 103, 57. Plus gravamus eum, in quo plurimum

Digitized by Google

spei vel fiduciæ habuisse dicimus, si postea nostram opinionem destituit, 875, 21. Spem periculis emere durum videtur, 1411, 1. Desperare segnitiei est materia : sperare autem incentivum est laboris, 994, 3.

Sphæræ inerrabilis solis portiunculas μόιρας Græci vocant, 68, 14.

Spiritus accepit et Filio; 1487, 66. Filius a Patre procedit, et Spiritus ab ipso procedit, 958, 9. Quis sit Spiritus principalis, 700, 72 *et seq.* Spiritus rectus quis sit, 698, 66. Cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est, 1277, 34. *V.* Trinitas.

Spiritus in homine, 83, 10, 11.

Squillæ folia fugiunt lupi, 123, 9.

Stella Christi figura, 123, 9.

Stephani martyrium gloriosum, 83, 16. Primus ille martyr habebat in ore thesaurum, cum Christum in passione loqueretur, 1354, 73. Cur Deus Adæ ambulare visus est, et Stephano stare, 951, 13. Martyrio coronatus est, quia stantem videbat Jesum? 962, 18.

Stoici unde dogmatis sui hauserint sententiam : *Omnia sapientis esse*, 328, 37.

Στοιχεῖα quid? 40, 18.

Stola spirituale indumentum, et vestimentum est nuptiale, 1466, 231. Est insigne conjugii, 1504, 59.

Stomachus conscius secretorum capitis, compassionisque consors, 236, 23.

Stultus est qui nihil sapit. et stulta intellegit. 950, 17.

Sturni cur conio vescantur, nec illis noceat? 48, 39.

Subjectio Deo bona, non abjecta, non vilis; sed gloriosa atque sublimis, 783, 16. Subjectio mentium facit sedulam servitutem, 1122, 27. Ante subjicitur, qui alios vult habere subjectos, 1126, 39. *V.* Christus.

Subsolanus locus, 831, 35.

Superbia quid et quantum vitii habeat, 1904, 34 *et seq.* Peccati diabolici causa fuit, 1040, 8. Maximum peccatum in homine superbia est, et cur? 1046, 8, 9. Hominem prima dejecit, 1147, 20. Cavenda est, quæ etiam in prosperis supplantat, 776, 26. Nescit stare; et si ceciderit, non novit resugere, 777, 29. Testimonium dicere, veritatis est : meritum elationis non refugere, gloriantis, 795, 40. Nihil tibi declarandæ virtutis contemplatione faciendum, 1339, 18. Omnis qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit, 1005, 36. Immitis et agrestis est omnis malitia, et inflatur aerio quodam tumore, 264, 87. Christus humiliavit se, ut tuæ lapsum aboleret superbiæ, 1226, 17. Veritas adversaria superbiæ est, 1485, 60. est, 1485, 60.

Superborum descriptio, 250, 34. Cur omnis superbus immundus est in conspectu Domini? 1167, 31. Subtile cor sanctorum, coagulatum cor superborum, 1085, 19.

Superciliorum decus et utilitas, 136, 58; 235, 18.

Supplicium. Cur ea quæ ad usum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcis, 1343, 33.

Sylla Mario victori bella civilia commovit, 951. 21,

Synagoga nec initium nec finem habet, 1222, 3. Ejus caput erat Christus, 912, 62. Prior facta congregatio Dei, 984, 9. Postea derelicta, et quare? *ibid.* Legi nupsit, eaque mortua, Evangelio debuit nubere, 911, 61. Quamdiu viguit, laboravit Ecclesia : defectus illius, hujus est virtus, 1396, 57. Structura ejus Ecclesia surgente, dissolvitur, 1505, 6. Dereliquit Dominus judæos, et statim secuta est ruina Synagogam, 931, 13. Qui credit, non Synagogæ jam fructus est, sed Ecclesiæ, nec ex Synagoga nascitur, qui renascitur in Ecclesia, 1432, 172. Nemo de Ecclesia ad Synagogam sine periculo transit salutis, 1395, 52. Quam apte arbori fici comparetur? 1449, 161 *et seq.* Ejus mysteria videntur plerisque in Canticis exprimi, 984, 9. Quomodo Dominus condemnavit meretricios Synagogæ mores ?779, 6. Cain ejus figura fuit, 185, 5. *V.* Ecclesia *et* Evangelium.

Synapis granum Christus, 1454, 182 *et seq.*

# T

Tactu plerumque probamus, quæ oculis probare non possumus, 138, 64.

Ταπείνωσις et humilitas virtutis dicitur, et humilitas afflictionis, 1224, 10.

Tau Latina interpretatione significat erravit, vel consummavit, 1246, 1.

Taurini haustus sanguinis lethalis est homini, 48, 41.

Temperantia est correctionis prævia, disciplinæ magistra, 446, 5. Resecat cupiditates, 446, 8.

Templum quod ædificavit Salomon typus Ecclesiæ fuit, 1311, 89.

In Templis Dei conduntur fidelium Domino reliquiæ, 308, 80.

Tempus ab hoc mundo, non ante mundum, 10, 20. Divide saltem Deo, et sæculo tempora tua, 1218, 32.

Tenebræ sunt universa comparatione lucis æternæ, 926, 2. Tenebras cordis prope ubique loco criminis legimus, 920, 79.

Tentationem inter et probationem discrimen, 304, 66. Quando mens probetur? 318, 13. Diabolus sic tentat, ut exploret : sic explorat, ut tentet, 1339, 19. Tentat ille ut subruat, Deus tentat, ut coronet, 304, 66. Adest inimicus, qui semper insidiatur : et si illum non vides, adest : et si illum non sentis, incursat, 844, 7. Non impugnaret adversarius substantiam animæ, nisi potestatem accepisset a Domino, 855, 32. Nemo sine tentatione potest ex hoc vitæ curriculo demigrare, et cur? 1393, 39. Nemo potest esse expers tentationis, 1073, 46. Quomodo omne iter istius vitæ plenum sit laqueorum? 400, 24. Quo magis justus est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus, 810, 70. Prior hominum tentatio, quam natura quæ alimenta dedit, non vitia præscripsit, 79, 2.

Tentari sæpe justos cur Deus patiatur, 678, 9; 917, 71; 1196, 5. Homo nisi tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti paleas a se non potest separare, 903, 40. Propter peccatum tentationes sæpe nascuntur, 1083, 13. Tunc adversariis nostris potestas gravioris tentationis permittitur, cum culpa animæ gravior reperitur, 835, 48. Quomodo principes mundi te in tuo pectore interdum gratis persequantur, interdum non gratis, 1239, 6.

Tria præcipue docemur esse tela diaboli, gulæ jactantiæ, ambitionis, 1339, 17; 1343, 33. Tentamenta diaboli plena esse mendacii, 174, 61. Tentationes verborum maximæ sunt, 633, 8. Vides inopem justum tentaris, vides divitem iniquum tentaris, et hæc infirmitas serpit in multos, 1243, 20. Grandis laqueus cum divitiæ promittuntur, cum honores, cum amicitiæ tyrannorum, 1153, 35. Exiguis momentis mens inclinatur humana, et huc atque illuc per versutias suadentis frequenter impellitur, 1337, 10. Diversitas tentationum pro diversitate certantium est, 1344, 39. Multa imprimis noctis tempore tentamenta proserpunt, 1072, 45 *et seq.* Cavendum ne quos in domo Dei manus divina plantavit, manus adversa supplantet, 776, 27. Tempus tentationum tempus humilitatis nostræ, 1043, 7.

Quomodo Christus nos docuerit tentationibus resistere? 191, 16. Justorum est ut cum se tentari viderint, adjumentum deposcant, 921, 82. Rogare debemus ut eas tentationes subeamus, quas ferre possimus, 1343, 42. Manus Domini ibi dicitur esse, ubi est hominis, diabolo infestante, tentatio, 824, 21. Qui statuit custodire judicia Dei, non timet tentationes, 1146, 18. Cur tentationem neutiquam timere debeamus, 1344, 37 *et seq.* Quomodo diabolus dum sanctos Domini tentat, meliores reddit, 904, 40. Torrens voluptatis est in tentationibus fortitudo, 773, 24. His qui tentationes omnes subeunt, debetur paradisi requies, 756, 38. *V.* Diabolus.

Terræ qualitas et positio quæ sit? 11, 22. Quomodo invisibilis fuerit? 14, 26; 33, 7; 38, 14; 42, 23. Et incomposita, 15, 28. In tres species dividitur, continentem, insulam, peninsulam, 336, 33. Terra in qua consistimus, in hemicyclo cœli est, 1120, 20. Mensuram circuitus terræ Geometræ centum octoginta millibus stadiorum æstimaverunt, 115, 7. Eam comprehendere impossibile esse Scriptura demonstrat, *ibid.* Plerasque partes terrarum sæpe fuisse descriptas loquuntur historiæ, 1294, 38. Terra minima mundi portio est, 761, 49. Non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus, 330, 41.

Terræ fecunditas quanta? 46, 33. Ante et post hominis peccatum, 49, 45 *et* 46. Nihil inane germinat, 47, 39. Quomodo germinet ac fructificet, describitur, 46, 34. Decens ordo in terræ fructificatione, 49, 42.

Terra cœlestis quæ non præterit, quæ sit? 786, 20.

Testamentum dicitur, quo defertur bonorum hæreditas, 196, 28.

Testamentum vetus in typo, novum in veritate, 197, 28. Venit Dominus Jesus, novum detulit Testamentum, et illud quod erat vetus, factum est novum : evertit intellectum secundum litteram, et statuit intelligentiam spiritalem, 629, 12. Testamento novo divinæ gratiæ pignus tenemus, 197, 28. Cur Testamentum Domini canticum dicitur, 1052, 26. *V.* Evangelium *et* Scriptura.

Thales dixit quod omnia ex aqua constarent, 5, 6.

Thamar mulieris famosæ nomen in Dominica generatione cur Evangelista inseruerit? 1319, 17 *et seq.*

Theotimus sciens prudensque impetu libidinis oculos amissurus dixit : Vale amicum lumen, 1331, 64.

Theriacam de corpore serpentis confici solere dicitur, 173, 59.

Theth, id est, exclusio, 1079, 1.

Thomas non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse, 1540, 169. India illi patuit, 934, 21.

Thymallus piscis a flore nomen habet, 81, 6. De eo dictum : Aut piscem olet aut florem, *ibid.*

Digitized by Google

Tigridis catuli qua arte eripiantur, 120, 21.

Tigris fluvius dicitur esse velocior omnibus, 154, 17. Assyrios præterfluit, *ibid.*; 755, 36.

Timor ex corporalibus et materialibus nascitur, 1009, 1. Excludit timor timorem, 1241, 10. Si noxii nihil timerent, innocentes semper timerent, 1175, 18. Quæ pœna major, quam timere quod vitare non possis, nec quod timueris, evadere, 769, 8.

Timere virtutis est, 1076, 53. Est timor sanctorum, 1240, 8. Deum solum esse metuendum, 1436, 110. Timentes Deum et sapientes sunt et beati, 1056, 1. Christum timere, pietatis timor est, non infirmitatis, 1033, 3. Plenitudo sapientiæ timere Deum, 1151, 31. Nisi quis timuerit Deum non potest renuntiare peccato, 6, 12. Timor disciplina sapientiæ est, 791, 28. In eumdem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, et divina trepidantis, 1210, 8. Est timor qui configit carnes, 1169, 40. Contritio cordis et timor judicii salubriter compungunt, stimulant non vulnerant, 1252, 20. A timore Domini processus quidam est ad gratiam charitatis, 1237, 56. Basis aurea timor plenus disciplinæ, 1030, 38. Informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute formatur, cognitione regitur, pietate decoratur, *ibid.* Timor Domini nisi secundum scientiam sit, nihil prodest, immo obest plurimum, 1029, 36, 37.

Tobiæ misericordia commendatur, 501, 2 *et seq.*

Tonitrui filii quomodo homines esse possint? 412, 5.

Topazii lapidis historia, et qualitates, 1182, 41.

Trecentos T Græca littera significat, 287, 15. In trecentis crucem Christi significari certum est, 276, 123. Trecenta æra crucis insigne declarant, 1391, 30.

Trinitas distinctionem significat personarum, unitas potestatem, 774, 22. Nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus præter solam Trinitatis substantiam, 338, 58. Sola immutabilis est, 1119, 18. Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum habet, 1286, 13. Evidens testimonium ad probandam Trinitatem coæternam atque perfectam, 1346, 45. Hæc una sententia hæreticorum omnium machinas destruit, ut unius potestatis, majestatis atque virtutis Trinitatem esse credamus, 734, 72. Una Trinitatis voluntas est, 699, 71. Qui unius voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt potestatis, 1355, 3. Si unitas Trinitatis est, indiscreta utique magnitudo, sicut indiscreta operatio, 1458, 19. Unde colligatur unum esse regnum Patris et Filii et Spiritus sancti, 958, 8. Licet individua divinitas, distincta persona est, 1432, 92. Numquam potest a se Trinitas separari, 1312, 92. Ea specie videri potest, quam voluntas elegerit, non natura formaverit, 1274, 25. In constitutione mundi operatio Trinitatis elucet, 16, 29. In mysterio Trinitatis triplex sapientia, 1263, 5.

Filium Dei unius naturæ esse cum Patre, 518, 18. In Patre et Filio non una persona, sed una substantia est, 128, 41. Filii cum Patre unitas majestatis et divinitatis, 155, 26. Eodem Pater et Filius majestatis honorantur nomine, 31, 18. Pater et Filius per luminis et nominis unitatem ambo unum sunt, 774, 22. Fides æquat Filium Patri, atque utriusque eamdem gloriam profitetur, 142, 74. Cave ne putes Filium Dei non primum esse, quia Filius est, 1285, 12. Non alia voluntas Patris, alia Filii, 517, 60. Filius ejusdem cum Patre est Divinitatis, qui ejusdem est voluntatis, 862, 14; 864, 18. Sicut imago Dei Deus, sed unus Deus: ita et divinæ imago bonitatis bona, sed una bonitas, 1488, 68. Claret unum Patris et Filii esse dominatum, 1470, 248. Patrem et Filium potestatis unius esse, 1341, 27. Eamdem esse Patris et Filii gloriam eamdemque virtutem, 1309, 84. Una est operatio Patris, Filii et Spiritus sancti, et una operationis potestas, et majestas una factorum est, 729, 6. Unitas operationis in Patre et Filio, 832, 24. Cur Patri et Filio una virtus, et communis operatio, 875, 20. In operibus Patris Jesus videtur, in operibus Filii et Pater cernitur, 1268, 7. In Filio totus est Pater, sicut in Patre totus est Filius, 943, 18. Solum divinitas facit: generatio et Patrem testificatur et Filium; ut nusquam Filius sine Patre aut Pater videatur esse sine Filio, 1286, 12. Qui Filium a Patre separat, majorem Patri injuriam facit, 1033, 3. Pater in Filio personarum definitione distinguitur, potestatis veritate connectitur, 1305, 5. Cum solum dico Patrem, Filium non separo, 643, 15. Quomodo Pater complaceat in Filio, et Filius benedicat Patrem, 881, 55. Trinitatem confitentur qui ad baptismum veniunt, et quare? 1488, 67.

Tristitia quæ nobis sit utilis? 180, 75. Utilior sæpe est, quæ comitem solet habere gravitatem, 1116, 9.

Triumphantium pompa qualis olim fuerit, 1527, 109 *et seq.* Minuit fructum triumphi mercedis susceptio, 288, 17.

Triumviri ex hostibus amici, ex amicis rursus in hostiles tumultus sunt progressi, 934, 21.

θυμιατήριον quid? 335, 54.

Turtur, ne pullos suos incurset lupus, nido squillæ folia superjacit, 123, 29. Ejus viduitas laudatur, 104, 62. Compare amisso, concubitui indulgere non novit, 1212, 13.

Turtur marina post mortem amplius quam viva nocere perhibetur, 93, 31.

Tyranni qui jam victus interiit, imagines si quis habeat, jure damnatur, 853, 27.

# U

Ulyssem post decem annorum exsilia festinantem ad patriam Lotophagi, et horti Alcinoi retardarunt, ac Sirenum cantus ad naufragium pene deduxerunt, 1334, 2.

Umbra sua corpori omni adhæret, et quibus modis, 19, 5; 66, 11. Quare sol minores umbras faciat in meridiano, 72, 21. Cur majores in hyeme, in æstate minores, 73, 23. Umbra aliqua salutis est, 73, 22. Præterit umbra, non veritas, 1159, 6.

Unguentum olere luxuriosi hominis, vel potius non hominis est, 1390, 27.

Unitas prævaricari non potest, 153, 26. Coercet omnia, et regit, 972, 2.

Urias lux mea dicitur, 725, 49. Occisus est in typo Legis, ut Synagoga Legis laqueis solveretur, 725, 48.

Ursa fertur informes catulos lingua fingere, 119, 18. Verbasco vulneribus suis medetur, *ibid.*, 19.

Ursus æger formicas devorat, 123, 26.

Usura ab usu dicta, 605, 43. Cur græci τόκους appellaverunt usuras. Quodcumque sorti accidit, usura est, 607, 49. Sortem fenoris dicunt id quod debetur, 595, 14. Quæ bona et mala usura sit? 805, 62. Ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ, 608, 51. Malum est fenus quo quæruntur usuræ, 595 *et seq.* Veteris atque divinæ præscripto legis inhibetur, 606, 46. Arguuntur qui cum pecuniam dederint negotiatoribus, de mercedibus eorum tamquam usurarum emolumenta percipiunt, 607, 49. Scriptura feneratorem cum idololatra copulavit, ut crimen æquaret, 609, 52. Usuram petere, suffocare est: fenerare, est hominem occidere, 607, 46. Cavendum ne nos alieno obligemus debito, 639, 90. Dominus non nostræ, sed suæ pecuniæ, quærit usuram, 1494, 93.

Uxoris non tam pulchritudo, quam virtus et gravitas delectat virum, 284, 6. Nulli licet scire mulierem præter uxorem, 301, 59. Lex divina eam dimitti prohibet, 1471, 4 *et seq.* Vulgus mulierum nunc male audit, ut, relicto seniore marito, juniorem sequantur, 1853, 134. *V.* Conjugium *et* Matrimonium.

# V

Valentinus hæreticus vulneratus est, 1480, 41.

Vanitas temporalium est, veritas æternorum, 1016, 25. Sapiens qui cognoscit hujus sæculi vanitatem, non diuturnam vitæ hujus precatur usuram, 857, 36. Avertamus oculos nostros a vanitatibus, ne quod oculos viderit, animus concupiscat, 1026, 27 *et seq.* *V.* Mundus.

Vau littera cujus interpretatio, ille est, et non alius: vel, et ille, 1033, 1.

Vena plus habet sanguinis quam spiritus, 266, 92. Venarum pulsus infirmitatis vel salutis internuncius, 141, 73.

Venerarium, locus ubi passus est Christus, 938, 5.

De Venatoribus nullum in divinarum serie scripturarum justum invenimus, 1071, 42.

Venenati alicujus animantis creaturam condemnare non debemus, 147, 7. Quare cum utilibus alimentis lethalia et perniciosa generentur? 47, 58 *et seq.* Ad correptionem nostram nata sunt, non ad deformationem, 126, 38. *V.* Serpens.

Verbum Dei substantivum unum est, et non multa verba, 529, 55. Verbum Dei est nomen Patris, 896, 19. Non opus est, sicut quidam ait, sed operans, 198, 52. Vita est, et quamobrem? 793, 34. Regale est, judiciale, et plenum justitiæ sacerdotalis, 361, 14; 423, 14. Ubique est, 199, 52. Vocem non habebant, qui Verbum negabant, 1159, 6. Qui verbum videt, qui particeps Verbi est, utique et ipse est: qui autem nescit Verbum, non est, 812, 78. Verbum cognoscere majus opus est, quam ministrare, 1106, 11. Verbi cœlestis virtutes cognitione sunt placidæ, non sonitu ac fragore terribiles, 930, 10. In cœlo permanet Verbum, quia inde dejectus est Satanas, 1117, 10. Omnia nobis factum est Verbum Dei, 927, 4. Quale Verbi divini cum carne conjugium? 726, 51. Verbum Dei sanitas est, 823, 19. Osculatur nos Dei Verbum quando sensum nostrum Spiritus cognitionis illuminat, 975 5. Osculum Verbi est lumen cognitionis sacræ, 359, 8. Verbum divinum nobis aliquando vere moritur, 422, 13. Unum Verbum multa sunt, et multa verba unum est, 999, 20. *V.* Filius *et* Trinitas.

Digitized by Google

Verbum prius intus operatur, sequitur vocis officium, 1303, 68. In hominibus verbum consecratur voce doctoris, 1305, 73. Nihil apud me distat in verbo, quod non distat in sensu, 1296, 42. Negligere verba debemus, spectare mysteria, *ibid.* Otiosum verbum est, loqui opera hominum, pro quo rationem sumus reddituri, 1251, 20. Si pro otioso verbo periculum est, quanto magis pro criminoso, 844, 5.

Verbo Dei semper possumus inhærere et noctibus et diebus, si in lege Dei meditemur die ac nocte, 876, 23. Quomodo nunc viventes umbram sequimur verborum Dei? 999, 19. Numquam negligamus verbum Domini, ex quo nobis omnium origo virtutum est, universorumque operum quidam processus, 1144, 12. Non gladio diabolus sed verbo Dei vincitur, 845, 7. Debitor est omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, 615, 71. Sed nulli est auferendum, *ibid. et seq.* Non multi sunt, qui verbo Dei vivunt, 114, 91. Verbum Dei aliis magna lux est, aliis lucerna, 1141, 6, 9. Verbum Dei gladius est Spiritus sancti, et gladius spiritus nequissimi est verbum malum, 788, 24. Clavis tui oris est, 1367, 48. Repulsorium tædiorum est, 1015, 15. *V.* Meditatio.

Veritas tota hic non potest comprehendi, 999, 19. Nunc de iis quæ non comprehendimus, loqui vera non possumus, 810, 68. Quomodo fiat processus a veritatis confessione ad cognitionem justitiæ divinæ, 1238, 57. Anima solum veritatis attingit, quando se ab isto secernit corpore, nec a sensibus illuditur, 394, 10. Periculum est non solum falsa dicere, sed etiam vera, 990, 25.

Vermis indici conversiones, 109, 77.

Vermes qui in visceribus puerorum ex cibi indigestione nascuntur, potu extinguuntur amariore, 347, 38.

Vespertilionis descriptio, 111, 87.

Vestis mollioris cura plerosque effeminat, 1381, 107.

Viæ Domini cur fugiantur? 639, 16.

Videntes aliquid illius qualitatem assumunt, 95, 36.

Viduitatis quanta gratia, 105, 62. Si coegisti viduam prosilire in publicum, inverecundius quam injustius litigare, iniquissime egisti, 1171, 7. *V.* Virginitas.

Vincula Domini quæ sint? 1071, 43. Quæ sint diaboli vincula, quibus nos ligat? 1071, 42.

Vindicandum in quos arbitraris, eorum propius scrutanda commissa, 298, 47. Bonum est convicium convicio non referre, sed silentio redarguere conviciantes, 653, 4, 5 *et seq.* Melius est dissimulare injuriam, quam cum redarguis, vindicare, 836, 43. Perfectus vir non movetur ulciscendi doloris injuria, nec malorum rependit vicem, 481, 3. Beatus qui potest tantam habere virtutem, ut lacessitus non irascatur, commotus se nolit ulcisci, 835, 43. *V.* Charitas *et* Inimicus.

Vineam cur Noe prius plantaverit quam triticum aut hordeum, 271, 108. Quam recte ei populus Christianus compararetur? 1300, 29.

Vinum cur Deus dederit? 62, 72. Noe per vinum patuit deformitati, qui per diluvium excrevit ad gloriam, 62, 72. Ebriosi est omne absorbere vinum, continenti autem utendum mensura legitima, 272, 111. *V.* Ebrietas *et* Noe.

Viperæ partus suam scindit parentem, 768, 6. Os ejus calcatum gravius quam venenum nocere perhibetur, 93, 31.

Viri persona in omnibus curiis generis asserit dignitatem, 1311, 3, 4.

Virga præferendæ potestatis insigne est, et ulciscendi instrumentum doloris, 1424, 59.

Virginitatis et viduitatis ante Christi adventum nondum vernabat gratia, 1320, 18. Nunc plurima virginalis integritatis exempla, 317, 12. Quid intersit inter mulieris et virginis verecundiam, 1283, 9. Quantam virgines verecundiam servare debeant? 312, 93. Teneram esse virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris, 1231, 1. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri, 1281, 8. Demorari non debent in publico, et in plateis, 1288, 21. Decet ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, 1289, 22. Impossibilem non esse Virginis partum, 105, 63. Virginum lilia ubi quærantur? 1411, 128. *V.* Puella.

Virgultorum remedia, 47, 87.

Virtutum Cardinalium initia unde philosophi transtulerint, 150, 14. Quosdam in gravissimis criminibus continuis lusere virtutum, 824, 20. Virtus et voluptas sub typo quarum mulierum inimicitiis ac discordiis dissidentium, describuntur, 188, 13. Simplicitatem sine arrogantia, charitatem sine invidia, devotionem sine iracundia esse debere, 1416, 23. Quicumque studio fuerit virtutis accensus, omnes delicias veneris excludit, 266, 93. Eadem virtutis natura, quæ nemorum, 1336, 8. Virtus quasi materia quædam virtutum est, 1371, 65. Quomodo justus virtute quasi speculatrice utatur, 259, 65. Apud ignavos nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur, 188, 12. Quanto tolerabilius est amare virtutes, etsi implere, non possis, quam odisse virtutes, quibus nocere non possis, 826, 25. In sermone sanctorum virtus est, 1107, 12. Munimenta virtutis æterna, 788, 23. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur, 397, 17. Virtutes sibi sunt connexæ et concretæ, 153, 22. Una tamen in sanctis habet principatum, 1370, 63. Quando virtutes perfectæ sint? 208, 8. Soli Deo gloria virtutum debetur, 799, 50. Magisterio divino processus humanæ virtutis excrevit, 653, 6. Vireta virtutum fontem habent Christum, et spiritalis ubertatem gratiæ, quo exuberent, 327, 34. Finis omnium virtutum Christus, 1129, 48.

Virtutes perfectæ totum accipiunt gloriæ patrimonium, usitatis et mediocribus vile aliquid aspergitur, 194, 23. Singularum virtutum coronæ sunt, 1161, 11. Sola virtus comes est defunctorum, 1439, 122. Mors vilis, sed pretiosa virtus 1437, 17. Mori non potest, quem humeris suis virtus portaverit, 1255, 31. Qui deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suum est, accipit quod æternum est, 1105, 6. Deus ipse est merces perfecta virtutum, 1059, 11.

Virtutis signa ad fidem, opera virtutis ad imitationem describunt Evangelistæ, 1336, 4. Numquam sine virtute spiritus, nec sine spiritus virtus est, 1278, 56.

Vita est spirandi munere frui, mors privari, 389, 2. Vita nostra cœpit ex inspiratione divina, quæ non solvitur, 1091, 15. Brevis hujus laboris est meta, et corona perpetui fructus: tolerabilis passio, merces inæstimabilis, 452, 23. Forte propter peccata hominum breviores vitæ istius dies fecit Deus, quæ ante ad nongentos et septingentos annos extendebatur, 851, 21. Vita in corpore umbra est vitæ atque imago, non veritas, 998, 18.

Quæ sit vera vita, 1032, 46; 1100, 40. Hoc est vita frui bonis, mors contra bonis exui, 389, 2. Bonum vita est, sed æterna, 432, 37. Vitæ imago ex cœlo desumenda, 1116, 8 *et seq.* Quid sit vita vivere, morte mori, vivere morti, et mori vitæ, 264, 44, 45. Vita vivere plus est quam vivere, 1004, 33. Vita nostra aut virtutis via est, aut iniquitatis, quarum una est eligenda, 748, 25. Examinatur igne, ut virtus certaminibus approbatur, 1097, 30. Dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, 744, 16. Certamen debetur, non præmium, 811, 73. Hæc vita non est loco præmii, quæ in loco mortis est, 996, 1. Quam multi viventes in inferno sint, 1253, 24.

Vitis nobis ad imitationem proposita, 53, 52. Laudatur, 51, 49. Cum Ecclesia comparatur, 52, 50.

Vitia prima cavenda, 750, 28.

Volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit, 1436, 111.

Voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium, 1148, 24. Multum refert inter eum qui necessitate invitus aliquid agit, et inter eum qui ex voluntate quod bonum est, eligit, 1402, 80. Dominus operationes servulorum suorum spontaneas probat potius quam coactas, 1131, 3. Voluntarium sibi militem elegit Christus, voluntarium servum sibi auctionatur diabolus, 447, 10. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit, 447, 10.

Voluptas ejusque artes eleganter describuntur, 189, 14. Sollicitatio a voluptate quomodo virtus saniora consulat? 190, 15. Quomodo carnis voluptas sapiens dicatur? 169, 54. Christus naturales amputat voluptates, 1469, 1. Cur Epicureis voluptas summum bonum visa est? 351, 85. Confutatur eorum opinio, 314, 3. Resoluto mentis vigore, illa sese effundit, 357, 2. Nihil prodigæ satis est voluptati, 1463, 215. Pro animi voluptate corporis salus plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur, 1351, 64.

Votum est postulatio bonorum a Deo cum solvendi muneris promissione, 196, 25. Prima ejus gratia est celeritas solutionis, 197, 29 *et seq.*

Vocis utilitas, 139, 67. Vox est operum, fideique clamor, 1280, 41.

Vulnerum triumphalium bonæ cicatrices, quibus victores hujus terreni prælii gloriantur, 839, 55.

Vulnus est mentis, et quomodo curari debeat? 1238, 2 *et seq.*

Vultur sine ullo masculorum concipit semine, 105, 64. Usque ad centum annos vitam producit, 105, 64. Signis quibusdam mortem hominum annuntiare consueveit, 110, 81.

## X

Xenocratis historia, 1182, 41.

Xenophon Socraticus fictis rebus personam voluit informare sapientis in libro, quem Κύρου παιδείαν inscripsit, 282, 2.

## Z

Zabulon significat liberationem a nocturnis, 521, 26. Benedictio ejus explicatur, 521, 26.

Zacharias videtur summus Sacerdos designari, et esse figura Christi, 1273, 22.

Digitized by Google

Zachæus cur Christum interioris domus recepit hospitio, 1492, 81.
Zain significat latine, duc te, vel huc, 1045, 1.
Zara interpretatione significat Oriens, 1321, 22. Typus fuit Christi, 1324, 29.
Zelum aliud esse, aliud parazelum, 779, 5. Est zelus ad vitam, et est zelus ad mortem, 1197, 10 *et seq*. Zelum qui habent omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, etiam patrem, fratres, sorores, 1198, 12.
Zenon Stoicorum magister, atque auctor sectæ ipsius, 328, 57.

# INDEX VERBORUM, SENTENTIARUM,

## DOGMATUM DIFFICILIORUM, ET RITUUM VETERUM QUÆ IN NOTIS EXPLICANTUR.

Abalienare quid sit? 355.
Abrahæ nomen unde Ambrosius deduxisse videatur, 313.
An Abrahamus proditi uxoris Saræ pudoris juste accusetur? 285.
Absolvo, id est, concludo ac evinco, 824.
Abstemius quid significet? 1223.
Acerbo, vel melius acervo, id est, exaggero, 267.
Acroama, quid significet? 34.
Acta, actæ, quid? 93.
Actor agri, id est, rusticus œconomus, 287.
*Adam*. Salit Christus super Adam, 1034.
Adipsal ab adipe dicitur, 665.
Adolere libidines, 17, 1038.
Ἀδολεσχῆσαι, id est, hallucinari, 1013.
Advocati seu annotati qui fuerint? 1063.
Adulterium ante legem Moysis an prohibitum crediderit Ambrosius, 289.
Ἀὴρ pro ἔαρ vernum tempus, 263. Hic aer quantos alere populos potest? 568.
Æthiopes mercatus, pro Æthiopici, 827.
Agonothetes quis? 550.
Albæ vel albulæ, 53.
Albugo quid? 592.
Alexandrum nec ipsa terra capiebat, 955.
Alienam fugere, 440.
Allegat Paulum, 507.
Alloquio carnis fungi, 975.
Amalec per interpretationem rex accipitur iniquorum, 7.
Ambrosius an memoria lapsus, 476. Per Epiphania festa apud catechumenos sermonem habebat, 1354. Quomodo populus Ambrosio sacerdotium detulisse censendus sit? 1490.
Apologia Davidis secunda an genuinus sit Ambrosii fetus, 703. *V*. David.
Amiantus quid sit? 541.
Amystide bibere, 535.
Ammaon et Cleophas discipuli, 725, 1542.
Anaboladium quid? 520.
Anaglypharii qui sint? 605.
Ananias et Saphira an morte æterna damnati? 1197.
Ancylæ suffragines seu curvaturæ cubiti vel cruris, 124.
Andragathius priusquam necem inferret Gratiano Imp. dedit operam ut ad Maximum duceretur, 964.
Angeli quando creati, 737. Num Deum videant, 1274. De eorum lapsu quid senserit Ambrosius, 231, 677, 1011.
Anima irrationabilis, 1460. Superiora animæ, 338. Quæ sint illius post mortem habitacula? 385. Num post finem vitæ hujus adhuc futuri ambiguo suspendatur, 409.
Apollinaristæ castigantur, qui contendebant divinitatem Christi passam esse, 1515.
Apostoli simpliciter et sine addito dicentes nominantur, 755. Apostolicus cibus, 1165.
Apostrophe quid sit? 964.
Apothecas numerat, 750.
Apsida quid? 849.
Ariminensis concilii finis infaustus, 1372.
Arbiter et præliator, 832.
Argumenti ingenia, 794.
*Arrius*. Propter eum Christus imperat, 1555.
Aspendius citharista, 742.
Athleta assignatus, 800. Athleticæ epulæ, 1124.
Attactu nullo, id est, sensim sine sensu, 1037.
Averruncare quid significet? 939.
Augusta definitio, id est, imperialis constitutio, 1232.
Avis pia, id est, ciconia, 120.
Aulicorum consentus sonorum, 1467.
Austrigo, ustrigo, id est, uredo, 49.
Auxentius arianus designatur, 1422. Crudelis lex ab eo scripta, gladius dicitur, 1423.
Baculus nucinus ab Hieremia visus, 886.
Bethel quid? 318.
Bethleem Ambrosio idem ac Bethel, 469.
Baptismate abluendi non modo jejuniis atque orationibus, sed etiam confessione peccatorum sese ad sacramentum præparabant, 383. In baptismo totius corporis immersio, 1177. Quo sensu, cum baptizamur in Jordanem descendimus? 966. Baptizatus non offerebat, nisi octavum ingrederetur diem, 971. Baptismi et pœnitentiæ perniciosa dilatio, 1464. *V*. Sacramenta.
Barbam ponere, crines promittere qui solerent? 1320.
Baruch cur nomine Hieremiæ citatus? 199.
Beatitudo. *V*. Anima.
Benedictiones seu beatitudines, quid significent, et quando in Ecclesiis decantarentur, 1217.
Bravium corona est seu victoriæ præmium e ramis variarum arborum, 57.
Branchiæ in piscibus, 83.
Bruchus quid significet? 63.
Bullis aureis zonam tegebant, 549.
Cadavera apud Græcos et Romanos combusta, 981.
Cœlorum concentus et harmonia, 577, 758.
Cœlestis potentiæ substantia, 898.
Cain an a Lameth interemptus? 1475.
Calligonus eunuchus ab Ambrosio notatus, 496.
Canere intus quid sit, 741.
Cantus in Ecclesia. *V*. Evangelia. *et* Psalmi.
Capere imprudentem, 283.
Capitis pœna, 1221. De Capite decernere, 596, 1065.
Capite minutus, hoc est, nobilitatis dejectus gradu, 601.
Castimonium, pro castimonia, 285.
Catadupa quæ sint? 25.
Catechumeni bis nomen dabant, 1354. Eorum gradus, 545. Sal cathecumenorum, 1513.
Censio, id est, censura ac moderatio, 315.
Censoria Romanorum disciplina, 1295.
Census quid sit? 1171.
Cernimus, decernimus, id est, militamus, 455.
Centrum, id est, stimulus vel spiculum, 5.
Centesima quid sit? 466.
Cervus more vulgi in principio anni allusit, 639.
Chaldæi in quibus numeris docti? 1297.
Chælæ in cancris, quid? 88.
Christianus privilegio caret, 816.
Christus de Tribu et semine Zaræ generatus, 1327. Cur Ambrosius tanto studio de illius genealogia disputet? 1329. Ipsum notas omnes affectuum humanorum, sed innoxiorum suscepisse, 899. Illius anima dispensationis temporariæ arbitra, 957. Subjectio ejus deposita cum ipsius corporis servitute, 958. Eum Judæi ex muliere venturum putabant, 1307. An in stabulo, vel saxea spelunca natus sit? 1294. Quæ ejus patria? 1346. Corpus suum lapidari passus est, 828. Quo mundi loco crucifixus? 158. In venerario passus est, 938. Et sabbato magno, 1476. Persecutores ejus de qua tribu essent? 472. An in morte ejus divinitas a corpore vel anima separata sit? 1531. Triduum mortis ejus quomodo explicetur? 915. Peccati pretio tenetur, 489. Quomodo mundi peccatum nullo alio modo quam ejus sanguine potuerit aboleri? 942. Illi naturaliter suppetebat peccata donare, 1285. Ambrosius quæ proprie Verbo conveniunt, ea Christo attribuit, 1207. Christus dicitur fides, et quam ob causam? 412.
Circenses ludi et theatralia spectacula, 1025.
Clindiæ, seu clindia, 554.
Coccus pro igne in Scriptura positus, 1201.
Codrus ultimus Atheniensium rex, 1409.
Cognoscere te ipsum: et quis auctor hujus sententiæ? 985.
Collatio, id est, pecuniæ collectæ erogatio, 870.
Colludium quid significet? 978.
Collyrium quid, et quomodo fiebat? 1000.
Commenta cœlestia, idem sonant ac liber vitæ, 250.
Commune in Scripturis idem quod pollutum et unde verbum communico, idem sonat ac polluo, etc., 165, 681.
Communitas naturæ, 456.

Digitized by Google

Κόνδυ genus mensuræ est, 822.
Confessio peccatorum exterior et verbalis, 1465. Ejus necessitas, 1525. *V.* Baptismus *et* Pœnitentia.
Confessores qui dicantur, et cur eis violæ assignentur? 1441.
Confugere crimen, 419.
Conscientia, id est, cognitio, 925.
Consortium sumitur aliquando pro vicinia et connexis ædibus, 1077.
Conspersio idem significat ac confusio, 207.
Contagium maculatæ carnis, id est, lepra, 681.
Convenit, id est, judicio persequitur, 977.
Convivia super sepulcra Martyrum, 333, 353. Quanta olim reverentia etiam apud barbaros culta esset mensæ atque conviviorum societas? 875. Pugnare inter epulas Thracibus mos erat, 548.
Corona olympica, 41.
Corona viridis, 1026.
Cornu vini plenum, 549.
Crimen, id est, criminatio, 592.
Cromata quid significent? 34.
Curiæ quæ fuerint? 1314.
Curule certamen quale fuerit? 689.
Cygnea gratia senectutis, 804.
Dallæus arguitur, 969, 973.
Davidis nomen quid significet? 720, 39. In Apologia Davidis altera non destrui veritatem historiæ adulterii ejus, 721.
Dejicere de muro, 599.
Dependentes nostro judicio, 857.
Depositus, id est, desperatus, 101.
Derivare culpam quid sit? 219.
Definitionum genera quomodo suppetisse Jacob dicatur? 437.
Despicere idem aliquando ac dispicere et considerare, 361.
Devotio, id est, obedientia in exsequendis Dei mandatis, 280.
Deus non per adjunctionem personæ, sed per universitatem naturæ Dominus, 1495.
Diaboli judicium dilatum, 1228.
Diapsalma in psalmis quid sit? 851.
Dictamnum herba, quæ et ubi nascatur? 123.
Dictio interdum idem ac oracula, 886.
Disputatio sæpe idem significat ac tractatio seu prædicatio evangelica, 1494. Ordo disputationis est ordo tractatus, 1408.
Distrinximus, seu distinximus, 680.
Divortium an lege humana prohibitum? 1471.
Doctrina idem est ac disciplina et institutio, 185.
Dolus bonus, 461.
Dorcadion visus acutioris est, 1035.
Divitis epulonis pœnæ, 1228.
Dypticum quid sit? 88.
Echidna vel echinna vipera est femina, 601.
Ecclesia nescit publicare leges suas, 420.
Ecclesiasticus liber an authenticus, et quis illius auctor? 807.
Ecclesiastis liber Salomoni asseritur, 606. Per vocem In *Canticis* designatur, 831.
Edictum meruit, 591.
Elationis meritum, 496.
Electio consecuta est, quæ vocantem audivit, advenientem suscepit, 905.
Eliæ cibum cœlestia ministrabant, 792.
Elimas de quo Act. IV, alibi Barjesu, alibi Barjeu dictus, an et Hymnus appelletur, 77.
Ellychnia incombustibilia, 541.
Emblemata figuræ sunt atque ornamenta vasi cuipiam superaddita, 594.
Enchoria, aves indigenæ et nostrates, 99.
Epilogus, id est, querela, 121.
Ἐπινίκιος hymnus, 811.
Episcoporum privilegia erga incarceratos, 1071. Illis non solum admonendi, sed etiam coercendi jus fuisse, 1490. Vetus consuetudo consecrationis antistitum quotannis celebrandæ, 1489.
Eruditio quandoque idem sonat ac verberum castigatio, 1145.
Esaias an in duas partes sectus occubuerit? 1123.
Esdræ liber quartus an apocryphus? 387.
Evangelia et lectiones in Ecclesia non cantatas, sed lectas fuisse, 763. Pseudo-evangelium Duodecim, 1265. Pseudo-evangelium Basilidis, 1265. Pseudo-evangelia complura sub variorum apostolorum nomine, 1265. Varii hæretici Evangelicos textus corruperunt, 1266. Hæresis multa Evangelia composuit, 1473.
Eucharistia per antonomasiam sacramentum appellatur, 696. Mysteriorum ac præcipue Eucharistiæ cognitio catechumenos celabatur, 316. Verum est sacrificium, 1275. Sanguis Christi in Eucharistia rosa dicitur, 1139. Consuetudo eam non nisi ore jejuno recipiendi, 1073. Mos in Ecclesia latina diebus jejunii sacrificium offerre, et Eucharistiam sumere, 1074. Mos quotidie Eucharistiam sumendi, 1203. Viaticum est infirmorum, 1165. Effectus ejus mirabiles, 1074. Christus in præsepibus, ut tu in altaribus, 1295.
Eugenii bellum designatur, 789.
Exercitationis vir, 745.
Non Exorata venia discedere, 561.
Ante Exspectatum Sara paritura, 436.
Facies pro totius corporis compositione, atque exteriori conspectu, 675.
Facilius acceptior, 1005.
Facilitas pro jactantia, 1343.
Fenerare in bonam ac malam partem usurpatur, 594. Fenus pro sorte aliquando ponitur, sæpius pro usura (*V.* Usura), 594.
Ferentarii milites, 549.
Fibra peccati, 956.
Fidei virtutes duæ, 197. Operum bonorum necessitatem fides non excludit, 1480.
Fidiculis exulcerati, 554.
Fiducia quid sit? 604.
Filiis qui carerent, mulctati, 1319.
Φλόμος latine Verbascum herba, 119.
Forensis species, 1010. Forensia vestigia pro motuum signis exterioribus sumuntur, 281. Sermo foris, 738.
*Fornicatio.* Libidinis tentamenta moliri cum ancilla vel meretrice vulgari peccatum est, 975.
Frigus urit, 49.
Fucus quid proprie significet? 1527.
Garnerii correctio expenditur, 1299.
Gelasii decretum de libris prohibitis, an revera ab ipso, vel ab Hormisda emanarit? 1266.
Gentilitas quid significet? 1006.
Genus pro specie, et species pro individuo, 349.
Gervasius, Prothasius, et Nazarius, 1453. Gervasii et Prothasii dies festus, 1036.
Gignentia pro genitis, 331.
Gratia pro merito, 1179.
Gratianus imperator interficitur, 961. Calumniis appetitur, 963. Ejus cædis circumstantiæ, *ibid.* Ejus mors plangitur, 684. Ambrosius sepulturam ejusdem a Maximo petiit, 965.
Gratianus castigatur, 358. Idem et magister sententiarum arguuntur, 211.
Hebetare, id est, retundere vel minuere, 1120.
Hæsitanda proditio, 948.
Hallucinari quid sit? 356.
Hasta agitatur, 543.
Hebdomas semper virgo, 349. Non mala ovis rationabilis hebdomadis filia, 681.
Heptamixo in spiritu, 725.
Heptateuchus quid contineat? 1241. *V.* Scriptura.
Herodis genealogia, 1329.
Hierodulus quis fuerit? 1329.
Hominem mundo magis quam sibi nasci, 1087.
Horoscopium est instrumentum ad notandam horam natalem, 67.
Hosanna an male Ambrosius interpretatus sit? 1497.
Hunni, sive Chunni quomodo bellum omnibus rationibus inferant? 605.
Hymni et oracula, 426.
Hypotheca quid sit, 604.
Icterico morbo medendi virtutem aviculæ cuidam tribuit Plinius, 1094.
Ictus sanguinis, 542.
Idololatria in quo sita esset? 1095.
Imaginum cultus, 1096. Mos vetus imperatorum imagines floribus coronandi, 1095.
Immunda animalia per numerum, 1421.
Impios inter et peccatores quomodo Ambrosius distinguat, 1031.
Incarnationis mysterium antiquis Patribus fuisse cognitum, 419.
Incentoria æmulationis, 780.
Indicare pro accusare, sive crimen deferre, 1051.
Indici lapides, 53.
Infernus locus terra est et cur? 369. An ignis inferni, et aliæ pœnæ corporales sint? 1459.
Injuriis domari, id est, verberibus, 333.
Intelligibile idem est ac spirituale et mysticum, 378.
Instar, id est, exemplum seu imago, 1156.
Intentione ducimur, 474.
Interpellatio, id est, expostulatio seu querela, 621.
Involare unde dicatur? 495.

Digitized by Google

Iphigeniæ sacrificium, 1408.

Jacobus primus solium sacerdotale conscendit: et quis ille? 1413.

Jejunii præceptum atque obligatio, 1073, 1286. Consuetudo diebus sabbati et dominicis non jejunandi in Ecclesia Mediolanensi, 1073. Diurna adoruare jejunia, 369.

Joseph tempore passionis Christi an superstes fuerit? 1284. Cujusmodi faber fuerit? 1313.

Joseph alibi viginti, alibi viginti quinque, alibi triginta aureis emptum legimus, 488.

Judæ epistola canonica, 1393.

Judæ proditio in psalmo LIV declaratur, 394.

Judaici populi gratia fuit, ut cognosceret quos referre deberet in numerum prophetarum, 1265.

De Judicio ultimo et resurrectione, 733.

Jugum rectum animæ quid sit? 966.

Jurandi tactis Evangeliis consuetudo, 964.

Juris vinculum quid sit? 577.

Justi per ignem probandi, 790, 997.

Justa exequiarum, 687.

Justinæ imperatricis persecutio, et secuta pax designantur, 1502.

Juvenculæ Davidem prædicantes, 529.

Laxare exsilio, 1065.

Λειόστρακοι quid? 80.

Legitima necessitas ea est quam lex imponit, 1148.

Lentandum, id est, lente moderandum, 1536.

Lepidus quis fuerit? 933.

Leporum frequens partus, 605.

Lex primitivi, 500. Quæ Legis sunt ferens, 518.

Libertate donatus patrono reverentiam atque obsequium debebat, 447.

Librorum pravorum prohibitiones, 1236.

Libri consolationis et resurrectionis, 762.

Lignum tenemus, id est, ligneas tabulas cera obductas, 398.

Linea intueri extrema, 1040.

Locustæ an animalcula sint? 1304.

Lot filiæque ejus ab Ambrosio excusantur, et quare? 300.

Post Luctum ambulare, quid? 687.

Lucas ad quem suum Evangelium scripserit? 1269.

Lustrale certamen, 885.

Lutum esse de corpore, quid? 351.

Magdalena Ecclesiæ typus, 1540.

Magi numorti ex Balaam, et magicis artibus imbuti? 1297.

Malachiæ liber Ezechieli adscriptus, 789.

Μαλακία quid? 80.

Μαλακόστρακα quid? 80.

Male assueti, 597.

Maligna lux quid? 1136.

Mandare occulta, id est, commendare, 927.

Mandragoræ mares et feminæ, 1215.

Matrimonium inter personas cultu dispares an validum? 1235, 1470. Causæ nubendi quæ? 1282. Quæve maritalis necessitas? 284.

Manichæorum duplex error, 1337. Christus tangit propter Manichæum, 1355.

Manipulus triumphalis, 1034.

Manum tenet, id est, syngrapham debitoris manu subscriptam, 601.

Maris pontus, 37.

Mariam in peccato non conceptam, 1039. Christus redemptionem inchoavit a matre, 1287. An ejus vulva aperta, et ipsa in partu virgo dicenda sit? 1300. Quo sensu dicatur argui a Christo? 1301. Qui fuerint hæretici qui matrem a Christo negatam adseruerunt? 1391.

Maria soror Lazari, ac Maria Magdalenæ an plures personæ fuerint? 1387.

Matthæus e quo genere publicanorum? 1359.

Matthias cur sorte electus sit apostolus? 1273.

Mathusala quo tempore sit mortuus? 1332.

Maximus Imp. a Theodosio victus, et quo modo, 965.

Medico eget, qui moventur, 961.

Medie respondit, 1339.

Medie posuit filium, 1178.

Mendacium fuisse aliquando licitum an putaverit Ambrosius, 305.

Meritorium quid significet? 977.

Micabant cra, 1035.

Miles pacis, id est, Christianus, 1373. Quid sit militum donativum et promotiones? 742. Multa quæ ad veterem spectant militiam, breviter explicantur, 1017. Apud Romanos legionis signum erat aquila, draco cohortis, 330.

Missæ vespertinæ, 1074.

Missionis gratia, 404.

Monoceros et unicornu, 529.

Mons perduellem angelum significat, 929.

Moralitas quid significet? 811.

Morale est, idem nonnunquam significat atque in more positum est, 503.

Mors celebrata, et mors adumbrata, 423.

Motus duri, 462.

Moyses an secundum Ambrosii opinionem mortuus sit? 185.

Mundi annorum supputatio, 1411.

Muneribus vallata, 477.

Muralis claritudo divinitatis, 1020.

Mydæ regis Phrygiæ fabula, 1405.

Mysticum et morale quid significent? 1147. Mysticus sensus in Scripturis non excludit naturalem et litteralem, 1148. Nec veritatem historiæ, 722. An præstantior morali, 737, 680.

An ratio mysterii excuset a peccato, 487.

Natalis dies principum et regum quotannis celebratus, 771.

Natura vehementior, id est, mare, 1144.

Naturalia verba, 424.

Nidum violare, id est, thorum, 349.

Nilus an idem ac Geon? 343.

Notatus, id est, culpatus aut reprehensus, 461.

Novatiani arguuntur, 1183, 1468.

Nutritores servi, 598.

Nuditatem hominis Ambrosius eodem modo ac Augustinus explicat, 967.

Oblatio, id est, corporis Christi sacrificium, 1074.

Occatio quid significet? 46.

Pro Octava multi scribuntur psalmi, et mandatum accipis octo illis partem fortasse dare benedictionibus, etc. 1367.

OEconomia quid? 302.

Officia, id est, Officiales, et quinam isti fuerint? 1007.

Olea cur pacis symbolum? 1312.

Opobalsamum ubi gignatur? 995.

Orantes Christiani in Ecclesia se in terram prosternebant, 1236.

Oracula. *V.* Hymni.

Origenistas occulte perstringit Ambosius, 1081.

Orionis Bœoti filiæ ultro sibi violentas manus intulerunt, ut pestem sedarent, 1408.

Oziam trinominem fuisse, 1331.

Palmatæ triumphales, 759.

Parasiti qui sint? 954.

Paradisus terrestris quis, et ubi sit? 1009. An quæ de paradiso, ac mulieris et serpentis colloquio leguntur, solo sensu allegorico interpretari liceat? 149.

Partus legitimi tempora, 1162.

Pastor quis dicatur? 545.

Paulus proconsul, 530.

Peccator, id est, diabolus, 789.

Peccatum originale quid, 947.

Peccata duplicia, 477. An homo possit esse sine peccato, 1271, 477.

Pentateuchus, 1364. *V.* Samaritani.

Pentecostes omnes quinquaginta dies ut Paschæ celebrandos, 1476. Consuetudo non jejunandi quinquaginta diebus a Paschate ad Pentecosten, et crebrius canticum Alleluia concinendi, 688.

Perfunctio, id est fruitio, 66.

Permolere, vox metaphorica, 87.

Persa quid significet, 755.

Pestilentia non solum homines, sed pecora ipsa devastans, signo crucis depulsa, 1505. *V.* Orion.

Petrus num Christum negando peccaverit? 1521. Lapsus est ob jactantiam, 1523. Cruci affixus inverso vestigio, 636.

Philosophiæ triplex divisio, quam vulgo Platoni attribuunt, 1261.

Photinus arguitur, 1355.

Planus sermo quis sit? 759.

Platonis in Ægyptum profectio, 1195. Ambrosius ad verba Platonis in Gorgia respexisse credibile est, 1193.

Plebs idem sæpe sonat ac multitudo, grex et similia, 1007.

Plebeia amore, 1322.

Pœna crimini respondere debet, 709.

Pœnitentia publica, 1377. Potestas dimittendi peccata ministris Ecclesiæ a Christo data, 1537. *V.* Confessio et Sacerdotes.

Polemonis conversio, 548.

Polenta quid sit? 536.

Populus patrum, 586.

Possessiones in portione non secundæ, 287.

Potantes quæ formula se in propinando, ad bene precandum imperatoribus hortabantur? 553.

Potuit idem ac potuisset, 438. Adam verba Domini servare non potuit, 786. Non possibile pro difficili, 1325.

In Procinctu ludere, 604.

Professio census sub Augusto cur prima dicatur? 1201.

Pretorium pro domo ruri ad delicias ædificata, 596.


Digitized by Google

Precator idem ac intercedens, 202.
Præconis evocatio, 1294.
Presbyteri pro spiritualibus quæ laicis conferunt, terrenam eleemosynam legitime possunt accipere, 1491.
Pretium idem ac dignitas, et honor, 963.
Principatus pro principio, 1373.
Principale nostrum, quid? 1046.
Privilegio Christianus caret, 816.
Prolativum idem sonat ac extensivum, 313.
Prophetia, id est, Scriptura sacra, 227. Per prophetas, totum vetus Testamentum intelligitur, 1236.
Prytaneus locus, 1171.
Psalmus, Canticum, Psalmus cantici et Canticum psalmi quomodo differant, 935. Psalmorum in quinque partes celebris divisio, 881. Ratio numerandi psalmos, 521. Psalmi, et Cantica num constent versibus? 739, 973. Titulus psalmi quinquagesimi, 713. Cur in titulo psalmi LXXII scriptum sit defecisse psalmos David, 662. Eadem Ambrosii tempore divisio psalmi CXVIII quæ nunc habetur, 1055. Mulieres tempore Ambrosii psalmos in sacris conventibus cantasse, 741.
Puella sacra dicitur quæ voto publice emisso, castitatem profitebatur, 1038. Soluta puella, 1347.
Pueri rusticorum, 53.
Pulverem excitare, 560.
Putiphar an spado e iratus fuerit, cum uxorem haberet? 493.
Putris gleba, 46.
Pythagorica confessio quid sit? 349. Præcipuum Pythagoricæ disciplinæ caput in silentio positum, quale fuerit? 981.
Quadrantaria permutatio, 1447.
Quadragesimale jejunium Mediolanensis Ecclesiæ, 531, 543.
Quæstiones, id est, cruciatus, seu tormenta, 301.
Quoniam pro ὅτι Græcorum sumitur, 699.
Rationabile, id est, ratio, 1029.
Reclinatio quid significet? 663.
Reconciliationis suffragia, 1079.
Recrudescere, quid? 611.
Refutatio fastidium significare videtur, 115.
Remedium excedere, hoc est, præterire et omittere, 921.
Remissio incuriæ, 492.
Repræsentare judicium, 1179
Responsa, græce χρησμοί, 594. Responsa proferre, 233.
Responsoria quæ dicantur, 931.
Resurrectionis terra, 498. Quid Ambrosius de duplici resurrectione, et Chiliastarum opinione senserit? 763.
Retractare, id est, iterum tractare, 1393.
Reuma quid sit? 91.
Rogus late sumitur pro tumulo, 1320.
Ruben cur dicatur humilitas? 500.
Sabellianorum error, 1337.
Sacerdotes veteris legis quandonam ministrarent in templo? 1273.
Sacerdotes in ordinatione et suorum peccatorum remissionem accipiunt, et potestatem aliena remittendi, 1091.
Sacra gentilium, 869.
Sacramentum, id est, mysterium, 527. Sacramentum Dominicæ passionis, id est, baptismus, vel forte signum crucis, 1132. Sacramenta cum suscipimus, renuntiamus mundo, 1302. Sacramenta motus divini, 806.
Salomonis an pœnitentia et salus dubia? 679.
Saltare pignus regale, 772.
Saltatio inter actus religionis habita, 1031.
Samaritani cur solos quinque libros Moysis admiserint? 1503.
Sanctimonium pro sanctimonia vel sanctimonialium professione, 283.
Sapientis felicitas qualis? 433.
Sapientiæ liber an canonicus, et quis illius auctor? 147.
Sarmatio ac Barbatianus monachi apostastæ, 799.
Satisfactio pro defensione aliquando sumitur, 1523.
Scamma quid sit? 350.
Scena quid sit? 19, 469.
Scripturæ sacræ græcum veteris Testamenti codicem, quo Ambrosius utebatur, ab iis quos nunc habemus in multis discrepasse, 1332. Diversitas in lectione Evangelii secundum Joannem, 793. Qui novum non recipiant Testamentum? 1133. Omnis veritas in novo Testamento, 1205. Ambrosius optabat ut populus studiose Scripturarum etiam difficiliorum lectioni incumberet, 1078. *V.* Pentateuchus *et* Prophetia.
Scutum in sæculo corona est, 1345. Referri in scutis, 550.
Scrupus saxum est, unde scrupulus, 936. Simulacra scrupea, 936.
Sebastianus martyr Mediolanensis, 1233.
Sermo ejus qui est, 321. Sermo foris, 1120.
Servitutis stipendium libertas est, 767.
Signaculum quid sit? 577.
Seria, vas vinarium, oblongum, fictile, 71.
Siccaret aqua a terra, 231.
Siluerunt, hoc est, quieverunt, 1536.
Socrates magister Platonis quantum Davidis ætate posterior, 766. Ubi dixerit homines post mortem ad Deos suos festinare? 410. Celebre ejus responsum, 1172.
Solitudo materna, 1533.
Sonum accusationis involvit, 633.
Sors quid significet? 61. Sortium usus num licitus? 1273.
Sparto triplici jaculum intorquens, 1507.
Species quid significet? 373. *V.* Genus.
Spiritus sanctus in veteri Testamento num visibiliter missus sit, aut apparuerit? 1274.
Spiritus vitæ quid sit? 1277.
Statuit peccatum, 517, 536.
Sticarum domus, et stellarum cursus, 317.
Stola insigne conjugii, 1503. Mystica et moralis stola, 508.
Stratum magnum in superioribus, 1503.
Studio, id est, de industria ac dedita opera, 288.
Suasoria culpa, 679.
Subreptum peccatum, quid? 709.
Subjunctorium, id est, subjugale, 659.
Tentari decus mulieris, quid? 397.
Terra nostra in hemicyclo cœli, 1119.
Theoremata quid significent? 806.
Thurificationis antiquitas, 1275.
Tibicines ad excitandos luctus, 1398.
Tipula, quid? 394.
Tobiæ libri auctoritas defenditur, 589.
Liber de Tobia Ambrosio vindicatur, 589.
Tortitudo peccati, 862.
Tractare, id est, sacram scripturam populo exponere, 1161, 1422.
In S. Trinitate distingue unum, in potestatem discernas, 1341.
Troglodytæ qui fuerint? 1181.
Tumuli sepulcrorum, 1394.
Ulyssis et Nestoris facundia, 1414.
Unguenti et diversarum specierum venditores, 596.
Urere idem ac lædere, 1037.
Usura ab usu dicta, lugubre ceræ prima ejus littera sonat, 605. Vetus usurarum distinctio, 607. Doctrina Ambrosii de usuris defenditur, 589.
Venere nata convivium celebratum, 398.
Verbum divinum cur dicatur regale, 362.
Verbo, id est, ratione et cogitatione, 1286.
Veritas aliquando idem significat ac æquitas et justitia, 1477.
Veri fide comperi, 570.
Versus quid sit, 552. Quid significet, 1055.
Viæ signum, 498. Caput viæ, quid? 1399.
Vibravit et sapientiæ plenitudo, 695.
Viduæ quantum temporis in luctu perseverare deberent? 1533.
Vinum absynthiatum, Picenum et Tyriacum, 807.
Virginitas, et viduitas ante Christi tempora an colerentur? 1320. *V.* Puella *et* Sanctimonium.
Viriæ idem significant atque annuli, 311.
Viscera interdum pro carnibus sumuntur, aut pro pelle, 141.
Vivendi substantia quid significet? 1277.
Vita quæ per se redditur, 411.
Vocalis quis dicatur? 287.
Voluntarii qui dicantur? 320.
Vulva porcina, et jecur anserinum antiquis in deliciis erant, 512, 608.
Xenocrates varii fuerunt, 1181.

# INDEX MATERIARUM

## QUÆ IN HAC PRIMI TOMI PARTE CONTINENTUR.

*In psalmi* CXVIII *expositionem admonitio.* 1193
IN PSALMUM CXVIII EXPOSITIO. 1197
Prologus. 1197
Sermo primus, *Aleph.* 1199

Digitized by Google

Sermo secundus, *Beth.* 1208
Sermo tertius, *Gimel.* 1223
Sermo quartus, *Daleth.* 1240
Sermo quintus, *He.* 1250
Sermo sextus, *Vau.* 1267
Sermo septimus, *Zain.* 1280
Sermo octavus, *Heth.* 1294
Sermo nonus, *Theth.* 1320
Sermo decimus, *Jod.* 1329
Sermo undecimus, *Caph.* 1348
Sermo duodecimus, *Lamed.* 1360
Sermo decimus tertius, *Mem.* 1379
Sermo quartus decimus, *Nun.* 1390
Sermo decimus quintus, *Samech.* 1410
Sermo decimus sextus, *Ain.* 1424
Sermo decimus septimus, *Phe.* 1440
Sermo decimus octavus. *Sade.* 1452
Sermo decimus nonus, *Koph.* 1469
Sermo vigesimus, *Resch.* 1483
Sermo vigesimus primus, *Schin.* 1502
Sermo vigesimus secundus, *Tau.* 1511
*In expositionem Evangelii secundum Lucam admonitio.* 1525
EXPOSITIO EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Prologus. 1527
Liber primus. 1533
Liber II. 1551
Liber III. 1589
Liber IV. 1611
Liber V. 1635
Liber VI. 1667
Liber VII. 1699
Liber VIII. 1765
Liber IX. 1793
Liber X. 1803
COMMENTARIUS IN CANTICA CANTICORUM e scriptis S. Ambrosii, a Guillelmo quondam abbate S. Theoderici collectus. 1851
*Monitum lectori.* *Ibid.*
Prologus. *Ibid.*
Caput primum. 1853
Cap. II. 1871
Cap. III. 1891
Cap. IV. 1901
Cap. V. 1917
Cap. VI. 1940
Cap. VII. 1946
Cap. VIII. 1951
*Monitum editoris.* 1961
DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ LIBRI QUINQUE, *Ibid.*
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS.
Cap. primum. 1963
Cap. II. 1966
Cap. III. *Ibid.*
Cap. IV. *Ibid*
Cap. V. *Ibid.*
Cap. VI. 1967
Cap. VII. 1968
Cap. VIII. *Ibid.*
Cap. IX et X. 1969
Cap. XI. 1970
Cap. XII. 1971
Cap. XIII. 1972
Cap. XIV. 1973
Cap. XV. 1974
Cap. XVI. 1975
Cap. XVII. 1977
Cap. XVIII. 1978
Cap. XIX. *Ibid.*
Cap. XX. 1979
Cap. XXI. 1980
Cap. XXII. 1981
Cap. XXIII. 1982
Cap. XIV. *Ibid.*
Cap. XXV. 1983
Cap. XXVI. 1985
Cap. XXVII. 1986
Cap. XXVIII. *Ibid.*
Cap. XXIX. 1988
Cap. XXX. 1991
Cap. XXXI. 1994
Cap. XXXII. *Ibid.*
Cap. XXXIII. 1997
Cap. XXXIV. 1998
Cap. XXXV. 1999
Cap. XXXVI. 2001
Cap. XXXVII. 2003
Cap. XXXVIII. 2005
Cap. XXXIX. 2007
Cap. XL. 2009
Cap. XLI. 2015
Cap. XLII. 2019
Cap. XLIII. 2022
Cap. XLIV. 2025
Cap. XLV. 2031
Cap. XLVI. 2034
LIBER SECUNDUS.
Cap. primum. 2035
Cap. II. 2038
Cap. III. 2039
Cap. IV. 2040
Cap. V. 2041
Cap. VI. 2043
Cap. VII. 2044
Cap. VIII. *Ibid.*
Cap. IX. 2045
Cap. X. 2053
Cap. XI. 2055
Cap. XII. 2056
Cap. XIII. 2057
Cap. XIV. 2060
Cap. XV. 2061
Cap. XVI. 2064
Cap. XVII. 2065
Cap. XVIII. *Ibid.*
LIBER TERTIUS.
Caput primum. *Ibid.*
Cap. II. 2068
Cap. III. 2070
Cap. IV. 2072
Cap. V. 2073
Cap. VI. 2074
Cap. VII. 2076
Cap. VIII. 2077
Cap. IX. 2078
Cap. X. 2079
Cap. XI. *Ibid.*
Cap. XII. 2080
Cap. XIII. 2081
Cap. XIV. 2082
Cap. XV. *Ibid.*
Cap. XVI. 2083
Cap. XVII. 2085
Cap. XVIII. 2089
Cap. XIX. 2090
Cap. XX. *Ibid.*
Cap. XXI. 2092
Cap. XXII. 2093
Cap. XXIII. *Ibid.*
Cap. XXIV. 2094
Cap. XXV. 2096
Cap. XXVI. 2097
LIBER QUARTUS.
Caput primum. 2099
Cap. II. 2101
Cap. III. 2102
Cap. IV. 2103
Cap. V. 2105
Cap. VI. *Ibid.*
Cap. VII. 2107
Cap. VIII. 2109
Cap. IX. 2110
Cap. X. 2111
Cap. XI. 2112
Cap. XII. 2113
Cap. XIII. *Ibid.*
Cap. XIV. *Ibid.*
Cap. XV. 2114
Cap. XVI. 2115
Cap. XVII. 2116
Cap. XVIII. 2117
Cap. XIX. 2119
Cap. XX. *Ibid.*
Cap. XXI 2120
Cap. XXII. *Ibid.*
Cap. XXIII. 2121
Cap. XXIV. 2122
Cap. XXV. *Ibid.*
Cap. XXVI. 2124
Cap. XXVII. 2125
Cap. XXVIII. 2127
Cap. XXIX. *Ibid.*
Cap. XXX. 2128
Cap. XXXI. 2129
Cap. XXXII. *Ibid.*
Cap. XXXIII. 2130
LIBER QUINTUS.
Caput primum. 2131
Cap. II. 2132
Cap. III. 2135
Cap. IV. 2136
Cap. V. 2138
Cap. VI. *Ibid.*
Cap. VII. 2139
Cap. VIII. 2140
Cap. IX. *Ibid.*
Cap. X. 2141
Cap. XI. 2142
Cap. XII. 2143
Cap. XIII. 2144
Cap. XIV. *Ibid.*
Cap. XV. 2146
Cap. XVI. 2148
Cap. XVII. 2154
Cap. XVIII. 2155
Cap. XIX. 2158
Cap. XX. 2159
Cap. XXI. 2160
Cap. XXII. 2162
Cap. XXIII. 2167
Cap. XXIV. 2168
Cap. XXV. 2170
Cap. XXVI. 2171
Cap. XXVII. 2172
Cap. XXVIII. 2174
Cap. XXIX. 2175
Cap. XXX. 2176
Cap. XXXI. 2177
Cap. XXXII. 2178
Cap. XXXIII. 2179
Cap. XXXIV. *Ibid.*
Cap. XXXV. 2180
Cap. XXXVI. 2181
Cap. XXXVII. *Ibid.*
Cap. XXXVIII. 2182
Cap. XXXIX. 2183
Cap. XL. *Ibid.*
Cap. XLI. 2185
Cap. XLII. 2187
Cap. XLIII. 2189
Cap. XLIV. *Ibid.*
Cap. XLV. 2192
Cap. XLVI. *Ibid.*
Cap. XLVII. 2195
Cap. XLVIII. 2196
Cap. XLIX. *Ibid.*
Cap. L. 2197
Cap. LI. 2198
Cap. LII. 2189
Cap. LIII. *Ibid.*
ANACEPHALÆOSIS HISTORIÆ DE EXCIDIO URBIS HIEROSOLYMITANÆ.
Caput primum. 2205
Cap. II. *Ibid.*
Cap. III. 2206
Cap. IV et V. 2207
Cap. VI et VII. 2208
Cap. VIII. 2209
Cap. IX et X. 2210
Cap. XI et XII. 2211
Cap. XIII et XIV. 2212
Cap. XV. 2213
Cap. XVI. 2214
Cap. XVII. 2215
Cap. XVIII. *Ibid.*
Cap. XIX. *Ibid.*
Cap. XX. 2216
Cap. XXI. 2217
Cap. XXII. *Ibid.*
Cap. XXIII. 2218
Concordantiæ S. Ambrosii et Josephi de excidio urbis Hierosolymitanæ. 2219
ELENCHUS manuscriptorum necnon editorum codicum, ad quos castigata sunt opera quæ in hoc tomo continentur. *Ibid.*
INDEX RERUM ET SENTENTIARUM. 2227

EXPLICIT TOMUS DECIMUS QUINTUS.



Digitized by Google